Sc.L9.pl.4.

37
29 D

ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI
D. D. Fr. PETRI
DE GODOY
EPISCOPI OXOMENSIS
DISPVTATIONES THEOLOGICÆ
IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMÆ.

Tomus Secundus.

ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI

D. D. Fr. PETRI
DE GODOY

Ordinis Prædicatorum:

SALMANTICENSIS ACADEMIÆ

IN SACRA THEOLOGIA MAGISTRI:

EIVSDEMQVE VNIVERSITATIS QVONDAM CANCELLARII:

Diù Veſpertinę, & Primarię Cathedrę Moderatoris:

Concionatoris Regij: & nùnc Epiſcopi Oxomenſis.

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMAE.

Tomus Secundus.



VENETIIS, M DC LXXXVI.

Apud Ioannem Iacobum Hertz.

DE SVPERIORVM LICENTIA, & PRIVILEGIO.

DIVO THOMÆ AQVINATI,

DOCTORI ANGELICO,

Eccleſiæ Luminari Maximo, Sapientiæ Abyſſo, Diuinæ Voluntatis Interpreti, Magiſtrorum Magiſtro, Sanctitatis Speculo, Virginitatis Fragrantiſſimo Lilio, Humilitatis Admirabili Prototypo, ac Virtutum omnium inæſtimabili Theſauro.

Suus Humillimus; Et Addictiſſimus Seruulus, & vnus ex minimis eius Diſcipulis; veritatis tamen ardens amator, Fr. PETRVS, indignus Epiſcopus Oxomenſis, ſe, & omnia ſua, ex corde offert, & conſecrat.

INGENIOLI Mei præſens iſte qualiſcumque fœtus (O Splendidiſſimum Eccleſiæ iubar Sanctiſſime Thoma!) Te influente conceptus, te fouente, non iam per nouem menſium anguſtos terminos; ſed per plurium annorum ſpatioſa curricula in mente formatus, & dearticulatus, tandem te iuvante enixus, & parturitus, in lucem prodit: tuo glorioſiſſimo nomine honeſtatus, tuo fauorabili omine fortunatus, ac tuo ſacro numine circumfultus. Cui ergo, niſi tibi offerendus; cui alteri foret conſecrandus? Sed quid præſumo? Quæ me vana ſuperbia extollit? Aut quæ inſana dementia obcœcat? Si enim conſpectu tuo hæc mea opuſcula digna iudicauerim: ſuperbiſſima ſanè præſumptio erit. Si indigna: & nihilominus ea Tibi offerre contenderim, veluti munuſculum, quantumvis exiguum tuæ incomparabili ſapientiæ oblaturus: ridicula ſanè dementia, & inſipientia merito iudicari debet. Quiſnam enim non cachinis celebret inſipientiam illius, qui fulgentiſſimo meridiano Soli parvulam lucernam accenſam pro munere præſentaret, exiſtimans ſe obſequium

aliquod in hoc Soli præſtare ? Sed eſto , lucubrationes meæ alicuius eſſent æſtimabilitatis, & prætij (quod nunquam mihi perſuaſum habui) quòd tamen tibi ſcientiarum immenſo abyſſo offerantur: Quid meriti? Quid obſequij ? Nunquid præſument flumina Occeanum eſſe ſibi aliqua ratione debitorem , eo quod á ſuo primœuo ortu inceſſanter in illum tendunt , & tandem in ipſo demerguntur ? Neutiquam ſanè , cum hoc ipſum quod fluant, à mari receperint, & illud mergi, ſit certiſſima ſecuritas, ſemper , ſemperq; ſine aliqua interruptione fluendi: * Ergo quòd rivulus Ego , qui à te omnis veræ ſapientiæ pelago exiui , ad te fluam , & in te demergar : quid gratiarum , pro tam ineuitabili obligatione expectem? Si quos effundo Theologicos Latices , tui ſunt , illos in te mergere , non munuſculum , ſed vſura eſt , vt iterum, atq; iterum cum maiori , & rapidiori impetu, & aquarum copia in ſtudioſorum aliquantulam vtilitatem dilatentur . Non ergo me mouit vana exiſtimatio, quòd in diſputationibus iſtis aliquid inueniatur, quod tuæ celſitudini pro munere quantumvis exiguo offerri valeat . Quidquid enim in eis , numeris omnibus abſolutum, & ſcopum veritatis attingens inuentum fuerit : hoc nulla ratione meum , ſed tuum eſt . A te enim illud habui, à te didici, à te mutuatum accepi. Ac proinde id ipſum iterum tibi tradere, non largiri, ſed ſoluere, non donare, ſed reſtituere eſt. Quodcumq; autem, à veritatis inconcuſſa regula deuians repertum fuerit, hoc quidem omni ex parte, omniq; titulo meum eſt : at vero tibi nullo pacto dicandum, nulla ratione offerendum, cui nunquam placuit falſitas, nunquam arriſit, niſi veritas.

* Ad locum enim vnde exeũt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. *Eccleſ. 1. cap. verſ. 7.*

Hæc cum ita eſſe certiſſimè cognouerim : quo animo, quo fine , qua mente , quo conſilio libellum hunc tibi exibere præſumpſerim, paucis oſtendam: Accipit puerulus ſcriptitare affectans à Magiſtro Exemplar elegantibus caracteribus exaratum. In illud oculos figens, arripit calamum , & in propria cartula litteras Magiſtri exprimere conatur . Sed heu heu! Suo conatu fruſtratus , dum ad normam præſcriptam proprias litteras efformare geſtiebat,

ſtiebat, volens nolens rudes caracteres exprimit. Veruntamen non ideo ſcripta delet, nec cartulam retrahit: quin potius, illam ſtatim Magiſtro ſuo præſentat, vt ab ipſo quidquid exemplari conforme fuerit approbetur; quidquid verò ab eo diſcrepans, ac diſtortum, corrigatur, & emendetur. Non ſecus Ego, qui ad Tuæ admirandæ Doctrinæ clariſſimum, & pulcherrimum exemplar, oculos ab incunabulis conuerti, à tam excellenti Prothótypo, nec latum vnguem diſcedere, totis meis viribus anhelans, cartulas iſtas delineaui. Sed proh dolor! Quis non videat, quam abſimiles, ac difformes, tam præclaro exemplari euaſerint? Veruntamen non me retardat; potius hoc ipſum impellit, eas meo Sanctiſſimo Præceptori præſentare; vt ſi quid in eis ſuæ inconcuſſæ veritati conſonans inuentum fuerit, probet, & laudet, animoſq; legentium inducat, vt veritatibus à ſuo Limpidiſſimo Fonte hauſtis aſſenſum præbeant. Quidquid verò aberrans, ac diſtortum inuenerit, corrigat, deleat, ac expungat; nullumq; talibus aſſentiri permittat. Docuiſti me (Angelice Magiſter) hoc ipſum, ſicut & cætera, quæ vitæ meæ diſcurſu quomodolibet didici; vt cuncta tibi debere profitear. Quia non ſemel; ſed iterum, atq; iterum, cum de admirabili Euchariſtiæ Sacramento difficillimas extricaſſes quæſtiones, ad pedes Chriſti Crucifixi Magiſtri tui, è cuius lateris fonte hauſeras, quidquid propinaras, ſtatim codices expoſuiſti; tùm Pariſijs, tum Orbieti, humiliter, & feruenter exorans, vt ſi vera continerent Veritas ſumma à Patre procedens, probaret, ac confirmaret; ſin minus expungeret, & nullatenus euulgari permitteret. Sed, ò portentum! Vtrobiq; ex ore Crucifixi pronuntiatum audiſti: BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA.

Hoc Tuo exemplo permotus, illudq; imitatus, doctrinam, quam de Chriſto Incarnato, Te dictante percepi; non ad pedes Ieſu Chriſti immediatè exponere audeo; benè tamen ad Tuos, cum à Te quidquid docui quantum intelligere poſſum acceperim. Age ergo, Doctor Inclite, & quæ Doctrinæ Tuæ inconcuſſæ, ac firmiſſimæ Veritati in hoc libello repereris conſona: beneuolo à Lectoribus

-VIII fac

fac percipiatur auditu. Quæ verò illi quomodolibet aduerſa, à nullo ſequi, ab omnibus impugnari concede. Ego enim, quæcumq; illa ſint, libentiſſimè toto zelo retracto. Felix Ego ſi mentem tuam aſſequutus fuero: felicior, ſi non ſolum eam aſſequi, verum, & legentibus perſuadere potuerim: feliciſſimus vero, ſi quemadmodum Doctrinam Tuam in Me imprimere toto vitæ meæ periodo pro viribus curaui; ita etiam heroicas, eximiaſque animi Tui virtutes imitatus fuero. Hoc vnum præ omnibus à Te inſtanter deprecor, & exopto. Sicut ergo intellectum meum inſtruxiſti: voluntatem etiam inflamma (Amantiſſime Doctor) & amoris diuini igne ſuccende, vt quæ Te docente video nunc per ſpeculum, & in enigmate, Te intercedente facie ad faciem, Tecum contemplari merear in Patria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

ILLVSTRI.MO AC REVEREND.MO DD.

FR. PETRO A GODOY

OXOMENSI EPISCOPO,

EX PRAEDICATORVM ORDINE,

Ac Primaria Theologiæ Salmantina Cathedra meritiſſimè aſſumpio,

Fr. DOMINICVS DELOS REYES, EIVSDEM ORDINIS, Prouinciæ Bæticæ, Sacræ Theologiæ indignus Magiſter, S. Inquiſitionis Qualificator, ac eiuſdem Illuſt. Dñi quondam in D. Gregorij Valleoletano Collegio immeritus contogatus; perennem fælicitatem exoptat, ipſumq; pro continuanda æditione commentariorum in Angelici Doctoris ſummam Theologiæ, optis, ſelectiſque aliquot Plinij Iunioris vocibus; amanter vrget, humiliterquè precatur.

OMNIVM Exhilaraſti corda (Illuſtriſſime Princeps) dum litterario orbi fulgentiſſimos ſapientiæ tuæ radios, tandiù ſub innatæ modeſtiæ ſignaculo clauſos, ut ſapientium oculos ſuauiſſimè oblectent, & ad Scholaſtica prælia acuminum fulmina ſubminiſtrent, communi prælo commiſſos, ſpargere cœpiſti. Gratulor, & tibi, & nobis: nobis, qui diù deſideratis ſuper tertiam Aquinatis noſtri partem, doctiſſimis tuis commentarijs fruimur ingenij tui claritate perfuſſis, *vt in lumine tuo tanti Angelici luminis, videamus lumen*: tibi, qui nedum communi utilitati, ſed & priuatæ gloriæ conſuluiſti, plurimorum obſtruens ora, qui moræ tuæ impatientes, quærulas illas Plinij Iunioris voces, aduerſus Octauium, ingenij ſui monimenta ſub ſcrinij ſecreto, diù præmentem, in te iure optimo, iam, iam clamabundas parabant: *O hominem! te patientem, vel potius durum, ac pene crudelem, qui tam inſignes libros tamdiù teneas, quouſq; & tibi, & nobis, invidebis, tibi maximam gloriam, nobis voluptatem.* Amori parce (Illuſtriſſime Princeps) amanti liceat aliquando te ad curſus feſtinationem reuerenter vrgere, cui dolenti licuit, tandiù, doloris ex mora tua concepti comprimere ſenſum, altè obſecro inſideat animo tuo, inceptum ante opus, *non ſolum eſſe opus, ſed pignus*; indeficiens currat calamus, prælo ſubijciens lucubrationes, æterno marmore dignas. Hoc publicum ius; hoc & priuatum gloriæ tuæ, tot vigiliarum pretio, tot ſudoribus comparatum, ſtrictiſſimo iuſtitiæ debito expoſtulat? *Magna etiam* (Plinius proſequitur) *longaque ſpectatio eſt, quam fruſtrari adhuc, & differre non debes; innotuerunt quidam tui verſus, & inuito te clau-*

Plinius Iunior Octauio.

Ibidem.

ſtra

ſtra tua fregerunt, hos niſi retrahas in corpus, quandoq; errores, aliquem, cuius dicantur inuenient. Inuenerunt utiq; Doctiſſimi tractatus tui, quos ex ſuggeſtu dictaſti, alienum Dominum; & dum certatim omnes, eloquentiæ argentum, ſapientiæ aurum, ex præexcelſi ingenij tui fodinis, ut ditentur, eruere auidiſſimè feſtinant, non defuere manus, quæ adulterinum ſui nominis ſigillum, præcioſiſſimis hiſce metallis imprimere non ſunt vetitæ? ut in fronte operis tui modeſtiſſimè quærulus Lectorem admones. Temerarij tamen auſus, ipſa ſua temeritate pænas luit, ille ſibi impoſtor, dum, tam ingenioſæ maieſtatis læſæ, furtiquè reum, facilè ſe prodit: *Habet enim argentum venarum ſuarum principium, & auro locus eſt, in quo conflatur:* tamq; probati auri (quocumq; nomine ſigilletur) locum, toties examinati argenti venam, tuo Illuſtriſſimo inſidere capiti, uniuerſo innoteſcit orbi, ex cuius quatuor partibus, ſapientiæ amatores, longiſſima terræ dimentientes ſpatia, procelloſis vaſti pelagi, ſe commitentes undis, ad te undiq; confluxerunt, ut indeficientes ſapientiæ theſauros, in tuis ſuper quatuor Angelici Noſtri Magiſtri Partes, ingenioſiſſimis lucubrationibus, ad propria reuertentes, tranſportarent. Perge nihilominus, feſtina quod tuum eſt, ea qua, cæpiſti liberalitate elargiri, *ne fortè alij fæſtinent prædari*; nec enim ſolo intrinſeco auri tui valore, ditari concupiſcimus, ſed & nominis tui inſcriptioni ſæpius gratulari, amantèr ambimus. Experiere indubiè, in operum tuorum æditione, quod de

Geminio. ſuis libris, Olim Geminio ſuo reſcribens, Plinius auſpicabatur. *Libentius ex litteris tuis cognoui, venditari libros meos, & peregre inire gratiam, quam in vrbe legerunt; incipio enim, ſatis abſolutum exiſtimare, de quo tanta diuerſitate regionum, diſcreta hominum iudicia conueniut.*

Hæc, Præſul Illuſtriſſime, ut te ad curſum concitem audacius fortaſſe, amantiſſime tamen dicta. Quid autem de te, tuoq; opere cenſeam, aperiri quidem geſtiens, quomodo exprimere valeam, qui nec ſummis labris eloquentiæ attigi fluenta? Me tamen antiquiſſimi in te amoris æſtus compellit, ut ex abundantia corde concepta, quod balbutiret lingua, incompto calamo commitam. Memini, ò me fælicem, per quatuor annorum curricula, olim in noſtro D. Gregorij Valleoletano perilluſtri Muſæo, tibi contogatum aſtitiſſe. Ibi dum adhuc tyrocinium ageres, te diſcipulum, iam Magiſtrum, Magiſtri venerabantur: ibi dum alijs contogatis, nec inferioris notæ ingenio pollentibus, vix ſub obſcuræ ſapientiæ luces irradiabant, tamquam fulgentiſſimus Sol, qui in diem perfectum creuerat, illucebas. Mirabamur in te acre ingenium, incredibile ſtudium, indeficientem memoriam, ſummam vigilantiam. Fulmina dum argueres iaculabaris, perſpicuæ lucis radios reſpondens ſpargebas, & (quod mihi, & omnibus ſupra miraculum) facilimo, fæliciq; amicitiæ fædere, conceptuum ſublimitati, eloquentiæ maritabas voces. Anceps hærebat animus, nec iudicij trutinam, ab alterutra parte percipiebat depreſſam, dum penſitabat (ſic me tibi amicabiliter arridentem dixiſſe memini) an totum tempus Scholaſticæ meditationi dares; an elimandis Rhetoricæ regulis, ne ab illis, nec latum unguem in conceptuum expreſſione deuiares Felicem te, cui tam valde mane, intelligentiæ Sol ortus; fælices nos Prædicatoriæ Familiæ alumnos, quibus tanti luminis obvenit irradiari fulgoribus, ter deniq; quaterq; beatum noſtrum D. Gregorij Collegium, cui contigit, in uno ſapientiſſimo filio, tot Patrum capita, fulgentiſſima redimire corona. Tantiſper obſecro, amantiſſime Præſul, releua modeſtiæ velum, dum te nobis

Nepoti ſuo. Nouicomenſis Rhetor ſub cuiuſdam Yſæi ſpecie adumbratum, contemplandum indigitat: *Magna Yſæum fama præceſſerat; maior inventus eſt ſumma eſt facultas, vbertas, copia, dicit ex tempore, ſed tamquam diù ſcripſerit* (hoc de te, Illuſtriſ-

Iuſtriſſime Dñe, Theatra conclamant) *poſcit controuerſias plures , electionem au-*
ditoribus permittit , ſtatim omnia , ac pene pariter , ad manum, ſenſus reconditi , occur- Antonino Capitoni.
ſant verba , ſed qualia quæſita , & exculta , multa lectio inſubtiis , multa ſcriptio elu-
cet , proœmiatur aptè , narrat apertè , pugnat acritèr, colligit fortitèr, ornat excelſè , po- Caninio
ſtremo , docet , delectat , adficit . Quod maximè dubites , crebræ commentationes , ſil-
logiſmi circunſcripti , & effecti , quod ſtylo quoq; aſſequi , magnum eſt . Hæc de
Yſæo Plinius: hæc ego de te, qui eadem , & maiora es fæliciſſime aſſequutus .
Hortor iterum cum eodem Rhetore , *vt quam plurima proferas , quæ imitari om-* Caninio Ruſo.
nes concupiſcant , nemo , aut pauciſſimi poſſint . Hortor ne ab incepto deſiſtas. *Nam*
ſi rationem poſteritatis habeas , quidquid non eſt peractum (ait idem) *non inchoatum*
duces . Expreſſos igitur laboris tui ſudores , aureis caracteribus excipiendos , citiſ-
ſimum prælum exſudet ; *potero fortaſſe ſcripta tua magis probare , laudare , quanto il-*
la tardius mittes , ſed ipſum te magis amabo , magis laudabo , quanto celerius miſeris .
Iterum cum Plinio (importunè forſan,non tamen inoportunè) inſto, obſecro. *Hoc*
ſit negotium tuum ; hoc otium , hic labor , hæc quies ; in his vigilia , in his etiam ſomnus
reponatur, effinge, & excude , quod ſit perpetuo tuum , nam cum reliqua rerum tuarum
poſt te alium Dñm ſortientur , hoc nunquam deſinet eſſe tuum dum ſemel cæpit . Scio
quem animum , quod horter ingenium , tu modo enitere , vt tibi ipſe ſis tanti , quanti
videberis aliis , ſi tibi fueris . Diù vale , vigilantiſsime Paſtor , ut inter vigiliarum
excubias , quibus commiſſas tibi oues paſcis ; uniuerſum Chriſti gregem , ſalu-
berrimo ſimul , ac ſolidiſsimo doctrinæ tuæ pabulo reficias , ac inſtar miſtici
illius Canis Dominici Parentis noſtri , cuius latratibus proximius ſacra templi tui
reſonant tecta ; Fidei domeſticos mulceas , extraneos arceas , & quem merito ,
Theologiæ ſacræ portentum noſtrum miratur ſæculum , in ſupremo Romanæ
Eccleſiæ culmine conſtitutum venerentur fideles urbis , & orbis . Faxit Deus.

Malacæ die 14. Septembris . Anni Dñi 1666.

Illuſtriſsime , ac Reuerendiſsime Domine .

Sacras veſtes , ac manus venerabundus exoſculatur tuus addictiſsimus ſimul ,
obſequentiſsimuſque ſeruus .

Fr. Dominicus de los Reyes .

PRO-

PROLOGVS AD LECTOREM.

ACCIPE Lector, beneuolo animo, diſputationum in Tertiam D. Tho. Partem tomum alterum; vt enim tibi morem gererem, ac tuis votis annuerem, nihil me ab incepto opere potuit retardare. Non muneris Paſtoralis irrequieta ſolicitudo, non viſitationum Noſtræ Diœceſis laborioſus diſcurſus, non deniq; valetudinis aduerſæ importuna moleſtia: inter hæc etenim, & quam plurima alia emergentia obſtacula, nunquam non ſub prælo gemebant chartæ, nec hoc tantum, ſed etiam tertius interim parabatur Tomus, qui iam ferè totus perpolitus eſt, ſtatimq; prælo dandus, Deo fauente. Tempus enim, vt tot, tantiſq; poſſem ſatisfacere furtim ſubripiebam, vel potius, vt cum Apoſtolo loquar: Redimebam, anticipaueruntq; vigilias oculi mei. Nec enim otium fuit mihi quandoq; laboris leuamen, ſed ipſa repetita laborum ſucceſſione, eorumq; ſucceſſiua alternatione, fatigationem præcedentis laboris eludebam. Si forſan Primus Tomus placuit, ſpero non diſplicebit Secundus; nec enim minores difficultates, neq; ſegniùs, aut oſcitantiùs exagitatas continet, ſed potius ingentiores, neque admodum tritas, à pauciſque radicitus enucleatas. Nec te dimoueat, aut dilectione deterreat, vna diſputatione ſub vnico titulo plures paginas abſummi, & quaſi in immenſum protrahi; ideo enim paragraphis eas diſtinximus, vt tædium omne exularet, & in illorum ſingulis, quam plures difficultates, quarum notitia ad rem, de qua agitur penitus exauriendam, eſt neceſſaria, non ſegniter, non perfunctoriè, ſed accuratè ſatis indagantur. Iſte enim ſemper Mihi fuit animus, ſic difficultates exactè diſcutere, vt quicumque mediocri ingenio præditus, illarumque conſiderationi tantiſper intentus, poſſit, nedum veritatem aſſequi, verùm, & ab ingenti argumentorum acie defendere, & in publicis diſputationibus defenſare. Quod an aſſequutus fuerim, tu videris. Et quia ſemper, quod Mei Angelici Præceptoris Doctrinæ cenſui conformius, defendere ſum conatus; ſi quid illi aduerſum deprehenſum fuerit, quod, pro mei captus exiguitate, non dubito, quin poſſit accidere, tanquam non dictum habeatur, illudque libentiſſimè retracto. Et omnia ſcripta, & ſcribenda, ſapientum emendationi, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni, vero affectu cordis ſubmitto.

INDEX DISPVTATIONVM,

Breuiſque inſinuatio eorum, quæ in illis continentur.

Littera P. *deſignat paginam.* *Littera* N. *numerum marginalem demonſtrat.*

TRACTATVS QVARTVS.

De extremo aſſumpto, vel aſſumptibili à Verbo.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

Vtrùm omnis natura creata ſit aſſūptibilis à Verbo? Pag. 3.

MVltiplex naturæ acceptio explicatur, & diſputatio in tres partes diuiditur. n. 1.

§. PRIMVS.

Prima pars diſputationis reſoluitur. Pag. 3.

SVpponitur primo, humanam naturam eſſe aſſumptibilem à Verbo. ex quo ſecundo, vt certum ſupponendum colligitur omnes alias humanitates eſſe aſſumptibiles. n. 2.

Dubium reſtat de natura Angelica, ac de naturis completis purè materialibus, circa quod ſunt tres ſententiæ. num. 3.

Prima Concluſio. Natura Angelica eſt aſſumptibilis à Deo in vnitatem perſonæ, non tamen ita congruenter; ſicut humana natura. n. 4.

Quod natura Angelica ſit aſſumptibilis à Verbo de potentia abſoluta, probatur. *A n. 5. vſque ad 9.*

Quod autem, non ſit aſſumptibilis ita congruenter, ſicut natura humana, probatur. *à n. 26. vſque ad 14.*

§. SECVNDVS.

Primum argumentum contraria ſententia diluitur, & mens D. Thomæ explicatur. Pag. 4.

PRimum argumentum ſumitur, ex eo quod perſonalitas in Angelis non diſtinguitur realiter à natura; quod auctoritate D. Th. probatur. n. 15. *&* 16.

Prima ſolutio aſſerentium, D. Thom. ſententiam mutaſſe, reijcitur. n. 17.

Duæ aliæ explicationes referuntur; & reijciuntur. *à n. 18. vſque ad 25.*

Explicatio Caietani refertur, & contra illam arguitur. *à n. 26. vſque ad 31.*

§. TERTIVS.

Defenditur prædicta explicatio, & contra obiectiones diluuntur. Pag. 6.

CAietani explicationem rectè intellectam ſuſtinendo, obiectionibus contra illam factis occurritur. *A nu. 32. vſque ad 43.*

Secundum principale argumentum ſumitur, ex eo quod ſi natura Angelica eſſet aſſumptibilis à Deo, poſſet aſſumi poſtquam eſſet producta, deſtructa proprie perſonalitate; quod verum non eſſe, probatur, quia alias Angelus poſſet corruptione deſinere eſſe, *num.* 44.

Reſpondetur huic argumento; & defenditur ſolutio. *à n. 45. vſque ad 53.*

§. QVARTVS.

Naturam irrationalem eſſe, de potentia abſoluta, aſſumptibilem, auctoritate, & ratione probatur Pag. 9.

SEcunda Concluſio. Natura irrationalis completa, poteſt de potentia abſoluta, vniri hypoſtaticè Deo, & ab ipſo aſſumi in vnitatem ſuppoſiti. Quæ concluſio auctoritate probatur. n. 54. 55. *&* 56.

Deinde probatur ratione, ſumpta ex eo quod ſubſiſtentia realiter à natura irrationali diſtinguitur, & in ſubſiſtentia diuina eminenter continetur. n. 57.

Quadruplex ſolutio refertur, & impugnatur. *A nu. 58. vſque ad 63.*

Deniq; probatur concluſio; nam corpus Chriſti poſt mortem manſit in ſepulcro vnitum Verbo Diuino; & tamen tunc irrationalis erat naturæ. n 64.

Aduerſariorum ſolutio refertur, & reijcitur. *A n. 65. vſque ad 69.*

§. QVINTVS.

Argumentis ab auctoritate occurritur. Pag. 10.

COntra concluſionem obijciunt contrarij Auctores, Tertullianum, Auguſtinum, & Angelicum Doctorem quorum teſtimonia explicantur. *A n. 70. vſque ad 87.*

§. SEXTVS.

Argumenta à ratione ſoluuntur. Pag. 12.

Prima ratio, ſumpta ex eo quod nulla potentia irrationalis naturæ, eſt eleuabilis ad viſionem, & amorem Dei, & conſequenter natura irrationalis non eſt eleuabilis ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina: proponitur, & diluitur, *à n. 88. vſque ad 101.*

Secunda ratio ſumitur, ex eo quod natura incapax ſanctitatis, qualis eſt natura irrationalis, eſt etiam incapax vnionis ſuppoſitalis cum Deo. n. 102.

Solutio Patris Vazquez refertur, & reijcitur, *à nu. 103. vſque ad 106.*

Traditur, & defenditur vera ſolutio, *à num. 107. vſque ad 112.*

Sextum argumentum deſumptum, ex eo quod natura irrationalis eſt incapax effectus formalis primarij perſonalitatis diuinæ; & conſequenter eſt incapax, vt vniatur cum illa: proponitur, & diluitur, *à n. 113. vſq. ad 118.*

§. SEPTIMVS.

Circa ſecundam diſputationis partem, relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio. Pag. 16.

CIrca ſecundum, an, nempè, natura accidentalis poſſit Deo hypoſtaticè vniri? Quatuor referuntur ſententiæ, *à n. 119. vſque ad 123.*

Prima Concluſio. Accidens non poteſt aſſumi à Deo; vt illius ſubſiſtentia ſubſiſtat, cuius veritatis triplex probatio reijcitur, *à n. 124. vſque ad 134.*

§. OCTAVVS.

Noſtra ſententia auctoritate, & ratione probatur. Pag. 18.

SVadetur concluſio. Primo, expreſſo teſtimonio D.T. Deinde vnica ratione, ſumpta, ex eo quod natura non potens per ſe exiſtere per ſubſiſtentiam creatam, qualis eſt natura accidentis, non poteſt diuinæ ſubſiſtentiæ vniri *n.* 135. 136. & 137.

Refertur, & refellitur triplex ſolutio *à n.* 138. *vſque ad* 147.

§. NONVS.

Reijcitur quarta ſententia, Pag. 19.

SEcunda Concluſio. Accidens non poteſt immediatè vniri Deo, vt extremo, & puro termino vnionis. Quæ concluſio probatur, eo quod ex huiuſmodi vnione, non poteſt reſultare vnum per ſe. *n.* 148.

Refertur, & refellitur triplex huius argumenti ſolutio, *à n.* 149. *vſque ad* 156.

§. DECIMVS.

Fundamentis contrarijs occurritur. Pag. 20.

PRimum argumentum deſumptum, ex eo quod poteſt quantitas creari à Deo actione dependente ab ipſo, vt à puro extremo, & termino: proponitur, & diluitur. *A n.* 157. *vſque ad* 161.

Secundum argumentum deſumptum, ex eo quod poteſt Deus vniri cum accidenti in ratione ſubiecti ſub ratione ſuſtentantis: proponitur, & diluitur. *nn.* 162. 163. & 164.

Tertium argumentum deſumptum, ex eo quod poteſt dari ſubiectum ſuſtentans formam ſine illius receptione; & conſequenter omni imperfectione ſecluſa: proponitur, & diluitur, *à nn.* 165. *vſque ad* 173.

§. VNDECIMVS.

Accidens vniri poſſe cum diuina exiſtentia, probatur. Pag. 22.

TErtia Concluſio. Non repugnat accidens vniri immediate cum diuina exiſtentia. *n.*174.

Prædicta concluſio probatur, *à n.* 175. *vſque ad* 181.

§. DVODECIMVS.

Contraria argumenta diluuntur. Pag. 23.

PRimum argumentum deſumptum, ex eo quod repugnat exiſtentiæ diuinæ actuare naturam creatam: proponitur. *n.* 182. & 183.

Secundum argumentum deſumptum, ex eo quod exiſtentia ſubſtantialis non poteſt communicari naturæ accidentali: proponitur, & diluitur, *à n.* 184. *vſque ad* 191.

Ex dictis colligitur primo, ex accidenti, & exiſtentia diuina, caſu in quo inter ſe vnirentur, reſultare vnum per ſe, non perſeitate entis nominaliter ſumpti, ſed accepti participaliter. *n.* 192.

Secundo infertur, in hypotheſi prædicta, non eſſe cum proprietate dicendum, accidens aſſumptum à Deo. *n.* 193. 194. & 195.

§. DECIMOTERTIVS.

Circa tertiam diſputationis partem referuntur ſententiæ, & ſtatuitur prima concluſio. Pag. 25.

CIrca tertium, quod examinandum propoſuimus; an ſcilicet, natura ſubſtantialis partialis poſſit vniri ſubſtantialiter cum Deo, & ab ipſo aſſumi? Vt certum ſupponimus primo; animam rationalem ſeparatam à materia eſſe vnibilem cum Deo, eſſeque ab ipſo aſſumptibilem. *nn.* 196. & 197.

Secundo, vt certum ſupponimus; partes integrantes omogeneas, & eiuſdem rationis, ſeparatas à toto, poſſe per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere. *n.* 198

Reſtat difficultas, circa partes integrantes vnitas, & circa partes phyſicas eſſentiales, vnitas, vel ſeparatas circa quod tres verſantur ſententiæ. *n.* 199.

Prima concluſio Nulla pars actu alijs partibus vnita, poteſt aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, compartibus non aſſumptis: & probatur prædicta concluſio tripliciter, *à num.* 200. *vſque ad* 207.

§. DECIMVSQVARTVS.

Obiectionibus, in contrarium occurritur. Pag. 26

PRimum argumentum ſumitur, ex eo quod partes actu componentes totum ſubſiſtunt per ſubſiſtentias partiales; & conſequenter poteſt vna ſeorſim ab alia ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi, *à n.* 208. *vſque ad* 210.

Huic argumento triplex adhibetur ſolutio, *à n.* 211. *vſque ad* 215.

Secundum argumentum deſumptum, ex eo quod poteſt vna pars accidentis ineſſe proprio ſubiecto, vnita cum alia parte non inhærente, ſed per ſe ſubſiſtente: proponitur, & diluitur, *n.* 226. 227. & 228.

§. DECIMVSQVINTVS.

Materiam primam ſine forma ſubſtantiali, non poſſe aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, probatur. Pag. 29.

SEcunda Concluſio. Implicat materiam primam aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, ſine aliqua forma ſubſtantialis, quod probatur ex doctrina communi Thomiſtarum aſſerentium, materiam primam non poſſe exiſtere ſine forma. *n.*229.

Refertur, & refellitur duplex ſolutio, *à nn.* 230. *vſque ad* 239.

Fundamentis Magiſtri Bañez occurritur. *nn.* 240. 241. & 242.

§. DECIMVSSEXTVS.

Argumentis in contrarium ſit ſatis. Pag. 31.

PRætermiſſis argumentis Philoſophicis, contra concluſionem arguitur; nam de facto materia prima humanitatis Chriſti ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi, ratione ſui immediatè: quod probatur, nam ſeparata forma à materia in triduo mortis Chriſti manſit materia vnita ſuppoſito Verbi. *num.* 243. 244. & 245.

Reſpondetur, negando antecedens, & explicatur modus, quo materia in triduo mortis, manſerit vnita Verbo, *à n.*246. *vſque ad* 251.

§. DECIMVSSEPTIMVS.

De forma materiali ſeparata à materia. Pag. 32.

TErtia Concluſio. Forma corruptibilis, & materialis ſeparata a materia, poteſt vniri cum diuina exiſtentia, & ad ſubſiſtentiam, diuinam aſſumi, quod probatur, eo quod ſic ſeparata, poteſt exiſtere per exiſtentiã creatam, & in ſeipſa ſubſiſtere, *à n.* 252. *vſque ad n.* 265.

§. VLTIMVS.

Oppoſita ſententia cũ ſuis fundamentis proponitur. Pag. 34.

COntrarium noſtræ concluſionis docent Vazquez, & & Cabrera. *n.* 261.

Et omiſſis argumentis contra primam partem, quia philoſophica ſunt: primum argumentum deſumptum ex D. Thoma, proponitur, & diluitur. *n.* 263. 264. & 265.

Secundum argumentum deſumptum, ex eo quod forma ſubſtantialis corporea, non eſt capax ſubſiſtendi; & conſequenter non poteſt per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere: proponitur, & diluitur, *à n.* 266. *vſque ad n.* 270.

Vltimum argumentum deſumptum, ex eo quod forma ſubſtantialis corporea, ſi ſubſiſtit ſeparata, eſt per ſubſiſten-

ſtentiam partialem; ſubſiſtentia autem diuina non poteſt vices ſubſiſtentiæ partialis ſupplere, proponitur, & diluitur, *à num. 274. vſque ad num. 283.*

DISPVTATIO DECIMANONA.

An natura creata terminata per propriam perſonalitatem, poſſit aſſumi ad ſubſiſtentiam diuinam?

§. PRIMVS.

Præmittuntur, quæ apud omnes ſunt certa. Pag. 37.

PRimò, certum eſt, humanitatem de facto hoc modo aſſumptam non fuiſſe. Deinde certum eſt, potuiſſe humanitatem coniunctam propriæ perſonalitati creari, & illa deſtructa à Diuino Verbo aſſumi. Et mens Diui Thomæ explicatur, *à num. 1. vſque ad 4.*

Tertio extra controuerſiam eſt, humanitatem de facto ad aſſumptionem, non fuiſſe præſuppoſitam propriæ perſonalitati coniunctam. *n. 5.*

Quartò, vt certum ſupponimus, perſonalitatem ipſam, aſſumi non poſſe ad ſubſiſtendum per diuinam ſubſiſtentiam, *à num. 6. vſque ad n. 10.*

Denique apud omnes eſt certum, naturam, vt perſonatam, non poſſe per aliam ſubſiſtentiam terminari, nec per diuinam ſubſiſtere. *n. 11.*

§. SECVNDVS.

Ratio dubitandi proponitur, & referuntur ſententiæ. Pag. 38.

RAtio dubitandi ſumitur, ex eo quod non implicat contradictionem, naturam creatam, propria perſonalitate retenta, aſſumi ad diuinam. *n. 12.*

Quidam ratione dubitandi conuicti affirmatiuæ adhærent ſententiæ. *n. 13.*

Vera tamen eſt ſententia negatiua, & frequentior apud Theologos, qui in ratione implicationis aſſignanda diſſentiunt. *n. 14.*

Prima ratio implicationis, quam ſubtilis Doctor aſſignat, reijcitur. *n. 15.*

Secunda ratio ex alio principio eiuſdem Doctoris ſumpta, refellitur. *n. 16.*

Tertia ratio ſumpta ex diffinitione ſuppoſiti, vel perſonæ, reijcitur. *n. 17. & 18.*

Quarta, & frequentior implicationis ratio, ſumpta, ex eo quod ſubſiſtere in ſe, & exiſtere in alio, ſunt modi eſſendi eſſentialiter repugnantes, proponitur, & reijcitur. *à nu. 19. vſque ad 28.*

Quinta ratio implicationis, ſumpta, ex eo quod natura terminata per propriam perſonalitatem completur, vt quoddam totum, refertur, & refellitur. *n. 29. & 30.*

§. TERTIVS.

Explicatur ratio Caietani, & alijs rationibus communis ſententia probatur. Pag. 40.

RAtio implicationis, à Caietano aſſignata, innitens, in eo quod natura creata cum propria perſonalitate adæquatur, exponitur, & defenditur, *à nu. 31. vſque ad num. 46.*

Facilius noſtra ſentẽtia ſuadetur, & implicationis ratio aſſignatur ex dictis diſputatione decimaſexta *n. 47 & 48.*

Alia ratione implicationis, noſtra ſententia probatur. *n. 49.*

Denique probatur concluſio, ex Concilijs, & Patribus inferentibus, in Chriſto eſſe vnam tantum perſonam, ex eo quod humanitas fuit aſſumpta ad ſubſiſtentiam diuinam, *à n. 50. vſque ad 62.*

§. VLTIMVS.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag. 44.

EX dictis conſtat ſolutio rationis dubitandi cum ſuis confirmationibus. *n. 63.*

Deinde arguitur ex Damaſceno, & argumentum diluitur, *à n. 64. vſque ad 66.*

Secundum argumentum deſumptum, ex eo quod perſonalitas propria, & diuina non opponuntur virtualiter contradictoriè reſpectu naturæ creatæ, proponitur, & diluitur *à n. 67. vſque ad 70.*

Tertio arguitur; nam poteſt perſona creata propria exiſtẽtia priuari, & vniri cum diuina exiſtentia, & conſequẽter etiam poterit vniri cum ſubſiſtentia diuina. *n. 71.*

Quorundam ſolutio, negantium antecedens, refertur, & refellitur, *à num. 72. vſque ad n. 74.*

Traditur vera ſolutio, conceſſo antecedenti, & negando conſequentiam, & aſſignatur ratio diſcriminis. *nu. 75. & 76.*

Obiectioni ſumptæ ex dictis ſupra contra Durandum diſputatione 17. occurritur, *à num. 77. vſque ad 85.*

DISPVTATIO VIGESIMA.

An hæc propoſitio: Deus aſſumpſit hominem, *in rigore, & proprietate ſermonis ſit vera?*

§. PRIMVS.

Relatio ſententijs, vera eligitur, & auctoritate probatur. Pag. 48.

POſſe aliquomodò dici: *Verbum Dei aſſumpſit hominem,* vt extra controuerſiam ſupponitur; vnde difficultas ſolum circa locutionis proprietatem verſatur. *num. 1.*

Prima ſententia affirmat, prædictam propoſitionem eſſe cum proprietate veram; pro qua plures referuntur Auctores. *num. 2.*

Falsò præfatos Doctores pro hac ſententia allegari, probatur. *num. 3. & 4.*

Secunda ſententia tenet, prædictam propoſitionem non eſſe veram in rigore, & proprietate ſermonis: ita ſentiunt communiter Theologi. *num. 5.*

Quæ ſententia à Nobis pro concluſione ſtatuitur, & probatur primo, quia eſt communis Theologorum conſenſus. *num. 6.*

Refertur, & refellitur duplex ſolutio, *à n. 7. vſque ad. 10.*

Secunda probatio ſumpta ex Felice Papa in Synodo Epheſina, proponitur, & explicatio Patris Vazquez reijcitur; *à num. 11. vſque ad num. 15.*

Tertio probatur, nam commentarium Ludouici Viues in *c. 17. libri noni de Ciuitate Dei*, vbi prædictam propoſitionem eſſe in rigore veram aſſeruit, abraſum eſt iuſſu Supremi Senatus Inquiſitionis, & duplex euaſio, reijcitur, *à num. 16 vſque ad n. 21.*

§. SECVNDVS.

Rationibus Theologicis noſtra ſententia ſuadetur. Pag. 50.

PRima ratio ſumpta, ex eo quod ſequeretur Verbum aſſumpſiſſe, non ſolum humanitatem, ſed etiam humanum ſuppoſitum, proponitur, & vrgetur. *n. 22. & 23.*

Contrariorum ſolutio refertur, & refellitur, *à n. 24. vſque ad 29.*

Secunda ratio Theologica ex alio inconuenienti deſumpta, nempè, ex prædicta ſententia, ſequi propoſitionem iſtam: *Verbum Dei aſſumpſit hunc hominem*, vel *hunc hominem in ſingulari*. Proponitur, & vrgetur. *num. 30. & 31.*

Contrariorum reſponſio, refertur, & refellitur, *à nu. 32. vſque ad 36.*

§. TERTIVS.

Argumentis ab auctoritate occurritur. Pag. 52.

OBijciunt contrarij Auctores primo, Eccleſiam, Concilia, & Patres, in quibus prædicta propoſitio inuenitur, *à n. 37. vſque ad 40.*

Solutio Cardinalis de Lugo, refertur, & refellitur. *n. 41. & 42.*

Traditur, & defenditur vera ſolutio, *à n. 43. vſque ad 56.*

§. VLTIMVS.

Rationibus in contrarium occurritur. Pag. 55.

DEinde arguunt à ratione deſumpta, ex eo quod nomen *homo* propriè acceptum ſolam naturam ſignificat, non autem ſuppoſitum, vel perſonam; propoſitionis autem proprietas penès propriam nominis ſignificationem penſatur, *à n.57. vſque ad 60.*

Reſpondetur argumento, negando maiorem; nam licet nomen *homo* de formali ſolam naturam ſignificet; de materiali importat ſuppoſitum, & pro illo ſupponit, *à n.61. vſque ad 69.*

Sententiæ oppoſitæ variæ referuntur cenſuræ, *numerum 70.*

TRACTATVS QVINTVS.

De gratia perſonali Christi.

LIttera D. Th. quæſtionis ſeptimæ in tredecim Articulos diuiſæ, breuiter enucleatur. *à Pag.57. vſque ad pag.59. incluſiuè.*

DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

Vtrùm humanitas Christi ſanctificetur formaliter per aliquid ſubſtantiale?

§. PRIMVS.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio. Pag. 60.

FAlsò tribuitur Vincentio ſententia negans. *numerum 1.*

In defendenda ſententia affirmatiua, & communi diuiduntur Auctores, in plures modos dicendi. *nu.* 3.

Prima Concluſio. Humanitas Christi Domini eſt ſancta, & grata formaliter per aliquod donum ſubſtantiale à gratia habituali diſtinctum. *n.* 4.

Duæ rationes inefficaces, quibus hæc concluſio probari ſolet, referuntur, & refelluntur. *n.* 5. 6. *&* 7.

Probatur in primis concluſio ex Patribus, qui pro eodem accipiunt eſſe vnctum, ac eſſe ſanctum formaliter, à quibus Christus, in quantum homo, dicitur ſubſtantialiter vnctus diuinitate formaliter. *n.* 8

Diuerſæ explicationes ad verba Patrum, præcipuè Nazianzeni, referuntur, & reijciuntur, *à n. 9. vſque ad* 14.

Auctoritatibus D. Thom. probatur concluſio. *num.* 14. *&* 15

Ratione Theologica probatur concluſio, ex eo quod humanitas Christi ex vi gratiæ vnionis formaliter ſanctificatur; gratia autem vnionis eſt donum ſubſtantiale à gratia habituali diſtinctum, *à n. 16. vſque ad* 19.

§. SECVNDVS.

Occurritur argumentis in contra. Pag. 62.

VAriæ auctoritates D. Th. quæ contra concluſionem militare videntur dilucidè, explicantur, *à nu. 20. vſque ad n.* 28.

Arguitur ratione, ex eo quod effectus formalis formæ, non poteſt ab alio, quam ab ipſa forma *præſtari*; eſſe autem ſanctum, & gratum, eſt effectu formalis gratiæ habitualis. *n.* 28.

Vera ſolutio argumenti aſſignatur. *n.* 29.

Alijs terminis ſoluit Vincentius idem argumentum, cuius mens explicatur, & à calumnia liberatur. *n.* 30.

Alia ſolutio, quæ adhiberi ſolet, proponitur, & impugnatur. *n.* 31.

Aduerſus veram ſolutionem replicatur. *n.* 32.

Soluitur replica. *n.* 33.

Tertium argumentum ſumitur, ex eo quod ſi humanitas Christi formaliter ſanctificaretur per gratiam vnionis, de facto ſuis operibus habitualem gratiam meruiſſet: cuius oppoſitum docent communiter Theologi. *n.*34.

Soluitur primo. *num.* 35.

Secundo ſoluitur. *n.* 36.

Quartum argumentum ſumptum, ex eo quod in ſolum poteſt ſanctificare formaliter, ratione cuius ſubiectum acceptatur ad vitam æternam; ratione autem gratiæ vnionis, non videtur diligi humanitas in ordine ad vitam æternam, nec ad illam acceptari. Proponitur. *n.* 37. *& n.*38.

Soluitur, & reſpondetur ad plures inſtantias, *à nu.* 39. *vſque* 48.

Vltimum argumentum ſumptum ab inconuenienti, nimirum, quod ſi humanitas Christi ſanctificaretur formaliter per gratiam vnionis, ſequeretur, Christum, in quantum hominem, eſſe Filium Spiritus Sancti, & totius Trinitatis. Proponitur *n.*48.

Solutio Vazquez, & Suarez, qui id non reputant inconueniens, reijcitur. *n.*49. 50. *&* 51.

Vera ſolutio aſſignatur. *n.*52.

Inſtatur contra illam difficilis replica. *n.* 53.

Solutio, quæ poterat huic replicæ aſſignari, impugnatur. *n.*55. *&* 56.

Præmiſſis tribus notabilibus ex D. Tho. *n.* 57. 58. *&* 59.

Vera ſolutio replicæ principalis traditur. *n.* 60.

Inſtatur, & replicatur contra ſolutionem tripliciter; & ſoluuntur replicæ omnes, *à n.62. vſque ad finem §.*

§. TERTIVS.

Modum ſubſtantialem vnionis non eſſe formam ſanctificantem humanitatem Christi, anm verior ſententia defenditur. Pag. 67.

SEcunda Concluſio. Vnio creata, qua humanitas Verbo vnitur, non eſt forma illam ſanctificans, nec cauſalitas formæ ſanctificantis, ſed tantum requiſita conditio. *n.*67.

Argumentum quo P. Vazquez, alijs reiectis, conuincitur ad defendendam primam concluſionis partem, proponitur. *n.*68.

Reijcitur autem, & impugnatur, *à n. 69. vſque ad* 73.

Duæ aliæ rationes minus efficaces, quibus ab aliquibus probatur prima pars concluſionis, proponuntur, & impugnantur. *n.* 73. *&* 74.

Vera probatio ſumpta, ex eo quod per id formaliter apud Patres ſanctificatur natura humana, per quod vngitur; vngitur autem formaliter, non modo vnionis, ſed ipſa diuinitate. Tùm etiam, quia modus vnionis non eſt formalis participatio diuinæ naturæ, nec ſanctitas per eſſentiam proponitur. *n.*75. *&* 76.

Denique probatur, ex eo quod cauſalitas alicuius formæ non præſtat ſubiecto effectum formalem formæ. *n.* 76.

Euaſiones aduerſariorum, proponuntur, & præcluduntur, *à n. 78. vſque ad* 89.

Secunda concluſionis pars, ſcilicet, quod vnio humanitatis cum Verbo non ſanctificat humanitatem, vt cauſalitas formæ ſanctificantis. Probatur primo, ex eo quod Verbum intrinſecè humanitati per ſeipſum vnitur, abſque modo realiter ſuperaddito ex parte Verbi, quamuis humanitas vniatur Verbo per modum ſubſtantialem vnionis realiter ab illa, & à Verbo diſtinctum; at cauſalitas formæ ſanctificantis humanitatem Christi, non eſt vnio ex parte humanitatis ſe tenens, ſed vnio ſe tenens ex parte Verbi. *n.*89.

Probatur ſecundo eadem ſecunda pars; nam cauſalitas Verbi, vt ſanctificantis humanitatem, non poteſt realiter ab illo diſtingui. *n.*90. *&* 91.

Vltima pars concluſionis, quod, ſcilicet, vnio humanitatis cum Verbo per modum requiſitæ conditionis ad ſanctificationem humanitati præſtitam à Verbo concurrat, probatur. *n.*92.

§. QVARTVS.

Argumenta contrariorum diluuntur. Pag. 70.

ARguitur primo, ex PP. qui ſæpè aſſerunt, humanitatem ſanctificatam fuiſſe per vnionem ad Verbum. *n.*93.

Tripliciter reſpondetur. *n.*94. 95. *&* 96.

Arguitur ſecundo, ex eo quod vnio albedinis cum ſubiecto propriè dealbat, & conuenit cum illa in proprio effectu formali. *n.*97.

Reſ-

Reſpondetur dupliciter, à n. 98. *vſque ad* 101.

Tertium argumentum ſumptum, ex eo quod humana Chriſti natura ſpecialem terminat cultum, vt præciſè includit vnionem ratione excellentiæ ipſius, quin talem adorationem terminet Verbum. Proponitur, & ſoluitur cum ſuis replicis, à *nu.* 102. *vſque ad* 110.

Iterum ſoluitur, à *nu.* 110. *vſque ad* 113.

Corollarium aduerſus Patrem Granados, ex vna parte aſſerentem, vnionem non ſanctificare formaliter, & ex alia eſſe radicem phyſicam gratiæ habitualis, & donorum; quod parum conſequentes dicitur, *n.* 113. *vſq; infin.* §.

§. QVINTVS.

Perſonalitatem Verbi ſub expreſſo perſonalitatis conceptu, non eſſe formalem ſanctitatem, probatur. Pag. 72.

T*Ertia concluſio*. Perſonalitas Verbi ſecundum id, quod addit ad perfectiones abſolutas non ſanctificat humanitatem Chriſti, *num* 118.

Ratio à quibuſdam Recentioribus probari ſolet dicta concluſio, nimirum, quod hypoſtaſis Verbi potuit naturæ equinæ communicari, & tamen illa non ſanctificaretur formaliter, inefficacitæ conuincitur, *num.* 120.

Probatur concluſio primo ex principijs communibus Thomiſtarum, aſſerentium perſonalitates diuinas ratione illcos, quod explicant, perfectionem non dicere: ergo nec bonitatem; ſed ſanctitas formalis bonitas eſt: ergo, &c. *num.* 121. Et confirmatur, *n.* 122.

Triplex ſolutio, cuiuſdam tenaciter adhærentis oppoſitæ ſententiæ, & eius impugnationes à *numer.* 123. *vſque ad* 140.

§. SEXTVS.

Alijs argumentis fundatur noſtra concluſio; Pag. 75.

D*Einde probatur, ex eo quod perſonalitas Verbi non ſanctificat Verbum ratione proprij conceptus: ergo nec humanitatem, *num.* 140.

Triplex ſolutio, quæ huic argumento adhiberi ſolet, proponitur, & latè impugnatur, à *nu.* 141. *vſque ad* 165,

§. SEPTIMVS.

Contraria ſententia cum tribus fundamentis proponitur. Pag. 78.

R*Eferuntur Auctores oppoſitæ ſententiæ, *nu.* 165. Occurritur primo argumento ſumpto ex Nazianzeno, & ſecundo ſumpto ex auctoritate D. Thom. à *num.* 166. *vſque ad num.* 169.

Arguitur tertio, & inſtatur contra ſolutionem, quia gratia vnionis, ex eo quod gratia vnionis eſt, ſanctificat humanitatem; ſed perſonalitas Verbi ratione illius, quod addit ad diuinam eſſentiam eſt formaliter gratia vnionis: ergo, &c. *num.* 169.

Huic argumento cum ſuis replicis, reſpondetur dupliciter, à *num.* 170. *vſque ad num.* 180.

§. OCTAVVS.

Cætera argumenta diluuntur. Pag. 80.

Q*Vartum argumentum ſumptum, ex eo quod per id ſanctificatur humanitas Chriſti formaliter, cui immediatius vnitur; ſed immediatius vnitur humanitas ſubſiſtentiæ Verbi ratione illius, quod addit ad eſſentiam, quam naturæ diuinæ: ergo, &c. Proponitur, & ſoluitur cum ſuis replicis, à *num.* 180. *vſque ad* 185.

Quintum argumentum, intendens probare, quod perſonalitas Verbi ratione illius, quod addit ad naturam diuinam ſit ſanctitas ſubſtantialis; & conſequenter naturam humanam ſanctificat formaliter. Proponitur, *n.* 185.

Soluitur primo, & occurritur quatuor antecedentis probationibus, *a num.* 189. *vſque ad* 197.

Quædam notabilis replica proponitur, & explicatur, vnde proueniat creaturæ potentia peccandi, à *num.* 198.

Soluitur primo, *num.* 199. Soluitur ſecundo à *num.* 200. *vſque ad* 203.

Vltimo arguitur, quia perſonalitas Verbi ratione ſui, quatenus ab eſſentia diſtincta, eſt humanitati Chriſti prima radix moraliter videndi & amandi Deum, totiuſque rectitudinis moralis: ergo ſanctificat humanitatem Chriſti formaliter, &c. *num.* 203.

Soluitur primo *num.* 204. Soluitur ſecundo, *num.* 205.

Tandē ſoluitur, & occurritur inſtātijs, à *n.* 206. *vſq; ad* 208

§. NONVS.

Explicatur forma ſubſtantialiter humanitatem Chriſti ſanctificans. Pag. 84.

Q*Varta concluſio*. Diuinitas, vt à perſonalitate Verbi virtualiter diſtincta eſt, quæ ſanctificat humanitatem Chriſti, vt terminata per ſubſiſtentiam Verbi ly, *vt* dicente non rationem formalem, ſed conditionem, ſeu complementum, & illam immediatè ſanctificat, *nu.* 208.

Prima pars concluſionis ſuadetur, tùm, quia iuxta Eccleſiæ Patres, eo ſanctificatur humanitas quo vngitur, vngitur autem Deitate. Tum etiam, quia humanitas antecedenter ad gratiam habitualem ſubſtantialiter formaliter ſanctificatur, at non modo vnionis, nec perſonalitate, vt virtualiter a Deitate diſtincta: ergo ipſa Deitate. Tùm, quia diuinitas eſt formaliter ſanctitas ſubſtantialis. Tùm denique, quia nihil obſtat diuinitatem, formaliter ſanctificare humanitatem, quamuis illam phyſicè non informet, & arguitur ad hominem contra Lorca, *num.* 209. 210. & 211.

Secunda pars concluſionis probatur: quia diuinitas ſanctificat humanitatem mediante vnione cum illa; vnitur autem media perſonalitate Verbi, &c *n.* 212. & 213.

Quod nō ſit cōditio omnino indiſpenſabilis notatur, *n.* 214

Vltima pars concluſionis probatur, ex eo quod inter Deitatem, & humanitatem nihil formaliter ſanctificans mediat, *nu.* 215.

§. DECIMVS.

Duo argumenta contrariæ ſententiæ diluuntur. Pag. 85.

P*Rimo arguit contra concluſionem Lorca, quod licet Deitas ſanctitas ſubſtantialis ſit, nequit tamen ſanctitatis effectum humanitati præſtare, eo quod non poteſt vniri, vt forma humanitatis, *num.* 216. Soluitur *n.* 217.

Inſtat Lorca, mediata vnio ſapientiæ, omnipotentiæ, æternitatis, &c. non ſufficit, vt à ſapientia conſtituatur humanitas ſapiens, ab omnipotentia omnipotens, &c. *num.* 218.

Solutio, quam adhibet huic argomento Cardinalis Lugo. *n.* 219. Reijcitur à *n.* 220. *vſque ad num.* 224.

Aliorum ſolutio refertur, *num.* 224. Reijcitur *num.* 224. Impugnatur *nu.* 225.

Vera ſolutio traditur à *n.* 226. *vſque ad* 231.

Arguitur ſecundo, & inſtatur contra ſolutionem, quia eſſe ſanctum conſiſtit in obiecto dilectionis amicabilis Dei, quæ petit, non ſolum terminare dilectionem, ſed etiam poſſe etiam mutuo redamare Deum, quod non poteſt præſtari, niſi à forma informante, à *num.* 231.

Reſpondetur, & quatuor inſtantijs ab inconuenienti ſumptis, quæ aduerſus ſolutionem obijciuntur, ſit ſatis à *nu.* 233. *vſque ad num.* 244.

§. VNDECIMVS.

Alijs argumentis occurritur. Pag. 88.

T*Ertium argumentum ſumitur, ex eo quod eſſe ſanctum, eſt eſſe conſtitutum in ordine ſpirituali, & diuino; ſed anima Chriſti, nequit per diuinitatem in eſſe ſpirituali, & diuino conſtitui, quod auctoritatibus D. Thom. intenditur ſuaderi, *num.* 244. & 245.

Solutio quorundam refertur, & refutatur à *nu.* 246. *vſque ad num.* 251.

Vera argumenti ſolutio. *num.* 251.

Secundo ſoluitur, *num.* 252. 253. & 254.

Vltimo arguitur, quia conceptus ſanctitatis, eſt idem formaliſſimè in natura diuina cū conceptu vitalitatis: ergo ſi natura nequit communicari humanitati Chriſti ſub conceptu vitalis, nec poterit ſub conceptu ſanctitatis. *num.* 255.

Reſpondetur dupliciter, iuxta duplicem ſolutionem aſſignatam præcedenti argumento. *n.*256. *& ſeq.*
Quadruplex obiecto aduerſus ſolutionem, proponitur, & ſoluitur. *A n.*158. *vſque ad finem* §.

§. VLTIMVS.

Corolaria præcedentis doctrinæ. Pag. 90.

COlligitur contra Nazarium, quod ſi Diuinum Verbum naturam irrationalem aſſumeret, illam non ſanctificaret. *n* 267. *& n.*268.
Colligitur ſecundo, humanitatem Chriſti per gratiam vnionis eſſe ſanctam infinitè. *n.* 269. *&* 270.
Ex qua doctrina non ſequitur, eſſe humanitatem æquè dilectam à Deo, ſicut Deus à ſe ipſo diligitur. *n.*271.
Colligitur tertio, non fuiſſe humanitatem Chriſti ſanctificatam à Patre, & Spiritu Sancto formaliter. *n.* 272.
Colligitur quarto non ſequi ex doctrina tradita, vnionem humanitatem ad Verbum factam fuiſſe in natura. *n.* 73.
Tandem colligitur, humanitatem Chriſti non eſſe infinitè ſanctam in linea ſanctitatis vt ſic, ſed ſolum in linea ſanctitatis per communicationem. *n.* 274.

DISPVTATIO VIGESIMASECVNDA.

Vtrùm in anima Chriſti Domini fuerit gratia habitualis.

§. PRIMVS.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio, & primæ obiectioni occurritur. Pag 91.

REferuntur ſententiæ. *n.* 2.
Prima Concluſio. Non eſt de fide immediatè, nec mediatè, gratiam habitualem fuiſſe in anima Chriſti Domini, nec ſub terminis *gratiæ habitualis*, nec ſub nomine *doni creati permanentis*. *n.*3.
Probatur concluſio, oſtendendo non contineri hanc veritatem in aliquo teſtimonio Scripturæ, Conciliorum, aut Pontificum, nec in aliqua traditione, nec ex iſtorum aliquo per euidentem conſequentiam inferri. *A nu.* 4. *vſque ad* 8.

§. SECVNDVS.

Alijs argumentis occurritur, Pag. 93.

SEcundum argumentum procedens ex locis Sacræ Scripturæ, in quibus prædicta veritas intenditur contineri manifeſtè. Proponitur. *n.*8. Soluitur. *A n.* 9. *vſque ad n* 12.
Tertium argumentum procedens, ex eo quod eadem certitudine, qua aſſeritur impium iuſtificari per gratiam, quæ ſit donum creatum intrinſecè inhærens, tenendum eſt Chriſti animam per donum accidentale ipſi inhærens fuiſſe ſanctificatam. Proponitur. *n.* 12.
Illo conuincitur Magiſter Vincentius. *nu.* 13. Soluitur. *A n.*14. *vſque ad* 16.
Quartum argumentum procedit, ex eo quod de fide eſt, fuiſſe charitatem per modum formæ permanentis in Chriſto; ſed charitas, vel eſt idem cum gratia habituali, vel neceſſario illam comitatur, &c.
Reſpondetur. *n.* 17. Secundo reſpondetur. *num.* 18. 19. *&* 20.

§. TERTIVS.

Statuitur ſecunda concluſio. Pag. 95.

SEcunda Concluſio eſt. In anima Chriſti Domini fuit habitualis gratia; & oppoſitum aſſerere, non ſolum eſt temerarium; ſed etiam errori proximum. *n.* 21.
Prima pars probatur triplici ratione D. Thom. *n.* 21. 22. *&* 23.
Duæ aliæ partes concluſionis probatur. *A num.*24. *vſque in finem* §.

§. QVARTVS.

Duplici argumento occurritur. Pag. 95.

PRimum argumentum procedens, eo quod effectus primarius gratiæ habitualis videtur repugnare Chriſto; ac per conſequens, & forma ipſa. Proponitur. *nu.* 26. Soluitur. *n.* 27.
Duæ notabiles replicæ proponuntur aduerſus ſolutionem. *n.* 28. *&* 29.
Reſpondetur ad primam replicam dupliciter. *n.* 30. *&* 31.
Ad ſecundam replicam reſpondetur tripliciter, & vltima ſolutio præfertur alijs. *num.* 32. 33. *&* 34.
Secundum argumentum procedens ab inconuenienti, nimirum, quia ſi in Chriſto Domino eſſet gratia habitualis, ſequeretur Chriſtum, vt hominem eſſe Filium Dei adoptiuum. Proponitur. *n* 35. *&* 36.
Reſpŏdetur ad argumentum, & ad omnes probationes ſequela, & ad plures alias replicas *A num.* 36. *vſque in finem* §.

§. QVINTVS.

Vltimum argumentum diluitur. Pag. 99.

VLtimum argumentum procedit, ex eo quod non minus opponuntur inter ſe eſſe ſanctum per eſſentiam, & eſſe ſanctum per participationem, quam eſſe filium naturalem, & filium adoptiuum Dei; ſed iuxta communem Theologorum ſententiam, quia Chriſtus, vt homo, eſt Filius naturalis, non eſt vt homo Filius adoptiuus Dei: ergo cum ſit ſanctus per eſſentiam, nequit eſſe ſanctus per participationem; & conſequenter, nec habitualem gratiam recipere, cuius effectus eſt Deum, & ſanctum per participationem conſtituere. *n* 52.
Reſpondetur *n.* 53. Inſtatur contra ſolutionem. *num.* 54. Reſpondetur. *n.* 55.
Inſtatur vlterius. *num.* 56. Reſpondetur. *num.*57.
Sed adhuc aduerſus ſolutionem, quatuor difficiles replicæ proponuntur. *A n.*58. *vſque ad n.* 61.

§. SEXTVS.

Singularis doctrina Vincentij refertur, & impugnatur. Pag. 100.

VT Primam, ex obiectionibus factis ſolueret Magiſter Vincentius communi explicatione D. Th. reiecta ſingularem viam aggreſſus eſt. *A n.*62. *vſque ad n.*65.
Impugnatur, & reijcitur prædicta Vincentij doctrina. *A n.* 65. *vſque ad n.* 74.

§. VLTIMVS.

Obiectionibus factis occurritur. Pag. 101.

AD primam replicam §. 5. propoſitam reſpondetur primo. *n.* 75. 76. *&* 77.
Redditur duplex ratio, cur etiam ſi natura denominetur aliquo modo genita, nullo tamen modo denominari poteſt filia. *n* 78.
Forma conueniens ſuppoſito ratione naturæ aliquam denominationem, debet tribuere naturæ. *n.* 77.
Quædam replica proponitur. *nu.* 79. Reſpondetur ad illam. *A n.* 80. *vſque ad n* 84
Alijs tribus obiectionibus principalibus ſatiſfit. *A n.* 85. *vſque ad n.* 87.
Prædictis obiectionibus reſpondetur ſecundo. *num.* 87. *&* 88.
Ex dictis in diſputatione, colligitur primo, gratiam habitualem extitiſſe in anima Chriſti Domini à primo conceptionis inſtanti. *n.* 89.
Colligitur ſecundo, in illo inſtanti fuiſſe animæ Chriſti gratiam habitualem infuſam in omni intenſione de lege ordinaria poſſibili. *n.* 90. *&* 91.

DISPVTATIO VIGESIMATERTIA.

Ad quid fuerit neceſſaria gratia habitualis in anima Chriſti Domini?

§. PRIMVS.

Relatis ſententijs, prima concluſio ſtatuitur. Pag. 104.

SVpponit ex dictis diſputatione 21. non fuiſſe neceſſariam gratiam habitualem in anima Chriſti ad ſantificandam illam abſolutè. n. 1.

Referuntur ſententiæ, *à n. 2. vſque ad num.* 6.

Prima Concluſio. Gratia habitualis, fuit neceſſaria in anima Chriſti Domini, vt eliceret connaturaliter actus ordinis ſupernaturalis. n. 6.

Probatur ratione D. Thom. agens enim elicit tunc actum modo connaturali, quando habet in ſe formam, ratione cuius inclinatur in illum; ſed anima Chriſti Domini ratione propriæ entitatis, non eſt ad ſupernaturales actus inclinata; ergo vt illos connaturaliter eliciat indiget gratia habitualis, &c. n. 7.

Prima euaſio huius rationis præcluditur. n. 9.

Et oſtenditur gratiam vnionis non inclinare animam Chriſti ad ſupernaturales actus. *Ibid.*

Secunda euaſio præcluditur. n. 11. Et oſtenditur qualitatem fluidam non ſufficere ad inclinandum connaturaliter perfectè ad ſupernaturales actus.

Tertia euaſio præcluditur, *à n. 13. vſque ad* 16. Et oſtenditur virtutes infuſas, etiam ſi diſtinguantur à gratia habituali, non poſſe id munus præſtare.

§. SECVNDVS.

Obiectionibus in contrarium occurritur. Pag. 105.

PRimo arguit Lorca; nam gratia habitualis non eſt forma operatiua: ergo non poteſt requiri in anima Chriſti, vt actus ſupernaturales connaturaliter ab illa procedant. n. 16.

Reſpondetur n. 17. Eſſe principium radicale quemadmodum natura ſubſtantialis, licet non ſit operatiua, vt principium *quo* proximum, eſt tamē radicale principiū.

Inſtatur contra ſolutionem: nam ex illa duplex inconueniens videtur ſequi. n. 18. Soluitur n. 19.

Secundo arguitur; nam actus, quos humanitas Chriſti eliceret ſine gratia habituali connaturaliter ab illa mediante qualitate fluida procederent. nn. 20. Soluitur. n. 21.

Replicatur n. 22. Soluitur replica primo n. 23. Et oſtenditur, quod ſi diuinitas eſſet humanitati vnita, vt principium phyſicum *quo*, radicale, ſuperflueret gratia habitualis in Chriſto.

Soluitur ſecundo. n. 24. Replica quædam aduerſus hanc ſecundam ſolutionem, proponitur. nn. 25. Soluitur. n. 26.

Vltimo arguitur; vt enim anima Chriſti eliciat connaturaliter actus ſupernaturales, ſufficiunt habitus virtutum per ſe infuſarum: ergo, &c. n. 27. & 28.

Reſpondetur ad argumentum, & ad quaſdam replicas contra ſolutionem, *à n. 29. vſque ad* 36.

§. TERTIVS.

Fuiſſe neceſſariam gratiam habitualem in anima Chriſti; ad merendum, probatur. Pag. 108.

SEcunda Concluſio. Gratia habitualis fuit neceſſaria, vt principium connaturale effectiuum, & formale meriti, de potentia tamen abſoluta potuit ſine gratia habituali mereri. n. 36.

Prima pars concluſionis petet ex dictis. Secunda pars probatur: nam formatio meriti, & dignificatio illius, fit formaliter à forma ſanctificante ſubiectum, & in meritum effectiuè influente, &c. n. 37.

Deinde vtraque pars concluſionis probatur ex D. Thom. n. 38.

Vltima pars concluſionis, quæ eſt communis inter Doctores contra Durandum, probatur: nam potuit Chriſtus de potentia abſoluta actus ſupernaturales elicere, & illos ad præmium ſupernaturales ordinare ſine gratia habituali. n. 39. 40. 41. 42. & 43.

Quædam euaſio præcluditur, & oſtenditur, non requiri gratiam habitualem, nec permanenter, nec per modum tranſeuntis communicatam ad eliciendum actum fidei in peccatore, *à n. 44. vſque ad* 51.

§. QVARTVS.

Primum argumentum diluitur. Pag. 109.

ARguitur primo; nam ſine actu charitatis non ſtat meritum condignum ſupernaturalis præmij; ſed actus charitatis eſſentialiter pendet à gratia habituali: ergo, &c. n. 51.

Reſpondetur primo, n. 52. Et aſſignatur differentia inter viſionem beatificam, & actum charitatis, & cur illa pendeat eſſentialiter à lumine gloriæ; ſecus autem ille.

Fuerit ne ſimpliciter neceſſaria gratia habitualis in anima Chriſti ad eliciendam viſionem beatificam? n. 54.

Replicatur aduerſus principalem ſolutionem. n. 55.

Soluitur. n. 56.

Et oſtenditur, quod actus, etiam de facto, procedens ab habitu charitatis, non pendet eſſentialiter ab illo. n. 57.

Quo pacto diſtinguantur habitus charitatis, & auxilium tranſiens, dans poſſe ad actum charitatis in abſentia habitus, in ratione principij actus charitatis? Vide *à n. 58. vſque ad* 63.

Soluitur ſecundo principale argumentum, *à n. 63. vſque ad* 66.

Et aſſignatur ratio diſcriminis inter potentias animæ comparatas cum illa, & charitatem, & alias virtutes ſupernaturales comparatas cum gratia, reiecta ratione diſcriminis, aſſignata à Monteſinot.

§. QVINTVS.

Secundum argumentum, aliaque obiectiones diluuntur. Pag. 111.

ARguitur ſecundo, ex eo quod actus charitatis pendet eſſentialiter à gratia habituali: ergo ſi vt Chriſtus mereretur fuit actus charitatis indiſpenſabiliter neceſſarius, non potuit, etiam de potentia abſoluta, ſine gratia habituali mereri. Aſſumptum probatur, quia actus charitatis eſt vitalis; vita actuali ſupernaturali: ergo pendet eſſentialiter à principio vitali eiuſdem ordinis, non ſolum proximo, ſed etiam radicali, quemadmodum actus vitalis naturalis eſſentialiter pendet ab vtroque principio. n. 67.

Inſtatur hoc argumentum. n. 68.

Pro ſolutione argumenti aſſignatur duplex ratio diſcriminis inter actus naturales, & ſupernaturales quoad dependentiam à ſuis principijs, radicalibus. n. 71. & 72.

Duæ replicæ aduerſus traditam doctrinam, proponuntur, & ſoluuntur, *à n. 73. vſque ad n.* 79.

§. SEXTVS.

Neceſſitas auxilij ſupernaturalis ad meritum, in Chriſto explicatur, & probatur. Pag. 113.

TErtia Concluſio. Sine gratia ſupernaturali auxiliante non potuit Chriſtus mereri præmium ſupernaturale, etiam de potentia abſoluta. n. 80.

Probatur, quia actus non ſupernaturalis *elicitiuè*, aut *imperatiuè*, non potuit eſſe meritorius præmij ſupernaturalis, etiam de potentia abſoluta; talis autem actus non potuit elici à Chriſto ſine gratia auxiliante eiuſdem ordinis. n. 81.

Probatio maioris ſumpta ex Vincentio, ex proportione, quæ intercedere debet inter meritum, & præmium *entitatiuè* ſupernaturale. Reijcitur. n. 83. & 84.

Probatio aliorum ſumpta, ex eo quod nulla ſupernaturalitas poteſt in actu reperiri, niſi ſit *elicitiuè*, aut *imperatiuè* ſupernaturalis; ac proinde, non eſt dabilis ſupernaturalitas tantum moralis. Reijcitur. nn. 86. 87. & 88.

Aliorum probatio ſumpta ex paritate hominis iuſtificati, in quo actus non ſupernaturalis *elicitiuè*,

vel *Imperatiuè* nequit eſſe meritorius Reijcitur. *num.* 90.

Probatur ergo prædicta maior principalis diſcurſus; nam actus ſupernaturalis aliquo ex dictis modis nequit eſſe diſpoſitio, nec proxima, nec remota ad gratiam habitualem: ergo multo minus poteſt eſſe meritum præmij ſupernaturalis. *num.* 91.

Probatur ſecundo ex D. Thom. & ſoluitur replica, quæ contra hanc probationem fieri poteſt. *num.* 92. 93. & 94.

Probatur tertio, ex eo quod vt actus ſit meritorius erga aliquem, debet ordinari ad ipſum: vt conſtat ex D. Thom. *num.* 95.

Quarto probatur, quia præmium ſupernaturale excedit proportionem virtutis, quæ eſt principium adæquatum actus vndique naturalis: ergo nequit ordinari ad præmium ſupernaturale, &c. *num.* 96.

Tandem Probatur, eneruando rationem, cui oppoſita ſententia innititur, *à num* 97. *vſque ad* 100.

§. SEPTIMVS.

Oppoſita ſententia cum ſuis fundamentis proponitur. Pag. 115.

SEntentia oppoſita, & duplex modus illam defendendi cum ſuis Auctoribus, refertur. *num.* 100.

Arguitur primo, pro Auctoribus primi modi defenſandi dictam ſententiam, ex eo quod Chriſtus ratione vnionis ſine aliquo dono ſupernaturali ſuperaddito, ſiuè fluidò, ſiuè permanenti, poterat actus ſupernaturales elicere. *num.* 101. Reſpondetur. *num.* 102.

Secundum argumentum tendens ad probandum, quod intellectus Chriſti, de potentia abſoluta ſine gratia intrinſeca ſupernaturali auxiliante, potuit actum ſupernaturalem elicere proponitur *num.* 103.

Soluitur, & inſtatur euidenter in principijs Auctorum argumenti. *num.* 104.

Tertio arguitur pro Auctoribus ſecundi modi defendendi prædictam ſententiam: nam actus vndique naturales à Chriſto eliciti eſſent merita condigna præmij ſupernaturalis. Quod probatur primo à paritate omnis iuſtificati, in quo actus, etiam naturales, contendunt iſti Auctores eſſe meritorios ſupernaturalis premij. Secundo, quia humanitas Chriſti per gratiam vnionis conſtituitur condigna viſionis beatificæ: ergo actus ab illa eliciti ratione perſonalis valoris, erunt condigni eiuſdem gloriæ per modum præmij. Tertio: nam tales actus ratione dignitatis perſonæ eſſent valoris meritorij ſimpliciter infiniti. Quarto, talis valor eiuſdem rationis eſt in actu naturali, & ſupernaturali. Quinto: nam ratio meriti in actu, non conſequitur, vt ad cauſam adæquatam, ad bonitatem illius; ſed etiam ad valorem perſonalem. Sexto: nam valor ſumptus à perſona Verbi, etiam in actibus naturalibus, ſupernaturalis eſt, *à num.* 105. *vſque ad* 113.

Ad hoc argumentum, & ad omnes probationes aſſumpti, reſpondetur *à num.* 113. *vſque ad* 124.

Quinque obiectiones notandæ aduerſus traditam reſolutionem, proponuntur, & ſoluuntur *à num.* 124. *vſque ad* 136.

§. VLTIMVS.

Corollaria præcedentis doctrinæ. Pag. 119.

COlligitur primo: gratiam habitualem neceſſariam fuiſſe in anima Chriſti, vt eſſet ſancta completè. *num.* 136. 137. & 138.

Colligitur ſecundo: in humanitate Chriſti per gratiam habitualem, & virtutes ipſam conſequentes, non fuiſſe neceſſaria auxilia fluida phyſica ſufficientia: benè tamen gratiam auxiliantem efficacem etiam attenta potentia Dei abſoluta. *num.* 139. & 140.

Colligitur tertio, fuiſſe neceſſariam ad ſupernaturales operationes in anima Chriſti gratiam excitantem, quę in illuſtratione intellectus conſiſtit: non autem illam, quæ in motiuus, ſeu affectionibus non liberis voluntatis eſt poſita. *num.* 141.

Probatur prima pars corollarij contra Suarez. *num.* 142. *vſque ad num.* 145.

Secunda pars corollarij probatur. *num.* 146. & 147.

Obiectiones contra hanc partem, proponuntur, & ſoluuntur, *à num.* 148. *vſque ad* 154.

Tandem colligitur, poſſe eundem numero actum charitatis ab habitu, & ab auxilio fluido, & facilè tranſeunte indifferenter procedere, & voluntatem vtroque mediante, ad illum eliciendum diuiſim eleuari Probatur, & obiectiones ſoluuntur, *à num.* 154. *vſque in finem* §.

DISPVTATIO VIGESIMAQVARTA.

An fuerint in Chriſto virtutes per ſe acquiſitæ, illaſque habuerit à primo conceptionis inſtanti?

§. PRIMVS.

Prima pars diſputationis reſoluitur. Pag. 122.

SVpponitur vt certum, fuiſſe in anima Chriſti virtutes per ſe infuſas, cum ſtatu beatifico, & cum vnione humanitatis ad Verbum non repugnantes, quæ extiterunt in anima Chriſti Domini à primo conceptionis inſtanti, in ſumma intenſione de lege ordinaria poſſibili, *à num* 1. *vſque ad* 4.

Difficultas præſentis diſputationis de virtutibus acquiſitis procedit. Et inquiruntur duo. Primum, an fuerint in anima Chriſti Domini? Secundum, an illas à primo ſuæ conceptionis inſtanti, vel per accidens infuſas, vel acquiſitas habuerit? *num.* 4

Sententia negatiua cum ſuis Auctoribus refertur. *Ibidem.*

Communis, & vera Theologorum ſententia affirmans eſt, Auctores referuntur. *num.* 5.

Eligitur hæc ſententia, & probatur nam voluntas Chriſti, non ſolum actus ſupernaturales, ſed etiam naturales honeſtos elicuit; ſed vt iſtos actus promptè, faciliè, & ſuauiter eliceret, neceſſariæ erant virtutes per ſe acquiſitæ naturalis ordinis, &c. *num.* 6.

Triplex ſolutio, quæ adhiberi poteſt huic rationi, proponitur, & impugnatur, *à num.* 9. *vſque ad* 15.

§. SECVNDVS.

Argumentis contrariorum occurritur. Pag. 123.

PRimum argumentum pro contraria ſententia ſumitur, ex eo quod Chriſtus, vtpote ſupremum operans in linea virtutis, ſemper eſt operatus ex motiuo virtutis infuſæ, qui eſt perfectior modus operandi: ergo ſuperfluunt in illo virtutes acquiſitæ. Proponitur, & ſoluitur. *num.* 15.

Obiectionibus aduerſus ſolutionem occurritur. *num.* 17.

Secundum argumentum procedit ex eo quod virtutes in appetitu reſidentes ordinantur ad frenandas paſſiones appetitus, quæ in Chriſto non fuerunt. Reſpondetur *num.* 18.

Tertio arguunt; *vbi nulla* eſt difficultas vincenda habitus virtutis neceſſarius non eſt; ſed in appetitu Chriſti nulla erat difficultas per habitum ſuperanda: ergo, &c. *num.* 19. & 20.

Solutio quorundam Recentiorum aſſerentium, ad indigentiam habitus ſufficere ſolam indifferentiam potentiæ, impugnatur. *num.* 21.

Solutio Patris Vazquez aſſerentis, quod licet in Chriſto concupiſcentiæ non fint ex peculiari Dei gratia aſſiſtente, quia tamen ſuapte natura eſſe poterat, eſt in illius appetitu difficultas, reijcitur. *num.* 22.

Solutio aliorum, quos ſine nomine refert Vincentius, aſſerentium, fomitem extinctum fuiſſe in Chriſto per virtutes per ſe acquiſitas vnde colligunt fuiſſe neceſſarias. *num.* 23.

Impugnatur. *num.* 24. & 25. & falſo tribuitur Caietano.

Vera ſolutio aſſignatur. *num.* 26.

Obiectionibus contra illam occurritur. *A num.* 27. *vſque in finem.* §.

§. TERTIVS.

Circa ſecundam diſputationis partem referuntur ſententiæ, & verior eligitur. Pag. 126.

CIrca ſecundum, quod examinandum propoſitum eſt in hac diſputatione, tres verſantur ſententiæ Theologorum. Prima docet, omnes virtutes per ſe acquiſibiles habuiſſe Chriſtum Dominum à primo inſtanti ſuę conceptionis per proprios ipſarum actus acquiſitas. Secunda affirmat, illas non habuiſſe à primo conceptionis inſtanti, ſed ſucceſſu temporis comparaſſe. Tertia, & verior aſſerit, fuiſſe Chriſto Domino per accidens infuſas à primo conceptionis inſtanti. Referuntur, & Authores citantur. *num.* 36.

Tertia ſententia, quæ pro concluſione eligitur, inefficaciter probatur à Vazquez, & illius probationes reijciuntur. *num.* 37. 38. *&* 39.

Alia ratio non ſatis efficax, qua ab aliquibus probatur tertia ſententia, reijcitur. *n.* 40. *&* 41.

Alia ratio Patris Suarez reijcitur, & impugnatur. *à num.* 42. *vſque ad* 45.

Vera ratio pro tertia ſententia traditur. *num.* 46. *&* 47.

Euaſiones excluduntur. *A num.* 48. *vſque in finem* §.

§. QVARTVS.

Obiectionibus in contrarium occurritur. Pag. 128.

OBijcitur primo, quia perfectiua eſt habere virtutes acquiſitas à ſe, quam illas habere ab alio ergo, &c. *num.* 53.

Reſpondetur. *num.* 54.

Inſtatur triplicater aduerſus ſolutionem *num.* 55.

Reſpondetur. *num* 56. *&* 57.

Arguitur ſecundo principaliter ex paritate ſcientiarum naturalium, quæ iuxta D. Thom. non fuerunt per accidens Chriſto infuſæ à primo inſtanti conceptionis, ſed illas ſucceſſu temporis acquiſiuit & ex ratione qua id probat Angelicus Præceptor. *num* 58. *&* 59.

Reſpondetur, & aliquibus replicis occurritur. *à num.* 60. *vſque ad num.* 66.

Denique arguitur: prudentia per ſe acquiſibilis, non fuit Chriſto per accidens à principio conceptionis infuſa; ſed virtutes naturales ſine prudentia eſſe nequeunt: ergo, &c. Probatur maior, non minus pendet prudentia ab ſpeciebus impreſſis, quam ſcientiæ ſpeculatiuæ: ergo ſicut quia ſpecies non fuerunt per accidens infuſæ, inferunt communiter Doctores, non fuiſſe Chriſto à principio per accidens infuſos habitus ſcientiarum *n.* 66.

Tres ſolutiones, quæ huic argumento adhiberi ſolent, referuntur, & impugnantur. *A nu.* 67. *vſque ad num.* 72.

Vera ſolutio eſt: vel habitus naturalium ſcientiarum fuiſſe ab initio conceptionis per accidens Chriſto infuſos: vel habitum naturalis prudentiæ non fuiſſe tunc per accidens Chriſto infuſum, ſed ſucceſſu temporis comparatum. *nu.* 72.

Aduerſus hanc reſolutionem grauiter inſurgitur. *num.* 73.

Reſpondetur dupliciter. *num.* 74. *&* 75.

Inſtatur vlterius. *num.* 76.

Reſpondetur. *num.* 77.

§. VLTIMVS.

Corollaria præcedenti doctrinæ. Pag. 131.

EX dictis in hac diſputatione, colligitur primo contra Magiſtrum Medinam, virtutes per ſe acquiſibiles fuiſſe animæ Chriſti infuſas cum omni intenſione de lege ordinaria poſſibili; ac proinde per exercitium actuum incrementum non ſuſcepiſſe. *num.* 78.

Secundo colligitur contra eundem Magiſtrum, non potuiſſe, etiam de potentia abſoluta, Chriſtum ſine his virtutibus, cum facilitate, & promptitudine exercere illarum actus. *n.* 79.

Tertio colligitur, fuiſſe in Chriſto magnificentiam, & liberalitatem, iuſtitiam vindicatiuam, Eutropeliam, & Philotimiam. Et probatur. *à nu.* 80. *vſque ad* 84.

Quarto colligitur, non fuiſſe in Chriſto ex moralibus virtutibus pœnitentiam, nec ex Theologicis fidem, nec ſpem. *à num.* 84. *vſque ad* 88.

Differentia aſſignata a D. Thom. inter fidem, & ſpem notanda. *num.* 87.

Chriſtus ſperauit gloriam corporis. *Ibidem.*

An ille actus fuerit elicitus, mediante aliquo habitu, & quis ille fuerit? tractatur breuiter *à num.* 88. *vſque ad num.* 97.

Quinto colligitur, non eſſe admittendam in Chriſto virtutem piæ affectionis, etiam ſi talis virtus admittatur in voluntate viatoris. *num.* 98.

Denique infertur fidem humanam non eſſe in Chriſto admittendam. *num.* 99.

DISPVTATIO VIGESIMAQVINTA.

Qualiter donum timoris fuerit in Chriſto?

§. PRIMVS.

Referuntur ſententiæ, & ſtatuitur prima concluſio. Pag. 134.

SVpponitur tanquam de fide certum, fuiſſe in Chriſto omnia Spiritus Sancti dona, & ſententiam Abailardi negantis Chriſto donum timoris reijciendam eſt tanquam hæretica, *num.* 1.

Vocatur in examen qualiter ſit conſtituendum in Chriſto donum timoris? An ſolum quoad ad habitum? an etiam quoad actum: & circa quem actum, vel actus in illo reperiatur?

Prima ſententia docet, prædictum in Chriſto ſolum fuiſſe quoad habitum, pro hac refertur Durandus, quo tamen iure, vide *num.* 2.

Secunda docet, fuiſſe donum timoris in Chriſto quoad habitum, & quoad actum, non qui propriè timor ſit, ſed tantum ſimilitudinariæ, Auctores citantur, *num.* 3.

Tertia ponit in Chriſto donum timoris quoad actum, qui eſt propriè timor, & fuga culpæ, vt contrariæ bonitati, & maieſtati diuinæ apprehenſæ; non quidem vt imminentis, aut futuræ, & difficile vitabilis; ſed abſolutè poſſibilis naturæ ſecundum ſe, etſi de facto implicantis ratione vnionis ad Verbum. Tenent hanc ſententiam Valentia, Suarez, Conineh, Bañez, & Martinez, *num.* 4.

Pro explicatione veritatis ſtatuitur *Prima concluſio.* In Chriſto fuit donum timoris quoad habitum, & quoad aliquem actum, qui eſt verus, & proprius timor, & Auctores hanc concluſionem defendentes referuntur, *n* 5.

Probatur concluſio quoad omnes eius partes, *à nu.* 5. *vſque ad num* 9.

Qua certitudine ſint tenendæ ſingulæ concluſionis partes traditur. *num.* 9.

§. SECVNDVS.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag. 135.

IN fauorem ſententiæ, quæ tribuitur Durando, arguitur primo ex illo 1. *Ioan.* 4. *cap.* Perfecta charitas foras mittit timorem. *num.* 10.

Reſpondetur. *num.* 11.

Secundo arguitur ex auctoritatibus Auguſtini, & Gilberti, *num* 14. *&* 15.

Reſpondetur, *num.* 16. 17. *&* 18.

Denique arguitur: nam timor propriè acceptus eſt fuga mali apprehenſi, vt imminentis, & difficile vitabilis; ſed Chriſto non fuit imminens malum pœnæ propter culpam, quod eſt obiectum timoris ſeruilis, nec fuit imminens malum culpæ, aut ſeparationis à Deo, quod eſt obiectum timoris caſti, & filialis: ergo, &c. *num.* 19.

§. TERTIVS.

Occaſione vltimi argumenti ſtatuitur ſecunda concluſio. Pag. 136.

S*Ecunda concluſio.* In Chriſto fuit actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, & ſeparationis à Deo, vt poſſibilis naturæ ſecundum ſe conſideratæ, etſi impoſſibilis ratione beatitudinis; & vnionis hypoſtaticæ. Et referuntur

runtur auctores, qui illam defendunt. *num.* 20.
Probatur concluſio, auctoritatibus D. Auguſtini, & D. Thom. *ibidem*, *&* *num.* 21.
Secundo probatur ratione, & ſatisfit quibuſdam obiectionibus, *à num.* 22. *vſque ad num.* 30.

§. QVARTO.

Argumenta contra concluſionem diluuntur, Pag. 137.

ARguitur ex difficilibus auctoritatibus D. Thom. quæ expenduntur, & explicantur, *à num.* 30. *vſque ad* 39.
Opponitur etiam vltimum argumentum ſupra factum contra tertiam concluſionem. *num.* 39.
Solutio quorundam Recentiorum aſſerentium, non eſſe in Chriſto actum, qui ſit propriè timor reſpectu mali culpæ propriæ; bene tamen reſpectu mali culpæ aliorum. *ibidem*.
Impugnatur hæc ſolutio, *à num.* 40. *vſque ad numerum* 46.
Aliorum ſolutio refertur. *num* 46.
Impugnatur. *num.* 47. *&* 48.
Vera ſolutio traditur, *à num.* 49. *vſque ad* 57. & ab obiectionibus liberatur.

§. QVINTVS.

Explicatur primarius actus timoris. Pag. 139.

TErtia *Concluſio*. Fuga mali culpæ, non eſt primarius actus doni timoris; ſed ſubiectio reuerentialis ad Deum ob diuinam eminentiam, non inſpectam abſolutè, ſed vt potentem infligere malum *poſitiuè*, aut *permiſſiuè*. *num* 58.
Probatur prima pars expreſſa auctoritate D. Thomæ, & ratione eiuſdem. *num.* 58. *&* 59.
Similiter ſecunda pars auctoritatibus, & ratione D. Thom. probatur. *num.* 60. 61. *&* 62.

§. SEXTVS.

Occurritur argumentis, Pag. 140.

COntra primam partem concluſionis arguitur primo: quia pœnitentia eſt vera virtus, & tamen obiectum eius eſt malum culpæ præteritum, & primarius eius actus eſt dolor, ſeu fuga peccati: ergo, &c. *num.* 63.
Reſpondetur negando minorem, & aſſignatur obiectum, actus primarius pœnitentiæ. *num.* 64.
Secundo arguitur, ex quadam difficili auctoritate D. Thom. *num.* 65.
Interpretatio, quam adhibet Pater Vazquez verbis D. Thomæ, tanquam inſufficiens reijcitur. *num.* 66. *&* 67.
Aliorum ſolutio eodem defectu laborans, refertur, & impugnatur, *à num.* 68. *&* 69.
Tertio aliorum ſolutio, refertur, & impugnatur, *à num.* 70. *vſque ad* 76.
Omiſſis prædictis ſolutionibus, traditur vera ſolutio, & ſtatuitur actum primarium doni timoris ex conceptu differentiali eſſe proſequutionem, & fugam penès conceptus inadæquatos. *num.* 76.
Sex obiectiones aduerſus ſolutionem proponuntur, & ſoluuntur, *à num.* 77. *vſque ad num* 91.
Secunda ſolutio aſſignatur principali argumento; & docetur D. Thom. in prædicta auctoritate nomine *mali*, principaliter inſpecti timore, non ſumere malum pœnæ, aut culpæ; ſed malum naturalis defectus, quæ ſolutio alijs præfertur. *num.* 92.
Duabus obiectionibus contra illam ſatisfit. *num.* 93. *&* 94.

§. VLTIMVS.

Breuis difficultas reſoluitur. Pag. 142.

GRatiæ gratis datæ fuerunt in anima Chriſti Domini. Et reſpondetur duabus obiectionibus. *num.* 95.
Prophetia fuit in Chriſto, & ſatisfit obiectionibus contra hanc veritatem, *à num.* 96. *vſque ad* 100.

DISPVTATIO VIGESIMASEXTA.

An gratia Chriſti fuerit ſub aliqua ratione ſimpliciter infinita?

§. PRIMVS.

Relatis ſententijs, prima concluſio ſtatuitur. Pag. 144.

GRatiam Chriſti non fuiſſe ſimpliciter infinitam, nec in ratione entis, nec in ratione qualitatis, vt indubitatum ſupponitur, imo nec fuit infinita ſimpliciter in ratione ſpecifica gratiæ. *num.* 1. *&* 2.
Inquiritur ergo, an in ratione gratiæ aliquam aliam infinitatem habuerit. *num.* 3.
Prima ſententia docet: fuiſſe intenſionis actu, & cathegorematicè infinite.
Secunda; fuiſſe infinitam phyſicè in ratione gratiæ, non ab intenſione infinita; ſed à quodam modo ex vnione ad Verbum refuſo, qui infinitus eſt ſimpliciter.
Tertia, nec phyſicè, nec moraliter fuiſſe infinitam ſimpliciter. Quarta, fuiſſe finitam phyſicè; infinitam vero moraliter. Et hæc quarta ſententia diuerſimodè defenditur à ſuis Auctoribus. *num.* 3. *&* 4.
Prima Concluſio. Si non repugnaret qualitas infinitæ intenſionis in actu, gratia Chriſti hanc infinitatem habuiſſet. Probatur concluſio duabus rationibus, & euaſiones, quæ excogitari poſſunt, præcluduntur, *à num.* 5. *vſque ad* 12.

§. SECVNDVS.

Obiectionibus occurritur. Pag. 145.

ARguitur contra concluſionem, quod gratia habitualis Chriſti foret infinitæ intenſionis, poſſibilitate infinitæ intenſionis ſuppoſita pendet ex libera voluntate Dei; & conſequenter haberi non poteſt, niſi ex reuelatione diuina, aut ex aliquo effectu; ad quem foret neceſſaria, aut ex decentia ad humanitatem Chriſti: reuelatio diuina nulla datur de hoc, nullus etiam datur effectus, ad quem neceſſaria eſſet infinita gratia, ex maiori autem decentia probari non poteſt, de facto dandam fore gratiam infinitam: ergo, &c. *num.* 12.
Soluitur primo, negando minorem pro prima parte. *num.* 15.
Soluitur ſecundo, negando minorem pro tertia parte, & ad omnes probationes eius ſit ſatis, *à num.* 16. *vſque ad* 20. *incluſiuè*.

§. TERTIVS.

Gratiam habitualem non fuiſſe in Chriſto infinitæ intenſionis, probatur. Pag 146.

SEcunda *Concluſio*. Gratia habitualis non fuit intenſionis infinitæ cathegorematicè in Chriſto: quia repugnat intenſio cathegorematicè infinita: nec etiam fuit phyſicè infinita modaliter. *num.* 21.
Ratio, qua probat Vazquez primam huius concluſionis partem, proponitur, & refutatur *à num.* 21. *vſque ad* 29.
Aliorum probatio, tanquam inefficax, reijcitur, *à num.* 29. *vſque ad* 32.
Probatur ergo prima pars concluſionis primo, ex eo quod repugnante lumine gloriæ infinito, non poteſt non repugnare gratia infinita; at lumen gloriæ infinitum repugnare, oſtenditur *à num.* 32. *vſque ad* 34.
Secundo probatur, quia implicat habitualis gratia, cui ab intrinſeco repugnet ſui incrementum promereri; ſed hoc repugnaret gratiæ infinitæ intenſionis: ergo implicat intenſio infinita gratiæ. Præmiſſæ probantur, & euaſionibus occurritur. *à numer.* 34. *vſque ad* 37.
Tandem probatur ratione ſumpta ex D.Thom. in præſenti art. 11. nam ex potentia limitata, & finita, non poteſt

poteſt accidentis infinitæ intenſionis educi, à num. 37. vſque ad 40.

Secunda pars concluſionis probatur tripliciter, à nu. 40. vſque ad 42. incluſiuè.

§. QVARTVS.

Argumentis occurritur. Pag. 148.

ARguitur primo, ex illis verbis Ioannis cap. 3. *Non enim ad menſuram dat ei ſpiritum*: ex quo loco probari intenditur, datem fuiſſe Chriſti gratiam habitualem infinitam intenſiuè. *num.* 43.

Vazquez arguitur audaciæ, dum interpretationem ſumptam ex Auguſtino, & Diuo Thoma ad prædictum locum ſine fundamento aſſertum, auſus fuit affirmare. *num.* 44.

Soluitur argumentum, & dilucidè explicatur prædictum teſtimonium. *num.* 45.

Secundo arguitur, quia ſtat infinitas intenſiuæ gratiæ habitualis cum limitatione potentię receptiuæ: ergo ex limitatione potentiæ malè infertur implicare infinitudinem formæ in illa receptæ. Probatur antecedens, quia ſtat ſupernaturalitas gratiæ cum naturalitate entitatiua potentiæ receptiuæ: ergo infinitas gratiæ cum limitatione, &c. *num* 46.

Ad hoc argumentum doctiſſimus quidam Magiſter ex noſtris reſpondet, negando antecedens; cenſet enim potentiam paſſiuam, quæ in creatura reperitur ad gratiam, eſſe intrinſecè, & entitatiuè ſupernaturalem. *num.* 48.

Hæc tamen ſententia communiter diſplicet, & impugnatur, *à num.* 49. *vſque ad* 53.

§. QVINTVS.

Poſſe gratiam Chriſti dici in ratione gratiæ infinitam, probatur. Pag. 149.

T*Ertia Concluſio* Gratie Chriſti poteſt dici phyſicè in ratione gratiæ infinita: hæc tamen infinitas, non eſt ſimpliciter talis. *num.* 54.

Probatur ibidem ex auctoritatibus D. Tho. Deinde probatur ratione D. Thom. ex allegatis locis deſumpta, eo quod licet gratia non fuerit infinita intenſiuè, vt monſtratum eſt; eſt tamen infinita ſecundum quantitatem virtualem extenſiuam, & phyſicam, quia ſe extendit ad omnes effectus, & operationes gratiæ, &c. *num.* 55.

Secunda pars concluſionis probatur breuiter. *num.* 56. & 57.

§. SEXTVS.

Obiectionibus occurritur. Pag. 149.

ARguitur primo: nam forma replens capacitatem receptiuam infinitam, eſt infinita ſimpliciter; ſed gratia habitualis Chriſti replet totam capacitatem humanitatis, quæ capacitas infinita eſt ſyncathegorematicè: ergo. Minor quoad vtramque partem videtur expreſſe D. Thom. locis citatis. *num.* 58.

Reſpondetur, & occurritur replicis, *à num.* 58. *vſque ad num.* 63.

Secundo arguitur: habitualis gratie ex coniunctione ad Verbum, eſt ſanctificatiua ſine termino, hoc eſt, cauſatiua gratiæ infinitorum hominum, non ſolum meritoriè, & moraliter, ſed etiam per efficientiam phyſicam; ſed vis effectiua ſyncathegorematicè infinita, non poteſt conuenire formæ, quæ non ſit ſimpliciter infinite: ergo, &c. *num.* 63.

Reſpondetur, & occurritur inſtantijs, *à num.* 64. *vſque ad* 67.

§. SEPTIMVS.

Non eſſe gratiam Chriſti in ratione gratiæ ſimpliciter infinitam moraliter, probatur. Pag. 150.

Q*Varta Concluſio*. Gratia Chriſti habitualis non eſt in ratione gratiæ ſimpliciter infinita moraliter. *num.* 68.

Statuitur contra Auctores quartæ ſententiæ. Et ſuadetur concluſio auctoritatibus D. Thom. *ibidem.*

Deinde probatur duplici ratione ex prædictis auctoritatibus deſumpta, *à num.* 69. *vſque ad num.* 72.

Solutio Magiſtri Vincentij, impugnatur, *à num.* 72. *vſque ad* 74.

§. VLTIMVS.

Obiectionibus occurritur. Pag. 151.

ARguitur primo nam opera Chriſti habuerunt infinitam dignitatem moralem: ergo & gratia. Secundo, nam humanitas ex coniunctione ad Verbum habet dignitatem moraliter infinitam: ergo & gratia.

Tertio, quia gratia eſt capax infinitæ dignificationis moralis ergo illam habet. Et tandem ex quadam auctoritate D. Thom. *num.* 75.

Reſpondetur. *num.* 76. 77. & 78.

DISPVTATIO VIGESIMASEPTIMA.

An Chriſti gratia, & ſanctitas augeri potuerit?

§. PRIMVS.

Quibuſdam præſuppoſitis referuntur ſententiæ. Pag. 152.

TRia, vt indubitata ſupponuntur. Primum eſt, ſanctitatem à gratia vnionis humanitati præſtitam, nullatenus augeri potuiſſe. Secundum eſt, gratiam habitualem de facto non fuiſſe auctam. Tertium eſt, non ita potuiſſe gratiam Chriſti habitualem augeri, vt ratione huius augmenti Chriſtus, in quantum homo diceretur ſanctior abſolutè: ſed tantum ſecundum quid, & cum addito, ſcilicet, ſanctior ſanctitate accidentali.

Probantur breuiter, *à num.* 1. *vſque ad* 7.

In dubium ergo vertitur: an gratia Chriſti habitualis potuerit intenſiuè creſcere de potentia abſolute?

Circa quod tres verſantur ſententiæ. Prima negans, quam tuentur Scotus, Bonauentura, & alij.

Secunda docet, ſi intenſio fiat per gradus etherogeneos, & diuerſæ perfectionis, gratiam habere terminum augmenti intenſiui, vltra quem non poteſt creſcere de potentia abſoluta, & iſtum gradum attigiſſe habitualem gratiam in Chriſto: ſi autem intenſio fiat per gradus eiuſdem rationis, non habere terminum intenſionis, ſed poſſe in infinitum extendi: ita Lorca, quem alij Recentiores ſequuntur.

Tertia abſolutè docet, gratiam Chriſti potuiſſe intenſiuè augeri de potentia abſoluta. Et citantur Authores, *à num.* 1. *vſque ad num.* 10.

§. SECVNDVS.

Potuiſſe intenſiuè augeri, probatur. Pag. 152.

P*Rima Concluſio*. Gratia Chriſti habitualis potuit eſſe maior de potentia abſoluta. *num.* 10.

Probatur auctoritatibus D. Thom. & rationibus ex eis deductis, & impugnantur ſolutiones, & explicationes, quæ adhibentur ab Auctoribus oppoſitæ ſententiæ, *à num.* 20. *vſque ad num.* 30.

§. TERTIVS.

Vlterior noſtræ concluſionis probatio. Pag. 154.

SEcundo probatur concluſio expendendo auctoritatem D. Thom. in præſenti art. 12. ad 2. *num.* 31.

Solu-

Solutio ex Caietano, impugnatur. *num.* 33. 34. & 35.
Alia ſolutio proponitur. *num.* 35.
Et impugnatur *vſque ad num.* 38.
Tandem probatur conclusio; nam dilectio Dei amicabilis non habet terminum, ſed quacumque data, poteſt Deus hominem magis, ac magis diligere amicabiliter: ergo gratia habitualis non habet terminum, &c. *num.* 38. & 39.
Duæ ſolutiones impugnantur, *à num.* 40. *vſque ad* 42. *incluſiuè*.

§. QVARTVS.

Obiectionibus in contrarium occurritur. Pag. 155.

DVo priora argumenta, ex difficilibus D. Thom. auctoritatibus formantur, quæ ex alijs locis eiuſdem Angelici Doctoris explicantur, & mens D. Tho. aperitur, *à num.* 43. *vſque ad num.* 66.
Tertio arguitur, quia ſi in Chriſto non fuiſſet gratia habitualis in ſummo intenſionis poſſibilis de potentia abſoluta, nulla eſſet aſſignabilis ratio, cur ſucceſſu temporis non fuerit magis intenſa: hoc non eſt admittendus ergo, &c. *num.* 66.
Reſpondetur, & aſſignatur duplex ratio. *numero* 67. & 68.
Quarto arguitur argumento Recentiorum, non eſt poſſibilis intentio virtutum infuſarum per gradus diſſimiles ſine termino in infinitum: ergo nec intenſio gratiæ habitualis. Probatur antecedens, quia repugnat intenſio infinita auxiliorum gratiæ per gradus diſſimiles ordinatæ ad actum liberum: ergo & intenſio infinita virtutum. Antecedens probatur, nam potentia phyſica, vel moralis ad reſiſtendum auxilijs diuinæ gratiæ, eſt finita: ergo in tantum poteſt creſcere auxiliorum gratiæ intenſio, vt omnino ſuperat illam, &c. *num.* 69. & 70.
Hoc argumentum dupliciter inſtatur in principijs Auctorum illius, *à num.* 71. *vſque ad num.* 75.
Et ad illud reſpondetur. *num.* 75. & 76.
Denique arguunt Recentiores: actus virtutis naturalis reſpiciens obiectum formale actus ſupernaturalis (quod ſupponunt eſſe poſſibile) non poſſunt per gradus diſſimiles ſine termino intendi: ergo nec actus ſupernaturales: ergo nec virtutes infuſæ: ergo nec gratia, &c. *num.* 77. & 78.
Inſtatur hoc argumentum. *num.* 79.
Et reſpondetur ad illud dupliciter. *num.* 81. & 82.

§. QVINTVS.

Probatur gratiam ab intrinſeco termino augmenti carere. Pag. 160.

S*Ecunda Concluſio*. Gratia habitualis ex natura rei ab intrinſeco terminum augmenti non habet; ſed ſolum ex libera voluntate diuina; & conſequenter attenta gratiæ natura, potuit eſſe intenſiuè maior in Chriſto. Statuitur pro Auctoribus tertiæ ſententiæ.
Probatur primo: nam quantum ad hoc eadem eſt ratio de gratia, atque de charitate; at charitas non habet terminum ex natura rei ab intrinſeco, vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. *à num.* 83. *vſque ad* 84.
Secundo probatur ratione ex prædicta doctrina deſumpta, *à num.* 84. *vſque ad* 87.

§. SEXTVS.

Duplici argumento occurritur. Pag. 161.

ARguitur primo ex D. Thom. in præſenti art. 12. docente, gratiam Chriſti non potuiſſe augeri, nec ex parte ſubiecti; quia erat in termino, nec ex parte gratiæ, quia pertingit ad ſummum gratiæ gradum; ſed loquitur de impoſſibilitate augmenti attenta natura gratiæ, vt videtur colligi ex eodem Angelico Magiſtro, &c. *num.* 87.
Soluitur, & occurritur quibuſdam inſtantijs, *à num.* 88. *vſque ad* 92.
Secundo arguitur, ex eodem D. Thom. 3. ad Annibaldum diſtinctione 13. vbi ait, quod licet omni finito, poſſit fieri additio mathematicè, & ſecundum imaginationem; ſed loquendo naturaliter verum non eſt, nam omnium natura conſtantium, terminus eſt, & ratio magnitudinis; & ideo gratia Chriſti augeri non potuit, &c. Et inſtatur ex ſolutione ad ſecundum argumentum. *num.* 92. 93. & 94.

§. SEPTIMVS.

Cætera argumenta diluuntur. Pag. 162.

TErtio arguitur argumento Durandi, quia omnis natura, quæ eſt de paruo in magnum deducibilis, ſi non habet terminum in maximo, nec in minimo terminum habet; ſed in omni forma recipiente magis, & minus datur terminus in minimo ex ipſa natura formæ: ergo, &c. Min. tripliciter probat Durandus. *num.* 95.
Reſpondetur primo, negando maiorem, quam falſam eſſe monſtratur. Secundo negando minorem, & tribus eius probationibus reſpondetur, *à num.* 96. *vſque ad* 99.
Quarto arguitur ex Durando: quia intra naturam generis non poteſt in infinitum procedi in gradibus ſpecificis; ſed eſt dare ſupremum, & infimum: ergo à fortiori omnes gradus poſſibiles in aliqua forma ſpecifica clauduntur inter ſupremum, & infimum; & conſequenter, &c. *num* 99. Reſpondetur, *num.* 100.
Quinto arguitur: nam ad formam determinatam ſequuntur accidentia determinata, vt docet D. Thom. 1. p. q. 7. art 3. ex quo principio probat, non poſſe dari corpus infinitæ magnitudinis; ſed gratia habitualis eſt forma finita, & determinata: ergo omne accidens illius, & conſequenter intenſio, quæ accidens gratiæ habitualis eſt, debet eſſe determinata; ac per conſequens, &c. *num.* 101.
Inſtatur argumentum, & ad illud reſpondetur. *num.* 102.
Contra ſolutionem inſtatur dupliciter, & occurritur inſtantijs, *à num.* 103. *vſque ad* 107.
Denique arguitur: quia potentia receptiua gratiæ, eſt finita: ergo non poteſt ad gratiam ſine termino recipiendam extendi. Antecedens eſt D. Thom. *num.* 107.
Reſpondetur ex doctrina eiuſdem Angelici Præceptoris, & occurritur quibuſdam inſtantijs, *à num.* 108. *vſque in finem* §.

§. VLTIMVS.

Tria inferuntur ex dictis. Pag. 164.

EX dictis in hac diſputatione, colligitur primo, gratiam Chriſti fuiſſe plenam, & plenitudinem gratiæ, Chriſto eſſe propriam. Et probatur, quoad vtramque partem. *num.* 113.
Secundo colligitur: falſam eſſe Bonauenturæ, Richardi, & aliorum antiquorum ſententiam, aſſerentium, gratiam ex parte ſui termino intenſiuo augmenti carere: habere tamen terminum ex parte ſubiecti. *num.* 114.
Tertio colligitur, falſiſſimam eſſe quorundam Theologorum ſententiam, aſſerentium, potuiſſe gratiam Chriſti intenſiuum augmentum ſuſcipere, attenta omnipotentia Dei: non vero attenta Dei ſuprema ſapientia. *num.* 115.

TRACTATVS SEXTVS.

De gratia Chriſti capitali.

LIttera Diui Thomæ queſtionis octauæ in octo Articulos diuiſæ, explicatur breuiter, *à pag.* 165. *vſque ad pag.* 166.

DISPVTATIO VIGESIMAOCTAVA.

An Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, & per quam gratiam in ratione capitis conſtituatur?

§. PRIMVS.

Prima pars diſputationis reſoluitur. Pag. 167.

CIrca primum concors eſt omnium Theologorum ſententia, aſſerentium, Chriſtum non ſolum in quantum Deum; ſed etiam ſecundum humanitatem eſſe totius Eccleſiæ Caput.

Ante cuius probationem aduertitur, ly *vt*, non ſumi *reduplicatiuè*, ſed *ſpecificatiuè*. *num.* 1.

Hæc veritas probatur, *à num.* 2. *vſque ad num.* 5.

§. SECVNDVS.

Duplici argumento occurritur, & explicatur, an Chriſtus ſit membrum Eccleſiæ. Pag. 168.

ARguitur primo: ſi Chriſtus eſſet caput Eccleſiæ, etiam eſſet Eccleſiæ membrum: at non poteſt congruenter dici, quod ſit Eccleſiæ membrum, vt docet D. Thom. in 3. diſtinctione 13. quæſtione 2. art. 1. ad 6. Sequela probatur; caput corporis humani eſt membrum eiuſdem corporis: ergo, &c. *num.* 6.

Quidam abſolutè docent, Chriſtum eſſe Eccleſiæ membrum. *num.* 7.

Alij docent, nullo modo dici poſſe Eccleſiæ membrum. *num.* 8.

Vera ſolutio eſt, Chriſtum, vt hominem, eſſe membrum Eccleſiæ, vt habentis caput Deum; non eſſe autem membrum Eccleſiæ, vt habentis caput Chriſtum, vt hominem. *num.* 9. 10. & 11.

Qualiter debeat intelligi locus ille ex Paulo 1. ad Corinthios 12. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, traditur. *num.* 12. & 13.

Arguitur ſecundo, quia Chriſtus nequit dici propriè caput Eccleſiæ, nec etiam impropriè: ergo nullo modo dicendus eſt Eccleſiæ caput. *num.* 14.

Magiſter Zippullus reſpondet, quod ly *Caput Eccleſiæ* accipiatur, vt terminus complexus, & in vi duarum dictionum, non poteſt dici propriè caput Eccleſiæ; ſed in ſenſu proprio: ſecus vero ſi ly *Caput Eccleſiæ* ſumatur tanquam terminus compoſitæ figuræ incomplexus, & in vi vnius dictionis. *num.* 15.

Hæc ſententia quoad ſecundam eius partem falſa eſt, & impugnatur, ſimulque reſpondetur ad eius fundamenta, *à num.* 18. *vſque ad num.* 22.

§. TERTIVS.

Cætera argumenta diluuntur. Pag. 169.

TErtio arguitur; humanitas conſtat ex corpore, & anima; ſed Chriſtus non eſt caput Eccleſiæ ſecundum corpus, ſed tantum ſecundum animam: ergò Chriſtus non eſt caput Eccleſiæ ſecundum humanitatem. *num.* 23.

Reſpondetur, Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ ſecundum animam, & ſecundum corpus, non diuiſiuè, ſed complexiuè; non æquè primo, ſed ſecundum animam primo; & ſecundo ſecundum corpus. *num.* 24. & 25.

Tribus replicis aduerſus aſſignatam ſolutionem, reſpondetur, *à num.* 26. *vſque ad num.* 31.

Denique arguitur impugnando rationem, qua D. Thom. probat Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ. *num.* 31.

Reſpondetur. *num.* 32. 33. & 34.

§. QVARTVS.

Circa ſecundam partem referuntur ſententiæ; & prima concluſio ſtatuitur. Pag. 170.

CIrca ſecundum punctum, quod examinandum proponitur, verſantur plures ſententiæ.

Prima aſſerit: ſolam gratiam vnionis Chriſtum in ratione capitis conſtituere. Ita Vazquez, & Meratius.

Secunda, ſolam gratiam habitualem eſſe in Chriſto gratiam capitis. Hæc eſt frequentior inter Thomiſtas.

Tertia, gratiam habitualem eſſe in Chriſto, gratiam capitis per modum principij proximi; per modum verò radicalis principij eſſe gratiam vnionis. Hanc tenent Vincentius, Suarez, & Lorca; nec diſſentit Vazquez.

Quarta docet, nec ſolam gratiam habitualem, nec ſolam gratiam vnionis eſſe gratiam capitis; ſed ex habituali gratia, vt principio eliciente ſubſtantiam actus meritorij, & ex gratia vnionis, vt cauſante infinitam dignitatem meritoriam gratia capitis conflari. Hanc tenet Granados, qui pro illa refert Valentiam. *num.* 37. & 38.

Pro veritatis explicatione eſt *Prima Concluſio.* Gratia habitualis eſt in Chriſto gratia capitis: & hæc à gratia perſonali ratione diſtinguitur. In hac concluſione conueniunt Auctores primæ, tertiæ, & quartæ ſententiæ.

Probatur ex eo quod forma dans Chriſto radicale poſſe ad influendum in membra Eccleſiæ, eſt gratia habitualis, quia gratia habitualis dat Chriſto poſſe radicaliter mereri vt dictum eſt 1. quæſt. præcedenti art. 1. *num.* 39. & 40.

Secunda pars probatur, quia eadem forma cum ſola diſtinctione rationis, eſt per quam ſubiectum aliquod in actu conſtituitur, & redditur potens agere; gratia autem habitualis dicitur perſonalis, quatenus humanitatem Chriſti ſanctificat: capitalis vero, quatenus dat poſſe ad influendum in alios. *num.* 41.

§. QVINTVS.

Triplici obiectioni contra primam partem concluſionis occurritur. Pag. 171.

PRimo arguitur, ex eo quod gratia aliam ſupponens priorem, ad quam conſequitur, & cuius eſt proprietas, non poteſt conſtituere caput in ratione capitis; at gratia habitualis ſupponit gratiam vnionis, & ad illam, vt proprietas conſequitur: ergo, &c.

Reſpondetur; gratiam habitualem eſſe primam in ſuo ordine, & hoc ſufficere, vt conſtituat in ratione capitis. *num.* 43. & 44.

Secundo arguitur, ex eo quod Chriſtus per gratiam habitualem non videtur reddi potens influere in alia membra gratiam, & dona ſupernaturalia; cum Chriſtus influat per meritum proprium, quatenus ordinatum ad promerendum alijs à ſe; gratia autem habitualis, quæ eiuſdem ſpeciei eſt cum noſtra eſt ad præmium proprij ſubiecti alligata. Tùm etiam, quia Chriſtus influit gratiam in homines per meritum, quatenus infinitum; ſed gratia habitualis non principiat meritum, quatenus infinitum: ergo, &c. *num.* 44. & 45.

Reſpondetur *à num.* 46. *vſque ad* 51.

Arguitur tertio, ex eo quod gratia habitualis Chriſti, & noſtra, ſunt eiuſdem ſpeciei: ſed gratia noſtra non eſt ſufficiens conſtituere caput; aliàs purus homo poſſet conſtitui caput aliorum quoad influxum interiorem gratiæ per meritum condignum: ergo. *num.* 51.

Reſpondetur. *num.* 52.

§. SEXTVS.

Vltimo argumento occurritur. Pag. 172.

ARguitur vltimo; nam ſi Verbum humanitatem aſſumeret ſine gratia habituali, & medijs auxilijs ſtudiis ſupernaturales actus eliceret, quibus nobis gratiam mereretur, Chriſtus eſſet caput Eccleſiæ; ſed tunc non conſtitueretur caput per formam ſecretam à gratiam vnionis diſtinctam. Tùm, quia auxilia, quę modo cum gratia habituali ad actus Chriſti meritorios concurrunt, non ſunt gratia capitis: ergo nec tunc. Tùm etiam, quia in probabili ſententia aſſerente, à

Chri-

Chriſtum per actus vndequaque naturales, poſſe ſupernaturale premium mereri, in caſu autem quod ſine aliquo dono ſupernaturali, influeret gratiam in homines, vires naturales humanitatis Chriſti, non conſtituerent Chriſtum in ratione capitis: ergo nec modo gratia habitualis, *num.53. vſque ad 56.*

Solutio, quæ ad hoc argumentum adhibetur, à quibuſdam Recentioribus ex noſtris, refertur, & impugnatur, *à num. 56. vſque ad 62.*

Vera ſolutio aſſignatur, *à numer. 62. vſque in finem §.*

§. SEPTIMVS.

Gratiam ſubſtantialem vnionis non eſſe gratiam capitis, probatur. Pag. 173.

SEcunda Concluſio. Gratia vnionis non eſt gratia capitis: vnde gratia capitalis adæquatè in recto, in gratia habituali conſiſtit, adiuncto actu libero voluntatis diuinæ, *num.66.*

Duæ inefficaces rationes, quibus Recentiores probant primam concluſionis partem, referuntur, & refelluntur, *à num.66. vſque ad 70.*

Probatur ergo concluſio primo auctoritatibus D. Thom. *à num.70. vſque ad 72.*

Alia ratio eorum, qui negant humanitatem Chriſti formaliter ſanctificari per gratiam vnionis, dupliciter deficit, *num.72. & 73.*

Vera ratio aſſignatur, ex qua etiam aliæ concluſionis partes probantur *à num.74. vſque ad numerum 77.*

§. OCTAVVS.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag. 174.

ARguitur primo, ex auctoritatē D. Thom. in hac quæſtione art. ſexto in corpore, *num.79.* Explicatur mens D. Thom. *num.79.*

Arguitur ſecundo: nam gratia vnionis eſt prior, eminens, & influens in membra Eccleſiæ: ergo eſt gratia capitis, *num.80.*

Reſpondetur, & occurritur replicis quibuſdam, *à num. 81. vſque ad 85.*

Denique arguitur, præcipuo argumento oppoſitæ ſententiæ: nam ad merendum nobis gratiam, & ſatisfaciendum pro nobis, principalius ſe habet dignitas meritoria, & ſatisfactoria infinita operationum Chriſti, quam ſubſtantia earundem operationum: ergo ſi forma influens in ſubſtantiam illarum, quæ eſt gratia habitualis, conſtituit Chriſtum caput, à fortiori in ratione capitis illum conſtituet forma dans operibus dignitatem, quæ eſt gratia vnionis, *num 85.*

Solutio, quæ à doctis Recentioribus adhibetur huic argumento, reiicitur, *num.87.*

Vera ſolutio aſſignatur, *num.88. & 89.*

Pluræ replicæ, quæ fieri poſſunt aduerſus ſolutionem aſſignatam, proponuntur, & ſoluuntur, *à num.90. vſque ad num.106.*

§. VLTIMVS.

Ex dictis infertur, qualiter gratia capitis poſſit communicari. Pag. 176.

SEquitur ex dictis, dignitatem capitis Eccleſiæ per influxum ſatisfactorium, & meritorium de condigno vniuerſalem, ita eſſe Chriſto propriam, vt de potentia abſoluta non poſſit puræ creaturæ communicari; ſecus vero dignitatem capitis per meritum de congruo vniuerſale, & particulare condignum. Probatur hoc corollarium quoad omnes ſuas partes, *à num. 107. vſque ad num.111.*

DISPVTATIO VIGESIMANONA.

An Chriſtus, in quantum homo, ſit caput omnium hominum, & Angelorum.

§. PRIMVS.

Circa primam diſputationis partem aliqua præmittuntur; Pag. 178.

SVpponitur vt extra controuerſiam, omnes homines poſt Chriſtum eſſe illius membra, ſaltim in potentia; dum tamen viuunt in hac vita mortali.

Supponitur ſecundo, nec actu, nec in potentia Chriſtum eſſe caput damnatorum, *num.2.*

Supponitur tertio, homines in ſtatu gloriæ eſſe actu membra Chriſti; imo & membra perfectiſſima *num. 5. vſque ad nu.9.*

Denique ſupponitur, Chriſtum eſſe caput actu hominum exiſtentium in gratia, quamuis illam ſint amiſſuri, ſiue prædeſtinati ſint, ſiue reprobi. Eſt veritas de fide tenenda, *num.9. & 10.*

§. SECVNDVS.

Prima pars diſputationis reſoluitur: Pag. 179.

VErtitur in examen, an Chriſtus ſit caput omnium, & tantum fidelium?

Prima ſententia aſſerit, non eſſe caput actu omnium fidelium, ſed tantum iuſtorum.

Secunda docet, Chriſtum quantum eſt de ſe, non ſolum eſſe caput fidelium, ſed etiam infidelium baptizatorum.

Tertia, & verà docet: Chriſtum eſſe actu caput omnium, & tantum fidelium, *num.11.*

Prima Concluſio. Chriſtus, in quantum homo, eſt actu caput fidelium, etiam in peccato mortali exiſtentium, non perfectè, & ſimpliciter, ſed imperfectè, & ſecundum quid, *num. 12.*

Probatur concluſio, *à num. 12. vſque ad 22.* Vbi reiiciuntur probationes minus efficaces, & impugnantur euaſiones, quæ adhibentur veris probationibus.

§. TERTIVS.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag. 180.

COntra primam concluſionis partem arguitur primo, quia Adamus ante formationem Euæ erat fidelis; & tamen non erat membrum Chriſti, cum tunc non eſſet Eccleſia, quæ conſiſtit in congregatione fidelium: ergo, &c. *num.23.*

Reſpondetur, *num.24. & 25.*

Secundum argumentum tangit illam difficultatem: an catechumeni non baptizati ſint membra Chriſti actu? *num.26.*

Reſpondetur, quod vt aliquis ſit, & dicatur membrum Eccleſiæ, ſufficit quod ad Eccleſiam pertineat ſecundum interiorem conditionem Eccleſiæ, vel ſecundum animam, aut formam, quæ eſt fides formata, aut informis; licet non pertineat ad illam ſecundum conditionem viſibilem, quæ vocatur corpus Eccleſiæ, *num.27.*

Ex qua doctrina colligitur, excommunicatum fidelem eſſe membrum Chriſti, & aliquando eſſe membrum viuum, *num.28.*

Secundo infertur, ſchiſmaticos eſſe membra Chriſti, ſi ſchiſma ſolum charitati opponatur; ſecus autem ſi opponatur fidei, *num. 29.* Et notetur ibi doctrina Diui Thom.

Tertio arguitur, quia homo exiſtens in peccato mortali, etiam ſi fidelis ſit, non pertinet ad Eccleſiam, nec eſt pars, aut membrum illius: aſſumptum ſex probationibus ſuadetur.

Reſpondetur *à num. 36.* Et ibi explicatur, in quo ſenſu Eccleſia appelletur ſancta.

An Eccleſia poſſit ſcelerata nuncupari? Negatiuè reſpondetur, *num.37. & 38.*

In quo

In quo ſenſu dicatur Eccleſia tota pulcra, *à n.39. vſque ad n.42.*

Explicatur, quæ filiatio ſufficiat ad rationem membri Eccleſiæ *num.*43.

Notanda eſt duplex acceptio Eccleſiæ. *num* 44.

Eccleſia, vt eſt congregatio fidelium, non per dilectionem ſed per fidem conſtituitur. *num.*45.

Membra Eccleſiæ poſſunt ſibi Inuicem contrariari; ſecus membra corporis naturalis. *num.*46.

Vltimum argumentum tangit illam difficultatem, quòd ad rationem membri corporis viui, non ſufficit eſſe partem illius, ſed inſuper requiritur, quod viuat vita totius; ſed peccatores fideles, non viuunt vita, qua viuit Eccleſia, &c. Et confirmatur auctoritate D. Tho. *num* 47. & 48.

Reſpondetur primo, eſto admittamus, peccatores non eſſe actu membra Eccleſiæ Chriſtus tamen poteſt dici actu caput illorum. *num.*49. 50. & 51.

Secundo reſpondetur, fidelem in peccato mortali exiſtentem; eſſe membrum imperfectum. *num.*52.

Tertio reſpondetur, ad rationem membri imperfecti ſufficere actu viuere vita imperfecta, & vita perfecta in potentia. *num.*33. & 34.

§. QVARTVS.

Chriſtum caput infidelium actu non eſſe, probatur. Pag.182.

SEcunda Concluſio. Chriſtus non eſt caput actu infidelium, ſiuè baptizati ſint, ſiuè non, ſiue occulti ſint, ſiuè publici.

Quoad omnes ſuas partes probatur concluſio, *à num.*55. *vſque ad* 62.

§. QVINTVS.

Contraria ſententia cum ſuis fundamentis proponitur: Pag.183.

GRaues Auctores aſſerunt, hæreticum occultum eſſe actu Eccleſiæ membrum. *num.*63.

Et primum argumentum in fauorem hujus ſententiæ eſt: quia ſufficit caracter baptiſmalis ad conſtituendum actu membrum imperfectum, & ſecundum quid. Aſſumptum quadrupliciter probatur, *à num.*64. *vſque ad num.*68.

Reſpondetur *à num.*68. *vſque ad* 74.

Arguitur ſecundo, ex parabola zizaniæ apud Matth. cap.13.

Reſpondetur iuxta explicationem Auguſtini. *num.*75.

Arguitur tertio, aduerſus tertiam partem concluſionis: nam Pontifex in occultam hæreſim lapſus; adhuc eſt Eccleſiæ membrum: quia non ipſo facto à Pontificatu deponitur, ſed perſeuerat caput Eccleſiæ, vt communiter docent Doctores. *num.*76.

Reſpondetur, Pontificem in occultam hæreſim lapſum, eſſe membrum Eccleſiæ ſecundum conditionem viſibilem. *à num.*77. *vſque ad* 88.

§. SEXTVS.

Secunda pars diſputationis reſoluitur. Pag.184.

CIrca, ſecundum, quod in hac diſputatione examinandum eſt, duo ſunt certa apud Theologos. Primum eſt: Chriſtum, ſaltim ſecundum diuinitatem, eſſe caput Angelorum. *num.*89. & 90.

Secundum eſt, Chriſtum, in quantum hominem, eſſe caput Angelorum ſecundum dignitatem, & influxum imperij, & exterioris gubernationis. *num.*91.

Difficultas vero eſt, an ſcilicet, Chriſtus, in quantum homo, ſit caput Angelorum quoad interiorem influxum, & quoad alias conditiones capitis ſuperius aſſignatas?

Prima ſententia negans; eius Authores, & fundamenta proponuntur, *à num.*92. *vſque ad* 95.

Secunda ſententia affirmans, eſt D.Thom. Authores, qui illam ſequuntur citantur. *num.*95.

Concluſio eſt: Chriſtus, in quantum homo eſt caput Angelorum, ea ratione, qua dicitur caput Eccleſiæ; licet non ita perfectè: ſicut eſt hominum caput.

Prima pars concluſionis probatur in primis auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & Patrum, *à num.*96. *vſque ad* 103.

Secundo probatur ratione D. Thom. *num.*103. 104. & 105.

Tandem probatur oſtendendo, conuenire Chriſto, vt homini reſpectu Angelorum omnes conditiones conſtitutiuas capitis, *à num.*106. *vſque ad* 110.

Ex quibus breuiter ſuadetur concluſio quoad ſecundam partem. *num.*110. & 111.

§. VLTIMVS.

Fundamentis in contrarium occurritur. Pag.186.

DVo priora fundamenta oppoſitæ ſententiæ diluuntur. *num.*112. 113. & 114.

Ad tertium fundamentum aliqui reſpondent, quod licet Chriſtus, in quantum homo, non meruerit Angelis beatis gloriam, nec viatoribus fidem, nec gratiam; meruit tamen gaudia accidentalia, & aliquas illuminationes extra Verbum, & hoc vt ſit caput illorum ſufficere. Ita Vazquez. *num* 115.

Secunda ſolutio eſt, cauſaſſe finaliter, & exemplariter gratiam, & gloriam in Angelis, etſi non rationare cauſæ efficientis: & hoc ſufficere, vt ſit illorum caput. Ita Lorca.

Tertio reſpondent alij, quod Chriſtus meruit Angelis gratiam, & fidem in via, & gloriam Patriæ eſſentialem. Ita Caietanus, quem plures Thomiſtæ ſequuntur, & pluribus citatis Suarez. Hæc ſolutio præfertur alijs, tanquam expreſſa D. Thom. ſuper illud Ioannis 1. De plenitudine eius, non omnes accepimus. Et defenditur, *à n.*117. *vſque ad* 121.

Aliter ſoluitur prædictum fundamentum. *num.*121. & 122.

Ex dictis infertur primo, Suarez parum conſequenter loquutum fuiſſe, concedendo Chriſti meritis influxum in gloriam eſſentialem, & gratiam Angelorum, & negando talem influxum morti, & paſſioni Chriſti. *num.*123.

Secundo infertur, Chriſtum, vt hominem, fuiſſe caput primorum parentum, etiam pro ſtatu innocentiæ. *num.*124.

Tertio infertur, Diabolum eſſe omnium malorum ſub aliqua ratione caput. *num.*125.

Quarto infertur. Anti-Chriſtum, etiam eſſe aliqua ratione omnium perditorum caput. *num.*126. 127. & 128.

An Anti-Chriſtus, non ſolum malorum hominum, ſed etiam Dæmonum dicatur caput; *num.*129.

Denique infertur; Adamum, etſi ſit caput omnium deſcendentium quoad contractionem peccati originalis: non tamen eſſe ſimpliciter caput omnium malorum, vt peccantium perſonaliter. *num.*130.

DISPVTATIO TRIGESIMA.

Qualiter gratia habitualis comparetur ad gratiam vnionis?

§. PRIMVS.

Quibuſdam præſuppoſitis referuntur ſententiæ. Pag.189.

DIuus Thom. in præſenti art.8. præbuit anſam huic diſputationi, dum aſſerit, gratiam perſonalem facere congruitatem ad vnionem.

Inquiritur ergo, qualiter gratia habitualis reſpectu gratiæ vnionis ſe habuerit. An vt diſpoſitio antecedens: an vt conſequens; qualiterque ad illam fuerit conſequuta: an conſequutione phyſica: an conſequutione tantum morali? *num.*1.

Supponitur, vt omnino certum, non præceſſiſſe vt diſpoſitionem neceſſitantem ad vnionem probatur, & occurritur inſtantijs contra hanc veritatem, *à num.*3. *vſque ad num* 9.

Secundo, vt certum ſupponitur, gratiam habitualem

non

non conſequi ad gratiam vnionis conſecutione eſſentiali. *num*.9.

Tertiò, non conſequi ad gratiam vnionis efficienter phyſicè, vera, & propria efficientia. *num* 10.

Denique ſupponitur, vt exploratum, gratiam habitualem non ineſſe humanitati ex influxu effectiuo ſpeciali Verbi Diuini, vt humanitati vniti *num*.11.

His ſuppoſitis, prima ſententia docet omnino antecedenter ſe habuiſſe, vt diſpoſitionem omnino neceſſariam ad vnionem. Secunda, antecedentes vt diſpoſitionem non neceſſariam, ſed congruam. Tertia, & vera ſententia docet: gratiam habitualem non fuiſſe gratia vnionis priorem, nec per modum phyſicæ diſpoſitionis, nec diſpoſitionis moralis, ſed omnino conſequenter ad gratiam vnionis ſe habuiſſe. Authores citantur, *num*.12.

§. SECVNDVS.

Gratiam habitualem non ſe habuiſſe antecedenter ad gratiam vnionis, auctoritate probatur, & variæ expenduntur rationes. Pag.190.

PRima Concluſio. Gratia habitualis non fuit diſpoſitio præuia, nec phyſica, nec moralis ad gratiam ſubſtantialem vnionis.

Hæc ſententia eſt expreſſa D. Thom. cuius auctoritates expenduntur, & euaſiones precluduntur, *à num*.13. *vſque ad* 19.

Fundamentum quo P. Vazquez probat noſtram concluſionem: proponitur, & reijcitur, *à num*.19. *vſque ad* 23.

Aliæ duæ rationes P. Radda referuntur, & refelluntur, *à n*.23. *vſque ad num*.26.

Aliud fundamentum quo aliqui Recentiores Thomiſtæ vtuntur, reijcitur. *num*.27.

§. TERTIVS.

Alijs rationibus noſtra concluſio probatur, Pag.191.

PRima ratio procedit, ex eo quod ea inter quæ eſt immediata habitudo, non indiget præuia diſpoſitione, vt vniantur inter ſe; at inter humanitatem, & Verbum eſt immediata habitudo: ergo, &c. *num*. 27.

Solutiones, quæ adhiberi poſſunt huic rationi impugnantur, *à num*.28. *vſque ad* 36.

Secunda pars concluſionis probatur auctoritatibus, & rationibus D.Thom. *à num*.37. *vſque ad* 43.

§. QVARTVS.

Obiectionibus ab auctoritate occurritur. Pag.194.

PRimum argumentum procedit ex illo Pſalmi 44. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. *num*.44. Qui locus explicatur, *à num*.45. *vſque ad num*.48.

Secundum argumentum procedit ex authoritatibus D. Thom. quæ proponuntur & explicantur, *à num*.48. *vſque in finem* §.

§ QVINTVS.

Cætera argumenta diluuntur. Pag.195.

TErtio arguitur ex eo quod, vt docet D.Thom. omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet, quod diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra naturam eius; ſed perſonalitas Verbi excedit omnem naturam creatam: ergo vt humanitas vniatur illi debet, &c. *num*.54.

Reſpondetur ex doctrina D. Thom. *num*.55. & 56.

Quarto arguitur: quia benè ſtat gratiam habitualem conſequi ad gratiam vnionis, & præuiè ad vnionem diſponere: ergo ratio D. Thom. probatiua concluſionis eſt nulla. Antecedens probatur dupliciter, & dupliciter confirmatur argumentum, *à num*.57. *vſque ad* 61.

Reſpondetur ad argumentum cum ſuis confirmationibus, *à nu*.61. *vſque ad nu* 72. Et fit ſatis quibuſdam replicis, valde notandis.

§. SEXTVS.

Non conſequi conſecutione phyſica, probatur. Pag.198.

SEcunda Concluſio. Gratia habitualis in Chriſto, non conſequitur ad gratiam vnionis phyſicè dimanatiuè, vt illius propria paſſio: referuntur Auctores, qui tenent hanc concluſionem. *num*.73.

Ante cuius probationem quædam certa ſupponuntur, & breuiter probantur. Primo, gratiam habitualem non dimanare ab humanitate Chriſti ratione ſui. *num*. 75.

Secundo, non fuiſſe conſequutam ad modum ſubſtantialem vnionis realiter ab extremis diſtinctum. *num*.75.

Tertio non dimanaſſe à Verbo tamquam à principio *quod*. Probatur, & ab impugnationibus liberatur, *à num*. 76. *vſque ad* 81.

Concluſio ergo noſtra procedit contra aliquos Auctores, qui citantur *num*.81. aſſerentes ab humanitate Verbo hypoſtaticè vnita, dimanare gratiam habitualem, non ratione ſui, ſed ratione alicuius prædicati ex his, quæ in Chriſto inueniuntur, & ad quæ humanitas, fuit per aſſumptionem euecta. *num*.81.

Noſtram concluſionem inter alios tenent expreſſè Caietanus, & Medina, vnde immerito à P. Granados pro contraria citantur. *num*.82.

Probatur in primis, quia nullum eſt prædicatum in Chriſto, per quod humanitas conſtituatur radix gratiæ, & rationes cuius gratia ab humanitate dimanet: ergo, &c. Antecedens probatur: nam præter humanitatem, tria reperiuntur in Chriſto, nempè, modus ſubſtantialis vnionis, ſubſiſtentia Verbi, & diuinitas; at nullum horum, &c. *num*.83.

Solutio quam adhibet P. Granados huic argumentum, aſſerens modum vnionis eſſe principium vnde dimanans habitus infuſi in Chriſto, explicatur iuxta mentem ſui Auctoris. *num*.84. 85. & 86.

Impugnatur vero, *à num*.87. *vſque ad* 94.

§. SEPTIMVS.

Secunda ſolutio principalis argumenti, reijcitur. Pag.200.

ALia ſolutio, quæ in publicis diſputationibus Salmanticæ adhibeatur prædicto argumento erat, humanitatem eleuari à diuinitate ſibi vnita, vt ſit radix gratiæ, & donorum, & ad humanitatem ratione diuinitatis conſequi hæc dona per phyſicam dimanationem: ita vt diuinitas concurrat per modum principij *quo* radicalis, & humanitas, vel Chriſtus, vt homo ſit principium *quod* radicale. *num*.95.

Quatuor argumenta, quæ Recentiores opponunt aduerſus prædictam ſolutionem proponuntur, & tanquam inefficacia, reijciuntur, *à num*.96. *vſque ad* 106.

Efficax impugnatio prædictæ ſolutionis ſumitur ex eo quod vt diuinitas eſſet humanitati, id ratione cuius radicaret gratiam habitualem, deberet illi vniri, vt principium *quo* radicaliter operatiuum; ſed iſto modo vniri non poteſt: ergo, &c. Minor probatur. Tùm ex auctoritatibus D. Thom. Tùm rationibus. *num*.106. 107, 108. & 109.

Euaſiones, quæ ad hanc rationem excogitari poſſunt, referunt, & præcluduntur, *à num*. 100. *vſque ad* 120.

§. OCTAVVS.

Argumentis contrariæ ſententiæ occurritur. Pag.204.

ARguit primo Granados, ex auctoritatibus D.Thomæ. *num*.121.

Reſpondetur, & mens D.Thomæ explicatur, *num*.122, *vſque ad* 127.

Secundo arguit Granados ex principio phyſico generali, quod, ſcilicet proprietas rei debita, & pertinens ad eius integritatem dimanat phyſicè ab illa: talis eſt gratia

tia habitualis reſpectu vnionis hypoſtaticæ: ergo, &c. *num.* 127.

Prima ſolutio, quæ aſſignari poſſet huic argumento, negando maiorem, deſeritur, *n.* 128. *&* 129.

Reſpondetur ergo ſecundo, conceſſa maiori, negando minorem, & ad replicas P. Granados, & ad plures alias, quæ aduerſus ſolutionem excogitari poſſunt, ſit ſatis, *à num.* 130. *vſque ad* 139.

Denique in fauorem ſecundi modi dicendi arguitur: potuit enim diuinitas humanitati vniri per modum principij *quo* radicaliter operatiuæ: ergo, &c. *num* 139.

Reſpondetur. *num.* 140.

§. NONVS.

Duplex difficultas ex dictis emergens reſoluitur. Pa. 207.

DVplex difficultas reſtat breuiter enodanda. Prima: an gratia habitualis ſit propriè Chriſto Cõnaturalis? Secunda: an Chriſtus, vt homo, vel humanitas Verbo hypoſtaticè vnita, ſit ſubiectum connaturale gratiæ?

Ad vtramque difficultatem, affirmatiuè reſpondet Vincentius; & pro hac ſententia referuntur Auctores. *nu.* 141. *&* 142.

Prima Concluſio. Gratia habitualis non eſt ſupernaturalis Chriſto, nec illius humanitati, prout Verbo hypoſtaticè vnitæ: benè tamen humanitati Chriſti acceptæ ſecundum ſe.

Vltima pars concluſionis à nullo poteſt negari. Prima pars conceditur à Mag. Vincentio, & probatur, *à nu* 144. *vſque ad* 151. Et ibi ſit ſatis, quibuſdam replicis, & inſtantijs. *num.* 153.

Secunda pars concluſionis probatur. *num.* 151. *&* 152.

Secunda Concluſio. Gratia habitualis eſt aliquo modo cõnaturalis humanitati, & Chriſto: non tamen eſt illis cõnaturalis ſimpliciter, niſi ad ſummum virtualiter, & cõditionaliter. Prima pars concluſionis probatur: nam id quod natiuitatem, aut formationem alicuius comitatur, poteſt dici naturale, vt docet D. Thom. &c. *n.* 153.

Secundo: nam id quod inſeparabiliter conuenit, aliquo modo dicitur connaturaliter conuenire, & ſimiliter probatur eſſe connaturalem aliquo modo, non ſolum humanitati, ſed etiam Chriſto. *n.* 153. *&* 154.

Quod autem gratia habitualis non ſit connaturalis ſimpliciter, probatur ratione Caietani: nam licet conueniet Chriſto ab intrinſeco, nempè, à diuinitate gratiam in humanitate cauſante, non tamen neceſſario, ſed liberè cauſatur. *n.* 155.

Euaſio quædam, quæ *n.* 156. inſinuatur præcluditur. *Ibid.*

Secundo probatur, quia gratia habitualis non eſt Chriſto connaturalis ſimpliciter, nec ratione principij actiui, nec ratione principij paſſiui. *n.* 157.

Solutio, quæ huic argumento adhiberi poteſt, efficaciter impugnatur, *à n.* 159. *vſque ad n.* 161.

Ex dictis concluditur, gratiam habitualem non eſſe accidens connaturale Chriſto, nec illius humanitati, connaturalitate ſimpliciter tali, niſi ad ſummum virtualiter, aut conditionaliter: quia nempè ſi Deus in ordine ad extra, conueniret operari neceſſario, eſſet Chriſto connaturalis ſimpliciter. *n.* 161.

Tertia Concluſio. Humanitas Verbo vnita, non eſt ſubiectum proprium connaturale gratiæ habitualis: probatur ex dictis breuiter. *n.* 162. *&* 163.

§. DECIMVS.

Argumenta contra ſecundam, & tertiam concluſionem occurrunt. Pag. 210.

ARguitur primo contra ſecundam concluſionem ex authoritatibus ſacræ ſcripturæ. *n.* 164.

Reſpondetur. *n.* 165.

Secundo arguitur: quod alicui ex eius natura conuenit tanquam ex principio actiuo, eſt illi propriè connaturale, ſed gratia habitualis prædicto modo conuenit Chriſto. *n.* 166. Reſpondetur. *n.* 167. *&* 168.

Plures replicæ: & inſtantiæ valde notandæ, proponuntur, & ſoluuntur. *à num.* 169. *vſque ad* 182.

Deinde contra tertiam concluſionem arguitur. Nam illud eſt obiectum connaturale alicuius accidentis in quo ſe explicat in omni effectu ſibi poſſibili: ſed in humanitate

GODOY in 3. *p.* Tom. 2.

Verbo vnita habet gratia habitualis omnem ſuam perfectionem, &c. *num.* 182. *&* 183.

Reſpondetur. *n.* 185.

Nota, quod ſi ſermo ſit de gratia vnionis, aſſerendum eſt, eſſe Chriſto pluſquam connaturalem: humanitati autẽ connaturalem quodammodo. Primum patet, eſt enim Chriſto eſſentialis. Secundum probatur, nam gratia vnionis comitatur humanitatem à primo ſuæ formationis inſtanti: & conuenit humanitati inſeparabiliter. *num.* 187.

§. VLTIMVS.

Corollaria præcedentis doctrinæ. Pag. 214.

EX dictis in diſcurſu diſputationis, infertur primo: nec de potentia abſoluta potuiſſe gratiam habitualem eſſe phyſicam diſpoſitionem ad vnionem humanitatis cum Verbo. Et probatur breuiter. *n.* 188.

Secundo colligitur in ſententia extra ſcholam D. T. communi aſſerente, humanitatem in Chriſto exiſtere per exiſtentiam propriam creatam, potuiſſe gratia habitualem moraliter ad vnionem diſponere. Probatur, quia vt accidentia inhæreant ſubiecto, non ſupponunt eſſentialiter ſubſiſtentiam ſubiecti. *n.* 189.

Euaſionibus occurritur, *à num* 190. *vſque* ad 195.

Contrarium docuit Vazquez, cuius argumenta parum vrgentia proponuntur, & ſoluuntur, *à n.* 195. *vſq; ad* 200.

Tertio colligitur, vnione humanitatis ad Verbum facta, vt modo facta eſt, non poſſe de potentia abſoluta gratiam habitualem prauiè ad illam diſponere in Thomiſtarum principijs: potuiſſe tamen aliter vnionem fieri, & gratia habitualis moraliter ad illam diſponere.

Prima pars probatur, gratia habitualis, & idem eſt de quolibet accidenti, non poteſt, etiam de potentia Dei abſoluta, recipi in humanitate, niſi prius ſupponatur exiſtens: ſed vnione prout nunc facta, prius concipitur humanitas ſubſiſtentia Verbi ſubſiſtens, quam exiſtens exiſtentia diuina: ergo, &c. *n.* 200.

Secunda pars probatur, quia potuit humanitas de potentia abſoluta vniri huic Deo vt extremo vnionis immediato ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ: ſed in tali caſu poſſet gratia habitualis vnionem perſonalem cum Verbo præcedere: ergo poſſet ad illam vt diſpoſitio moralis præuia concurrere. *n.* 201.

Solutio, quæ adhiberi poteſt huic argumento, proponitur, & impugnatur. *num.* 202. 203. *&* 204.

TRACTATVS SEPTIMVS.

De ſcientia animæ Chriſti in communi.

LIttera D. T. quæſtionis nonæ in quatuor articulos diuiſæ, breuiter explicatur, *à pag.* 217. *vſq; ad p.* 218.

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

An intellectus Chriſti creatus intellexerit cognitione increata? an ſola creata?

§. PRIMVS.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio. Pag. 219.

CHriſtum habuiſſe intellectum creatum, eſt veritas de fide. *n.* 1.

Omiſſa Monotelitarum hæreſi, tres inter Catholicos verſantur ſententiæ. Prima aſſerit, intellectum Chriſti creatum, non ſolum potuiſſe per intellectionem increatam intelligere; ſed etiam de facto per illam intellexiſſe Auctores citantur. *n.* 2.

Secunda ſententia negat, de facto per intellectionem increatam intellexiſſe; ſed nullam contradictionem inuoluere, quod per illam intelligat. *n.* 3.

Tertia, & vera ſententia affirmat, nec de facto intellectione increata, Chriſtum vt hominem intellexiſſe; nec id fuiſſe poſſibile de potentia abſoluta: eſt communis inter Theologos; Auctores citantur. *n.* 4.

Prima Concluſio. Intellectus Chriſti creatus de facto non vidit diuinam eſſentiam per viſionem increatam: & cõſequenter ſapientia increata ſapiens non fuit. *num.* 5.

*** Ar-

Argumenta quibus Vazquez, Valentia, & Medina probant hane aſſertionem, ineſficacia ſunt, proponuntur, & ſoluuntur, à *num.* 5. *vſque ad* 15.

Suadetur ergo concluſio primo ex ſexta Synodo generali actione 17. ſecundo hac ratione. Betitudo formalis, & idem eſt de quocumque actu intellectus, eſt vita qua viuit beatus: ſed non poteſt intellectus Chriſti creatus viuere, viſione, aut cognitione increata: ergo, &c. *num.* 16.

Vnde colligitur contrariam ſententiam non ſolum temerariam, verum etiam erroneam eſſe, aut ſaltem errori proximam, *num.* 17. & 18.

§. SECVNDVS.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag. 220.

PRimum argumentum intendit probare, non implicare contradictionem Chriſtum vt hominem per increatam Dei cognitionem intelligere; ac per conſequens concedendam eſſe Chriſto, *num.* 19.

Reſpondetur implicare contradictionem, *nu.* 20.

Secundum argumentum contendit probare, beatitudinem formalem conſiſtere in cognitione Dei increata, mentibus beatorum vnita, *num.* 21. & 22.

Reſpondetur, *à num.* 23. *vſque ad* 28.

Tertio arguitur: nam de facto Dei natura, fuit vnita intellectui animæ Chriſti per modum ſpeciei; ſed ratio ſpeciei, & ratio actualis intellectionis ſunt in Deo virtualiter indiſtincta, vt placet quibuſdam doctis Thomiſtis: ergo, &c. *nu.* 28.

Reſpondetur, *num.* 29.

Quarto arguitur; humanitas Chriſti eſt Sancta ſanctitate increata: ergo etiam eſt beata beatitudine increata, *n.* 30. & 31.

Reſpondetur, & occurritur quibuſdam replicis, *à nu.* 32. *vſque in fin.* §.

§. TERTIVS.

Statuitur ſecunda concluſio. Pag. 222.

SEcunda Concluſio eſt. Implicat intellectum animæ Chriſti, per increatam intellectionem intelligere, *n.* 38

Rationes quibus Valentia, & Curiel probant noſtram concluſionem ineſficaces ſunt, & reijciuntur, *à n.* 38. *vſque ad n* 45.

Alia ratio, qua Caietanus probat eandem concluſionem, etſi aliquibus diſpliceat, quorum impugnationes, *à n.* 45. *vſque ad* 53.

Optima eſt, & ab impugnationibus defenditur, *à nu.* 53. *vſque in fin.* §.

§. QVARTVS.

Vlterior noſtra concluſionis probatio. Pag. 225.

DEinde probatur concluſio ex ſexta ſynodo generali actione 17. & euaſiones, quæ ad hanc authoritatem aſſignantur, præcluduntur, *nu.* 66. & 67.

Probatur tertio, quia implicat voluntatem creatam libere velle per volitionem liberam Dei ſibi intrinſece vnitam: ergo, & intellectum intelligere per intellectionem diuinam, *num.* 68.

Quarto probatur, quia implicat, quod intellectus creatus viuat per increatam Dei cognitionem: ergo implicat, quod per illam intelligat. Hæc ratio latè proponitur, & ſolutiones, quæ illi aſſignari poſſunt, & aliæ plurimæ inſtantiæ, refelluntur, *à n.* 69. *vſq; ad* 87. *incluſiuè*.

§. QVINTVS.

Quinque argumentis occurritur. Pag. 226.

ARguitur primo ex eo quod, quia Verbi ſubſiſtentia eminenter continet perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ, vniri potuit cum humanitate Chriſti & illam ſubſiſtentem conſtituere: ſed intellectio diuina continet eminenter intellectionem creatam: ergo, &c. *nu.* 88.

Soluitur, *num.* 89.

Replicæ quæ aduerſus ſolutionem fieri poſſunt, enodantur, *à num.* 90. *vſque ad* 95.

Arguitur ſecundo: nam de facto eſſentia Dei vnitur intellectui Chriſti ſub ratione ſpeciei: ergo de facto vnitur, vel ſaltem poteſt vniri per modum intellectionis.

Conſequentia probatur tripliciter, *num.* 95.

Soluitur, *num.* 96. & 97.

Duæ replicæ, quæ aduerſus ſolutionem fieri poſſunt, enodantur, *à num.* 97. *vſque ad* 102.

Tertio arguitur; quia de facto vnitur diuina eſſentia mentibus beatorum, vt Verbum in viſione beatifica: ergo vnitur, vel ſaltem poteſt vniri ſub conceptu intellectionis. Conſequentia dupliciter probatur, *num.* 102.

Reſpondetur, *n.* 103. & 104. Replicis, & inſtantijs contra ſolutionem fit ſatis, *à num.* 105. *vſque ad* 109.

Quarto arguitur, natura diuina poteſt vniri, & de facto vnitur ad oaturam creatam ſub conceptu radicis intelligēdi, & volendi: ergo poteſt vniri ſub conceptu intellectionis, & volitionis. Probatur antecedens, natura diuina de facto fuit vnita humanitati Chriſti, quia fuit vnita de facto ſub conceptu ſanctitatis; ſed eſt ſanctitas ſub conceptu naturæ: ergo, &c. *num.* 109.

Reſpondetur, *num.* 110. *vſque ad* 113. Aduerſus ſolutionem replicatur, *num.* 113.

Soluitur replica, *num.* 114.

Quintū argumentū cōtendit probare poſſe intellectū creatū viuere per intellectionem diuinam, quin ex hoc aliqua imperfectio inferatur in diuina intellectione, *n.* 105.

Reſpond. tripliciter, *à num.* 116. *vſq; ad n.* 120. *incluſiuè*.

§. SEXTVS.

Cætera argumenta diluuntur. Pag. 230.

SExto arguitur, ex eo quod ſententia probabilis eſt intellectionem, non in actione vitali, ſed in termino actionis, quæ dictio vocatur conſiſtere; ſed Dei eſſentiam per modum termini cum intellectu creato vniri, non implicat, &c. *num.* 121.

Reſpondetur, *num.* 122. Sed aduerſus ſolutionem inſurgitur, & plures replicæ notabiles proponuntur, & ſoluuntur, *à num.* 123. *vſque ad* 132.

Denique arguitur, non implicat intellectum diuinum intelligere per intellectionem creatam: ergo ſimiliter non implicat intellectum Chriſti creatum intelligere per intellectionem increatam. Antecedens probatur, quia actus intelligendi creatus procedit à Deo, poteſtque immediatè Deo vniri, & per diuinam ſubſiſtentiam terminari; ſed talis actus ſic vnitus, Deum intelligentem conſtitueret, &c. *num.* 132.

Solutio quæ prima facie aſſignari poterat huic argumento, proponitur, & impugnatur *à n.* 133. *vſque ad n.* 145.

Vera ſolutio aſſignatur, *num.* 145.

Plures replicæ, & inſtantiæ, quæ aduerſus ſolutionem fieri poſſunt, proponuntur, & diluuntur, *à nu.* 146. *vſque ad* 154. *incluſiuè*.

§. SEPTIMVS.

Statuitur tertia concluſio. Pag. 233.

DAto, non implicare contradictionē, quod intellectus creatus diuina intellectione ſit ſapiens, aſſerendum eſt, de facto intellectū animę Chriſti per illā intellexiſſe.

Colligitur concluſio ex doctrina communi aſſerente, Chriſto concedendum eſſe quidquid dignitatis eſt, ſi in eo nulla repugnantia inuoluatur; ſed humanitatem Chriſti eſſe diuina intellectione ſibi vnita intelligentem, dignitatis maximæ eſt: ergo, &c. *num.* 155.

Tres ſolutiones, quæ prædictæ rationi adhiberi poſſunt, proponuntur, & latè impugnantur, *à num.* 156. *vſque ad* 171. *incluſiuè*.

§. OCTAVVS.

Statuitur quarta concluſio. Pag. 234.

VLtima Concluſio. De facto humanitas Chriſti fuit ſapiens per ſapientiam creatam; eſſetque ſapiens per illam, quamuis intellexiſſet per intellectionem diuinam.

Prima pars concluſionis eſt certa ſecundum fidem: verūtamen plura loca Sacrę Scripturę, quibus probatur ab ali-

quibus, non conuincunt illam eſſe de fide; imo nec eſſe concluſionem Theologicam, niſi euidenter ſit demonſtrabile, non poſſe humanitatem Chriſti ſapientem eſſe per intellectionem increatam, vt patet diſcurrendo per ſingula, *à n. 172. vſque ad* 185.

Vnde illis relictis probatur primo concluſio ex Agathone Papa in epiſtola Synodali, quæ refertur in 6. Synodo act. 4. Quæ auctoritas expenditur. *n.* 185. 186. & 187.

Deinde ſuadetur ratione D.T. in præſenti art. 1. nam congruum fuit, vt Verbum naturam humanam aſſumens, illam perfectam aſſumeret; ſed humanitas ſine actu intelligendi creato foret imperfecta: ergo, &c. *n.* 189. Hæc tamen ratio D. Th. non eſt demonſtratio. *Ibid.*

Secunda pars concluſionis conſtat ex dictis §. 7. & breuiter ſuadetur. *n.* 190.

§. VLTIMVS.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag. 236.

COntra primam partem concluſionis arguitur primo: quia nullum eſt inconueniens, quod potentia aliqua in Chriſto, non coniungatur cum operatione, ad quam, vt ad finem ordinatur, vt patet in potentia generatiua Chriſti, &c. *num.* 191.

Reſpondetur. *n.* 192. & 193.

Secundum argumentum procedit ex quadam auctoritate D.T. quæ proponitur, & explicatur, *à n.* 194. *vſque ad* 197.

Tertio arguitur, quia non ſtat humanitatem ſimul intelligere per intellectionem creatam, & increatam; ſed ſi eſſet ſapiens per intellectionem diuinam, ſemper actu intelligeret per illam: ergo, &c. Maior quadrupliciter probatur, *à n.* 197. *vſque ad* 201.

Reſpondetur, *à n.* 201. *vſque in finem diſputationis.*

DISPVTATIO TRIGESIMASECVNDA.

Quotuplex ſcientia fuerit in anima Chriſti? Pag. 238.

PRæſens diſputatio procedit de ſcientia beata, de ſcientia per ſe infuſa, & de ſcientia per ſe acquiſibili: an omnes iſtæ in anima Chriſti fuerint? Primam negauerunt quidam hæretici. Secundam Bonauentura, Scotus, & Durandus. Tertiam negauit Richardus, & refertur pro hac ſententia D. Thom. *n.* 1.

§. PRIMVS.

De ſcientia beata. Pag. 238.

PRima Concluſio. In anima Chriſti Domini fuit ſcientia beata à primo conceptionis inſtanti.

Prima pars concluſionis eſt de fide. Secunda autem, licet in ea omnes Theologi conſentiant, in gradu tamen certitudinis diſſident in varias ſententias; quæ omnes poſſunt probabiliter defendi. *n.* 2.

Prima pars concluſionis probatur; nam de fide eſt, omnes homines poſt hanc vitam beatitudine perfrui, ſi ex illa ſine mortali culpa deceſſerint, vt diffinitur in Concilio Florentino decreto fidei; ſed ab hac regula generali non niſi inſipienter poteſt excipi Chriſtus: ergo eſt de fide tenendum, Chriſtum, vt hominem, ſaltem poſt mortem, fuiſſe, & eſſe beatum. *n.* 3.

Secunda probatur ratione D. Th. in præſenti, ex eo quod omne, quod eſt in potentia, oporteat, quod reducatur ad actum per aliquod ens in actu: vt conſtat exemplo calefactionis: non enim niſi à calido in actu poteſt aliquid calefieri; ſed homo eſt in potentia in ordine ad ſcientiam beatam, & reducitur ad actum per humanitatem Chriſti: ergo, &c. *n.* 4.

Opponitur, aduerſus rationem, quia maior in argumento aſſumpta, ſolum eſt vera in cauſa principali: non autem tenet in cauſis inſtrumentalibus, &c. *n.* 5.

Duplex ſolutio aſſignatur huic obiectioni, altera ex Caietano, altera ex Medina; ſed neutra ſatisfacit, niſi eis aliquid addatur, *à n.* 6 *vſque ad* 10.

Vera ſolutio, & explicatio rationis D. Th. *à n.* 10. *vſque ad* 13. Et ad iſtum ſenſum reductæ ſolutiones Caietani, & Medinæ optimæ ſunt.

Denique probatur prima pars concluſionis alijs duabus rationibus, quorum altera ſumitur ex D. Tho. altera ex Durando, *à n.* 13. *vſque ad* 17.

Secunda pars concluſionis probatur, ex illo Ioannis primo: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, plenum gratiæ, & veritatis.* *n.* 17.

Deinde probatur quatuor alijs rationibus, quæ breuiter proponuntur, *à num.* 18. *vſque ad* 21. *incluſiuè.*

§. SECVNDVS.

Difficilis obiectio, proponitur, & reijcitur prima ſolutio. Pag. 240.

OMiſſis fundamentis hæreticorum, quæ contra primam concluſionis partem militant, quia leuiſſima ſunt, & nullius difficultatis: Contra ſecundam partem concluſionis eſt difficile argumentum; nam ſumma triſtitia cum intenſa delectatione ſimul eſſe nequeunt; cum contraria in gradibus intenſis non poſſint ſimul exiſtere; ſed Chriſtus tempore mortis ſummam habuit triſtitiam: ergo mortis tempore non habuit delectationem beatificam; & conſequenter, &c.

Prima ſolutio, quam aſſignat Cano huic difficultati, conſiſtens in eo quod triſtitia, quam Chriſtus tempore mortis eſt paſſus, non fuit ſubiectiuè in voluntate, ſed tantum in appetitu; & ideo optimè compatitur cum delectatione beatifica, quæ non in appetitu, ſed in voluntate Chriſti exiſtebat: reijcitur tanquam contraria D. Th. & veritati; *à n.* 24. *vſque ad* 30. *incluſiuè.*

§. TERTIVS.

Duplex ſolutio impugnatur. Pag. 241.

ALiam ſolutionem aſſignat idem Magiſter Cano, ſcilicet, verum eſſe quod ea natura rei duo contraria in gradibus intenſis, non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto: ſecus autem de potentia abſoluta: coniunctio autem ſummæ triſtitiæ cum ſummo gaudio in Chriſto, fuit miraculoſa, &c. *num.* 31.

Impugnatur breuiter, ſed efficaciter. *n.* 32.

Tertio reſpondet Cano, concedendo, Chriſtum tempore mortis delectatione beatifica caruiſſe, nec exinde ſequi, quod tali tempore beatus non fuerit. *n.* 33.

Medina, Suarez, & alij acriter cenſurant hanc ſolutionem, & ſententiam Magiſtri Cano. Sed nullam cenſuram mereri oſtendunt, ſoluendo, quæ contra illam obijciuntur, *à nu.* 34. *vſque ad* 52.

Deſſerenda tamen eſt prædicta ſolutio ob rationes aſſignatas, *à n.* 52. *vſque ad* 54.

Vera ſolutio aſſignatur. *n.* 55.

Contra illã replicatur non leuiter ex Magiſtro Cano. *n.* 56.

Soluitur replica, & fit ſatis quibuſdam inſtantijs, *à num.* 57. *vſque ad* 61. *incluſiuè.*

§. QVARTVS.

De ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali. Pag. 245.

SEcunda Concluſio. Præter ſcientiam beatam, fuit in anima Chriſti Domini ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis, per quam res in proprio genere, & extra Verbum cognouit. Eſt communis Doctorum contra Scotum, Gabrielem, & Durandum. *n.* 61.

Quatuor rationes, quibus ſolet ab aliquibus probari concluſio, tanquã inefficaces relinquũtur. *à n.* 63. *vſq; ad* 72.

Probatur ergo concluſio ratione D. Tho. quia nimirum ſi anima Chriſti Domini ſcientia per ſe infuſa caruiſſet, eſſet imperfecta. *num.* 72.

Duæ ſolutiones, quæ aſſignari poſſunt, proponuntur. *n.* 73. & 74.

Et impugnantur, *à num.* 75. *vſque ad* 78.

§. QVINTVS.

Argumentis in contrarium occurritur, Pag. 246.

PRimum argumentum probare contendit, intellectum Chriſti non potuiſſe ſimul duos actus cognitionis habere: cum ergo actum cognitionis beatificæ ſemper habuerit, non potuit habere actum cognitionis ſcien-

tiæ infuſæ: proponitur, & ſoluitur, *num.* 79.
Secundũ argumentũ procedit, ex eo quod quidquid poteſt cognoſci per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem, cognouit Chriſtus de facto per ſcientiam beatam: ergo ſuperflui ſcientia per ſe infuſa: proponitur, *num.* 80.
Soluitur, *nu.* 81.
Contra ſolutionem replicatur, *num.* 82.
Reſpondetur, *num.* 83.
Tertium argumentum intendit probare, carentiam ſcientiæ per ſe infuſæ eſſe tantum negatiuam; ac per conſequens, nullam imperfectionem inducere, *num.* 84.
Solutio aliquorum, proponitur, *num.* 85.
Impugnatur, *à numer.* 86. *vſque ad* 89.
Alia ſolutio aſſignatur. *ibid.*
Reijciunt tamen, *num.* 90.
Dupliciter reſpondetur argumento facto primo, *nu.* 91.
Contra quam arguitur, *num.* 92. & 93.
Reſpondetur, *num.* 94.
Secunda ſolutio aſſignatur, *num.* 95.

§. SEXTVS.

De ſcientia per ſe infuſa naturali. Pag. 248.

TErtia Concluſio. Fuit in anima Chriſti Domini ſcientia naturalis per ſe infuſa quoad ſpecies: non vero per ſe infuſa quoad habitum, *nu.* 96.
Prima pars concluſionis probatur quatuor auctoritatibus D. Thom. quæ explicantur, & expenduntur, *à nu* 97. *vſque ad* 106.
Deinde probatur duplici ratione ex prædictis auctoritatibus deſumpta, *à num.* 106. *vſque ad* 112.
Secunda pars concluſionis, ſcilicet, non fuiſſe in anima Chriſti ſcientiam naturalem per ſe infuſam quoad habitum. Probatur tribus notabilibus valde notandis præſuppoſitis, *à num.* 112. *vſque ad* 117.
Nam ſolum ille habitus eſt per ſe infuſus, qui per ſe requiritur ad ſubſtantiam operationis; ſed habitus naturalis ſcientificus reſpectu intellectionis elicitæ medijs ſpeciebus infuſis, non eſt per ſe requiſitus ad ſubſtantiam operationis: ergo, &c. *num.* 117.
Colligitur falſam eſſe illorum Logicorum ſententiam, qui habitũ primorum principiorum conſtituunt diſtinctũ ab intellectu noſtro, & ſpeciebus impreſſis diſtinctũ, *n.* 118.
Prædictus habitus fuit per accidens Chriſto infuſus, *num.* 119. & 120.

§. SEPTIMVS.

Diluuntur contraria argumenta. Pag. 250.

COntra primam concluſionis partem arguitur primo ex auctoritatibus D. Thom. quæ proponuntur, *num.* 121. & 122.
Solutio, quæ aſſignari poteſt ex doctrina Caietani, *num.* 123. Deſeritur, *num.* 124.
Reſpondetur, *num.* 125.
Inſtatur dupliciter aduerſus ſolutionem, *n.* 126. & 127.
Arguitur ſecundo, ex eo quod intellectio animæ ſeparatæ per ſpecies à Deo infuſas, & ſine conuerſione ad phantaſmata, eſt imperfecta, & præter naturam animæ: ergo non debet concedi Chriſto, &c. *num.* 129. & 130.
Reſpondetur, *num.* 131. & 132.
Arguitur tertio, ex defectu perfectionis indebitæ in ordine naturæ, & in ordine ſupernaturali anima Chriſti, non redditur imperfecta, niſi ſolum negatiuè: ſed cognitio naturalis rerum in propria natura per ſpecies à Deo infuſas, non eſt debita animæ Chriſti, nec in ordine ſupernaturali, nec in ordine naturali, ergo, &c. *num.* 133.
Soluitur, *num.* 134.
Occurritur pluribus notabilibus inſtantijs aduerſus ſolutionem datam, *à num.* 135. *vſque ad* 144.
Inſtatur argumentum, *num.* 145.
Arguitur quarto, quia ex noſtra ſententia ſequitur, quod anima Chriſti acceperit ab Angelis aliquam perfectioné intellectualem contra D. Th. infra q. 12. art. 4. *n.* 146.
Soluitur argumentum primo, *nu.* 147.
Soluitur ſecundo, *nu.* 148.
Secunda ſolutio præfertur primæ, *à n.* 149. *vſque ad num.* 152.
Sed aduerſus ſolutionem opponitur ſequi ex illa infuſionem huius ſcientiæ in anima Chriſti, non fuiſſe naturalem. Sequela tripliciter probatur, *à num.* 152. *vſque ad* 155.
Reſpondetur, *num.* 155.
Sed adhuc contra iſtam ſolutionem obſtant tres difficultates, quæ proponuntur, & diluuntur, *à num.* 156. *vſque ad* 160.
Difficilis eſt doctrina D. Thom. quam tenuit in quæſtionibus diſputatis, quam proinde videtur retractaſſe 1. p. q. 89. art. 1. ad 3 & conſequenter ad id, quod docuit prima parte facilius ſoluitur argumentum principale, quæ ſolutio alijs præfertur, *num.* 161.
Denique arguitur: quia anima Chriſti poteſt intelligere per ſpecies acceptas à phantaſmatibus ſine conuerſione ad phantaſmata: ergo non eſt neceſſaria ſcientia naturalis per ſe infuſa quoad ſpecies *n.* 162. Soluitur, *n.* 163.

§. OCTAVVS.

De ſcientia per ſe acquiſibili. Pag. 256.

QVid ſit ſcientia per ſe acquiſibilis? *num.* 164.
Quarta concluſio. Conſtituenda eſt in anima Chriſti Domini ſcientia per ſe acquiſibilis, vel ex genere ſuo acquiſita. Auctores qui eam tenent citantur, *num.* 165.
Probatur abſtrahendo pro nunc à modo quo Chriſtus habuit hanc ſcientiam, an ſcilicet, habuerit illam proprijs actibus acquiſitam, an ab extrinſeco per accidens infuſam, quia oportuit vt omnis potentialitas animæ Chriſti ad actum reduceretur, *à num.* 166. *vſque ad* 170.
Secundo probatur: nam anima Chriſti cognouit res naturales, ſaltem ſenſibiles in ſe ipſis cognitione perfecta naturali; ſed cognitio naturalis habita per ſpecies infuſas eſt confuſa, & imperfecta, vt docet D. Thom. 1. p. qu. 89. art. 3. in corp. ergo, &c. Et confirmatur hoc argumentum dupliciter, *à num.* 170. *vſque ad* 173.
Denique probatur, quia intellectus agens non fuit fruſtra in Chriſto, eſſet autem fruſtra ſi non abſtraheret ſpecies à phantaſmatibus, quæ eſt operatio propria intellectus agentis, *num.* 173.
Solutio, quæ adhiberi poteſt his rationibus, proponitur, *num.* 174.
Et impugnatur, *num.* 175. & 176.
Doctrina quorundam Thomiſtarum Recentiorum, aſſerentium, munus intellectus agentis, non ſolum eſſe abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus, ſed etiam intellectui poſſibili aſſiſtere, illumque fortificare, vt actum eliciat: adducitur, *num.* 177.
Impugnatur vero *à nu.* 178. *vſque ad* 181.
Et ideo iterum probatur aſſumptum, *n.* 181. & 182.
Sed aduerſus probationem quadrupliciter inſurgitur, *à n.* 183. *vſque ad* 187.
Soluuntur obiectiones, *à nu.* 187. *vſque ad* 190. *incluſiuè.*

§. NONVS.

Primũ oppoſitæ ſententiæ argumentum diluitur. Pag. 258.

MEns Auctorum, qui ſolent citari pro oppoſita ſententia aperitur, *num.* 191.
Arguitur primo: nam duæ formæ numero tantum diſtinctæ, non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto: ſed ſcientia, quam fuiſſe Chriſto infuſam dictum eſt §. 6. ſolo numero differre poteſt à ſcientia naturali acquiſita: ergo prima conceſſa, ſecunda relegari debet, &c. *nu.* 192.
Soluitur, *num.* 193.
Sed aduerſus ſolutionem fortiter inſurgitur, *num.* 194.
Difficultas, quam patitur ſolutio Caietani aperitur, *à nu.* 196. *vſque ad* 201.
Vera ſolutio aſſignatur, *num.* 201. & 202.
Sed adhuc aduerſus ſolutionem inſurgitur, *à nu.* 203. *vſque ad num.* 206.
Soluuntur replicæ, *à nu.* 206. *vſque ad* 208. *incluſiuè.*

§. DECIMVS.

Diluuntur, quæ obſtant contra iſtam reſolutionem. Pag. 261.

ADuerſus reſolutionem obſtant tria inconuenientia, quæ ex illa videntur ſequi. Primum eſt, non

ſolum habitus ſpeculatiuos ſcientificos, ſed etiam habitus practicos eſſe multiplicandos ſpecificè in Chriſto. Secundum, eſſe multiplicandos ſpecificè in voluntate Chriſti habitus virtutum naturalium in qualibet peculiari materia. Tertium eſt, conſtituendas eſſe in Chriſto duas ſcientias ſupernaturales ſpecificè diſtinctas circa quodlibet obiectum, à n. 209. *vſque ad* 214.
Reſpondetur, & impugnantur minus ſufficientes ſolutiones, à n. 214. *vſque ad* 228.
Sed adhuc obijcitur vlterius aduerſus doctrinam traditam. n. 231.
Reſpondetur tamen. n. 232.

§. VLTIMVS.

Cætera argumenta diluuntur. Pag. 264.

SEcundo principaliter arguitur: nam ſequitur ex doctrina tradita eſſe conſtituendam in anima Chriſti Domini ſcientiam naturalem per ſe infuſam propriam Angelorum, diſtinctam ab ea quam conceſſimus concluſione tertia, animæ Chriſti, & à ſcientia naturali acquiſita. n. 233.
Reſpondetur n. 234.
Et quædã obiectio, quæ proponitur. n. 235. Soluitur. n. 236.
Tertio arguitur, quia ſequitur ex noſtra ſententia, præter ſcientiam naturalem per ſe infuſam, & ſcientiam naturalem ex genere ſuo acquiſitam, conſtituendam eſſe in Chriſto ſcientiam experimentalem ſucceſſu temporis miniſterio ſenſuum habitam; conſequens videtur falſum: ergo &c. n. 237.
Solutio, quam adhibet Suarez huic argumento, refertur, & impugnatur, à n. 238. *vſque ad* 243.
Vera ſolutio aſſignatur. n. 243.
Denique arguitur: nam ex eo quod intellectus agens non abſtraheret ſpecies à phantaſmatibus, non ſequitur eſſe fruſtra in Chriſto: ergo ratio adducta ex D. Thom. non probat, &c. Aſſumptum probatur multipliciter, à n. 244. *vſque ad* 249.
Ante ſolutionem huius argumenti, quædam valdè notanda præmittuntur, à n. 249. *vſque ad* n. 252.
Explicatur ratio Angelici Præceptoris, & ad intentum applicatur, & occurritur quibuſdam obiectionibus incidentibus, à n. 252. *vſque ad* 259.
Vera ſolutio aſſignatur, & reſpondetur probationibus antecedentis, præterquam ad vltimam. n. 259.
Solutiones, quas adhibent Magiſter Ioannes à Sancto Thoma, & Ferrara vltimæ probationi, referuntur, & deſſeruntur, à n. 260 *vſq; ad* 264.
Tripliciter reſpondetur dictæ probationi. nn. 264. 265. & 266.
Ex dictis in hac diſputatione colligitur primo, conſtituendum eſſe in anima Chriſti in ordine ad viſionem beatam lumen gloriæ. n. 269.
Secundo colligitur, ad actus ſcientiæ acquiſitæ fuiſſe in intellectu Chriſti habitus per ſe acquiſibiles, diſtinctos ab ſpeciebus naturalibus. n. 270.

TRACTATVS OCTAVVS.

De ſcientia Beatæ animæ Chriſti. Pag. 268.

LIttera D. Th. quæſtionis 10. in quatuor Articulos diuiſæ, breuiter explicatur, *à pag.* 268. *vſque ad* 269.

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

An Chriſtus per intellectum creatum comprehenderit diuinam eſſentiam?

§. PRIMVS.

Relatis ſententijs, prima concluſio ſtatuitur, & referuntur varij modi explicandi incomprehenſibilitatem diuinam. Pag. 270.

TRes comprehenſionis acceptiones proponuntur. n. 1. 2. & 3.
Affirmant quidam hæretici relati. n. 4.
Negant omnes Doctores catholici relati. *Ibid.*
In gradu tamen certitudinis diſſident. n. 5.

Prima Concluſio. Humanitas Chriſti Domini, non comprehendit de facto diuinam eſſentiam, nec potuit de potentia abſoluta. nu. 6.
Rationes, quibus Ocam, & Almainus probant concluſionem, refelluntur tanquam inefficaces, à n. 6. *vſque* 10.
Aliorum fundamentum eiſdem argumentis, reijcitur. n. 10. & 11.
Fundamentum quo, alijs reiectis, probat Vazquez concluſionem, communiter diſplicet Theologis, proponitur. n. 12.
Et impugnatur ad hominem. n. 13.
Solutio quam Vazquez adhibet impugnationi, refellitur, à n. 14. *vſque ad* 28.
Fundamentum P. Suarez, licet proximiùs ad veritatem accedat, nihilominus deficiens eſt, proponitur. n. 28. & 29.
Et reijcitur, à n. 30. *vſque in finem* §.

§. SECVNDVS.

Traditur vera ratio incomprehenſibilitatis diuinæ. P. 274.

RAtio ſumpta ex D. Tho. ſcilicet, quia tunc aliquid comprehenditur, quando ita perfectè cognoſcitur ſicut cognoſcibile eſt, non ſolum ex parte obiecti, ſed etiam ex parte modi cognoſcendi, &c. Proponitur à n. 38. *vſque ad* 45.
Quatuor ſolutiones, quæ adhiberi poſſunt huic efficaci rationi, proponuntur, & impugnantur, à n. 45. *vſq; ad* 55.

§. TERTIVS.

Duo prima argumenta pro oppoſita ſententia diluuntur. Pag. 276.

PRimum argumentum procedit, ex eo quod non minus infinita eſt diuina eſſentia quoad eſſe, quam in ratione intelligibilis; ſed hoc non obſtante de facto comprehenſa fuit quoad eſſe ab humanitate Chriſti, cui tota diuinitas vnita eſt, iuxta Damaſcenum, &c. num. 56.
Soluitur ex D. Thom. n. 57.
Sed aduerſus ſolutionem inſurgitur, & obiectionibus ſit ſatis, à n. 58. *vſque ad* n. 69.
Secundum argumentum procedit, ex eo quod Deus in ratione comprehenſibilis continetur intra ſphæram obiecti ſpecificatiui intellectus creati ergo, &c. proponitur. n. 69.
Soluitur. n. 70.

§. QVARTVS.

Vltimum argumentum diluitur. Pag. 278.

VLtimum argumentum procedit contra rationẽ probatiuam cõcluſionis, ex eo quod ad comprehenſionẽ alicuius rei, non requiritur, quod modus cognitionis adæquet modum rei cognitæ: ergo, &c. Antecedens probatur octo probationibus, à n. 71. *vſque ad* n. 78.
Reſpondetur ad argumentum cum omnibus ſuis probationibus, à n. 78. *vſque ad* 83. *incluſiuè*.

§. QVINTVS.

Deum eſſe à creatura incomprehenſibilem, vt ſit de ferè certum defenditur. Pag. 279.

SEcunda Concluſio. De fide eſt, Deum eſſe incomprehenſibilem ab intellectu creato, comprehenſione, quę ſtrictè ſit comprehenſio: & conſequenter de fide eſt talis genere comprehenſionis, non fuiſſe ab anima Chriſti comprehenſum, nec comprehendi potuiſſe. n. 54.
Statuitur contra Vazquez. Et probatur ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ. *Ibid.*
Euaſiones Patris Vazquez præcluduntur, refutatis minus efficacibus impugnationibus, quibus aliqui vtuntur, à n. 85. *vſque ad* 91.
Secundo probatur concluſio, ex Concilio Lateranenſi in cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide catholica. num. 91.
Solutio P. Vazquez impugnatur, à n. 92. *vſque ad* n. 95.
Tertio probatur, ex pluribus auctoritatibus Sanctorum Patrum. n. 96.

Interpretationes, quas adhibet Vazquez, & plures aliæ ſolutiones, quæ poſſunt adhiberi prædictis auctoritatibus, referuntur, & refelluntur, *à num.* 97. *vſque ad nu.* 103.

Deniq; probatur concluſio, oſtendendo hanc veritatem, vel eſſe de fide, vel non eſſe temerarium oppoſitum affirmare, cuius contrarium docuit Vazquez. Et arguitur ad hominem contra ipſum, *num.* 103. 104. *&* 105.

§. VLTIMVS.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag. 182.

ARguit primo Vazquez, quia nullus ante Mag. Soto docuit id eſſe de fide, *num.* 106.

Reſpondetur oſtendendo oppoſitum. *Ibidem*.

Secundo arguit, quia teſtimonia Scripturæ, & Conciliorum ſufficienter explicantur interpretationibus ab illo adhibitis, *num.* 107.

Reſpondetur, *num.* 108.

Verba Scripturæ, & Conciliorum interpretanda eſſe, iuxta ſenſum, & mentem Patrum Eccleſiæ. *Ibid. &* *n.* 109.

Tertio arguitur, quia cognitio Dei adæquata extenſiuè, attingens formalia, & eminentialia Dei, tam intrinſeca, quam extrinſeca, eſt comprehenſiua; at non eſt de fide talem cognitionem eſſe impoſſibilem creaturæ: ergo, &c. *num.* 110.

Reſpondetur, negando maiorem, niſi ſimul cum adæquatione extenſiua, intenſiua reperiatur, *num.* 111.

Duæ inſtantiæ aduerſus ſolutionem proponuntur, *n.* 112.

Reſpondetur ad illas, *num.* 113.

Et oſtenditur plura eſſe ſeorſim probabilia, quæ ſimul ſumpta improbabilia, & incompoſſibilia ſunt. *Ibid.*

Denique arguitur ex Iſidoro Exodi 48. illis verbis: *Sola enim ſibi integrè nota eſt Trinitas, & humanitati ſuſcepta, quæ tertia eſt in Trinitate perſona*, *num.* 114.

Solutio quorundam Recentiorum aſſerentium talia verba non inueniri in Iſidoro: reijcitur oſtendendo oppoſitum, *num.* 115.

Duplex ſolutio, & explicatio verborum D. Iſidori, traditur, *num.* 116. *&* 117.

Quo ſenſu dixerit Iſidorus, Chriſtum, vt hominem, ſeu humanitatem in concreto eſſe Tertiam Perſonam Trinitatis? Explicatur, *num.* 118.

Ex dictis infertur, Deum eſſe incomprehenſibilem, à quacumque creatura de potentia abſoluta factibili. *num.* 119.

DISPVTATIO TRIGESIMAQVARTA.

Vtrùm anima Chriſti cognouerit omnia in Verbo ex vi cognitionis Verbi?

§. PRIMVS.

Aperitur ſtatus difficultatis, referuntur ſententiæ, ſtatuitur prima concluſio, & variæ Auctorum rationes, vt inefficaces, reijciuntur. Pag. 184.

SVpponitur primo, aliquas creaturas poſſibiles cognouiſſe animam Chriſti in diuina eſſentia cognita ex vi cognitionis illius. Et probatur breuiter contra Vazquez *num.* 1.

Secundo ſupponitur, aliquas creaturas exiſtentes, præteritas, & futuras fuiſſe ab anima Chriſti cognitas in Verbo ex vi cognitionis illius, *num.* 2.

Tertio ſupponitur, cognouiſſe animam Chriſti ex vi cognitionis Verbi omnia prædicata, quæ formaliter competunt Deo.

Difficultas deuoluitur ad creaturas contentas in omnipotentia diuina, tam exiſtentes, quam poſſibiles, & inquiritur, an omnes illas per beatificam viſionem cognouerit? *num.* 3.

Quatuor ſunt Theologorum ſententiæ. Prima aſſerit, cognouiſſe animã Chriſti in diuina eſſẽtia cognita per beatificam viſionem omnes creaturas poſſibiles exiſtentes, præteritas, & futuras. Auctores referuntur, *num.* 4.

Secunda docet, cognouiſſe animam Chriſti ex vi viſionis eſſentiæ diuinæ omnes creaturas poſſibiles; nullam tamen ex futuris. Hanc tenet Durandus, quem aliqui Recentiores quoad primam partem ſequuntur.

Tertia aſſerit, nec omnes creaturas poſſibiles, nec omnes exiſtentes, præteritas, aut futuras, actu fuiſſe ab anima Chriſti per viſionem beatificam cognitas; benè tamen habitu: pro hac refertur Scotus cum alijs.

Quarta, & vera ſententia docet, cognouiſſe ex vi viſionis omnes creaturas exiſtentes, præteritas, & futuras, non tamen omnes poſſibiles, *num.* 5.

Prima Concluſio. Anima Chriſti Domini non cognouit in diuina eſſentia cognita omnes creaturas poſſibiles ex vi viſionis beatificæ. Ita D. Thom. & omnes Thomiſtæ cum pluribus alijs extra Scholam D. Thom. *num.* 6.

Ratio, qua Vazquez probat hanc concluſionem, proponitur, & reijcitur, *n.* 7.

Alia ratio P. Petri de Hurtado, proponitur, & refellitur, *à num.* 8. *vſque ad* 14.

Alia ratio Recentiorum proponitur, *num.* 14.

Et eius inefficacia euidenter oſtenditur, *nu.* 15.

Denique alia Recentiorum ratio reijcitur, tanquam inefficax, *à nu.* 16. *vſque ad* 19. *incluſiuè*.

§. SECVNDVS.

Ratione D. Thom. noſtra concluſio probatur. Pag. 186.

RAtio eſt, quia ex cognitione omnium poſſibilium ex vi cognitionis eſſentiæ diuinæ, ſequitur comprehenſio Dei: quæ ratio ad formam reducitur, *nu.* 20.

Duæ ſolutiones ex Scoto, referuntur, & impugnantur, *à n.* 21. *vſque ad n.* 25.

Quinque ſolutiones aliorum Authorum referuntur, & impugnantur, *à n.* 25. *vſque ad n.* 46. *incluſiuè*.

§. TERTIVS.

Obiectionibus contra rationem iſtam occurritur. Pag. 189.

ARguitur primo ex D. Tho. quæſt. 20. de veritate art. 4. ad 9. *num* 47.

Reſpondetur, & explicatur D. Thom. *nu.* 48.

Secundo arguitur, quia Angelus inferior non cognoſcit ſuperiorem comprehenſiuè, ſed tantum quidditatiuè, vt cum Caietano frequentius tenent Thomiſtæ; & tamen cognoſcit omnia prædicata ſuperioris Angeli, non ſolum quæ formaliter in illo continentur, verum etiam, quæ in eius virtute eminenter continentur, alіàs in naturalibus ſuperior poſſet inferiorem illuminare, contra D. Thom. ergo, &c. *num.* 49.

Solutio aliquorum aſſerentium, rationem D. Tho. non eſſe conſequentiam formalem, ſed tantum materialem, refellitur, *à num.* 50. *vſque ad* 54.

Tertio arguitur ex Scoto, quia Deo conueniunt ordinato infinitas intenſiua, & extenſiua, ſed ex cognitione infinitatis intenſiuæ, non ſequitur comprehenſio Dei: ergo nec ex cognitione infinitatis intenſiuæ, &c. *num.* 54.

Reſpõd. & occurritur pluribus inſtãtijs, *à n.* 55. *vſq; ad* 61.

Quarto arguitur: nam vt omnia poſſibilia cognoſcantur comprehenſiuè in Verbo non requiritur cognitio diuinæ eſſentiæ illi adæquata intenſiuè: ergo, &c. Antecedens probatur tripliciter, *num* 61.

Reſpõd. & occurritur pluribus inſtãtijs, *à n.* 62. *vſq; ad* 67.

Quinto arguitur, cognoſcens vnum effectum in Verbo, non comprehendit diuinam eſſentiam, quatenus eſt cauſa illius: ergo nec cognoſcens omnia poſſibilia in Verbo comprehendit omnipotentiam, *num.* 67.

Solutio Capreoli, Caietani, & Ferraræ explicatur, & traditur, in quo ſenſu ſit accipienda, *num* 68. *&* 69.

Quatuor obiectiones contra ſolutionem proponuntur, *à n.* 70. *vſque ad* 74.

Illis occurritur, *à num.* 74. *vſque ad* 77.

Sexto arguitur: quia poſſunt omnes creaturæ poſſibiles quidditatiuè, & non comprehenſiuè cognoſci, ſed ex tali cognitione non ſequeretur comprehenſio eſſentiæ: ergo, &c. Maior tripliciter ſuadetur, *à num.* 77. *vſque ad num.* 80.

Reſpondetur, *à num.* 80. *vſque ad* 85.

Denique arguitur, cognitio etiam cõprehenſiua totius collectionis poſſibilium in diuina eſſentia, ſolum petit ex terminis cognitionem diuinæ eſſentiæ infinitam intenſiuè; ſed diuina eſſentia ad ſui comprehenſionem petit ex terminis cognitionem infinitam per eſſentiam: ergo non colligitur ex terminis, & per formalem conſequentiam ex tali cognitione comprehenſio, *num.* 85.

Reſpon-

Reſpondetur. *num.* 86.
Inſtatur aduerſus ſolutionem. *num.* 87.
Reſpondetur. *num.* 89.

§. QVARTVS.

Argumentis contra conclusionem occurritur. Pag. 294.

ARguitur primo ex Mag. Sententiarum quia Ioannis 3. dicitur *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum Filio*: vnde colligitur ſapientem eſſe ſine menſuras ac proinde cognoſcere omnia poſſibilia. *num.* 90.
Reſpondetur dupliciter. *num.* 91. & 92.
Secundo arguitur, ex quibuſdam auctoritatibus difficilibus Fulgentij. *num.* 93. & 94.
Reſpondetur, & explicatur Fulgentius. *num.* 95. & 96.
Tertio arguitur, quia collectio omnium poſſibilium eſt cognoſcibilis ab intellectu creato: ergo de facto fuit ab anima Chriſti cognita. *num.* 97.
Reſpondetur. *ibidem.*
Et occurritur inſtantijs aduerſus ſolutionem. *n.* 98. & 99.
Denique arguitur argumento Durandi: nam intellectus creatus clarè videns diuinam eſſentiam, neceſſario videt in ipſa omnia, quæ naturaliter repreſentat; ſed diuina eſſentia naturaliter repræſentat omnes creaturas poſſibiles: ergo, &c. *num* 100.
Hoc argumentum, quod non ſolum probat de poſſibili, verum etiam de facto, non ſolum de Chriſto, verum & de quolibet beato, tripliciter confirmatur. *n.* 102.
Reſpondetur, *à num.* 102. *vſque ad* 105.
Sed aduerſus ſolutionem tripliciter inſurgitur. *num.* 105. & 106.
Ad primam inſtantiam dupliciter reſpondetur, & ſecunda ſolutio præfertur, *à num.* 107. *vſque ad* 110.
Ad alias replicas reſpondetur. *num.* 111. & 112.

§. QVINTVS.

Secunda concluſio ſtatuitur, & primum argumentum contra illam diluitur. Pag. 298.

SEcunda Concluſio. Anima Chriſti actu cognouit in Verbo ex vi viſionis beatificæ, omnia, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis. *n.* 113.
Vaſquez cenſet hanc concluſionem eſſe de fide. *Ibidem.*
Sed leui ducitur fundamento, & impugnatur, *à nu.* 114. *vſque ad* 117.
Probatur ratione D. Th. quia ad ſtatum Chriſti, vt hominis, ſpectant omnia, quæ ſunt, fuerunt, & erunt ſecundum quodcumque tempus: ergo hæc omnia cognouit in diuina eſſentia ex vi viſionis. *n.* 117.
Huic rationi quatuor ſolutiones aſſignantur. *n.* 118. & 119.
Sed impugnantur, & reijciuntur. *à n.* 120. *vſque ad n.* 124.
Auctores contrariæ ſententiæ citantur. *num.* 124.
Arguitur 1. contra concluſionem: nam ſequitur ex illa animam Chriſti ſcientiam viſionis Dei comprehendere, quia cognoſceret terminum adæquatum ſcientiæ viſionis. *num.* 125.
Tres ſolutiones, quas adhibet P. Suarez huic argumento reijciuntur, *à num.* 126. *vſque ad* 129.
Quarta aliorum ſolutio refertur. *num.* 129.
Et reijcitur. *num.* 130.
Triplex ſolutio aſſignatur prædicto argumento, & occurritur pluribus replicis, & inſtantijs aduerſus ſolutiones, *à num.* 131. *vſque ad num.* 141. *incluſiuè.*

§. SEXTVS.

Cætera argumenta ſoluuntur. Pag. 301.

SEcundum argumentum intendit probare: animam Chriſti Domini non cognouiſſe in Verbo ſuam viſionem beatificam, eo quod obiectum petit eſſe prius prioritate naturæ cognitione ſui. Quod argumentum quadrupliciter confirmatur, *à num.* 142. *vſque ad nu.* 145.
Reſpondetur. *à num.* 145. *vſque ad num.* 150.
Tertium argumentum contendit vt probet, animam Chriſti non cognoſcere per viſionem beatificam, ſuos actus liberos futuros; aliàs non maneret Chriſtus liber in illorum elicientia proponitur, & confirmatur. *à num.* 150. *vſque ad* 154.
Reſpondetur, *à num.* 154. *vſque ad* 157.
Replica quædam notabilis, proponitur aduerſus ſolutionem. *num.* 157.
Ad quam dupliciter reſpondetur primo. *num.* 158.
Secundo. *num.* 159. 160. & 161.
Vltimum argumentum procedit ab inconuenienti: nam ſequitur ex concluſione cognouiſſe animam Chriſti multitudinem actu infinitam per beatificam viſionem; conſequens autem videtur falſum. Minor tripliciter probatur. *num.* 162. 163.
Ad hoc argumentum cum ſuis probationibus, reiectis ſolutionibus minus probabilibus, reſpondetur, *à num.* 164. *vſque ad* 176.
Sed adhuc aduerſus ſolutionem inſurgitur replica, notanda. *num* 176.
Ad quam reſpondetur, *à n.* 177. *vſq; ad n.* 180. *incluſiuè.*

§. SEPTIMVS.

Statuitur tertia concluſio, & argumentis in contrarium occurritur. Pag. 306.

TErtia Concluſio. Anima Chriſti per beatificam viſionem cognoſcit contingentes negationes omnium rerum poſſibilium etiam in particulari: non vero negationes neceſſarias. *num.* 181.
Explicatur ſenſus concluſionis. *Ibidem.*
Prima pars concluſionis probatur primo ex D. Thom. *à num.* 182. *vſque ad* 186.
Secunda pars concluſionis probatur ratione. *n.* 186. & 187.
Contra primam concluſionis partem arguitur, quia ex illa ſequitur cognouiſſe animam Chriſti omnia poſſibilia in particulari; conſequens eſt falſum: ergo, &c. Sequela probatur, quia non poteſt cognoſci negatio exiſtentiæ hominis v. g. non cognito homine: ergo ſi anima Chriſti cognoſcit ex vi viſionis negationes omnium rerum, omnia poſſibilia in particulari cognouit. *num.* 188. & 189. Reſpondetur. *n.* 190. & 191.
Sed aduerſus ſolutionem tripliciter inſurgitur. *num.* 192. & 193.
Reſpondetur, *à num.* 194. *vſque ad* 199. *incluſiuè.*

§. VLTIMVS.

Corollaria præcedentis doctrinæ. Pag. 308.

EX dictis in diſputatione, colligitur primo, cognouiſſe animam Chriſti per beatificam viſionem omnia libera decreta Dei, tam omnimodè abſoluta, quam abſoluta ſubiectiuè, & conditionata obiectiuè. Et occurritur obiectionibus contra hoc corollarium, *à num.* 200. *vſque ad* 206.
Colligitur ſecundo, cognouiſſe animam Chriſti per beatificam viſionem omnia, quæ continentur in virtute, aut potentia creaturæ. Probatur, & obiectionibus occurritur, *à num.* 206. *vſque ad num.* 211.
Tertio colligitur, ſcientia rerum in potentia cognouiſſe animam Chriſti infinitas ſubſtantias; ſecus vero per ſcientiam rerum in actu. *num* 212.
An concedendum ſit cognouiſſe animam Chriſti multitudinem actu infinitam? Vide *num.* 213.
Quarto colligitur: animam Chriſti videre diuinam eſſentiam clarius, quam quælibet alia creatura. *num.* 214.
Verum non excedit infinitè ſimpliciter; ſed tantum ſecundum quid, & extrinſecè infinitè beatitudinem aliorum. *Ibidem.*
Denique colligitur, beatitudinem animæ Chriſti eſſe maiorem beatitudine cuiuſuis creaturæ poſſibili de lege ordinaria; non autem eſſe intenſiuè maiorem omni beatitudine poſſibili puræ creaturæ de potentia abſoluta. *num.* 215.

TRACTATVS NONVS.

De ſcientia per ſe infuſa, & ſcientia per ſe acquiſibili. Pag. 311.

LIttera D. Tho. quæſtionis 11. huius tertiæ partis in ſex Articulos diuiſæ, & quæſtionis 12. in quatuor Articulos diuiſæ, breuiter explicatur, *à pag* 311. *vſque ad pag.* 312.

DISPV-

DISPVTATIO TRIGESIMAQVINTA.

An omnia obiecta creata poſſint ab anima Chriſti per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognoſci?

§. PRIMVS.

Referuntur ſententiæ, & ſtatuitur prima concluſio. Pag. 313.

TItulus diſputationis explicatur. *num.* 1.
Prima ſententia negat, omnia obiecta creata per ſcientiam infuſam ab anima Chriſti cognoſci. Secunda, per oppoſitum docet, non ſolum entia naturalia, & ſupernaturalia exiſtentia, verum etiam omnia poſſibilia non ſolum *diuiſiuè*, ſed etiam *collectiuè*, fuiſſe ab anima Chriſti per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognita.
Tertia, & verior ſententia defendit omnia entia naturalis, & ſupernaturalis ordinis, quæ Deus decreuit producere, fuiſſe cognita ab anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, & aliqua ex poſſibilibus, non vero omnium collectionem. *num.* 2.
Prima Concluſio. Omnia, quæ poſſunt ab homine per virtutem intellectus agentis cognoſci, fuerunt cognita ab anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. Auctores huius concluſionis citantur. *num.* 3.
Tres rationes, quibus Recentiores probant concluſionem, reijciuntur tanquam inefficaces. *num.* 3. 4. & 5.
Probatur ergo concluſio ratione D. Tho. ad formam, & verum ſenſum reducta. *num.* 6. & 7.

§. SECVNDVS.

Oppoſita ſententia argumentis occurritur. Pag. 314.

OPpoſitum prædictæ concluſioni tenuit Scotus, & alij, imo & Vazquez. *num.* 8.
Contra concluſionem arguitur primo, quia Chriſtus per ſcientiam infuſam non cognouit omnia indiuidua naturæ humanæ: ergo, &c. Antecedens ſuadetur tripliciter. *num.* 9. & 10.
Reſpondetur ad argumentum cum ſuis probationibus, & occurritur replicis incidentibus, *à n.* 11. *vſque ad* 21.
Secundo arguitur, quia ſingularia vt exiſtentia, non cognoſcuntur ab anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam; cum ſpecies per ſe infuſæ eodem modo repræſentent res, quando exiſtunt, ac quando non exiſtunt. *num.* 21.
Reſpondetur. *num.* 22.
Denique arguitur: quia ens naturale non poteſt per cognitionem ſupernaturalem cognoſci. Antecedens quadrupliciter ſuadetur. *num.* 23.
Duæ ſolutiones, ſeu effugia breuiter confutantur. *n.* 24.
Reſpondetur ad tres probationes antecedentis, *à nu.* 25. *vſque ad* 28.
Tres ſolutiones, quæ aſſignari ſolent ad vltimam antecedentis probationem, referuntur, & refelluntur, *à nu.* 28. *vſque ad* 34.
Vera ſolutio aſſignatur. *num.* 34.
Contra ſolutionem quadrupliciter inſurgitur. *n.* 35.
Reſpondetur, & occurritur replicis emergentibus, *à nu.* 36. *vſque ad* 40. *incluſiuè*.

§. TERTIVS.

Statuitur ſecunda concluſio, & probatur. Pag. 317.

SEcunda Concluſio. Chriſtus per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognouit quidditatiuè omnia dona ſupernaturalia, quæ ſunt de facto producta. Citantur Auctores. *num.* 41.
Eſt expreſſa doctrina D. Tho. in præſenti art. 1. Vbi ſolum Dei eſſentiam excipit à obiecto ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ. Et probatur: nam, quæ hominibus per reuelationem innoteſcunt, fuerunt ab anima Chriſti per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognita. Quod autem ea cognouerit quidditatiuè, probatur: nam per ſcientiam infuſam ſupernaturalem fuit reducta ad actũ omnis potentia obedientialis in ordine ad cognitionem rerum, quæ extra Verbum haberi poteſt; ſed dona ſupernaturalia creata, poſſunt extra Verbum quidditatiuè cognoſci; cum nulla ſit implicatio in hoc, quod dentur de illis propriæ, & quidditatiuæ ſpecies; ergo, &c. *num.* 42. 43. & 44.

§. QVARTVS.

Oppoſita ſententia proponitur, & illius fundamentis occurritur. Pag. 318.

COntrarium prædictæ concluſionis tenuit Mag. Bañez, & Aluarez, & ex PP. Societatis Ragusa. *num.* 45.
In quorum fauorem, & contra ſtatutam concluſionem arguitur primo: quia virtus ſeminis non poteſt cognoſci, niſi quidditatiuè fructus ſeminis cognoſcatur; ſed gratia; & virtutes Theologicæ ſunt ſemina beatitudinis: ergo non poſſunt hæc dona quidditatiuè cognoſci non cognitis lumine gloriæ, & viſione beatifica; at lumen gloriæ, & viſio beatifica, non poſſunt quidditatiuè extra Verbum cognoſci: ergo, &c. *num.* 46.
Tres ſolutiones, quæ adhiberi ſolent huic argumento, referuntur, & reijciuntur, occurriturque plurimis replicis emergentibus, *à num.* 47. *vſque ad* 57.
Vera ſolutio traditur. *num.* 47.
Secundo arguitur, & inſtatur contra ſolutionem: non enim poteſt viſio beatifica cognoſci quidditatiuè, niſi Deus, vt eſt in ſe Trinus, & Vnus quidditatiuè cognoſcatur. Aſſumptum quadrupliciter ſuadetur. *n.* 58. & 59.
Reſpondetur, *à num.* 60. *vſque ad* 64.
Tertio arguitur, quia vnio humanitatis ad Verbum non poteſt quidditatiuè cognoſci per ſcientiam infuſam; cum talis vnio pertineat ad ordinem hypoſtaticum, qui eſt ſuperior ordine gratiæ creato, ad quem ſpectat ſcientia infuſa: cognitio autem ad inferiorem ordinem ſpectans, nequit eſſe quidditatiua rei ſpectantis ad ordinem ſuperiorem. *num.* 64.
Reſpondetur. *num.* 65.
Et inſtatur argumentum. *num.* 66.
Contra ſolutionem inſurgitur. *num.* 67. & 68. & *ibidem* ſit ſatis inſtantijs.
Denique arguitur: nam dona ſupernaturalia creata, non ſunt amabilia ratione ſui, ſed tantum ratione Dei: ergo pariter non ſunt intelligibilia ſupernaturaliter in ſe, & ratione ſui; ſed tantum in Deo. *num.* 69.
Reſpondetur negando antecedens. *num.* 70.

§. QVINTVS.

Explicatur modus quo ſupernaturalia cognoſcuntur per ſcientiam infuſam. Pag. 322.

TErtia Concluſio. Viſio beatifica, vnio hypoſtatica, & alia dona intrinſecè ſupernaturalia, cognoſcuntur comprehenſiuè ab anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. Auctores huius concluſionis citantur. *num.* 71.
Tres rationes, quibus Recentiores ſuadere conantur hanc concluſionem reijciuntur tanquam inefficaces, *à num.* 71. *vſque ad* 76.
Probatur ergo concluſio hac ratione: cognitio adæquans obiectum intelligibile *intenſiuè*, & *extenſiuè*, eſt illius comprehenſio; ſed poſſunt viſio beatifica, vnio hypoſtatica, & conſequenter cætera dona ſupernaturalia per ſcientiam infuſam cognoſci adæquatè *intenſiuè*, & *extenſiuè*: ergo, &c. *num.* 76. & 77.
Solutiones, quæ ab Auctoribus contrarij aſſignantur huic rationi, referuntur, & refutantur, *à num.* 78. *vſque ad* 84. *incluſiuè*.

§. SEXTVS.

Contraria ſententia refertur, & tribus argumentis occurritur. Pag. 322.

AVctores contrarij prædictæ concluſioni citantur. *num.* 85.
Aduerſus concluſionem arguitur primo ex Suarez, quia viſio beata non cognoſcitur per ſcientiam infuſam quantum cognoſcibilis eſt, quia Deus, qui eſt obiectum immediatum viſionis beatificæ perfectius per ipſam cognoſcitur, quam per ſcientiam infuſam: ergo, & viſio

ſio perfectius cognoſcitur per ſe ipſam, quam per ſcientiam infuſam. n.85.
Hoc argumentum, quo conuictus fuit Suarez inſtatur duplicites manifeſtè. n.86. Ad illud reſpond. n.87. & 88.
Secundo arguitur, quia potentia obedientialis creata, non comprehenditur per ſcientiam infuſam: ergo multo minus dona ſupernaturalia. n.89.
Reſpondetur dupliciter. n.90.
Tertio arguitur, quia ſcientia infuſa non adæquat paſſiuam cognoſcibilitatem luminis gloriæ: ergo non poteſt eſſe principium comprehenſiuum illius, quia entitas ſcientiæ infuſæ non adæquat entitatem luminis gloriæ. num. 91. 92. & 93.
Reſpondetur, à num.94. uſque ad 97. incluſiuè.

§. SEPTIMUS.

Tribus alijs argumentis occurritur. Pag.324.

ARguitur quarto, quia viſio beatifica in ratione intellectiuæ excedit ſcientiam infuſam: ergo etiam illam excedit in ratione intelligibilis. n.98.
Reſpondetur. n.99. 100. & 101.
Sed inſurgitur aduerſus ſolutionem pluribus replicis, & inſtantijs, quæ proponuntur, & diluuntur, à n.102. uſque ad 110.
Arguitur quinto, & inſtatur aduerſus omnia dicta, quia implicat ex terminis intellectiuum omnia dicta, quia eſt magis intellectiuum, quam intelligibile: ergo viſio beata non excedit in ratione intellectiua, quam intelligibilis; & conſequenter ſi in ratione intellectionis excedit ſcientiam infuſam, excedit illam in ratione intelligibilis. n.110.
Reſpondetur. num.111.
Aliud argumentum procedit ex quadam auctoritate D. Thom de qua videndi ſunt PP. Salmanticenſes, & Illuſtriſſimus Arauio n.112.
Breuiter reſpondetur ad illam. n.113.

§. OCTAVUS.

Vltimum argumentum diluitur. Pag.326.

DEnique arguitur, nam Chriſtus per ſcientiam infuſam non comprehendit viſionem hypoſtaticam; at hæc unio eſt aliquid donum ſupernaturale creatum: ergo, &c. Maior ſex probationibus ſuadetur, à num. 114. uſque ad num.118.
Ad primam maioris probationem tres ſolutiones ſolent adhiberi, quæ referuntur, & impugnantur, à num. 118. uſque ad 126.
Vera ſolutio aſſignatur. n.127.
Alijs probationibus occurritur, à n.128. uſque ad n.134.
Sed adhuc aduerſus ſolutionem replicatur à nu. 134. uſque ad num.137.
Reſpondetur, à num.137. uſque ad 141. incluſiuè.

§. NONUS.

De cogitationibus cordis, & futuris contingentibus.

QVæritur Concluſio, Cognouit anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam occultas cordium cogitationes, & futura libera contingentia. Ita frequenter Theologi, colligitur ex D.Thoma in hoc art. primo. num.142.
Probatur prima pars: nam cognoſci cogitationem cordis in ſe ipſis ſupernaturales: & alias ad perfectionem Chriſti pertinet, quod illas in ſe ipſis cognoſcat: ergo, &c. Maior quadrupliciter probatur. num.143.
Secunda pars eodem argumento probatur. n.144.

§. DECIMUS.

Contraria ſententia cum tribus argumentis proponitur. Pag.329.

AVthoris oppoſitæ ſententiæ referuntur. n.145.
In quorum ſententia concluſiones, &c. ... ex D.Thom. n.145.
... ſolutiones ... argumentis ...
à num. 146. uſque ad num.149.
Reſpondetur cum Caietano D. Thom. mutaſſe ſententiam. n.149. 150. & 151.
Secundo arguit Lorca: nam Chriſtus habuit ſcientiam bonorum obiectorum in Verbo: ergo non eſt neceſſarium multiplicare ſcientiam illorum in proprio genere. num.152. & 153.
Occurritur eadem inſtantia. Secundo reſpondetur ad argumentum. n.154.
Tertio arguitur, nam ratio qua D. Thom. probat, vnum Angelum non poſſe cogitationes liberas alterius cognoſcere pari efficacia conuincere videtur, non poſſe cognoſci per ſcientiam infuſam. n.155.
Reſpondetur. n.156.
Replicatur aduerſus ſolutionem. n.157.
Reſpondetur. n.158.

§. VNDECIMUS.

Vltimum argumentum proponitur, & varij modi dicendi examinantur. Pag.331.

COntra ſecundam partem concluſionis arguitur quarto. Chriſtus non cognoſcit futura contingentia per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, nec in ſuis cauſis contingentibus, ſumptis prout in actu primo, nec in Dei reuelatione, nec in decreto libero de illorum futuritione, nec in ſe ipſis, & in ſua veritate obiectiua: ergo nullatenus illa cognoſcit per talem ſcientiam.
Antecedens probatur quoad omnes ſuas partes multiplicites, à n.159. uſque ad n.162.
Prima ſolutio Aluarez, ſecunda Medinæ, & tertia Nazarij, tanquam à veritate deficientes reijciuntur; & latè impugnantur occurriturque pluribus obiectionibus in fauorem prædictarum ſolutionum, à nu.162. uſque ad n.168. incluſiuè.

§. DVODECIMUS.

Traditur vera vltimi argumenti ſolutio. Pag.333.

REſpondetur ad argumentum, futura cognoſci ab anima Chriſti Domini in ſe ipſis per ſcientiam infuſam, & ad tres probationes in contrarium ſit ſatis, à nu.179. uſque ad n.181.
Sed aduerſus ſolutionem tripliciter inſurgitur. num.182. 183. & 184.
Reſpondetur ad primam obiectionem. n.185. 186. & 187.
Ad ſecundam. n.188. 189. & 190.
Replicatur. n.191.
Soluitur replica. n.192.
Occaſione vltimæ replicæ ſtatuitur quinta concluſio. §. ſequenti.

§. DECIMUSTERTIUS.

Statuitur quinta concluſio. Pag.335.

ANima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam cognoſcit futura contingentia in ſe ipſis: non tamen cognoſcit per notitiam propriè intuitiuam. Authores qui hanc concluſionem docent citantur. n.194.
Probatur ex eo quod ad rationem propriæ notitiæ intuitiuæ non ſufficit per propriam rationem haberi, nec ad rem ut exiſtentem obiectiuè terminari ſed neceſſario requiritur, quod ad rem ut exiſtentem extra cauſas cognitionem terminetur. Aſſumptum probatur quadrupliciter, à nu. 194. uſque ad n.197.
Ex quibus reſpondetur ad vltimam obiectionem §. antecedente propoſitam. n.197.

§. DECIMUSQUARTUS.

Oppoſita ſententia cum ſuis fundamentis. Pag.336.

AVthores contrariæ ſententiæ ...
Et pro illis ...
... per ...

intuitiua quamuis duratione ſui obiecti exiſtentiam præcedat. Quod tripliciter probatur. n.199.
Reſpondetur. n.200.
Arguitur ſecundo ex eo quod cognitio Dei terminata ad futura, eſt intuitiua ab æterno adæquate ſecundum omnem virtualitatem diuinæ æternitatis. n.201.
Reſpondetur. n.202.
Arguitur tertio; nam viſio, qua intra Verbum beati cognoſcunt futura, eſt illorum cognitio intuitiua, & tamen futura non ſunt phyſice coexiſtentia viſioni beatificæ. Minor probatur. n.203. & 204.
Solutio ſumpta ex doctrina Ferrarienſis refertur, & reijcitur, à n.205. vſque ad 208.
Alia ſolutio ſumpta ex doctrina Nazarij, refertur. n.208.
Difficultates, quas patitur hæc ſolutio, oſtenduntur. n.209.
Aliorum ſolutio negantium, quod viſio beatifica ſit intuitiua notitia futurorum, eſt contra communem Thomiſtarum ſententiam, & reijcitur, à n.210. vſque ad 214.
Vera ſolutio aſſignatur. n.214. & ab obiectionibus liberatur, à n.215. vſque ad n.220.
Denique arguitur, ex eo quod cognitio prophetica eſt intuitiua futurorum, vt ex tribus authoritatibus D. Th. videtur ſuaderi. n.222.
Reſpondetur. n.223.

§. DECIMVSQVINTVS.

De tota poſſibilium collectione. Pag. 338.

SExta Concluſio. Non implicat totam poſſibilium collectionem extra Verbum quidditatiuè cognoſci: de facto tamen non fuit ab anima Christi cognita. Probatur ex D. Thom. n.224. & 225.
Deinde probatur, ex eo quod infinitas Dei eſt maior infinitate collectionis poſſibilium: at infinitas Dei non obſtet quo minus poſſit per cognitionem finitam quidditatiue cognoſci. n.226.
Solutiones quæ aſſignari poſſunt huic rationi impugnantur, à num. 227. vſque ad n.234.
Denique probatur ex eo quod etſi implicaret ſimul omnia poſſibilia per vnam cognitionem cognoſci: non tamen implicat omnia cognoſci ſimul per plures cognitiones. n.234. & 235.
Secunda pars concluſionis probatur ex D. Th. n.236.
Deinde ratione inconnaturalitatis talis cognitionis. num. 237.
Vnde ſoluitur obiectio, quæ poteſt fieri ex dictis ſuperius. n.238.

§. VLTIMVS.

Occurritur argumentis in contra. Pag. 340.

PRimum argumentum ſumptum ex authoritate D. Thom. proponitur, & ſoluitur, n.239. & 240.
Secundum argumentum ſumitur ex eo quod cognitio ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ, non poteſt eſſe cognitio ſui ipſius vt poſſibilis; ac per conſequens vna cognitione, tota poſſibilium collectio extra Verbum nequit cognoſci. n.241.
Reſpondetur primo. n.242.
Secundo reſpondetur. n.243. & 244.
Tertium argumentum procedit, ex eo quod nec habitus adæquare poteſt extenſionem potentiæ, nec actus extenſionem habitus; ſed totum ad quod poteſt intellectus noſter extendi, eſt omnium poſſibilium collectio: vnde infertur hanc non poſſe vnico actu contineri. Proponitur, & ſoluitur. n.245.
Quartum argumentum procedit ex eo quod cognitio quidditatiua totius collectionis poſſibilium neceſſario eſt infinite; quod dupliciter probatur. n.246.
Reſpondetur primo. n.247.
Reſpondetur ſecundo. n.248.
Vltimum argumentum procedit ex eo quod implicat vna ſpecies repræſentans omnia poſſibilia quidditatiuè; ac per conſequens implicat vna cognitione quidditatiua cognoſci. n.249. & 250.
Reſpondetur. n.251. & 252.
Sed aduerſus ſolutionē quadrupliciter replicatur. n.253.
Reſpondetur, à num. 254. vſque ad n.256. incluſiuè.

DISPVTATIO TRIGESIMASEXTA.

Vtrum anima Chriſti per ſcientiam per ſe infuſam Myſterium Trinitatis cognouerit euidenter?

§. PRIMVS.

Relatis ſententijs ſtatuitur prima Concluſio. Pag. 343.

PRima ſententia docet, neque vt vnum, nec vt trinum fuiſſe Deum cognitum per huiuſmodi ſcientiam. n.1.
Secunda docet, Deum vt Vnum ſub hac ſcientia contineri; non autem vt Trinum. n.2.
Tertia ſententia affirmat Deum ſub vtraque ratione cognoſci per ſcientiam ſupernaturalem infuſam quidditatiuè abſtractiuè. n.3.
Quarta ſententia defendit: Deum ſub vtraque ratione fuiſſe cognitum per ſcientiam infuſam euidenter *quoad an eſt*. n.4.
Statuitur *Prima concluſio*. Qua aſſeritur animam Chriſti non cognouiſſe per ſcientiam ſupernaturalem infuſam Deum quidditatiuè abſtractiuè. n.5.
Suadetur primo, eo quod cognitio quidditatiua Dei, petit ſpeciem creatam Dei repræſentatiuam; implicat autem ſpecies creata quidditatiua Dei. *Ibidem vſque ad num.* 7.
Secundo probatur, quia non ſtat cognitio quidditatiua Dei, quæ ipſius intuitiua non ſit; Chriſtus autem per ſcientiam infuſam, non potuit intuitiuè cognoſcere Dei eſſentiam, & conſequenter, nec quidditatiuè, à n.8. vſque ad 16.

§. SECVNDVS.

Non dari ſpeciem Dei immediatam, probatur. Pag. 344.

STatuitur Secunda Concluſio. Qua aſſeritur Deum, nec vt Vnum, nec vt Trinum fuiſſe ab anima Chriſti cognitum per ſpeciem per ſe infuſam ipſum immediatè *quoad an eſt* repræſentantem. n.17.
Probatur primo: quia ſpecies immediata Dei repræſentat ipſum quidditatiuè; implicat autem ſpecies creata quidditatiua Dei. n.17. & 18.
Secundo probatur: quia ſpecies immediate, debet cum obiecto conuenire in gradu immaterialitatis; hæc autem conuenientia cum Deo repugnat formæ creatæ. num. 19.
Tertio probatur; quia ex oppoſito ſequeretur, poſſe dari cognitionem intuitiuam Dei extra viſionem beatam. n.20. & 21.
Contra concluſionem opponitur primo auctoritas D. Thom. num. 22.
Mens D. Thom. explicatur. n.23. & 24.
Secundo arguitur; eo quod eſt dabilis ſpecies immediata obiecti, quæ quidditatiua non ſit; & conſequenter deficit prima ratio. n.25. & 26.
Reſpondetur, negando antecedens, & defenditur ſolutio. num. 27. 28. & 29.

§. TERTIVS.

Prima ſententia reijcitur. Pag. 346.

TErtia Concluſio. Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit euidenter *quoad an eſt*, Deum Auctorem ſupernaturalem, prout vnum in effectibus ſupernaturalibus, non autem in naturalibus. n.30.
Prima pars concluſionis probatur, primo auctoritate D. Thom. *Ibidem*.
Secundo à priori: nam cognitio perfecte petit cum obiecto in eſſe intelligibili adæquari; & conſequenter attingere in illo, quidquid in illo cognoſcibile eſt; Deus autem, vt Auctor ſupernaturalis, eſt cognoſcibilis, vt vnus, in effectibus ſupernaturalibus. n.31.
Contrariorum reſponſio proponitur, & reijcitur, à num. 32. vſque ad 36.
Secunda pars concluſionis probatur, eo quod effectus naturales non repræſentant Deum, vt Auctorem ſupernaturalem; & conſequenter in illis, etiam vt ſupernatu-
ture-

turaliter cognitis, non poteſt Deus, vt Auctor ſupernaturalis cognoſci. n.37.
Contrariorum ſolutio proponitur, & reijcitur à num. 37. vſque ad 47.

§. QVARTVS.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag.347.

Contra primam concluſionis partem obijcitur auctoritas D.Thom. n.48.
Mens D. Thom. explicatur, & explicatio defenditur, à num 49. vſque ad 56.
Secundum argumentum ſumitur, ex eo quod cognitio Dei vnius habita ex effectibus ſupernaturalibus eſt diſcurſiua; ſcientia autem per ſe infuſa diſcurſiua non eſt. n.57.
Huic argumento duplex adhibetur ſolutio, à n.58. vſque ad 62.
Tertium argumentum ſumptum ab auctoritate D.Thom. proponitur, & diluitur, à num.63. vſque ad nu.70.

§. QVINTVS.

Myſterium Trinitatis fuiſſe per ſcientiam infuſam cognitum, probatur. Pag.350.

Qvarta Concluſio. Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem cognouit Deum, vt Trinum, euidenter *quoad an eſt*, in effectibus ſupernaturalibus, non vt ſunt à Deo effectiuè, ſed prout ad ipſum obiectiuè aliquo terminantur. n.71.
Prima pars concluſionis probatur: nam Deus, vt Trinus, eſt cognoſcibilis extra Verbum euidenter *quoad an eſt*; hæc autem cognitio ab anima Chriſti Domini, non potuit elici vi alterius luminis, quam ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ. *Ibidem*.
Secunda pars concluſionis probatur: nam effectus ſupernaturales non cauſantur efficienter à Deo, quatenus Trino per ſe perſeitate cauſæ; & conſequenter in illis, vt à Deo effectiuè cauſantur, non repræſentatur Deus, vt Trinus, à num.72. vſque ad 75.
Tertia pars eiuſdem concluſionis probatur, eo quod viſio beata non poteſt perfectè cognoſci, non cognito Deo, vt Trino euidenter *quoad an eſt*; viſio autem beatifica perfectè fuit ab anima Chriſti cognita per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. n.76. & 77.
Quadruplex ſolutio refertur, à nu.78. vſque ad 81.
Prima ſolutio reijcitur, à n.82. vſque ad n.85.
Secunda ſolutio impugnatur, à num.86. vſque ad 88.
Tertia ſolutio reijcitur. num.89. & 90.
Quarta ſolutio impugnatur. n.91.

§. SEXTVS.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag.352.

Contra primam partem concluſionis obijcitur auctoritas D.Thom. n.92. & explicatur. *Ibidem*.
Secundo obijcit Vazquez, non poſſe quidditatem perſonarum extra Verbum quidditatiuè cognoſci; omnis autem cognitio habita per ſcientiam infuſam debet eſſe quidditatiua. n 94.
Reſpondetur, negando minorem, & defenditur ſolutio, à n.96. vſque ad 100.
Tertium argumentum ſumitur, ex eo quod omnis euidens cognitio obiecti, debet eſſe immediata, vel mediata; nullo autem ex his modis poteſt extra Verbum dari cognitio euidens Trinitatis; & conſequenter non potuit talis cognitio per ſcientiam per ſe infuſam haberi. num.101.
Reſpondetur cognitionem euidentem Trinitatis habitam per ſcientiam infuſam, non eſſe immediatam, ſed mediatam, non per cauſam, ſed per effectum cum Deo, vt Trino, per ſe obiectiuè connexum, & defenditur ſolutio, à n.102. vſq. ad 105.
Quartum argumentum ſumitur, ex eo quod viſio beata non dependet per ſe obiectiuè à Deo quatenus Trino; & conſequenter non poteſt in illa, vt obiectiuè dependente, Trinitas perſonarum cognoſci. n.106.
Cui argumento reſpondetur, negando antecedens, de perſeitate terminatiua; & ſuſtinetur ſolutio; à num. 107. vſque ad nu.110.

DISPVTATIO TRIGESIMASEPTIMA.

De eſſentia, vnitate, & alijs ad ſcientiam infuſam ſupernaturalem ſpectantibus.

Difficultatis ſtatus explicatur. n.1.

§. PRIMVS.

De qualitate ſpecierum. Pag.356.

Species quibus entia entitatiuè ſupernaturalia intellectus Chriſti per huiuſcemodi ſcientiam cognouit, fuiſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam, probatur. n.2.
Id ipſum de ſpeciebus, quibus intellectus Chriſti entitates ordinis naturalis cognouit, probatur eo quod cognitio iſtarum rerum habita per ſcientiam infuſam eſt ſupernaturalis, quoad ſubſtantiam. n.3.
Contra iſtam rationem arguitur à paritate actus fidei, qui ſupernaturalis eſt quoad ſubſtantiam, & tamen ſpecies illi inſeruientes, ſupernaturales non ſunt. n.4.5.& 6.
Reſpondetur obiectioni, differentiam aſſignando inter vtramque cognitionem. n.7.8. & 9.

§. SECVNDVS.

De habitu ſcientiæ infuſæ. Pag.357.

Iste habitus à ſpeciebus per ſe infuſis diſtinguitur, & in illo eſſentia ſcientiæ per ſe infuſæ conſiſtit. n.10.
Prima pars concluſionis probatur, eo quod, vt potentia naturalis actum ſupernaturalem proportionatè, & connaturaliter eliciat, indiget forma ſupernaturali permanente; cognitio autem ſcientiæ infuſæ, ſupernaturalis eſt. n.11. 12. & 13.
Prima ſolutio aſſerentium, intellectum Chriſti influere in prædictam cognitionem per virtutem ſibi innatam, refertur, & refellitur, à num.14 vſque ad 17.
Secunda ſolutio aſſerentium, intellectum Chriſti eleuari ad prædictam cognitionem per formam indiſtinctam à ſpeciebus per ſe infuſis. Refertur & refellitur, à nu. 18. vſque ad 21.
Secunda pars concluſionis probatur à paritate ſcientiæ per ſe acquiſibilis, cuius eſſentia conſiſtit in habitu à ſpeciebus diſtincto. n.22. & 23.
Contraria ſententia cũ ſuis fundamentis proponitur. n.24.
Primum, & ſecundum argumentum ſoluuntur. n.25. Vbi mens D.Thom. explicatur.
Tertium argumentum diluitur, & inſtatur. n.26.
Cæteris argumentis occurritur, à num.27. vſque ad 30.

§. TERTIVS.

De diſtinctione prædicti habitus à lumine gloriæ. P.359.

Habitus ſcientiæ per ſe infuſæ realiter à lumine gloriæ diſtinguitur. Quod probatur ex diſtinctione obiectorum n.31.
Sententia contraria refertur. n.32.
Cuius fundamentum eſt; nam per habitus luminis gloriæ poſſunt creaturæ cognoſci, non ſolum ratione diuinæ eſſentiæ, ſed etiã in ſe ipſis, & ratione ſui. *Ibid* & n.33.
Cui argumento occurritur, negando aſſumptum, & illius falſitatẽ, multipliciter monſtrãdo, à n.34. vſq; ad n.45.

§. QVARTVS.

De vnitate ſcientiæ per ſe infuſæ. Pag.361.

Non implicat de potentia abſoluta vnus habitus ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturalis ad omnia extra Verbum cognoſcenda ſufficiens, ſicut nec implicat vna ſpecies omnia illa repræſentans. n.46. & 47.
An autem de facto fuerit vnus, vel plures, non eſt vna Theologorum ſententia. Lorca docet de facto eſſe duos habitus. n.48.
Prædicta ſententia reijcitur, & illius fundamentum infringitur. n.49. & 50.

Alij tot habitus eleuantes intellectum Chriſti diſtinguunt, quot ſunt ſpecies intelligibiles, vel quia habitus multiplicantur iuxta ſpecificam actuum diſtinctionem, vel quia ſpecies per ſe infuſæ multiplicant obiecta ſcibilia, quorum ſententia refertur, & impugnatur, *à num. 51. vſque ad* 64.
Tertia ſententia docet, habitum ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturalis intellectum Chriſti eleuantem, eſſe vnius ſpeciei, quæ ſententia à Nobis eligitur, & probatur. *n.*65. 66. & 67.
Opponitur primo, auctoritas D.Tho. q.11. art.6. in corpore. *n.*68.
Mens D.Thomæ explicatur, & explicatio defenditur, *à nu.*69. *vſque ad* 77.

§. QVINTVS.

De vſu ſcientiæ per ſe infuſæ diſcurrendo. Pag.366.

NOn fuit diſcurſiua quoad acquiſitionem, nec fuit neceſſario diſcurſiua. *n.*78. & 79.
Potuit Chriſtus per illam intelligere, diſcurrendo. *num.* 80. & *n.*81.
Quod probatur, nam potuit Chriſtus per habitum ſcientiæ infuſæ vno actu cognoſcere eſſentiam, & alio proprietatem in eſſentia radicatam; & conſequenter potuit, vnam ex his cognitionibus ex alia deducere; in quo diſcurſus conſiſtit. *n.*82. & 83.
Primum fundamentum contrariæ ſententiæ proponitur, *à n.*84. *vſque ad* 87.
Prædictum argumentum diluitur, *à n.*88. *vſque ad* 91.
Vbi diſcrimen ſtatuitur inter habitum principiorum, & habitum ſcientiæ infuſæ.
Secundum argumentum deſumptum ex eo, quod, non poteſt vnus, & idem habitus eſſe principium cognitionis diſcurſiuæ, & cognitionis non diſcurſiuæ: proponitur. *n.*92.
Solutio Patris Granado diſtinguentis duplicem habitum, vnum diſcurſiuum, & alium non diſcurſiuum refertur. *n.* 93.
Prædicta ſolutio reijcitur primo, quia mentem Diui Thomæ non ſaluat. *n.*94.
Secundo ad hominem contra prædictum auctorem arguendo. *n.*95. & 96.
Denique à paritate ſpeciei per ſe infuſæ, quæ vnitate ſpecifica ſeruata, poteſt vtrumque cognitionis modum principiare ex parte obiecti. *n.*97.
Traditur vera ſolutio aſſerendo, poſſe ab vno, & eodem habitu vtramque cognitionem procedere, eo quod vnitati habitus non obſtat diſtinctio eſſentialis cognitionum. *n.* 98.
Contra hanc ſolutionem replicatur primo: nam diſcurſiuum, & non diſcurſiuum ſunt prædicata diſtinguentia intellectum Angelicum, & humanum: & conſequentes non poſſunt vni habitui conuenire. *n.*99.
Secundo replicatur, ex eo quod ſcientia indita ſupernaturalis Chriſti, eſt eiuſdem ſpeciei cum ſcientia indita ſupernaturali Angelorum; huic autem eſſentialiter repugnat diſcurſus, *à num.*100. *vſque ad* 104.
Reſpondetur ad primam replicam, explicando differentiam inter diſcurſiuum, & non diſcurſiuum, quatenus diſtinguunt intellectum Angelicum, & humanum, & prout habitui ſcientiæ infuſæ conueniunt. *n.*105.
Secunda inſtantia diluitur, negando aſſumptum illius, quod nempè, ſcientia indita ſupernaturalis Chriſti ſit eiuſdem ſpeciei cum ſcientia indita ſupernaturali Angelorum, defenditur ſolutio, & illius doctrina probatur, *à num.*107. *vſque ad* 110.

§. SEXTVS.

De conuerſione ad phantaſmata. Pag.367.

POtuit Chriſtus per hanc ſcientiam ſine conuerſione ad phantaſmata intelligere; eo quod fuit ſimul viator, & comprehenſor. *n.*111.
Contra rationem iſtam deſumptam ex D. Thom. arguit Vazquez, illam infirmam exiſtimans. *n.*112.
Ratio prædicta defenditur, & argumentum contrarij Auctoris diluitur. *n.*113. & 114.
Sententia negans, potuiſſe Chriſtum vti huiuſcemodi ſcientia cum conuerſione ad phantaſmata, refertur. *n.*115.
Sententia affirmatiua, quæ eſt D.Thomæ præfertur, & probatur. *n.*116. & 117.
Fundamento contrariæ ſententiæ occurritur, explicando modum, quo potuit in vſu prædictæ ſcientiæ intellectus Chriſti Domini elicere cognitionem dependentem à phantaſmatibus. *n.*118. & 119.
Quorundam explicatio doctrinæ D. Thom. de conuerſione ad phantaſmata per meram concomitantiam, refertur, & refellitur, *à num.* 120. *vſque ad* 123.
Contra noſtram reſolutionem redarguitur ex doctrina à Nobis tradita. *Diſp.*31. *n.*124.
Reſpondetur, & doctrina illa, cum reſolutione tradita componitur. *n.*125.

§. VLTIMVS.

De ſcientiæ per ſe infuſæ actualitate. Pag.370.

SVpponitur primo, non fuiſſe neceſſario reductam ad actum ſibi adæquatum. *n.*126.
Secundo ſupponitur, non fuiſſe neceſſario ſemper ſuum aliquo actu coniunctam, eo quod quamuis hæc ſcientia ſit ſupernaturalis; conuenit tamen naturæ humanæ Chriſti ſecundum modum ipſi connaturalem. *n.*127.
Contra rationem iſtam opponitur; nam eo ipſo, quod ſupernaturalis ſit, eleuat naturam humanam Chriſti ad ordinem ſupernaturalem; & conſequenter extrahit illam à modo agendi naturali. *n.*128.
Reſpondetur, extrahere humanitatem à modo agendi naturali, extractione ordinis; non tamen extractione proportionis. *n.*129.
Quod examen deſiderat, eſt, an Chriſtus per ſcientiam infuſam omnia illius obiecta cognouerit; vel ſimul, vel ſucceſſiuè? Et an ſine interruptione, illa ſemper vſus fuerit? *n.*130.
Refertur duplex ſententia. *Ibidem.* & *n.*131.
Prima Concluſio. Potuit Chriſtus de potentia abſoluta obiecta ſcientiæ infuſæ ſimul cognoſcere; nunquam tamen ſimul illa cognouit. *n.*132.
Prima pars concluſionis probatur dupliciter. *n.*133.
Secunda pars concluſionis probatur, & contrariorum euaſiones excluduntur, *à n.*134. *vſque ad n.*143.
Secunda Concluſio. Potuit Chriſtus toto vitæ ſuæ tempore in actibus ſcientiæ infuſæ ſine interruptione exerceri, & omnia illius obiecta ſucceſſiuè cognoſcere, & licet incertum ſit, an ita de facto euenerit; eſt tamen vero ſimilius. *n.*144.
Hæc concluſio quoad ſingulas partes probatur, *à nu.*144. *vſque ad* 147.
In contrarium arguitur primo ex quadam D. Thom. doctrina. *n.*148.
Reſpondetur, explicando doctrinam D. Tho. & explicatio defenditur. *à num.*149. *vſque ad n.*151.
Secundo obijcitur alia doctrina Angelici Præceptoris. *n.*152.
Reſpondetur, explicando D.Thom. doctrinam. *n.*153.
Ex dictis in diſcurſu diſputationis, colligitur intelligentia doctrinæ D.Thomæ, & rationis, qua art.6. monſtrauit, ſpecies intellectui Chriſti infuſas, eſſe minus vniuerſales ſpeciebus Angelorum. *n.*154.
Ex qua doctrina colligitur, qualiter ſpecies ſcientiæ infuſæ inſeruientes proportionentur cum habitu intellectum Chriſti eleuante, & qualiter cum natura intellectus eleuati. *n.*155.
Prædicta doctrina probatur. *n.*156.
De ſcientia per ſe acquiſibili remiſſiuè, tractatur. *num.* 157.

TRACTATVS QVARTVS.

De extremo aſſumpto, vel aſumptibili à Verbo.

DE *quo D. Thomas* in 3. diſt. 2. q. 1. d. 5. q. 3. & diſt. 6. q. 1. 4. Contra Gentes cap. 55. Opuſc. 3. cap. 224. & in præſenti q. 4. *Vbi poſtea quam in præcedentibus tractauit de modo vnionis, & de extremo aſſumente, quorum vtrumque pertinet ad eſſentiam myſterij, pergit ad explicandum extremum à Verbo aſſumptum. quod etiam myſterij eſſentiam ingreditur; myſterium enim Incarnationis conſiſtit in concurſu duarum naturarum in vna Chriſti perſona, quæ conſtat ex Verbo aſſumente, ex humanitate aſſumpta, & ex modo vnionis vtrumque extremum nectente.*

Articulus primus.

Quæſtionem diuidit in ſex Articulos, docens in primo: inter omnes alias naturas fuiſſe humanam magis à Verbo aſſumptibilem. Quod probat: nam aſſumptibilitas naturæ creatæ à Verbo non attenditur ſecundum potentiam, vel capacitatem naturalem; vnio namque perſonalis cum Deo omnis naturæ creatæ, & creabilis exigentiam naturalem excedit, ſed attenditur ſecundum congruentiam naturæ ad prædictam vnionem: quæ congruentia penès dignitatem, & neceſſitatem naturæ aſſumptibilis penſatur; ſed in natura humana vtraque iſta conditio concurrit: prima, quia eſt intellectualis, ideoque potens cum Deo ſecundum operationem coniungi, ipſum, ſcilicet, intelligendo, & amando, quæ magna dignitas eſt. Secunda, nempè, neceſſitas, quia ratione culpæ originalis reparatione indigebat, ad quem finem ordinata fuit Incarnatio; natura autem Angelica, etſi dignitatem intellectualitatis habeat, & in illa humanam excedat, neceſſitatem reparationis non habuit: in inferioribus verò naturis dignitas non inuenitur; cum enim intellectuales non ſint, non poſſunt Deo per operationem coniungi, intellectione, nempè, & amore, nec reparationis neceſſitas inuenitur in illis; ſunt enim culpæ incapaces; & conſequentèr etiam reparationis à culpa: ergo ſola natura humana eſt à diuino Verbo aſſumptibilis: Sic concludit D. Thom. quod non ita eſt accipiendum, vt alijs naturis repugnet à Verbo aſſumi, ſed iuxta titulum articuli, cui reſpondet, quòd, ſcilicet, natura humana eſt magis aſſumptibilis à Verbo, quam alia quæuis natura.

Articulus ſecundus.

In ſecundo articulo docet, Verbum non aſſumpſiſſe perſonam humanam, eo quod aſſumi eſt ad aliquid ſumi; & conſequentèr id, quod aſſumitur, aſſumptioni præſupponitur; ſed aſſumptioni à Verbo non fuit præſuppoſita humana perſona, quia vel fuiſſet per aſſumptionem corrupta, & ſic illius productio fuiſſet fruſtranea, vel poſt aſſumptionem manſiſſet, & ſic eſſet in Chriſto duplex perſona, quod eſt contra fidem: ergo Verbum non aſſumpſit perſonam humanam.

Articulus tertius.

Et ex hoc docet conſequentèr in tertio articulo, Verbum non aſſumpſiſſe hominem, loquendo in rigore, & proprietate ſermonis, nam quod aſſumitur, aſſumptioni præſupponitur; ſed aſſumptioni humanitatis à Verbo non fuit præſuppoſitus homo: ſicut enim Deus ſupponit pro habente deitatem: ita homo ſupponit pro habente humanitatem, quod eſt humana perſona,

na, quæ aſſumptioni præſuppoſita non fuit; & conſequentèr nec homo: ergo non poteſt cum proprietate dici, Verbum aſſumpſiſſe hominem. Monet autem D. Thom. ſolut. ad 1. *quòd ſi contraria locutio, nempè, Verbum aſſumpſiſſe hominem, alicubi reperiatur, non eſt, vt propria extendenda, ſed piè eſt interpretanda.*

Articulus 4. *In quarto articulo inquirit, vtrum Filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis*, ideſt, vtrum congruum fuerit, illam ſic ſumptam aſſumere? *Et reſpondet negatiuè; etenim natura humana, præter eſſe, quod habet in ſingularibus, tripliciter intelligi poteſt: primò, vt realitèr ab illis abſtracta, vel ſeparata, qualitèr illam fingebant Platonici: ſecundò, prout in intellectu diuino: tertiò, prout eſt in intellectu humano; ſed primo modo non potuit aſſumi, quia illa abſtractio, vel ſeparatio repugnat, vt probat Philoſophus* 7. methaph. textu 26. & 27. *& dato, quòd poſſibilis eſſet, non oportet ad finem Incarnationis, illam ſic ſumptam aſſumere: tùm, quia aſſumptio terminatur ad perſonam; forma autem in perſona indiuiduatur; & conſequentèr non poteſt abſtracta ab omnibus indiuiduis aſſumi. Tum etiam: quia aſſumptio ordinata fuit, vt Chriſtus mereretur nobis; actiones autem naturæ communis realitèr ab indiuiduis abſtractæ, eſſent actiones communes, quæ incapaces meriti ſunt:* Non enim niſi actionibus ſingularibus ratio meriti, aut demeriti conuenit. *Tùm denique, nam Filius Dei aſſumpſit noſtram naturam, vt nobis viſibilis appareret; natura autem humana, in illo ſtatu abſtractionis, non eſſet viſibilis: ergo humanitas, in ſtatu abſtractionis realis à Platonicis conficto, congruenter aſſumptibilis non eſſet, dato, quòd eſſet poſſibile.*

Secundo autem modo non potuit; natura namque humana, prout in diuino intellectu eſt ipſa natura diuina: vndè humanitas ab æterno eſſet aſſumpta, ſi Verbum aſſumpſiſſet illam, prout in intellectu diuino. Tertiò autem modo humanitatem aſſumere, ſcilicet, prout eſt in intellectu humano, nihil aliud eſſet, quàm quòd intelligeretur aſſumpta, quod ſi in re ita non eſſet, foret mera fictio intellectus: ergo non oportuit Filium Dei aſſumere naturam humanam, prout ab indiuiduis abſtractam, nec illam aſſumere potuit.

Articulus quintus. *In quinto Articulo inquirit, an fuerit conueniens, quod Verbum aſſumeret naturam humanam in omnibus indiuiduis, ideſt, quòd aſſumeret omnes naturas humanas in ſingulari? Et reſpondet negatiuè; primò; quia in tali caſu non eſſet, niſi vnum ſuppoſitum humanæ naturæ, ſcilicet, perſona omnes naturas aſſumens, ſed hoc congruum naturæ humanæ non eſt, cum tollatur multitudo ſuppoſitorum, quæ eſt illi connaturalis: ergo conueniens ex parte naturæ humanæ non fuit.* Nec ſequitur, vt tacitæ obiectioni occurramus, congruum non fuiſſe naturæ de facto à diuino Verbo aſſumptæ, quòd ab illo aſſumeretur, quandoquidem fuit propria ſubſiſtentia priuata, quæ eſt illi connaturalis. Non, inquam, ſequitur, quòd enim natura humana, in aliquo ſingulari, termino ſibi connaturaliter debito priuetur, inconueniens non eſt, quòd autem natura communis in omnibus indiuiduis priuetur termino naturalis inclinationis, inconueniens reputatur, & hoc contingeret caſu, in quo diuinum Verbum omnes humanitates aſſumeret.

Probat D. Thomas ſecundò, quia hoc derogaret dignitati Filij Dei incarnati, quia tolleretur ab illo ratio primogeniti in multis fratribus, ſecundum humanam naturam: tunc enim omnes homines æqualis eſſent dignitatis. Tertiò, quia fuit conueniens, quòd ſicut vnum ſuppoſitum eſt incarnatum: ita natura aſſumpta eſſet vna, vt ex vtraque parte vnitas inueniretur: Quibus addi poteſt vltima ratio ſumpta ex ſolutione ad 3. argum. *quia, nempè, ad ſapientem operatorem pertinet, quòd non faciat per plura, quod fieri poteſt ſufficientèr per vnũ, ſed Verbum in vna natura ſubſiſtens ſufficiens fuit ad omnes homines redimendos: ergo ad Deum perfectiſſimum Operatorum pertinuit, vt Verbum, ſolam vnam naturam aſſumeret.*

Articulus ſextus. *Tandem in ſexto Articulo docet, conueniens fuiſſe, quod Filius Dei, ex ſtirpe Adæ, naturam humanam aſſumpſerit. Primò, vt ille ſatisfaciat, qui peccauit, quod ad iuſtitiam pertinere videtur. Secundò, quia hoc pertinet ad hominis dignitatem, vt ex illo genere victor Diaboli naſcatur, quod per ipſum victum fuit. Denique, nam per hoc magis diuina potentia oſtenditur aſſumens de natura infirma, & corrupta id, quod ad tantam dignitatem eſt eleuatum.* Hæc D. Thomas q. 4. de extremo à diuino Verbo aſſumpto; pro quorum explicatione ſequentes diſputationes ſubijcimus.

DISPVTATIO DECIMA OCTAVA.

Vtrùm omnis natura creata ſit aſſumptibilis à Verbo?

1 *Multiplex natura accepsia explicatur.*

TAMETSI nomen naturæ cum omni rigore ſumptum ſolum ſtet per natura ſubſtantiali completa : largius tamen de natura loquendo abſtahit à natura ſubſtantiali, & natura accidentali, à completa, vel totali, & ab incompleta, & partiali, & in omnia hac membra diuiditur. Rurſus natura ſubſtantialis completa diuiditur, in purè ſpiritualem, qualis eſt natura Angelicæ, in purè corporalem, qualis eſt natura brutorum, vt equus, natura vegetabilium, vt planta, & natura inſenſibilium, vt lapis, & in naturam mixtam, & compoſitam ex ſpirituali, & corporali, qualis eſt natura humana, quæ ex materia corporali, & ſpirituali forma compoſita medium tenet inter Angelos, & alias inferiores creaturas, & cum illis omnibus habet aliquid comune nempè, cum Angelis intelligere, ſentire cum brutis, vegetari cum plantis, & cum lapidibus eſſe; de quibus omnibus noſtra diſcrepatio procedit, inquirens, an omnes iſtæ naturæ ſint à diuino Verbo aſſumptibiles, quam in tres partes ſecabimus. Prima erit de natura ſubſtantiali completa. Secunda de natura accidentali; & tertia de natura incompleta ſubſtantiali, hoc eſt, de partibus componentibus ſubſtantiam, vel eſſentialitèr, quales ſunt materia, & forma, vel integralitèr, et caput, manus, & cætera corporis membra.

Diuiditur diſputatio in tres partes.

---

§. I.

Prima pars diſputationis reſoluitur.

2 *Duo, quæ certa ſunt, ſupponuntur.*

VT ea, quæ certa ſunt ab incertis ſeparemus, primo vt indubitatum ſupponimus, naturam humanam eſſe aſſumptibilem à Verbo; fuit enim de facto aſſumpta, vt fide myſterij Incarnationis docemur; & conſequentèr fuit aſſumptibilis: ab actu enim ad potentiam irrefragabile ſit argumentum. Ex quo ſecundò, vt omninò certum ſupponendum colligitur, non ſolum humanitatem, quæ de facto fuit aſſumpta, ſed etiam omnium hominum humanitates, numero ab illa diſtinctas, potuiſſe a diuino Verbo aſſumi in vnitatem perſonæ, cuius oppoſitum docuiſſe Vviclef *tamt. cap.* 44. refert Vazquez vbi *infra*, cuius ſententiam, vt omninò abſurdam reijciunt Theologi, & meritò; cum enim natura humana, quæ de facto aſſumpta fuit, & naturæ aliorum hominum ſint eiuſdem ſpeciei; & conſequentèr ſicut perſonalitas propria, quæ ad naturam aſſumptam naturalitèr ſequeretur, ſi non fuiſſet à diuino Verbo præuenta, realitèr ab illa diſtinguitur: ita in alijs naturis realis diſtinctio intercedit inter illas, & perſonalitates proprias, euidenti illatione colligitur, quod non ſolum humanitas, quæ de facto aſſumpta fuit, ſed etiam aliæ humanitates potuerunt à diuino Verbo aſſumi: quod patet, nam ob realem diſtinctionē humanitatis aſſumptè à propria perſonalitate, data eſt in illa capacitas, vt aſſumeretur à Verbo; ſed etiam in alijs humanitatibus datur ſimilis diſtinctio, cum omnes humanitates ſint eiuſdem ſpeciei: ergo etiam aliæ humanitates ſunt à diuino Verbo aſſumptibiles.

3 *Referuntur ſententiæ.*

Hit ita breuitèr præſuppoſitis, dubium reſtat de alijs naturis ſubſtantialibus completis, nempè, de natura Angelica, quæ purè ſpiritualis, eſt, & de natura purè materiali, & corporea. De quo tres verſantur Theologorum ſententiæ.

Prima. Prima negat, poſſe naturam Angelicam à Deo hypoſtaticè aſſumi. Hæc tribuitur Alberto *in* 3. *Sent. diſt.* 2. *art.* 2.

Secunda. Secunda ſententia docet, omnem naturam intellectualem eſſe à Deo aſſumptibilem in vnitatē perſonæ, naturam autem irrationalem à Deo aſſumi non poſſe, etiam de potentia abſoluta. Pro hac referuntur Alexander 3. *p. q.* 2. *membr.* 7. *& q.* 11. *membr.* 1. Bonauentura *in* 3. *diſt.* 2. *art.* 1. *q.* 1. Henricus *quodlib.* 13. *q.* 5. Picus Mirandulanus *in ſua apolog. in defenſ. quarta propoſitionis*, illamque probabilem cenſent Ricardus *in* 3. *diſt.* 2. *art.* 1. *q.* 4. & Gabriel *diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 1. *&* 2. & vt veram ſequitur ex Recentioribus Petrus Hurtado *diſp.* 1. *de anima ſect.* 2. *n.* 46. *&* 3. *p. diſp.* 43.

Tertia. Tertia, & vera ſententia docet, omnem naturam creatam ſubſtantialem, & completam eſſe aſſumptibilem à Deo in vnitatem ſuppoſiti, vel perſonæ. Ita communitèr Scholaſtici cum Magiſtro *in* 3. *Sent. diſt.* 2. & Theologi cum D. Thoma *in hac q. art.* 1. præter ſupra recenſitos: pro cuius explicatione ſit. S. Thom.

4 *Prima concluſio ſtatuitur.* S. Thom.

Prima Concluſio: *Natura Angelica eſt aſſumptibilis à Deo de potentia abſoluta in vnitatem perſonæ, non tamen ita congruentèr, ſicut humana natura.* Hæc concluſio quoad vtramque partem eſt D. Tho. in 3. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 1. *queſtiuncula* 2. Palud. Capreoli, & Hiſpalenſis *ibidem*, & 4. *Contra Gentes cap.* 55. vbi Ferrara eandem ſententiam explicat, & tuetur, & in *præſenti art.* 1. vbi Caiet. Medina, Nazarius Aluarez, Illuſtriſſimus Arauxo, Sancto Thoma, Cabrera, & alij Recentiores Thomiſtæ illam explicant, & defendunt. Eandem ſententia tenent Theologi, tam intra, quam extra Scholam Scoti communiter; cui etiam Theologi Societatis adhærent.

5 *Prima pars concluſionis oſtenditur 1. ex Paul. ad Hebræos 2.*

Et quoad primam partem oſtenditur primò ex Paolo ad Hebræos 2. illis Verbis: *Nuſquam Angelos apprahendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, quod de apprehenſione per vnionem hypoſtaticam accipitur communi interpretatione, commendatque Apoſtolus charitatem Dei erga homines præ Angelis, eo quod, potius humanam, quam naturam Angelicam aſſumpſerit; ſed ſi natura Angelica non eſſet aſſumptibilis à Deo in vnitatem perſonæ, non teneret comparatio, nec amoris commendatio erga homines præ Angelis, cum ad hoc neceſſum ſit, quod Deus libere humanam naturam aſſumpſerit, liberque fuerit in non aſſumendo Angelicam, quæ libertas ſtare nequit, ſi illam non potuit aſſumere; non enim poteſt eſſe libera non aſſumptio, niſi aſſumptio ſit poſſibilis: ergo aſſerendum eſt, naturam Angelicam eſſe à Deo aſſumptibilem de potentia abſoluta in vnitatem perſonæ.

6 *Secundò.*

Secundò probatur: quod enim contradictionem non implicat, eſt Deo poſſibile de potentia abſoluta; ſed aſſumptio naturæ Angelicæ à Deo in vnitatem perſonæ cōtradictionem non implicat: ergo eſt Deo de potentiæ abſoluta poſſibilis, & à diuina omnipotentia factibilis. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: nō enim implicat ex parte Dei aſſumentis, neque ex parte naturæ Angelicæ: ergo ex nullo capite implicat. Antecedens pro prima parte eſt certum: vis namque aſſumptiua Dei eſt per eſſentiam infinita, ac proindè ex parte illius aſſumptio naturę Angelicæ repugnare nō poteſt, niſi imperfectionem dicat, quod cum fundamento non poteſt aſſeuerari, cum ſupponatur ſine vlla imperfectione aſſumere naturam humanam; & conſequenter in aſſumptione naturæ Angelicæ imperfectio eſſe non poſſit, cum ſit humana perfectior.

7 *Minor pro ſecunda parte probatur.*

Deindè eadem minor pro ſecunda parte, in qua eſt difficultas, probatur: ſi repugnaret ex parte naturæ Angelicæ, ideò eſſet, quia perſonalitas Angeli non diſtingueretur realitèr ab eius natura; ſed diſtinguitur realitèr ab illa: ergo ex parte naturæ Angelicæ nulla repugnantia, vel implicatio inuenitur, vt aſſumatur à Deo. Conſequentia probatione non eget, maior eſt certa: tùm, quia aliud repugnantiæ caput aſſignabile non eſt, niſi prædicta indiſtinctio. Tùm etiam: quia non alia ratione in natura humana eſt, vt à Deo aſſumatur capacitas, niſi quia diſtinguitur realitèr à ſua perſonalitate; & conſequenter poteſt, vel propria perſonalitate deſtructa, vel ad

illam non ſubſequuta, per ſubſiſtentiam; & perſonalitatem Verbi terminari, in qua propria perſonalitas eminentèr continetur; ſed ſi perſonalitas Angeli realitèr ab illius natura deſtinguitur; poteſt deſtrui, non deſtructa Angelica natura, vel non conſequi ad illam, quatenus primò productam, & aliàs in ſubſiſtentia Verbi eminentèr continetur, non minùs, quam perſonalitas omnis: ergo reali diſtinctione perſonalitatis Angeli ab illius natura conceſſa, non poteſt aſſumptibilitas à Deo in vnitatem perſonæ Angeli naturæ negari.

8 *Suppoſitū Angeli diſtingui ab illius naturæ, prob. ex D.Th.* Minor eſt expreſſa Diui Thomæ *quodlibet. 2. quæſtione 2. art. 4.* vbi poſtquam *art. 3.* docuerat, dari in Angelis compoſitionem ex eſſentia, & exiſtentia realemque diſtinctionem inter eſſentiam Angeli, & illius exiſtentiam verſari *art. 4.* docet, in Angelis ſuppoſitum realitèr ab illorum natura diſtingui: *Et quod aliquid accidit Angelo præter id, quod eſt de ratione ſpeciei, quia & ipſum eſſe Angeli eſt præter eius eſſentiam, ſeu naturam, & alia quædam ei accidunt, quæ omninò pertinent ad ſuppoſitum, non ad naturam.* Id etiam docet D. Thomas *in hac q. art. 1. ad 3.* vbi Angelicus Præceptor ſupponit, poſſe naturam Angeli ſemel producti aſſumi à Deo, illius perſonalitate deſtructa, etſi in hoc aliquam recognoſcat incongruitatem; ſed potiſſimum argumentum ad probandū, perſonalitatem hominis realiter ab illius natura diſtingui, eſt, quia fuit aſſumpta humanitas, ſine propria perſonalitate: ergo iuxta D.Tho. perſonalitas in Angelis realitèr ab illorum natura diſtinguitur: quæ doctrina, quia ad Metaphyſicos ſpectat, in *præſenti* eſt ſupponenda. (S.Tho.)

9 *Secundò probatur ratione.* Poteſt tamen breuitèr ita ſuaderi: nam ratio diſtinguendi ſuppoſitum à natura in hominibus, vel eſt limitatio naturæ, ob quam indiget complemento realitèr diſtincto, vt exiſtat, vel eſt capacitas receptiua vt *quod* exiſtentiæ, & accidentium competens immediatè ſuppoſito, & non competens naturæ, vt arguit. D.Tho. *quodlibet.* nuper *allegato*, ſed vtraque hæc ratio militat in natura Angelica; eſt enim limitata, & finita, vt omnibus eſt in confeſſo, & incapax recipiendi vt *quod* exiſtentiam, & accidentia, ſuppoſito quod hæc incapacitas naturæ humanæ conueniat: ergo eadem ratione, qua aſſeritur, ſuppoſitum in hominibus, ab illorum natura diſtingui eſt eadem diſtinctio inter ſuppoſitum Angeli, & illius naturam adſtruenda.

Confirmatur primò. Quod amplius vrgetur: nam inter hominem, & Angelorum ſolum eſt differentia compoſitionis ex materia, & forma quæ homini conuenit, & repugnat Angelo; ſed nulla eſt ratio, cur compoſitio ex materia, & forma exigatur neceſſariò ad diſtinctionem realem inter ſuppoſitum, & naturam, & huiuſmodi diſtinctio in prædicta compoſitione adæquatè fundetur: ergo, ſuppoſita diſtinctione reali perſonalitatis à natura in homine, concedenda eſt in Angelo realis diſtinctio perſonalitatis à natura.

Secundò, Confirmatur, & vrgetur ſecundò: etenim quoad diſtinctionem realem inter exiſtentiam, & eſſentiam, potentiarum à natura, & operationis à principio, nullum eſt diſcrimen inter Angelum, & hominem: ergo nec eſt admittendum quoad diſtinctionem realem perſonalitatis à natura; & conſequenter ſicut perſonalitas hominis realitèr ab illius natura diſtinguitur: ita inter perſonalitatem Angeli, & illius naturam eſt realis diſtinctio admittenda.

10 *Secunda pars concluſionis probatur,* Deindè ſecunda pars concluſionis probatur: nam in natura aſſumptibili triplex conſideratur congruentia, nempè, dignitatis, neceſſitatis, & vniuerſalitatis, vel extenſionis; ſed quamuis natura Angelica in prima congruentia excedat naturam humanam, ab illa in alijs exceditur: ergo abſolutè eſt dicendum, naturam humanam fuiſſe congruentius, quam Angelica aſſumptibilem. Minor, in qua eſt difficultas, pro eo quod præſupponit, nempè. Angelicam naturam excedere in congruentia dignitatis humanam patet; eſt enim in linea intellectuali perfectior, quam humana natura, ſaltim in ordine ad operationes naturales eſto in ordine ad viſionem, & amorem & ſupernaturalem conueniant, vt docuimus *tract. de viſione Dei art. 1. & tractat. de beatitudine diſp. 3.* ſed congruentia dignitatis penſatur in natura aſſumptibili ratione intellectualitatis: ergo in hac congruentia excedit natura Angelica humanam.

11 *Exceſſus in alijs probatur.* Quod autem excedatur in alijs, probatur: in primis namque excedit in vniuerſalitate, nam in homine omnes gradus vniuerſi, quodammodò continentur, intelligit namque cum Angelis, viuit cum plantis, ſentit cum animalibus, & in hoc, quod eſt exiſtere, conuenit cum lapidibus, & alijs inanimatis; in Angelo autem præter communem rationem eſſendi ſolus gradus intellectualitatis inuenitur: ergo aſſumpto homine, quodammodo totum vniuerſum aſſumitur: ſicut Euangelium omni creaturæ quodammodo prædicatur, cum homini prædicatur, vt inquit Gregorius, explicans illa verba Chriſti ad Diſcipulos: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*; non ſic autem, ſi Angelus aſſumeretur: ergo, attenta vniuerſalitate, maior congruitas in natura humana, quam in natura Angelica, reperitur in ordine ad aſſumptionem. *S.Greg.*

12 *Prob. exceſſus in congruentia neceſſitatis.* Deindè, quod etiam natura humana excedat Angelicam in congruentia neceſſitatis, oſtenditur primò: quia licet vtraque natura peccauerit, peccatum tamen Angeli irremiſſibile eſt, ſecundum communem modum, quo peccatum in ordine gratiæ remittitur, videlicet; per hoc, quòd peccans auertatur à peccato, & conuertatur in Deum, eo quòd Angelus inflexibilitèr adhæret per electionem, ſiue ad bonum, ſiuè ad malum inclinetur; homo autem eſt flexibilis arbitrij, non ſolum ante, ſed etiam poſt electionem; & conſequentèr illius peccatum poteſt, iuxta communem modum ordinis gratiæ, remitti: ergo, attenta congruentia neceſſitatis redemptionis à peccato, natura humana excedit naturam Angelicam. Secundò, nam licet demus, Angelum poſt electionem inflexibilem non eſſe, nec immobilitèr malo adhærere; propria tamen voluntate peccauit, & non ab alio ſeductus, ſed ex malitia deliquit; nos autem non, propria, ſed aliena voluntate peccauimus, & primus Parens, cuius peccatum fuit noſtrum ab vxore ſuaſus; vxor autem à ſerpente; ſed maior congruentia eſt, vt peccatum ex aliena voluntate contractum, & externa ſuaſione commiſſum remittatur, quam id, quod propria voluntate, & ex malitia committitur: ergo maior congruentia neceſſitatis inuenitur in humana natura, vt aſſumatur à Deo in ordine ad deſtruendum eius peccatum, quam in natura Angelica, eſto poſt electionem inflexibilis non ſit, nec immobilitèr perſeueret in malo.

13 *Dices.* Dices, his rationibus probari, maiorem congruentiam in homine reperiri, vt per Dei miſericordiam eius remittatur peccatum, & vt Deus naturam creatam aſſumat ad ſatisfaciendum pro illo, quam inuenitur in Angelo; non autem probare maiorem congruentiam, vt natura humana aſſumatur, nam potuit Deus Angelicam aſſumendo naturam pro homine ſatisfacere.

14 *Sed contra.* Sed contra: nam ſemel dato, ob rationes aſſignatas, eſſe in humana natura maiorem congruentiam, vt illius remittatur peccatum, & vt Deus ex eius miſeria motus, naturam aſſumat creatam ad ſatisfaciendum pro illa, conuincitur maior congruentia, vt natura humana aſſumatur à Deo, & illa ſatisfaciat: ergo ſolutio tradita eſt nulla. Antecedens probatur: tùm, quia aſſumendo naturam humanam melius ſeruatur in ſatisfactione iuſtitia, quatenus ille, qui peccauit, licet non indiuidualiter, ſpecificè tamen ſatisfacit. Tum etiam; quia hoc modo magis Dei potentia oſtenditur, naturam humanam infimam ad tantam euehendo dignitatem. Tùm denique, quia magis inimicus confunditur, Deique potentia monſtratur, eius armis ipſum ſpoliando, quatenus ex ſtirpe infecta, illiuſque poteſtati per peccatum ſubiecta, natura aſſumitur, in qua Deus ſubſiſtens, ipſum ſpoliat, & vincit.

---

§. II.

Primum argumentum contrariæ ſententiæ diluitur; & mens Diui Thomæ explicatur.

15 *Primò arguitur.* Contra iſtam concluſionem arguitur primò: in Angelis non diſtinguitur realitèr perſonalitas à natura; ſed ſine hac diſtinctione non ſtat, naturam Angelicam eſſe aſſumptibilem à Deo, in vnitatem perſonæ: ergo non eſt aſſumptibilis. Conſequentia tenet, minor eſt certa: cum enim perſona Angelica nequeat aſſumi, vt *ſeq. diſput.* conſtabit etiam de potentia abſoluta, nec natura, ſaltim connaturaliter, poſſit aſſumi, propria perſonalitate retenta, neceſſarium eſt, vt natura Angelica poſſit aſſumi, quod poſſit ſine propria perſonalitate exiſtere: ex quo infertur, debere realitèr à propria perſonalitate diſtin-

diſtingui, vt poſſit aſſumi à Deo, eique hypoſtaticè vniri: qua ratione communiter probant Theologi, perſonalitatem realitèr à natura humana diſtingui, quia ſine illa in ſuppoſito Verbi inuenitur. Maior autem probatur ex
S. Thom. D. Tho 1. p. q. 3. art. 3. in corpor. illis verbis: *In his, quæ non ſunt compoſita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non eſt per materiam indiuidualem, id eſt per hanc materiam, ſed ipſa forma per ſe indiuiduantur, oportet, quòd ipſæ formæ ſint ſuppoſita ſubſiſtentia: vndè in eis nõ differt ſuppoſitum à natura: & ſic, cum Deus non ſit compoſitus ex materia: & forma, oportet, quod Deus ſit ſua deitas ſua vita, &c.* Id ipſum docuit Angelicus Doctor q. 9 *de potentia art. 1. in corp. in 3. diſt. 5. q. 1. art. 1.* Sed Angeli ex materia, & forma non ſunt compoſiti: ergo in illis ſuppoſitum, vel perſona à natura realitèr nõ diſtinguitur.

16 *Confirmatur.* S. Tho. Quod amplius vrgetur ex eodem D. Thoma 4. *Contra Gentes cap. 55.* vbi probat conuenientius fuiſſe, Verbum humanam naturam, quam Angelicam aſſumere: *Quia aſſumptio naturæ à Deo eſt in perſona, non in natura; in homine autem aliud eſt natura, & aliud perſona, quia eſt ex materia, & forma compoſitus; non autem in Angelo qui immaterialis eſt*: ergo iuxta Diuum Thomam in Angelo perſonalitas à natura realitèr non diſtinguitur.

17 *Prima D. Tho. explicatio reijcitur.* Huic argumento reſponderi ſolet primò, D. Thomam *in præallegatis locis* illam tenuiſſe ſententiam, quam tamen retractauit *in hac 3. p. q. 4. art. 1. ad 3.* Ita Recentiores quidam Thomiſtæ. Quæ ſolutio facilis quidem eſt ad vitandum laborem in mente Diui Thomæ indaganda; indigna tamen, vt à Diſcipulis D. Thomæ tradatur, niſi vel vbi Angelicus Doctor expreſsè ſententiam retractat, vel cum nulla via apparet ad eius conciliandam doctrinam. Et quidem, quòd D. Thomas teneret, perſonalitatem realitèr ab Angelica natura diſtingui indè infertur; quia *in hac 3. p.* docuit, potuiſſe à Diuino Verbo aſſumi, ſine propria perſonalitate; at id ipſum docuit 4. *Contra Gentes cap. 55.* vbi tamen ait, perſonalitatem in Angelo non eſſe à natura diſtinctam: ergo vel dicendum eſt, *in præſenti* non docere realem diſtinctionem perſonalitatis à natura Angelorum, vel *loca* in contrarium *adducta in confirmatione argumenti* realem diſtinctionem inter ſuppoſitum, & naturam Angelicam non negaſſe, quo ſemel conceſſo, non eſt, cur eandem explicationem in alijs *locis* in contrarium *adductis* verba Angelici Præceptoris non patiantur: & conſequentèr recurſus Recentiorum Thomiſtarum ad hoc, quòd D. Thom. ſententiam mutauerit, admittendus non eſt.

18 *Secunda explicatio D. Th.* Secunda ſolutio eſt Capreoli in 3. *diſt. 5. q. 3. art. 3.* vbi docet, oppoſitum dupliciter ſumi. Primò denominatiuè, pro ſe, quæ denominatur ſubſiſtens. Secundò, prout de formali ſubſiſtentiam importat: cum ergo ait D. Thomas, ſuppoſitum in ſeparatis à materia non diſtingui realitèr à natura, loquitur de ſuppoſito pro ſe, quæ denominatur ſubſiſtens, non autem prout de formali importat ſubſiſtentiam: ſic namque, etiam in Angelis ſuppoſitum à natura diſtingui, docet Angelicus Doctor *locis* à Nobis *relatis*.

19 *Reijcitur.* Verum hæc ſolutio ex eo difficilis redditur, nam falſum eſt, naturam in ſeparatis a materia eſſe denominatiuè ſuppoſitum, vel quæ ſubſiſtit vt *quod*; ſed, vt hæc ſolutio eſſet vera, neceſſum erat, quòd natura Angelica eſſet ſubſiſtens vt *quod*: ergo tradita ſolutio menti Diui Thomæ non congruit. Maior oſtenditur primò: natura humana non ſubſiſtit vt *quod*, ſed vt *quo*, aliàs denominaretur perſona; & conſequenter duplex perſona reperietur in Chriſto, ſumpta perſona denominatiuè, quamuis ab eadem forma vtraque conſtitueretur: ſed quoad hoc eadem prorſus eſt ratio, de natura humana, ac de Angelica: ergo natura Angelica non eſt denominatiuè ſuppoſitum, nec ſubſiſtens vt *quod*.

20 *Secundò.* Secundò, nam id ſubſiſtit vt *quod*, quod vt *quod* exiſtit, & vt *quod* operatur; ſed natura Angelica non exiſtit, nec operatur vt *quod*, dato, vt ſupponit Capreolus, ſubſiſtentiam in Angelis realiter diſtingui à natura, cũ ad hoc ſubſiſtentia realiter à natura diſtincta conſtituatur, vt ſuppoſitum conſtituerum per illam vt *quod* exiſtat, & vt *quod* operetur, aliiſque accidentibus vt *quod* ſubijciatur: ergo non eſt denominatiuè ſuppoſitum, nec ſubſiſtens vt *quod*.

21 *Tertiò.* Tertiò eadem maior probatur: nam ſi Angelica natura eſſet denominatiue ſuppoſitum, ſequeretur, de omni ſuppoſito Angelico verè, in ſenſu identico, ſuam naturam in abſtracto prædicari: conſequens eſt falſum, nam D. Thomas ſoli Deo concedit, quod de illo ſua natura in abſtracto prædicetur: ergo falſum etiam eſt, quòd natura Angelica ſit denominatiuè ſuppoſitum. Denique probatur maior: nam ſi natura Angelica, vt potuit, aſſumpta fuiſſet à Verbo non eſſet denominatiuè, ſuppoſitum, nec ſubſiſteret vt *quod*: ergo nec per propriam ſubſiſtentiam ſubſiſtit vt *quod*, ſed vt *quo*. Conſequentia tenet à paritate rationis; & inſuper, nam ſubſiſtentia Verbi gerit vices ſubſiſtentiæ propriæ: ergo ſi per ſubſiſtentia Verbi terminata non denominaretur ab illa, ſuppoſitum, aut ſubſiſtẽs vt *quod*, nec terminata per ſubſiſtentiam propriam talem ab illa ſuſcipit denominationem. Antecedens autem probatur: ſi natura Angelica à diuino Verbo aſſumpta ſubſiſteret vt *quod* per ſubſiſtentiam Verbi, ſequeretur, ipſi vt *quod*, & non Verbo in illa ſubſiſtenti attribuendas eſſe operationes; hoc autem falſum eſt, nam eodem modo in illo caſu eſſet verum, Verbum nos redimere per operationes mediante natura elicitas, ac modò verificatur de Verbo in humana ſubſiſtente natura: nullus enim quantum ad hoc diſcrimen ſtatuit in vno, & altero caſu: ergo natura Angelica à Diuino Verbo aſſumpta, non vt *quod*, ſed vt *quo* tantum ſubſiſteret.

Quod amplius vrgetur: nam ſi natura Angelica Verbo hypoſtaticè vnita eſſet denominatiuè ſuppoſitum, ſubſiſtens vt *quod* per ſubſiſtentiam Verbi, eſſet etiam denominatiuè perſona; & conſequentèr in aliquo vero, & catholico ſenſu poſſet in prædicto caſu concedi duplex in Chriſto perſona. Conſequens autem eſt falſum, aliàs etiam poſſet modò in Chriſto duplex perſona concedi; quod catholicè nequit defendi: ergo falſum etiam eſt caſu, in quo natura Angelica aſſumeretur à Verbo, futuram eſſe denominatiuè ſuppoſitum, & ſubſiſtentem vt *quod*. 22 *Confirmatur.*

Tertia ſolutio conceſſa maiori, negat minorem, quòd, nempè, ſine diſtinctione reali perſonæ à natura in Angelis non poſſit natura Angelica aſſumi, Deoque in vnitatem perſonæ vniri. Hæc tribuitur Ferrarienſi 4. *Contra gentes cap. 55.* ſeiſ *Circam ſecundam rationem*: vbi docet, quod, in Angelis, non eſſe diſtinctionem naturæ à perſona, non tollit, quin abſolutè poſſit Deus aſſumere naturam Angelicam in vnitatem perſonæ. 23 *Tertia ſolutio. Ferrar.*

Hæc tamen ſolutio eſt falſa, nec credo, eſſe de mente Ferraræ, quamuis verba ex ipſo adducta ſufficiens fundamentum præbuerint, vt illi attribuatur. Primum patet ex dictis inter arguendum, nam fundamentum potiſſimum, & vnicum in multorum ſententia, quo Theologi ſunt cõuicti, vt agnoſcant realem diſtinctionem perſonæ à natura in homine, eſt, quia in humanitate aſſumpta, non eſt propria perſonalitas ſed fuit impedita, vel præuenta a perſonalitate Verbi, illam perſonante, & terminante; ſed in natura Angelica aſſumpta à Deo in vnitatem perſonæ nõ eſſet propria perſonalitas, ſed vel præueniretur, impediretur que illius exiſtentia à ſubſiſtentia diuina, ſi aſſumeretur in primo ſuæ productionis inſtanti, vel ſi iam producta aſſumeretur, priuaretur perſonalitate propria, vt docent communitèr Theologi cum D. Tho *in præſenti art. 1. ad 3.* cuius verba adducit Ferrara vbi *proximè* ergo perſonalitas Angeli non poteſt non diſtingui à natura, ſi hæc aſſeratur aſſumptibilis a Deo in vnitatem perſonæ. 24 *Reijcitur hæc ſolutio.*

Et ex his Mihi ſuadeo, Ferraram in prædicta ſententia non fuiſſe, nec traditæ ſolutioni adhæſiſſe; nam poſt verba ex ipſo adducta, adiungit ex D. Thoma, quòd vt natura Angelica aſſumeretur a Deo, vel eſſet propria perſonalitas impedienda; vel eſſet illa priuanda; ſi autem natura Angeli à propria perſonalitate eſſet realiter indiſtincta, nec poſſet ab illa impediri, nec illa poſſet priuari. Cum ergo docet, indiſtinctionem realem naturæ a perſona in Angelis non obſtare, quo minus natura Angelica aſſumi poſſit a Deo in vnitatem perſonæ, non loquitur de omnimoda indiſtinctione, ſed de illa, de qua D. Thomà loquit, nempè, pro radice perſonalitatis, vt a ſequentibus cõſtabit. 25 *Ferrarienſis mens explicatur.*

Quarta huius argumenti ſolutio eſt ſuppoſitum dupliciter ſumi poſſe: primò, pro ſubſtantia indiuidua omninò incommunicabili: ſecundò, pro indiuiduo naturæ, & cum D. Thom docet, in ſubſtantijs ſpiritualibus ſuppoſitum non diſtingui realiter à natura, non loquit de ſuppoſito in prima, ſed in ſecunda acceptione. Ita Caietanus, Medina, Aluarez, Nazarius, & frequentiùs cæteri Diui Thomæ Diſcipuli. 26 *Quarta ſolutio.*

Contra quam ſolutionem obſtat primò. D. Thom. *locis allegatis* aſſerere, formas ſpirituales completas, quia ſe ipſis indiuiduantur, eſſe ſuppoſita ſubſiſtentia; ſed ſuppoſitum ſubſiſtens eſt ſubſtantia indiuidua omninò incommunicabilis: ergo nomine ſuppoſiti non accipit 27 *Contra iſtã ſolutionem arguitur primò.*

indiuiduum naturæ, ſed ſubſtantiam vltimò terminatam, completam, & omninò incommunicabilem.

28 *Secundò.* Secundò, nam ex indiſtinctione ſuppoſiti à natura in Angelis refert D. Thomas, naturam humanam eſſe magis aſſumptibilem à Verbo, quam Angelicam naturam; ſed ſi perſonalitas à natura Angelica realitèr diſtingueretur, quamuis indiuiduum naturæ non diſtingueretur ab illa, inepta eſſet hæc illatio, nam aſſumptibilitati naturæ non repugnat illius indiuiduatio, ſed ſubſiſtentia, vel perſonalitas: ergo ſolutio tradita menti D. Thomæ non congruit.

29 *Tertiò.* Tertiò, nam ex eoquòd in ſimplicibus non diſtinguitur ſuppoſitum à natura, & Deus ſimplex eſt, & ex materia, & forma incompoſitus, infert D. Thomas, deitatem, vitam, ſapientiam, & alias perfectiones diuinas ſumptas in abſtracto verè prędicari de Deo vel de concreto deitatis; ſed ſi nomine ſuppoſiti accepiſſet indiuiduum naturæ, hæc conſequentia eſſet nulla: ergo nomine ſuppoſiti non accipit indiuiduum. Minor probatur dupliciter, primò, nam in Angelis indiuiduum naturæ non diſtinguitur à natura; & tamen quia perſona realitèr à natura diſtinguitur, non poteſt natura Gabrielis ſumpta in abſtracto verè de Gabriele prædicari: ergo ſi nomine ſuppoſiti accepiſſet indiuiduum naturæ, illatio Diui Thomæ eſſet nulla.

Secundò probatur minor: nam Deus eſt nomen naturæ de connotato importans ſubſiſtentiam, & potens pro perſonis ſupponere; quo circa hæc propoſitio. *Deus genuit Deum*, vera cenſetur à Theologis; hæc tamen: *Deitas generat Deitatem*, vt falſa ab illis reijcitur, ergo ſi perſonæ diuinæ realitèr à natura differrent, quamuis indiuiduum deitatis realiter non diſtingueretur ab illa; hęc propoſitio: *Deus eſt deitas*, vera non eſſet. Patet conſequentia: quia namque homo importat in communi ſubſiſtentiam, & pro perſona in particulari poteſt ſupponere, & hæc realitèr à natura diſtinguitur, quamuis indiuiduatio non diſtinguatur realiter à natura humana, hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, falſa eſt in ſententia D. Thomæ: ergo ſi perſonæ diuinæ realiter à natura differrent, quamuis indiuiduum deitatis realitèr non diſtingueretur ab illa, hæc propoſitio: *Deus eſt deitas*, vera non eſſet.

30 *Quartò.* Quartò contra eandem ſolutionem facit; nam D. Thomas diſcrimen ſtatuit inter ſimplicia, & compoſita quoad hoc, quod eſt, ſuppoſitum diſtingui à natura; ſed ſi nomine ſuppoſiti accepiſſet indiuiduum, hoc diſcrimen non ſubſiſteret: ergo nomine ſuppoſiti non intelligit indiuiduum. Probo minorem: indiuiduatio in homine non diſtinguitur realitèr à natura: ergo, ſi nomine ſuppoſiti accipiatur indiuiduum naturæ, falſo D. Thom. aſſereret, in compoſitis ex materia, & forma ſuppoſitum realiter diſtingui à natura; ſecus autem in ſimplicibus, hoc eſt, ex materia, & forma incompoſitis; & conſequentèr diſcrimen à D. Thoma ſtatutum inter ſimplicia, & compoſita non ſubſiſteret.

31 *Vltimò.* Denique contra eandem obſtat: nam intentum Diui Thomæ in *art. ex 1. p. allegato*, erat probare, Deum non eſſe compoſitum ex eſſentia, & ſubſiſtentia: ſicut in *præcedenti art.* excluſerat à Deo compoſitionem ex materia, & forma; ſed medium probatiuum fuit, quia non eſt compoſitus ex hac forma, & hac materia, vel quia principium radicale indiuiduationis eſt à natura indiſtinctum: ergo ſentit omne incompoſitum ex hac materia, & hac forma, & omne id, in quo principium radicale indiuiduationis non diſtinguitur à natura, eſſe incompoſitum realiter ex eſſentia, & ſubſiſtentia; ac per conſequens, cum Angelus ex materia, & forma non ſit compoſitus, & principium indiuiduationis non ſit ab illius natura diſtinctum, non erit in illo realis compoſitio ex eſſentia, & ſubſiſtentia: ex quo vlterius ſequitur in Angelo non diſtingui realitèr perſonalitate à natura. Maior probatur: nam D. Thomas *alicubi* excluſit à Deo compoſitionem ex eſſentia, & ſubſiſtentia, ſed non *alibi*, niſi in *allegato art.* ergo in illo hanc compoſitionem excluſit, & ſimplicitatem iſtam probauit.

§. III.

Defenditur prædicta explicatio, & cæteræ obiectiones diluuntur.

HÆc tamen, etſi vrgentia ſint, non tamen eneruant ſolutionis traditæ veritatem, ſi rectè explicetur. 32
Ad primam reſpondeo primo, formas ſeparatas à materia ſe ipſis eſſe ſuppoſita ſubſiſtentia, ſumpta ſubſiſtentia pro irreceptibilitate in materia, & incommunicabilitate alteri, vt indiuiduo; non autem ſumpta ſubſiſtentia pro perſeitate incommunicabilitatis alteri tanquam ſuppoſito: hæc namque, cum nulla natura creata poteſt identificari, vt ex D. Thoma vidimus. Vel ſecundò reſpondetur, formas ſeparatas à materia eſſe per ſe ipſas ſuppoſita ſubſiſtentia vt *quo*, & *radicaliter*; non autem vt *quod*; & *formaliter*; quia natura non ſubſiſtit vt *quo*, nec radicat ſubſiſtentiam, niſi vt indiuidua eſt autem hæc differentia inter formas ſeparatas, & illas, quæ in materia receptibiles ſunt, quòd formæ ſeparatæ ſe ipſis indiuiduantur: formæ verò receptibiles, per materiam vt quantitate ſignatam; & ideò formæ ſeparatæ ſe ipſis ſubſiſtunt vt *quo*, & ſe ipſis ſubſiſtentiam radicant; formæ verò receptibiles, nec radicant ſubſiſtentiam, nec ſubſiſtunt ſe ipſis vt *quo*, ſed per aliquid ab illis diſtinctum. *Reſpondetur primo ad primã obiectionem.* *Secundò.*

Ad ſecundam obiectionem, nego minorem: cum enim identitas ſubſiſtentiæ cum natura obſtet aſſumptibilitati, 33 *Ad ſecundam.* quo maior eſt, magis obſtat, & quò minor, obſtat minus. Quia ergo in Angelis ſubſiſtentia, etſi ſumpta formalitèr diſtinguatur à natura, ſumpta in radice non diſtinguitur ab illa; in naturis autem ex materia, & forma compoſitis perſonalitas ab illis diſtinguitur, tam formalitèr, quam pro radice, hinc fit, perſonalitatem intimiorem eſſe naturis Angelicis, quàm naturæ humanæ, quæ ex materia, & forma componitur; ac proindè naturam humanam eſſe magis aſſumptibilem, quam natura Angelica. Et quidem cum Diuus Thomas vtramque aſſumptibilem eſſe in ſua comparatione ſupponat, in vtraque etiam ſupponit, perſonalitatem à natura diſtingui: vndè maior congruitas, quam, vt aſſumi poſſet, naturæ humanæ concedit, præ Angelica, non ſumitur ex identitate perſonalitatis cum illa, ſed ex minori diſtinctione.

Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem: ad primam probationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam Gabriel 34 *Ad tertiam.* non poteſt accipi pro natura, ſed tantum pro ſuppoſito, & perſona, & idem eſt de alijs Angelis dicendum; Deus autem poteſt accipi pro natura diuina indiuidua præciſiuè à tribus perſonis; & ideò ex eo, quòd Deus, quia ſimplex eſt ex parte indiuiduationis, à deitate realiter nõ diſtinguatur, rectè colligitur, de Deo prædicari deitatem; non autem id ipſum de natura Angelorum infertur. Ratio autem aſſignati diſcriminis eſt, nam deitas præcedentèr ad perſonas ſupponitur ſummè perfecta, & completa ad exiſtendum; non enim ratione perſonalitatum exiſtit ſed potius proprietatibus perſonalibus exiſtentiam communicat; & ideò hoc nomen *Deus*, quod naturam vt completam ſignificat, poteſt pro natura ſupponere præciſiuè à perſonis, & de illo, vt ſic ſupponente, verè prædicari natura; in Angelis autem oppoſitum oppoſita de cauſa contingit, ſubſiſtentia namque perſonalis in illis non ſupponit naturam completam, ſed complet ad exiſtendum: & ideò nomina concreta ſignificantia naturam, vt completè ſubſiſtentem, non poſſunt pro natura ſupponere, nec de illis in concreto poteſt prædicari natura.

Et ex his ad ſecundam probationem minoris, conceſſo 35 antecedenti, nego conſequentiam: ad cuius probationem, diſtinguo antecedens: quia tantum pro perſona ſupponit, concedo antecedens: quia ſupponit pro perſona, nego antecedens, & conſequentiam; nam Deus, licet poſſit ſupponere pro perſonis, non tamen ſupponit tantum pro illis, ſed etiam pro natura indiuidua, reali ſuppoſitione immediata; & ideò, eo ipſo, quòd natura diuina indiuidua ſit ſe ipſa, quamuis perſonalitates eſſent realitèr à natura diſtinctæ, poſſet deitas prædicari de Deo; homo autem vt ſupponens perſonaliter ſolum poteſt pro perſona humana ſupponere ob rationem aſſig- *Ad ſecundam probationem minoris.*

natam

netam de Angelis; & quia hæc à natura diſtinguitur realiter, ideò de homine vt perſonalitèr ſupponente, non poteſt verè humanitas prædicari.

36 *Ad quartam.* Ad quartam, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, diſtinguo antecedens: pro formali indiuiduationis, concedo antecedens: pro radice, nego antecedens, & conſequentiam, nam in compoſitis ex materia, & forma, etſi indiuiduatio naturam contrahens: & indiuiduum metaphyſicè conſtituens, ſumpta formalitèr, identificetur realitèr cum natura; quia tamen fundamentum illius eſt materia ſignata quantitate, & hæc realiter à natura diſtinguitur, fit, quòd indiuiduatio radicalitèr ſumpta realitèr differat à natura; in ſimplicibus autem non ita, nam principium indiuiduationis non ſumitur ab aliquo extrinſeco, nec ab aliquo realiter ab illorum natura diſtincto, ſed illarum naturæ ſe ipſis indiuiduantur quia ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes, & irreceptibiles in materia.

37 *Ad vltimam obiectionem reſpondetur primò.* Ad vltimam obiectionem reſpondeo primò, negando maiorem, ad probationem dicatur, D. Thomam egiſſe de identitate ſubſiſtentiæ cum eſſentia *q.39.* diſputans de identitate perſonæ cum eſſentia diuina. *Dices.* Si dicas, diuerſa eſt ſubſiſtentia abſoluta in Deo à perſonalitate: ſed *ibi* egit de perſonalitate; ergo non de ſubſiſtentia. *Reſpondeo.* Reſpondeo ſemel conuicta identitate perſonalitatis, quæ relatiua eſt cum eſſentia, à fortiori conſtare identitatem ſubſiſtentiæ abſolutæ cum eſſentia diuina; ideò autem Diuus Thomas quæſtionem diſtinctam non mouit, quia ſubſiſtentia non perſonalis, nec ſuppoſitalis non ita nota eſt; ac ſubſiſtentia ſuppoſitum, vel perſonam conſtituens.

38 *Secundò.* Secundo reſpondeo, prætermiſſa maiori, diſtinguendo minorem: medium probatiuum inferens adæquatè identitatem ſubſiſtentiæ cum eſſentia diuina, nego minorem. inadæquatè inferens, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque duplex caput aſſignatur à Diu. Thoma diſtinctionis ſubſiſtentiæ à natura. Vnum eſt compoſitio ex materia, & forma, & diſtinctio principij indiuiduationis à natura indiuiduata; aliud eſt capacitas recipiendi accidentia, & exiſtentiam diſtinctam componendique cum illis: vndè Diuus Thomas inferens in Deo identitatem ſubſiſtentiæ cum natura ex negatione compoſitionis ex materia, & forma intulit ex vno capite, illaturus ex principio adæquato prædictam indiſtinctionem, probatis in *ſequentib. artic.* negatione compoſitionis in Deo ex eſſentia, & exiſtentia, & ex ſubiecto, & accidentibus. Ideò autem in *illo articulo* ſolum inadæquatè probauit; quia ſolum à Deo excluſerat vnam ex dictis compoſitionibus, videlicet, ex materia, & forma.

39 *Dices.* Sed dices; ergo non rectè proceſſit, ſed debebat prius omnes illas compoſitiones excludere; ſiquidem negatio huius compoſitionis ex negatione illarum adæquatè inferebatur. *Reſpondeo.* Reſpondeo, negando conſequentiam: nam licet attenta ſola dependentia iſtius negationis, ſic procedere debuiſſet; quia tamen prædictæ compoſitiones, illo modo comparantur, quòd prima eſt ex materia, & forma, ſecunda ex eſſentia, & ſubſiſtentia, tertia ex eſſentia, & exiſtentia, & quarta ex ſubiecto, & accidentibus, vt eo ordine illas excluderet à Deo, quo in creaturis inueniuntur, ideò talem ordinem ſeruauit, & alterutio prætermiſſit.

40. *Sed inſtabis contradicta.* Adhuc tamen contra dicta reſtat non modica difficultas: nam D. Thomas *in 3. diſt. 5 q. 1. art. 3. in corp.* docet ex Auicena: *Quod in ſimplicibus ipſum ſimplex eſt ſua quidditas; quidditas verò compoſiti non eſt ipſum compoſitum; humanitas enim non eſt homo*, & rationem reddit, *quia in ſignificatione humanitatis continentur tantum eſſentialia principia hominis; non autem ea, quæ pertinent ad determinationem materiæ, per quam natura indiuiduatur, quæ tantum continentur in ſignificatione ſortes: & ideò humanitas non prædicatur* Et quibuſdam interpoſitis ait; *In ſimplicibus autem non differt re natura, & perſona, quia natura non recipitur in aliqua materia, per quam indiuiduatur, ſed eſt per ſe ſubſiſtens: tamen in quantum conſiderantur eſſentialia res, ſic dicimus ibi naturam; in quantum autem inuenitur aliquid ſubſiſtens, ſic dicimus ibi perſonam*; ergo ſentit D. Thomas in compoſitis ex materia, & forma non prædicari naturam de ſuppoſito, & perſona, quia cum natura tantum eſſentialia ſignificet; perſona autem addat indiuiduationem, quæ eſt extra illorum eſſentiam eſt quaſi pars; in ſimplicibus autem naturam prædicari de ſuppoſito, & perſona; ſed ſi perſona in ſimplicibus realitèr à natura differret, non poſſet natura prædicari de perſona: ergo in non compoſitis ex materia, & forma, perſonalitas non eſt realiter à natura diſtincta.

41 *Reſpõdeo.* Reſpondeo, perſonam ſiuè in ſimplicibus, ſiuè in compoſitis, importare ſubſiſtentiam in recto, & in obliquo naturam, vt indiuiduam: natura namque non niſi vt indiuidua eſt proximè ſuſceptiua exiſtentiæ. Diſcrimen ergo à D. Thoma ex Auicena ſtatutum inter ſimplicia, & compoſita ſic intelligendum eſt, quòd ſimplex eſt ſua quidditas ex parte naturæ indiuiduæ, quia indiuiduatio in ſimplicibus non ſumitur ab extrinſeco, ſed eſt illis eſſentialis: vndè, cum natura dicat prædicata eſſentialia, ipſum ſimplex quoad id, quod perſona dicit in obliquo, ſcilicet, naturam indiuiduam, eſt ſua quidditas, & de illo ſic ſumpto propria quidditas prædicatur: in compoſitis autem, quia indiuiduatio illis eſſentialis non eſt, ſed accidentalis prædicabiliter, licet eſſentiam determinet, vt docet D. Thomas *quodlibet 2. vbi ſupra*, & natura ſolum importat prædicata eſſentialia, fit, vt compoſitum ex materia, & forma, etiam ex parte naturæ indiuiduæ, quam de connotato importat perſona, ſua quidditas non ſit, ſed quidditas comparetur, vt pars etiam reſpectu naturæ indiuiduæ, quæ eſt proximum ſuſceptiuum exiſtentiæ.

Sed dices: adhuc non ſaluari diſcrimen; docet enim D. Thomas, de compoſitis naturam non prædicari, benè tamen de ſimplicibus, ſed loquendo ex parte naturæ indiuiduæ, quam de connotato importat perſona, etiam de compoſitis prædicatur natura ergo explicatio tradita non ſaluat diſcrimen ab Angelico Doctore inter ſimplicia, & compoſita conſtitutum. Patet minor: hæc namque prædicatio eſt vera: *Humanitas indiuidua eſt humanitas*: ſicut hæc, *humanitas eſt animalitas*, vt communitèr docetur in Logica: ergo de compoſitis ex materia, & forma, ex parte naturæ indiuiduæ, quam de connotato importat perſona, verè prædicatur natura. 42 *Sed dices adhuc.*

Reſpondeo, naturam indiuiduam, quam de connotato importat perſona, conſiderari poſſe duplicitèr, nempè formaliter, & radicalitèr, & diſcrimen conſiſtere in hoc, quod in ſimplicibus, quia natura indiuiduatur ſe ipſa, de illis ex parte naturæ indiuiduæ, attenta etiam indiuiduationis radice, prædicatur natura; in compoſitis autem, licet de natura indiuidua, ſumpta indiuiduatione formaliter prædicetur natura, ſumpta verò radicaliter non prædicatur, quia natura in illis indiuiduatur per materiam quantitate ſignatam, de qua non prædicatur natura. 43. *Reſpondeo.*

Secundò principalitèr contra eandem concluſionem arguitur: ſi natura Angelica eſſet aſſumptibilis à Deo, poſſet aſſumi, non ſolum vt primò exiſtens, ſed etiam poſtquam eſſet producta, & propria perſonalitate ſubſiſtens; conſequens eſt falſum; ergo & quòd ſit aſſumptibilis à Deo. Sequela patet; ſi namque perſonalitas Angeli poteſt præueniri à perſonalitate diuina, impedirique, ne reſultet ad naturam, vt primò exiſtentem: poterit ſemel iam exiſtens deſtrui, perſeuerante natura; ſed poteſt aſſumi natura vt primò exiſtens, quia impediri poteſt perſonalitas propria, ne conſequatur, vel ſimul producatur cum illa; ergo poterit etiam aſſumi poſtquam iam exiſtens, & propria perſonalitate ſubſiſtens. Minor autem probatur; ſi iam exiſtens poſſet natura Angelica aſſumi, ſequeretur, perſonalitatem Angeli poſſe corrumpi, corruptione propriè ſumpta, prout ab annihilatione diſtinguitur; conſequens eſt falſum; ergo natura Angelica iam exiſtens aſſumi non poteſt. Sequela patet; nam caſu, in quo natura Angeli ſemel ſubſiſtens aſſumeretur, perſonalitas propria corrueret, & deſineret, vt docet Diuus Thomas *in præſenti art. 1. ad 3.* eo quòd non poteſt ſimul diuina ſubſiſtentia, & propria perſonalitate ſubſiſtere; ſed non deſineret annihilatione: nam hæc terminatur in nihilum, perſonalitas autem in nihilum non tranſiret, quandoquidem perſeueraret, à qua, vt ſubiecto dependet; qua ratione forma equi non annihilatione, ſed corruptione deſinit eſſe quia, nempè, materia, à qua dependet, illa deſtructa in rerum natura relinquitur; ergo in tali caſu perſonalitas Angeli corruptione deſineret. Falſitas conſequentis probatur: nam ſequeretur, Angelum corruptibilem eſſe, hoc eſt, potentem corruptione deſinere; conſequens eſt falſum; Angelus enim non poteſt incipere per generationem, vel eductionem, ſed ſolum per creationem, cum non ſit ex materia, & forma compoſitus, ſed forma ſimplex, cui repugnat eductio de potentia materiæ, & conſequenter nec poteſt aliter quam per annihilationem deſinere; deſitio namque, & inceptio in quacumque natura proportionentur; ergo Angeli perſonalitas non poteſt corrumpi. Sequela probatur; ſuppoſita namque diſtinctione perſonalitatis à natura, Angelus componitur ex natura, & perſonalitate; ſed compoſitum deſtruitur, deſtructa qualibet parte; ergo corrumpitur, qualibet parte corrupta; & conſequenter, ſi perſonalitas, ex qua, & natura componitur Angelus, poteſt corruptione deſinere, neceſſariò eſt concedendum, An- 44 *Secundo principaliter arguitur.*

gelum poſſe corrumpi, & deſinere eſſe corruptione ſtrictè ſumpta pro mutatione ab annihilatione diſtincta.

Reſpondeo, concedendo ſequelam, & negando minorem; ad cuius probationem dicatur, corruptionem dupliciter ſumi poſſe. 45 *Reſpondeo.* Primò, ſtrictè prout generationi reſpondet: in quo ſenſu, ſicut ad generationem non ſufficit productio cuiuſque entitatis ex præexiſtente ſubiecto, ſed requiritur, quòd ſit productio formæ conſtituentis compoſitum ſecundum eſſe eſſentiale: ita ad corruptionem non ſufficit deſitio cuiuſcumque entitatis, remanente ſubiecto, ſed requiritur deſitio formæ dantis compoſito eſſe eſſentiale. Secundò ſumitur corruptio, largiori ſignificatione, pro omni deſitione, quæ annihilatio non eſt, & ad illam ſic acceptam ſufficit deſitio cuiuſcumque entitatis, quæ in nihilum non terminetur. Igitur perſonalitas Angeli in caſu noſtræ quæſtionis deſineret eſſe deſitione corruptiua, non in prima, ſed in ſecunda corruptionis acceptione: & in hoc ſenſu concedo ſequelam, & nego minorem: ad illius probationem, diſtinguo conſequens: ſequeretur Angelum corruptibilem eſſe ab intrinſeco naturaliter, & de lege ordinaria, nego ſequelam. ab extrinſeco, & de potentia abſoluta, ſubdiſtinguo conſequens; corruptione ſtrictè ſumpta terminata ad naturam, nego ſequelam: corruptione largè ſumpta pro deſitione modi naturæ non annihilatiua, concedo ſequelam, & ſub eadem diſtinctionem minoris, nego conſequentiam.

46 Contra quam diſtinctionem non obſtat maioris probatio: nam licet Angelus non poſſit, etiam de potentia abſoluta incipere eſſe, quoad naturam, per actionem non creatiuam; quoad ſuppoſitalitatem verò poteſt incipere eſſe per actionem, quæ non ſit creatio, quod patet in duplici caſu. Primus eſt, ſi Verbum aſſumeret naturam Angelicam in primo ſuæ productionis inſtanti, nam tunc, etſi natura Angeli fieret per creationem, perſona Angelica, quæ tunc reſultaret, non fieret creatione, ſed actione aſſumptiua naturæ, & vnitiua eiuſdem ad Verbum, quæ actio creatiua non eſt; ſicut actio vniens animam rationalem cum materia, creationis rationem non obtinet. Secundus caſus eſt, ſi Deus, vt plures cenſent probabile naturam Angeli, ſine omni modo perſonalitatis, ſiuè propriæ, ſiuè alienæ produceret, & poſtea, per actionem ab illius productione diſtinctam, efficeret ſubſiſtentiam, & illam naturæ præſuppoſitæ vniret: in quo caſu Angelus, quatenus pro perſona ſupponit inciperet eſſe actione non creatiua, quamuis ex parte naturæ per actionem creatiuam exiſteret. Licet ergo Angelo repugnet ex parte naturæ fieri per actionem non creatiuam, vel ſaltem per actionem eductiuam; ex parte verò ſuppoſiti non repugnat illi eſſentialitèr fieri per actionem, quæ creatio non ſit, ſed eductio perſonalitatis ex natura Angeli præſuppoſita ex vi alterius actionis; ac proindè, quamuis Angelo repugnet deſinere eſſe per corruptionem terminatam ad naturam: non tamen repugnat illi eſſentialiter, deſinere eſſe corruptione ad ſuppoſitum terminata.

47 *Inſtabis primò contra traditam ſolutionem.* Sed contra ſolutionem traditam inſtabis primò: nam ſequitur, Angelum de facto quoad perſonalitatem non creari, ſed fieri actione eductiua conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela: ideo in caſu poſſibili aſſerimus, perſonam Angeli formalitèr vt perſonam, fieri actione non creatiua, ſed eductiua perſonalitatis, quia perſonalitatis in natura Angeli recipitur, & ab illa, vt à cauſa materiali dependet; ſed hoc de facto contingit: ergo de facto perſonalitas Angeli non creatur, ſed educitur de natura Angeli vt ſubiecto.

Secundò. Secundò, nam ſequitur ex noſtra doctrina, quòd loquendo de Angelo, prout ab extrinſeco deſtruibili à Deo de ſua potentia abſoluta, non ſit dicendum, quòd eſt annihilabilis, ſed corruptibilis: conſequens eſt falſum ergo & tradita ſolutio. Conſequentis falſitas ſupponitur ex communi modo loquendi; ſequela autem probatur: licet natura Angeli non poſſit per corruptionem deſinere, perſonalitatis tamen Angeli poteſt de potentia abſoluta deſtrui deſtructione corruptiua; ſed hoc ſufficit, vt Angelus, quatenus ab extrinſeco deſtruibili, debeat abſolutè dici non annihilabilis, ſed corruptibilis: ergo hoc inconueniens ſequitur ex noſtra doctrina.

Maior cum conſequentia tenet; minor autem oſtenditur primò: nam hoc nomen *Angelus* non ſupponit pro natura; ſed pro perſona vt habente naturam: ergo ſi perſonalitas Angeli eſt corruptibilis ab extrinſeco, Angelus dicendus eſt abſolutè corruptibilis. Secundò, nam ſicut agere eſt ſuppoſiti: ita fieri ſuppoſitorum eſt, vt multis *in locis* docet D. Thom. ergo, ſi ſuppoſitum Angeli eſt ab extrinſeco corruptibile, quamuis natura Angeli non poſſit corruptione, ſed annihilatione deſinere, abſolutè Angelus dicendus eſt, non annihilabilis, ſed corruptibilis.

Quod amplius vrgetur: nam ſaltem ſequitur, quod loquendo de perſona Angeli hæc ſit vera propoſitio: *Perſona Angelus eſt corruptibilis ab extrinſeco abſolutè*: conſequens eſt falſum: ergo & illud, ex quo ſequitur. Probatur ſequela: perſona Angeli ſignificat de formali perſonalitatem, & pro illa ſupponit; quo circa *diſputat. decimaſexta* docuimus, multiplicatis perſonalitatibus, quamuis natura ſit vna dicendum, plures eſſe perſonas: ergo, ſi perſonalitas Angeli eſt ab extrinſeco corruptibilis, abſolutè eſt dicendum, perſonam Angeli eſſe corrutibilem ab extrinſeco. 48 *Confirmatur.*

Reſpondeo ad primam replicam, negando ſequelam; ad illius probationem, diſtinguo maiorem: quia in caſu poſſibili dependet perſonalitas Angeli, ab illius natura, vt à materia *ex qua*, concedo maiorem: vt à materia *in qua*, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam in caſu poſſibili perſonalitas Angeli, ideo educitur, quia fit dependentèr à natura Angeli, vt producta per diſtinctam actionem, ab illa qua perſonalitas ipſa producitur: & ideò in tali caſu perſonalitas non creatur, ſed educitur, & à natura Angeli dependet, non ſolum vt à materia *in qua*, ſed etiam *ex qua*, quia entitatem aliquam educi de potentia materiæ, aut ſubiecti, eſt fieri dependentèr ab illa, vt producta per diſtinctam actionem: ex quo *lib. 2. Phyſicor.* intulimus, formas Cœlorum, & Elementorum, in ſua prima conditione, non fuiſſe eductas de potentia materiæ, ſed concreatas, quia licet dependeant à materia in eſſe, & in fieri, vt à ſubiecto *in quo*; non tamen vt a ſubiecto *ex quo*, quia non fuerunt factæ per diſtinctam actionem ab illa, qua facta eſt materia, ſed vnica actione prius terminata ad totum, materia, & forma fuerunt comproductæ, de facto autem perſonalitas Angeli non terminat actionem diſtinctam ab illa, qua creatur natura, ſed totum Angeli ſuppoſitum vnica actione producitur; & ideò quamuis de facto dependeat à natura Angeli, vt à ſubiecto *in quo*, non dependet ab illa tanquam à ſubiecto *ex quo*: & idcirco non eductione, ſed creatione fit de facto. 49 *Ad primam replicam reſpondeo.*

Ad ſecundam replicam, nego etiam ſequelam, ad probationem, conceſſa maiori nego minorem, ad primam probationem minoris, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam licet nomen *Angelus* non ſupponat pro natura, ſed pro habente naturam: in ordine tamen ad terminandam productionem, vel deſtructionem natura ſe habet, vt terminus formalis perſonalitas verò, vt conditio: & quia abſoluta denominatio alicuius in ratione producibilis penès terminum formalem penſatur; fit conſequens, vt quamuis Angelus ſit abſolutè dicendus annihilabilis ab extrinſeco ratione naturę ab extrinſeco annihilabilis, non autem abſolutè eſt dicendus corruptibilis à perſonalitate corruptibili. 50 *Ad ſecundam replicam.*

Et ex his ad ſecundam probationem, conceſſo antecedenti, concedo conſequentiam, ſed nego, quod in conditionali ſupponitur, nempè, quòd ſuppoſitum Angeli, quatenus ab extrinſeco deſtruibile, debeat dici abſolutè corruptibile; & ratio conſtat *ex dictis*, nam licet ſit ſuppoſitorum *vt quod*; eis tamen conuenit ratione naturæ *vt quo*, & ratione perſonalitatis, vel ſubſiſtentiæ vt conditionis; vndè abſoluta denominatio producibilis, vel deſtruibilis quoad ſpeciem productionis, vel deſtructionis, non debet penès ſubſiſtentiam, ſed penès naturam penſari: ac proindè, cum ſuppoſitum Angeli, manente natura, non poſſit corruptione, ſed annihilatione deſinere, quamuis perſonalitas corruptione deſinere poſſit, non debet abſolutè corruptibilis ab extrinſeco, ſed abſolutè annihilabilis. 51 *Ad ſecundam probationem.*

Et ex his ad confirmationem conſtat ſolutio, nam licet perſona non ſignificet de formali in recto naturam, ſed perſonalitatem, & pro illa in concreto ſupponat; in ratione tamen termini productionis, & conſequenter in ratione termini deſitionis, per naturam, vt formalem terminum conſtituitur. Vnde Chriſtus, vt perſona humana dicitur ex Virgine genitus ratione humanæ naturæ, quamuis perſonalitas non ſit ex Virgine genita: & ideò quamuis numerum à perſonalitate veniantur, ſpecies autem productionis, vel deſitionis abſolutè non penès perſonalitatem, ſed penès naturam penſatur. 52 *Ad confirmationem.*

Vel ſecundò reſponderi poteſt, quòd quamuis perſonalitas ſit ab extrinſeco corruptibilis; eſt tamen etiam ab extrinſeco annihilabilis, & quamuis nec petat annihi- 53 *Secundo aliter reſpond.*

latiune

latione, nec corruptione deſinere, ſed vtrumque ab intrinſeco fugiat, petens, quantum eſt de ſe, perſeuerare in perpetuum, ſuppoſito quòd ſemel exiſtat; ex ſuppoſitione tamen, quod deſtruatur, potius petit annihilatione, quam corruptione deſinere, quia ſicut petit fieri ex vi einſdem actionis, qua fit Angeli natura: ita petit deſinere eſſe ex vi eiuſdem deſitionis, qua Angelica natura deſinat: quæ deſitio annihilatio eſt; & ideò non ſolum Angelus eſt dicendus abſolutè annihilabilis potius, quam corruptibilis, ſed etiam Angeli perſonalitas, quatenus deſtruibilis ab extrinſeco, potius annihilabilis abſolutè eſt dicenda, quam ab extrinſeco corruptibilis.

§. IV.

Naturam irrationalem eſſe de potentia abſoluta aſſumptibilem, auctoritate, & ratione probatur.

54 *Concluſio ſecunda.* SEcunda Concluſio. *Natura irrationalis completa poteſt de potentia abſoluta vniri hypoſtaticè Deo, & ab ipſo aſſumi in vnitatem ſuppoſiti.* Ita D. Thomas *in 3. diſt. 2. quæſt. 1 artic. 1. quæſtiunc. cap. 1.* vbi Palud. Capreolus, Hiſpalenſis, Durandus, & communiter Scholaſtici, eidem ſententiæ adherent. 4. *Contra Gentes cap. 55.* vbi etiam Ferrara, & *in hac quæſt. artic* 1. vbi Caietanus, Medina, Cabrera, Nazarius, Aluarez, Illuſtriſſimus Araujo, & alij Recentiores Thomiſtæ. Eandem ſententiam tenent Diſcipuli Scoti Magiſtrum ſequentes *in 3. diſt. 2 quæſt 1. § ad ſecundum arg* quem refert, & ſequitur Caſtilio *in præſenti diſp. 7 quæſt. 1. p 2. num. 7* Tenent etiam ex Patribus Societatis Vazquez *in præſenti diſp. 30.* & Suarez *diſp. 14. ſect 2.* quos cæteri Recentiores ex eadem familia ſequuntur.

55 *Probant concluſionem Medina, & Vazquez. ex Tertullian.* Illam probant Medina, & Vazquez ex Tertulliano *lib. de carne Chriſti cap. 4* vbi aſſerere videtur, de lupo, ſue, aut vacca Verbum potuiſſe carnem aſſumere; Tertullianus tamen obſcurè, vt mortis eſt, loquitur, nec facilè percepi poteſt: vnde contrarij Auctores illum in ſuam trahunt ſententiam. Melius id probat Vazquez ex Gregorio Niſeno *in oratione magna cap 37.* vbi contra eos, qui aſſerebant, indecorum eſſe dicere, Deum corpus aſſumpſiſſe terreſtre, non autem cœleſte, hæc habet: *Nihilo tollerabilior videbitur eſſe turpitudo, & dedecus, quod Deus cœleſtis corporis figuram ſuſceperit, quam terreſtris; ab eius enim natura, quæ altiſſimus eſt, ex æquo diſtat omnis creatura, & ſunt omnia ei æqualiter ſubiecta.* *Probat etiam Vazq. ex Gregorio Niſſeno.* Quibus, vt clarè conſtat, docet Niſſenus, corpus etiam cæleſte, & quamuis aliam creaturam potuiſſe a diuino Verbo aſſumi, & rationem reddit: quia omnia æqualitèr diſtant à Deo, & æqualitèr ſunt illi ſubiecta. Quæ doctrina intelligenda eſt ſecundum potentiam obedientialem, nam ſecundum congruentiam non omnia æqualitèr poſſunt aſſumi, vt docet Diuus Thomas *in hac quæſtione articulo primo*, & cum illo Theologi communitèr.

56 *Prob. ſecundò ex Auguſtino.* Secundò probatur aperto Auguſtini teſtimonio. *tom. 1. de vera religione cap. 16.* illis verbis: *Ita enim demonſtrauit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem, corporiſque ſenſibus deditis, quam excelſum locum inter creaturas habeat natura, quod non ſolum viſibilitèr (nam id poterat, & in aliquo æthereo corpore ad noſtrorum aſpectuum tollerantiam temperato) ſed etiam hominibus in vero homine apparuit; ipſa enim natura ſuſcipienda erat, quæ liberanda:* ergo iuxta Auguſtinum potuit Verbum, cæleſtem naturam aſſumere, & in illa hominibus apparere; ſed natura cæleſtis, irrationalis, imò & inſenſibilis eſt: ergo poteſt Deus de potentia abſoluta naturam quamlibet irrationalem aſſumere.

57 *Tertiò probatur ratione.* Tertiò probatur ratione: ideò natura rationalis poteſt aſſumi, quia ſubſiſtens eſt ſubſiſtentia ab ipſa ſeparabili, & in diuina ſubſiſtentia eminentialitèr contenta; ſed etiam natura irrationalis ſubſiſtit ſubſiſtentia diſtincta, & ab ipſa ſeparabili; & in diuina ſubſiſtentia eminentialiter contenta: ergo etiam irrationalis natura eſt aſſumptibilis à Deo de potentia abſoluta. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: in primis namque natura irrationalis ſubſiſtit in proprio ſuppoſito. Quod autem ſubſiſtentia propria ab ipſa ſit ſeparabilis, patet primò: nam natura rationalis ideò à propria ſubſiſtentia ſeparabilis eſt, quia diſtinguitur realitèr ab illa; ſed etiam à natura irrationali propria ſubſiſtentia realitèr diſtinguitur: ergo ab illa poteſt ſeparari. Secundò, nam id, quod perfectionis eſt, ſi à natura perfectiori poteſt ſeparari, etiam eſt ſeparabile à natura imperfectiori; ſed ſubſiſtere perfectionis eſt in ſubſtantia, & ſeparari poteſt à natura rationali, quæ perfectior eſt, quam irrationalis natura: ergo propria ſubſiſtentia ſeparari poteſt ab irrationali natura.

58 *Reſpondebis 1.* Reſpondebis primò, cauſalem in maiori contentam adæquatam non eſſe, ſed ideò natura rationalis poteſt aſſumi, quia ſubſiſtit ſubſiſtentia diſtincta, & ab illa ſeparabili: & inſuper, quia in illius aſſumptione nulla indecentia Deo repugnans inuenitur. Quæ ratio in natura irrationali non militat; eſſet enim Deo indecens irrationalem naturam aſſumere, cum oporteret, irrationalem naturam de illo in concreto prædicari; de Deo autem equum, belluam, ſuem, & alia huius generis enuntiare indecorum videtur. *Secundò.* Vel ſecundò reſpondebis, maiorem adæquatam non eſſe, ſed inſuper, quia in natura rationali eſt capacitas ad operationes diuinas, quæ in irrationali natura non inuenitur. *Tertiò.* Vel tertiò reſpondebis, naturam rationalem eſſe aſſumptibilem, quia poteſt ex honeſto fine aſſumi, nempe, redemptionis hominum; in aſſumptione autem irrationalis naturæ non apparet finis honeſtus, ex quo aſſumptibilis ſit, ac per conſequens aſſumi non poteſt, cum Deo repugnet aliquid, niſi ex fine honeſto, operari. *Quartò.* Vel denique reſpondebis, non ideò ſolam eſſe aſſumptibilem naturam rationalem à Deo, quia ſubſiſtit ſubſiſtentia ſeparabili, ſed quia perfectè ſubſiſtit ſubſiſtentia perſonali, cuius natura irrationalis capax non eſt: & ideò aſſumi non poteſt.

59 *Prima ſolutio reijcitur primò.* Sed nulla ex his ſolutionibus argumento ſatisfacit, & prima reijcitur primò: nam licet Deum aſſumere naturam irrationalem ſit indecens negatiuè, & comparatiuè, ideſt, minus decens, quam quod naturam rationalem aſſumat; quod autem indecens ſit poſitiuè, non poteſt aliqua ratione probari, ſed hoc ſecundo modo indecens eſſe debebat, vt repugnaret de potentia abſoluta; ergo titulo indecentiæ non implicat. *Secundò.* Secundò, nam etiam nobis ductum rationis, ſine fidei regula ſequentibus, indecens maieſtati diuinæ appareret, Verbum noſtram carnem aſſumere, flagellari, conſpui; & mori; & tamen indecens verè non eſt, nec diuinæ maieſtati repugnans: ergo, quamuis nobis indecens appareat, Deum naturam irrationalem aſſumere, indecens reipſa non eſt. *Tertiò.* Denique nam corpus, quod in triduo vnitum Verbo remanſit irrationale, & inſenſibile fuit; & tamen in tali vnione nulla indecentia inuenitur: ergo in vnione cum natura irrationali nulla datur indecentia Dei maieſtati repugnans.

60 *Secunda ſolutio reijcitur.* Deindè ſecunda ſolutio reijcitur: ex incapacitate ad operationes diuinas, non ſequitur incapacitas ad ſubſtantialem vnionem: ergo ex eo, quod irrationalis natura non ſit capax operandi diuinas operationes, malè infertur, non poſſe vniri ſubſtantialiter Deo. Antecedens oſtenditur primò: nam cadauer Chriſti in triduo mortis incapax erat ad operationes diuinas; & tamen manſit vnitum ſubſtantialiter Verbo: ergo ex incapacitate ad diuinas operationes non arguitur incapacitas ad vnionem ſubſtantialem. *Secundò.* Secundò, nam ſubſiſtentia Verbi cum humanitate vnita, non dat illi vim operatiuam phyſicam, & elicitiuam operationum ſupernaturalium videndi, & amandi Deum, vt fatentur omnes Theologi: ergo ex incapacitate ad prædictas operationes, non ſequitur incapacitas ad vnionem ſubſtantialem cum diuina ſubſiſtentia. *Tertiò.* Tertiò, vt enim ex impotentia ad prædictas operationes argueretur incapacitas ad vnionem ſubſtantialem cum diuina ſubſiſtentia, deberent illæ operationes ſubſequi ad prædictam vnionem: ſed operationes videndi, & amandi Deum non ſubſequuntur ad vnionem ſubſtantialem cum diuina ſubſiſtentia: ergo ex impotentia ad tales operationes non arguitur incapacitas ad vnionem ſubſtantialem.

61 Maior cum conſequentia tenet; minor autem oſtenditur primò: nam operari ſequitur ad eſſe, quod neceſſariò ſupponit; ſed operari operationes diuinas non ſupponit neceſſariò vnionem ſubſtantialem cum Deo, cum Angelis, & hominibus competat: ergo ad prædictam vnionem non ſequitur neceſſariò. Secundò, nam operari ſequitur ad eſſentiam, vt ad rationem formalem; perſonalitas autem ſolum vt conditio ad operationes naturæ, cui vnitur concurrit; ſed vnio ſubſtantialis naturæ creatæ Deo non eſt cum ipſo in ratione eſſentiæ, ſed cum ſubſiſtentia, vel perſonalitate diuina: ergo ad talem vnionem non conſequitur neceſſariò operari diuinas operationes, ſed tantum, quod natura,

natura, cui vnitur, compleatur in ordine ad proprias operationes.

62 *Nec tertia ſolutio ſatisfacit, & reijcitur primò.* Nec magis tertia ſolutio ſatisfacit. Primò, nam ex eo, quod nobis non innoteſcant fines, quos Deus poteſt ſibi in ſuis operibus præſtituere, non probatur, talia opera eſſe Deo impoſſibilia, vt conſtat ex illo Auguſtini *tract. 26. in Ioann. Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare.* Vbi inveſtigatio cauſæ finalis tractionis huius præ alio impoſſibilis ab Auguſtino cenſetur, quin tractio, aut vocatio efficax vnius hominis præ alio impoſſibilis eàndé cenſeatur: ergo ex eo, quod nobis non appareat finis, ex quo Deus poſſit irrationalem naturam aſſumere, perperam colligitur, naturæ irrationalis aſſumptionem Deo eſſe impoſſibilem. *Secundò.* Secundò, nam id poteſt Deus efficere ex fine manifeſtandi virtutem ſuæ omnipotentiæ: ſed hic finis honeſtiſſimus eſt: ergo & prædicta aſſumptio poſſibilis. Denique nam potuit Deus ſibi aſſumere naturam irrationalem ex fine, vt, illa mediante vt inſtrumento coniuncto, operaretur opera miraculoſa, & alios ſuper naturales effectus, qui finis honeſtus eſt: ergo eſt dabilis finis honeſtus in aſſumptione naturæ irrationalis ad vnionem ſubſtantialem cum Deo.

63 *Vltima ſolutio reijcitur primò.* Tandem vltima ſolutio reijcitur primò: nam ſaltim poterit irrationalis natura vniri cum Deo in ſubſiſtentia abſoluta; ſed hæc vnio eſt ſubſtantialis: ergo tradita ſolutio vim argumenti non eleuit. Minor cum conſequentia tenet; maior autem probatur: ſubſiſtentia abſoluta, qua diuina natura ſubſiſtit pro prius ad relationes, perſonalitas non eſt: ergo ex eo, quòd natura irrationalis perſonabilis non ſit, non probatur, quod non poſſit vniri natura irrationalis cum Deo in ſubſiſtentia abſoluta. *Secundò.* Secundò, nam corpus Chriſti in ſepulcro manſit cum diuino Verbo ſubſtantialitèr vnitum; & tamen non manſit perſonalitèr ſubſiſtens, nam perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia; corpus autem Chriſti in triduo mortis, rationalis naturæ non erat, imò nec naturæ viuentis: ergo ex eo, quòd irrationalis natura incapax ſit vnionis ſubſtantialis cum Deo perſonalitèr ſubſiſtendo, non ſequitur, eſſe incapacem vnionis ſubſtantialis, etiam cum diuina perſona.

64 *Veritas probatur conclusio.* Et ex his vltima ratio, eaque efficaciſſima, pro noſtra ſententia conficitur: nam corpus Chriſti poſt mortem manſit in ſepulcro cum Verbo diuino ſubſtantialitèr vnitum; & tamen corpus Chriſti poſt mortem fuit irrationalis naturæ: ergo natura irrationalis capax eſt vnionis ſubſtantialis cum Deo. Conſequentia tenet, maior conſtat primo ex illo communi axiomate aſſerente, Verbum nunquam, quod ſemel aſſumpſit, reliquiſſe, quod quantum ad partes principales omnes admittunt: ergo corpus, quod eſt vna ex partibus principalibus naturæ humanæ nunquam fuit à Verbo dimiſſum; & conſequenter illi vnitum manſit in ſepulcro. Secundò, nam eſt de fide, Chriſtum pro nobis ſepultum fuiſſe, vt conſtat ex illis verbis: *Paſſus, & ſepultus eſt*. ſed hoc verum eſſe non poteſt, niſi Verbum vnitum alicui ex partibus humanæ naturæ per vnionem ſubſtantialem, fuerit in ſepulcro: ergo Verbum vt vnitum ſubſtantialitèr alicui humanæ naturæ parti manſit in ſepulcro; ſed non vt vnitum animæ, nam ſic deſcendit ad inferos: ergo vt vnitum ſubſtantialitèr corpori. Minor etiam conſtat: nam corpus Chriſti in ſepulcro non erat naturæ viuentis; ergo nec ſenſibilis, nec rationalis.

65 *Solutio contrariorum.* Huic argumento reſpondent oppoſiti Auctores, quòd licet corpus Chriſti in triduo actu rationalis naturæ non eſſet; dicebat tamen ordinem ad animam rationalem, & ſic erat in potentia pars rationalis naturæ, & ex hoc capax vnionis ſubſtantialis cum Verbo; natura autem irrationalis, de qua noſtra diſputatio procedit, nec actu, nec in potentia eſt pars rationalis naturæ: idcirco incapax eſt aſſumptionis.

66 *Prædicta ſolutio impugnatur 1.* Sed contra primò: corpus Chriſti mortuum, eſto dicat ordinem ad animam rationalem, ex hoc ordine non redditur capax operandi operationes diuinas, nec ſanctitatis ſubſtantialis, nec perſonalitatis, vt perſonalitas eſt; & tamen, vt prædicti Auctores fatentur, & tenentur fateri eſt capax vnionis ſubſtantialis cum Verbo: ergo, quamuis natura irrationalis non dicens ordinem ad animam rationalem, nec potens eſſe pars rationalis naturæ incapax ſit ad prædictas operationes, ſanctitatis perſonalis, & perſonalitèr ſubſiſtendi, erit capax aſſumptionis à Deo, & vnionis ſubſtantialis cum ipſo: cumque ſolum ex illis capitibus incapax aſſumptionis ab illis Auctoribus probitur, negare tenentur talem incapacitatem.

67 *Secundò.* Secundo, nam falſum eſt, corpus Chriſti mortui dicere ordinem ad animam rationalem; cum enim reunio animæ cum corpore ſupernaturalis ſit, non poteſt à corpore ſeparato ab anima, exigi: ergo ſine tali ordine ſaluatur aſſumptibilitas; & conſequentèr natura irrationalis ordinem ad rationalem naturam non dicens aſſumptibilis erit à Deo. *Tertiò.* Tertiò, nam eſto demus, materiam corporis Chriſti Verbo vnitam in ſepulcro poſt mortem ordinem dicere ad animam rationalem, compoſitum tamen ex materia, & forma cadaueris talem ordinem non dicit; ſed hoc compoſitum fuit vnitum ſubſtantialiter Verbo in ſepulcro: ergo natura irrationalis ordinem ad rationalem non dicens, capax eſt vnionis ſubſtantialis cum Verbo. Conſequentia tenet, maior eſt certa, nam compoſito ex materia, & forma cadaueris repugnat vnio cum anima rationali, alias idem corpus eſſe poſſet ſimul viuens, & mortuum, quòd implicat: ergo in compoſito non datur ordo ad animam rationalem, nec ad rationalem naturam. Minor autem oſtenditur primò; non enim materia ſola manſit vnita Verbo poſt mortem: tùm, quia in veriori ſententia implicat, materiam exiſtere ſine forma: tum etiam, quia ſaltim ſine miraculo materia nequit exiſtere ab omni forma ſeparata; non autem ſunt multiplicanda miracula ſine neceſſitate, & vrgentiſſimo fundamento, quæ in præſenti non interueniunt: ergo vnita manſit Verbo ſub aliqua forma ſubſtantiali; ſed non ſub alia, quam ſub forma cadaueris: ergo compoſitum ex materia, & forma cadaueris fuit vnitum ſubſtantialiter Verbo in ſepulcro.

Secundo eadem minor probatur: nam Chriſti corpus poſt mortem fuit eiuſdem rationis cum corporibus aliorum hominum poſt ſeparationem animæ: tum, quia ad oppoſitum aſſerendum nullum fundamentum adeſt: tum etiam, nam corpus Chriſti viuentis eſt eiuſdem rationis cum corporibus aliorum; & conſequentèr idem aſſerendum eſt de corpore Chriſti mortui comparato cum corporibus aliorum poſt mortem: ſed corpora aliorum hominum, facta ſeparatione animæ rationalis ab illis, ſunt compoſita ex materia, & forma cadaueris: ergo corpus Chriſti poſt mortem eſt etiam ex materia, & prædicta forma compoſitum; & conſequentèr compoſitum coaleſcens ex materia, & forma cadaueris fuit vnitum ſubſtantialitèr Verbo. 68

69 *Si reſpondeatur.* Si forte dicetur, quod licet huic compoſito rationæ formæ repugnet ordo ad animam rationalem, & eſſe partem rationalis naturæ: materia tamen illius poteſt cum anima rationali naturam rationalem componere, & hoc ſufficere, vt compoſitum ex materia, & illa forma capax ſit vnionis ſubſtantialis cum Verbo. *In contrarium obſtat.* In contrarium obſtat: nam etiam materia equi, & cuiuſuis alterius irrationalis naturæ denudata à propria forma, poteſt vniri cum anima rationali, & illi vnita componere rationalem naturam: cum materia ſublunarium ſit, quantum eſt de ſe, ad omnem formam ſublunarem indifferens, & potens illa recipere: ergo ſi compoſitum ex materia, & forma cadaueris capax redditur aſſumptionis à Verbo, & vnionis ſubſtantialis cum illo ratione materiæ potentis cum anima rationali componere rationalem naturam, in omni natura irrationali concedenda eſt capacitas ad vnionem ſubſtantialem cum Verbo, & vt ab ipſo aſſumatur.

---

§. V.

Argumentis ab auctoritate occurritur.

70 *Primum argumentum contrariorū ex Tertulliano.* Contra dictam concluſionem arguunt oppoſiti Auctores primò ex Tertulliano *lib. de carne Chriſti cap. 4.* vbi contra Marcionem negantem, Verbum carnem aſſumpſiſſe, eo quòd indecens, & indecorum ei videretur, poſt alia, hæc verba addit: *Si reuera de lupa, ſue, aut vacca prodire voluiſſet, & fera, aut pecoris corpore indutus Regnum cælorum prædicaret, tua, opinor, illi cenſura præſcriberet*: ac ſi dicat Tertullianus, inquit Petrus Hurtado, ſi de his animalibus Verbum carnem aſſumpſiſſet, tua opinio vera eſſet, nempè, indecens, & indecorum eſſe, & diuinæ maieſtati indignum: ergo iuxta Tertullianum non potuit Verbum lupinam carnem aſſumere; & conſequentèr irrationales naturæ ſunt à Verbo inaſſumptibiles.

Reſpon-

71 *Reſpondeo.* Reſpondeo, explicationem Tertulliani eſſe ex proprio cerebro ſine fundamento à prædicto Auctore inuentam. Quod patet: nam verba illa, *tua cenſura illis præſcribaret*, ſub interroganti à Tertulliano apponuntur: ergo ipſe non aſſerit, quòd ſi Verbum carnem ex prædictis animantibus ſumeret, cenſura Marcionis, quòd, nempè, indecens, & indecorum eſſet, locum teneret, ſed de hac Marcionem interrogat, & rationem ſubiungit: *Turpe hoc Deo, & indignum hoc Dei Filio, & ſtultum propterea, qui tale credat. Sit planè ſtultum, ſi de noſtro ſenſu iudicemus Deum, ſed circumſpice, Marcion, ſtulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes*: ac ſi apertius dicat, explicant Medina, & Vazquez, ſi de his animantibus Verbum carnem aſſumeret, tu, Marcion, de tuo ſenſu ſtultum ad iudicares, ſed malè, nam ſtulta mundi elegit Deus, vt confundat Sapientes: ergo verba Tertulliani non ſunt contra communem ſententiam, ſed potius pro illa.

72 *Opponit Hurt.* Sed contra hanc explicationem opponit Hurtado: Tertullianus namque reſpondet argumento Marcionis aſſerentis, turpe eſſe Deo aſſumere corpus humanum, dicens, infirma Deum elegiſſe; ſed argumentum Marcionis non erat de carne lupina, ſed humana: ergo verba Tertulliani non cadunt ſupra corpus lupinum, aut aliorum animantium, ſed ſupra corpus humanum. Confirmat primò: nam *Confirmat 1.* argumento Marcionis ex indecentia deſumpto reſpondet Tertullianus, ſtulta mundi elegiſſe Deum ad confuſionem ſapientium: atqui Deus non elegit corpus lupinum, ſed humanum ad confundendos ſapientes: ergo Tertullianus non loquitur de corpore lupino, ſed de humano. *Secundò.* Confirmant ſecundò: nam contra Hæreticum negantem, Verbum aſſumpſiſſe carnem, & corpus humanum, eo quod illud indecorum iudicaret, ſtultè argueret Tertullianus, aſſerens, potuiſſe corpus lupinum ſine indecentia aſſumere, nam Hæreticus primum negans, ſecundum cum maiori nauſea negaret.

73 *Hæc tamen non vrgent. Ad obiectionem reſpondeo. Ad primã confirmationem.* Hæc tamen nihil vrgent: ad obiectionem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam, nam licet argumentum Marcionis procederet de corpore humano, Tertullianus illud ſoluens potuit de lupino loqui, arguens à maiori ad minus: ſi namque in corporis lupini aſſumptione nulla indecentia Deo indigna reperitur, multo minus inuenietur in corporis humani aſſumptione. Ad primam confirmationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam; nam licet de facto Verbum non aſſumpſerit corpus lupinum, ſed humanum, vt probet Tertullianus, caſu, in quo Deus lupinum corpus ſumpſiſſet, etſi Marcionis ſenſu iudicaretur Dei maieſtati indignum, reuera indignum non eſſe, rectè arguit Tertullianus ex modo operandi Dei, qui eſt ſapientiam mundanam per infirma mundi confundere, quem etiam in dicto caſu obſeruaret.

74 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, nego antecedens, neque ex eo, quòd Hæreticus id negaret, ſequitur argumenti ſtultia, nam etiam arguebat ex eo, quod Deo indignum non fuit flagellari, conſui, & mori, ac per conſequens, nec naſci potuit eſſe dignum Deo; quæ tamen Hæreticus non poterat non negare, niſi penitus mente careret; & tamen ex hoc non ſequitur, ſtultè Tertullianum arguere.

75 *Secundò arguunt ex Auguſtino.* Secundò arguunt ex Auguſtino *tom. 3. lib. de ſpiritu, & anima c. 14.* vbi docet, ſupremum carnis, ſcilicet, ſenſualitatis, poſſe à diuino Verbo ſuſcipi, quia gerit animæ ſimilitudinem, ideſt, quia coniunctum inuenitur cum anima intellectiua, quæ Dei gerit imaginem; ſed niſi ratio adæquata aſſumptibilitatis naturæ ſeoſitiuæ humanæ eſſet gradus intellectiuus cum quo coniuncta inuenitur, inepta eſſet ratio Auguſtini; non enim ideò aſſumi poſſet, quia intellectiua, ſed quia ſubſtantialis natura: ergo adæquata ratio aſſumptibilitatis humanæ naturæ à Verbo eſt, quia eſt intellectiua; & conſequentèr naturæ intellectu carentes aſſumi à Verbo non poſſunt. *Confirmant ex eodem Auguſt.* Confirmant ex eodem Auguſtino *tom. 4. lib. 2. de Incarnatione Verbi* aliquanto *poſt medium*, vbi probans, corpus aſſumptum à Verbo mediante anima, ait: *Hac ergo ſubſtantia anima inter Deum, carnemq; mediante; non enim poſſibile erat, Dei naturam corpori ſine mediatore miſceri, naſcitur, vt diximus, Deus homo*: ergo ſentit Auguſtinus ſine mediatione animæ rationalis non potuiſſe corpus aſſumi, ac proindè irrationalia corpora aſſumi à Verbo non poſſunt.

76 *Ad primum Auguſtini teſtimonium.* Reſpondeo, Auguſtinum pro communi eſſe ſententia, vt vidimus, nec illi aduerſatur teſtimonijs adductis, nam in primo non reddit rationem aſſumptibilitatis de potentia abſoluta, & ratione ſolius potentiæ obedientialis, ſed congruentiæ, vt aſſumeretur: licet autem primum conueniat naturæ humanæ ex conceptu ſubſtantiæ creatæ, ſecundum illi conuenit, quia rationalis eſt, & quia anima gerit imaginem Dei. *Ad ſecundum.* In ſecundo autem teſtimonio, cum docet, non potuiſſe corpus ſine mediatore aſſumi, vel loquitur de forma ſubſtantiali, ſine qua non poteſt aſſumi corpus, non autem determinatè de anima rationali: vel ſi loquitur de anima rationali intelligendus eſt de impotentia congruentiæ, ideſt, quod ſine anima rationali mediante, non poterat congruentèr aſſumi; non verò de impotentia obedientiali, ita vt ſine anima rationali nullo modo aſſumi poſſet.

77 *Tertiò arguunt ex D. Th.* Tertiò obijciunt D. Thomam *in præſenti art. 1. in corp.* quod ita concludit: *Vndè relinquitur, quòd ſola natura humana ſit aſſumptibilis*: quæ propoſitio alias naturas excludit; cumq; natura Angelica non excludatur, illam namque aſſumptibilem docet *ſol. ad 3.* ſaltim natura irrationalis excluditur. *Reſpondeatur.* Si reſpondeatur, D. Thomam intelligi de aſſumptibilitate ſecundum congruentiam, quę attenditur ſecundum dignitatem, & neceſſitatem, ſecundum quam ſola natura humana aſſumptibilis eſt per excluſionem etiam naturæ Angelicæ, in qua etſi vnum caput congruentiæ inueniatur, ſcilicet, dignitas, non tamen inuenitur neceſſitas; non tamen negare naturæ, ſiuè Angelicæ, ſiuè irrationali, aſſumptibilitatem obedientialem.

In contrarium opponunt. In contrarium opponunt, quòd nomine congruitatis, vt aliqua natura aſſumatur, intelligit D. Th. potentiam obedientialem: ergo negans naturę irrationali omnem congruitatem, negat omnem capacitatem, etiam obedientialem, vt aſſumatur à Deo. Antecedens probant primò: nam ſi nomine congruitatis non acciperet potentiam obedientialem, malè inferret D. Th. ex eo, quòd aliquid non ſit aſſumptibile ſecundum potentiam naturalem, eſſe aſſumptibile ſecundum congruentiam, quandoquidem alius modus reſtaret, nempè, ſecundum capacitatem, & potentiam obedientialem, ſed D. Th. ex eo, quòd aliquid ſit aſſumptibile, & non ratione potentię naturalis, infert, debere eſſe aſſumptibile ſecundum congruentiam: ergo nomine huius congruentię intellexit potentiam obedientialem.

79 Secundò, nam congruentia, de qua loquitur D. Thomas, eſt ſecundum quam, aliquid eſt aſſumptibile de potentia abſoluta; ſed aſſumptibilitas de potentia abſoluta conuenit ratione potentię obedientialis: ergo congruentia, de qua loquitur, idem eſt, quòd potentia obedientialis. *Confirmant.* Quod amplius confirmant *ex ſolut. ad 1.* quo intendebatur, omnes naturas eſſe ęqualitèr aſſumptibiles, quia id penſatur ex parte Dei aſſumentis. Cui argumento reſpondet: *Si ergo dicitur aliqua natura non eſſe aſſumptibilis, non ad ſubſtrahendum aliquid potentia diuina, ſed ad oſtendendam conditionem creaturæ, quæ ad hoc aptitudinem non habet*; ſed hęc aptitudo non eſt naturalis, ſed obedientialis, & hanc negat creaturis irrationalibus *in ſolut. ad 1. & 3.* ergo ſentit, naturas irrationales carere potentia obedientiali; vt aſſumantur à Deo. Quo argumento, inquit Hurtado, ductus Carthuſianus dixit D. Thomam *in præſenti* oppoſitam ſententiam mutaſſe, quam tenuit *in 3.* vbi *ſupra* Vazquez de mente D. Thom. *in hoc art.* dubitat.

80 *Mens D. Tho. explicatur.* Sed certè mens D. Thomę adeò clara eſt *in præſenti*, vt de illa dubitari non poſſit, & dato, quòd obſcura eſſet, non ideò aſſerendum eſt, ſententiam mutaſſe; ad hoc enim neceſſarium erat, vt oppoſitum adeò expreſsè affirmaret, vt nullam interpretationem admitteret. Aſſumptibile ergo duplicitèr aliquid dicitur. Primò, ab extrinſeco ratione omnipotentię diuinę, illud potentis aſſumere, cui potentię in creatura reſpondet ſola obedientialis potentia. Secundo dicitur aliquid aſſumptibile ſecundum principia intrinſeca, & hoc duplicitèr, nempè, aut ratione potentię naturalis, aut ratione congruitatis, quę iuxta D. Thom. attenditur ſecundum duo, nempè, ſecundum dignitatem, & ſecundum neceſſitatem: & hæc congruitas, quamuis naturalis ſit, non tamen eſt naturalis potentia, quia potentia naturalis dicitur, quæ petit reduci ad actum; quamuis autem congruitas aſſumptionis in aliqua natura inueniatur, non exigit aſſumptionem: & ideò congruitas iſta naturalis potentia non eſt; non tamen eſt ſola obedientialis potentia, ſed ſupra illam addit aliquam rationem conuenientiæ ad aſſumptionem.

81 Quo ſuppoſito, aſſerimus D. Tho. cum docet *in præſenti art.* naturam aliquam eſſe aſſumptibilem, & aliam aſſumptibilem non eſſe, non loqui de aſſumptibilitate ab extrinſeco ratione diuinę potentię, cui reſpondet ex parte creaturæ ſola obedientialis potentia, conſiſtentis in non

tepu-

repugnantia, ſed iſtum modum aſſumptibilitatis ſupponit Diu. Thomas omnibus naturis ſubſtantialibus conuenire, ſed tantum loquitur de aſſumptibilitate ab intrinſeco, non ratione potentiæ paſſiuæ naturalis, ſed ratione naturalis congruentiæ, quam adæquatè relegat à naturis irrationabilibus; quia in illis nec reperitur congruentia dignitatis, conſiſtens in poſſe videre, & amare Deum, nec cõgruentia neceſſitatis, quandoquidem incapaces ſunt peccati, ex quo neceſſitas reparationis, & congruentia neceſſitatis conſurgit. Angelis autem aliquam congruitatem concedit, nempè, dignitatis, negat autem aliam, ſcilicet, neceſſitatis: & quia in humanitate vtraque congruentia inuenitur, concludit D. Thomas, ſolam naturam humanam eſſe aſſumptibilem: quæ propoſitio excluſiua accipienda eſt, prout ex præmiſſis infertur, videlicet, ita vt excludat à naturis irrationabilibus omnem rationem aſſumptibilitatis ſecundum congruentiam ab Angelis non omnem, ſed aliquam congruentiam excludat.

82 *Probatur 1. quòd hæc ſit D. Th. mens. Secundò,* Quòd autem hæc ſit mens D. Th. patet primò ex *titulo articuli*, in quo inquirendo comparatiuè, an natura humana ſit magis aſſumptibilis à Filio Dei, quam alia natura, videtur in omnibus aliquam rationem aſſumptibilitatis ſupponere, & ſolum exceſſum humanitatis præ alijs inquirere. Secundò *ex ſolut. ad* 1. intendens probare, omnes naturas æqualiter eſſe aſſumptibiles, quin dicantur tales ab omnipotentia diuina, quæ æqualiter poteſt ad omnes. Cui argumento reſpondet: *Quòd creaturæ denominantur aliquales ex eo, quòd eis conuenit ſecundum proprias cauſas, non verò ex eo, quod illis conuenit ſecundum cauſas primas, & vniuerſales: ſicut morbus dicitur incurabilis, quia ſecundũ propria principia ſubiecti curari non poteſt, quamuis à Deo poſſit curari: & ſic creatura aliqua dicitur inaſſumptibilis.* Ergo apertè ſentit D. Tho. creaturam, quæ inaſſumptibilis dicitur, non ideò talem dici, quia à Deo aſſumi non poſſit, ſed quia, ſecundum conditionem intrinſecam, aptitudinẽ congruentiæ non habet, nec potentiam connaturalitatis, vt conſtat in exemplo, quod adducit de morbo.

83 *Ad impugnationẽ reſpondet.* Vndè ſtandum eſt traditæ explicationi, vt expreſsè mẽti Angelici Præceptoris conformi, ad cuius impugnationẽ, nego antecedens; nam congruentia, de qua loquitur, conſiſtit in dignitate, & neceſſitate, vt conſtat ex *corp. art.* neutrum autem horum explicat potentiam obedientialem: ad primam antecedentis probationem, nego antecedens, nam D. Th. loquitur de aſſumptibilitate ſecundum principia intrinſeca, contrapoſitiuè ad extrinſecam, ſumptam ex potentia Dei vt conſtat *ex ſolut. ad* 1. De hac autem loquendo rectè infert D. Th. ex eo, quod non ſic ſecundum potentiam paſſiuam naturalem, eſſe ſecundum congruentiã, quia alius modus aſſumptibilitatis, ſecundum principia intrinſeca non datur; nam aſſumptibilitas, ſecundum potentiam obedientialem, ſub extrinſeca, ſumpta ab omnipotentia diuina continetur. Ad ſecundam probationem, nego maiorem, ſed eſt potentia, qua aliquid eſt aſſumptibile congruenter à Deo, in quo ſupponitur potentia obedientialis, & additur congruentia, vt aliquid ſumatur.

84 *Ad confirmationẽ.* Ad confirmationem, admiſſa doctrina maioris, nego minorem, nam aptitudo, de qua D. Thom. loquitur, eſt naturalis, non naturalitate potentiæ paſſiuæ, de cuius ratione eſt petere ad actum reduci, ſed naturalitate congruentiæ: vndè non eſt ſola potentia obedientialis, ſed inſuper congruentia, & conuenientia quædam naturalis, vt aliquid aſſumatur. Exemplum habemus in Angelis, quibus Deus impertitus eſt gratiam, ſecundum proportionem ad naturam, ita, vt Angelum perfectioris naturæ, ad maiorem gratiam euexerit, ad quem exceſſum gratiæ, exceſſus in natura habet congruentiam, quę quamuis naturalis eſſet; non tamen erat naturalis potentia, cum non exigeret exceſſum gratiæ, ſed nec tantum erat obedientialis potentia: in hac namque omnes Angeli ſunt æquales. Erat ergo capacitas obedientialis, cum congruentia naturali: nam licet congruentia emerici reſpectu gratię in natura non detur; congruentia tamen ſubiectiua poteſt in natura dari: pariter ergo in præſenti.

85 *Inſtabis.* Sed dices: loquitur D. Th. de aptitudine ad aſſumptionẽ, ex cuius negatione dicitur aliqua natura abſolutè inaſſumptibilis, ſed ex negatione ſolius congruentiæ, ſi detur potentia obedientialis, non poteſt dici natura abſolutè inaſſumptibilis: ergo loquitur de aptitudine, conſiſtente, in ſola potentia obedientiali. Maior ex littera conſtat; minor autem probatur; nam inaſſumptibile dicit negationem omnis potentiæ, in ordine ad aſſumptionem: ſicut improducibile dicit negationem omnis potentiæ in ordine ad productionem; ſed vna ex potentijs in ordine ad aſſumptionem eſt potentia obedientialis, imò eſt ſola in ratione potentiæ, nam congruitas, quæ additur, potentia non eſt: ergo, data potentia obedientiali in aliqua natura, vt aſſumatur à Deo, quamuis congruitas deſit, non poteſt dici abſolutè inaſſumptibilis.

Huic obiectioni reſpondet Caietanus ex doctrina D. Th. *ad* 1. quòd quando aliquid poteſt de aliquo prædicari ſe- 86 *Reſpõdet Caietan ex D. Th.*
cundum propria, & intrinſeca, & etiam ſecundum cauſas extrinſecas, & vniuerſales, & ſecundum intrinſeca negatur, quamuis ſecundum extrinſeca verè affirmetur, debet abſolutè negari, & cum addito, affirmari. Vt morbus, qui ſecundum principia intrinſeca curari non poteſt, quamuis à Deo poſſit curari, abſolutè dicitur incurabilis, & curabilis cum addito, addendo *ſecundum potentiam extrinſecam*. Quia ergo aſſumptibile poteſt prædicari ſecundum intrinſeca principia, nempè, non paſſiuè naturaliter, ſed ſecundum naturalem congruentiam, & poteſt prædicari ſecundum potentiam extrinſecam, ſit, vt natura, quæ congruentiam intrinſecã, vt aſſumatur, nõ habet, quamuis à Deo poſſit aſſumi, abſolutè dicatur inaſſumptibilis, & cum addito aſſũptibilis ſcilicet, addendo ſecundũ potentiam extrinſecam Dei. Quæ doctrina ſubtilis eſt, & cõformis ſolutionis *ad* 1.

Poterat tamen reſponderi ſecundo, quòd cum D. Th. *in* 87 *Secundò reſpondet.*
iſto articulo loquatur de potentia ad aſſumptionẽ, ſecundũ conditionẽ intrinſecã, non naturalis aptitudinis, ſed naturalis congruentiæ, cum infert, naturam cui talis congruẽtia deeſt, inaſſumptibilẽ eſſe, etſi verba abſolutè proferantur; ſemper tamen ſubintelligi ſecundum conditionem intrinſecam, ſic autem naturam aliquam eſſe inaſſumptibilem, rectè componitur cum aſſumptibilitate, penes potentiam extrinſecam, ſub qua includitur obedientialis potentia.

---

§. VI.

Argumenta à ratione ſoluuntur.

QVARTO obijciunt Antiquiores apud Durandum *in* 88 *Quartò arguunt.*
3. diſt. 2. q. 1. n. 6. natura, cuius nulla potẽtia eſt eleuabilis ad viſionem, & amorem Dei, non eſt ab ipſo aſſumptibilis in vnitatem ſuppoſiti, vel perſonæ; ſed nulla potentia naturæ irrationalis, eſt ad prædictas operationes eleuabilis: ergo natura irrationalis non eſt aſſumptibilis. Minor cum conſequentia tenet; maiorem autem probant primò. Sicut ſe habet eſſe naturale ad poſſe naturale: ita eſſe ſupernaturale ad poſſe ſupernaturale; ſed non ſtat, quòd creatura aliqua habeat eſſe naturale, quin habeat poſſe naturale: ergo pariter eſſe ſupernaturale ſine poſſe ſupernaturali non datur; ſed per aſſumptionẽ natura aſſumpta habet eſſe ſupernaturale diuinum: ergo poſſe diuinũ, & ſupernaturale; tale autem poſſe eſt ad videndum, & fruendum Deo: ergo natura, cuius nulla potentia poteſt ad hoc eleuari, non poteſt aſſumi à Deo. Secundò, nam operari ſequitur ad eſſe iuxta ipſius proportionem: ergo ad eſſe diuinum conſequitur operari diuinum, & conſequenter natura incapax eleuationis ad diuinum operari, erit incapax aſſumptionis ad diuinum eſſe. Tertiò: ſi natura ineleuabilis ad operationes diuinas poſſet aſſumi, ſequeretur, naturam rationalem de ſe eleuabilem poſſe aſſumi, quin actu, illius eleuarentur potentiæ; ſed hoc implicat: ergo & quòd natura, cuius potentiæ non ſunt eleuabiles, ad diuinum eſſe aſſumatur. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: ſi namque natura rationalis poſſet aſſumi, non eleuatis potentijs, ad diuinas operationes, ſequeretur, poſſe aſſumi, & manere peccabilem, nam potentiæ non eleuatæ deficere poſſunt: conſequens eſt falſum, implicat enim in natura aſſumpta peccatum in vera, & communi ſententia: ergo natura eleuabilis non poteſt aſſumi, non eleuatis etiam potentijs. Denique probant maiorem: nam cui non poteſt communicari minus, nec maius poteſt communicari; ſed minus eſt videre Deum, & ipſo frui, quam aſſumi in vnitatem ſuppoſiti, vel perſonæ diuinæ: ergo natura, cuius potentiæ non poſſunt eleuari ad prædictas operationes, non poteſt aſſumi à Deo in vnitatem ſuppoſiti, vel perſonæ.

Reſpondeo, negando maiorem, cuius falſitas conſtat in corpore Chriſti in triduo, quod manſit vnitum Verbo 89 *Reſpõdeo. Ad primã probationẽ reſpõd. Durand.*
in vnitate ſuppoſiti; & tamen erat incapax eleuationis ad diuinas operationes. Ad primam probationem maioris reſpondet Durandus, conceſſa prima conſequentia, negando minorem ſubſumptam, quod, nempè, natura

tura per aſſumptionem habeat aliquod eſſe intrinſecum, ſupernaturale, quod antea non habebat, ſed tantum eſſe, quod antea habebat, ex vi aſſumptionis habet in diuino ſuppoſito; ex quo non ſequitur, quod habeat poſſe ſupernaturale operari, ſed quòd poſſe, quod antea habebat in diuino ſuppoſito, & etiam illius operationes ſint ſuppoſiti diuini. Quę doctrina, ſi procedat de eſſe eſſentię, vel de eſſe ſupernaturali inhærente, vel intrinſecè informante, vera eſt, ſi in aſſumptione non datur vnio ſubſtantialis realiter ab extremis diſtincta; ſi autem de omni eſſe ſupernaturali quomodolibet intrinſeco naturæ, per aſſumptionem procedat, admittenda non eſt: tùm quia in veriori ſententia natura per aſſumptionem trahitur ad exiſtentiam diuinam, de quo D. Tho. *infra q.17.* Tum etiam: nam in omnium ſententia communicatur naturæ perſonalitas diuina, & diuina ſubſiſtentia; licet autem ſubſiſtentia diuina non inhæreat, nec informet intrinſecè naturam aſſumptam, illam tamen intrinſecè terminat, Verbumque in humanitate ſubſiſtit intrinſecè, aliàs homo intrinſecè non eſſet, cuius contrarium monſtrauimus *diſp.* 24. ergo ſi ſolutio, & doctrina Durandi omne eſſe ſupernaturale quomodolibet intrinſecum excludat à natura aſſumpta, ſuſtinenda non eſt.

Rejjcitur.

90 *Vera ſolutio.* Quare ad primam probationem, diſtinguo maiorem: eſſe ſupernaturale eſſentiæ, aut formæ informantis, concedo maiorem: eſſe ſupernaturale perſonale, aut ſubſiſtentiæ, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens diſtinctione maioris; ſolum enim ſequitur, quòd ſicut non ſtat eſſe naturale eſſentiæ ſine poſſe naturali: ita eſſe ſupernaturale eſſentiæ, aut formæ informantis, & per modum naturæ, non ſtat ſine poſſe ſupernaturali; non verò, quòd eſſe ſupernaturale perſonale ſtare nequeat ſine ſupernaturali poſſe; eſſe autem, quod natura aſſumpta accipit, ex vi aſſumptionis, non eſt eſſe eſſentiæ diuinæ, ſed eſſe ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ: cum autem ſubſiſtentia non ſit ratio, vel principium *quo* operandi, ſed tantum complementum principij, & conſtituens operans *quod*, ex vi illius non conſequitur nouum operandi principium, ſed natura, quæ eſt principium *quo* operationum, completur in diuino ſuppoſito: ex quo tantum ſequitur, quod illius potentiæ, ſuppoſito diuino compleantur, & illius operationes ſint, etiam diuini ſuppoſiti, quod rectè Durandus docuit, nec in hoc diſſentimus ab illo.

91 *Ad ſecundam maioris probationem.* Et ex his ad ſecundam maioris probationem conſtat ſolutio; operari namque ſequitur ad eſſe eſſentiæ, vel ad eſſe formale, tanquam ad principium *quo*: vndè iuxta illius proportionem, conſequitur operatio, vel naturalis, ſi eſſe naturale ſit, vel ſupernaturalis, ſi ſit ſupernaturale; ad eſſe autem perſonale non ſequitur operatio, ſed tantum vt conditio ad operationem ſe habet: vndè, ſi eſſe, vel natura, quam ſubſiſtentia modificat non ſupernaturalis, ſed naturalis eſt, non ſequitur operatio ſupernaturalis, ſed naturalis; ſuſtentata verò mediatè à ſubſiſtentia ſupernaturali, à qua ipſa natura ſuſtentatur immediatè.

92 *Ad tertiam.* Ad tertiam probationem, conceſſa maiori, nego minorem; ad cuius probationem dicatur, non ideò potentias naturæ aſſumptæ defectibiles non eſſe, quia intrinſecè ſunt eleuatæ ad operationes ſupernaturales, ſed quia ſunt diuini ſuppoſiti: & quia actiones ſunt ſuppoſitorum, & ſuppoſito diuino repugnat peccaminoſa operatio, fit conſequens, vt quamuis potentiæ intrinſecè eleuatæ non eſſent, nihilominus non poſſent defectuosè operari, de quo *infra q.15.* vbi aliæ rationes dantur pro impeccabilitate naturæ vnitę Verbo diuino independentes ab eo, quod illius potentiæ ſint intrinſecè eleuatæ.

93 *Ad vltimam probationem reſp. Durandus.* Ad vltimam probationem, Durandus vbi *ſupra nu.* 10. reſpondet, permiſſa maiori, negando minorem; nam aſſumi in vnitatem diuinæ perſonæ non eſt maius, hoc eſt, melius, vel dignius, quam videre Deum, & frui illo, ſi ſeparentur ad inuicem; ſicut enim melius eſt, Deum mente, quam carne concipere, ſicut dicitur in *lib. de ſancta Virginitate*: pariter melius eſt, Deum videre per eſſentiam, quam Deo per ſubſiſtentiam vniri, ſi ad inuicem ſeparentur.

94 *Si obijciatur. D. Aug.* Quòd ſi in contrarium obijciatur Auguſtinus *lib.13. de Trinitate c.19. & ſerm.2.* in Ioan. ſuper illud: *Verbum caro factum eſt*, vbi ait; *quod quia Euangeliſta promiſerat, quod dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ne homo miraretur, & diſcrederet, ſubiunxit maius, Verbum caro factum eſt*: ergo iuxta Auguſtinum maius eſt, eleuari naturam ad diuinam ſubſiſtentiam, quam ad filiationem adoptiuam; & conſequentèr maius etiam erit, quam potentiam eleuari ad viſionem, & fruitionem Dei. Reſpondet Durandus, non ſic accipiendum eſſe Auguſtinum, quaſi dignius ſit, & maius aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, quam fieri Filium Dei, ſed quia maior dignatio oſtenſa eſt in vno, quam in alio: & ideò, dato illo, datur de alio confidentia. Secundò reſpondet Durandus, dato, quòd in natura vtriuſque capaci maius ſit aſſumi, quam Deum videre, in natura incapaci filiationis diuinæ, vt eſt creatura irrationalis, maius eſt, Filium Dei fieri, quam aſſumi; quia primum implicat contradictionem, ſecundum autem non ita.

Reſpōdet Durādus primò. *Secundò.*

95 *Secunda ſolutio Durand. rejjcitur.* Nulla ex his ſolutionibus vera eſt, & à ſecunda incipiendo reijcitur, non idem eſſe aliquid eſſe magis impoſſibile, ac eſſe maius, imò id, quod implicat, cum nihil ſit, non poteſt maius eſſe, imò nec magnum, nec bonum: ergo ex eo, quod videre Deum repugnet naturæ irrationali, & illi non repugnet terminari per ſubſiſtentiam diuinam, malè colligit Durandus, quòd in natura irrationali, maius ſit videre Deum, quam vniri ſubſiſtentiæ diuinæ.

96 *Prima ſolutio impugnatur primò.* Deindè prima ſolutio reijcitur primò: vnionem namque ſubſtantialem cum Deo in vnitatem ſuppoſiti, vel perſonæ, eſſe quid maius, & dignius, quam vnio per gratiam habitualem, & per viſionem beatificam, docet Auguſtinus *vbi proximè*, quem violenter explicat Durandus: docet etiam D. Thomas *ſupra q.2. art.10. ad 1. & art.11. in corp. q.50. art.2. in corp. & in hac q. art.1. ad 2.* quem ſequuntur communiter Theologi: ergo ſolutio Durandi falſæ innititur doctrinę. Secundò, nam in vnione ſubſtantiali humanitatis ad Verbum homo exaltatus eſt ſuper Angelos, iuxta illud Pauli *ad Hebraeos* 1. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit; cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu?* Quod de filiatione naturali intelligitur; adoptiua namque Angelis communis eſt. Sentit ergo Paulus, hominem ſupra Angelos eleuatum per vnionem ſubſtantialem, ratione cuius Chriſto, vt homini conuenit naturalis filiatio; et ſi vnio per viſionem, & amorem dignior eſſet vnione ſubſtantiali ad Verbum, homo ratione illius Angelis melior non eſſet: ergo vnio ſubſtantialis dignior, & præſtantior eſt vnione ad Deum per gratiam habitualem, per viſionem, & amorem.

Secundò.

97 *Tertiò.* Tertiò, nam quo donum eſt perfectius, eò beneficium eſt maius; ſed vnio ſubſtantialis humanitati ad Verbum eſt maius beneficium viſione, & fruitione Dei: ergo etiam eſt maius donum, & conſequentèr perfectius, & excellentius. Maior cum conſequentia tenet; minor autem oſtenditur primò: nam illud beneficium, quod maiorem charitatem Dei oſtendit, maius eſt, in ratione beneficij, tum Deus eatenus homines diligat, quatenus illis beneficia communicat; ſed vnio ſubſtantialis humanitatis ad Verbum maximè Dei charitatem, demonſtrat, iuxta illud Ioannis c.3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*; ergo vnio ſubſtantialis humanitatis ad Verbum eſt maximum beneficium, quod Deus hominibus contulit. Secundò probatur minor: nam vnione ſubſtantiali communicatur ipſa diuinitas; per gratiam autem habitualem ſola participatio diuinitatis, & per viſionem ſolum in eſſe obiectiuo, & intentionali; ſed maior, & melior eſt communicatio phyſica ipſius diuinitatis, quam ſola participatio illius, & quam communicatio obiectiue, & intentionalis: ergo vnio hypoſtatica maius beneficium eſt. Tertiò, nam per vnionem hypoſtaticam communicatur humanitati ſubſiſtentia ipſa diuina, quæ eſt aliquid infinitum, etſi vnitum finito modo; ſed bonum infinitum, quamuis finito modo communicatum maius beneficium eſt qualibet communicatione formæ limitatæ, & finitæ, quales ſunt gratiæ habitualis, viſio, & fruitio Dei: ergo vnio ſubſtantialis maius beneficium eſt, quam habitualis gratia, & quam Deum videre, & amare.

98 *Confirmatur primò.* Quod amplius vrgetur: nam, ſi gratia habitualis eſſet dignior, & excellentior vnione hypoſtatica, ſequeretur, poſſe iuſtum vnionem hypoſtaticam de condigno promereri; conſequens eſt falſum, & contra communem ſententiam: ergo gratia habitualis non eſt dignior, nec excellentior hypoſtatica vnione. Patet ſequela: nam opus ab homine iuſto elicitum poſſet in morali æſtimatione, quam participat à gratia, adæquare vnionem hypoſtaticam: ergo poſſet illam de condigno promereri. Confirmatur, & vrgetur ſecundò: homo iuſtus operibus factis in gratia meretur de condigno viſionem beatificam: & conſequenter illius opera, vt gratia informata, adæquant viſionem beatam in morali æſtimatione: ergo, ſi hæc dignior eſt vnione hypoſtatica, à fortiori adæquent illam; & conſequenter eſſe poſſunt condigna merita illius, vel ſaltim ex defectu æqualitatis non repugnat, quod illam de condigno mereantur.

Confirmatur ſecundò.

Nec

99 *Duæ obiectiones diluuntur.* Nec obſtat, viſionem appetitum hominis ſatiare, quod non præſtat vnio hypoſtatica; hoc enim non arguit perfectionis exceſſum, ſed prouenit ex eo, quòd eſt vltimus finis hominis, quo aſſequuto, appetitus ſatiatur, nec aliter poteſt ſatiari. Et quidem gratiam eſſe perfectiorem viſione docet frequentior ſententia; & tamen gratia appetitum non ſatiat, viſione autem ſatiatur appetitus; ac proindè ex iſto capite non colligitur exceſſus. Nec obſtat ſecundò, data optione vnionis hypoſtaticæ, ſeorſim à viſione beatifica, aut viſionis beatificæ ſine hypoſtatica vnione, quemuis electurum electione rationabili viſionem beatificam: ergo hæc excedit in dignitate vnionem. Nam reſponderi poteſt primò, negando antecedens: cum enim vnio hypoſtatica perfectius Deo coniungat, quam viſio, rationabiliter debet præferri. Secundò reſponderi poteſt, quòd ſi appetens ad delectationem attendat, præferet viſionem vnioni; quia delectabilior eſt; ſi autem ad dignitatem, è contra vnio præferenda eſt viſioni. Maneat ergo cum communi ſententia, vnionem perſonalem cum Deo eſſe maius, & excellentius bonum, quam viſio, & fruitio Dei, in quo, vt dixi, conſentiunt communiter Theologi.

100 *Ad vltimam probationem maioris.* Vndè ad vltimam probationem maioris, diſtinguo maiorem: ſi maius, & minus eiuſdem ordinis ſint, vel vnum in alio includatur, vel vnum aliud neceſſariò ſupponat, concedo maiorem: ſi diuerſi ordinis ſint, & nullatenus ſubordinata, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam licet videre Deum minus ſit, quam Deo hypoſtaticè vniri; non tamen ſunt eiuſdem ordinis, nec ſubordinatè ſe habent; & ideò ex incapacitate ad viſionem, quæ minus bonum eſt, non colligitur incapacitas ad vnionem hypoſtaticam, quæ eſt maius bonum: ſicut volare minus bonum eſt, quam intelligere; & tamen cum incapacitate ad volandum, ſtat capacitas ad intelligendum in homine. Cui ſolutioni, quam *primò loco* tradiderat, ſtandum eſſe, cenſuit Durandus, parum fidens alijs, quas modò impugnauimus.

101 *Opponet.* Sed dices: D. Tho. *in præſenti art. 1. ad 2.* ex eo, quòd vnio maius bonum eſt, quam viſio, & natura irrationalis eſt incapax Deum videndi, infert, non habere congruitatem ad vnionem ſubſtantialem, quia, quod deficit à minori, non habet congruitatem ad maius: ergo iuxta D. Thom. vnio non ſolum eſt maius bonum, quam viſio, ſed etiam inter ſe ſubordinantur. *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: quoad congruitatem vnionis, concedo conſequentiam: quoad ſolam capacitatem, nego conſequentiam. Itaque ſtat capacitas ad vnionem ſubſtantialem cum Deo, abſque capacitate ad viſionem; nam prima conuenit naturæ ſubſtantiali, ex conceptu ſubſiſtentis; ſecunda autem conuenit naturæ intellectuali, quia intellectualis eſt: vndè, comparatione facta inter capacitates, non eſt aliqua ſubordinatio; ſi autem attendatur, non ſola capacitas ad vnionem, ſed etiam congruitas, neceſſariò præexigitur capacitas ad vnionem cum Deo per operationem, videndo, ſcilicet, & amando; quia congruitas ex duplici capite ſumitur, nempè, ex dignitate, & ex neceſſitate, quorum neutrum poteſt competere naturæ incapaci videndi, & amandi Deum.

102 *Quintò arguunt.* Quintò obijciunt: natura incapax ſanctitatis, eſt etiam incapax vnionis perſonalis, aut ſuppoſitalis cum Deo; ſed natura irrationalis incapax eſt ſanctitatis: ergo vniri Deo ſubſtantialiter non poteſt. Conſequentia cum minori tenet; maior autem probatur: ſubiectum incapax effectus formalis formæ, eſt etiam incapax formæ; ſed vnio ſubſtantialis cum Deo habet pro effectu formali ſanctificationem naturæ: ergo natura incapax ſanctificationis eſt etiam incapax vnionis ſubſtantialis cum Deo.

103 *Solutio P. Vazq.* Huic argumento Vazquez *diſput. allegata c. 3. n. 12.* reſpondet, ſubiectum incapax effectus formalis formæ intrinſecæ, non poſſe recipere formam; cum verò forma non inhæret intrinſecè, ſed extrinſecè tantum ſe habet, poſſe cum incapacitate ad effectum formalem, capacitatem ſuſcipiendi formam ſubſiſtere; ſanctificatio autem humanitatis, vel naturæ aſſumptæ à Deo, non eſt effectus formalis modi vnionis intrinſecè afficientis naturam, ſed deitatis, extrinſecè tantum ſe habentis; ac proindè poteſt natura irrationalis incapax effectus ſanctitatis, & gratitudinis, eſſe capax vnionis ſubſtantialis cum Deo: ſecus contingeret, ſi forma naturam creatam ſanctificans eſſet modus ipſe vnionis: tunc enim natura irrationalis, incapax effectus ſanctitatis, capax vnionis non eſſet.

104 *Reijcitur ſolutio P. Vazq.* Hæc tamen doctrina non placet. Primò: nam falſum eſt, deitatem extrinſecè tantum ſanctificare humanitatem aſſumptam, nam licet non inhæreat intrinſecè; vnitur tamen intrinſecè vnione ſaltim mediata. *Secundò.* Secundò, nam perſonalitas, etſi non inhæreat intrinſecè naturæ à ſe terminatæ, nec illa intrinſecè informet, intrinſecè tamen terminat; & tamen poteſt vniri naturæ, quæ capax perſonationis non ſit: ergo forma non extrinſeca poteſt vniri ſubiecto, quod capax non ſit ſuſcipiendi omnem effectum formalem ab ipſa præſtabilem; & conſequentèr idem erit de forma per inhæſionem intrinſeca, non enim poteſt diſcrimen inter formam intrinſecè terminantem, & intrinſecè inhærentem conſtitui.

Denique, nam vnio naturę irrationalis eſt diuerſæ ſpeciei ab vnione rationalis naturæ: ergo quamuis hæc eſſet forma ſanctificatiua, poſſet vis ſanctificandi, alteri vnioni negari; ac proindè cum incapacitate ſanctificationis ſtare poſſet in natura irrationali capacitas ad vnionem. 105 *Tertiò.* Reſpondet Vazquez, negando conſequentiam, nam vnio naturæ irrationalis ſolum differt ab vnione rationalis naturę, quia perſona Verbi, naturæ irrationali non tribuit rationem perſonæ, ſed ſuppoſiti; naturæ autem rationali tribuit rationem perſonæ; vtraque tamen conuenit in coniungendo naturam cum Deo; hac autem ratione vnio naturæ rationalis ſanctificat: ergo etiam vnio naturæ irrationalis ſanctificaret, ſi vnioni vis formalis ſanctificandi competeret. *Reſpond. Vazquez.*

106 *Sed contra.* Sed contra, nam qui daret modo vnionis vim formalem ſanctificandi, aſſereret conſequentèr, vnionem naturæ rationalis non ſanctificare præcisè ex conceptu vnionis cum Deo, ſed ex peculiari conceptu, nempè, vnionis talis naturæ, quæ capax eſſet ſanctitatis: ergo, quamuis vnio naturæ irrationalis conueniret cum vnione rationalis naturæ in ratione vnionis cum Deo, non conuinceretur, eum eadem conuenire in ratione ſanctificationis formalitèr. *Confirmatur.* Quod amplius vrgeri poteſt: nam licet modus vnionis non det effectum ſanctitatis formaliter; præbet tamen in genere cauſæ formalis, naturæ, cuius eſt modus, eſſe applicatam ad effectum ſanctitatis, & ad deitatem, quatenus ſanctificantem, & hoc per modum formæ informantis: & tamen naturæ irrationali non præſtat iſtum effectum formalem: ergo, quamuis ſanctitatem præſtaret, in genere cauſæ formalis informantis intrinſecè, poſſet effectum iſtum non dare naturæ irrationali.

107 *Vera ſolutio.* Vndè, prætermiſſa hac ſolutione, ad argumentum reſpondeo, negando maiorem; ad probationem, diſtinguo maiorem: ſubiectum incapax effectus formalis primarij eſt etiam incapax formæ, prætermitto maiorem: effectus formalis ſecundarij, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam perſona Verbi vnita naturæ creatæ non habet pro effectu formali primariò, illam gratam, & ſanctam conſtituere, ſed illam reddere ſubſiſtentem: vndè natura capax huiuſcemodi effectus, vel quaſi effectus formalis, etſi incapax ſit ſanctitatis, capax eſt vnionis cū Verbo, & cum quauis alia perſona, ſtat enim capacitas ſubiecti ad formam cum incapacitate ad effectum ſecundarium formalem, vt conſtat in anima Chriſti capaci gratiæ habitualis; quæ tamen incapax eſt filiationis adoptiuæ, quæ ſecundariò à gratia habituali præſtatur.

108 *Inſtabis primò.* Sed inſtabis primò: non ſtat, vniri naturam vnione ſubſtantiali cum Deo, quin ex vi talis vnionis magis diligatur à Deo, quam natura Angelica ex vi communicationis gratiæ habitualis; ſed Angelus, ideò ſanctificatur per habitualem gratiam, quia ex vi illius dilectione ſupernaturali ſimpliciter tali diligitur: ergo non ſtat, naturam vniri vnione ſubſtantiali cum Deo, quin etiam ſanctificetur; & conſequentèr natura ſanctificationis incapax non poteſt eſſe capax vnionis. Maior probatur: Deum namque creaturam diligere, eſt velle illi bonum: ergo eo magis diligit, quò maius bonum communicat; ſed non ſtat, naturam creatam vniri ſubſtantialitèr Deo, quin maius bonum illi velit, quam vult Angelo, gratiam habitualem infundens: ergo non ſtat, ſic vniri, & nō diligi magis quam Angelus diligatur, ex vi doni gratiæ habitualis.

109 *Secundò.* Secundò inſtabis: non enim ſtat, naturam etiam irrationalem aſſumi à diuino Verbo, quin Verbum vt in illa ſubſiſtens, ſit Filius naturalis Dei; ſed non ſtat, Verbum, vt in natura creata ſubſiſtens, eſſe Filium naturalem Dei, & naturam ſanctam, & Deo gratam non eſſe: ergo implicat, naturam creatam aſſumi abſque eo, quòd ſancta ſit. Conſequentia probatione non indiget, maior conſtat: nam Verbum, vt in humanitate ſubſiſtens, eſt Filius Dei naturalis, quia ſubſiſtentia perſonalis Verbi, quæ eſt naturalis filiatio, fuit humanitati vnita; ſed cuilibet naturæ crea-

tæ à diuino Verbo aſſumptæ vniretur perſonalitas Verbi, quæ eſt filiatio naturalis: ergo Verbum, vt in quacumque natura ſubſiſtens, neceſſariò debet eſſe Filius naturalis Dei. Minor autem probatur; implicat, ſubſiſtens in aliqua natura eſſe Filium Dei adoptiuum ſine ſanctificatione naturæ; ergo pariter implicabit, Verbum vt in natura creata ſubſiſtens eſſe Filium naturalem Dei ſine naturæ ſanctitate.

110. *Ad primam replicam reſpondetur.* Reſpondeo ad primam replicam, prætermiſſa maiori, diſtinguendo minorem; quia diligitur præciſè, nego minorem; quia diligitur dilectione amicabili cum potentia ad redamandum, concedo minorem, & nego conſequentiam; non enim ſufficit, magis diligi ex vi communicationis alicuius doni à Deo, vt ex vitalis doni ſubiectum ſanctificetur, ſed inſuper eſt neceſſarium; quod donum talis conditionis ſit, quod ſubiectum conſtituat obiectum dilectionis amicabilis ad quod eſt neceſſarium, vt vim redamandi præbeat. Conſtat in vnione ſubſtantiali hypoſtatica, quæ cum maius donum ſit, & perfectius, quam habitualis gratia, Deus, vt illam infundens magis diligit, quam vt gratiam habitualem communicans; & tamen non ſanctificatur humanitas per vnionem ſubſtantialem formaliter; benè verò per gratiam habitualem, quia hæc præſtat vim redamandi; ſecus autem hypoſtatica vnio. Quamvis ergo Deus ſibi irrationalem naturam vniens magis illam diligat, quam Angelum, cui habitualem gratiam communicat, eo quòd vnio gratiam habitualem excedit; quia tamen natura irrationalis capax redamandi non eſt; & conſequenter eſt incapax, vt ſit obiectum amoris amicabilis Dei, in qua ratione ſanctificatio conſiſtit, fit conſequens, vt non inferatur, ex vi aſſumptionis naturæ irrationalis ad Deum fore ſanctam neceſſariò.

111. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: filiatione cadente ſupra naturam, nego maiorem: filiatione cadente ſupra ſuppoſitum in tali natura ſubſiſtens, concedo maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam licet non ſtet, Verbum vt in natura creata ſubſiſtens eſſe Filium naturalem Dei, ly *vt* determinante naturam, vt ſubiectum filiationis, quin natura ſancta ſit: quòd autem vt ſubſiſtens in natura creata ſit Filius naturalis Dei, abſque eo, quòd natura ſit ſancta, nullam repugnantiam dicit, imò quamuis humanitas, cui de facto fuit vnita, ſancta ſit, & Deo grata; non tamen id habet formaliter ab eo, per quod Verbum, vt in illa ſubſiſtens Filius Dei naturalis conſtituitur, nam in ratione talis conſtituitur per hypoſtaſim, quatenus à natura diſtinctam: humanitas autem non ſanctificatur formaliter à proprietate perſonali Verbi, prout diſtincta à natura diuina, ſed à natura ſub conceptu naturæ: & quia huius ſanctitatis natura irrationalis eſt incapax, fit conſequens, vt quamuis Verbum vt in illa ſubſiſtens foret Filius naturalis Dei, ipſa tamen ſancta non eſſet.

112. *Ad probationem minoris.* Ad probationem minoris, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Diſparitas autem eſt, nam filiatio Dei adoptiua in gratia habituali fundatur, quæ non poteſt ſuppoſito immediatè conuenire, ſed ſolum ratione naturæ: & ideò non ſtat, ſubſiſtens in natura creata eſſe Filium adoptiuum Dei ſine ſanctitate naturæ; filiatio autem naturalis poteſt aliundè competere, nempè, vnione ſubſtantiali perſonalitatis, quæ filiatio ſit: ac proindè ſtare poteſt, quòd ſubſiſtens in aliqua natura ſit Filius naturalis Dei per hoc, quòd ſubſiſtens ſanctum ſit, quamuis non ſit ſancta natura. Sed de his fusè *infra q.* 23. & 24.

113. *Sexto arguunt.* Sexto obiiciunt: ſubiectum incapax effectus formalis primarij alicuius formæ eſt etiam incapax formæ; ſed natura irrationalis eſt incapax effectus formalis primarij perſonalitatis diuinæ: ergo eſt incapax vnionis ſubſtantialis cum diuina perſonalitate; & conſequenter implicat, quòd vniatur ſubſtantialiter cum Deo, & quòd ab ipſo aſſumatur. Vtraque conſequentia tenet, maior conſtat; nam effectus formalis primarius formæ nihil aliud eſt, quam forma communicata ſubiecto: ergo non ſtat capacitas ad formam, cum incapacitate ad effectum eius primarium: qua ratione verior, & frequentior ſententia docet, Angelum eſſe incapacem recipiendi quantitatem, & alia accidentia corporea, etiam de potentia abſoluta, quia implicat, vt recipiat effectus formales primarios, quos prædictæ formæ præſtant. Minor autem probatur: effectus, vel quaſi effectus formalis primarius perſonalitatis diuinæ eſt reddere naturam ſubſiſtentem ſubſiſtentia perſonali, & cum illa conſtituere perſonam; ſed natura irrationalis non eſt capax ſubſiſtendi perſonaliter: ergo non eſt capax effectus formalis primarij perſonalitatis diuinæ.

114. *Communis ſolutio.* Communis huius argumenti ſolutio eſt, naturam irrationalem, licet non ſit capax ſubſiſtendi perſonaliter, eſſe tamen capacem ſubſiſtendi ſuppoſitaliter, & vt vniatur cum perſona diuina, & ab ipſa terminetur, ſufficere, quòd ab illa ſuppoſitetur, quamuis perſonari non poſſit, ob ſui incapacitatem. Sed contra hanc ſolutionem obſtat argumentum factum; quod in ſuo robore videtur relinqui: ſubſiſtentia namque perſonalis eſſentialiter diſtinguitur à ſubſiſtentia purè ſuppoſitali, etſi cum illa conueniat in ratione conſtituendi ſuppoſitum, & ſubſiſtens; ergo effectus formalis primarius ſubſiſtentiæ perſonalis eſſentialiter diſtinguitur ab effectu formali ſubſiſtentiæ non perſonalis, ſed purè ſuppoſitalis. Patet conſequentia; non enim ſtare poteſt, imò nec concipi diſtinctio eſſentialis formarum abſq; diſtinctione eſſentiali in effectibus formalibus; ſed diſtinctio effectuum formalium in nullo alio poteſt conſiſtere, quam in ratione ſubſiſtentis perſonaliter, & ſubſiſtentis non perſonaliter, ſed purè ſuppoſitaliter; ergo effectus formalis primarius perſonalitatis, prout à ſubſiſtentia non perſonali diſtinctæ eſt ſubſiſtens perſonaliter; & conſequenter ſubiectum incapax ad perſonaliter ſubſiſtendum, eſt incapax ad effectum formalem primarium perſonalitatis vt diſtinctæ à ſubſiſtentia non perſonali; at natura irrationalis eſt incapax ſubſiſtendi perſonaliter: ergo eſt incapax effectus formalis perſonalitatis, vt perſonalitas eſt; & conſequenter erit etiam incapax vnionis cum perſonalitate diuina, quæ eſſentialiter diſtinguitur à ſubſiſtentia non perſonali, & purè ſuppoſitali.

Inſtauratur argumentum contra illam.

115. *Si dicatur.* Si fortè dicatur; vt ſubiectum capax ſit formæ, ſufficere, quod ſit capax alicuius effectus formalis primarij, etſi non ſit capax ad omnem effectum primarium, vel quod ſit capax effectus primarij ſumpti inadæquatè, quamuis non ſit capax illius adæquatè ſumpti; licet autem effectus formalis perſonalitatis diuinæ adæquatè ſumptus ſit ſubſiſtens perſonaliter, inadæquatè tamen acceptus eſt ſubſiſtens ſuppoſitaliter; & quia huius capax eſt irrationalis natura, eſt in illa capacitas ad vnionem cum diuina perſonalitate, quamuis non poſſit perſonaliter ſubſiſtere.

116. *Obſtat in contrarium.* Obſtat contra euaſionem; nam ſubiectum incapax effectus formalis formæ ſecundum gradum differentialem, quamuis ſit capax effectus eiuſdem formæ ſecundum genericum, & communem, non poteſt formam recipere, nec illi intrinſecè vniri; ſed ſubſiſtere non perſonaliter præſtatur à perſonalitate diuina ex ea ratione, qua conuenit cum ſubſiſtentia non perſonali; ſubſiſtere verò perſonaliter eſt effectus illius ex conceptu differentiali, quo differt ab illa; ergo, quamuis in natura irrationali ſit capacitas ad primum; quia tamen ſecundi eſt incapax, non poteſt vniri cum diuina perſonalitate. Conſequentia tenet, minor videtur certa; nam ſubſiſtentia perſonalis, & non perſonalis conueniunt in ratione ſubſiſtendi incommunicabiliter; differunt autem penès ſubſiſtere perſonaliter, & non perſonaliter; ergo ſubſiſtere incommunicabiliter non perſonaliter eſt effectus ſubſiſtentiæ, vt communis perſonali, & non perſonali. Maior autem probatur; ſubiectum incapax effectus formalis albedinis ſecundum conceptum differentialem, quamuis capax ſit effectus formalis illius ſecundum gradum genericum qualitatis, non poteſt recipere albedinem; quo circa iuxta veriorem ſententiam, albedo non poteſt recipi in Angelo, quia quamuis capax ſit effectus, quem præſtat albedo, ſecundum gradum communem qualitatis abſtrahentis à corporea, & ſpirituali; eſt tamen incapax effectus formalis illius, ſecundum gradum qualitatis corporeæ, & ſecundum vltimum, & differentialem conceptum, quod etiam alijs exemplis poteſt manifeſtari; ergo maior aſſumpta eſt vniuerſaliter vera, quòd, nempè, ſubiectum incapax effectus præſtandi à forma, ſecundum vltimam differentiam, eſt etiam incapax formæ, quamuis ſit in tali ſubiecto capacitas ad effectum à tali forma præſtabilem, ſecundum gradum genericum.

117. *Communis ſolutio defenditur.* Ad hoc argumentum reſpondeo ſolutione inter argumentum tradita: ad replicam benè ibi reſpondetur: nam diuina perſonalitas, quantum eſt de ſe, poteſt perſonare naturam, ſi naturæ capaci perſonationis vniatur: ſi autem natura, cui vnitur, ſit capax ſubſiſtendi incommunicabiliter, non autem perſonaliter: hoc ſecundum illi præſtat, non autem primum ob incapacitatem naturæ. Vndè, quamuis in ordine ad naturam diuinam, quam terminat primariò, effectus, vel quaſi effectus formalis adæquatus illius ſit illam reddere perſonaliter ſubſiſtentem; in ordine verò ad extra, nempè, in ordine ad naturam creatam, quam ſecundariò terminare poteſt, effectus adæquatus primarius non eſt perſonaliter ſubſiſtens, ſed duplicem quaſi effectum primarium habet, non formaliter, ſed eminenter diſtinctum pro eo, quod ſubſiſtentia importat in recto, ſcilicet, ſubſiſtere perſonaliter, & ſubſiſtere incommunicabiliter

non

non perſonalitèr. Vndè per hoc, quòd natura aliqua ſit capax ſubſiſtendi incommunicabilitèr, quamuis nequeat ſubſiſtere perſonaliter capax eſt vnionis ſubſtantialis cum perſonalitate diuina. Et ratio doctrinæ eſt, nam perſonalitas diuina habet hoc, quod eſt terminare naturam creatam, ex continentia eminentiali ſubſiſtentiæ propriæ, naturæ creatæ, quam terminat; continet autem eminentèr, non ſolum perſonalitatem creatam, quæ eſt modus rationalis naturæ, ſed etiam ſubſiſtentiam non perſonalem, quæ eſt modus naturæ ſubſtantialis non rationalis: ac proindè effectus, vel quaſi effectus formalis adæquatus perſonalitatis diuinæ per comparationem ad extra non eſt ſubſiſtens perſonalitèr, ſed etiam ſubſiſtere incommunicabilitèr, non perſonalitèr.

318 *Ad replicam.* Ad replicam contra hanc ſolutionem, reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: quod enim perſonalitas diuina ſubſiſtentem conſtituat naturam irrationalem, non habet ex conceptu ſubſiſtentiæ communi perſonali, & non perſonali, ſed ex conceptu ſubſiſtentiæ perſonalis infinitæ, ex quo eminentèr continet ſubſiſtentiam irrationalis naturæ. Quod patet: nam ex conceptu illo communi ſolum poſſet dare rationem ſubſiſtentis incommunicabiliter abſtrahentem à ſubſiſtentia naturæ rationalis, & irrationalis: qui conceptus eſt non perſonalis purè præciſiuè; non autem poſſet dare rationem ſubſiſtentis in natura irrationali, quæ ratio eſt poſitiuè, non perſonalis; ſed non primum, ſed ſecundum præſtat: ergo non præbet effectum ſubſiſtendi naturæ irrationali, ex conceptu ſubſiſtentiæ communi per prædicationem, ſubſiſtentiæ perſonali, & ſubſiſtentiæ non perſonali, ſed ex conceptu ſubſiſtentiæ perſonalis infinitæ communi communitate continentiæ eminentialis ad ſubſiſtentiam perſonalem creatam, & ſubſiſtentiam creatam non perſonalem: & quia hæc continentia eminentialis, etſi ſit formalitèr vna, eſt eminentialitèr multiplex, poteſt naturæ irrationali vniri ſecundum vnam continentiam formalem, quatenus talis natura ſit incapax effectus, vel quaſi effectus formalis perſonalitatis diuinæ, ſecundum aliam continentiam eminentialem.

§. VII.

Circa ſecundam diſputationis partem, relatis ſententiis, ſtatuitur prima concluſio.

319 Circa ſecundum, quod in hac diſputatione in examen vocauimus, nempè, an natura accidentalis poſſit Deo hypoſtaticè vniri, vt extra controuerſiam, & omninò certum ſupponimus, poſſe accidens cum Deo vnione mediata vniri. Quod patet: nam de facto intellectus, & voluntas, & aliæ proprietates hominis, & cætera communia accidentia, media humanitate, ſunt diuino Verbo vnita: ergo mediatè ſunt vnibilia. Diſſidium ergo relinquitur circa immediatam vnionem.

320 *Prima ſententia.* De quo variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima negat, poſſe accidentalem naturam immediatè Deo vniri, ſecundum aliquod prædicatum diuinum. Hanc tenet Suarez *diſp. 15. ſect. 3* pro illa referens Baſſolis *in 3. diſt. 2. q. 1. art. 2.* & Palacios *quæſt. 2.* Vazquez *diſput. 30. cap. 5.* Lorca *diſp. 27. num. 17.* Gaſpar Hurtado *diſput. 4. difficult. 19.* & Petrus Hurtado *diſp. 43. ſect. 2. ſub ſect. 2.* Granados *controuerſ. 1. de Incarnatione tract. 6. diſp. 1.* Albertinus *corollario 8. Theolog. ex prædicamento ſubſtantiæ dubit. 2.* Illamque probabiliorem cenſet Becanus *cap. 5. q. 5.*

321 *Secunda ſententia.* Secunda ſententia docet, poſſe accidens aſſumi à Deo ad ſubſiſtendum per diuinam ſubſiſtentiam. Hanc tenent Marſilius *in 3. q. 3. art. 1.* Almaynus *diſt. 2. q. 2.* Gabriel *diſt. 1. q. 2. artic. 3. ad 7.* Medina *in præſenti art. 1. dub. 1.* Valentia *puncto 1. in ſecundo quæſito*, quos referunt, & ſequuntur Nazarius *in præſenti art. 1. controuerſ. vnic. q. 6.* & ſubtiliſſimus Araujo *dub. vnic. p. 5.* Tenent etiam ex Diſcipulis Scoti Caſtillo *diſp. 7. q. 1. p. 3.* pro illa referens Pytigianum *in 3. diſt. 1. q. 1. art. 8.* & Fabium *diſp. 6. cap. 2.*

322 *Tertia ſententia.* Tertia docet, accidens non poſſe aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina; poſſe tamen immediatè vniri cum exiſtentia diuina, & per illam exiſtere. Ita Cabrera *in præſenti artic. diſput. 5. & 6.* Aluarez *diſput. 22. in ſolut. ad 5. arg.* Mag. Sancto Thoma *quæſt. 6. diſp. 7. artic. 3. corollar. 2.* & Zeppullus *quæſt. 4. artic. 1. dub. 3.*

Quarta docet, non poſſe accidens immediatè vniri cum ſubſiſtentia diuina, nec cum diuina exiſtentia; poſſe tamen immediatè vniri Deo, vt extremo, & puro termino vnionis. Hanc tenent Bernal *in præſenti diſputatione 16. ſectione tertia*, & Prudentius *tractatu tertia diſputatione 2. ſectione ſexta*. Veram ſententiam ſequentibus aſſertionibus explico. 323 *Quarta ſententia.*

Prima ſit. *Accidens non poteſt aſſumi à Deo, vt illius ſubſiſtentia ſubſiſtat.* Ita Auctores primæ, ſecundæ, & tertiæ ſententiæ. Probant illam Recentiores primò: nam ex ſubſiſtentia, & natura per illam terminata debet vnum per ſe reſultare; ſed ex natura accidentali, & ſubſiſtentia diuina non poteſt reſultare vnum per ſe: ergo accidens non poteſt immediatè vniri cum ſubſiſtentia diuina. Minor conſtat primò: nam ex ſubſtantia, & accidenti non poteſt reſultare vnum per ſe, cum pertineant ad diuerſa prædicamenta; ſed diuina ſubſiſtentia eſt ſubſtantia: ergo ex illa, & accidenti nequit reſultare vnum per ſe. Secundò, non enim poteſt ex ſubſiſtentia diuina, & natura accidentali reſultare vna natura, vt omnibus eſt in confeſſo, nec poteſt reſultare vnum ſuppoſitum: ergo non poteſt ex illis reſultare vnum per ſe. Majorem autem ſic probant: vt enim natura vniatur cum ſubſiſtentia, & per illam terminetur, debet per ſubſiſtentiam compleri, ac per conſequens ad illam non completam præſupponi, ſed eo ipſo, quòd natura per ſubſiſtentiam compleatur, ex vnione illarum reſultat vnum per ſe: ergo ex ſubſiſtentia, & natura terminata per illam neceſſario reſultat vnum per ſe. 324 *Prima aſſertio.*

Huic argumento reſpondet Mag. Nazarius, negando minorem, nam ex ſubſiſtentia diuina, & natura accidentali reſultaret vnum ſuppoſitum, quòd eſt aliquid vnum per ſe. Hæc tamen ſolutio, ſi de ſuppoſito in rigore accipiatur, eſt falſa: ſicut enim perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, id eſt, incommunicabilis ſubſiſtentia: ita ſuppoſitum eſt ſubſiſtens incommunicabilitèr in natura ſubſtantiali, vt docet D. Thom. *1. p. q. 29. art. 2.* ſed Deus ratione vnionis cum natura accidentali non ſubſiſteret incommunicabilitèr in natura ſubſtantiali, ſed in natura accidentali: ergo ex illa vnione non reſultaret ſuppoſitum. Quod amplius vrgetur: quia namque perſona eſt ſubſiſtens incommunicabilitèr in natura rationali, ex vnione ſubſiſtentiæ diuinæ cum natura irrationali non reſultaret perſona, vt vidimus §. *præced.* & communiter docetur à Theologis; quamuis ſubſiſtentia terminans naturam irrationalem ſit ſubſiſtentia perſonalis, ſed ſuppoſitum eſt ſubſiſtens in natura ſubſtantiali; ergo, quamuis ſubſiſtentia diuina terminans naturam accidentalem ſit in ſe ſuppoſitalis, & ſufficiens ad conſtituendum ſuppoſitum, ex illa, & natura accidentali vnitis ſuppoſitum non reſultaret, loquendo de ſuppoſito in rigore: ſi namque nomine ſuppoſiti ſolum intellexit Nazarius ſubſiſtens incommunicabilitèr in qualicumque natura, cum illo non litigabimus; eſt tamen impropria locutio. 325 *Reſpond. Nazar. Reijcitur.* *Confirmatur.*

Licet autem hac ſolutione ſufficientèr non occurratur argumento Recentiorum, Mihi ineſſicax apparet primò: quia non minus diſtant genere ſubſtantia increata, & creata, quam ſubſtantia, & natura accidentalis, Deus namque eſt extra omne genus, nec in aliquo continetur, vt cum D. Thoma *1. p. q. 3. art. 4.* docent Theologi communiter; ſed hac diſtantia non obſtante, ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate aſſumpta reſultat vnum per ſe, vt docet D. Thom. *in hac 3. p. q. 2. art. 6.* Ergo paritèr, quòd accidens, & ſubſiſtentia diuina diſtent diſtantia generica, obſtare nequit ad hoc, quòd ex illorum vnione reſultet vnum per ſe. Secundò, vt enim docet D. Thom. *vbi proximè ad 2. argum.* ideò ex vnione humanitatis ad Verbum reſultat vnum per ſe, quia licet humanitas adueniat enti completo, trahitur ad eſſe illius; ſed eo ipſo, quòd natura accidentalis vniretur cum Deo quoad ſubſiſtentiam, traheretur ad eſſe diuinum: ergo ex illis vt vnitis vnum per ſe reſultaret; ac proindè malè probatur, non poſſe accidens vniri cum ſubſiſtentia diuina, quia ex illis, prout ſic vnitis non poteſt reſultare vnum per ſe. Id autem, quod reſultaret, nec perſona, nec ſuppoſitum eſſet; ob rationem aſſignatam, ſed eſſet ſubſiſtens in natura accidentali tracta ad eſſe exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ diuinæ. Nec eſt eadem ratio de ſubſtantia creata, & natura accidentali; nam accidens ſubſtantiæ creatæ inhærens, ad illius eſſe non trahitur, nec per illius exiſtentiam, aut ſubſiſtentiam exiſtit, nec poteſt ſubſiſtere: & ideò ex illis vnum per ſe non reſultat, vt notauit D. Thom. *vbi proximè allegatus.* 326 *Fundamentum Recentiorum reijcitur primò.* *Secundò.*

Secundò alij mouentur, eo quòd inter naturas, communi ſubſiſtentia terminatas, neceſſariò intercedit communicatio idiomatum, ita, vt ipſæ naturæ, & quæ illis ſunt propria, ad inuicem in concreto prædicentur: vndè illæ propoſitio- 327 *Secundò probant alij.*

poſitiones ſunt veræ: *Deus eſt homo, homo eſt Deus*; ſed natura accidentalis, nec in abſtracto, nec in concreto poteſt prædicari de Deo: hæc enim propoſitio: *Deus eſt albedo*, repugnat: hæc etiam: *Deus eſt albus*, verificari non poteſt, vt omnibus eſt in confeſſo: ergo natura accidentalis, non poteſt cum natura diuina in eadem ſubſiſtentia coniungi, ac proindè, non poteſt immediatè vniri cum ſubſiſtentia diuina, nec per illam terminari.

128 *Reijcitur primò.* Sed nec vrget hoc argumentum; inſtatur enim in anima rationali, quæ in triduo mortis Chriſti Verbo vnita remanſit, & eius ſubſiſtentia ſubſiſtens: & tamen in ſententia iſtorum Auctorum de Verbo prædicari non poteſt, nec in abſtracto, nec in concreto, nam Verbum, nec anima, nec animatum eſſe poteſt, nam ad primum neceſſaria erat identitas animæ rationalis cum Verbo: vndè hæc propoſitio: *Verbum eſt humanitas*, eſt falſa ex defectu identitatis humanitatis cum Verbo: ad ſecundum oportebat, quòd Verbum informaretur ab anima rationali, quod implicat: ergo ſtat, aliqua terminari per communem ſubſiſtentiam, quin vnum de alio prædicetur. *Secundò.* Deindè; vt enim rationalis vnita manſerit Verbo, ſufficit, quod hæc propoſitio fuerit vera: *Verbum eſt habens animam rationalem*: ergo pariter, ex hoc, quòd albedo v. c. poſſit vniri cum diuina ſubſiſtentia, ſolum ſequitur, poſſe verificari de Deo, quòd ſit habens in ſe albedinem, quòd à contrarijs Auctoribus inconueniens non cenſetur. Neque ex hoc, quod ſit habens in ſe albedinem, colligitur, eſſe album, quia ad hoc requirebatur, quod eſſet ſubiectum inhæſionis albedinis: ſicut nec ex hoc, quod Verbum fuerit in triduo habens animam rationalem, ſequitur, fuiſſe animatum, quia ad hoc neceſſarium erat, quòd informaretur ab anima rationali.

129 Nec eſt eadem ratio de humanitate, quæ in concreto prædicatur de habente illam terminatiuè, & per modum ſuppoſiti abſque eo, quòd informetur ab illa, nam humanitas, & quæuis alia natura completa non informat ſubiectum, de quo prædicatur, ſed comparatur ad illud per modum formæ totius, de cuius conceptu, inhæſio, vel informatio non eſt, aliàs materia informaret; forma autem ſubſtantialis partialis non poteſt ſuum effectum, niſi media informatione præſtare, nec forma accidentalis, niſi mediante inhæſione: vndè, quamuis terminentur, dummodò vna non informet, & altera non inhæret, nec denominare poſſunt, nec proprios effectus formales præſtare.

130 *Tertio probat* Tertiò, aliorum impugnatis rationibus, arguit Vazquez vbi *ſupra numer.* 21. ſola natura potens per ſe exiſtere ex ſe, eſt capax, vt terminetur ſubſiſtentia diuina; ſed natura accidentalis non eſt capax per ſe exiſtendi ex ſe: ergo eſt incapax terminari per diuinam ſubſiſtentiam. Conſequentia tenet, minor eſt certa: nam licet accidens poſſit per ſe exiſtere, vt contingit in Sacramento Euchariſtiæ; id tamen non habet ex ſe, ſed omninò ab extrinſeco, & ſupra eius exigentiam: ergo accidenti repugnat per ſe exiſtere ex ſe, hoc eſt, ab intrinſecu exigendo talem modum exiſtendi. Maiorem autem ſic probat: non enim eſt cum fundamento adſtruibilis modus alius vnionis immediatæ cum Deo, præter illum, quem colligimus ex myſterio Incarnationis; ſed vnio cum diuina ſubſiſtentia, quam ex myſterio Incarnationis habemus, eſt naturæ ex ſe per ſe ſubſiſtentis, cuius propria ſubſiſtentia per increatam ſuppletur: ergo ſola natura potens ex ſe per ſe exiſtere eſt vnibilis immediatè cum ſubſiſtentia diuina, & per illam terminabilis. Quo ar-

Deindè arguit Granadus gumento etiam vſus eſt Granadus vbi *ſupra numer.* 2. etenim à Sanctis PP. qui de myſterio Incarnationis tam copiosè diſputarunt, non fit menti de alio genere vnionis, præter illum, quo natura ſubſtantialis vnitur cum ſubſiſtentia diuina: ergo poſſibilitas vnionis naturæ accidentalis cum diuina ſubſiſtentia ſine fundamento adſtruitur.

131 *Vtrumque ...* Hæc tamen argumenta, niſi aliundè iuuentur, non vrgent. Primum namque euidenter inſtatur in communi Theologorum ſententia, quam prædicti Auctores tuentur, aſſerente, poſſe irrationalem naturam immediatè vniri cum diuina ſubſiſtentia. Etenim ex myſterio Incarnationis ſolum habetur vnio ſubſtantialis cum Deo in vnitate perſonæ; & tamen, hoc non obſtante, cum fundamento aſſeritur poſſibilis vnio quæ naturæ irrationalis cum Deo in vnitate, non perſonæ, ſed ſuppoſiti: ergo ex eo, quod vnio, quæ ex myſterio Incarnationis habetur, ſolum ſit naturæ ſubſtantialis potentis ex ſe per ſe exiſtere, perperam infertur, alium vnionis modum eſſe per impoſſibilem, & ſine fundamento aliquo inuentum. Confirmatur: vnio ſubſtantialis cum Deo, quæ habetur ex myſterio Incarnationis, ſolum eſt naturæ perſonabilis; & tamen præter iſtum modum vnionis ab ipſis adſtruitur poſſibilis alius, nempè, naturæ non perſonabilis, ſed tantum ſuppoſitabilis: ergo ex eo, quod vnio, quæ habetur ex myſterio Incarnationis, tantum ſit naturæ potentis de ſe per ſe exiſtere, malè colligitur impoſſibilis vnio naturæ non potentis per ſe exiſtere ab intrinſeco, & de ſe. *Confirmatur.*

132 *Specialiter impugnatur Vazquez.* Deindè contra Vazquez arguitur: ipſe enim videtur ſupponere, non repugnare accidenti modum exiſtendi per ſe, non ex ſe, ſed ab extrinſeco; ſed, hoc admiſſo, non eſt, vndè colligatur impoſſibilitas vnionis immediatè accidentis cum ſubſiſtentia diuina: ergo parum conſequentèr procedit, & inefficaciter arguit. Maior conſtat: Vazquez namque totam vim facit in illo termine *ex ſe*, quod idem eſt, ac naturam poſſe ab intrinſeco, & ex propria ſua exigentia modum exiſtendi per ſe habere, & hoc eſt, quod negat, poſſe conuenire accidenti, & ob id cenſet impoſſibilem vnionem accidentis cum Deo in ſubſiſtentiæ vnitate: ergo ſupponit, ſaltim ab extrinſeco poſſe accidenti competere modum exiſtendi per ſe. Minor autem oſtenditur primò: eo ipſo, quòd accidens poſſit per ſe exiſtere ab extrinſeco modo ſupernaturali creato, poteſt etiam per ſe exiſtere perſeitate præſtita à perſonalitate, vel ſubſiſtentia diuina: ergo eo ipſo poteſt vniri immediatè cum diuina ſubſiſtentia.

Secundò, nam ſubſiſtentia diuina continet eminentèr omnem perfectionem modi ſupernaturalis creati potentis reddere ſubſiſtentem naturam accidentalem; ſed quia continet eminenter perſonalitatem, qua ſubſiſtit natura rationalis creata, poteſt, illius effectum ſupplendo, naturæ creatæ vniri, illam perſonare, ſubſiſtentemque conſtituere: ergo, data poſſibilitate per ſe exiſtendi accidenti, per modum ſupernaturalem creatum, neceſſariò eſt aſſerendum, poſſe ſubſiſtentiam diuinam talis modi effectum ſupplere, & cum accidenti vniri, illud terminare, & ſubſiſtens conſtituere.

133 *Euaſio.* Nec obſtat, modum illum per ſe exiſtendi conuenientem accidenti eſſe diſtinctum à modo ſubſiſtendi naturæ ſubſtantialis, illoque imperfectiorem: & ideo ex eo, quòd ſubſiſtentia diuina poſſit loco ſubſiſtentiæ vniri cum natura ſubſtantiali, malè inferri, quòd poſſit loco illius modi vniri cum accidenti. *Præcluditur.* Non, inquam obſtat; nam etiam modus ſubſiſtendi naturæ irrationalis eſt diſtinctus à modo ſubſiſtendi naturæ rationalis, & illo imperfectior; & tamen hoc non obſtat, quia vtriuſque naturæ ſubſiſtentiam eminentèr continet ſubſiſtentia diuina, poſſit vtrique naturæ vniri, & vtramque reddere ſubſiſtentem: ergo, quod modus per ſe exiſtendi potens conuenire accidenti ſit diſtinctus à modo ſubſiſtendi naturæ ſubſtantialis, illoque imperfectior, non obſtat, quo minus ſubſiſtentia diuina illum eminentèr continens, poſſit illius effectum ſupplere, & loco illius cum accidenti vniri, & accidens ſubſiſtens conſtituere.

134 *Si dicas ſecundò.* Nec iterum obſtat, ſi dicas, naturam irrationalem, quamuis non ſubſiſtat ita perfectè, ac natura rationalis, eſſe tamen capacem conſtituendi ſuppoſitum vnitam cum ſubſiſtentia diuina, eſto capax non ſit conſtituendi perſonam, & ideò eſſe in illa potentiam obedientialem, vt terminetur per ſubſiſtentiam diuinam; accidens autem nec perſonam, nec ſuppoſitum poteſt conſtituere, ac proindè nec poteſt terminari per ſubſiſtentiam diuinam. *Contra primò.* Non, inquam, obſtat primò, nam anima rationalis non eſt capax conſtituendi ſuppoſitum, nec perſonam, & tamen, quia eſt capax per ſe exiſtendi per modum ſubſiſtentiæ creatum contentum eminentèr in ſubſiſtentia diuina, poteſt per illam terminari: ergo, quamuis accidens non ſit capax conſtituendi ſuppoſitum, nec perſonam; ſi tamen eſt capax exiſtendi per ſe per modum aliquem ſubſiſtendi creatum, cum iſte eminentèr contineatur in ſubſiſtentia diuina, poteſt accidens immediatè vniri cum diuina ſubſiſtentia, & per illam terminari. *Secundò.* Secundò, nam perſonalitas Verbi in ſe ipſa, non ſolum eſt ratio conſtituendi ſuppoſitum, ſed etiam conſtituendi perſonam; & tamen, quia continet eminentèr ſubſiſtentiam non perſonalem naturæ irrationalis, poteſt illam terminare, quamuis eam perſonare non poſſit: ergo, ſi eſt poſſibilis modus creatus, quo ſubſiſtat natura accidentalis,

eminentèr in perſonalitate diuina contentus, poterit, illius effectum ſupplendo, reddere ſubſiſtentem naturam accidentalem, quamuis nec perſonata, nec ſuppoſitata poſſit, eo quòd huiuſcemodi effectuum eſt incapax.

§. VIII.

Noſtra ſententia auctoritate, & ratione probatur.

135 *Prob. concluſio 1. ex D. Th.* VNdè, his argumentis omiſſis, ſuadenda eſt noſtra concluſio primò expreſſo D. Thomæ teſtimonio *in 3. ad Annibaldum diſtinct. 5. quæſt. vnic. artic. 1. ad 1.* illis verbis: *Dicendum, quòd ſi poſſet addi ſine ſubſtantia per modum compoſitionis, maior eſſet, ſed non ſic fit; imò per modum aſſumptionis, accidens autem non poteſt addi, niſi per modum compoſitionis, cum eius eſſe ſit ineſſe.* Vbi D. Thom. docet, accidens non poſſe diuinæ perſonæ vniri, quia deberet illi inhærere, quia illius eſſe eſt ineſſe.

Secundò ratione. Deindè probatur concluſio hac vnica ratione: natura namque non potens ſubſiſtere, aut per ſe exiſtere per ſubſiſtentiam creatam, non poteſt diuinæ vniri, nec per illam ſubſiſtens reddi; ſed natura accidentalis non poteſt ſubſiſtere, aut per ſe exiſtere per ſubſiſtentiam creatam: ergo non poteſt diuinæ immediatè vniri, nec per illam terminari. Conſequentia tenet, maior conſtat: ſubſiſtentia diuina, ideò poteſt naturæ creatæ vniri, quia continet eminentèr modum ſubſiſtentiæ terminantem naturam creatam, ob quam continentiam poteſt illius effectum ſupplere, & vice illius terminare naturam, cuius eſt modus; ergo natura incapax ſubſiſtendi per ſubſiſtentiam creatam, eminentèr in diuina ſubſiſtentia contentam, non poteſt cum illa immediatè vniri, nec per illam terminari. Minor autem probatur; non enim poteſt accidens per ſe ſubſiſtere, aut terminari per ſubſiſtentiam creatam, quæ ad genus accidentis pertineat, nec per ſubſiſtentiam creatam, quæ ſit modus ſubſtantialis: ergo nullo modo poteſt per ſe exiſtere per ſubſiſtentiam creatam. Conſequentia tenet; antecedens autem pro prima parte conſtat: nam omne accidens, & omnis modus ſpectans ad lineam accidentis, per ſe dicit ordinem ad ſubiectum inhæſionis, & ſuſtentationis, ſed modus per ſe dicens ordinem ad ſubiectum non poteſt independentiam à ſubiecto, & incommunicabilitatem præſtare, in quo per ſe exiſtere conſiſtit: ergo modus ſpectans ad lineam accidentis, non poteſt accidens conſtituere per ſe exiſtens.

136 Deindè pro ſecunda parte probatur: nam ſubſiſtentia ſubſtantialis modalis neceſſario debet reſpicere naturam aliquam ſubſtantialem, cui connaturaliter conueniat; ſed modi ſubſtantialis conſtituentis per ſe exiſtentem naturam accidentalem non poteſt dari natura, cui conueniat connaturalitèr: ergo implicat talis modus. Maior cum conſequentia tenet; minor autem oſtenditur primò: nam modus ille ſupernaturalis eſſet, vtpotè, præſtans formalitèr effectum ſupernaturalem: ergo non poteſt eſſe connaturalis, niſi naturæ ſubſtantiali ſupernaturali; ſed natura ſubſtantialis ſupernaturalis implicat; ergo implicat natura, cui prædictus modus poſſit eſſe connaturalis. Secundò, nam eo ipſo, quòd eſſet connaturalis alicui naturæ creatæ, non poſſet terminare, aut ſubſiſtentem reddere aliam naturam, vt vidimus *ſuprà*; ſed modus ille adſtruitur, vt terminet naturam accidentalem, & illam per ſe exiſtentem, & ſubſiſtentem conſtituat: ergo nequit eſſe connaturalis alicui ſubſtantiali naturæ.

137 *Confirmatur.* Confirmatur: ſubſiſtentia ſubſtantialis ita eſt propria ſubſtantialis naturæ, vt repugnet, communicari accidenti; ſed modus ſubſtantialis, quo accidens redderetur ſubſiſtens, eſſet ſubſiſtentia ſubſtantialis: ergo implicat talis modus, qui ſubſtantialis ſit, & accidens per ſe exiſtens, & ſubſiſtens conſtituat. Minor cum conſequentia tenet; maior autem, præterquam quòd *ſuprà* à Nobis oſtenſa eſt, probatur: nam ſubſiſtentia ſubſtantialis, & modus exiſtendi per ſe ita ſunt propria ſubſtantiæ: ſicut modus eſſendi per inhærentiam in alio proprius eſt accidentis; ſed modus inhærentiæ ita eſt proprius accidentis, vt repugnet, communicari ſubſtantiæ: ergo ſubſtantialis ſubſiſtentia, & modus per ſe exiſtendi, ita appropriatur ſubſtantiæ, vt implicet accidenti competere.

Huic confirmationi reſponderi ſolet primò, negando vltimam minorem, quòd, nempè, modus eſſendi per inhærentiam in alio, non poſſit conuenire ſubſtantiæ, & probant in humanitate Chriſti, quæ, licet ſubſtantia ſit, dependet à diuino ſuppoſito, & ab illo ſuſtentatur, in quo aliquo modo eſt ſimilis accidenti dependenti à ſubſtantia, vt à ſubiecto ſuſtentante. Pro qua ſolutione Capreolus *in 4. diſtinct. 10. quæſtione 2. ad 7. Durandi contra ſecundam concluſ.* 138 *Prima confirmationis ſolutio.*

Secunda ſolutio negat paritatem rationis, diſparitas autem eſt: nam in hoc, quòd Deus vniatur cum accidenti ſub conceptu ſubſiſtentis, & illud ſubſiſtens reddat, nulla inuoluitur implicatio, cum ſolum ſit ſupplere genus cauſæ materialis extrinſecæ, in quo nulla implicatio inuenitur; in hoc autem, quòd ſubſtantia inhæreat, inuoluitur, Deum ſupplere rationem cauſæ formalis, quod implicat. Quòd autem inuoluatur, patet: nam ſubſtantiam inhærere eſt informare ſubiectum, quòd ipſa de ſe non habet: ergo Deus reddens inhærentem ſubſtantiam ſuppleret rationem cauſæ formalis intrinſecè. 139 *Secunda.*

Tertiò reſponderi poteſt, aliud ſtatuendo diſcrimen, nam ſubſtantiam inhærere ſubiecto, eſt ab illo in eſſendo dependere; Deus autem non poteſt facere, quod id, quod de ſe non dependet ab aliquo, dependeat ab illo, niſi deſtruendo naturam: accidens autem per ſe exiſtere, non eſt ab aliquo intrinſecè dependere, ſed independens conſtitui à ſubiecto, à quo ex natura ſua dependet, in quo nulla implicatio inuenitur. 140 *Tertia.*

Sed nulla ex his ſolutionibus argumento ſatisfacit. Non prima, natura namque ſubſtantialis totalis implicat dependere à ſubiecto inhæſionis, & informationis; tum illius differentia, prout ab accidenti diſtinguitur, conſiſtat in eſſe per ſe, hoc eſt, in eſſe à ſubiecto independente; contrarium autem differentiæ eſſentialis nulli quidditati poteſt conuenire; ſed argumentum de hac dependentia, & modo inhærentiæ procedit: ergo prima ſolutione non ſoluitur. Nec exemplum adductum eſt ad rem, nam humanitas Chriſti non dependet à Verbo tanquam à ſubiecto inhæſionis, ſed ſolum vt à ſuppoſito illam terminante, & complente, vice ſubſiſtentiæ propriæ, quam eminentèr continet; hæc autem dependentia contra rationem ſubſtantiæ non eſt, nec de illa argumentum factum procedit, ſed de inhærentia, & dependentia ab extrinſeco, vt à ſubiecto inhæſionis. 141 *Reijcitur prima ſolutio.* *Exempl. non eſt ad rem.*

Deindè ſecunda ſolutio reijcitur: non enim ſolum repugnat naturæ ſubſtantiali actuare ſubiectum extrinſecum in genere cauſæ formalis, ſed etiam dependere ab illo, vt à ſubiecto inhæſionis; ſed in hac dependentia Deus non ſuppleret cauſam formalem intrinſecam, cum ſub hac ratione cauſa formalis non eſſet: ergo, quòd ſubſtantia non poſſit extrinſeco ſubiecto inhærere, non ideò eſt, quia inuoluat ſupplementum cauſæ formalis intrinſecæ, ſed quia eius eſſe conſiſtit in eſſe per ſe; ſed eſſe accidentis conſiſtit in eſſe in alio: ergo non poteſt ſubſiſtere per ſe poſitiuè. 142 *Secunda ſolutio repugnatur.*

Denique tertia ſolutio reijcitur: nam etiam in hoc, quod eſt accidens exiſtere per ſe poſitiuè, includitur dependentia accidentis ab eo, à quo ab intrinſeco non dependet: ergo, ſi ſubſtantia non poteſt inhærere ſubiecto, quia per ſe non dependet ab illo, & Deus, non niſi deſtruendo naturas poteſt facere, quòd dependeant ab eo, à quo non dependent ab intrinſeco, eadem ratione non poteſt communicare accidenti modum exiſtendi per ſe. Conſequentia tenet à paritate rationis; antecedens autem probatur: natura namque non aliter poteſt per ſubſiſtentiam terminari, niſi per hoc, quòd per illam compleatur ad exiſtendum; ſed hoc eſt dependere à modo complente, & terminante: ergo non poteſt accidens per ſe exiſtere poſitiuè ſine dependentia à modo dante perſeitatem, à quo ex ſe, & ab intrinſeco non dependet. 143 *Tertia ſolutio reijcitur.*

Ex his ſolutum manet contrariorum fundamentum ſumptum ex accidentibus Euchariſtiæ, quæ ſine 144 *Fundamentū oppoſitæ ſententiæ ſoluitur.*

ſubie-

ſubiecto exiſtunt; & conſequenter per ſe; ſed ſubſiſtentia diuinæ ob ſuam infinitatem eminentèr continet omnem modum perſeitatis; & conſequentèr poteſt loco illius vniri, & illius effectum supplere; ergo, ſicut hac ratione poteſt vniri cum natura ſubſtantiali, poteſt etiam cum accidentali vniri, illam terminare, & per ſe exiſtentem conſtituere. Huic argumento reſpondeo ex dictis, diſtinguendo maiorem: per ſe exiſtunt perſeitate negatiuæ, concedo maiorem: poſitiuè per aliquem modum terminantem accidentia Euchariſtiæ, & repugnantem inhæſioni, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam, nam ſubſiſtentia diuina, ideò poteſt cum humanitate vniri, & illam ſubſiſtentem conſtituere, quia eminentèr continet modum perſonalitatis humanæ, à quo naturalitèr compleretur, niſi impedimentum adeſſet, in accidenti autem nec coniuncto, nec ſeparato nullus datur modus illud complens ad exiſtendum, vt *ſuperius* arguebamus, ſed tantum conſeruatur per ſe negatiuè, hoc eſt conſeruatur à Deo ſine inhærentia ad ſubiectum, Deo efficienter ſupplente dependentiam, qua accidens à ſubiecto dependet: & ideò non poteſt ſubſiſtentia diuina vniri cum accidenti, nec illud terminare, & complere.

Sed inſurgit Nazarius, in entibus, quæ aliquo termi-
145 *Repli. à Nazario.* no terminantur ſuapte natura, ablato eius proprio termino ſtatim naturaliter alius reſultat, vt conſtat in linea, à qua, primò puncto ablato, naturalitèr reſultat aliud, remota etiam figuræ ab aliquo corpore, naturalitèr alia reſultat: & ſimiliter, remota ab humanitate Chriſti perſonalitate Verbi, naturalitèr reſultaret propria ipſius perſonalitas, per quam extra Verbum ſubſiſteret, ſed accidens naturalitèr terminatur per inhærentiam in alio: ergo, inhærentia remota, naturalitèr ad illius naturam conſequitur modus eſſendi per ſe; & conſequentèr, cum accidentia Euchariſtica careant inhærentia ad ſubiectum, habent modum exiſtendi per ſe, non ſolum negatiuè, verum etiam poſitiuè.

Reſpondeo, veram eſſe maiorem, ſi in ente vno modo
146 *Reſpon. 0.* terminato, ſit ad alium modum capacitas naturalis, vt contingit in exemplis adductis in argumento; ſecus autem, ſi hæc capacitas non ſupponatur, vt in accidenti contingit, quod eſſe incapax exiſtendi per ſe poſitiuè, conſtat ex dictis; non enim poteſt per ſe exiſtere modo ſubſtantiali perſeitatis, quia talis modus non datur, qui poſſit accidenti communicari, nec modo, qui pertineat ad lineam accidentis, nam eo ipſo, quòd ad lineam accidentis pertineat, petit ab intrinſeca inhærere ſubſtantiæ, & ab illa ſuſtentari, cum quo non ſtat conſtituere accidens per ſe exiſtens, hoc eſt, à ſubiecto ſuſtentante independens. Nec ſatisfacit ſolutio Nazarij aſſerentis, quòd licet iſte
Reſpond. Nazar. modus ex communi ratione accidentis petat inhærere ſubiecto; ex peculiari tamen ratione, qua habet dare accidenti exiſtere per ſe modum ſimilis ei, quo per ſe exiſtit ſubſtantia, poteſt inhærentiam excludere.

Hæc, inquam, ſolutio, & doctrina non ſatisfacit; licet
147 *Reijcitur eius ſolutio.* enim poſſit repugnare alicui entitatis ex conceptu differentiali, quòd illi non repugnat ex conceptu generico; non autem poteſt contingere, quòd ex conceptu differentiali repugnet id, quòd ex conceptu generico conuenit poſitiuè eſſentialitèr; vndè homini ex conceptu differentiali repugnat irrationalitas, quæ illi non repugnat ex conceptu animalis; non autem poteſt repugnare homini ex conceptu differentiali ſentire, quia eſſe ſenſitiuum eſſentialitèr poſitiuè conuenit animali: ſed petere inhærentiam ad ſubiectum, & poſſe ſubiecto inhærere, poſitiuè eſſentialiter conuenit accidenti, tanquam differentia conſtitutiua illius, & diſtinctiua à ſubſtantia: ergo non eſt dabilis modus pertinens ad lineam accidentis, cui ex conceptu differentiali inhærentia repugnet; ac proindè non poteſt conuenire accidenti exiſtere per ſe, perſeitate præſtita à modo accidentali. Cumque nec à modo ſubſtantiali illi poſſit conuenire, fit conſequens, vt incapax ſit ad exiſtendum per ſe poſitiuè; ac proindè, quamuis Deus auferat ab accidente inhærentiam ad ſubiectum, non reſultabit in illo modus exiſtendi per ſe perſeitate poſitiua, ſed tantum erit per ſe exiſtens negatiuè.

§. IX.

Reijcitur quarta ſententia.

SECVNDA CONCLVSIO SIT. *Accidens non poteſt immediatè vniri Deo, vt extremo, & puro termino vnionis.* Hæc concluſio probatur: ex vnione namque extremorum neceſſarium eſt, reſultare aliquid vnum; 148 *Secunda concluſio*
ſed ex accidenti, & Deo, vt extremo, & puro termino vnionis, non poteſt reſultare aliquid vnum: ergo talis vnio repugnat. Conſequentia tenet, maior conſtat primò nam vnio extremorum eſt illorum adunatio: ergo ex vnione extremorum neceſſariò reſultat aliquid vnum. Secundò, non enim ſtat vnio realis extremorum abſque reali compoſitione, compoſitio enim eſt diſtinctorum vnio, compoſitio autem ſine vnitate compoſiti reſultantis non poteſt intelligi: ergo nec vnio extremorum realis intelligi poteſt abſque eo, quòd ex illis aliquid vnum reſultet. Minor autem probatur: vt enim ex duobus reſultet aliquod vnum, neceſſarium eſt, comparari per modum potentiæ, & actus, qualitèr ex materia, & forma vnitis reſultat vna natura, & ex ſubiecto, & accidenti reſultat concretum accidentale, vel per modum termini terminantis, & complentis, & naturæ terminabilis, qualitèr ex ſubſiſtentia, & naturæ reſultat vna perſona, vel quòd vtrumque eodem termino gaudeat, qualitèr ex partibus integralibus, communi termino vnitis, reſultat totum integrale, vnitate continuitatis, nec alius modus conſtituendi aliquod vnum imaginabilis eſt; ſed ex accidenti, & Deo, vt extremo, & puro termino vnionis, non poteſt aliquo ex prædictis modis reſultare aliquod vnum: ergo ex illorum vnione vnum reſultare non poteſt. Maior cum conſequentia ſenet; minor autem probatur: nam in primis non poteſt Deus ad accidens comparari per modum potentiæ ad actum, vt omnibus eſt in confeſſo, aliàs potentialis eſſet, & intrinſecè mutabilis, quorum vtrumque eſt abſurdum. Nec per modum termini complentis accidentis naturam, aliàs non compararetur, vt purum extremum vnionis: ſicut ſubſiſtentiæ, quia complet naturam ſubſtantialem, non comparatur vt extremum purum ad illam. Nec denique poſſunt natura accidentalis, & Deus terminari aliquo communi termino, nam terminus creatus non poteſt Dei naturam intrinſecè terminare: ſicut nec illam complere; terminus autem increatus non poteſt intrinſecè terminare naturam accidentalem, ſi purum extremum ſit, nam terminus intrinſecè aliquam naturam terminans, intrinſecè complet illam; & conſequenter in comparatione illius purum extremum non eſt: ergo ex accidenti, & Deo, vt extremo puro vnionis, non poteſt aliquo ex prædictis modis reſultare aliquod vnum.

Huic argumento reſponderi poteſt primò ex doctrina Aduerſariorum, negando maiorem; poſſunt enim duo vniri abſq; eo, quòd in illis aliæ denominatio reſultet, quam denominatio vniti: tùm, quia in hoc nulla apparet 149 *Reſpondetur 1. ex doctrina Aduerſariorum.*
implicatio. tum etiam, nam partes integrales vniuntur quin vna ad aliam comparetur per modum potentiæ, & actus, aut termini, & terminabilis; & conſequenter in illis ſolum reſultat denominatio realis vniti; an ea autem caſu ex Deo, & accidenti vnitis, vnitas non reſultaret; & conſequenter non implicat vnio realis extremorum, ex quibus vnum aliquod non reſultat.

Vel ſecundo reſponderi poteſt, vt aliqua duo vniantur, non eſſe neceſſarium, quòd ex illis ſit vnitas reſultet vnum, per ſe, ſed ſufficit vnum per accidens, vt autem ex Deo, & accidenti vnitis reſultet vnum per accidens, non 150 *Secunda reſpond.*
exigitur aliquis ex illis modis, qui tantum ſunt neceſſarij ad faciendum vnum per ſe; ac proindè ex Deo, vt extremo puro vnionis, & accidentali natura, poteſt vnum reſultare, quamuis non comparentur per modum potentiæ, & actus, nec per modum termini, & terminabilis, nec communi termino compleantur, & terminentur.

Tertiò reſponderi poteſt, cum à contrarijs Auctoribus aſſeritur, accidens cum Deo vniri, tanquam cum ex- 151 *Tertia.*

tremo, & puro termino, non excludi ex parte Dei, quòd compleat naturam accidentalem, & quòd illam termi net, & ſuſtentet, gerendo vices ſubiecti, omni imperfe- ctione ſecluſa, ſed ſolum excludi a Deo rationem poten- tię receptiuæ naturæ accidentalis, quod imperfectionis eſt; eo autem ipſo, quod Deus vniri poſſit cum natura acci- dentali vt ſubiectum ſublatis imperfectionibus poteſt ex illis vnitis reſultare aliquod vnum, nempè, habens in ſe accidentalem naturam; ac proinde talis vnio non re- pugnet.

152 *Prima ſolutio reijcitur* Sed nulla ex his ſolutionibus argumento ſatisfacit. Non prima; quæ excluſa manet probationibus maioris, nec partes integrales vniuntur abſque aliqua denomina- tione, præter denominationem vniti, nam denominan- tur componentes vnum totum integrale, & terminatæ aliquo communi termino, & per talem terminum com- pletæ: quæ denominationes diſtinctæ ſunt a denomina- tione ſolum vniti.

153 *Secunda impugnatur.* Nec magis ſecunda ſolutio ſatisfacit: nam licet realis vnio, & intrinſeca extremorum, non inferat ex termi- nis vnum per ſe perſeitate ſubſtantiali, vt conſtat in vnio- ne accidentis, & ſubiecti, ex qua reſultat concretum accidentale tali vnitate non gaudens; infert tamen vnita- tem per ſe perſeitate oppoſita vni per aggregationem; ſed ad vnitatem per ſe hoc genere perſeitatis, requiritur, quòd extrema comparentur aliquo ex prædictis modis: ergo, ſi Deus, & natura accidentalis non poſſunt ſic com- parari, ſunt incapaces vnionis. Conſequentia tenet. Maior conſtat: nam vnitas aggregationis eſt plurium ſi- ne intrinſeca vnione, vt patet in aceruo lapidum, imò ordinis vnitatem excludit, vt patet in exercitu, & po- pulo, quorum vnitas, per accidens, & per aggregationem non eſt, quin inter partes vnio intrinſeca intercedat, ſed ſolum intercedit ordo: ergo vnio intrinſeca extremorum obſtat vnitati per accidens, & per aggregationem tali. Minor autem probatur: nam vnitas per ſe, quæ ex vnio- ne phyſica extremorum reſultat, non eſt moralis, ſed phyſica; at vnitas per ſe phyſica non poteſt reſultare, quin extrema componentia comparentur inter ſe aliquo ex prædictis modis: ergo, ſi Deus, vt purus terminus non poteſt aliquo ex illis ad accidens comparari, non po- teſt cum illo, vt purum extremum immediatè phyſicè vniri.

154 *Tertia ſolutio reijcitur* Tandem vltima ſolutio reijcitur: nam licet Deus poſ- ſit ſupplere in genere cauſæ efficientis cauſalitatem, quam habet ſubiectum reſpectu accidentis, vt conſtat in quantitate Euchariſtiæ conſeruata efficienter à Deo ſine concurſu ſubiecti; non tamen poteſt illam alio modo ſupplere: ſed, quòd ſuppleat in genere cauſæ efficientis ſubiecti cauſalitatem, non ſufficit, vt natura accidentalis vniatur immediatè phyſicè Deo, vt extremo, & puro termino: ergo implicat huiuſcemodi vnio. Conſequen- tia tenet. Minor eſt certa: nam ſupplere efficienter cauſa- litatem ſubiecti non petit vnionem ſubiecti cum acciden- ti: ergo nec petit vnionem per modum extremi, & termi- ni. Maior autem probatur; nam præter ſupplere efficien- ter cauſalitatem ſubiecti; non eſt alius modus ſupplen- di, niſi ſuſtentando accidens, vel vt ſubiectum ſine in- trinſeca inhæſione, vel vt terminus intrinſecus complens accidens, vt exiſtat; ſed ſuſtentare vt ſubiectum ſine in- trinſeca receptione, eſt implicatorium in terminis; ſuſten- tare autem per modum termini intrinſeci complentis, vt exiſtat natura accidentalis, non poteſt Deo competere: ergo nequit Deus ſupplere cauſalitatem ſubiecti reſpe- ctu accidentis alio modo, quam in genere cauſæ efficien- tis. Maior cum conſequentia tenet. Minor pro prima parte conſtat: nam ſuſtentare formam aliquam, vt ſubie- ctum, in nullo alio à ſuſtentante purè vt terminus diſtin- guitur, niſi in eo, quod ſuſtentans terminatiuè non ſu- ſtentat recipiendo, vel receptionem exigendo; ſuſten- tans autem ſubiectiuè ſuſtentat formam illam recipien- do in ſe ipſo, ita vt, quamuis munus ſuſtentandi diſtingua- tur à munere recipiendi, illud tamen neceſſario exigat; ſicut munus inhærendi conueniens relationi ex concep- tu differentiali, quamuis munus referendi non ea pri- mario; illud tamen exigit, & intrinſecè includit, nec poteſt ſubiectum à termino puro alia ratione diſtingui: ergo im- plicat in terminis, Deum ſuſtentare accidens vt ſubie- ctum, & illud in ſe non recipere.

155 Deinde, pro ſecunda parte ſuadetur primò: nam ſuſten- tare terminatiuè, complendo naturam, vt exiſtat, eſt terminare, proprium ſubſiſtentiæ; ſed Deus non poteſt im- mediatè cum accidenti vniri ſub conceptu, & munere ſubſiſtentiæ, vt fatentur Auctores, contra quos noſtra con- cluſio procedit, & *concluſ. præced.* monſtrauimus: ergo non poteſt immediatè vniri cum accidenti ſuſtentando illud terminatiuè. Secundò, nam terminatiuè comple- re ſupponit incompletam naturam: ex quo neſcitur, quòd ex termino complente, & natura terminata reſultet vnum per ſe; ſed, vt præfati Auctores fatentur, natura acci- dentalis non ſupponitur incompleta: vndè ex illa, & Deo vnito, non poteſt vnum per ſe reſultare: qua ratio- ne probant, Deum non poſſe cum accidente vniri ſub con- ceptu ſubſiſtentiæ: ergo non poteſt vniri ſuſtentando naturam accidentalem per modum termini illę com- plentis.

Denique, nam vel compleret naturam accidentalem, vt per ſe exiſteret poſitiuè, vel vt alteri inexiſteret; nullo ex his modis poteſt complere naturam accidenta- lem: ergo non poteſt prædictæ naturæ vniri, illa termi- natiuè ſuſtentando. Maior cum conſequentia tenet; mi- nor autem pro ſecunda parte conſtat: non enim poteſt Deus naturam accidentalem complere, vt ſibi inexiſtat, aliàs reciperet in ſe accidens, nec vt exiſtat in alio ſubie- cto; ad hoc enim nullo complente indiget diſtincto ab ipſo ſubiecto: ergo non poteſt terminatiuè complere ac- cidens ad inexiſtendum. Pro ſecunda autem parte oſten- ditur primò: accidens enim non eſt capax exiſtendi per ſe perſeitate poſitiua, vt *concluſ. præced.* monſtrauimus: ergo non poteſt à Deo terminatiuè compleri ad exiſten- dum per ſe perſeitate poſitiua. Secundò, nam, ſi comple- retur à Deo terminatiuè ad exiſtendum per ſe perſeita- te poſitiua; Deus vniretur cum accidenti ſub conceptu ſubſiſtentię, cum ſubſiſtentia diuina contineat in ſe emi- nenter omnem modum perſeitatis exiſtendi; ſed hoc re- nuunt Auctores contrarij, vt vidimus: ergo non poteſt à Deo terminatiuè compleri ad exiſtendum per ſe perſeita- te poſitiua. Et ex his conſtat argumentorum ſolutio. 156

§. X.

Fundamentis contrarijs occurritur.

PRIMVM argumentum eſt: poteſt quantitas v. g. creari à Deo actione dependente ab ipſo, vt à puro ex- tremo, & termino, vel ſuppoſita actione creatiua quantita- tis, noua actione vnio ex quantitate educi, quæ in quan- titate recepta Deum vt terminum reſpiciat; ſed quolibet ex his modis vnitur immediatè natura accidentalis cum Deo, tanquam cum extremo, & puro termino vnionis: ergo poteſt ſic vniri. Minor cum conſequentia tenet; maior autem probatur: quia in nullo ex illis modis inuo- luitur imperfectio; non enim colligitur mutabilitas, aut potentialitas aliqua in ipſo, nec quòd verè quantus ſit, & per quantitatem extenſus, nec quòd accidens intrinſe- cè ab ipſo compleatur: ergo in illis modis nulla implica- tio inuenitur. 157 *Prim. argum. contrariorum*

Reſpondeo, negando maiorem pro vtraque parte. Ra- tio autem implicationis habetur ex dictis noſtram ſen- tentiam probando; quia, nempè, vt accidens vniatur phy- ſicè immediatè cum Deo, debet ex illis reſultare ali- quod vnum per ſe contrapoſitiuè ad per accidens, ad quod neceſſariò exigitur, quod inter ſe comparentur, vel per modum termini, & naturæ terminabilis, vel vt actus, & potentia, vel vt ſubiectum, & forma, vel vtrumque ad vnum communem terminum, quorum repugnantiam oſtendimus. Nec admitto, quantitatem in Sacramento Euchariſtiæ vniri cum corpore Chriſti aliquo ex prædi- ctis modis; qualiter autem corpus Chriſti reſpectu quan- titatis ſe habeat, non eſt noſtrum in *præſentis* exami- nare. 158 *Reſpo- dia.*

Sed dices: poteſt anima rationalis immediatè vniri cum Deo; & tamen ex tali vnione vnum per ſe non reſul- tat: ergo ex eo, quòd ex vnione accidentis cum Deo non reſultet vnum per ſe, non colligitur vnionis impoſſi- bilitas. Minor, cui ineſt difficultas, probatur: Deus 159 *Dus*

nam-

namque non poteſt animâ dici: ſicut nec humanitas dicitur vnitus humanitati, quia ad hoc erat neceſſarium identificari cum anima, nec poteſt dici animatus: ſicut corpus, cui anima rationalis vnitur, dicitur animatum, nam ad hoc neceſſarium erat, quòd ab anima informaretur, quod implicat, alias per vnionem cum anima rationali mutaretur: ergo ex vnione animæ rationalis cum Deo non reſultat aliquod vnum per ſe.

160 *Reſpondeo primò.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: quia licet Deus non dicatur anima, nec animatus, quia ad primum requirebatur identitas, & ad ſecundum erat neceſſaria informatio; dicitur tamen in anima rationali ſubſiſtens, & habens in ſe animam rationalem: ex quo oritur, quòd dicatur intelligens, & volens mediatè per actus ab anima elicitos, & in illa receptos; hoc autem concretum, *ſubſiſtens in anima rationali, & habens animam rationalem*, eſt aliquid per ſe vnum, non minus quam hoc concretum, *ſubſiſtens in humanitate, & habens humanitatem*; ac proindè ex vnione animæ rationalis cum Deo aliquod vnum reſultat.

161 *Secundò.* Vel poteſt reſponderi ſecundò, negando minorem; nam licet Deus non poſſit dici anima ob defectum identitatis, nec animatus concretiuè concretione ſubiectiua ob defectum informationis; poteſt tamen dici animatus concretiuè concretione ſuppoſitali, eo quòd anima vnita ſuppoſitalitèr Deo tribuit illi denominationem operatiui illarum operationum, quæ ab anima eliciuntur, in quo ratio animati concretiuè concretione ſuppoſitali conſiſtit, nec ad hoc requiritur informatio, humanitas namque abſque informatione Verbi per hoc ſolum, quòd in illo ſubſiſtat, conſtituit Verbum radicaliter operatiuum per modum ſuppoſiti ſuarum operationum: ergò paritèr id poterit abſque vlla informatione anima rationalis præſtare. Contra quam ſolutionem nihil aliud poteſt opponi, niſi quòd Verbum in triduo, in quo manſit immediatè vnitum cum anima rationali, à corpore ſeparata, animatum appellare eſt inuſitata loquutio. Cæterum cum de re conſtet, & ex loquutione nullum inconueniens ſequatur, non debet inconueniens cenſeri nouis terminis rem antiquam explicare.

162 *Secundum argumentum proponitur.* Secundò arguitur: poteſt Deus vniri cum accidenti in ratione ſubiecti ſub conceptu ſuſtentantis: ergo poteſt accidens immediatè Deo vniri. Conſequentia tenet; antecedens autem oſtenditur primò: poteſt namque Deus ſupplere omnem cauſam extrinſecam; ſed ſubiectum, vt ſuſtentans eſt cauſa extrinſeca accidentis: ergo poteſt ſupplere cauſalitatem ſubiecti vt ſuſtentantis; & conſequenter poteſt vniri cum accidenti, vt ſubiectum in ratione ſuſtentantis. Secundò probatur: nam licet receptio ſit imperfectio in ſubiecto, ratio ſuſtentantis imperfectio non eſt; ſed Deus poteſt vniri ſub omni ratione non dicente imperfectionem: vndè vnitur in ratione ſuſtentantis humanitatem, quia in conceptu ſuſtentantia non inuoluitur imperfectio. Et ſimiliter vniri poteſt, & de facto vnitur mentibus Beatorum, vt ſpecies, & terminus determinans intellectum, quia ratione determinantis ſub munere ſpeciei imperfectio non clauditur: ergo poteſt Deus vniri cum accidenti in ratione ſubiecti ſub conceptu ſuſtentantis.

163 *Reſpondeo ad 1. probationem.* Reſpondeo, negando antecedens: ad primam probationem, diſtinguo maiorem: poteſt ſupplere omnem cauſam extrinſecam in eodem genere cauſæ, nego maiorem: in eodem, vel in alio tranſeat maior, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: poteſt ſupplere cauſalitatem ſubiecti, gerendo munus ſubiecti, vel in genere cauſæ ſubiectiuæ, quæ materialis eſt, nego conſequentiam: poteſt ſupplere cauſalitatem ſubiecti in genere cauſæ efficientis, concedo conſequentiam. Ex quo non ſequitur, quòd poſſit per modum ſubiecti cum accidenti vniri, nam ad hoc neceſſum erat, quòd ſuppleret cauſalitatem ſuſtentatiuam ſubiecti in eodem genere cauſæ, ſcilicet, ſubiectiuæ, & materialis, quod implicat ob rationes *ſupra* factas: ſicut ex eo quòd ſupplere poſſit cauſalitatem diſpoſitionum in genere cauſæ efficientis producendo formam ſine præuijs diſpoſitionibus, non ſequitur, poſſe vniri per modum diſpoſitionis formaliter diſponentis formam.

164 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: ratio ſuſtentantis non eſt imperfectio ex conceptu communi abſtrahente à ſuſtentatione effectiua, purè terminatiua, & ſubiectiua, concedo maiorem ratio ſuſtentantis ſuſtentatione ſubiectiua, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam, ſed tantum infertur, poſſe Deum cum accidenti vniri, vt cauſa efficiens ſuſtentans, in qua vnione nulla imperfectio importatur; non autem, quòd poſſit vniri, vt ſuſtentans ſuſtentatione purè terminatiua, nam iſte modus vnionis repugnat naturæ accidentis, vt vidimus, nec vt ſuſtentans ſuſtentatione ſubiectiua; quia in hac ſuſtentatione includitur imperfectio, eo quod, quamuis munus ſuſtentantis ſubiectiuè non exprimat imperfectionem receptionis, illam tamen eſſentialiter includit, vt *ſuperius* arguebamus, eo quod ſuſtentatio ſubiectiua non poteſt ab effectiua, & purè terminatiua in alio diſtingui, quam in eo, quòd includat, & exigat receptionem formæ ſuſtentatæ.

165 *Ad ſecundam.* Sed contra hanc ſolutionem inſtatur, & eſt tertium argumentum: poteſt dari ſubiectum ſuſtentans formam ſine illius receptione; ſed receptione ſublata, omnis imperfectio excluditur: ergo vnio per modum ſubiecti poteſt ab omni imperfectione depurari; & conſequenter poterit Deus rationem ſubiecti reſpectu accidentis ſortiri, & cum illo immediatè vniri. Vtraque conſequentia tenet ex dictis; minor conſtat: nam, ſecluſa receptione, ſolum remanet conceptus cauſantis, & dantis eſſe accidenti, in quo nulla imperfectio relucet. Maior autem oſtenditur primò; nam in ſubiecto, munera diſtincta ſunt ſuſtentare, & recipere accidens; ſed quia ſunt munera diſtincta in materia prima reſpectu formæ ſubſtantialis, ſuſtentare, & recipere formam, poteſt dari receptio formæ ſine illius ſuſtentatione, vt conſtat in anima rationali, quæ in materia prima recipitur; & tamen à materia non ſuſtentatur, cum non educatur ex illa, neque ab illa in exiſtendo dependeat: ergo ex eadem ratione poterit reſpectu accidentis dari in ſubiecto receptio ſine ſuſtentatione, & ſuſtentatio ſine receptione; & conſequenter poterit dari ſubiectum vnitum accidenti, vt ſuſtentans ſine illius receptione.

167 *Tertium arguitur, & replicatur contradicta.* Secundò probatur maior: licet ſubſiſtentia creata ſuſtentet propriam naturam, & in illa recipiatur, poteſt ſubſiſtentia diuina vniri cum natura creata ſub conceptu ſuſtentantis, & illam realiter ſuſtentare abſque reali informatione naturæ, & abſque eo, quod recipiatur in illa: ergo paritèr, quamuis ſubiectum creatum ſuſtentet accidens illud in ſe recipiendo, poterit competere Deo munus ſubiecti ſuſtentantis abſque munere recipientis, & vniri cum accidenti creato, vt ſubiectum ſuſtentationis abſque illius receptione. Tertiò, nam licet vnio intrinſecè nectens extrema in vtroque recipiatur, vt plures probabiliter docent de vnione materiæ, & formæ, quòd, nempè, vna tantum ſit, & in materia, & forma recepta, & de vnione naturæ cum ſubſiſtentia, quòd tam in natura, quam in ſubſiſtentia intrinſecè recipiatur, de facto Verbum diuinum eſt ſubiectum ſuſtentans hypoſtaticam vnionem, qua vnitur naturæ humanæ, quin illam recipiat intrinſecè: ergo pariter reſpectu accidentis poterit munus ſubiecti ſuſtentantis exercere, abſque receptione illius; ac proindè dari poterit ſubiectum purè ſuſtentans. Denique id ipſum probatur: nam de facto corpus Chriſti vnitur in Euchariſtia cum quantitate, vt ſubiectum ſuſtentationis, & non inhæſionis, quod plures probabiliter docent: ergo poteſt dari ſubiectum ſuſtentans formam ſine illius receptione.

Reſpondeo, negando maiorem: vt enim *ſupra* arguebamus, excluſa receptione à ſubiecto, non eſt, per quid diſtinguatur ſuſtentatio ſubiectiua ab effectiua, & purè terminatiua, quæ conuenit ſubſiſtentiæ: ſicut, ſecluſo reſpectu ad terminum, non eſt, per quid diſtinguatur *in relatione* ab inhærentia accidentis abſoluti; ac proindè implicat ſubiectum ſuſtentationis abſque receptione formæ. 166 Et ex his ad primam probationem conſtat ſolutio: licet namque illa munera diſtinguantur, non tamen poteſt munus ſuſtentantia ſubiectiuè ſine receptione formæ inueniri, eo quòd ſine illius incluſione, & exigentia non eſt per quid à ſuſtentatione effectiua, & purè terminatiua diſtinguatur. Nec obſtat probatio in contra: tùm, quia in materia poteſt dari receptio ſine ſuſtentatione, non præcisè ob diſtinctionem munerum ſuſtentandi, & recipiendi, ſed quia receptio ſe ſola ſine alio munere ſufficit, vt ratio materiæ receptiuæ ſaluetur, & ſimul cum forma totum ſubſtantiale

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

conſtituat; ſuſtentatio autem ſola ſine receptione incluſa, rationem ſubiecti non ſaluat, vt vidimus. Tùm etiam; quia licet materia recipiat formam ſine eo, quòd illam quoad ſubſtantiam ſuſtentet; illam tamen quoad vnionem, hoc eſt, vnionem formæ cum materia, vel ſaltim materiæ cum forma, recipit, & ſuſtentat; vndè non datur pura receptio in materia; Deus autem ſuſtentans accidens nihil poteſt recipere, & ideò non poteſt, vt ſubiectum ſuſtentationis cum accidens vniri.

168. Et quidem eodem argumento probaretur, poſſe Deum vniri cum forma ſubſtantiali, ſub conceptu materiæ, ſub munere ſuſtentantis, quod neſcio, an aliquis ex contrarijs Auctoribus ſit conceſſurus, nec hucuſque admiſſum vidi. Quòd autem ſequatur, patet: nam etiam in materia munus ſuſtentantis formam, & munus recipientis diſtinguuntur, poteſtque receptio formæ ſine illius ſuſtentatione quoad ſubſtantiam inueniri: ſi ergo, in his præmiſſis ab Aduerſarijs infertur, poſſe Deum vniri vt ſubiectum purè ſuſtentans, secluſa receptione, paritèr inferre poterunt, Deum vniri poſſe per modum materiæ cum forma ſubſtantiali, ſub ſolo munere ſuſtentantis, ſine formæ receptione.

Ad ſecundam probationem, conceſſo antecedenti,
169. *Ad ſecundam.* nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis habetur ex dictis; nam licet ſubſiſtentia creata terminet propriam naturam, & in illa recipiatur: hoc ſecundum de materiali illi conuenit, attenta formali ratione ſubſiſtentiæ ſubſtantialis, quia poteſt ſuſtentatio, prout eſt propria ſubſiſtentiæ, & ab alijs modis ſuſtentandi diſtincta intelligi, & inueniri: cæterum receptione ſubiectiua secluſa, non manet ſuſtentatio ſubiectiua, vt ab alijs modis ſuſtentandi diſtincta; & ideò non poteſt dari ſubiectum ſolius ſuſtentationis obtinens veram ſubiecti rationem.

Et ex his ad tertiam probationem reſponderi poteſt
170. *Ad tertiam reſp. primò.* primò, permiſſa tota antecedentis doctrina, negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: nam licet demus, vnionem, qua inter ſe vniuntur ſubſiſtentia, & natura creata, eſſe vnam indiuiſibilem in vtroque extremo receptam; attamen ſubſiſtentia creata non exigit formaliter ex conceptu ſubſiſtentiæ ſuſtentantis, & terminantis naturam vnionem in ſe recipere, ſed poteſt conceptus ſuſtentantis ſubſiſtentiæ proprius, & ab alijs modis ſuſtentandi diſtinctus, ſine receptione, etiam vnionis, ſaluari: cæterum ſine intrinſeca receptione non poteſt conceptus ſuſtentantis ſubiectiuè proprius ſubiecto conſiſtere: & ideò, receptione secluſa, ratio ſubiecti non poteſt perſeuerare, nec alicui conuenire.

Vel ſecundò reſpondetur, negando doctrinam in ante-
171 *Secundò.* cedenti ſuppoſitam, vel incluſam, quòd nempè, vnio materiæ cum forma, & naturæ cum ſubſiſtentia vna ſit, & in vtroque extremo recepta, ſed duplex vnio inter materiam, & formam inuenitur: vna ex parte formæ ſubiectiuè in illa recepta, & materiam reſpiciens vt terminum: alia ex parte materiæ in illa intrinſecè recepta, & ad formam terminata; inter naturam autem, & ſubſiſtentiam creatam, vel duplex vnio realiter ab extremis diſtincta non datur, ſed vnio ex parte naturæ intrinſecè in illa recepta, & reſpiciens ſubſiſtentiam vt terminum, non autem ex parte ſubſiſtentiæ; quia hæc, cum in ſententia probabili non poſſit de potentia abſoluta ſeparata à natura inueniri, ſe ipſa eſt eſſentialiter affixa propriæ naturæ: & ideò modo vnionis realitèr diſtincto, quo ſubiectiuè vniatur, non indiget: vel vnione diſtincta à ſe ipſa, & ab vnione naturæ realiter in ſubſiſtentia recepta, & ad naturam terminata, cum natura, quam terminat, vnitur; hæc autem in myſterio Incarnationis non datur; quia perſonalitas Verbi ob ſuam infinitatem modo, quo vniatur, non indiget: vndè nunquam eſt verum, quod reſpectu vnionis petentis recipi intrinſecè in ſubſiſtentia, diuinum Verbum rationem ſubiecti ſuſtentantis, & non recipientis exerceat.

Ad vltimam probationem reſponderi poteſt primò,
172 *Ad vltimam probationem reſpond. primò.* prætermiſſo antecedenti, negando conſequentiam: Ratio autem diſcriminis ſoſinuata manet ex dictis; nam licet corpus Chriſti, vt ſuſtentans quantitatem, illam in ſe non recipiat; poteſt tamen dari in illo vnio accidentalis terminata ad quantitatem, & in corpore Chriſti recepta: vndè non datur ſuſtentatio ſine vlla receptione, ſed cum receptione vnionis, & ex iſta receptione ſuſtentatio ſubiectiua in alijs modis ſuſtentandi diſtinguitur, in Deo autem, nec poteſt accidens, recipi, nec vnio cum accidenti, ac proindè non poteſt in illo admitti ratio ſuſtentantis ſubiectiuè. Vel ſecun- *Secundò.*
dò reſpondetur, negando antecedentis doctrinam cum frequentiori ſententia aſſerente, corpus Chriſti non vniri cum quantitate, vt ſubiectum, etiam ſolius ſuſtentationis, ſed tantum inſtrumentalitèr effectiuè ſuſtentare quantitatem, & ſuſtentationem ſubſtantiæ panis, non ſubiectiuè, ſed efficienter per modum inſtrumenti ſupplere.

Si dicas: negari non poteſt probabilitas huius ſenten-
tentiæ, quòd, ſcilicet, corpus Chriſti ſit quantitati vni- 173
tum vt ſubiectum ſub munere ſuſtentantis, abſque *Si dicas.*
illius receptione: ergo conſequenter ad hanc ſententiam aſſerendum eſt, poſſe Deum vniri immediatè cum accidente, vt ſubiectum ſolius ſuſtentationis abſque illius receptione. Reſpondeo primò, prætermiſſo ante-
cedenti, negando conſequentiam; ratio autem diſcri- *Reſpond.*
minis data eſt in prima ſolutione huius vltimæ proba- *primò.*
tionis. Vel ſecundò reſponderi poteſt, Auctores, qui
tenent illam ſententiam, loquendo de corpore Chriſti, *Secundò.*
idem etiam de Deo reſpectu accidentium docere; Nos autem vtrumque conſequentèr negamus.

---

§. XI.

Accidens vniri poſſe cum diuina exiſtentia probatur.

Sit Tertia Concluſio. *Non repugnat accidens vniri* 174
immediatè cum exiſtentia diuina. Hanc ſtatuo pro *Tertia*
Auctoribus tertiæ ſententiæ, & ſpecialitèr procedit con- *concluſio.*
tra Nazarium, & alios Recentiores Thomiſtas, qui admittentes, poſſe accidens vniri ſubſiſtentiæ diuinæ, negant, vniri poſſe cum diuina exiſtentia, & docentes, humanitatem de facto exiſtentia Verbi exiſtere, negant, quòd accidens Dei exiſtentia exiſtere poſſit. Ante cuius probationem duo ſupponenda ſunt. Primum, quòd exiſtentia creata realiter ab entitate, ſeu eſſentia diſtinguitur, vt *libr. 5. Phyſicor.* cum Ariſtotele, & D. Thoma docent omnes eius Diſcipuli. Secundum, humanitatem Chriſti propria non gaudere exiſtentia, ſed Verbi exiſtentia exiſtere, vt docent omnes Thomiſtæ cum Angelico Doctore *infrà quæſt. 17.* nec in præſenti eſt probandum.

Quibus ſuppoſitis, probatur noſtra concluſio: quia
namque exiſtentia humanitatis realitèr ab illa diſtin- 175
guitur, eminenterque in diuina exiſtentia continetur, *Probat.*
poteſt hæc cum humanitate vniri, & effectum propriæ *concluſio.*
exiſtentiæ ſupplendo, illam exiſtentem reddere; ſed exiſtentia accidentis realitèr ab eius entitate diſtinguitur, & eminentèr continetur in exiſtentia diuina: ergo poteſt diuina exiſtentia illius effectum ſupplere, & cum accidenti vnita illud conſtituere exiſtens; ac proindè non repugnat vnio immediata accidentis cum exiſtentia diuina.

Huic argumento reſponderi poteſt, exiſtentiam di- 176
uinam non vniri cum humanitate immediatè, ſed me- *Reſpondebit.*
diante ſubſiſtentia prius cum humanitate vnita: ex quo non ſequitur, poſſe diuinam exiſtentiam immediatè cum accidenti vniri. Hæc tamen ſolutio argumento non ſatisfacit, & reijcitur: nam licet verum ſit, quòd humanitas de facto non vniatur cum diuina exiſtentia immediatè, ſed mediante ſubſiſtentia perſonali Verbi; poteſt tamen de potentia abſoluta immediatè vniri cum exiſtentia diuina, & per illam exiſtens reddi; ſed huius poſſibilitatis alia ratio aſſignari non poteſt, niſi diſtinctio realis exiſtentiæ ab humanitate, & quòd in diuina exiſtentia eminentèr continetur: quæ ratio etiam in accidenti militat: ergo poteſt de potentia abſoluta accidens vniri immediatè cum exiſtentia diuina. Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur poteſt ſubſiſtentia diuina immediatè cum humanitate vniri, quin ex hoc aliqua imperfectio ſequatur: ergo etiam diuina exiſtentia poteſt immediatè vniri cum humanitate, quin ex tali vnione poſſit aliqua imperfectio inferri.

Reſpon-

177 *Reſpond. primò. ſecundò.* Reſpondebis, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, primò, quia, vt docet D.Tho. *infra q 17. art.* 2. exiſtentia eſt actus ſuppoſiti, ac proinde exiſtentia diuina eſt actus ſuppoſiti diuini: ex quo vlterius fit, quòd non poſſit immediatè naturæ communicari. Secundò, quia ſubſiſtentia ex proprio conceptu eſt terminus; non autem aliqua imperfectio infertur ex hoc, quòd aliqua formalitas diuina terminet naturam creatam: exiſtentia autem eſt forma, & vltimus actus, non autem poteſt aliqua diuina formalitas naturam creatam informare, & actuare: & ideò poteſt ſubſiſtentia diuina immediatè naturæ creatæ vniri, non autem diuina exiſtentia.

178 *Rejicitur prædicta ſolutio. Quantum ad primã rationem.* Sed nulla ex his rationibus vim conſequentiæ eneruatur. Non prima, nam eſto exiſtentia connaturalitèr ſubſiſtentiam ſupponat; non tamen illam præſupponit eſſentialitèr: vt enim probabilis docet ſententia, poteſt de potentia abſoluta natura creata ſine ſubſiſtentia exiſtere: ergo licet, vt exiſtentia diuina intra ordinem communicationis ſupernaturalis hypoſtaticæ connaturali modo vniatur naturæ creatæ, ſupponatur prius vnita ſubſiſtentia diuina; hæc tamen præſuppoſitio non exigitur eſſentialiter, conſequentèr poterit de potentia abſoluta iſte ordo non ſeruari, ſed exiſtentia diuina immediatè cum humanitate vniri.

179 *Quoad ſecundam rejicitur primò. ſecundò.* Deindè ſecunda ratio reijcitur primò: nam de facto exiſtentia diuina reddit humanitatem exiſtentem; & tamen non informat humanitatem, ergo de conceptu exiſtentiæ non eſt actuare informando id, quod exiſtens conſtituit, ac proindè ex iſto capite non repugnat, diuinam exiſtentiam immediatè naturæ creatæ vniri; Præterea ſi namque de conceptu exiſtentiæ eſſe actuare informando, nec etiam mediatè poſſet ſuum effectum abſque informatione præſtare, vt conſtat in ratione potentiæ proximæ, vel radicalis; quæ quia vt ſuum præſtet effectum, & in ratione potentiæ conſtituat, petit vel identitatem, vel informationem phyſicam, nec etiam mediatè poteſt ſuum effectum exhibere ſine identitate, vel phyſica informatione; quo circa omnipotentia diuina, quamuis mediatè cum natura humana vnita, quia cum illa non identificatur, nec illam phyſicè informat, non conſtituit humanitatem omnipotentem; ſed diuina exiſtentia mediatè cum humanitate vnita illam exiſtentem conſtituit abſque identitate, vel phyſica informatione: ergo de conceptu exiſtentiæ non eſt identitas, nec informatio phyſica naturæ, quam conſtituit exiſtentem; & conſequentèr etiam immediatè poterit prædictum effectum præſtare

Tertiò. ſine identitate, vel phyſica informatione. Tertiò, nam quamuis ſubſiſtentia ſit actus; non tamen eſt actus informans, ſed terminans in linea entis prædicamentalis complens in illa linea naturam; ergo paritèr, quamuis exiſtentia ſit actus; non tamen erit actus informans, ſed complens, & vltimò terminans in linea entis participalitèr ſumpti; & conſequentèr ſicut poteſt ſubſiſtentia, quamuis ſit actus, immediatè cum humanitate vniri: ita, quamuis exiſtentia actus ſit, poterit cum humanitate etiam immediatè vniri.

180 *Principali argum. reſpond. 2.* Secundò reſponderi poteſt argumento principali, negando cauſalem maioris vt adæquatam: non enim ideò ſolum poteſt humanitas per diuinam exiſtentiam exiſtere, quia exiſtentiam humanitatis realiter ab illa diſtinguitur, & in exiſtentia diuina, eminentèr continetur, ſed inſuper, quia natura ſubſtantialis eſt; & ideò illi non repugnat per exiſtentiam diuinam, quæ ſubſtantialis eſt actuari; natura autem accidentalis capax actus ſubſtantialis non eſt: vndè ſicut ob hanc cauſam non poteſt per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere: ob eandem illi repugnat reddi exiſtens per diuinam exiſtentiam.

181 *Rejicitur primò.* Sed nec iſta ſolutio eſt ſufficiens, & reijcitur primò: non enim minus diſtat natura creata ab exiſtentia infinita, & increata, quam accidens à ſubſtantia; ſed quia ſubſiſtentia diuina cõtinet eminentèr ſubſiſtentiam naturæ creatæ, quamuis increata ſit, poteſt naturam creatam terminare, & reddere ſubſiſtentem: ergo quamuis exiſtentia diuina ſit actus ſubſtantialis, quia tamen eminentèr continet exiſtentiam accidentis, poteſt cum accidenti vniri, & illud exiſtens reddere. Secundò, non enim ideò

Secundò. non poteſt accidentalis natura terminari per ſubſiſtentiam diuinam, quia eſt actus ſubſtantialis formaliter, ſed quia eminentèr actus accidentalis non eſt, hoc eſt, eminentèr continens ſubſiſtentiam creatam terminantem naturam accidentalem; ſed quamuis exiſtentia diuina ſit actus ſubſtantialis formalitèr, eſt tamen eminentèr accidentalis, hoc eſt, eminentèr continens exiſtentiam accidentalis naturæ: ergo poteſt exiſtentia diuina cum natura accidentali vniri, illamque exiſtentem conſtituere. Et ex his conſtat argumentorum ſolutio.

---

§. XII.

Contraria argumenta diluuntur.

OPponunt contrarij Auctores primò: nulla diuina perfectio poteſt actuare naturam creatam; ſed exiſtentia diuina non poteſt naturam creatam exiſtentem conſtituere ſine illius actuatione: ergo non poteſt naturæ accidentali vniri, nec illam exiſtentem conſtituere. 182 *Primum argumentum contrariorũ.* Conſequentia tenet: maior patet: nam ideò non poteſt diuina eſſentia eſſe actus naturæ creatæ, quia creatam actuare naturam imperfectionem importat: ergo actuare naturam creatam repugnat omni perfectioni diuinæ. Minor autem probatur primò: nam exiſtentia eſt vltimus actus: ergo non poteſt naturam exiſtentem conſtituere, niſi vel cum illa identificetur, vel illam phyſicè actuet, ſed cum natura creata identificari non poteſt: ergo, vt illam exiſtentem conſtituat, debet illam actuare. Secundò; nam eſſentia creata comparatur vt potentia ad exiſtentiam, per quam redditur exiſtens: ergo exiſtentia illam exiſtentem conſtituens neceſſario comparatur, vt actus; & conſequentèr non ſtat, exiſtentiam diuinam naturæ creatæ vniri ſine illius actuatione.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: per informationem intrinſecam concedo maiorem: per intrinſecam terminationem, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam exiſtentia ex ſuo conceptu formali non petit actuare informatiuè, ſed tantum terminatiuè; licet autem perfectionibus diuinis repugnet, vniri cum natura creata, tanquam actus informantes, non tamen repugnat illis vniri, vt actus complentes, & terminantes; nam iſto modo vnitur perſonalitas, & ſubſiſtentia diuina. Nec contra iſtam diſtinctionem obſtat probatio maioris; nam eſſentia ſub conceptu eſſentiæ, non poteſt aliquam actuare naturam, niſi per identitatem, vel phyſica informationem: & quia iſti modi actuãdi reſpectu naturæ creatæ imperfectionem Deo repugnantem importat; ideò eſſentia diuina non poteſt eſſe actus naturæ creatæ. 183 *Reſpondeo.*

Nec magis obſtant duæ probationes minoris. Non prima, nam exiſtentia non eſt vltimus actus informans, ſed vltimus actus terminans. Nec ſecunda; nam eſſentia in ordine ad exiſtentiam ſecundum formalem exiſtentiæ conceptum non eſt potentia informabilis, ſed tantum terminabilis: ex quo ſolum ſequitur, exiſtentiam comparatiuè ad eſſentiam eſſe actum terminantem, non autem actum informantem. *Ad probationes minoris reſpond.* Sicut natura in ordine ad ſubſiſtentiam non eſt potentia informabilis, loquendo de ſubſiſtentia ſecundum formalem conceptum, ſed tantum potentia terminabilis, eſto reſpectu ſubſiſtentiæ propriæ creatæ, quæ terminare ſine informatione non poteſt, potentia informabilis ſit, & non ſolum terminabilis. Et quidem hoc argumentum, quo aliqui ex Thomiſtis ducuntur, probat, humanitatem non poſſe per diuinam exiſtentiam exiſtere.

Secundò obijciunt: exiſtentia ſubſtantialis non poteſt communicari accidentali naturæ; ſed exiſtentia diuina eſt exiſtentia ſubſtantialis: ergo nequit communicari accidenti, & conſequentèr non poteſt accidens immediatè diuinæ exiſtentiæ vniri. 184 *Secundò obijciunt.* Conſequentia tenet, minor conſtat, & maior probatur: quia ſubſiſtentia eſt actus proprius ſubſtantiæ, non poteſt communicari accidenti; ſed exiſtentia ſubſtantialis eſt actus proprius ſubſtantiæ, non minus quam ſubſiſtentia, cum exiſtentia ſit actus vltimus, & perfectiſſimus, ad quem ſubſiſtentia diſponit: ergo exiſtentia ſubſtantialis accidenti communicari non poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: exiſtentia ſubſtantialis eminentèr, & formalitèr, concedo maiorem: 185 *Reſpondeo.* exiſtentia ſubſtantialis formalitèr, & eminentèr accidentalis, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam exiſtentia diuina quamuis ſit ſubſtantialis formaliter, eſt tamen eminentèr accidentalis, id eſt, eminentèr continens exiſtentiam accidentia

dentit: & ideò poteſt accidenti communicari. Sicut poteſt communicari naturæ ſubſtantiali creatæ, quia, quamuis ſit exiſtentia increata formaliter; eſt tamen eminenter exiſtentia creata, hoc eſt, illam eminenter continens; ſubſiſtentia autem diuina eſt ſubſtantialis eminentèr, & formalitèr, quia eminentèr non continet ſubſiſtentiam aliquam creatam, per quam accidentalis natura ſubſiſtat, vel ſubſiſtere poſſit, vt in *prima concluſ.* probauimus: & ideò ita eſt propria ſubſtantialis naturæ, vt accidentali communicari non poſſit.

186 *Replicabis.* Sed dices: exiſtentia ſubſtantialis non poteſt conſtituere, niſi tantum per ſe exiſtens; ſed accidens non eſt capax exiſtendi per ſe: ergo eſt incapax exiſtendi per exiſtentiam formaliter ſubſtantialem, qualis eſt exiſtentia diuina. Minor conſtat ex dictis; maior autem probatur: nam inter exiſtere per ſe, & exiſtere in alio, non poteſt medium conſtitui; ſed exiſtentia ſubſtantialis non poteſt conſtituere exiſtens in alio: ergo neceſſariò debet conſtituere exiſtens per ſe.

187 *Reſpondeo.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: non poteſt conſtituere, niſi tantum exiſtens per ſe poſitiuè, aut negatiuè, concedo maiorem: neceſſariò poſitiuè, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam, nam licet accidens non poſſit poſitiuè per ſe exiſtere, vt *ſupra* docuimus; poteſt tamen per ſe exiſtere negatiuè, vt conſtat in quantitate Euchariſtiæ, quæ nulli ſubiecto inhæret; & conſequenter per ſe negatiuè exiſtit: & licet exiſtentia ſubſtantialis eminentèr, & formalitèr non poſſit non conſtituere per ſe exiſtens poſitiuè; illa tamen, quæ eminenter eſt accidentalis, qualis eſt exiſtentia diuina, quamuis non poſſit conſtituere accidens inhærens, poteſt illud conſtituere per ſe exiſtens negatiuè, hoc eſt, exiſtens ſine inhærentia ad ſubiectum. Nec amplius probatio maioris conuincit: nam licet inter per ſe exiſtere negatiuè, & exiſtere in alio, non poſſit medium conſtitui; inter exiſtere per ſe poſitiuè, & exiſtere in alio medium datur, nempè, exiſtere per ſe negatiuè, vt in exemplo quantitatis adducto conſpicitur.

188 *Inſtabis primò.* Sed inſtabis primò: nam ex ratione, qua noſtram concluſionem probauimus, vel infertur, poſſe accidens inexiſtere per exiſtentiam diuinam, vel non colligitur, poſſe per illam exiſtere; ſed vt fatemur, nequit per exiſtentiam increatam accidens inexiſtere: ergo fateri tenemur, nec per illam exiſtere poſſe. Probatur maior: ratio, qua probauimus, poſſe per diuinam exiſtentiam exiſtere, eſt quia exiſtentia accidentis eminentèr continetur in exiſtentia diuina; ſed etiam inexiſtentia accidentis eminentèr continetur in illa: ergo ratio, ſi quid probat, conuincit, non ſolum poſſe exiſtere per diuinam exiſtentiam, ſed etiam poſſe per eandem inexiſtere.

189 *Secundò.* Inſtabis ſecundo: exiſtere per ſe, poſitiuè, eſt exiſtere cum repugnantia ad eſſendum in alio; ſed eo ipſo, quòd accidens exiſtat exiſtentia ſubſtantiali diuina repugnat illi inhærentia: ergo eo ipſo exiſtit per ſe poſitiuè, & conſequentèr, ſi eſt incapax iſtius modi exiſtendi, eſt incapax exiſtendi exiſtentia ſubſtantiali, quamuis ſit eminentèr accidentalis. Maior cum conſequentia tenet: minor autem probatur: exiſtentiæ diuinæ repugnat alij inhærere: ergo accidenti exiſtenti per exiſtentiam diuinam repugnat exiſtere in alio; & conſequenter eo ipſo, quòd natura accidentalis exiſtat per exiſtentiam diuinam, repugnat illi inhærentia.

190 *Reſpond. ad primã replicam.* Reſpondeo ad primam replicam, negando maiorem, ad cuius probationem dicatur, inexiſtentiam accidentalem, ea ratione, qua accidens conſtituit exiſtens, dicere perfectionem ſine imperfectionis expreſſione: & quia aliàs in diuina exiſtentia eminentèr continetur, poteſt in ratione conſtituentis exiſtens per diuinam exiſtentiam ſuppleri; & conſequentèr poteſt accidentalis natura reddi per diuinam exiſtentiam exiſtens, prout tamen accidens conſtituit inexiſtens ſubiecto, exprimere imperfectionem, & ideò, quamuis eminentèr contineatur in exiſtentia diuina, non poteſt effectus iſte à diuina exiſtentia præſtari; ac proindè nequit accidens per diuinam exiſtentiam inexiſtere.

191 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: repugnat accidenti exiſtere in alio inhærentia proueniente ab exiſtentia diuina, concedo conſequentiam: exiſtere in alio inhærentia non præſtita ab exiſtentia diuina, ſed tantum permiſſa ab illa, nego conſequentiam, nam quamuis ipſa diuina exiſtentia non poſſit dare accidenti, quòd inhæreat; poteſt tamen accidens inhærens ſubiecto actuari, & exiſtere per exiſtentiam diuinam: vndè diuina exiſtentia, quamuis non præſtet accidenti, quòd inhæreat, inhærentiam tamen in accidenti permittit, & accidens etiam inhærens, poteſt exiſtens conſtitui per exiſtentiam diuinam.

Mitto plura alia argumenta quibus probare contendunt Auctores contrariæ ſententiæ, nullam entitatem creatam poſſe exiſtere per exiſtentiam realiter ab illa diſtinctam: tùm, quia, vt *ſuperius* aduertimus, hoc in *præſenti* inueſtigandum non eſt, ſed ex Phyloſophia ſupponendum, vbi à Diſcipulis Diui Thomæ argumenta in contrarium clarè diluuntur. Tum etiam: quia inſtantur in humanitate aſſumpta, quam per exiſtentiam diuinam exiſtere docet probabilior ſententia, & Nos id in *præſenti* ſupponimus, difficultatem ad id ſolum reſtringentes, an, ſcilicet, accidenti peculiari aliqua ratione repugnet diuina exiſtentia exiſtere: ſicut eidem repugnat actuari per ſubſiſtentiam diuinam, vel per illam terminari.

Ex dictis colligitur primò, ex accidenti, & exiſtentia diuina, caſu, in quo inter ſe vnirentur, reſultare vnum per ſe, non perſeitate entis nominalitèr ſumpti, ſed perſeitate entis accepti participialiter. Quod patet: nam ex accidenti, & connaturali exiſtentia reſultat vnum per ſe, ſumpto ente participialitèr; ſed exiſtentia diuina vniretur cum natura accidentali, vice exiſtentiæ accidenti connaturalis: ergo ex illis ſic vnitis reſultaret vnum per ſe perſeitate entis participialitèr ſumpti. Patet conſequentia: ideò namque ex humanitate, & exiſtentia diuina reſultat vnum per ſe perſeitate entis participialitèr ſumpti, quia exiſtentia diuina vnitur humanitati vice exiſtentiæ creatæ, & ipſi connaturalis, cum qua vnum per ſe conſtitueret hoc genere perſeitatis: ergo, ſi exiſtentia diuina vniretur cum accidenti, vice exiſtentiæ accidentalis creatæ, ex qua, & natura accidentali coaleſceret vnum per ſe in linea entis participialiter, ex illis, prout ſic vnitis, vnum per ſe reſultaret hoc genere perſeitatis. 192 *Primum corollarium*

Secundò ex dictis infertur, caſu, in quo accidens immediatè vniretur cum exiſtentia diuina, non ideò dicendum eſſe eum proprietate aſſumptum à Deo. Quod patet: vt enim *ſupra* docuimus, ſola vnio cum diuina ſubſiſtentia ſufficit, vt forma, aut natura vnita, dicatur aſſumpta à Deo; ſed, quamuis accidens vniatur cum exiſtentia diuina, non vnitur, nec poteſt vniri cum perſonalitate, aut ſubſiſtentia diuina ſub conceptu ſubſiſtentiæ: ergo, quamuis ſit vnibile, non tamen eſt cum proprietate aſſumptibile. Quod amplius ex *ibidem* dictis vrgetur: quamuis Deus vniretur in ratione intellectionis cum intellectu creato, vt plures cenſent poſſibile, non ideò intellectus creatus à Deo diceretur aſſumptus: ergo paritèr, quamuis accidens vniretur cum exiſtentia diuina, non ideò diceretur aſſumptum. Patet conſequentia à paritate rationis, & inſuper; non enim alia de cauſa poteſt verum eſſe antecedens, niſi quia Deum aliquam naturam aſſumere, eſt illam ſibi vnire vnione fundante prædicationem naturæ vnitæ de Deo: & quia vnio ſub ratione intellectionis, non fundat prædicationem, ideò ad aſſumptionem non ſufficit; ſed etiam vnio Dei cum accidente ſub munere, & conceptu exiſtentiæ non fundat prædicationem accidentis de Deo: ergo talis vnio non ſufficit, vt accidens dicatur aſſumptum. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: nam ideò vnio Dei ſub ratione intellectionis cum intellectu creato non poteſt prædicationem fundare, quia licet intellectus ex vi vnionis conſtitueretur intelligens intellectione diuina, non tamen diceretur, intellectum eſſe in Deo, aut Deum in intellectu ſubſiſtere; ſed ex vi vnionis accidentis cum exiſtentia diuina, etſi accidens diceretur exiſtens, non diceretur exiſtens in Deo, nec Deus in illo ſubſiſtens: ergo non poſſet ex vi talis vnionis de Deo prædicari. 193 *Secundò.* *Confirmatur.*

Sed dices: anima rationalis in triduo, non ſolum remanſit vnita Verbo, ſed etiam ab ipſo aſſumpta; & tamen non poterat prædicari de Verbo: non enim in abſtracto; hæc enim propoſitio: *Verbum eſt anima rationalis*, nunquam potuit eſſe vera, nec in concreto; hæc enim etiam eſt falſa: *Verbum diuinum eſt animatum*, nam ad hoc requirebatur, quòd eſſet ab anima rationali informatum: ergo vnio formæ cum Deo non fundans prædicationem poteſt aſſumptionem fundare, & forma, quæ de Deo prædicari non poteſt, dici poteſt ab ipſa aſſumpta. 194 *Opponet.*

Reſ-

195 *Reſpondeo.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem; quòd, nempè, anima rationalis non poſſit prædicari de Verbo, vt enim *ſuperius* diximus, poteſt verbum dici animatum concretiuè, non per modum totius conſtitui per animam rationalem, ſed per modum ſuppoſiti, & eſto hoc non admittatur, poteſt ad minus verè affirmari de Verbo, eſſe habens animam rationalem, eo quòd in illa ſubſiſtat; accidens tamen ex vi vnionis cum exiſtentia tantum diuina, nullo, ex his modis poteſt prædicari de Deo; quia eſſe habens aliquam formam ſolum poteſt ſtare dupliciter, nempè, ſubiectiuè, & ſuppoſitaliter, Deus autem nec eſſet accidentis ſubiectum, nec eſſet accidentis ſuppoſitum: ac proindè nullo modo poſſet dici habens accidens. Reculantur dicta *ſupra diſputatione decimaquinta*.

§. XIII.

Circa tertiam diſputationis partem referuntur ſententiæ, & ſtatuitur prima concluſio.

196 Tertium, quod in hac diſputatione in examen vocauimus, eſt an natura ſubſtantialis partialis poſſit vniri ſubſtantialitèr cum Deo, & ab ipſo aſſumi. In quo, vt omninò certum, & extra controuerſiam ſupponimus

Primum præſuppoſitum. primò, animam rationalem à materia ſeparatam eſſe vnibilem cum Deo, & ab ipſo aſſumptibilem. Quod patet: nam eſt de fide, manſiſſe in triduo cum diuino Verbo vnitam, & ſubſiſtentem per ſubſiſtentiam diuinam: ergo eſt diuino Verbo vnibilis, & ab ipſo ſubſtantialitèr aſſumptibilis.

Dices. Si dicas: vnio ſubſtantialis cum Deo aut eſt in vnitatem perſonæ, aut in vnitatem ſuppoſiti: ſed nullo ex his modis poteſt anima rationalis vniri: ergo non eſt aſſumptibilis. Conſequentia tenet, minor conſtat, nam perſona *eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*, & ſuppoſitum *eſt indiuidua ſubſtantia naturæ ſubſtantialis*; anima autem rationalis natura non eſt, & conſequenter Verbum, vt in illa ſubſiſtens nec ſuppoſitum, nec perſona eſſe poteſt. Maior autem probatur: quia alius modus vnionis cum Deo in ratione ſubſiſtentiæ non eſt hucuſque aſſignatus.

197 *Reſpondeo 1.* Reſpondeo primò, vnionem animæ rationalis cum Deo eſſe in vnitatem perſonæ, non adæquatæ, & completæ, ſed perſonæ inadæquatæ, eo quòd anima rationalis non

Secundò. eſt adæquatè, ſed inadæquatè natura. Vel ſecundò reſpondetur, poſſe eſſe vnionem cum Deo in vnitatem ſubſiſtentiæ, quæ quidem vnitas ſuppoſiti, vel perſonæ rationem non habeat ex defectu completionis: ſicut etiam datur in probabiliori ſententia ſubſiſtens abſolutum in Deo, quòd ſuppoſitum non eſt, nec perſona, quia communicabile eſt.

198 *Secundũ præſuppoſitum.* Secundò extra controuerſiam eſt, poſſe partes integrantes, omogeneas, & eiuſdem rationis ſeparatas à toto ſubſiſtere per diuinam ſubſiſtentiam, v. g. duæ medietates aquæ ab inuicem ſeparatæ poſſunt vniri cum Deo in ratione ſubſiſtentis, & per illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere, quod à nullo Theologorum negatur, ſuppoſito, quòd natura irrationalis ſit capax vnionis cum Deo in vnitatem ſuppoſiti. Et patet: nam partes prædictæ ſeparatæ à toto, & ab inuicem diuiſæ ſubinduunt rationem totius, & ſunt eiuſdem rationis cum illo, quod componebant, & per ſe ſubſiſtentes ſubſiſtentia realitèr ab illis diſtincta, & eminentèr in diuina ſubſiſtentia contenta; ſed omne, quod ſic ſubſiſtit, poteſt vniri cum Deo in ratione ſubſiſtentis, & per illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere: ergo partes illæ ab inuicem ſeparatæ poſſunt vniri cum Deo in ratione ſubſiſtentis, & per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere.

199 His igitur præſuppoſitis, dubium reſtat circa partes integrantes vnitas, & circa partes phyſicas eſſentiales vnitas, vel ſeparatas, in quo variæ ſunt Theologorum

Prima ſententia. ſententiæ. Prima docet, omnes prædictas partes eſſe aſſumptibiles ad diuinam ſubſiſtentiam, ſiuè ab inuicem ſeparatas, ſiuè actu phyſicè vnitas, ita vt vna pars actu cum alijs vnitas aſſumi poſſit, compartibus non aſſumptis.

Secunda. Secunda ſententia docet, nullam partem actu cum altera vnitam poſſe aſſumi ſine alia; partes autem phyſicas eſſentiales ab inuicem ſeparatas poſſe à Deo hypoſtaticè aſſumi, & vniri cum diuina ſubſiſtentia.

Tertia. Tertia cum præcedenti conueniunt quoad partes, vt actu vnitas, docens non poſſe vnam ex illis aſſumi, altera in aſſumpta manente; quoad partes autem phyſicas eſſentiales ſeparatas, ab illa diſſentit, docens, non poſſe, etiam ſeparatas, vniri Deo hypoſtaticè, nec aſſumi ad ſubſiſtentiam diuinam. Auctores dabimus, noſtram proponentes ſententiam; pro qua ſit.

Prima Concluſio. *Nulla pars actu alij partibus vnita poteſt aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, compartibus non aſſumptis.* Ita Vazquez *diſput.32. cap.4.* Lorca *diſp.17. dub 3. num 14.* Cabrera *in præſenti art.1. diſp.4.* Nazarius *controuerſ. vnic. q.3.* Illuſtriſſimus Araoiò *dub. vnic. in ſecund. parte dubij*, & Magiſter Sancto Thoma *q 3. art. 3.* 200 *Prima concluſio.*

Prob.1. Et probatur; pars enim actu alijs partibus vnita non poteſt aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam; niſi ratione totius prius ſubſiſtentis per illam; ſed aſſumpto toto ad diuinam ſubſiſtentiam, omnes eius partes debent neceſſariò aſſumi: ergo pars actu vnita alijs partibus non poteſt aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, compartibus non aſſumptis. Conſequentia tenet, minor eſt certa nam totum idem eſt, quòd partes ſimul ſumptæ, & vnitæ, & conſequentèr non ſtat, totum aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, quin partes ſimul ſumptæ aſſumantur, cum quo non compatitur illarum aliquam inaſſumptam manere; maior autem probatur: id ſolum poteſt aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina, quod poteſt ſubſiſtere ſubſiſtentia creata, & ea ratione, qua poteſt; ſed pars actu alijs partibus vnita non ſubſiſtit ratione ſui, nec per propriam ſubſiſtentiam, ſed ratione totius, & per illius ſubſiſtentiam: ergo non poteſt immediatè aſſumi ad ſubſiſtendam ſubſiſtentia diuina, ſed tantum ratione totius. Illatio tenet, maior conſtat ex dictis; minor autem ſupponenda potius eſt ex ijs, quæ in Metaphyſica, & Phyſica à noſtris Thomiſtis docentur, quam in *præſenti* probanda.

Poteſt tamen breuitèr ſuaderi primò ex Diuo Thoma *1. p q 29. art.1. & 2. & 4: Contra Gent. cap.29. ad decimum*, illis verbis: *Neque partes alicuius ſubſtantiæ ſic dicuntur particulares ſubſtantiæ, quaſi ſint per ſe ſubſiſtentes, ſed ſubſiſtunt in toto.* Vbi, vt clarè conſtat negat D. Thomas rationem ſubſiſtendi partibus cuiuſcumque ſubſtantiæ. Et quidem de partibus eſſentialibus phyſicis conſtat ex doctrina Thomiſtarum *lib. 1. Phyſicor.* docentium, non exiſtere exiſtentijs partialibus, ſed ſolùm vnica exiſtentia totius: ex quo clarè infertur, non ſubſiſtere ſubſiſtentijs ſibi proprijs, ſed vnica ſubſiſtentia, qua totum per ſe primò ſubſiſtit: ſubſiſtere namque eſt per ſe exiſtere; & conſequentèr, quod non exiſtit immediatè ratione ſui, non poteſt immediatè ſubſiſtere. 201

Quoad partes verò integrales probatur: nam ſubſiſtere eſt per ſe exiſtere perſeitate independentiæ, vel incommunicabilitatis; ſed pars integralis actu alijs partibus vnita non exiſtit per ſe aliquo ex prædictis modis: ergo non ſubſiſtit per ſe, & ratione ſui. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: nam pars integralis actu alijs partibus vnita, eſt actu toti communicata, & ab illo in exiſtendo dependens; ergo non exiſtit per ſe perſeitate incommunicabilitatis, nec perſeitate independentiæ; & conſequentèr per ſe non ſubſiſtit.

Dices perſeitatem independentiæ, in qua ſubſiſtentia conſiſtit, tantum excludere dependentiam à ſubiecto inhæſionis, & à ſubiecto ſuſtentationis; licet autem partes integrales vnitæ, ſint in toto, & ab illo aliqua ratione dependeant, non tamen ſunt in illo, vt in ſubiecto inhæſionis, nec vt in ſubiecto, aut termino ſuſtentante; ac proindè gaudent ſufficienti perſeitate, vt ratione ſui dicantur ſubſiſtere. 202 *Dices.*

Sed contra; nam eo modo exigitur negatio dependentiæ ad ſubſiſtentiam, prout dici perſeitatem excludentem dependentiam, quo requiritur negatio communicationis ad ſubſiſtentiam acceptam pro perſeitate incommunicabilitatis; ſed, quod, partes communicentur toti, tollit ab illis rationis ſubſiſtendi per ſe perſeitate incommunicabilitatis: ergo, quòd dependeant à toto, aufert ab illis rationem ſubſiſtendi per ſe perſeitate independentiæ; & conſequentèr non gaudent aliqua ratione perſeitatis ſufficienti ad per ſe ſubſiſtendum. Maior conſtat; non enim poteſt ratio aliqua diſcriminis reddi: minor autem probatur: nam perſeitas incommunicabilitatis idem eſt, quòd ſuppoſitalitas; ſed hæc excludit communicationem, qua partes communicant inter ſe, & toti communicantur: ergo perſeitas incommunicabilitatis *Sed contra.*

com-

communicationem iſtam excludit. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: nam pars integralis actu alijs partibus vnita, & toti communicata, non habet rationem ſuppoſiti; ſed non ob aliam rationem, niſi quia eſt actu communicata, alijs partibus, & toti: ergo ratio ſuppoſitalitatis excludit communicationem, qua partes integrantes communicant inter ſe, & toti communicantur.

203 *Secundo probatur concluſio.* Deindè ſuadetur concluſio: vt enim *diſp. ſeq.* videbimus, non ſtat, naturam aliquam propria terminatam ſubſiſtentia ſubſiſtere per diuinam; ſed, ſi pars actu alijs partibus vnita poſſet aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, ſequeretur, ſubſiſtere ſubſiſtentia propria, & ſimul ſubſiſtentia diuina ergo ſic vnita, inaſſumptibilis eſt ad diuinam ſubſiſtentiam, non aſſumpto toto, & coaſſumptis alijs partibus. Conſequentia tenet, maior ex dicendis *diſp. ſeq.* conſtabit; minor autem probatur: nam pars exiſtens in toto non poteſt non ſubſiſtere ſubſiſtentia totius, vt conſtat ex dictis, & admittunt Auctores, contra quos noſtra concluſio procedit: ergo ſi manens in toto, qualiter manet, dum eſt alijs partibus vnita, poſſet aſſumi ad ſubſiſtentiam diuinam, ſimul ſubſiſteret ſubſiſtentia propria, nempè, ſubſiſtentia totius, & ſubſiſtentia diuina.

204 *Dices.* Dices, partes actua vnitas ſubſiſtere ſubſiſtentia totius, nihil aliud eſſe, quam ſubſiſtentiam totius conflari, & quaſi componi ex ſubſiſtentijs, quibus partes ſubſiſtunt: vndè caſu, in quo vna pars alijs partibus vnita aſſumeretur ad diuinam ſubſiſtentiam, totum coaleſcens ex alijs partibus ſubſiſteret duplici ſubſiſtentia, nempè, creata, qua partes non aſſumptæ ſubſiſterent, & increata, qua ſubſiſteret pars aſſumpta; hæc autem non ſubſiſteret ſubſiſtentia creata, ſed tantum ſubſiſtentia diuina, à qua præſupponitur aſſumpta.

205 *Contra primò.* Sed contra primò, nam iuxta hanc ſolutionem partes non ſubſiſtunt ſubſiſtentia totius, ſed potius totum ſubſiſtit ſubſiſtentijs, quibus partes ſubſiſtunt; ſed iuxta communem, & veram Thomiſtarum doctrinam partes ſubſiſtunt ſubſiſtentia totius, non autem è contra: ergo Diſcipuli D. Thomæ prædicta euaſione vtentes deſerunt communem Thomiſtarum doctrinam. Maior probatur: partes ſubſiſtere ſubſiſtentia totius, eſt totum per ſe primò ſubſiſtere, & partes ratione totius, vt materiam, & formam exiſtere exiſtentia totius, eſt per ſe primò exiſtere totum, & partes ratione illius; ſed caſu, in quo vna pars ſubſiſteret ſubſiſtentia diuina, & aliæ ſubſiſtentia creata, non ſubſiſteret totum primò, & partes ratione illius, ſed potius è contra; ſubſiſtentia namque diuina non ad totum per ſe primò, ſed ad partem aſſumptam compararetur: ergo iuxta doctrinam traditæ ſolutionis non ſaluatur, partes ratione totius ſubſiſtere, ſed potius è contra. *Secundò.* Deindè tradita ſolutio reijcitur: vt enim totum ſubſiſtat, debet dari vnita ſubſiſtentia; ſed ex ſubſiſtentia diuina, & ſubſiſtentia creata non poteſt vnica ſubſiſtentia conflari; ergo, ſi vna pars ſubſiſtit ſubſiſtentia diuina, & aliæ ſubſiſtunt ſubſiſtentia creata, non poteſt totum ſubſiſtere.

206 *Tertiò ſuadetur noſtra concluſio.* Et ex his ſuadetur tertiò concluſio, admittendo, partes ſubſiſtere ſubſiſtentijs partialibus, quia adhuc prædicta ſententia admiſſa, non poteſt pars manens alijs partibus vnita aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam. Quod probo: vt enim manens vnita aſſumeretur ad diuinam ſubſiſtentiam, neceſſum erat, quod ſubſiſtentia diuina munus gereret ſubſiſtentiæ partialis; ſed hoc implicat: ergo etiam repugnat, partem actu alijs partibus vnitam aſſumi diuinam ſubſiſtentiam, alijs partibus non aſſumptis.

Dices. Dices, repugnare ſubſiſtentiæ diuinæ eſſe formaliter ſubſiſtentiam partialem, hoc eſt, partem cum alia ſubſiſtentia formaliter componentem; non tamen illi repugnare eſſe ſubſiſtentiam partis ſubſiſtentis per illam, & ſupplere quantum ad hoc munus ſubſiſtentiæ partialis: ſicut repugnat, quòd ſit ſubſiſtentia creata, non autem, quòd ſit ſubſiſtentia naturæ creatæ, & gerentes vices creatæ ſubſiſtentiæ, & ſecundum ſufficit, vt pars alijs partibus vnita aſſumatur ad diuinam ſubſiſtentiam, alijs partibus non aſſumptis.

207 *Sed contra.* Sed contra; non enim poteſt vna pars actu alijs vnita ſubſiſtere ſubſiſtentia diuina, alijs ſubſiſtentibus per ſubſiſtentiam creatam, niſi ſubſiſtentia diuina cum ſubſiſtentia creata componat; ſed hoc implicat, vt omnes fatentur; ergo etiam aſſumptio vnius partis actu exiſtentis in tota alijs partibus non aſſumptis. Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: totum namque ſiue ex materia, & forma, ſiue ex partibus integralibus reſultans eſt vnum, non ſolum ex parte naturæ, ſed etiam ex parte ſubſiſtentiæ, aliàs non eſſet vnum ſuppoſitum, ſed plura ſuppoſita, ſi ſubſiſtentiæ eſſent plures: ſicut ſunt plures perſonæ diuinæ, quamuis natura ſit vna, quia ſunt plures perſonalitates; ſed non poteſt ſubſiſtentia eſſe vna, niſi ex ſubſiſtentia diuina, qua pars aſſumpta ſubſiſtit, & ſubſiſtentia creata, qua ſubſiſtunt aliæ partes vna ſubſiſtentia conſtetur; & conſequenter quin ſubſiſtentia diuina componat cum ſubſiſtentia creata: ergo non poteſt vna pars actu alijs partibus vnita aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, non aſſumptis alijs partibus, niſi ſubſiſtentia diuina componat cum ſubſiſtentia creata.

§. XIV.

Obiectionibus in contrariorum occurritur.

208 Contrarium noſtræ concluſionis tenent Suarez *diſp.* 34. *ſect.* 3. Granadus *controuerſ.* 1. *de Incarnatione tract.* 6. *diſput.* 3. quos plures recentiores ſuæ familiæ ſequuntur. Tenent etiam ex noſtris medina *in hac q. art.* 1. *dub.* 1. excepta materia prima, quam non poſſe aſſumi, non aſſumpta forma, defendit, & Aluarez *diſp.* 22. *concluſ.* 4. Eandem ſententiam quoad partes integrales totius, cuius forma eſt diuiſibilis, tenet Zippullus *art.* 1. *dub.* 2. §. 6. quorum fundamentum eſt: nam id, quod per ſe ſubſiſtit per ſubſiſtentiam propriam creatam, poteſt per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere; ſed partes actu componentes totum ſubſiſtunt per proprias, & partiales ſubſiſtentias: ergo poſſunt vna diuiſiuè ab alia ſubſiſtere ſubſiſtentia diuina; & conſequenter poteſt vna pars actu alijs partibus vnita aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, alijs partibus non aſſumptis. *Primum argumentum.* Maior cum conſequentia tenet minor autem oſtenditur primò; nam ſubſiſtentia conſequitur entitatem, & proportionatur cum illa; ſed entitas cuiuſcumque totius eſt compoſita ex partialibus entitatibus: ergo illius ſubſiſtentia debet eſſe compoſita ex partialibus ſubſiſtentijs & conſequentèr partes actu totum componentes ſubſiſtunt ſubſiſtentijs diſtinctis. Secundò, nam ſubſiſtentia eſt modus exiſtentiæ; ſed partes actu componentes totum exiſtunt exiſtentijs partialibus: ergo etiam ſubſiſtunt per partiales ſubſiſtentias.

209 *Confirmatur primò.* Confirmatur primò: nam ſaltim partes integrales ſubſiſtunt ſubſiſtentijs diſtinctis: ergo ſaltim partes iſtæ poſſunt vna diuiſim ab alia ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi. Conſequentia tenet; antecedens autem oſtenditur primò: nam partes integrantes exiſtunt per exiſtentias partiales: ergo etiam partialibus ſubſiſtentijs ſubſiſtunt. *Secundò.* Secundò, nam ſubſiſtentia totius integralis eſt extenſa, & diuiſibilis non minus quam ipſum totum; ſed omne extenſum, & diuiſibile eſt compoſitum ex partibus: ergo ſubſiſtentia totius integralis eſt ex partibus compoſita; & conſequentèr conſtat partialibus ſubſiſtentijs, quibus eius partes ſubſiſtunt. *Tertiò.* Tertiò, nam modus materialis indiuiſibilis non poteſt modificare plura, & diſtincta ſubiecta; ſed ſubſiſtentia totius integralis eſt modus materialis, & actuat plura ſubiecta, ſcilicet, partes, ex quibus componitur: ergo nequit eſſe indiuiſibilis, ſed diuiſibilis eſt neceſſariò, & conſequentèr conſtat pluribus partialibus ſubſiſtentijs. *Quartò.* Quartò probatur; nam pars integralis, etiam actu exiſtens in toto, eſt independens à ſubiecto informationis, & inhæſionis; ſed quòd ſit actu alijs partibus vnita, & toti communicata, non tollit, quòd per ſe exiſtat perſeitate ſufficiente ad rationem ſubſiſtentiæ: ergo pars integralis, etiam actu exiſtens in toto, ſubſiſtit ſubſiſtentia ſibi propria Maior cum conſequentia tenet; minor autem oſtenditur primò: nam totum communicatur partibus; & tamen per ſe exiſtit, & ſubſiſtit: ergo, quòd partes communicentur toti, non tollit perſeitatem ſufficientem ad rationem ſubſiſtentiæ. Secundò, quia, vt docet D. Thom 1. *p. q.* 75. *art.* 2. *in corp. & ad* 1. *&* 2. *arg.* anima rationalis, etiam actu vnita corpori, eſt aliquid ſubſiſtens; & tamen eſt actu vnita materiæ, & communicata toti: ergo illa communicatio conceptui ſubſiſtentiæ

non

non obſtat. Tertiò, quia, vt *tract. de Trinitate* cum frequentiori Thomiſtarum ſententia docuimus, Deus vt communis tribus perſonis ſubſiſtit vera, & propria ſubſiſtentia abſoluta; & tamen perſonis communicatur: ergo negatio communicationis non eſt de eſſentia omnimodi perſeitatis ſufficientis ad rationem ſubſiſtentiæ; & conſequenter, quòd partes integrales actu vnitæ, ſint toti communicatæ, non tollit, quòd per ſe exiſtant perſeitate ſubſiſtentiæ.

210 *Confirmatur ſecundò.* Confirmatur ſecundò: nam ſaltim partes integrales rerum, quarum formæ ſunt diuiſibiles, ſubſiſtunt ſubſiſtentijs ſibi proprijs: ergo ſaltim iſtæ partes, etiam actu exiſtentes in toto, poterunt aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, vna ſeorſim ab alijs. Conſequentia tenet ex dictis; antecedens autem probatur; nam ſubſiſtentia eſt modus conſequens formam, & conſequenter cum illa proportionatus: ergo formam diuiſibilem non poteſt conſequi ſubſiſtentia indiuiſibilis, ſed neceſſariò debet eſſe diuiſibilis formalitèr in plures modos ſubſiſtendi; & conſequenter pars quælibet huiuſcemodi rerum ſubſiſtit ſubſiſtentia partiali.

211 *Reſpondeo ad 1. probationem.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: ad primam probationem, diſtinguo ſecundam partem maioris: proportione habitudinis, concedo maiorem; proportione omnimodæ conuenientiæ, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam; nam licet ſubſiſtentia proportionari debeat cum entitate totius, ad quam neceſſariò ſequitur, proportione habitudinis per modum termini cum natura terminabili, non tamen debet in omnibus conuenire cum illa, ac proindè ex tali proportione non ſequitur, quòd ſi entitas eſt compoſita ex pluribus entitatibus, etiam ſubſiſtentia debeat eſſe compoſita ex partialibus ſubſiſtentijs. Et ratio eſt, quia ſubſiſtentiæ repugnat huiuſmodi compoſitio ob rationes ſupra traditas: ſicut iſta conſequentia non tenet: *Exiſtentia conſequitur entitatem eſſentiæ, & proportionatur cum illa; ſed eſſentia hominis, v.g. eſt compoſita ex materia, & forma, & ex actu, & potentia: ergo exiſtentia hominis etiam eſt compoſita ex partialibus exiſtentijs.* Et ſimiliter iſta conſequentia non tenet: *Perſonalitas conſequitur ad naturam, & proportionatur cum illa; ſed natura hominis v.g. eſt compoſita ex materia, & forma: ergo perſonalitas hominis eſt compoſita ex perſonalitatibus partialibus.* Et ratio omnium eſt, nam exiſtentiæ, ſubſiſtentiæ, & perſonalitati talis compoſitio repugnat: & ideo ex proportione ſeruanda cum natura, ad quam conſequitur, & ex eius compoſitione, non ſequitur, eſſe compoſitas.

Ad ſecundam. Ad ſecundam, prætermiſſa maiori, nego minorem: quòd enim compoſitum ſubſtantiale, & omnes illius partes vnica exiſtentia exiſtant, eſt omnium Thomiſtarum ſententia, de qua 1. *Phyſicor.*

212 *Ad primam confirmationem.* Ad primam confirmationem, nego antecedens: ad cuius primam probationem, nego etiam antecedens: ſicut enim partes eſſentiales phyſicæ, ſcilicet, materia, & forma, non gaudent exiſtentijs partialibus, ſed exiſtunt exiſtentia totius: ita partes integrales vnica exiſtentia exiſtunt, primariò actuante totum, & partes ratione illius, aliàs ex partibus integralibus non fieret vnum per ſe: ſicut ex materia, & forma vnum per ſe non conſurgeret, ſi quælibet illarum propria exiſtentia gauderet, nam ex pluribus entibus in actu vnum per ſe non reſultat.

Ad ſecundam probationem. Ad ſecundam probationem, nego maiorem: vt enim eſſet diuiſibilis, & extenſa, deberet partibus immediatè conuenire; non autem illis conuenit immediatè, ſed toti, & ratione illius partibus, & ideò extenſa, & diuiſibilis non eſt, ſed indiuiſibilis, & inextenſa. *Ad tertiam.* Et ex his ad tertiam probationem, diſtinguo maiorem: immediatè, & ratione ſui, concedo maiorem: mediatè, & ratione vnius, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam ſubſiſtentia non actuat immediatè partes componentes totum, ſed immediatè actuat totum, & illo mediante partes; ſic autem modum indiuiſibilem plura actuare ſubiecta non repugnat, vt conſtat in exiſtentia, quæ indiuiſibilis eſt, & tamen actuat materiam, & formam, quia ad illas, non immediatè, ſed mediatè comparatur, ſcilicet, mediante toto.

213 *Ad vltimam.* Ad vltimam probationem, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam; non enim ideo negamus ſubſiſtentias partiales partibus actu exiſtentibus in toto, quia illi communicantur, vt perperam infert Vazquez, quod vltima probatione minoris conuincitur, nam licet prædicta communicatio à partibus actu vnitis excludat rationem perſonæ; non tamen excludit ab illis rationem per ſe exiſtendi, vt conſtat in Deo, vt communi tribus perſonis, qui per ſe exiſtit, & ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta, & tamen communicatur perſonis; ſed ideò à partibus actu vnitis rationem ſubſiſtentiæ excludimus quia à toto in exiſtendo dependent; rationem autem perſonæ, quia toti communicantur. Quod ſi anima rationalis vnita corpori, & actu componens totum per ſe exiſtit, & ſubſiſtit vt *quod*, vt plures Thomiſtæ docent, aſſerendum eſt, ideò eſſe, quia à toto in exiſtendo non dependet, ſed potius totius toti exiſtentiam communicat, per quam ipſa prius natura exiſtit, etiam vt *quod*. Quod autem hoc ſit tenendum, non conuincitur verbis D. Thomæ *loco ex 1. p. allegato*, nam loquitur D. Thom. de ſubſiſtentia pro perſeitate oppoſita dependentiæ à ſubiecto inhæſionis, & informationis, quam verum eſt, animæ rationali competere; non enim à materia dependet: cæterum iſta perſeitas ad rationem ſubſiſtentiæ propriè ſumptæ non ſufficit, aliàs anima rationalis in Chriſto propria ſubſiſtentia gauderet cum etiam in Chriſto iſtam perſeitatem retineat.

214 *Replicabis primò.* Sed inſtabis primò: ideò anima rationalis actu corpori coniuncta ſubſiſtit vt *quod* immediatè, & ratione ſui, quia ſeparata à corpore naturalitèr poteſt exiſtere; ſed etiam partes integrantes poſſunt ſeparatæ exiſtere: ergo actu coniunctæ per ſe exiſtunt, & ſubſiſtunt vt *quod*; & conſequenter gaudent partialibus ſubſiſtentijs. *Secundò.* Secundò, totum namque in exiſtendo dependet à partibus, & tamen per ſe exiſtit, & ſubſiſtit: ergo quòd partes in exiſtendo dependeant à toto, non impedit, quòd ratione ſui per ſe exiſtant, & ſubſiſtant.

215 *Ad primam replicam reſpondeo.* Reſpondeo ad primam replicam, negando cauſalem maioris, ſed ſi eſt vera illa ſententia, ideò eſt, quia cum exiſtentia hominis vna ſit, & ſpiritualis, non poteſt immediatè, & ratione ſui naturæ corporali, qualis eſt natura hominis, conuenire, ſed ratione animæ, quæ ſpiritualis eſt: quæ ratio in toto, & partibus integralibus non procedit, & ideò toti integrali immediatè conuenit exiſtentia, & ratione illius partes ipſum componentes exiſtunt. *Ad ſecundam replicam.* Ad ſecundam, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam partes includuntur in toto; vndè, etſi ab illo in exiſtendo dependeat, non dependet ab aliquo extra ſe, ſed ab aliquo in ſe incluſo: quæ dependentia rationi ſubſiſtendi non obeſt, aliàs nihil præter Deum eſſet capax ſubſiſtendi, cum omne creatum ſubſiſtens dependeat in exiſtendo à natura, & ſubſiſtentia, ex quibus eſſentialitèr componitur; totum autem non includitur in partibus, & ideò dependentia in exiſtendo, quam habent partes à toto, obſtat, vt ratione ſui ſubſiſtant.

216 *Ad ſecundam confirmationem reſpond. 1.* Ad ſecundam confirmationem reſpondetur primò ex dictis, negando antecedens, ad cuius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, ex eo namque, quòd ſubſiſtentia conſequatur ad formam diuiſibilem, & debeat cum illa proportionari proportione habitudinis, non infertur, debere eſſe diuiſibilem: ſicut nec ſequitur, diuiſibilem eſſe exiſtentiam ex ſimili proportione, nec ſequitur perſonalitatem debere eſſe diuiſibilem. *Secundò.* Vel ſecundò reſpondetur, negando etiam antecedens, ad illius probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: ad formam diuiſibilem non poteſt conſequi ſubſiſtentia indiuiſibilis in plures ſubſiſtentias, nego conſequentiam: indiuiſibilis in plures partes eiuſdem ſubſiſtentiæ, concedo conſequentiam. Itaque non eſt idem, ſubſiſtentiam eſſe diuiſibilem in partes ipſam componentes, ac eſſe diuiſibilem in partiales ſubſiſtentias: primum in hac ſolutione concedimus; ſecundum autem negamus: nam licet ſubſiſtentia ignis, v.g. cuius forma eſt diuiſibilis, compoſita ſit ex partibus; non tamen ex partibus, quæ ſortiantur rationem ſubſiſtentiæ, etiam partialis: ſicut homo eſt compoſitus ex partibus; non tamen ex hominibus partialibus. Et perſonalitas hominis in ſententia contrariorum eſt compoſita ex modo terminante materiam, & ex modo terminante animam rationalem; & tamen non eſt compoſita ex perſonalitatibus, nec ex perſonis partialibus; quia partes, ex quibus homo componitur, non ſunt perſonæ partiales, & partes, ex quibus perſonalitas hominis conſtat, non ſunt perſonalitates partiales. Et inſuper ſuppoſitalitas ignis, v.g. eſt compoſita in ſententia contrariorum; & tamen partes ſuppoſitalitatem ignis componentes, licet ſint partes ſuppoſitalitatis, non ſunt ſuppoſitalitates partiales. *Secundo principali argumento aliter reſp.* Iuxta quam doctrinam poteſt etiam ſecundo, argumento principali

tè.

reſponderi, admittendo, ſubſiſtentiam rerum compoſitarum eſſe compoſitam; non tamen conſtare ex ſubſiſtentijs partialibus; ac proindè partes ſiuè eſſentiales, ſiuè integrales non ſubſiſtunt ratione ſui, quia ad hoc neceſſarium erat, quòd modi efficientes partes eſſent ſubſiſtentiæ partiales.

217 Et quidem argumentum hoc, ſi aliquid conuincit, probat, in homine, v.g. dari perſonas, & perſonalitates partiales, quod eſſe falſum conſtat ex D. Thoma 3. *ad Annibaldum diſt.5. q. unic. art.2. ad 4.* illis verbis: *Dicendum, quòd anima, nec coniuncta, nec ſeparata eſt perſona, quia apta nata eſt, vt ſit forma corporis, & pars hominis; ratio autem partis contrariatur rationi perſonæ, cum perſona ſit quid completum, & perfectum, & per ſe ſubſiſtens; ratio autem partis eſt ratio imperfecti, & ideò ei non conuenit ratio perſonæ.* Quibus verbis clarè docet D. Thomas, partes ſubſtantiales hominis non ſortiri rationem perſonæ; & cuiuis parti hanc rationem repugnare. Et præter rationem D. Thomæ, quis namquè, de conceptu perſonæ eſt habere eſſe completum, quod partibus conuenire non poteſt, conſtat ex eo quòd perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: ergo, vt in homine eſſent partiales perſonæ, deberent eſſe in illo duæ partiales rationales naturæ; hoc autem eſt falſum, nam materia, licet ſit pars rationalis naturæ, non tamen eſt naturæ rationalis partialis: ergo homo non conſtat ex partialibus perſonis, nec ratio perſonæ poteſt parti conuenire.

218 *Tertiò aliter reſpondetur principali argumento.* Tertiò ad principale argumentum iuxta tertium modum, quo noſtram concluſionem probauimus, poteſt aliter reſponderi, diſtinguendo maiorem: quod per ſe ſubſiſtit per ſubſiſtentiam propriam completam: concedo maiorem: incompletam, & partialem, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione, conceſſa, & omiſſa minori, nego conſequentiam; nam partes ſubſtantiales non poſſunt per ſubſiſtentiam completam ſubſiſtere, ſed ad ſummum per ſubſiſtentiam partialem; Deus autem poteſt vniri cum natura creata loco ſubſiſtentiæ completæ, non autem vice ſubſiſtentiæ partialis: & ideò, quamuis partibus ſubſtantiæ actu vnitis propria ſubſiſtentia conueniat, non ſequitur, poſſe ratione ſui immediatè aſſumi ad ſubſiſtentiam diuinam, vel per illam terminari.

219 *Dices.* Dices: quamuis ſubſiſtentia creata ſit finita, & imperfecta, poteſt Deus illius effectum supplere eius terminando naturam abſque vlla imperfectione: ergo paritèr, quamuis imperfecta ſit ſubſiſtentia partialis, poterit Deus loco illius vniri, & effectum eius abſque imperfectione

Reſpond. ſupplere. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam imperfectio ſubſiſtentiæ creatæ conſiſtit in eius limitatione, & in eo quòd naturam propriam informat, & in illa recipitur; ex eo autem quod diuina ſubſiſtentia vice illius ſubſtituatur, terminando naturam creatam, non ſequitur, quòd ſit limitata, nec quòd informet naturam, quam terminat, nec quòd recipiatur in illa: & ideo abſque vlla imperfectione poteſt effectum ſubſiſtentiæ creatæ, quamuis imperfecta ſit, ſupplere, & gerere vices illius; non autem poteſt vniri cum vna parte ſubſtantiali actu alijs partibus vnita, niſi ſortiatur rationem ſubſiſtentiæ partialis, & niſi cum ſubſiſtentijs aliarum partium componat, vt *ſupra* arguebamus; in hoc autem maxima imperfectio inuenitur, & ideo non poteſt ſupplere vicem ſubſiſtentiæ partialis.

220 *Replicabis.* Inſtabis: poteſt ſubſiſtentia diuina vices gerere ſubſiſtentiæ partialis, quin exerceat rationem partis formaliter: ergo poteſt vniri cum partibus ſubſtantialibus, quin ex hoc aliqua imperfectio ſequatur. Conſequentia tenet ex dictis; antecedens autem oſtenditur primò, nam ſubſiſtentia, qua anima rationalis ſeparata à corpore ſubſiſtit, non eſt ſubſiſtentia completa, ſed incompleta, & partialis; & tamen poteſt Deus vniri in ratione ſubſiſtentis cum anima rationali à corpore ſeparata, quin ſubſiſtentia diuina rationem partis ſortiatur: ergo poterit etiam vniri cum vna parte ſubſtantiæ actu alijs partibus vnita vice ſubſiſtentiæ partialis, quin exerceat rationem partis formaliter. Secundò probatur, nam in omnium Theologorum ſententia, poteſt Deus vniri cum partibus ſubſtantiæ totalis ſimul ſumptis, & vnitis, & conſequentèr poteſt effectum ſupplere ſubſiſtentiarum partialium, quibus ſimul ſumptæ ſubſiſtunt; & tamen tunc non exercet diuina ſubſiſtentia rationem partis formaliter; ergo ſtat, ſupplere effectum ſubſiſtentiæ partialis abſque eo quòd ſubſiſtentia illius effectum ſupplens ſubinduat rationem partis formalitèr.

221 *Reſpond. ad primã probationem.* Reſpondeo, negando antecedens; ad primam probationem, nego maiorem; nam licet anima rationalis non ſit ſubſiſtens completum, eo quòd natura completa non eſt pars naturæ; ſubſiſtentia tamen, qua ſeparata ſubſiſtit, eſt ſubſiſtentia completa non ſe explicans adæquatè in anima rationali, nam eſt eadem cum ſubſiſtentia, qua coniuncta ſubſiſtit, per quam etiam totus homo ſubſiſtit; ſubſiſtentia autem, qua homo ſubſiſtit, eſt ſubſiſtentia completa; ac proindè ſubſiſtentia qua anima rationalis ſubſiſtit, eſt ſubſiſtentia completa, quamuis animæ rationali non præſtet effectum ſubſiſtentiæ completæ, quia huius effectus eſt incapax. Vndè Verbum, prout in triduo in anima rationali à corpore ſeparata ſubſiſtens, non suppleuit effectum ſubſiſtentiæ partialis, ſed ſubſiſtentiæ completæ, nec prout illam terminans ordinem dicebat ad aliam ſubſiſtentiam partialem, cum qua in ſtatu coniunctionis componeret.

222 *Adhùc in ſententia aliorum reſp.* Quod aliorum ſententia admittatur, docens, animam rationalem corpori coniunctam ſubſiſtere per ſubſiſtentiam partialem, ex qua, & ſubſiſtentia materiæ ſubſiſtentia hominis totalis conflatur, & cum ſeparatur à corpore eandem ſubſiſtentiam retinere, & vice huius ſubſiſtentiæ diuinam ſubſiſtentiam vniri, quin rationem partis ſortiatur, adhuc reſtat ratio diſcriminis; nam cum actu exiſtit à corpore ſeparata, non eſt neceſſarium, quod ex ſubſiſtentia, qua tunc ſeparata ſubſiſtit, & ex ſubſiſtentia materiæ componatur ſubſiſtentia totius; ac proindè poteſt ſubſiſtentia diuina illam reddere ſubſiſtentem, quin cum alia ſubſiſtentia componat. At verò vna pars ſubſtantialis actu alijs partibus vnita non poteſt ſubſiſtere, niſi vel ſubſiſtentia totius, vel ſubſiſtentia componente cum ſubſiſtentijs aliarum partium ob rationem *ſupra* aſſignatam; & ideò non poteſt Deus ſupplere ſubſiſtentiam partialem partis actu vnitæ toti, cuius aliæ partes ſubſiſtunt ſubſiſtentia creata, niſi ſubſiſtentia diuina cum ſubſiſtentia aliarum partium vnam ſubſiſtentiam componat; ac proinde quin rationem partis formaliter componentis ſortiatur.

223 *Ad ſecundam probationem.* Ad ſecundam probationem dicatur, quòd licet verum ſit in omnium Theologorum ſententia, quòd partes ſimul cum toto poſſunt aſſumi ad ſubſiſtentiam diuinam, & per illam terminari; non tamen omnes concedunt partibus ſubſtantiæ ſubſtantias partiales: vt enim vidimus; Diſcipuli D. Thomæ, quos alij ſequuntur, oppoſitam tenent ſententiam: vndè ex eo, quòd partes ſimul cum toto poſſint aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, non ſequitur, poſſe ſubſiſtentiam diuinam effectum partialis ſubſiſtentiæ supplere, quin rationem partis formalitèr componentis ſortiatur.

224 *Reſpondetur 2.* Adhuc tamen, prædicta ſententia admiſſa, reſponderi poteſt ſecundò, prætermiſſa maiori, & conceſſa minori, diſtinguendo conſequens, ſupplere effectum ſubſiſtentiæ partialis vnius tantum partis manentis alijs partibus vnitæ, nego conſequentiam: ſubſtantiæ partialis vnius partis, & ſimul aliarum partium, concedo conſequentiam. Ratio autem diſtinctionis eſt; nam pars actu alijs partibus vnita non poteſt ſubſiſtere, niſi vel ſubſiſtentia, qua totum, & aliæ partes ſubſiſtunt, vel ſubſiſtentia, ex qua, & aliarum partium ſubſiſtentia confletur ſubſiſtentia totius, vt *ſupra* argumentabamur; quando autem omnes ſimul aſſumuntur ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina, partes, & totum eadem ſubſiſtentia ſubſiſtunt; ac proindè neceſſarium non eſt, quòd ſubſiſtentia diuina rationem partis ſortiatur, quamuis partes per illam ſubſiſtant; cum verò vna pars terminaretur per diuinam ſubſiſtentiam, & aliæ, quibus actu eſſet vnita, ſubſiſterent ſubſiſtentia creata, cum pars illa non ſubſiſteret ſubſiſtentia totius, deberet ſubſiſtentia diuina cum aliarum partium ſubſiſtentijs componere; ac proinde ſortiretur rationem partis formalitèr componentis.

225 *Vrgebis adhuc.* Sed adhuc contra doctrinam iſtam vrgebis: poteſt pars ſubſtantialis integralis manere alijs partibus vnita, quin ſubſiſtentia, qua ſubſiſtit, vniatur ſubſiſtentiæ aliarum partium: ergo poteſt manens alijs partibus vnita ſubſiſtere ſubſiſtentia diuina, abſque eo quòd diuina ſubſiſtentia exerceat rationem partis. Conſequentia tenet; antecedens autem probatur: poteſt vna pars quantitatis manere alijs partibus vnita quin inhærentia illius partis cum inhærentia aliarum partium vniatur: ergo paritèr erit poſſibile, vnam partem ſubſtantialem manere cum alijs

vni-

vnitam, quin ſubſiſtentiâ, qua ſubſiſtit, cum ſubſiſtentia aliarum partium vniatur. Conſequentia patet à paritate rationis; antecedens autem probatur: poteſt namque vna pars hoſtiæ conſecrari, alia parte non conſecrata, quin per hoc diſcontinuentur; ſed in tali caſu inhærentia partis non conſecratæ non vnitur inhærentiæ partis conſecratæ, cum talis inhærentia non detur: ergo verum eſt antecedens.

226 *Nouum argumentum contra noſtrā concluſionem, & contra hucuſq; dicta.* Et ex his nouum argumentum contra noſtram concluſionem, & contra hucuſque dicta conſurgit: poteſt namque vna pars accidentis inneſſe proprio ſubiecto, vnita cum alia parte non inhærente, ſed per ſe ſubſiſtente: ergo poterit vna pars integralis exiſtere in proprio ſuppoſito, vnita cum alia parte in illo non exiſtente; & conſequentèr poterit manere vnita cum parte ſubſiſtente per ſubſiſtentiam diuinam. Vel alitèr idem argumentum formatur: poteſt vna pars accidentis inexiſtere proprio ſubiecto vnita cum alijs partibus eidem non inhærentibus: ergo paritèr poterit vna pars ſubſtantialis integralis exiſtere in alieno ſuppoſito, nempè, diuino, vnita cum alijs partibus in illo non exiſtentibus; & conſequentèr poterit vna pars alijs vnita aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, non aſſumptis alijs partibus. Secunda conſequentia ex prima euidentèr colligitur, prima tenet à paritate rationis; antecedens autem conſtat: poteſt namque vna medietas hoſtiæ conſecrari, altera non conſecrata, quin per talem conſecrationem quantitas diuidatur; ſed in tali caſu dimidia pars quantitatis inhæreret proprio ſubiecto, videlicet, medietas non conſecrata, alia autem medietas eidem non inhæreret: ergo verum eſt antecedens.

227 *Reſpond.* Reſpondeo, negando antecedens; ad illius probationem, diſtinguo antecedens: ſi pars, cui vnitur, inhæreat, nego antecedens: ſi à parte, cui vnitur, inhærentia ſubſtrahatur per ſubiecti deſtructionem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Imò ab exemplo accidentis poteſt retorqueri argumentum: non enim poſſunt duæ partes accidentis manere phyſicè vnitæ, ſi inhærentijs non vnitis terminentur, ſed vna inhæreat vni ſubiecto, & alia alteri ſubiecto inhæreat: ergo paritèr non poterunt duæ partiales ſubſtantiæ manere phyſicè vnitæ, & vnam ſubſtantiam conſtituere, ſi ſubſiſtentiæ, quibus tales partes ſubſiſtunt, non vniantur inter ſe, etſi vna pars ſubſiſtat in vno ſuppoſito, & alia in ſuppoſito diſtincto; in caſu autem, quo medietas hoſtiæ conſecratur, altera non conſecrata, ideò inhærentia quantitatis non conſecratæ non vnitur inhærentiæ quantitatis conſecratæ, quia talis inhærentia non datur, cum pars ſubſtantiæ panis non maneat, ſed ſit in corpus Chriſti conuerſa; & ideò ſaluatur vnio partium quantitatis abſque vnione inhærentiæ vnius partis cum inhærentia alterius. Ex quo ad ſummum ſequitur, poſſe vnam partem ſubſtantialem manere alij parti vnitam, eſt à parte ſubſiſtentia ſubſtrahatur; non autem, quòd vtraque per ſubſiſtentiam terminata, poſſit illarum vnio manere, ſine eo quòd ſubſiſtentia vnius partis ſubſiſtentiæ alterius vniatur, & ex illis vna ſubſiſtentia reſultet.

228 *Ad argumentum ex prædicta doctrina reſultans reſpond.* Et ex his ad argumentum ex prædicta doctrina reſultans, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, nego ſecundam, quæ ſubinfertur. Itaque ſuppoſito, quòd poſſit ſubſtantia exiſtere ſine modo ſubſiſtentiæ, & quòd in partibus integrantibus dentur ſubſiſtentiæ partiales, ex antecedenti conceſſo, ſolum ſequitur, poſſe vnam partem integrantem exiſtere terminatam per propriam ſubſiſtentiam, & aliam partem exiſtere ſine propria ſubſiſtentia partiali; & conſequentèr non exiſtere in proprio ſuppoſito. Et hæc eſt prima conſequentia illata, quam iuxta principia adducta concedo; nego tamen ſecundam, quæ ſubinfertur, videlicet, poſſe vnam partem ſubſiſtere per ſuam propriam ſubſiſtentiam, & aliam terminari per ſubſiſtentiam diuinam. Et ratio manifeſta eſt, quia non poſſunt duæ partes ſubſtantiales vniri, niſi vnum per ſe conſtituant; non autem poſſunt vnum per ſe conſtituere, niſi vnum eſſe exiſtentiæ participent, vel vnitate ſimplicitatis, vel ſaltim vnitate compoſitionis: vndè D. Thom. ſaluat vnitatem per ſe in Chriſto, vt ex perſona diuina, & humanitate compoſito, quia humanitas trahitur ad eſſe Verbi, & per illius exiſtentiam exiſtit; poſſunt autem duæ ſubſtantiæ partiales in eadem exiſtentia conuenire, etiam ſi vna, propria terminatur ſubſiſtentiâ, & ab alia propria ſubſiſtentia auferatur ſuppoſito, quòd dependentia exiſtentiæ à ſubſiſtentia non ſit eſſentialis; non autem poſſunt eandem exiſtentiam habere, ſi vna ſubſiſtentia creata, & alia ſubſiſtat ſubſiſtentia diuina. Tùm, quia cum exiſtentia ſit actus ſuppoſiti, ſicut vbi eſt vnum ſuppoſitum vna tantum eſt exiſtentia, quamuis naturæ ſint duæ, vt docet D. Tho. *infra q. 17. art. 2.* de Chriſto: ita multiplicatis ſuppoſitis, non poteſt eadem exiſtentia manere. Tum etiam, quia ſubſiſtentiæ diuinæ repugnat per exiſtentiam creatam actuari, compleri, vel terminari; & conſequentèr pars ſubſiſtens per diuinam ſubſiſtentiam, non poteſt exiſtere per exiſtentiam creatam, ſed tantum per exiſtentiam diuinam, ex qua, & exiſtentia creata non poteſt vna reſultare exiſtentia: & ideo, dato, quòd poſſit vna pars manere cum altera parte vnita, quamuis vna illarum ſubſiſtat, & altera non ſubſiſtat, non ſequitur, poſſe vnionem prædictarum partium manere, vna illarum propria ſubſiſtentia terminata, & alia ſubſiſtente per ſubſiſtentiam diuinam. Ex quibus etiam ad idem argumentum, prout alitèr explicatur, reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, quia in caſu antecedentis poteſt eadem exiſtentia partibus accidentis competere; & conſequentèr poteſt illarum vnio perſeuerare; in caſu autem conſequentis non poteſt ob rationem aſſignatam; & conſequentèr non poteſt illarum vnio ſaluari. *Alia ſolutio.*

---

§. XV.

Materiam primam ſine forma ſubſtantiali non poſſe aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, probatur.

SECVNDA CONCLVSIO. *Implicat, materiam primam aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam ſine forma ſubſtantiali.* Ita omnes Diſcipuli D. Thom. quibus in hac parte adhæſit P. Vazquez *diſp. 30. c. 5. circa finem*; & probatur: vt enim ex D. Tho. *q. 4. de potentia art. 1. quodlibet. 3. art. 1. 1. p. q. 66. art. 1. in corp. & alibi paſſim*, docent omnes eius Diſcipuli, implicat, materiam primam exiſtere ſine forma; ſed quod implicat exiſtere etiam repugnat ſubſiſtere: ergo implicat, materiam primam ſine forma ſubſtantiali ſubſiſtere; & conſequenter implicat, quòd ſine illa aſſumatur ad ſubſiſtentiam diuinam. Minor cum conſequentia tenet: maior autem in præſenti non probanda, ſed ſupponenda eſt, ne in quæſtione merè phyſica immoremur. 229 *Secunda concluſio ſtatuitur, & probatur.*

230 *Reſpond. primo.* Huic argumento reſponderi poteſt primò, quòd licet implicet, materiam primam ſine forma ſubſtantiali actuari per exiſtentiam creatam, eo quòd exiſtentia creata eſt effectus formæ ſubſtantialis; ac proindè non poteſt ſine tali forma inueniri; non tamen implicat, quòd materia prima ſine forma ſubſtantiali exiſtat per exiſtentiam diuinam, quæ, cum effectus formæ ſubſtantialis non ſit, non eſt, vndè eſſentialitèr ſupponat formam ſubſtantialem, vt communicetur materiæ; ſufficit autem, quòd materia prima ſine forma poſſit exiſtere per diuinam exiſtentiam, vt ſine forma poſſit per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere. Ita ſentit vt probabile M. Bañez *1. p. q. 66. art. 1. dub. 2. concluſ. 3.*

231 *Secundo.* Secundò reſponderi poteſt, D. Th. ſolum docere, materiam primam non poſſe de potentia abſoluta exiſtere ſine forma ſubſtantiali: ex quo ſolum ſequitur, non poſſe ab omni forma ſubſtantiali ſeparatam ſubſiſtere de potentia abſoluta, etiam per ſubſiſtentiam diuinam; non autem, quòd formæ ſubſtantiali coniuncta materia aſſumi non poſſit ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina, non aſſumpta forma ſubſtantiali ad eandem ſubſiſtentiam.

232 *Prima ſolutio impugnatur 1.* Sed neutra ſolutio ſatisfacit, & prima reijcitur primò: nam D. Th. *infra q. 6. art. 1.* docet, Verbum aſſumpſiſſe carnē mediante anima, & *q. 50. art. 5.* inſinuat, corpus Chriſti mortuum, eſſe vnitum ſubſiſtentiæ Verbi, mediante forma cadaueris, cum doceat, eſſe diuerſæ ſpeciei à corpore Chriſti viuo, quod ſine forma cadaueris verum eſſe nō poteſt: ergo ſenſit, materiam primam non ſolum in exiſtendo per exiſtentiā creatam, ſed etiam in exiſtendo per diuinā exiſtentiam depēdere à forma, & conſequentèr ſicut ſine forma nō poteſt iuxta D. Th. exiſtere de potētia abſoluta per exiſtentiam creatam, ita nec poteſt per diuinam exiſtentiam. Deindè, nam quòd materia ſine forma nequeat exiſtere, nō prouenit ex eo, quòd exiſtētia ſit effectus ſecū- *Secundo.*

darius formæ ſubſtantialis, ſed quia eſt pura potentia, & idcirco improportionata eſſentialitèr, vt participet actum vltimum qualis eſt exiſtentia, ſine media forma: at hæc ratio non minus militat reſpectu exiſtentiæ diuinæ, quam reſpectu exiſtentiæ creatæ: ergo ſicut implicat, ſine forma actuari per exiſtentiam creatam: ita implicat ſine illa actuari per diuinam. *Tertiò.* Denique; nam id ſolum eſt actuabile per diuinam exiſtentiam, quod eſt capax exiſtendi per exiſtentiam creatam; ſed materia ſine forma eſt incapax exiſtendi per exiſtentiam creatam: ergo ſine forma eſt incapax exiſtendi per exiſtentiam diuinam.

233 Conſequentia tenet, minor ſupponitur, illamque ſupponit Magiſter hic ſapientiſſimus vt indubitatam in doctrina D. Thomæ; maior autem conſtat primò: vt enim *ſupra* docuimus, quod eſt incapax ſubſiſtendi per ſubſiſtentiam creatam, eſt incapax terminari per diuinam ſubſiſtentiam: vndè, quia accidenti repugnat ſubſiſtentia creata, non poteſt per diuinam terminari, vt *ibi* docuimus, & admittunt omnes Theologi, etiam illi, qui tenent, poſſe accidens vniri cum diuina ſubſiſtentia, nam etiam hi Auctores agnoſcunt in accidente modum aliquem creatum ſubſiſtendi poſſibilem, & indè mouentur, vt aſſerant, poſſe terminari per ſubſiſtentiam diuinam; ergo pariter quòd non eſt capax exiſtendi per exiſtentiam creatam, erit incapax exiſtendi per exiſtentiam diuinam. Secundò, nam exiſtentia diuina eatenus poteſt vniri cum entitate creata, illamque exiſtentem conſtituere, quatenus eminenter continet exiſtentiam creatam, quæ connaturaliter actuat propriam entitatem: ergo quod eſt incapax exiſtentiæ creatæ, eſt incapax exiſtentiæ diuinæ.

234 *Dices.* Dices, verum eſſe antecedens de incapaci abſolutè exiſtendi per exiſtentiam creatam; hoc enim verum eſt, poſſe actuari per diuinam exiſtentia; indè tamen non inferri, quòd incapax tali modo exiſtendi per exiſtentiam creatam, ſit eodem modo incapax exiſtendi per diuinam exiſtentiam; materia autem primæ non eſt incapax abſolutè exiſtentiæ creatæ, ſed ſolum eſt incapax exiſtendi per illam ſine forma; ac proindè non infertur, quòd ſine forma ſit incapax exiſtendi per diuinam exiſtentiam. *Contra primò.* Sed contra primò; nam incapax abſolutè exiſtentiæ creatæ eſt abſolutè incapax diuinæ exiſtentiæ: ergo incapax exiſtentiæ creatæ hoc, vel illo modo, eſt eodem modo incapax terminari per diuinam exiſtentiam; & conſequentèr materia prima, quæ ſine forma non poteſt actuari per creatam exiſtentiam, erit etiam ſine forma incapax terminationis per diuinam exiſtentiam. *Secundò.* Secundò, nam diuina exiſtentia in actuando entitatem creatam gerit vices exiſtentiæ creatæ, quia illam eminentèr continet: ergo non poteſt vniri cum entitate creata ea ratione, qua eſt incapax terminari per creatam exiſtentiam.

235 *Reſpond.* Reſpondebit, hanc conſequentiam inſtari, nam exiſtentia ſubſtantialis creata præſupponit ſubſiſtentiam creatam in ſententia Thomiſtarum, eſſentialiter, vt aliqui volunt, vel ad minus connaturalitèr, vt alij contendunt; & tamen exiſtentia diuina, quamuis vniatur cum natura creata, quia illam eminenter continet, & vices illius gerit, non ſupponit ſubſiſtentiam creatam, nec ordine eſſentiali, nec ordine connaturali: ergo paritèr ex eo quòd exiſtentia creata, vt actuet materiam primam, neceſſariò præſupponat formam ſubſtantialem, perperam à Nobis infertur, exiſtentiam diuinam neceſſariò præſuppoñere formam, vt materiam primam exiſtentem conſtituat.

236 *Sed contra.* Sed contra; nam exiſtentia diuina, eſto non præſupponat ſubſiſtentiam creatam, vt actuet ſubſtantialem naturam, nec ſuppoſitione eſſentiali, nec ſuppoſitione connaturali; præſupponit tamen aliquo ex prædictis modis ſubſiſtentiam diuinam, in qua ſubſiſtentia creata eminentèr continetur, vnitam naturæ ſubſtantiali creatæ; at ſine forma ſubſtantiali formaliter actuante materiam non præſupponitur aliquid vnitum materiæ primæ eminentèr continens formam: etenim diuina eſſentia non poteſt vice formæ ſubſtantialis ſubrogari, nec illius vices gerere, vt omnibus eſt exploratum: ergo ſine forma ſubſtantiali formaliter præſuppoſita in materia non poteſt cum illa vniri.

Retorquetur. Imò ab eodem exemplo inſtauratur argumentum: ſi namque exiſtentia ſubſtantialis creata eſſentialiter ſupponeret, vt ſuum effectum præberet, ſubſiſtentiam in natura, non poſſet diuina exiſtentia vniri naturæ ſubſtantiali creatæ, niſi ſuppoſita ſubſiſtentia creata, vel diuina ſupplente vices illius, nec aliquis, quem hucuſque viderim, docuit oppoſitum; ſed exiſtentia creata, vt præbeat ſuum effectum materiæ, eſſentialiter formam ſupponit, vt actuantem materiam, ſicut in præſenti ſupponimus, & Mag. Bañez admittit: ergo diuina exiſtentia non poteſt, etiam de potentia abſoluta, reddere exiſtentem materiam, niſi ſupponendo formam, vel aliquid vice formæ; at hoc ſecundum implicat: non enim diuina eſſentia poteſt vice formæ ſubſtantialis vniri, & illius vices gerere: ergo repugnat, vniri materiæ ſine forma præſuppoſita.

237 *Secunda ſolutio reijcitur primò.* Deindè, ſecunda ſolutio reijcitur: nam quod materia vnita formæ non poſſit ſine forma aſſumpta ſubſiſtere ſubſiſtentia diuina, oſtenſum manet *præcedente concluſ.* ergo, ſi ab omni forma ſeparata non poteſt aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, nullatenus poteſt ſine forma aſſumpta aſſumi. *Secundò.* Secundò, nam materia vnita formæ non poteſt non exiſtere per exiſtentiam formæ, ſed nec poteſt duplici exiſtentia exiſtere: ergo ſi forma exiſtit per exiſtentiam creatam, materia illi vnita nequit per diuinam exiſtere: & conſequenter nec terminari poterit per diuinam ſubſiſtentiam, niſi forma ſubſtantialis per eandem terminetur. Secunda conſequentia ex prima colligitur; non enim poteſt ſubſiſtere ſubſiſtentia diuina, quin exiſtat per diuinam exiſtentiam: ergo, ſi forma exiſtente per exiſtentiam creatam, non poteſt materia exiſtere per exiſtentiam diuinam, nec etiam poteſt per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere. Prima ex præmiſſis infertur, minor ex Phyloſophia Thomiſtis communi ſupponitur, & maior probatur: nam materia vnita formæ non poteſt non componere cum illa vnum per ſe ſubſtantiale; ſed niſi exiſtat eadem formæ exiſtentia, non poteſt vnum per ſe materia, & forma componi, vt *ſuperius* arguebamus: ergo materia vnita formæ non poteſt non exiſtere per eandem formæ exiſtentiam.

238 *Tertiò.* Tertiò reijcitur: ſi namque materia vnita formæ ſubſiſtat per diuinam ſubſiſtentiam, & forma per ſubſiſtentiam creatam, deberet diuina ſubſiſtentia componere cum ſubſiſtentia creata, vt conſtat ex dictis *ſupra*; ſed implicat, ſubſiſtentiam diuinam in compoſitionem venire cum ſubſiſtentia creata: ergo implicat, materiam primam formæ ſubſtantiali vnitam aſſumi ad ſubſiſtendum per diuinam ſubſiſtentiam, manente in aſſumpta forma. *Quartò.* Denique nam forma non de materiali, ſed formaliter ſe habet reſpectu materiæ, vt exiſtat, & ſubſiſtat in ſententia aſſerente, materiam à forma eſſentialitèr dependere in exiſtendo, quam Nos in præſenti ſupponimus; ſed ſi vnita formæ ſubſiſteret ſubſiſtentia diuina, & forma non terminaretur per illam, materialitèr omninò ſe haberet forma reſpectu materiæ in ordine ad ſubſiſtendum: ergo materia vnita formæ non poteſt ſubſiſtere per diuinam ſubſiſtentiam, niſi forma per eandem ſubſiſtentiam termineturꝰ, & ſubſiſtat.

239 *Si dicas.* Si dicas: diuina eſſentia vnita mentibus Beatorum, vt ſpecies formaliter comparatur cum illorum intellectu per reſpectum ad intellectionem; ſed intellectus beati actuatur per intellectionem, quin diuina eſſentia actuetur: ergo poterit forma ſubſtantialis, non de materiali, ſed formalitèr ſe habere reſpectu materiæ, vt ſubſiſtat per diuinam ſubſiſtentiam, quamuis materia ſola per illam terminetur. *Reſpondeo.* Reſpondeo, negando conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam concurſus diuinæ eſſentiæ ad intellectionem beatam, non eſt vt dantis intellectui vim actiuam, nec receptiuam intellectionis, ſed per modum coadiuuantis ex parte obiecti, vt ſimul cum intellectu producat intellectionem: vndè poteſt eſſe formalis, & non de materiali ſe habere, quamuis ſolus intellectus actuetur per intellectionem; concurſus autem formæ reſpectu materiæ, eſt vt dantis illi proximam capacitatem, vt per exiſtentiam actuetur. Vndè ſicut intellectus, quia concurrit, vt dans animæ proximam capacitatem, & vim ad intelligendum, non poteſt formalitèr ſe habere reſpectu animæ in ordine ad intellectionem, ſi per illam non actuetur: ita forma non poteſt formalitèr cum materia comparari in ordine ad exiſtendum, niſi per exiſtentiam actuetur, & idem de ſubſiſtentiam eſt dicendum.

240 *Fundamenta M. Bañez.* Nec motiua Magiſtri Bañez oppoſitam ſententiam ſuadent. Arguit primò: nam de facto exiſtentia diuina ob ſuam infinitatem eſt communicata humanitati Chriſti abſque receptione in illa, terminando dependentiam, quam à propria exiſtentia haberet humanitas:

ergo

ergo poterit etiam vniri materiæ primæ, illamque exiſtentem reddere. Secundò, nam perſonalitas Verbi complet dependentiam, quam humanitas haberet à perſonalitate finita, niſi à Deo aſſumeretur; ergo poteſt complere dependentiam, quam materia habet à forma ſubſtantiali, quantum ad exiſtendum; & conſequenter poterit illam, exiſtentem reddere ſine forma. Tertiò, nam diuina eſſentia, quia infinita eſt in linea intelligibili, ſupplet reſpectu intellectus beati vicem formæ intelligibilis in ordine ad intellectionem; ſed etiam diuina eſſentia eſt infinita in linea, & ratione exiſtendi: ergo poterit reſpectu materiæ ſupplere vicem formæ in ordine ad exiſtendum. Quod ſi exiſtentia creata non poteſt vniri materiæ abſque præuia vnione formæ, indè prouenit; inquit ſapientiſſimus iſte Magiſter, quia finita cum ſit, eſt ad propriam formam limitata, & ideo non poteſt eſſe ratio, qua immediatè exiſtat materia prima.

241 *Ad primum ſatisfit, damnatum M. Bannez reſpondet.* Hæc tamen parum vrgent: ad primum, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: ſine forma, nego conſequentiam: formæ ſubſtantiali vnitam, concedo conſequentiam. Quod autem ſine forma nequeat materia exiſtere per exiſtentiam diuinam, non prouenit ex limitatione exiſtentiæ diuinæ, ſed quia materia ſine forma eſt incapax exiſtendi. *Ad ſecundum.* Ad ſecundum, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam licet rectè ex prædicto antecedenti inferatur, poſſe Deum ſupplere dependentiam materiæ à ſubſiſtentia, & exiſtentia, quia in hoc nulla imperfectio phyſicæ informationis includitur; non autem infertur, poſſe Deum ſupplere dependentiam materiæ à forma in ordine ad exiſtendum, quia ad hoc requirebatur, quod Deus vniretur materiæ, vt forma dans illi eſſe eſſentiæ, quod ſine informatione phyſica nequit contingere; hæc autem diuinæ eſſentiæ repugnat: & ideò dependentiam materiæ à forma in ordine ad exiſtendum Deus ſupplere non poteſt.

242 *Ad tertium.* Ad tertiam obiectionem dicatur, Deum reſpectu intellectus beati non ſupplere vicem ſpeciei intelligibilis, nam ſupplere vicem ſpeciei, eſt loco alicuius ſpeciei ſubrogari propter eminentialem eius continentiam: vndè dicitur, ſupplere ſubſiſtentiam creatam, quia vices illius vnitur humanæ naturæ; Deus autem non vnitur mentibus Beatorum vice alicuius ſpeciei creatæ, quam eminentèr contineat, cum reſpectu Dei ſpecies creata quidditatiua repugnet, vt docet Diuus Thomas *prima parte quæſtione 12. art. ſecundo*, ſed vnitur, vt ſpecies reſpectu ſui: vndè non eſt dicendum, ſupplere vicem ſpeciei, ſed gerere munus ſpeciei reſpectu intellectus beati in ordine ad viſionem beatam: ex quo ſi aliquid infertur, eſt, non quòd Deus poſſit ſupplere dependentiam materiæ à forma, ſed quòd poſſit vniri per modum formæ phyſicæ cum materia: quam conſequentiam negat Diuus Thomas *tertio Contra Gentes cap. 51.* & rationem diſcriminis reddit: *Nam forma phyſica vnitur vt aliquam naturam conſtituat, quod diuinæ eſſentiæ repugnat, eo quod oporteat incompletam præſupponi; eſſentia autem diuina incompleta eſſe non poteſt; ſpecies verò intelligibilis vnita cum intellectu non conſtituit aliquam vnam naturam, ſed ipſum ad intelligendum perficit, quod perfectioni diuinæ eſſentiæ non repugnat.* Perperam ergo ex eo, quòd diuina eſſentia poſſit reſpectu intellectus gerere munus formæ intelligibilis in ordine ad intellectionem, colligitur, poſſe vices formæ reſpectu materiæ ſupplere in ordine ad exiſtendum.

§. XVI.

Argumentis in contrarium fit ſatis.

243 CONTRARIAM ſententiam noſtræ concluſionis tenet Suarez *diſp. 14. ſect. 3.* quem plures ſuæ familiæ ſequuntur, ducti ex eo, quòd materia prima poteſt ſine forma exiſtere de potentia abſoluta, & inſuper, quia poteſt à materia ſeparata ſubſiſtere: ergo poteſt ad ſubſiſtentiam diuinam, etiam ſine forma, aſſumi. Quia tamen antecedens difficultatem purè philoſophicam tangit, in præſenti examinandum non eſt, ſed oppoſitum ſupponendum. Poteſt tamen contra concluſionem argui; nam de facto materia prima humanitatis Chriſti ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi immediatè, & non ratione formæ rationalis, cui vnitur: ergo non habet à forma, quòd poſſit per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere, & conſequenter poterit abſque omni forma ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi. *Primum argumentum.* Secunda conſequentia probatione non indiget, prima etiam nota videtur: nam id, à quo habet materia ſubſiſtere, mediat inter ſubſiſtentiam, & materiam: ergo, ſi immediatè ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi, non habet, quòd per illam ſubſiſtat à forma; antecedens autem oſtenditur primò: nam ablato medio, tollitur vnio extremorum: quo circa ablata forma à materia tollitur exiſtentia, quia, nempè, forma eſt medium, quo exiſtentia materiæ communicatur; ſed ſeparata anima rationali, à materia humanitatis Chriſti, non fuit extremorum vnio ablata, cum per mortem Chriſti anima fuerit ſeparata à materia, & tamen materia prima manſerit vnita Verbo, & eius ſubſiſtentia ſubſiſtens: ergo materia humanitatis Chriſti non ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi ratione animæ rationalis, & illa mediante, ſed immediatè, & ratione ſui.

244 *Prob. 2.* Secundo probatur: id, quod ratione ſui immediatè eſt ſubiectum vnionis, cum ſubſiſtentia Verbi, ratione ſui immediatè illius ſubſiſtentia terminatur; ſed materia prima humanitatis Chriſti ratione ſui immediatè eſt ſubiectum vnionis cum ſubſiſtentia Verbi: ergo ratione ſui immediatè ſubſiſtentia Verbi terminatur, & ſubſiſtit. Conſequentia tenet, maior videtur certa, nam ſubſiſtentia communicatur, media vnione, ac proindè quod ratione ſui immediatè vnioni ſubijcitur, ratione ſui immediatè ſubſiſtentiam participat: ſicut quia media actione cauſa influit in effectum, quod immediatè ratione ſui agit, immediatè cauſat effectum; minor autem probatur: ſi non ratione ſui, ſed ratione formæ, & ratione totius humanitatis materia prima ſubijceretur vnioni ad ſubſiſtentiam Verbi, ſeparata anima à corpore, & humanitate diſſoluta, quod in morte Chriſti contingit, deſtrueretur vnio, qua materia prima erat vnita Verbo; ſed hoc non eſt concedendum: ergo non ratione animæ, nec ratione totius humanitatis, ſed ratione ſui immediatè materia prima ſubijcitur vnioni cum ſubſiſtentia Verbi.

Conſequentia tenet, maior videtur certa: deſtructo namque ſubiecto immediato vnionis, neceſſariò vnio deſtruitur, quamuis perſeueret illius mediatum ſubiectum; quo circa Diſcipuli Diui Thomæ aſſerentes, ſubiectum immediatum accidentium non eſſe materiam primam, ſed totum compoſitum, conſequentèr docent, corrupto compoſito, omnia accidentia corrumpi, & conſequentèr in corruptione reſolutionem fieri vſque ad materiam primam: indè etiam potentia vitali deſtructa, non poteſt actio non deſtrui; quamuis perſeueret forma ſubſtantialis, quæ eſt ſubiectum immediatum actionis, quia deſtruitur potentia, quæ eſt ſubiectum eius immediatum. Deſtructa etiam quantitate, etſi perſeueret ſubſtantia, cætera accidentia deficiunt, quia deficit quantitas, quæ eſt ſubiectum immediatum illorum: ergo, ſi vnio, qua materia vnitur Verbo, immediatè conuenit animæ vt vnitæ materiæ, vel toti humanitati, & ratione illarum conuenit materiæ primæ, ſeparata anima à corpore, deſtructaque humanitate, vnio neceſſariò deſtruitur.

Minor autem, in qua eſt difficultas, probatur: Verbum namque quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit, quod eſt axioma Theologorum commune, ſumptum ex Leone *ſerm. 17. de paſſione Domini*, vbi ait, tantam fuiſſe vnitatem naturæ diuinæ cum humana, vt neque ſupplicio, neque morte potuerit dirimi, atque disiungi; ſed vnio partium humanitatis ad Verbum fuit ab ipſo cum humanitate aſſumpta: ergo numquam fuit dimiſſa, & conſequenter hæc vnio perſeuerauit, diſſoluta humanitate per mortem. 245

246 *Difficultas incidens reſoluitur.* Hoc argumentum tangit difficultatem, de qua *infra quæſt. 6.* vbi agitur de ordine aſſumptionis partium humanitatis inter ſe, & comparatione naturæ, & an vnica vnione tota humanitas, & partes fuerint Verbo vnitæ, an verò diſtinctis vnionibus. Et non eſt vna ſententia, quibuſdam aſſerentibus, partes humanitatis diſtinctis vnionibus fuiſſe vnitas, præter quas aliam pro tota humanitate ſuperfluam exiſtimant; alijs verò diſtinctas vniones in partibus conſtituentibus, & aliam, vt humanitas vniatur. Alij denique aſſerentibus, vnica vnione fuiſſe humanitatem, & illius partes vnitas. Quorum ſententiam conformiorem iudico Thomiſtarum principijs, & his,

quæ à Nobis in præſenti controuerſia ſunt conſtituta. *Ad argumentum respond.* Vndè iuxta illam ad argumentum reſpondeo, negando antecedens; materia namque non eſt capax exiſtendi, nec ſubſiſtendi immediatè, ſed ratione formæ, & totius: vndè non fuit immediatè vnita Verbo, ſed media anima rationali in ordine ad primam vnionem; & media forma cadaueris reſpectu vnionis, qua in triduo manſit vnita.

Ad primã antecedẽtis probationem. Ad primam antecedentis probationem, conceſſa maiori, nego minorem, nam licet verum ſit, & catholicè credendum, materiam primam humanitatis Chriſti poſt Chriſti mortem remanſiſſe Verbo vnitam; non tamen manſit vnita per primum modum vnionis, quo à principio conceptionis Chriſti diuino Verbo vniebatur. Cum enim modus ille immediatè eſſet receptus, vel in anima vt vnita materiæ, vel in ſola humanitate: & hæc fuerit per mortem destructa, illa verò à materia ſeparata, non potuit primus vnionis modus durare, ſed alius illius loco ſucceſſit, quo materia ratione formæ cadaueris vnita ſubſiſtentiæ Verbi in triduo fuit.

247 *Ad ſecundam.* Et ex his ad ſecundam antecedentis probationem, conceſſa maiori nego minorem; nunquam enim verificatur, materiam primam eſſe ſubiectum immediatum vnionis, nam Chriſto viuente, illi ſubijcitur, mediante anima rationali, & poſt mortem mediante forma cadaueris. Ad probationem minoris, concedo ſequelam, & nego minorem. Nec obſtat probatio in contra, nam axioma illud Theologorum commune, quòd, nempè, Verbum nunquam dimiſſit, quod ſemel aſſumpſit, intelligendum eſt quoad partes principales componentes humanitatem, ſcilicet, materiam, & formam; non autem quoad modos vnionis. Nec omninò vniuerſaliter, quod patet; nam humanitatem aſſumpſit; & tamen illam per mortem dimiſſit, cum humanitas poſt mortem non manſerit. aliàs Chriſtus in triduo eſſet homo, quod eſt hæreticum. Deindè, nam humanitate per mortem deſtructa, etiam deſtructa fuit vnio animæ rationalis cum materia, & conſequentèr aſſumpta non manſit, cum tamen à principio aſſumpta fuerit. Denique, nam humanitate diſſoluta per mortem, deſtructa fuit vnio, qua ipſa humanitas vniebatur, quam plures ex Auctoribus, qui hoc argumento vtuntur, diſtinctam ab vnionibus partium, conſtituunt: ergo hæc vnio à Verbo dimiſſa fuit, cum tamen à principio fuerit aſſumpta. Axioma ergo illud Theologorum commune non eſt vniuerſalitèr de omni à Verbo aſſumpto accipiendum, ſed de partibus humanitatis præcipuis, ſcilicet, materia, & forma; cum quo rectè componitur, vnionem, qua partes Verbo à principio conceptionis vniebantur, fuiſſe per mortem deſtructam, & conſequenter dimiſſam.

248 *Sed contra primò.* Sed contra iſtam reſolutionem obſtat primò D. Thom. *q.* 6. *art.* 1. *ad* 3. vbi docet, animam eſſe medium congruentiæ, non autem neceſſitatis, vt corpus vniatur Verbo: & ideò, anima ſeparata per mortem à corpore, manſit nihilominus corpus ſubſiſtentiæ verbi vnitum, quod etiam repetit q. 5. *art.* 2. *ad* 2. at ſi vnio, qua materia prima vnita erat Verbo à principio, deſtructa fuiſſet per mortem, anima non ſolum eſſet medium congruentiæ, ſed etiam neceſſitatis: ergo vnio illa per mortem non fuit deſtructa. *Secundò.* Obſtat ſecundò idem D. Thom. *in* 3. *diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 5. *arg.* vbi docet, in mortem Chriſti, non fuiſſe factam aliquam vnionem de nouo; ſed ſi prima vnio, qua materia Verbo vniebatur, fuiſſet per mortem deſtructa, vt materia vnita maneret, neceſſarium erat, de nouo aliquam vnionem fieri: ergo prima vnio deſtructa non fuit. *Tertiò.* Obſtat tertiò; nam ſi vnio prima deſtructa eſſet, & per aliam vnionem materia fuiſſet vnita, ſequeretur, materiam fuiſſe dimiſſam, quamuis iterum aſſumptam: conſequens admitti non poteſt: ergo vnio prima deſtructa non fuit. Probatur ſequela: materia aſſumpta fuit à Verbo, quia vnita, vel media vnione: ergo, ſi vnio fuit deſtructa, & alia vnio diſtincta ſucceſſit, fuit materia à Verbo dimiſſa, & iterum fuit aſſumpta.

249 *Reſpond. ad primã replicam.* Reſpondeo ad primam replicam, D. Tho. loqui de vnione genericè; non autem de illa numero vnione, qua materia fuit vnita Verbo à principio conceptionis; nam de hac numero vnione loquendo, anima rationalis, non ſolum eſt medium congruentiæ, ſed etiam neceſſitatis: vndè, cum docet; *ſeparata anima à corpore, vnionem, materiæ perſeuerare*, non loquitur de eadem numero vnione, ſed tantum de eadem vnione genericè. Cum enim loco animæ rationalis ſucceſſerit forma cadaueris, & corpus Chriſti mortui ſpecificè diſtinguatur à Corpore Chriſti viui, vt docet D. Thom. *infra q.* 50. *art.* 5. non poſſunt vnione eadem ſpecificè vniri.

Ad ſecundam dicitur, D. Thomam expreſſe affirmare: *Quòd licet ex parte Filij Dei vna ſit vnio, & ante, & poſt mortem; ex parte autem aſſumptorum, quæ diuiſa ſunt, ſunt duæ vniones in actu poſt mortem; ante autem vna vna in actu, & multæ in potentia.* Hæc D. Thomas. 250 *Ad ſecundam.* Ex quibus habetur, agnoſcere vnionem diſtinctam in morte Chriſti productam, nam duæ vniones actu neceſſariò diſtinguuntur ab illa, quæ in actu erat vna, licet eſſet in potentia plures: vndè, cum infert, *non oportere, quod aliqua vnio fiat ibi de nouo*, non negat vnionem nouam nouitate diſtinctionis, ſed nouitate inconnexionis, id eſt, nouam vnionem cum priori non connexam, & in ea in potentia non incluſam: & hoc verum eſt; nam vniones partium, quæ in morte Chriſti fuerunt de facto productæ, cum priori vnione, qua tota humanitas erat vnita, connexionem habebant, non quidem ex natura rei, ſed ex voluntate diuina, qua primò ſtatuit, ita humanitatem aſſumere, vt quamuis ſepararetur humanitas à Verbo per mortem, partes humanitatis manerent Verbo coniunctæ.

251 *Ad tertiam.* Ad tertiam nego ſequelam: ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: vt enim materia à Verbo dimitteretur, neceſſum erat, priorem vnionem deſtrui, & aliam vnionem in eodem inſtanti non ſuccedere, cuius oppoſitum accidit in morte Chriſti, nam in ipſo inſtanti mortis, in quo fuit non eſſe prioris vnionis, fuit primum eſſe, ſecundæ, & ideò numquam fuit verum, materiam à Verbo dimitti: ſicuti numquam eſt verum, materiam primam deſtrui, aut deſinere eſſe, quamuis corrupto compoſito deſtruatur exiſtentia, per quam materia exiſtebat in ſententia Thomiſtarum, eo quòd alia exiſtentia in eodem inſtante ſuccedit, nempè, compoſiti de nouo producti, per quam exiſtit materia.

§. XVII.

De forma materiali ſeparata à materia.

252 *Tertia concluſio.* Sit Tertia Concluſio. *Forma corruptibilis, & materialis ſeparata à materia, poteſt vniri cum diuina exiſtentia, & ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi.* Ita quoad vtramque partem Medina *vbi ſupra*, Aluarez *diſp.* 22. *concluſ.* 4. Arauxo *dub. vnic. circa tertiam partem dubij*, minus benè ſupponens, eſſe omnium Theologorum ſententiam, Magiſter Sancto Thoma, & Zippullus *dub.* 2. §. 4. Eandem quoad ſecundam partem tuentur Suarez, & Granadus, *vbi ſupra* allegati, quos ſequuntur communiter ſuæ familiæ Recentiores, & ex noſtris Nazarius *controu.* 1. *q.* 4.

253 *Prima pars concluſionis probatur.* Et quoad primam partem probatur: nam quod eſt capax exiſtentiæ creatæ, poteſt vniri cum exiſtentia diuina, ſed formam corruptibilis poteſt de potentia abſoluta exiſtere ſeparata à materia: ergo poteſt ſic ſeparata diuinæ exiſtentiæ vniri, reddique exiſtens per illam. Conſequentia tenet, maior oſtenditur primò; quòd enim ſubſiſtit ſubſiſtentia creata, eſt capax ſubſiſtendi per ſubſiſtentiam diuinam: ergo pariter, quod per creatam exiſtentiam exiſtit, poteſt cum diuina vniri. Secundò, ideo namque poteſt, quod ſubſiſtit ſubſiſtentia creata, ſubſiſtere per diuinam, quia hæc continet eminentèr ſubſiſtentiam creatam, & quia diſtinguitur realitèr à natura; ſed etiam exiſtentia creata realiter diſtinguitur ab eſſentia, & eminenter continetur in exiſtentia diuina: ergo, quod exiſtit exiſtentia creata, poteſt per diuinam exiſtere. Videantur, quæ *ſupra* diximus, probantes, poſſe accidens exiſtere per diuinam exiſtentiam, quæ id ipſum de omni, quod eſt capax exiſtendi per exiſtentiam creatam, conuincunt.

254 *Minor diſcurſus facti prob. 1. Secundò.* Deindè minor diſcurſus facti, quam negat Cabrera vbi *infra* docens, non poſſe formam corruptibilem, etiã de potentia abſoluta, exiſtere à materia ſeparatã, probatur primò; quia oppoſitum eſt communis Philoſophorum, & Metaphyſicorũ doctrina Secundò, nam quòd materia nõ poſſit ſine materia exiſtere de potentia abſoluta, probatur ex

eo,

eo, quòd eſt pura potentia, & ideo incapax exiſtentiæ, quæ eſt vltimus actus abſque mediatione formæ; at hæc ratio in forma ſubſtantiali non militat: non enim eſt pura potentia, ſed actus in linea eſſentiæ: ergo licet connaturalitèr nequeat ſine forma exiſtere; poteſt tamen de potentia abſoluta.

Tertiò. Tertiò; non enim magis dependet forma ſubſtantialis corporea à materia, quam accidens à ſubiecto; ſed accidens poteſt de potentia abſoluta exiſtere ſeparatum à ſubiecto, vt fides docet de quantitate in Sacramento Euchariſtiæ: ergo & forma ſubſtantialis à materia ſeparara.

255 *Reſpond. Cabrera.* Reſpondet Cabrera, quòd licet accidens ſit imperfectius forma ſubſtantiali entitatiuè; quia tamen eſt aliquid in ſua linea completum, habat exiſtentiam propriam diſtinctam ab exiſtentia ſubiecti: & idcirco licet connaturalitèr nequeat exiſtere ſeparatum à ſubiecto poteſt ſine illo exiſtere de potentia abſoluta; forma autem ſubſtantialis eſt aliquid in linea ſubſtantiali incompletum, & ideo exiſtit, non exiſtentia propria, ſed exiſtentia compoſiti: quæ compoſito deſtructo, remanere non poteſt; ac proindè nec forma exiſtare poteſt, etiam de potentia abſoluta destructo compoſito. Ita Cabrera in *hac q. art. 1. diſp. 4. concl. 1. num. 13.* cuius ſolutio redolet Thomiſtarum doctrinam, nec euidentèr poteſt conuinci; non enim ex maiori perfectione maior independentia in exiſtendo colligitur neceſſaria illatione: vnio namque hypoſtatica perfectior eſt quolibet accidente, etiam gratia habituali; & tamen ex eo, quòd accidens poſſit de potentia abſoluta ſine ſubiecto exiſtere, non licet colligere, modum hypoſtaticæ vnionis poſſe exiſtere de potentia abſoluta ſine extremis vnitis: poteſt ergo exceſſus formæ ſubſtantialis præ accidente ſubſiſtere, quamuis accidens eſſentialiter non dependeat à ſubiecto, & forma ſubſtantialis eſſentialiter à materia, & à toto in exiſtendo dependeat.

256 *Contra prædictā ſolutionē obſtat primò.* Quamuis tamen ſolutio tradita euidentèr non poſſit conuinci, contra illam obſtat primò, eſſe contra communem Philoſophorum ſententiam, nullo diſcrepante, quem viderim. *Secundò.* Secundo, nam quòd vnio hypoſtatica, quamuis perfectione excedat naturam accidentalem potentem ſine ſubiecto exiſtere, ſine extremis exiſtere nequeat, indè prouenit, quòd eſt entitas modalis; proprium autem eſt entitatis modalis, non poſſe exiſtere de potentia abſoluta ſine re, cuius eſt modus: ſicut aliæ entitates conſiſtentes in actuali exercitio non poſſunt exiſtere à ſubiecto ſeparatæ, vt relatio, actio, & motus forma autem ſubſtantialis corporea, quamuis incompleta ſit, entitas modalis non eſt, nec in actuali exercitio eſſentialiter conſiſtens: ergo non eſt vndè probetur dependere eſſentialiter in exiſtendo à materia, & à toto compoſito; & conſequentèr, quamuis non poſſit connaturalitèr ſine illis exiſtere; poteſt tamen de potentia abſoluta.

Tertiò. Tertiò, quòd namque dependentia materiæ exiſtendo à forma ſit eſſentialis, prouenit ex eo, quòd cum ſit pura potentia, non poteſt cum exiſtentia, quæ eſt vltimus actus, coniungi ſine mediatione formæ.

Quartò. Quartò, licet accidens in exiſtendo ab inhærentia dependeat, non dependet eſſentialiter. Natura etiam ſubſtantialis completa, quamuis connaturaliter non poſſit ſine ſubſiſtentia exiſtere; poteſt tamen de potentia abſoluta in probabiliori ſententia: ergo paritèr, quamuis forma ſubſtantialis corporea non poſſit connaturalitèr exiſtere, niſi in toto, & ratione illius; de potentia verò abſoluta poteſt per propriam exiſtentiam exiſtere ſeparata à materia, & extra totum compoſitum.

257 *Confirmatur,* Quod amplius vrgetur: quamuis immediatum ſuſceptiuum exiſtentiæ ſubſtantialis connaturalitèr, non ſit natura, ſed ſuppoſitum ea ſubſiſtentia, & natura conflatum, vt docet D. Thom. *ſupra q. 17. art. 2.* poteſt de potentia abſoluta natura non ſuppoſitata immediatè cum exiſtentia coniungi, & extra cauſas exiſtere: ergo paritèr, quamuis immediatum ſuſceptiuum exiſtentiæ ſubſtantialis connaturalitèr, ſit compoſitum ex materia, & forma, poterit nihilominus de potentia abſoluta forma immediatè cum exiſtentia coniungi; & conſequentèr, attenta huiuſcemodi potentia, poteſt ſeparata à materia, & extra totum exiſtere.

258. *Secunda pars concluſionis probatur.* Deindè ſecunda pars concluſionis ex eadem ratione probatur: quod enim capax eſt ſubſiſtendi propriam ſubſiſtantiam, poteſt etiam per diuinam ſubſiſtere; ſed forma ſubſtantialis corporea ſeparata à materia ſubſiſtit ſubſiſtentia propria: ergo ſic ſeparata poteſt ſubſiſtere per diuinam. Conſequentia tenet maior conſtat ex dictis in diſcurſo diſputationis; minor autem probatur: nam ſubſiſtere idem eſt, quòd per ſe exiſtere perſeitate poſitiua; ſed forma ſubſtantialis corporea a materia ſeparata exiſtit per ſe perſeitate poſitiua: ergo ſic ſeparata ſubſiſtit. Maior enim conſequentia tenet, minor autem probatur: per ſe exiſtere perſeitate poſitiua eſt per ſe exiſtere cum repugnantia ad eſſendum in alio, vel vt in ſubiecto inhæſionis, aut informationis, vel ſuſtentationis, vel vt in toto per dependentiam ab illo; ſed formæ ſubſtantiali vt exiſtenti per exiſtentiam dimanantem ab illa in ſtatu ſeparationis repugnat exiſtere in alio aliquo ex prædictis modis: ergo exiſtit per ſe poſitiuè. Minor, in qua eſt difficultas, pro prima parte non indiget probatione; nam ſubiectum inhæſionis repugnat formæ ſubſtantiali, & conceptui communi ſubſtantiæ, vt ab accidente diſtinctæ.

259 *Minor pro ſecunda parte probatur.* Pro ſecunda parte probatur: non enim ſtat, formam informare materiam, quin exiſtentia, qua exiſtit, informet etiam materiam, vel ſaltim exiſtentiam materiæ; ſed exiſtentiæ, qua exiſtit forma à materia ſeparata, repugnat informare materiam, vel exiſtentiam materiæ: primum, quia non eſt exiſtentia totius; exiſtentia autem formam, & materiam informans totum exiſtens conſtituit; & conſequenter eſt exiſtentia totius: ſecundum, quia non eſt exiſtentia partialis, alias cum alia exiſtentia poſſet totalem exiſtentiam componere, quod in Schola D. Thomæ repugnat: ergo formæ ſubſtantialis corporeæ; vt exiſtenti per exiſtentiam dimanantem ab illa ſeparatione a materia ſuppoſita, repugnat in alio exiſtere vt in ſubiectu informationis. *Pro tertia.* Deindè pro tertia parte probatur; non enim eſt dabile ſubiectum ſuſtentationis, niſi medeis inhæſione, aut ſaltim informatione: ergo ſi formæ, vt ſic exiſtenti, repugnat ſubiectum inhæſionis, & informationis, repugnat illi ſubiectum ſuſtentationis. Et ex his pro quarta parte ſuadetur: nam forma non poteſt in toto exiſtare, niſi materiam informet, & cum illa totum componat: ergo ſi repugnat formæ materiali corporeæ, vt prædicto modo exiſtenti, eſſe in alio, vt in ſubiecto inhæſionis, & informationis, repugnat etiam illi exiſtere in alio vt in toto.

260 *Reſpondebis.* Reſpondebis, formæ vt prædicto modo exiſtenti, non repugnare eſſe in alio, vt in ſuppoſito ſuſtentante terminatiuè vt autem per ſe poſitiuè ſubſiſteret, hac repugnantia opus erat. Quòd autem illa non gaudeat ea vi exiſtentiæ præciſè, patet primò: nam aliàs exiſtentia, qua forma ſubſtantialis corporea exiſteret, non eſſet à ſubſiſtentia diſtincta: conſequens eſt falſum; vt enim frequentior ſententia docet, ſubſiſtentia naturæ completæ ab illius exiſtentia diſtinguitur; & conſequentèr etiam debet eſſe diſtincta ab exiſtentia, qua forma ſubſtantialis ſeparata à forma exiſteret: ergo. Secundò, vt enim ſæpè admiſimus, poteſt natura completa exiſtere, & non ſubſiſtere; & conſequantèr illi, vt in tali caſu exiſtenti, non repugnat eſſe in alio, vt in ſuppoſito ſuſteneante terminatiuè: ergo paritet, formæ ſubſtantialis corporeæ, vt exiſtenti in ſtatu ſeparationis, non repugnat eſſe in ſuppoſito complente terminatiuè, & hoc modo ſuſtentante.

261 *Contra.* Sed contra: nam ſemel admiſſo, quòd ad formam ſubſtantialem corpoream ſeparatam à materia conſequatur exiſtentia, cui repugnet informare materiam, & exiſtentiam materiæ, neceſſariò eſt admittendum, quòd ad illam poſſit conſequi ſubſiſtentia, cui repugnet eſſe in alio, vt in ſuppoſito; ſed primum admittendum eſſe probauimus: ergo etiam eſt concedendum, poſſe vt ſic ſeparatam ſubſiſtere per ſuam propriam ſubſiſtentiam; & conſequentèr poſſe per diuinam terminari. Maior probatur: non minus petit forma ſubſtantialis corporea eſſe in materia, & ab illa dependere, quam eſſe, & dependere à ſuppoſito; ſed primum non obſtat, quo minus ad illam ſeparatione à materia ſuppoſita, conſequatur exiſtentia, cui repugnet eſſe in materia: ergo ſecundum non obſtat, quo minus ad eandem ſeparatam à ſuppoſito, & à toto compoſito conſequatur modus ſubſtantialis, cui repugnet eſſe in ſuppoſito & conſequentèr, ſicut ſeparata exiſtit, & poterit ſeparata ſubſiſtere.

§. Vltimus.

Oppoſita ſententia cum ſuis fundamentis proponitur.

162. *Fundamenta contraria ſententiæ.* CONTRARIVM noſtræ concluſionis docent Vazquez *diſp.* 30. *cap.* 5. Lorca *diſp.* 27. & Cabrera *in hac quæſt.* 1. *diſp.* 4. Et contra primam partem obſtant omnia argumenta, quibus Recentiores extra Scholam Diui Thomæ contendunt probare, exiſtentiam ab eſſentia eſſe indiſtinctam; & conſequentèr repugnare, aliquam entitatem creatam exiſtere per exiſtentiam diuinam. Quibus à Diſcipulis D. Thomæ *lib.* 1. *Phyſicor.* luculentèr occurritur. Obſtant etiam alia argumenta, quibus nonnulli ex Thomiſtis ducuntur, vt aſſerant, exiſtentiæ diuinæ ex peculiari ratione exiſtentiæ repugnare immediate vniri cum entitate creata. Quibus *ſupra* ſatisfecimus.

163. *Contra ſecundam partē noſtræ concluſionis arguitur 1. ex D.T.* Contra ſecundam partem noſtræ concluſionis arguitur primò ex Diuo Thoma 3. 3. *ad Annibal dum diſt.* 1. *quæſt. vnic. art.* 1. *ad* 1. vbi, vt probet, perſonam diuinam non poſſe aſſumere naturam humanam, ſic arguit: *Maiorem compoſitionem facit compoſitio ſubſtantiæ ad ſubſtantiam, quam accidentis ad ſubſtantiam; ſed perſona diuina non eſt ſuſceptibilis additionis ſecundæ: ergo multo minus primæ; ſed additio alterius naturæ ad perſonam eſt additio ſubſtantiæ ad ſubſtantiam: ergo huiuſmodi additionis non eſt ſuſceptibilis perſona.* Cui argumento ita reſpondet: *Ad illud igitur, quod obijcitur in contrarium dicendum, quod ſi fieret additio ſubſtantiæ per modum compoſitionis, maior eſſet, ſed non ſic fit in propoſito, imo per modum aſſociationis; accidens verò non poteſt addi, niſi per modum compoſitionis, cum eius eſſe ſit in eſſe, vt dicit Boetius.*

164 Vbi, vt clarè conſtat, docet D. Thom. perſonam diuinam non eſſe ſuſceptiuam accidentis eo modo, quo eſt ſuſceptiua naturæ ſubſtantialis completæ: & conſequentèr ſentit, non poſſe accidens aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, ad quam humanitas, fuit aſſumpta, quod miror non aduertiſſe Diſcipulos D. Thom. qui oppoſitæ ſententiæ adhæſere, aſſerentes, poſſe accidens aſſumi ad diuinam ſubſiſtentiam, Rationem autem reddit D. Th. quia, nempè, accidens non poteſt alteri addi per modum aſſociationis, hoc eſt, ſine informatione illius, cui ſuperadditur: & hoc ideo, quia accidentis eſſe eſt ineſſe. Quod intelligendum eſt, de eſſe accidentis, vt exiſtentis in alio, cum D. Thom. negare non poſſit, accidens poſſe exiſtere à ſubiecto ſeparatum. Ex quibus ad rem præſentem in hunc modum arguitur: accidens non poteſt aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina, quia illius eſſe eſt ineſſe; ſed eſſe formæ ſubſtantialis corporeæ eſt informare materiam, & ab illa dependere: ergo non poteſt aſſumi ad ſubſiſtendum per diuinam ſubſiſtentiam.

165 *Reſpondeo.* Reſpondeo, doctrinam D. Thomæ ſic intelligendam eſſe, quod, nempè, accidens non poteſt aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina, nec Deo, vt ſubſiſtenti ſuperaddi, quia adæquatum eſſe accidentis, prout in alio, eſt ineſſe: vndè non poteſt in alio exiſtere, niſi per compoſitionem per modum actus, & potentiæ: & quia Deo accidens inhærere repugnat, & ſimiliter cum alijs iſto modo componere, ideo accidens nequit cum Deo, vt ſubſiſtenti vniri, nec illi addi. Ratio autem, cur accidentis adæquatum eſſe in alio ſit per inhærentiam in illo, eſt, quia ſolum datur duplex modus eſſendi in alio, ſcilicet, per ſubſiſtentiam, & per inhærentiam, quorum primum accidenti repugnare monſtrauimus, & ideo adæquatum eſſe accidentis, prout in alio, eſt eſſe per inhærentiam; forma autem ſubſtantialis corporea eſt capax exiſtendi per ſe, ſeparatione ſuppoſita, vt conſtat *ex dictis*: & ideò poteſt eſſe in alio, non ſolum per informationem, ſed etiam per ſubſiſtentiam.

166 *Secundò arguitur, & tradita ſolutio impugnatur.* Sed contra hanc ſolutionem obſtat ſecundum argumentum: forma namque ſubſtantialis corporea non eſt capax ſubſiſtendi: ergo non poteſt Deo, vt ſubſiſtenti vniri, nec per diuinam ſubſiſtentiã ſubſiſtere. Antecedens probatur primò ex D. Thoma 1. *p. qu.* 75. *art.* 2. 3. & 6. vbi differentiam ſtatuit inter animã rationalem, & formas corporeas, quòd illa eſt per ſe ſubſiſtens, ſecus autem aliæ formæ; ſed ſi forma ſubſtantialis corporea poſſet ſeparata à corpore ſubſiſtere, non ſtaret hæc differentia: ergo non poteſt, etiam ſeparata, ſubſiſtere. Probatur minor: anima rationalis coniuncta materiæ ſolum ſubſiſtit *vt quo*: ſeparata autem ſubſiſtit *vt quod*; ſed forma corporea in ſtatu coniunctionis ſubſiſtit *vt quo*; eſt enim compoſito ratio exiſtendi, & ſubſiſtendi, in quo ſubſiſtere *vt quo* conſiſtit: ergo, ſi ſeparata à materia poteſt ſubſiſtere *vt quod*, nullum eſt inter animam rationalem, & formam corpoream diſcrimen.

167 Secundò probatur antecedens: ſi forma corporalis poſſet ſeparata à corpore ſubſiſtere, poſſet ſic ſeparata intelligere; conſequens eſt falſum ergo. Sequela probatur primò: ideò namque anima rationalis intelligit, quia ſubſiſtit: ergo, ſi forma corporea capax eſt ſubſiſtendi, erit etiam capax intelligendi. Secundò, nam independens in eſſendo à materia debet habere aliquam operationem à materia independentem: vndè D. Thom. 1. *p. q.* 75. *art.* 2. probat, animam rationalem non dependere à materia quoad eſſe, quia habet operationem aliquam à materia independentem; ſed ſola intellectualis operatio eſt à materia independens: ergo independens in eſſendo à materia debet eſſe capax intellectualis operationis; ſed ſi forma corporea, & materialis ſeparata à corpore ſubſiſteret, ſic ſeparata eſſet à materia independens: ergo ſi ſeparata ſubſiſteret, ſic ſeparata eſſet capax intellectualis operationis. Tertiò, & efficacius primum antecedens probatur: ideò accidens non eſt capax exiſtendi per ſe perſeitate poſitiua in qua ſubſiſtentia conſiſtit, quia hæc dicit repugnantiam cum dependentia à ſubiecto, & accidens ex natura ſua à ſubiecto dependet; ſed perſeitas poſitiua etiam excludit dependentiam à materia, & forma corporea per ſe, & ab intrinſeco habet dependentiam ab illa: ergo huiuſmodi forma eſt incapax exiſtendi per ſe perſeitate poſitiua, in qua ſubſiſtentia conſiſtit.

Reſpondeo, negando antecedens: ad primam probationem, conceſſa maiori, nego minorem: tùm, quia, vt plures probabiliter docent, anima rationalis corpori coniuncta, non ſolum ſubſiſtit *vt quo*, ſed etiam *vt quod* immediatè, & mediante anima prius *vt quod* ſubſiſtente, ſubſiſtit totum compoſitum; forma autem corporea in ſtatu coniunctionis ſolum ſubſiſtit *vt quo*: vnde, quamuis ſeparata poſſit ſubſiſtere *vt quod*, ſaluatur inter animam rationalem, & formam corpoream diſcrimen, quantum ad per ſe ſubſiſtere. Tum etiam quia eſto anima rationalis coniuncta non ſubſiſtat, *vt quod*, ſed tantum *vt quo*; eſt tamen, etiam coniuncta materiæ, ab illa independens quoad eſſe: in nullo enim ſtatu à materia anima rationalis quoad ſuam ſubſtantiam dependet: forma autem materialis coniuncta materiæ ab illa quoad ſubſtantiam dependet: vndè, adhuc prædicta ſententia admiſſa, ſubſiſtit inter prædictas formas diſcrimen. Tùm denique: nam quòd anima rationalis, ſeparatione à materia ſuppoſita, ſubſiſtat *vt quod*, illi conuenit adæquatè ab intrinſeco, nam ipſa ab intrinſeco petit, ſeparatione facta, conſeruari; formæ autem corporali non conuenit adæquatè ab intrinſeco: non enim ab intrinſeco petit ſeparata conſeruari, ſed facta ſeparatione, naturaliter deſinet eſſe. Vndè conſeruatio, ſeparatione ſuppoſita, eſt ſupra illius naturam; hac tamen conſeruatione ſuppoſita: ſicut ad illius entitatem conſequitur exiſtentia ſubſtantialis: ita & modus ſubſiſtentiæ. Semper ergo ſubſiſtit diſcrimen à D. Thoma ſtatutum inter animam rationalem, & formas corruptibiles. 168 *Reſpond. ad 1. probationem.*

169 *Ad ſecundam antecedentis probationem reſpond.* Ad ſecundam antecedentis probationem, nego ſequelam: ad cuius primam probationem, nego cauſalem antecedentis; nam etiam compoſitum ex materia, & forma corruptibili ſubſiſtit *vt quod*; tamen non intelligit. Non ergo anima rationalis ideò intelligit, quia ſubſiſtit; ſed quia in ſua ſubſtantia eſt ab intrinſeco independens à materia, & ideò ſpiritualis: ex quo habet, eſſe capacem ſpiritualis operationis; forma autem materialis non habet eſſe ab intrinſeco independens à materia, ſed in materia concluſum: vndè, quamuis ſeparata à materia ſubſiſtat, non ſequitur, quod intelligat.

Ad ſecundam probationem ſequelæ. Et ex his ad ſecundam probationem ſequelæ conſtat ſolutio: loquitur enim D. Thom. de independentia à materia conueniente animæ rationali ab intrinſeco, & cum repugnantia eſſentiali dependentiæ à materia quoad ſuam entitatem intrinſecam. Quam independentiam rectè probat D. Tho. ex independentia à materia in operando:

do ea quo ſolum ſequitur, formam hac independentia gaudentem capacem eſſe operationis ab intrinſeco independentis a materia, qualis eſt operatio intellectualis: forma autem materialis hanc independentiam non habet; non enim illi repugnat a materia dependere, imò ab intrinſeco petit dependere à materia, & naturalitèr deſinit eſſe à materia ſeparata. Et quod conſeruetur, ſeparatione a materia ſuppoſita, ab extrinſeco illi conuenit, & eſt ſupra illius naturam, hac tamen conſeruatione ſuppoſita: ſicut ad illius entitatem conſequitur exiſtentia propria ſubſtantialis, cui repugnat informare materiam, & ab illa dependere: ita ad eandem conſequitur modus exiſtendi per ſe, in quo ſubſiſtentia conſiſtit.

270 *Ad tertiam probationem.* Ad tertiam probationem antecedentis, nego cauſalem maioris, ſed ideo accidenti non poteſt conuenire per ſe poſitiuè exiſtere, quia perſeitas poſitiua non poteſt à modo accidentali præſtari, cum eo ipſo, quòd accidens ſit, dicat ordinem ad ſubiectum; & conſequentèr non poſſit repugnantiam habere cum inhæſione ad ſubiectum; modus autem ſubſtantialis non poteſt conſequi ad naturam accidentalem; etiam ſeparatam à ſubiecto: & cum aliàs modus ſubſtantialis non conſequutus ad naturam accidentalem debeat eſſe proprius alicuius ſubſtantiæ, & conſequenter impotens terminare aliam naturam præter illam, cui connaturalis eſt: fit conſequens, quod accidenti repugnet per ſe exiſtere poſitiuè. Quæ ratio in forma ſubſtantiali non militat; cum enim ſubſtantialis ſit, non eſt improportionata, vt ad illam, ſeparatione à materia ſuppoſita, & eius conſeruatione, modus ſubſtantialis ſequatur, per quem per ſe poſitiuè exiſtat.

271 *Vltimum argumentum.* Denique arguitur: forma ſubſtantialis corporea, ſi ſubſiſtentiam ſeparata eſt, per ſubſiſtentiam partialem; ſed ſubſiſtentia diuina non poteſt supplere vices ſubſiſtentiæ partialis: ergo nequit reddere ſubſiſtentem formam ſubſtantialem corpoream à materia ſeparatam. Conſequentia tenet ex dictis eatenus namq; poteſt ſubſiſtentia diuina reddere ſubſiſtentem aliquam entitatem creatam, quatenus poteſt gerere vices propriæ ſubſiſtentiæ: ergo ſi non poteſt gerere vices ſubſiſtentiæ, qua forma ſeparata ſubſiſtit, non poteſt cum ea vniri, nec illam reddere ſubſiſtentem. Minor conſtat ex dictis *ſupra* §. 13. vbi oſtendimus, non poſſe ſubſiſtentiam diuinam vniri cum vna parte ſubſtantiæ alijs partibus coniuncta, quia non poteſt gerere vices ſubſiſtentiæ partialis; maior autem oſtenditur primò: omnis enim ſubſiſtentia, vel partialis, vel totalis eſt, ſed ſubſiſtentia, qua forma ſeparata ſubſiſtit, non poteſt eſſe totalis, conſequitur namque ad illius entitatem; ſubſiſtentia autem totalis non poteſt conſequi ad entitatem partialem, qualis eſt forma ſeparata a materia: ergo neceſſariò eſt partialis. Secundò, vt enim eſſet ſubſiſtentia non partialis, neceſſariò deberet excludere ordinem ad materiam, & dependentiam ab illa; ſed ad formam ſubſtãtialem corpoream non poteſt conſequi modus ſubſtantialis excludens ordinem ad materiam, & dependentiam ab illa: ergo non poteſt conſequi ad illam ſubſiſtentia non partialis; & conſequenter non poteſt, adhuc ſeparata, ſubſiſtere per ſubſiſtentiam, quæ partialis non ſit. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: non minus eſt à materia dependens entitas formæ ſubſtantialis corporeæ, quam à ſubiecto entitas accidentis; ſed quia accidens ex natura ſua à ſubiecto dependet, non poteſt conſequi ad illius entitatem modus ab intrinſeco independens a ſubiecto: ergo nec ad formam ſubſtantialem corpoream poteſt in aliquo ſtatu conſequi modus ab intrinſeco à materia independens, & cui repugnet dependentia a materia.

272 *Reſpond. primò.* Huic argumento reſponderi poteſt primò ex dictis *ſupra* §. 14. prætermiſſa maiori, diſtinguendo minorem: non poteſt ſubſiſtentia diuina vices gerere ſubſiſtentiæ partialis quantum ad rationem partis, concedo minorem: quoad conceptum ſubſiſtentiæ ſine imperfectione partis, nego minorem, & conſequentiam: ſicut enim Deus vniri poteſt cum anima rationali a corpore ſeparata, & de facto Verbum cum illa fuit vnitum in triduo, & anima fuit ſubſiſtentia Verbi ſubſiſtens, etiam ſi, vt plures extra Scholam D. Thomæ tuentur, anima ratione ſui ſubſiſtat ſubſiſtentia partiali: ita, quamvis forma corruptibilis à materia ſeparata ſubſiſtat ſubſiſtentia partiali, poterit hac ſubſiſtentia priuari, & loco illius Verbi ſubſiſtẽtia ſubſiſtere. Non ita vt ſubſiſtentia Verbi induat rationem ſubſiſtentiæ partialis, ſed tantum exerceat munus ſubſiſtentiæ abſque imperfectione partialitatis.

273 Nec eſſe eandem rationem de vna parte actu alijs partibus vnita, vt poſſit ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi alijs partibus non aſſumptis, conſtat ex *ibidem dictis*, quia nempè, vna pars actu alijs partibus vnita non poteſt ſubſiſtere ſubſiſtentia diuina, alijs partibus non aſſumptis, quin ſubſiſtentia diuina illam terminans cum ſubſiſtentia aliarum partium vnam ſubſiſtentiam componat; & conſequentèr non poteſt hoc modo cum illa vniri abſq; eo, quod rationem partis ſubinduat, quod eius ſummæ perfectioni repugnat. Quæ ratio in forma à materia ſeparata non militat: cum enim in ſtatu ſeparationis non componat cum alijs partibus aliquod vnum per ſe, non eſt neceſſum, quòd ſubſiſtentia diuina illam in prædicto ſtatu terminans cum ſubſiſtentia aliarum partium componat; & conſequentèr neceſſarium non eſt, quòd rationem partis formalitèr componentis ſortiatur.

274 *Dices.* Dices ideò cum forma actu vnita cum materia non poteſt diuina ſubſiſtentia vniri, quin rationem partis actu componentis ſubinduat, quia ſubſiſtentia creata, cuius loco ſubrogatur, vt terminans formam, prout actu vnitam materiæ, rationem partis actu componentis exercet; ſed ſubſiſtentia partialis vt terminans formam ſeparatam à materia, etſi rationem partis actu componentis non habeat; rationem tamen partis in actu primò compoſitiuæ ſortitur: ergo, vt ſubſiſtentia diuina loco illius ſubrogetur, & vices illius gerat, debet rationem partis in actu primo componentis ſortiri, quod non minus ei repugnat, quam actu cum alijs partibus totalem ſubſiſtentiam componere.

275 *Reſpond.* Reſpondeo, negando cauſalem maioris; nam ſubſiſtentia creata, per quam humanitas Chriſti ſubſiſteret, actu per modum partis cum humanitate componeret; & tamen ſubſiſtentia Verbi humanitati vnita, & gerens vices ſubſiſtentiæ creatæ rationem partis componentis cum humanitate non obtinet. Quod ergo ſubſiſtentia diuina gerens vices ſubſiſtentiæ partialis terminantis vnam partem, alijs partibus vnitam ſubſiſtentibus per ſubſiſtentiam diſtinctam, deberet actu cum ſubſiſtentia aliarum partium componere, non prouenit ex eo præciſè, quòd ſubrogatus loco ſubſiſtentiæ actu componentis cum alia ſubſiſtentia partiali, ſed quia partes actu vnitæ ſicut non poſſunt non exiſtere vna exiſtentia: ita non poſſunt non per vnam ſubſiſtentiam ſubſiſtere, vel vnitate ſimplicitatis, vel vnitate compoſitionis. Cum autem ſubſiſtentia creata alias partes terminante, & ſubſiſtentia diuina non poſſit vna ſubſiſtentia per ſimplicitatem conſurgere, neceſſum eſt, quod reſultet vna vnitatè compoſitionis, & conſequentèr, quòd ſubſiſtentia diuina vnam tantum partem terminans, ex partibus actu vnitis, cum ſubſiſtentia alias partes terminante componat. Quæ ratio non militat in forma corruptibili in ſtatu ſeparationis. Recolantur, quæ diximus *ſupra* §. 14. in tertia ſolutione principalis argumenti.

276 *Reſpond. ſecundò.* Vel ſecundò reſpondetur, negando maiorem: ſicut enim ſubſiſtentia, qua anima rationalis à corpore ſeparata ſubſiſtit, quamuis ſit ſubſiſtentia entitatis partialis; non tamen eſt ſubſiſtentia partialis, quia ad hoc requirebatur, quòd poſſet cum alia ſubſiſtentia componere aliquam ſubſiſtentiam totalem: ita ſubſiſtentia, qua ſubſiſteret forma corporea à materia ſeparata, quamuis eſſet ſubſiſtentia entitatis partialis, ſubſiſtentia partialis non eſſet, quia non poſſet cum alia ſubſiſtentia partiali componere ſubſiſtentiam totalem. *Ad primam probationem maioris.* Ad primam probationem maioris, nego etiam maiorem; quamuis enim demus, omnem ſubſiſtentiam debere eſſe, vel partialis entitatis, vel entitatis totalis; non tamen debet eſſe, vel totalis, vel partialis, imo ſubſiſtentia partialis, in Schola Thomiſtarum repugnat. Et falſitas maioris apparet in eodem exemplo animæ rationalis, cuius ſubſiſtentia non eſt ſubſiſtentia totalis, cum non ſit compoſita ex partialibus ſubſiſtentijs, nec partialis, cum non poſſit cum alia ſubſiſtentia componere, quod neceſſum erat, vt rationem partialis ſubſiſtentiæ obtineret.

277 *Ad ſecundam probationem.* Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, nego minorem; ad cuius probationem, conceſſa maiori, nego cauſalem minoris, ſed ideò non poteſt conſequi ad naturam accidentis modus a ſubiecto independens, quia non poteſt conſequi ad illam modus, qui ad genus accidentis non ſpectet; eo autem ipſo non poteſt conſequi ad illam modus ordinem ad ſubiectum non dicens, aut independens ab illo, cum per talem ordinem accidens vt ſic

con-

conſtituatur, prout à ſubſtantia diſtinguitur; ad formam autem ſubſtantialem corpoream à materia ſeparatam, ſuppoſita illius conſeruatione, exiſtentia ſubſtantialis conſequitur, quæ cum partialis non ſit; repugnat namque partialitas exiſtentiæ, ordinem ad materiam excludit, & dependentiam ab illa; eo autem ipſo, quòd ad entitatem formæ ſubſtantialis ſeparatam à materia conſequatur exiſtentia independens à materia, poteſt ad eandem conſequi modus ſubſtantialis repugnans dependentiæ à ſubiecto, vt *ſupra* argumentabamur; & conſequenter poteſt dimanare ab illa modus præſtans perſeitatem; in qua ſubſiſtentia conſiſtit.

278 *Replicabis.* Sed dices: ſtat, exiſtentiam conſequutam ad formam ſubſtantialem corpoream in ſtatu ſeparationis, non eſſe exiſtentiam partialem, & quòd non excludat dependentiam in actu primò à materia: ergo ex eo, quòd conſequatur ad prædictam formam ſeparatam à materia exiſtentia non partialis, perperam à Nobis infertur, conſequi ad illam, exiſtentiam excludentem dependentiam à materia; ac proindè poſſe conſequi ad eandem modum ſubſtantialem repugnantem dependentiæ à ſuppoſito. Antecedens probatur: exiſtentia competens animæ rationali in ſtatu ſeparationis, non eſt exiſtentia partialis; & tamen non excludit ordinem ad materiam: ergo paritèr, quamuis exiſtentia conueniens formæ ſubſtantiali corporeæ à materia ſeparatæ non ſit exiſtentia partialis, poteſt non excludere dependentiam in actu primo à materia. Conſequentia tenet à paritate rationis, maior conſtans eſt in doctrina Thomiſtarum, iuxta quam nequit admitti exiſtentiam cum alia exiſtentia componens: & conſequenter non eſt dabilis exiſtentia partialis; minor autem probatur: nam exiſtentia, qua exiſtit anima rationalis, in ſtatu ſeparationis, eſt eadem cum illa, qua exiſtebat in ſtatu coniunctionis cum corpore, & qua exiſtet, poſtquam per reſurrectionem fuerit materiæ reunita: ergo prædicta exiſtentia non excludit ordinem ad materiam.

279 *Reſpondeo.* Reſpondeo, negando antecedens; ad illius probationem, conceſſa maiori, & prætermiſſa minori, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam exiſtentia animæ rationalis ſeparatæ à materia, licet actu ſit ſolum exiſtentiæ entitatis partialis; eſt tamen in potentia exiſtentia totius compoſiti, reſultantis ex materia, & anima rationali, atque ideò non poteſt ordinem ad totum excludere; ac proindè nec ordinem ad materiam; exiſtentia autem conueniens formæ corporeæ, in ſtatu ſeparationis, non eſt exiſtentia partialis, vt *proximè* dicebamus, & aliàs non eſt potens actuare totum compoſitum ex materia, & tali forma: & ideò ordinem ad materiam excludit, & dependentiam ab illa, nam ordo ad materiam vno ex his capitibus poteſt exiſtentiæ competere, & cum vtrumque excludatur ab exiſtentia actuante formam corpoream à materia ſeparatam: fit conſequens: vt illi, ordo ad materiam repugnet. Si autem huius diſcriminis rationem inquiras, eſt, nam anima rationalis hoc habet præ alijs formis peculiare, quòd ipſa, etiam materiæ coniuncta, prius exiſtat *vt quod*, quam totum ex illa compoſitum: vndè, cum ſeparatione facta, maneat primarium totalis exiſtentiæ ſubiectum, perſeuerat eadem exiſtentia, & eadem ratione, eadem exiſtentia ſubſiſtit, cum anima reunitur materiæ; ac proindè in tali exiſtentia ſemper datur ordo ad totum, atque ex conſequenti ad materiam; exiſtentia autem, qua forma corporea exiſtit dum actu componit totum, prius *vt quod* conuenit toti, & ex conſequenti partibus: vndè, toto per ſeparationem corrupto, corrumpitur exiſtentia; etſi iterum per reunionem formæ totum reproducatur, non exiſtentia producitur, & ideò exiſtentiæ competens formæ corporeæ à materia ſeparatæ, illamque *vt quod* afficiens, non poteſt exiſtens reddere totum ex materia, & prædicta forma compoſitum.

280 *Inſtabis ad hæc.* Sed replicabis adhuc: eſt enim ſententia probabilis inter noſtros Thomiſtas, animam rationalem in ſtatu coniunctionis, non exiſtere, nec ſubſiſtere *vt quod*, ſed tantum *vt quo*; totum autem eſſe id, quod *vt quod* exiſtit, & ſubſiſtit; & tamen eadem exiſtentia perſeuerat in anima rationali à corpore ſeparata, & iterum corpori vnita; ergo, quamuis exiſtentia compoſiti corruptibilis in toto *vt quod* recipiatur, & partes ſecundariò exiſtant per illam, poterit perſeuerare, in forma materiali à materia ſeparata, etſi materiæ reuniatur, iterum actuata compoſitum.

281 *Reſpondeo.* Reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam, nam quòd exiſtentia, qua exiſtit anima rationalis perſeueret poſt ſeparationem animæ à corpore, ideo eſt, quia ſicut anima, quia ſpiritualis eſt, quamuis actuet materiam, eſt independens ab illa: ita illius exiſtentia, quia eſt ſpiritualis, quamuis primariò *vt quod* ad totum compoſitum comparetur; non tamen ex illius potentia educitur, nec ab illo dependet; ſubſiſtentia autem, & exiſtentia compoſiti, cuius forma eſt corruptibilis, cum materialis ſit, à compoſito dependet, & educitur e à potentia illius; ideoque, corrupto compoſito, non poteſt eadem perſeuerare, nec exiſtentia conueniens formæ corruptibili à materia ſeparatæ poteſt, ſi reuniatur corpori, compoſitum actuare, & illud exiſtens reddere.

282 *Iterum vrgebis.* Sed adhuc vrgebis: quod exiſtentia iſta corporea, & materialis ſit, ſolum probat, non poſſe connaturaliter perſeuerare poſt corruptionem compoſiti; non autem, quòd non poſſit de potentiæ abſoluta: ergo non probat, quod iſta potentia attenta exiſtentia, qua forma corporalis exiſtit à corpore ſeparata nequeat, interueniente reunione, totum actuare, exiſtenſque conſtituere. Conſequentia tenet ex dictis; antecedens autem probatur: nam forma corruptibilis ex potentia materiæ educitur, & ab illa in ſua entitate dependet; & tamen ex hoc non tollitur, quòd ſeparata à materia non poſſit exiſtere de potentia abſoluta: ergo paritèr, quòd exiſtentiæ corporea ex totius potentia educatur, & ab illo in eſſendo dependeat, non impedit, quòd, toto deſtructo, poſſit de potentia abſoluta exiſtentia non deſtitui.

283 *Reſpondeo.* Reſpondeo, negando antecedens, ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Diſparitas autem eſt; nam forma corporea, quamuis entitas partialis, & incompleta ſit; non tamen eſt modus, & ideò poteſt dependere à materia, ex qua educitur dependentia non eſſentiali, ſed tantum connaturali; exiſtentiæ autem, ſicut etiam ſubſiſtentia, entitas modalis eſt, & quia modus ab illo, ex cuius potentia educitur, dependet dependentia eſſentiali, ideò, ſi educitur de potentia totius compoſiti, non poteſt perſeuerare, compoſito deſtructo, etiam de potentiæ abſoluta. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 3. diſt. 2. §. 2.*

DISPVTATIO DECIMA NONA.

An natura creata terminata per propriam perſonalitatem poſſit aſſumi ad ſubſiſtentiam diuinam?

§. I.

Præmittuntur, quæ apud omnes ſunt certa.

1 *Præmittitur vt certum primò.* PRIMO certum eſt, humanitatem de facto hoc modo aſſumptam non fuiſſe. Quod patet, quia aliàs in Chriſto eſſent duæ perſonæ de facto, humana, ſcilicet, & diuina: conſequens eſt contra fidem, qua vna tantum perſona conſtituitur in Chriſto: ergo de facto humanitas aſſumpta non fuit, propria perſonalitate terminata.

Secundò. Secundò extra controuerſiã, & omninò certum eſt, potuiſſe humanitatem coniunctam propriæ perſonalitati creari, & illa deſtructa, à diuino Verbo aſſumi. Quod patet: non enim maior repugnantia eſt in eo, quod humanitas propria perſonalitate ſibi conueniente priuetur, quam in eo, quod ſine illa producatur reſultantia propriæ perſonalitatis per alienam impedita; ſed de facto humanitas fuit ſine propria perſonalitate producta: ergo potuit de potentia abſoluta propria perſonalitate ſemel habita priuari, terminarique per diuinam.

2 *Obſtat D. Thom.* Contra quam veritatem obſtare videtur D. Thomas 4. *contra Gentes cap. 53. vbi ait impoſſibile fuiſſe, quod Verbum aſſumeret in vnitatem perſonæ hominem præexiſtentem.* Et rationem reddit: *Quia ſi humanitas præexiſtetet aſſumptioni, neceſſariò exiſteret in aliqua hypoſtaſi, vel perſona; hæc autem remanere non poſſet, aliàs poſt aſſumptionem duæ manerent perſonæ, & conſequenter vnio in perſona facta non fuiſſet, quod eſt contra fidem: ergo neceſſariò deſtrueretur hypoſtaſis, in qua humanitas præextitiſſet, & conſequenter corrumperetur humanitas in ea exiſtens.* Sentit ergo D. Thom. humanitatem prius in propria exiſtentem perſona aſſumi à Verbo poſſe.

3 *Iudicium P. Vazq. & Suarez.* Quem locum P. Vazquez vbi infra adeò difficilem cenſuit, vt D. Thomam pro oppoſita ſententia retulerit. Suarez autem ait, D. Thomam ſententiam quam *ibi* tenuit *in hac q. art. 2.* retractaſſe. Cæterum, D. Thom. doctrinæ à Nobis ſuppoſitæ, & ab omnibus admiſſæ fauere, illamque expreſſe tenere, conſtat *ex hac q. art. 2.* vbi probat, perſonam creatam non fuiſſe aſſumptam à Verbo,

Reijcitur. quia, quod aſſumitur præſupponitur aſſumptioni; perſona autem humana non fuit aſſumptioni præſuppoſita, quia vel oporteret, quod corrumperetur, & ſic fruſtra eſſet aſſumpta, vel quòd remaneret poſt vnionem, & ſic eſſent duæ perſonæ, & Sentit ergo, potuiſſe de potentia abſoluta perſonam humanam aſſumptioni præſupponi, & perſonalitate deſtructa, humanitatem aſſumi.

Nec locus in contrarium *adductus* oppoſitum docet, vt

4 *Mens D. Thomæ explicatur.* conſtat ex principio capitis illis verbis: *Oportuit, humanam naturam non præextitiſſe, antequam Verbo vniretur.* Quibus apertè ſupponit, contrarium fuiſſe poſſibile, aliàs non adiiceret, oportuiſſe, non præſupponi exiſtentem, ſed & non fuiſſe poſſibile. vnde, cum concludit D. Thomas, fuiſſe impoſſibile, quòd Verbum aſſumeret hominem præexiſtentem, perſonalitate deſtructa, loquutus de impoſſibili de potentia ordinaria, non autem de potentia abſoluta. Et cum huius rationem aſſignat, quia perſonalitate deſtructa, conſequenter humanitas deſtrueretur; ac proinde fuit impoſſibile hominem præexiſtentem aſſumi, loquitur de deſtructione humanitatis naturaliter conſequenda ad deſtructionem perſonalitatis; non verò de conſequenda conſequutione eſſentiali: ac ſi ita argumentaretur, perſona aſſumi non poteſt, perſonalitate retenta; deſtructa autem perſonalitate, naturaliter conſequitur humanitatis deſtructio: ergo fruſtra humanitas præexiſtens in propria perſona aſſumptioni ſupponeretur; & conſequenter impoſſibile fuit præſupponi. Secunda conſequentia patet: nam Deus nihil operatur fruſtra: prima etiam patet, nam fruſtra aſſumptioni ſupponitur, quod aſſumi non poteſt ſine deſtructione alicuius, quo ablato naturaliter deſtruitur; ſed humanitas præexiſtens in propria hypoſtaſi aſſumi à Verbo, non poteſt, non deſtructa perſonalitate, qua ablata, naturaliter conſequitur humanitatis deſtructio: ergo fruſtra humanitas exiſtens in propria hypoſtaſi aſſumptioni ſupponeretur. Iuxta quam explicationem componitur rectè teſtimonium in contrarium adductum cum eo, quod D. Thom. docet *in hac quaeſt. artic. 2.* ac per conſequens ſuperfluit effugium Franciſci Suarez aſſerentis, D. Thom. *in præſenti* retractaſſe ſententiam, quam *ibi* tenuit, & falſitatis conuincitur Vazquez oppoſitam ſententiam Angelico Præceptori adſcribens.

Tertiò extra controuerſiam eſt, non ſic de facto eueniſſe, quod nempè, humanitas in propria perſona exiſtens aſſumptioni fuerit præſuppoſita, quod docet D. 5 *Tertiò præmittitur.*
Thom. 4 *Contra Gentes cap. 43. & in hac q. artic. 2.* conſtatque ex Leone Primo *in epiſt. 11. ad Iulianum*, vbi damnat Eutychetem, eo quòd putauerit, ante Incarnationem duas fuiſſe naturas, & addit: *Natura quippè noſtra non ſic aſſumpta eſt, vt prius creata, poſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur.* Quæ verba, vt rectè animaduertit Vazquez, non ſic accipienda ſunt, vt eadem actio fuerit, qua anima fuit creata, & à Verbo Dei aſſumpta, ſed vt denotent temporis ſimultatem inter creationem, & aſſumptionem, cum qua non ſtat, prius tempore humanitatem in propria hypoſtaſi extitiſſe. Et ratione D. Thomæ ſuadetur: ſi namque humanitas præextitiſſet in propria exiſtens perſona, vel perſona humana perſeueraret poſt vnionem, vel per aſſumptionem perſonalitas deſtrueretur, neutrum dici poteſt: ergo humanitas non fuit ſuppoſita exiſtens. Minor pro prima parte conſtat, quia ex oppoſito fieret, in Chriſto eſſe duas perſonas, humanam, ſcilicet, & diuinam, quod eſt contra fidem. Pro ſecunda probatur: ſi namque perſonalitas deſtrueretur, fruſtra ſic fuiſſet aſſumpta, hoc eſt, aſſumptione habente pro termino *à quo* perſonam. Patet ſequela, nam aſſumptio habens pro termino *à quo* perſonam, ſupponit perſonalitatem productam, illamque à natura aſſumpta excludit; ſed fruſtra fuiſſet perſonalitas producta, ſi erat per aſſumptionem deſtruenda: ergo fruſtra fuiſſet aſſumpta. Innocentium autem Tertium in quadam decretali aſſerentem, quòd perſona Dei conſumpſit perſonam hominis, rectè explicat D. Thom. non loqui omninò propriè de conſumptione ſumpta pro deſtructione alicuius, quod prius extitit, ſed impropriè accepta, prout importat impeditionem eius, quod aliàs conſequeretur; & ſic verum eſt, perſonam Dei perſonam hominis conſumpſiſſe; impediuit namque perſonalitatem creatam, quæ ad naturam humanam conſequeretur, vel ſaltim illi competeret, niſi fuiſſet à perſona Verbi præuenta.

Quartò, vt omninò certum ſupponimus, perſonalitatem ipſam aſſumi, non poſſe ad ſubſiſtendum per diuinam ſubſiſtentiam. Et quidem ſi creata perſonalitas in negatione actualis, & aptitudinalis communicatio- 6 *Quartò.*

nis

perſonaliſtat alteri tanquam ſuppoſito, ex terminis ipſis conſtat, implicare contradictionem; negatio namque iſta per ipſam communicationem deſtruitur, vt per extremum contradictorium: ſi autem perſonalitas in modo poſitiuo conſiſtat; vt extra Scholam Scoti communiter circumfertur, dubitaat de hac veritate Scotus *in 3. diſtinctione prima queſtione prima*, Aureolus apud Capreolum *in tertio diſtinctione quinta quaſtione tertia*, & alij qui ex Diſcipulis Scoti, probantes, perſonalitatem creatam non poſſe in modo poſitiuo conſiſtere, quia aliàs perſonalitas humana fuiſſet à diuino Verbo aſſumpta.
Suppoſitio noſtra oſtenditur 1. Noſtram tamen ſuppoſitionem, vt omninò indubitatam, admittunt vniuerſalitèr Theologi extra Scholam Scoti. Et oſtendi poteſt primò: vltima namque termino, in ea ratione, in qua eſt vltimus vlterior terminatio eſſentialiter repugnat; ſed perſonalitas eſt vltimus terminus in linea, & ratione ſubſiſtendi: ergo illi eſſentialiter repugnat per aliam perſonalitatem terminari, & conſequentèr implicat, quòd per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtat.

7 *Secundò,* Secundò, non enim ſtat, perſonalitatem aſſumi, & non aſſumi perſonam ad ſubſiſtendum; ſed implicat, perſonam creatam aſſumi ad ſubſiſtendum per diuinam ſubſiſtentiam: ergo implicat etiam, perſonalitatem ipſam ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur ex diffinitione perſonæ tradita à Boetio, & admiſſa ab omnibus Theologis, quod, nempè *eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ſiuè incommunicabilis*, quod de incommunicabilitate alteri ſuppoſito accipiendum eſſe conſtat; poteſt enim perſona communicari naturæ, vt patet in perſona Verbi, quæ de facto fuit communicata, & vnita humanitati: ergo repugnat perſonæ ex eius diffinitione, eſſe communicabilem alteri ſuppoſito, vel perſonæ, & conſequentèr repugnat per alterius ſubſiſtentiam ſubſiſtere; ad hoc enim oporteret, vniri alteri, vt ſubſiſtenti, & illi communicari.

8 *Si reſpondeas.* Si dicas, de ratione perſonæ ſolum eſſe, quòd naturalitèr ſit incommunicabilis alteri ſuppoſito, vel perſonæ; non autem, quòd ſit incommunicabilis per repugnantiam eſſentialem: ex quo non ſequitur, quòd non poſſit de potentia abſoluta vniri cum perſona diuina, & per illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere. In contrarium obſtat primò; nam
Obſtat in contrarium primò. illa particula *indiuidua ſubſtantia*, qua perſona diffinitur, communiter eſt accepta de incommunicabilitate eſſentiali; aut diffinitiones accipiendæ ſunt iuxta explicationem communem: ergo de ratione perſonæ non ſolum eſt incommunicabilitas per repugnantiam connaturalem, ſed etiam eſſentialem, vt communicetur alteri ſuppoſito, vel perſonæ.

Secundò, nam perſonæ eſt eſſentiale, quòd ſit vlti-
9 *Secundò.* mò completa in linea entis nominaliter, & in ratione perſonæ, ita D. Thom. *in tertio diſtinctione quinta quaſtione tertia artic. tertio in corpore*; ſed eo ipſo repugnat illi eſſentialiter alteri perſonæ ſubſtantialiter vniri formaliter vt perſonæ: ergo eſt incommunicabilis ſuppoſito, vel perſonæ incommunicabilitate eſſentiali. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur; non ſtat vnio ſubſtantialis cum perſona, quia ex tali vnione reſultet vna perſona; ſed eo ipſo, quòd perſona completa ſupponatur in linea, & ratione perſonæ, non poteſt cum alia perſona vniri vnione, ex qua vna perſona reſultet: ergo eo ipſo non poteſt cum alia perſona ſubſtantialiter vniri. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: vt enim ex vnione duorum reſultet, vnum per ſe, debet aliquod illorum incompletum præſupponi; quo circa ex duabus naturis completis non poteſt vna reſultare natura, quia vtraque completa ſupponitur: ergo eo ipſo, quòd perſona ſit completa in linea, & ratione perſonæ, non poteſt cum alia perſona vniri ita, vt ex vnione illarum reſultet vnum per ſe; & conſequenter non poteſt vna reſultare perſona.

10 *Opponet.* Oppones: eo ipſo, quòd perſonalitas ſit entitas incompleta, & modalis, afficit propriam naturam, in illa recipitur, ab illa dependet, illique communicatur: ergo eo ipſo non repugnat, illi communicari; & conſequenter poterit per aliam ſubſiſtentiam ſubſiſtere, aliique perſonæ vniri, & ab illa dependere. Quo argumento Recentiores quidam conuicti aſſerunt, perſonalitatem conſiſtere in entitate realiter entitatiuè à propria natura diſtincta, non inhærente naturæ, ſed per ſe, & in ſe ſubſiſtente. Leui tamen fundamento nituntur; perſonalitas namque non dat naturæ, cui connaturalis eſt, independentiam à ſubiecto inhæſionis, vel informationis, cum iſtam independentiam habeat natura completa ſubſtantialis ex ſe; humanitas enim non poteſt vlli ſubiecto inhærere, nec materiam informare, vel ab illa dependere, ſed ſolum dat incommunicabilitatem alteri ſuppoſito, vel perſonæ, & independentiam ab alio, vt ſuppoſito ſuſtentante, & complente; ſed hanc poteſt perſonalitas præſtare, quamuis ipſa naturam informet, in illa recipiatur, & ab illa ſubiectiuè dependeat, ſiquidem diuerſa ſit dependentia à ſubiecto informationis à dependentia à ſuppoſito, vel perſona, ergo quamuis perſonalitas, non in entitate completa, ſed in modali conſiſtat, communicata naturæ, & ab illa dependente, poteſt præſtare incommunicabilitatem propriam perſonæ, eſſeque incommunicabilem alteri vt perſonæ, vel ſuppoſito.

Denique apud omnes eſt certum, naturam vt perſonatam, & vt affectam perſonalitate propria non poſſe per alienam terminari, nec per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere. Quod patet, naturam namque vt affectam propria perſonalitate per alienam terminari, idem eſt, quod perſonam ipſam aliena ſubſiſtentia ſubſiſtere; ſed hoc implicat: ergo etiam repugnat, naturam, reduplicata propria perſonalitate, per alienam ſubſiſtentiam ſubſiſtere. 11 *Vltimum vt certum præmittitur.*
His igitur præſuppoſitis, in eo difficultas præſens conſiſtit, an, ſcilicet, natura creata ſubſiſtens in propria perſona, & propria perſonalitate retenta, poſſit, non vt per propriam ſubſiſtentiam ſubſiſtens, ſed ſecundum ſe, & ſecundum ſuam entitatem vniri perſonæ diuinæ, & per illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere.

§. II.

Ratio dubitandi proponitur & referuntur ſententiæ.

RATIO dubitandi eſt. Quod enim contradictionem non implicat, concedendum eſt omnipotentiæ diuinæ; ſed in eo, quòd natura creata, propria perſonalitate retenta, per diuinam terminetur nulla implicatio inuenitur: ergo eſt poſſibile de potentia abſoluta. Confirmatur primò: quamuis enim implicet, quòd natura diuina reduplicatiuè, vt ſubſiſtens ſubſiſtentia Patris, terminetur perſonalitate Filij; quòd autem ipſa terminata per ſubſiſtentiam Patris terminetur per ſubſiſtentiam Filij, non implicat, ſed de facto ita contingit: ergo pariter, quamuis ſit implicatorium, quòd natura creata, ſub reduplicatione perſonalitatis propriæ, terminetur per diuinam; quòd autem, propria perſonalitate retenta, natura ipſa per diuinam terminetur, non implicat. 12 *Ratio dubitandi proponitur. Confirmatur primò.*

Confirmatur, & vrgetur ſecundò: licet namque implicet, quòd natura creata, vt ſubſiſtens perſonalitate Filij reduplicatiuè, terminetur per ſubſiſtentiam Patris; non tamen implicat, quòd retenta perſonalitate Filij, terminetur ſimul per Patris perſonalitatem, vt contra Scotum cum frequentiori, & vera ſententia docuimus *tract. 3. diſp. 16.* ergo pariter implicatorium non debet cenſeri, quòd natura creata, retenta, & conſeruata perſonalitate propria, ſecundum ſuam entitatem terminetur per ſubſiſtentiam diuinam. *Secundò.*

Qua ratione dubitandi cum ſuis confirmationibus conuicti quidam Recentiores Theologi affirmatiuæ adhærent ſententiæ. ita Puente Hurtado *in Metaphyſica diſp. 21. ſect. 7. & 3. p. diſp. 44. num. 1.* Martinus Perez *tract. de Incarnatione diſp. 9. ſect. 9. num. 6.* & Bernal. *diſp. 24. ſect. 2.* Illamque non improbabilem cenſet Suarez vbi infra etſi fateatur, in nullo ex Theologis anterioribus illam ſcriptam inueniſſe. Pro ea tamen refert Granadus ex antiquis Baconum *in 3. diſt. 5. art. 2.* quod etiam teſtatur Vazquez. 13 *Auctores ſententiæ affirmatiuæ referuntur.*

Vera tamen ſententia oppoſitum docet, affirmans, non poſſe, etiam de potentia abſoluta, naturam creatam, retinendo propriam perſonalitatem, vniri cum perſona diuina, nec per alienam ſubſiſtentiam ſubſiſtere. Ita ex antiquioribus Scotus *in 3. diſt. 1. q. 2.* Durandus *in eadem diſt. q. 3. num. 16.* Paludanus *q. 3. art. 2. ad 4.* Capreolus *q. vnic.* 14 *Sententia negatiua proponitur.*

vnic. art. 3. ad 1. Scoti contra ſecundam concluſ. & cæteri Scholaſtici *in eadem diſtinct.* Caiet. *quæſt. præced. art.* 6. & ibi Cabrera *diſp. 1. num. 88.* & Nazarius *controuerſ. vnica notabil. 5. & concluſione 3.* adhærent Illuſtriſſimus Araujo *in præſenti q. 2. art. 2. dub. vnico*, Aluarez *diſp.* 26. Sancto Thoma *diſp. 7. art. 1.* Zippullus *q. 4. art. 2. dub.* 1. Lorca *diſp. 15. & diſp. 30.* Alijque Recentiores Thomiſtæ. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *diſp.* 14. *ſect. 1.* Vaxquez *diſp. 32. cap. 2.* Granadus *controuerſ. 1. de Incarnatione tract. 6. diſp. 2.* Becan *de Incarnatione c. 5. q.* 6. & Hurtado Complutenſis *diſput. 4. difficult.* 14. quos frequentius Recentiores ex eadem familia ſequuntur.

15 *Probatur à Diſcipulis Scoti.* Licet autem præfati Auctores in ſententia conueniant, in reddendam tamen ratione implicationis diſſentiunt. Diſcipuli Scoti id probant, quia repugnat, naturam vna perſonalitate terminatam terminari per aliam, eo quòd idem effectus nequit à pluribus cauſis adæquatis præſtari: ex quo inferunt, non poſſe vnam, & eandem naturam creatam ſimul ſubſiſtere in tribus diuinis perſonis. Hæc tamen ratio ſumpta ex principio ita communi Nobis placere non poteſt, nam *diſput. 16.* cum frequentiori Theologorum ſententia docuimus, poſſe vnam, & eandem naturam creatam ſimul terminari tribus ſubſiſtentijs diuinis. Vbi etiam vidimus, quomodò non inferatur, vnum, & eundem effectum dependere ſimul à pluribus cauſis adæquatis: ergo, quòd natura propria perſonalitate retenta, nequeat per diuinam ſubſiſtere, non eſt probandum ex repugnantia plurium perſonalitatum ſimul eandem terminantium naturam.

Diſplicet noſtri ratio.

16 *Suadet. ſecundò ex alio principio Scoti.* Secundò poteſt eadem ſententia ſuaderi ex alio principio Scoti, quòd, nempè, perſonalitas creata conſiſtit in negatione actualis, & aptitudinalis communicationis ad ſuppoſitum alienum. Iuxta quam ſententiam facilè redditur implicationis ratio, nam iuxta illam, naturam creatam eſſe coniunctam cum propria perſonalitate, illamque retinere, eſt, coniunctam eſſe cum negatione actualis communicationis ad alienum ſuppoſitum, vel alienam perſonam; ſed implicat, terminari per alienam perſonalitatem; & ſimul habere negationem communicationis ad perſonam alienam, cum hæc negatio, & actualis cum aliena perſona coniunctio contradictoriè opponantur: ergo implicat, naturam creatam, propria perſonalitate retenta terminari perſonalitate diuina, & per illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere. Sed nec huic argumento poſſumus aſſenſum præbere; procedit enim ex doctrina parum grata cæteris Theologis, præter Scoti Diſcipulos, & quam Nos fusè reiecimus *tract. de perſonis diuinis diſput. 1. §. 1.*

Reijcitur prædicta ratio.

17 Tertiò à nonnullis ex noſtris probatur ex diffinitione ſuppoſiti vel perſonæ, de cuius conceptu eſt, *quod ſit alteri ſuppoſito incommunicabilis*; ſed ſi natura propria perſonalitate retenta, aſſumeretur à diuino ſuppoſito illi communicaretur: ergo implicat, naturam creatam, retinendo propriam perſonalitatem, aſſumi à perſona diuina; & conſequentèr implicat per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtere. Hæc tamen ratio non viget; poteſt namque ad illam facilè occurri, aſſerendo, de ratione perſonæ non eſſe quòd natura ex qua componitur, non communicetur alteri ſuppoſito, vel perſonæ, ſe quòd perſona ipſa ex natura, & perſonalitate compoſita non communicetur alteri ſuppoſito, nec poſſit illi communicari. Ex quo tantum ſequitur, perſonam creatam non poſſe aſſumi ad diuina perſona, quòd contrarij Auctores fatentur; non autem, quòd natura propria ſubſiſtentia ſubſiſtens, & per illam terminata, non poſſit à diuino ſuppoſito aſſumi, in quo noſtra controuerſia conſiſtit.

Nec iſta ratio viget, & illi facilè occurritur.

18 *Confirmatur exemplis.* Quæ doctrina conſtat clarè in natura diuina, quæ perſonata perſonalitate Patris manet terminabilis perſonalitate Filij, Et in natura creata ſubſiſtente perſonalitate Filij, quæ adhuc manet terminabilis perſonalitate Patris. Ex quibus apertè conſtat; de ratione perſonæ non eſſe, quod illius natura alij ſuppoſito incommunicabilis ſit, ſed tantum, quòd ipſa perſona alij ſuppoſito communicari non poſſit, quandoquidem perſonæ Patris conuenit diffinitio, & ratio perſonæ; & tamen Patris natura actu communis eſt Filio. Perſonæ etiam conſtitutæ ex perſonalitata Verbi, & humanitate conuenit diffinitio perſonæ, & tamen natura humana, perſonalitate Filij retenta, poteſt Patri communicari, & per eius ſubſiſtentiam ſubſiſtere. Poteſt tamen hæc ratio ſuſtineri, ſi aliundè probetur, non poſſe aſſumi naturam, propria perſonalitate rententa, quin perſonalitas ipſa aſſumatur.

Quarta ratio, illaque frequentior implicationis eſt, nam ſubſiſtere in ſe, & exiſtere in alio ſunt modi eſſendi eſſentialiter repugnantes; ſed natura per propriam ſubſiſtentiam ſubſiſtit in ſe per alienam autem exiſtit in alio: ergo eſſentialitèr repugnat; & conſequentèr implicat, naturam, propria perſonalitate retenta, per alienam terminari, & exiſtentem in proprio ſuppoſito ſimul in alieno exiſtere. Conſequentia probatione non indiget, minor ſupponitur, & maior oſtenditur primo inhærere ſubiecto, & exiſtere per ſe, ſunt modi eſſentialiter repugnantes, cum vnum in negatione alterius conſiſtat: vndè implicatorium eſt, accidens inhærere ſubiecto, & exiſtere per ſe: ergo paritèr ſubſiſtere in ſe, & exiſtere in alio ſuppoſito repugnantiam eſſentialem important. Secundò, nam aliquid per ſe exiſtere eſt exiſtere ſeparatum à ſubiecto, & à ſuppoſito alieno; ſed in hoc, quòd eſt exiſtere ſeparatum à ſubiecto, & à ſuppoſito alieno, & exiſtere in ſubiecto, vel in alieno ſuppoſito, eſſentialis repugnantia inuenitur: ergo ſubſiſtere in ſe & exiſtere in alio ſunt modi repugnantes eſſentialiter. Hac ratione vtuntur Suarez, Vaxquez, Granadus, Becanus, Hurtadus, aliique Recentiores Societatis, omnibus alijs reiectis; Illa etiam vtuntur ex noſtris Nazarius, Araujo, & Zippullus *locis vbi ſupra allegatis.* 19

Quarta ratio implicationis aſſignatur.

Si contra illam obijciatur: ſubſiſtere in ſe duo in ſuo conceptu importat, vnum poſitiuum, ſcilicet, connaturali ſubſiſtentia terminari, & alterum negatiuum, ſcilicet, non eſſe in alieno ſuppoſito, nec ab illo dependere; ſed hoc ſecundum, ratione cuius ſubſiſtere in ſe repugnat, cum exiſtere in alio, non eſt eſſentiale ſubſiſtentiæ propriæ, per quam connaturalitèr ſubſiſtit natura creata: ergo non eſt repugnantia eſſentialis, in eo quòd natura creata per propriam ſubſiſtentiam, & ſimul per alienam ſubſiſtat. Conſequentia cum maiori tenet, minor autem probatur: negatio exiſtendi in alio eſt effectus ſecundarius ſubſiſtentiæ propriæ; cum enim ſubſiſtentia in aliquo poſitiuo conſiſtat, non eſt negatio eſſe effectus primarius illius; ſed effectus ſecundarius non eſt eſſentialis formæ, nec ab illa inſeparabilis de potentia abſoluta: ergo prædicta negatio non conuenit eſſentialiter ſubſiſtentiæ propriæ, qua natura creata ſubſiſtit connaturalitèr, & conſequentèr poterit, illa retenta, per aliam terminari. 20

Si opponatur contra illam.

Reſponderi poteſt primò ex eo, quod non eſſe in alio in negatione conſtat, & ſubſiſtentia ſit aliquid poſitiuum, non colligi, eſſe effectum ſecundarium illius; poteſt enim eſſe modus eſſentialis effectus primarij. Conſtat hæc indiuiſione, ſeu diſtinctione ab alio, quæ in negatione identitatis conſiſtit; & tamen non eſt effectus ſecundarius vnitatis, ſed modus eſſentialis illius, quamuis vnitas in forma poſitiua conſiſtat; vnum enim eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, & vtrumque conuenit vnitati eſſentialiter. Non ergo ex eo, quod non eſſe in alio in negatione conſiſtat, & ſubſiſtentia in aliquo poſitiuo, neceſſaria illatione, ſaltim formali, colligitur, negationem prædictam eſſe effectum ſecundarium ſubſiſtentiæ. 21

Reſpond. primò.

Secundo reſpondent iſtius rationis Auctores, non ſemper effectum ſecundarium, ſi in negatione conſiſtat, eſſe à forma ſeparabilem; excluſio namque vnius formæ ſubſtantialis eſt effectus ſecundarius alterius; & tamen, in communi Thomiſtarum ſententia, eſt ab illa inſeparabilis de potentia abſoluta. Deſtructio etiam odij eſt effectus ſecundarius amoris; & tamen implicat, non conſequi ad ipſum. Deſtructio itidem peccati, vel non eſſe illius eſt effectus ſecundarius gratiæ; & tamen eſſentialitèr conſequitur gratiam in veriori, frequentiorique ſententia. Quamuis ergo non eſſe in alio ſuppoſito, vel ſubiecto, ſit effectus ſecundarius perſonalitatis propriæ, vt conuenientis naturæ, poteſt cum illa eſſentialiter connecti; ac per conſequens implicare, naturam per ſe ſubſiſtentem propria perſonalitate, illa retenta, exiſtere in alieno ſuppoſito, & per illius ſubſiſtentiam terminari. 22

Secundò.

Quòd ſi illis opponatur, tunc ſolum effectum ſecundarium negatiuum cum forma connecti eſſentialitèr, quandò effectus formæ primarius ſine illo nequit ſubſiſtere, vt in exemplis adductis contingere probant illorum Auctores; at non eſt, vndè efficacitèr probetur, in præſenti ita contingere, quòd, nempè, effectui poſitiuo primario, quem perſonalitas præſtat naturæ, eſſentialiter repugnet ſubſiſtere ſine negatione exiſtendi in alio ſuppoſito, quæ effectus ſecundarius illius: ergo ſine fundamento adſtruitur eſſentialis connexio huiuſce- 23

Si illis opponatur.

modi

modi negationis cum perſonalitate propria, vt terminante naturam.

24 *Reſpondent tripliciter.* Reſpondent aliqui illorum, hoc ex communi conſenſione conſtare: omnes enim Antiqui Auctores ita intellexerunt hoc, quòd eſt per ſe ſubſiſtere, vt eſſentialitèr dicat negationem exiſtendi in alio. Secundò reſpondent alij, hoc conſtare ex ipſis terminis, nam per ſe ſubſiſtere, dicit, eſſe ſeparatum ab alio; & conſequentèr negationem exiſtendi in alio. Tertiò alij reſpondent, ideò ita aſſerendum eſſe, quia perſonalitas ipſa eſſentialiter eſt alij incommunicabilis, & eſſentialiter excludit à ſe hoc, quòd eſt exiſtere in alio ſuppoſito: ergo præſtat eundem effectum naturæ, nempè, eſſe in ſe eſſentialitèr repugnans cum exiſtentia in alio, & eſſentialiter inferent negationem exiſtendi in alio.

25 *Reijcitur prima ſolutio. Secunda.* Hæ tamen ſolutiones plenè non ſatisfaciunt. Non prima, quæ auctoritati nititur, non rationi; cum tamen in præſenti implicationis ratio petatur. Nec ſecunda, nam quod ex terminis conſtat, illis explicatis, omnibus eſt manifeſtum; ſed Auctores oppoſitam tenentes ſententiam, terminis explicatis, negant, ſeparationem ab alio eſſentialem eſſe naturæ terminatæ per propriam ſubſiſtentiam: ergo huiuſmodi ſepa- *Tertia.* ratio non eſt ex terminis nota. Denique tertia ſolutio reijcitur; nam perſonalitati non ſolum eſt eſſentialis incommunicabilitas ſuppoſito extraneo, ſed etiam alteri ſuppoſito eiuſdem naturæ: & tamen naturæ non præſtat, quod ſit incommunicabilis alteri ſuppoſito proprio, etſi hanc incommunicabilitatem præbeat perſonæ à ſe conſtitutæ: ergo, quòd ſit incommunicabilis ſuppoſito alieno, non probas, naturam à ſe terminatam hac incommunicabilitate eſſentiali gaudere, ſed ſolum, quòd perſonæ, quam conſtituat, conueniat. Maior cum conſequentia tenet; minor autem conſtat in natura diuina, quæ terminata perſonalitate Patris manet terminabilis perſonalitate Filij, & Spiritus Sancti: ergo perſonalitas non præſtat naturæ, quòd ſit incommunicabilis alteri ſuppoſito proprio, ſed ſolum hoc præſtat perſonæ à ſe conſtitutæ.

26 *Confirmatur.* Deindè contra eandem rationem obijcitur: etenim natura creata, propria perſonalitate retenta, non ſolum non poteſt ſubſiſtere in alieno ſuppoſito, ſed nec etiam in alio eiuſdem naturæ, & hoc de potentia abſoluta: & tamen per nullam ex his ſubſiſtentijs ſubſiſteret in alieno ſuppoſito, ſed per vtramque in ſe: ergo repugnantia terminationis per duas perſonalitates in natura creata, non eſt adæquatè petenda ex oppoſitione prædictorum modorum, ſcilicet, exiſtendi in alio, & per ſe. Minor cum conſequentia tenet; maiorem autem, quam negat Suarez, concedunt Vazquez, & Thomiſtæ prædicta ratione vtentes, & illius veritas ex dicendis conſtabit.

27 *Vltimò reijcitur.* Deniquè reijcitur: etenim natura creata per propriam perſonalitatem non ſubſiſtit per ſe *vt quod*, ſed tantum *vt quo*, quatenus propriam perſonalitatem radicat propriam conſtituentem perſonam; ſed in hoc, quòd eſt, naturam *vt quo* per propriam ſubſiſtentiam ſubſiſtere, & exiſtere in alieno ſuppoſito nulla implicatio inuenitur in ſententia Auctorum prædicta ratione vtentium, cum rationem Caietani reijciant, quæ in hac repugnantia innititur: ergo ex hoc, quod natura creata per ſe propriam ſubſiſtentiam exiſtit, malè infertur, repugnantia eſſentialis exiſtendi in alieno ſuppoſito, propria perſonalitate retenta. Illatio cum minori tenet; maior autem conſtat primò ex D. Thoma *infra q. 17. art. 2.* vbi docet, exiſtentiam eſſe actum proprium ſuppoſiti, quod non aliter poteſt veritatem habere, niſi quia ſolum ſuppoſitum immediatè exiſtit *vt quod*. Ex quo infert D. Thomas, in Chriſto vnam tantum dari exiſtentiam, quia licet duplex in illo reperiatur natura eſt tantum vnum ſuppoſitum; ſed quod non exiſtit *vt quod* non poteſt *vt quod* per ſe exiſtere: ergo natura in proprio ſuppoſito non exiſtit per ſe *vt quod*, ſed tantum *vt quo*. Secundò, nam ſubſiſtens per ſe *vt quod* incommunicabiliter, eſt perſona; ſed natura in proprio ſuppoſito non eſt perſona: hæc enim propoſitio eſt falſa: *Humanitas eſt perſona*: & hæc *diuinitas eſt perſona*, ſolum in ſenſu identico eſt vera, quia nempè, natura diuina identificatur cum diuinis perſonalitatibus: ergo natura per propriam perſonalitatem non ſubſiſtit per ſe *vt quod*, ſed tantum *vt quo*.

Denique probatur: natura diuina non ſubſiſtit per ſubſiſtentias perſonales *vt quod*, ſed tantum *vt quo*; & tamen ſubſiſtentiæ perſonales ſunt propriæ diuinæ naturæ; ergo natura creata perſonalitate propria non ſubſiſtit *vt quod*, ſed *vt quo*. Conſequentia tenet à paritate rationis, minor eſt certa, & maior oſtenditur primò: id enim, quod per ſubſiſtentiam perſonalem diuinam ſubſiſtit *vt quod*, eſt incommunicabile alteri perſonæ diuinæ, cum eſſe perſonalitèr ſubſiſtens, & eſſe incommunicabile ſint idem; ſed natura diuina non eſt incommunicabilis alijs diuinis perſonis: ergo non ſubſiſtit *vt quod* perſonalibus ſubſiſtentijs. Secundò, nam quod ſubſiſtit incommunicabilitèr *vt quod*, per ſubſiſtentiam perſonalem Patris generat *vt quod*, & quod ſubſiſtit perſonaliter perſonalitate Filij, *vt quod*, *vt quod* generatur; ſed natura diuina in Patre non eſt *vt quod*, generans, ſed tantum *vt quo*, nec in Filio *vt quod* generatur, ſed tantum *vt quo*: ergo non ſubſiſtit per ſubſiſtentias perſonales *vt quod*, ſed tantum *vt quo*; & conſequenter natura creata per propriam perſonalitatem, non *vt quod*, ſed tantum *vt quo*, ſubſiſtit; quod ideò verum eſt, quia propriam perſonalitatem radicat. 28

Ex his etiam impugnata relinquitur ratio, qua noſtram ſententiam probat Mag. S. Thoma *loco allegato*, vbi impugnatis rationibus Caietani, & Suarez, ſic arguit: hoc ipſo, quod natura maneat terminata per propriam perſonalitatem, manet ex proprijs principijs completa tanquam quoddam totum; ſi autem aſſumitur ab alia perſona, non manet in ſe totum completum ex propria natura, cum trahatur ad terminum perſonalem, vt qui habet rationem totius completi reſpectu naturæ aſſumptæ; ſed implicat, idem eſſe totum, & non totum: ergo implicat, quòd natura, propria perſonalitate retenta, aſſumatur ab aliena perſona, & iuxta hanc explicationem cenſet, veras eſſe Caietani, & Suarez ſententias, & illorum rationes efficaces. 29 *Ratio M. S. Th. impugnatur.*

Sed, vt verum fatear, non ſatis percipio Magiſtrum iſtum, aliàs Sapientiſſimum: natura namque terminata per propriam perſonalitatem, & per illam completa non eſt totum, ſed pars, ex qua, & ſubſiſtentia, ſuppoſitum, vel perſona componitur, ſubſiſtentia ingrediente eius compoſitionem in recto, & natura in obliquo: ergo ex eo, quòd, retenta propria perſonalitate, à perſona aliena aſſumatur, non ſequitur, eſſe totum completum, & non totum, ſed ſolum eſſe partem componentem duas perſonas, in quo nulla implicatio inuenitur. Conſequentia probatione non indiget; antecedens autem patet; natura namque terminata, & completa per propriam perſonalitatem non eſt ſuppoſitum, nec perſona: ergo non eſt totum, ſed pars. 30

§. III.

Explicatur ratio Caietani, & alijs rationibus communis ſententia probatur.

CAIETANVS q. 3. ar. 3. verſ. *Ad probationem minoris cum dicitur*, ſic arguit pro communi ſententia: etenim natura creata cum propria perſonalitate adæquatur intenſiuè, & extenſiuè: ſed id, quod cum aliquo termino ſic adæquatur, implicat, terminari per alium: ergo implicat, naturam creatam, propria perſonalitate retenta, per alteram terminari. Minor cum conſequentia tenet; maiorem autem probat Caietanus ex differenti modo, quo natura comparatur cum propria perſonalitate, & cum aliena, nam ad propriam ſic comparatur, quòd propriam perſonam conſtituit; ſecus autem alienam, non enim illam conſtituit; ſed ad eius eſſe trahitur, vt docet D. Thom. q. 2. art. 1. & q. 3. art. 1. ad 1. ergo cum propria perſonalitate adæquatur intenſiuè, & extenſiuè; & conſequentèr non poteſt ſubſiſtens in propria perſona, ſimul in alia ſubſiſtere: qua ratione vtuntur Medina, Aluarez, & Nazarius vbi *ſupra allegati*. 31 *Ratio Caietani proponitur, & explicatur.*

Si contra illam objicias: natura creata non conſtituit propriam perſonam formalitèr per ſeipſam, ſed originatiuè, & radicalitèr, quatenus radicat modum perſonalitatis conſtituentis propriam perſonam formalitèr: ſed 32 *Si contra illam opponas.*

ex eo,

ex eo, quòd hoc modo propriam perſonam conſtituat, non ſequitur, adæquari cum propria perſonalitate intenſiuè, & extenſiuè: ergo prædicta ratione non probatur efficaciter, naturam creatam, propria perſonalitate retenta, non poſſe de potentia abſoluta ſubſiſtere in alieno ſuppoſito, & terminari per illius ſubſiſtentiam. Conſequentia liquet, maior etiam non poteſt à Caietano negari: vt enim docet Caietanus in *hac q. 4. art. 2.* perſonalitas eſt modus realiter à natura diſtinctus; ſed perſonalitas eſt forma conſtituens perſonam formaliter: ergo natura per ſe ipſam non conſtituit propriam perſonam formaliter, ſed eatenus ſolum illam poteſt conſtituere, quatenus ſe ipſa radicat modum perſonalitatis perſonam formaliter conſtituentem. Minor autem probatur: ex eo, quòd natura creata propriam perſonam conſtituat, radicando propriam perſonalitatem, ſolum ſequitur, vim radicatiuam naturalem cum propria perſonalitate adæquari; non autem, quod natura ipſa, ratione potentiæ obedientialis nequeat terminari per aliam: ergo ex eo, quòd perſonam propriam prædicto modo conſtituat, non ſequitur cum propria perſonalitate adæquari intenſiuè, & extenſiuè.

33 *Reſpond. ex doctrina Caietani.* Reſpondetur ex doctrina Caietani, negando minorem, nam eo ipſo, quòd natura creata propriam perſonam conſtituat, radicando à ſe, & in ſe propriam perſonalitatem, non poteſt natura aſſumi, non aſſumpta perſonalitate, & conſequenter, quin perſona propria aſſumatur, quod implicat. Quòd autem ſequatur, patet; natura namque radicat perſonalitatem, vt modum in illa receptum: ergo non ſtat, aſſumi naturam non aſſumpta perſonalitate; & conſequenter perſona conſtituta per illam: eo autem ipſo, quòd natura nequeat aſſumi, non aſſumpta perſonalitate propria, natura adæquatur cum illa intenſiuè, & extenſiuè; & conſequenter eo ipſo, quòd natura prædicto modo conſtituat propriam perſonam, ſequitur intenſiua, & extenſiua adæquatio naturæ cum propria perſonalitate.

34 *Argumentum difficile cõtra doctrinã Caietani.* Sed contra hanc ſolutionem, & doctrinam Caietani obſtat argumentum difficile: ſtat enim, propriam perſonalitatem eſſe modum intrinſecè afficientem naturam, & naturam aſſumi ab alieno ſuppoſito, non aſſumpta propria perſonalitate, nec perſona conſtituta per ipſam: ergo ex eo, quòd natura creata conſtituat propriam perſonam, radicando perſonalitatem in ſe, vt modum illam afficientem intrinſecè, non ſequitur adæquatio intenſiua, & extenſiua cum propria perſonalitate. Conſequentia tenet ex dictis; antecedens autem oſtenditur primò: etenim natura diuina conſtituit perſonam Patris, radicando paternitatem vt modum, vel quaſi modum illam terminantem intrinſecè; & tamen natura diuina terminari poteſt per ſubſiſtentiam Filij, non terminata per illam paternitate: ergo pariter, quamuis perſonalitas creata ſit modus intrinſecè propriam naturam modificans, poterit natura aſſumi ab alieno ſuppoſito, & ab illo terminari, nõ aſſumpta, nec terminata ab illo, perſonalitate propria.

35 Secundò idem antecedens probatur; nam licet perſonalitas Verbi non ſit modus intrinſecè humanitatem informans; vnio tamen, qua humanitas Verbo vnitur, eſt modus intrinſecè illam afficiens; & tamen poteſt de potentia abſoluta humanitas aſſumi à Patre, & vniri cum illius ſubſiſtentia retenta prædicta vnione, qua diuino Verbo vnitur, quin talis vnio aſſumatur, & quin per vnionem ſuperuenientem vniatur; ergo, quamuis perſonalitas propria ſit modus intrinſecè afficiens naturam, poterit illa retenta, natura aſſumi à ſuppoſito alieno, non aſſumpta perſonalitate. Denique, nam præſentia localis, qua corpus Chriſti eſt præſens loco ſibi connaturali, eſt modus intrinſecè corpus afficiens; & tamen, hoc non obſtante, corpus Chriſti fit præſens ſpeciebus Sacramentalibus, quin prædicta præſentia localis connaturalis modificetur præſentia Sacramentali: ergo idem, quod prius.

36 *Ad primam probationem reſpond. M. Aluarez.* Reſpondeo, negando antecedens; ad primam probationem reſpondet M. Aluarez *diſp. alleg. num. 9. &* 10. negando conſequentiam, & rationem diſcriminis reddit; quia natura diuina hoc habet ſuam infinitatem, nempè, quòd ſit in pluribus ſuppoſitis conſtitutis per oppoſitas relationes: cæterum natura creata eadem numero eſſe non poteſt in pluribus ſuppoſitis proprijs, nec in vno proprio, & altero extraneo. Primum quia multiplicatur ad multiplicationem ſuppoſiti. Secundum, quia ob naturalem connexionem, quæ eſt inter naturam, & propriam perſonalitatem, non poteſt natura aſſumi, perſonalitate non aſſumpta. *Si inſtes.* Etſi inſtes: non minori connexione connectitur perſonalitas Patris cum natura diuina, quam perſonalitas creata cum propria natura; & tamen Pater communicauit Filio naturam, non communicata paternitate: ergo pariter, prædicta connexione non obſtante poterit perſona extranea aſſumere naturam creatam, non aſſumendo propriam perſonalitatem. *Reſpond. ſecundò.* Reſpondet iterum, negando conſequentiam, eadem ratione inſiſtendo, quia nempè, natura diuina id habet ob ſuam infinitatem, quod ex æquo, & naturaliter ſit in tribus perſonis per oppoſitas relationes conſtitutis, & diſtinctis, & aliàs in diuinis perſonis non eſt aſſumptio, ſed communicatio naturæ; natura autem creata finita, & limitata eſt, & aliàs cum propria perſonalitate connexa: vndè ex myſterio Trinitatis non ſumitur argumentum efficax contra noſtram ſententiam.

37 *Reijcitur.* Sed, vt verum fatear, non ſatis percipio diſcrimen, nec ſolutionem huius Sapientiſſimi Magiſtri. Primò, nam licet verum ſit, in diuinis perſonis ad intra non reperiri aſſumptionem naturæ, ſed tantum communicationem cæterum non videtur conducere ad argumenti ſolutionem, quod à paritate procedit, inquirens, cur ſicut natura diuina cum paternitate connexa, & ab illa quaſi modificata, communicatur Filio, non communicata paternitate, & terminatur à perſonalitate Verbi, paternitate non terminata, ſimiliter, non obſtante connexione perſonalitatis creatæ cum propria natura, non poterit natura creata aſſumi à perſona diuina, non aſſumpta perſonalitate? Argumentum non videtur ſolui per hoc, quòd vna ſit aſſumptio, & alia communicatio.

38 *Secundò.* Deindè, quòd natura diuina infinita ſit, & natura creata finita, licet rectè probet, non poſſe naturam creatam connaturaliter eſſe in pluribus ſuppoſitis, ſicut conuenit naturæ diuinæ; non autem probat, quòd non poſſit eſſe in vno naturaliter, & in alio obedientialiter: ſicut, non obſtante limitatione naturæ creatæ, poteſt per potentiam obedientialem eſſe in tribus diuinis ſuppoſitis, in quibus natura diuina exiſtit connaturaliter: ergo ex infinitate naturæ diuinæ, & limitatione naturæ creatæ non infertur, quòd natura creata, propria perſonalitate retenta, non poſſit ab alieno ſuppoſito terminari abſque eo, quòd perſonalitas propria terminetur. *Tertiò.* Denique, quòd natura creata multiplicetur ad multiplicationem ſuppoſiti, licet rectè probet, non poſſe eſſe in pluribus ſuppoſitis proprijs; non tamen, quòd nequeat eſſe in vno proprio, & altero alieno. Quod patet, non enim multiplicatur ad multiplicationem ſuppoſiti alieni: ergo ſicut ob hanc cauſam poteſt eſſe in pluribus extraneis ſuppoſitis, ob eandem eſſe poterit in vno proprio, & altero alieno ſimul, quin ex hoc multiplicetur.

39 *Aliter reſpond. ad primam antecedẽtis probationem.* Vndè doctrinæ huius ſolutionis in ſua probabilitate relicta, ad primam antecedentis probationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam quòd natura diuina communicetur Filio, & per filiationem terminetur, non communicata paternitate, nec per filiationem terminata, prouenit ex eo, quòd paternitas, & filiatio opponuntur relatiuè inter ſe; non autem cum eſſentia diuina: & ideò diuina eſſentia poteſt cum vtraque identificari, quin inter illas identitas inferatur, perſonalitas autem creata eſt modus intrinſecè afficiens naturam, & aliàs nulli alteri opponitur relatiuè, atque adeò non poteſt natura creata alicui conuenire perſonæ, aut per illam terminari, quin eidem perſonalitas propria conueniat, & ab illa terminetur. Et quidem non poſſe ex vno ad aliud efficax ſumi argumentum, probo clarè; nam paternitas non ſolum intrinſecè terminat diuinam naturam, ſed etiam identificatur cum illa, quin ex hoc inferatur, quod, ſi diuina eſſentia communicatur Filio debeat eidem communicari paternitas; & tamen ferè omnes Theologi docent, quòd, ſi perſonalitas creata identificaretur cũ propria natura, non poſſet natura aſſumi, quin aſſumeretur perſonalitas, & perſona creata: ergo ex eo, quòd communicetur natura diuina, non communicata paternitate, etſi illam intrinſecè terminet, malè infertur, poſſe aſſumi naturam creatam, non aſſumpta perſonalitate propria, illam intrinſecè terminante, & modificante intrinſecè. Imò ex hoc efficax argumentum pro doctrina Caietani deſumitur: ſi perſonalitas Patris non eſſet relatiuè oppoſita Filio, non poſſet natura Patris Filio communicari, & per filiationem terminari, non communicata filio paternitate, & per

filiationem terminare; ſed perſonalitas propria naturæ creatæ nulli alteri opponitur relatiuè: ergo non ſtat, communicari, vel aſſumi naturam creatam, non communicata, & aſſumpta illius propria perſonalitate.

40 *Si dicas.* Nec euaditur difficultas, ſi dicas, perſonalitatem creatam diſtingui realitèr à natura; & ideo, quamuis non opponatur cum aliquo relatiuè, poteſt communicari alicui ſuppoſito, vel perſonæ, quin eidem communicetur propria ipſius perſonalitas; paternitas autem eſt idem realiter cum natura diuina; & idcirco, niſi opponeretur relatiuè Filio, non poſſet illi communicari Patris natura, non communicata eidem paternitate. Non, inquam, hoc effugio argumenti efficacia euacuatur; *In contrarium obſtat.* quod enim in creatis præſtat realis aliquorum diſtinctio, præſtat in diuinis diſtinctio virtualis, vt communiter docetur à Theologis; & tamen virtualis diſtinctio paternitatis ab eſſentia non ſufficit, vt natura communicetur, non communicata paternitate Filio, niſi relatiua oppoſitio intercedat, alias poſſent diuinæ perſonæ proprietatibus abſolutis conſtitui, & diſtingui, quod communi Theologorum ſententiæ aduerſatur: ergo realis modalis diſtinctio perſonalitatis creatæ à propria natura non ſufficit, vt natura communicetur alteri ſuppoſito, vel perſonæ, aut ab illa aſſumatur, non communicata, & aſſumpta propria perſonalitate.

41 *Dices.* Sed dices: ideò paternitas, niſi relatiuè, opponatur Filio, non poteſt Filio non communicari, communicata natura, quia in Deo ſola relatiua oppoſitio poteſt realem diſtinctionem, & realem incompatibilitatem inducere, iuxta illud commune axioma, *in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*; at inter perſonalitatem creatam, & diuinam perſonam realis diſtinctio, & oppoſitio inuenitur abſque relatiua oppoſitione: ergo poteſt natura creata aſſumi à perſona diuina, & illi communicari, non communicata, *Confirmabis.* nec aſſumpta perſonalitate. Et confirmabis: ideò natura diuina Patris communicatur Filio, non communicata eidem paternitate, quia paternitas, & filiatio opponuntur, & realiter diſtinguuntur inter ſe; non autem opponuntur cum natura, nec ab illa realiter diſtinguuntur; ſed perſonalitas creata eſt incommunicabilis perſonæ diuinæ; natura autem non eſt incommunicabilis, nec inaſſumptibilis à perſona diuina de ſe: ergo poteſt natura creata aſſumi à diuino ſuppoſito, non aſſumpta perſonalitate.

42 *Reſpondes.* Reſpondeo, diſtinguendo minorem: realis oppoſitio communicata naturæ perſonalitati coniunctæ, & ab illa terminatæ, concedo minorem: non communicata naturæ terminatæ per propriam perſonalitatem, nego minorem, & conſequentiam: vt enim rectè inferretur, poſſe communicari alteri perſonæ naturam, & ab illa aſſumi, non communicata, nec aſſumpta propria perſonalitate, oportebat, vt perſonalitas propria non præſtaret naturæ à ſe terminatæ oppoſitionem cum perſona aſſumente, & interminabilitatem per illam, cuius oppoſitum inquit Caietanus contingere, eo quòd perſonalitas propria, vtpote, modus in propria natura receptus, & ab illa dimanans eſt ita cum natura terminata connexus, vt nequeat natura aſſumi à non aſſumente modum, & propriam perſonalitatem: atque adeò perſonalitas propria incommunicabilitatem quamlibet omni alteri perſonæ, præſtat naturæ à ſe terminatæ in ſenſu compoſito ſuæ terminationis. Et ex his ad confirmationem conſtat ſolutio: licet *Ad confirmationem reſpondetur.* namque natura creata, de ſe terminabilis ſit à ſuppoſito diuino, & illi communicabilis, non tamen eſt aſſumptibilis exiſtens ſub propria perſonalitate, quia ſic ſumpta nequit aſſumi, non aſſumpta illius perſonalitate, & cum hæc ſit inaſſumptibilis ab extraneo ſuppoſito, etiam natura inaſſumptibilis redditur.

43 *Inſtatur argumentum.* Et quidem conſequentia facta inſtatur, in hunc modum arguendo: quia paternitas opponitur filiationi relatiuè, ſecus autem eſſentiæ, quamuis paternitas identificetur eſſentiæ, poteſt hæc communicari, non communicata paternitate, ſed perſonalitas creata ex ſuo conceptu eſt inaſſumptibilis; ſecus autem natura creata: ergo quamuis perſonalitas creata identificetur naturæ, poterit hæc aſſumi à ſuppoſito extraneo, perſonalitatem non aſſumpta. Sicut ergo iſta conſequentia non tenet, quia eo ipſo, quod perſonalitas ſit cum natura realiter identificata, illam reddit inaſſumptibilem, quamuis ex conceptu naturæ non repugnet illi aſſumibilitas in ſententia Caietani non tenet; quia quamuis naturæ ex ſuo conceptu aſſumptibilis ſit, poſſitque aſſumi perſonalitate deſtructa, perſonalitas illam reddit inaſſumptibilem in ſenſu compoſito ſui, hoc eſt, niſi deſtruatur præexiſtens, vel præueniatur, impediaturque à ſuppoſito extraneo, eius terminante, & ſuppoſitante naturam.

44 *Ad ſecundam antecedentis probationem reſpond. 1. Serrand.* Ad ſecundam antecedentis probationem reſpondeo primò ex dictis ſupra: caſu, in quo natura creata tribus vniretur perſonis, vel ſimul, vel diuiſiuè, non eſſe tres vniones admittendas, ſed vnico modo vnionis cum omnibus vniretur, & hæc vnio terminaretur ab illis: non tamen vniretur per ſupereminentem vnionem, quia talis vnio non datur. Quia tamen ſententia diſtinctas vniones ſtatuens eſt inter noſtras probabilis, poteſt reſponderi ſecundo, vnionem, qua humanitas vnitur cum perſona diuina, eſſe quidem modum intrinsecè afficientem, non tamen dimanantem ab illa: at verò perſonalitas propria eſt modus, non ſolum intrinsecè afficiens, ſed etiam dimanans à propria natura, & ideò poteſt terminari, & aſſumi natura, non aſſumpta, nec terminata vnione, qua Verbo vnitur; non autem poteſt ab extraneo ſuppoſito aſſumi, non aſſumpta propria perſonalitate. Cæterum, ſuppoſito, quòd vterque modus intrinsecè afficiat naturam, non percipio, quid conducat, quòd vnus à natura dimanet, & alter ab extrinſeco adueniat, vt natura ſine modo dimanante inaſſumptibilis, & ſine modo intrinſeco non dimanante poſſit aſſumi.

45 *Aliter occurritur ſecundæ eidem probationi.* Vndè, prædicta ſententia admiſſa, aliter eſt occurrendum, negando conſequentiam, ob aliam rationem diſcriminis, quia, nempè, vnio humanitatis ad Verbum conuenit humanitati per reſpectum ad perſonalitatem Verbi, quæ relatiuè opponitur perſonalitati Patris: vndè, quamuis ſubiectiuè non opponatur vnioni eiuſdem humanitatis cum Patre, nec cum ipſo Patre, opponitur illis terminatiuè, relatiuè, ſcilicet, ratione termini, ad quem terminatur: & ſicut illius terminus eſt inaſſumptibilis à ſuppoſito terminante naturam terminatam ab ipſo: etiam vnio ab eodem ſuppoſito interminabilis, & inaſſumptibilis, aſſumpta, & terminata natura. Cæterum perſonalitas propria eſt modus intrinsecè afficiens naturam non formaliter, nec terminatiuè oppoſitus relatiuè ſuppoſito extraneo; & ideò, aſſumpta natura à ſuppoſito extraneo, perſonalitas propria neceſſariò debet aſſumi.

46 *Ad tertiam.* Ad tertiam antecedentis probationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis ſumitur ex D. Thoma *in 3. diſt. 5. q. 1. art 3. in corp.* vbi docet, de ratione perſonæ eſſe, quòd ſit ſubſiſtens diſtinctum omnia comprehendens, quæ in re ſunt; natura autem ſolum comprehendit prædicata eſſentialia. Ex quo infert, quòd ſi aliquid eſt extra illud, quod comprehendit perſona, hoc non eſt vnitum rei, niſi forte ſecundum ſimilitudinem, vel in genere, vel in ſpecie, vel in accidente. Cum autem perſona omnia terminet mediatè, vel immediatè, quæ in ſe comprehendit, ſequitur, eſſe de ratione perſonæ terminare omnia, quæ re vera conueniunt naturæ; ac proindè non poteſt non terminare perſonalitatem propriam naturæ creatæ, ſi illam terminat, propria perſonalitate retenta, cum hæc non ſecundum ſimilitudinem, ſed re vera, conueniat naturæ. Cæterum de ratione præſentiæ Sacramentalis huiuſmodi conditio non eſt, quòd, nempè, omnes res conuenientes comprehendat, & omnia præſentia Sacramentaliter reddat: vndè poteſt non modificare, nec præſentem reddere præſentiam localem, quamuis re vera corpori Chriſti conueniat, illamque modaliter intrinsecè afficiat. Hæc dicta ſint pro defenſione rationis Caietani, quæ abſque dubio factis obiectionibus difficilis redditur.

47 *Suadetur vlterius noſtra concluſio.* Poteſt tamen facilius noſtra ſententia ſuaderi, & implicationis ratio aſſignari ex dictis *diſp. 16.* quod enim dependet ab alio dependentia ſtricta, & cauſali, non poteſt è pluribus; vt plura ſunt, dependere adæquatè in nullo genere cauſæ; ſed natura in exiſtendo dependet à ſubſiſtentia, dependentia ſtricta, & cauſali: ergo non poteſt pluribus ſubſiſtentiis diſtinctis adæquatè terminari, ſed per propriam ſubſiſtentiam terminatur adæquatè, illiuſque dependentia in exiſtendo, adæquatè per propriam exiſtentiam expletur: ergo, propria ſubſiſtentia retenta, & per illam terminata, non poteſt, etiam de potentia abſoluta, per alienam creatam, vel increatam ſubſiſtentiam terminari, & conſequentèr implicat, quòd, retenta

ta perſonalitate propria, aſſumatur ab extranao ſuppoſito, & in illo ſubſiſtat. Quæ ratio in diuina natura comparata cum tribus ſubſiſtentijs relatiuis non militat; non enim ab illis in exiſtendo dependet, cum pro priori ad relationes ſupponatur perfectiſſimè exiſtens, ſed tantum ab illis accipit incommunicabilitatem perſonalem con-
48 ſtituendo tres perſonas. Nec etiam militat in natura creata, vt non poſſit ſimul terminari à tribus diuinis perſonis, & in illis ſubſiſtere, vt *ibidem* explicauimus; nam diuinæ perſonalitates conſiderari poſſunt dupliciter: primò, vt præſtant perſeitatem incommunicabilitatis, & prout ſic natura creata non dependet ab illis dependentia cauſali, ſed ſolum terminatiua: quo genere dependentiæ ſtat, vnum, & idem à pluribus dependere adæquatè intenſiuè, cum inadæquatione extenſiua. Secundò, vt præſtant perſeitatem independentiæ, & prout ſic non ſunt plures, ſed vnum: hoc enim habent ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam implicitè includunt, non tamen illam multiplicant; vndè ex hoc, quòd natura creata ſubſiſtens in perſona Filij ſimul terminaretur per ſubſiſtentiam Patris, non dependeret adæquatè à pluribus, vt plura ſunt, ſed à pluribus, vt vnum, in quo nulla implicatio inuenitur. Cæterum ſubſiſtentia propria naturæ creatæ à qualibet ſubſiſtentia, vel creata, vel diuina in perſeitate independentiæ diſtinguitur, & aliàs adæquatè exhaurit dependentiam propriæ naturæ; & ideò ab alia ſimul dependere non poteſt, quia ex hoc fieret, dependere à pluribus, vt plura ſunt, & cauſantia per diſtinctas virtutes, dependentia adæquata cauſali, quòd implicat. Sic arguit Capreolus *in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3 ad 1. Scoti contra ſecundam concluſ.* verſ. *Vndè quartò ad probationem minoris*. Eademque rationi implicationis vtitur Lorca, & Nazarius vbi *ſupra*, quamuis aliter explicata.

49 *Vltimò ſuadetur concluſio.*
Denique poteſt concluſio noſtra ſuaderi, & alia implicationis ratio aſſignari. Eatenus namque poteſt ſubſiſtencia diuina terminare naturam creatam, quatenus, quia eminentèr continet ſubſiſtentiam illi connaturalem, poteſt loco illius ſubrogari, eiuſque effectum ſupplere; ſed, ſtante perſonalitate propria actu terminante naturam, implicat ſubrogatio illius, & quòd ab alio eius effectus ſuppleatur, ergo implicat naturam creatam, propria perſonalitate retenta, per diuinam terminari, & conſequentèr implicat ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi. Maior conſtat ex dictis *tractatu præcedenti*, vbi oſtendimus, eſſentiam, & naturam creatam adæquatè ſpecificari à propria exiſtentia, & ſubſiſtentia, ideoque non poſſe ſubſiſtere, nec exiſtere, niſi vel per propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam, vel per diuinam, quæ proptèr eminentialem continentiam poteſt ſupplere effectum ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ creatæ. Minor autem conſtat; nam vnum loco alterius ſubrogari, & effectum eius ſupplere, eſſentialiter importat abſentiam illius, vice cuius ſubrogatur, & cuius effectum ſupplet: ergo, propria perſonalitate actu terminante naturam, implicat ſubrogatio loco illius, & quòd ab altero effectus eius ſuppletur.

50 *Suadetur ab auctoritate Conciliorum, & Patrũ.*
Solet etiam noſtra ſententia ſuaderi ab auctoritate Conciliorum, & Patrum inferentium, in Chriſto eſſe vnam tantum perſonam; ex eo quod humanitas fuit aſſumpta ad ſubſiſtentiam diuinam; ſed hæc illatio eſſet nulla, ſi natura creata, propria perſonalitate retenta, poſſet terminari per diuinam: ergo ex mente Conciliorum, & Patrum implicat naturam creatam retinentem propriam perſonalitatem per diuinam terminari, & ſubſiſtere in diuino ſuppoſito. Conſequentia tenet, minor conſtat, nam illatio, in qua cum veritate antecedentis ſtare poteſt falſitas conſequentis, bona non eſt; ſed ſi humanitas, propria perſonalitate retenta, poſſet Deo hypoſtaticè vniri verum eſſet antecedens, nempè, humanitatem eſſe aſſumptam ad diuinam ſubſiſtentiam, & conſequens falſum nempe, in Chriſto eſſe tantum vnam perſonam, cum in eo caſu duæ perſonæ eſſent in Chriſto, nempè, increata, & creata: ergo, ſi id eſſet poſſibile, illatio facta eſſet nulla in probationem maioris plura Patrum, & Conciliorum teſtimonia cogeruntur; ſufficit tamen quod ex quinta Synodo generali *collat. 8. can. 5.* deſumitur, illis verbis: *Si quis non confitetur Dei Verbum carni ſecundum ſubſiſtentiam vnitum, & propter hoc vnam eius ſubſiſtentiam, ſeu vnam perſonam, anathema ſit*. Ex quibus in hunc modum arguitur: cauſalis propoſitio ad ſui veritatem requirit, quòd ſit bona conſequentia, vt tyronibus Dialecticæ eſt notum; ſed quia Dei Verbum eſt humanitati ſecundum ſubſiſtentiam vnitum, iuxta Concilium eſt in Chriſto vna tantum perſona, & vnica ſubſiſtentia: ergo ex mente Concilij bona eſt iſta conſequentia: *Humanitas fuit vnita Verbo ſecundum hypoſtaſim: ergo in Chriſto non eſt duplex hypoſtaſis vel perſona*.

51 *Si dicatur.*
Nec argumentum ſoluitur, ſi dicatur rationes, quibus Concilia ad diffiniendum mouentur, non eſſe de fide; atque ideò, etſi de fide ſit in Chriſto eſſe tantum vnam perſonam, quòd directè à Concilijs diffinitur, non colligitur rationem, qua ad id mouentur, eſſe efficacem; ac proinde non inferunt, quòd illatio facta ſit bona. Nam in contrarium arguitur: licet namque rationes à Concilijs factæ non cenſeantur eſſe de fide; ſunt tamen ingentis auctoritatis: ergo licet de fide non ſit, implicare, quòd natura creata, propria perſonalitate retenta, terminetur per diuinam; erit tamen Patrum, & Conciliorum ſenſu approbata, quamuis non vt veritas fidei; vt vera tamen ſententia, quod illius Auctoribus ſufficit; non enim contendunt, ſuam ſententiam eſſe de fide.

In contrarium arguitur.

52 *Secundò alij reſpondent.*
Secundò reſpondetur ab alijs, vt conſequentia à Concilijs facta ſit bona; ſufficere, quòd perſonalitas propria; & aliena pugnent ex natura rei: ſicut abſentia panis in Sacramento Eucharistiæ, à Concilijs, & Patribus rectè colligitur ex præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus, quamuis corpus Chriſti, & ſubſtantia panis non pugnent pugna eſſentiali, ſed tantum connaturali. Contra quam ſolutionem obijciunt Auctores noſtræ ſententiæ; nam etiam eſt naturalitèr impoſſibilis exiſtentia naturæ creatæ ſine propria ſubſiſtentia: ergo ſi exiſtentia perſonalitatis creatæ cum diuina actu terminante naturam non repugnat eſſentialiter, ſed tantum connaturalitèr, non eſt, cur inferatur ex terminatione humanitatis per diuinam ſubſiſtentiam negatio propriæ perſonalitatis in illa.

Impugnatur.

53 *Reſpondebis.*
Reſpondebis, quòd licet negatio propriæ perſonalitatis in natura creata ſit naturaliter impoſſibilis, ſuppoſita terminatione per diuinam ſubſiſtentiam conſequitur naturaliter: & quia terminatio per diuinam ſupponitur, rectè à Patribus negatio propriæ perſonalitatis colligitur. Sed contra; nam licet negatio propriæ perſonalitatis in natura creata ex terminatione per diuinam ſubſiſtentiam ſequatur connaturalitèr; non tamen ad illam conſequitur conſecutione eſſentiali; ſed etiam exiſtentia vtriuſque terminationis, quamuis naturalitèr ſit impoſſibilis, non tamen repugnantia eſſentiali: ergo non eſt, cur negatio perſonalitatis propriæ inferatur, & exiſtentia negetur.

Contra.

54 *Dices.*
Dices: in coexiſtentia propriæ perſonalitatis, cum diuina actu terminante naturam creatam, duplex interuenire miraculum, nempè, quòd natura creata per diuinam ſubſiſtentiam ſubſiſtat, & quòd ſubſiſtat ſimul per propriam perſonalitatem. In terminatione autem per diuinam ſubſiſtentiam, & negatione perſonalitatis propriæ vnum tantum miraculum intercedit, & quia miracula ſine neceſſitate multiplicanda non ſunt, fit, quòd rectè colligatur ex terminatione per diuinam ſubſiſtentiam negatio propriæ perſonalitatis in humanitate, & vtriuſque perſonalitatis coexiſtentia negetur.

55 *Sed contra.*
Sed contra; nam miraculum ſeparabile ab alio eſt miraculum ab illo diſtinctum; ſed negatio propriæ ſubſiſtentiæ in natura creata miraculum eſt, & vt contrarij Auctores fatentur, eſt ſeparabilis prædicta negatio à terminatione per diuinam perſonalitatem de potentia abſoluta: ergo eſt miraculum diſtinctum à miraculo terminationis; & conſequenter duplex intercedit miraculum. Dices, eſſe duplex miraculum veluti entitatiuè; non tamen formaliter, eo quòd ſecundum eſt cum primò connexum, ſaltem ex natura rei; at vero in coexiſtentia vtriuſque perſonalitatis duplex miraculum inconnexum; & conſequentèr formalitèr diſtinctum, interuenit. Et quia vel miracula multiplicanda non ſunt, vel ſaltim minori miraculo eſt ſtandum niſi oppoſitum reueletur, fit, vt coexiſtentia rectè negetur, & negatio propriæ perſonalitatis ex terminatione per diuinam benè inferatur.

Dices.

56 *Sed contra.*
Sed contra; nam licet, connexione attenta, maius miraculum ſit coexiſtentia vtriuſque perſonalitatis, quam terminatio per diuinam, & negatio propriæ perſonalitatis; inſpecta verò capacitate humanitatis, maius miraculum eſt negatio propriæ perſonalitatis compoſita

cum terminatione per diuinam, quam vtriuſque coexiſtentia: ergo non eſt, cur inferatur negatio, & coexiſtentia negetur; imò eſt, cur exiſtentia vtriuſque perſonalitatis adſtruatur; Deus namque in myſterio Incarnationis maximè perfectioni humanitatis conſuluit. Antecedens probatur: nam terminatio per ſubſiſtentiam propriam eſt naturæ connaturalis, imò, vt plures non improbabiliter docent, in illam natura inclinat, eamque appetit appetitu naturali innato per modum deſiderij, adhuc ſuppoſita terminatione perſonalitatis diuinæ; negatio autem propriæ perſonalitatis non eſt connaturalis naturæ, ſed illam reſpicit ratione potentiæ obedientialis: ergo attenta capacitate naturæ maius miraculum eſt terminatio per diuinam ſubſiſtentiam, & negatio propriæ perſonalitatis, quam vtriuſque coexiſtentia, quidquid ſit, ſi connexio, vel connexio inſpiciatur.

57 *Diſcrimen aſſignatur.* Et ex his diſcrimen apparet inter noſtrum caſum, & exemplum abſentiæ panis, adhuc dato, quòd corpus Chriſti vt terminans conuerſionem panis in ipſum, non habeat cum ſubſtantia panis incompatibilitatem eſſentialem, ſed tantum connaturalem, de quo *infra quæſt. 75.* Cum enim ex vna parte connaturalis repugnantia ſupponatur, & ex alia non ſit aliqua cōgruentia, vt panis exiſtētia perſeueret; non enim panis perfectioni fuit adeò conſultum in Sacramento Euchariſtiæ; ſit conſequens, quòd illius abſentia ex præſentia corporis Chriſti rectè inferatur; in myſterio autem Incarnationis, quod maximè Deus attendit, fuit naturæ humanæ perfectio, & illius exornatio, & cum ipſa naturaliter propria perſonalitate perficiatur; ſit conſequens, vt ſi illius coexiſtentia cum diuina non repugnet eſſentialiter, ſed tantum connaturaliter, negatio propriæ perſonalitatis ex terminatione per diuinam ſolidè non colligatur.

58 *Tertia ſolutio.* Tertiò ab alijs reſpondetur, negationem perſonalitatis creatæ colligi, non propter oppoſitionem cum diuina actu terminante humanitatem; hæc enim oppoſitio non datur, nedum eſſentialis, verùm nec connaturalis, nec ob talem oppoſitionem perſonalitas diuina impediuit perſonalitatem creatam, & induxit negationem illius, ſed ex veritate verborum Sacræ Scripturæ, in qua Chriſtus fatetur vnitatem ſui cum Patre, iuxta illud: *Ego, & Pater vnum ſumus.* Cuius propoſitionis veritas non ſubſiſteret, ſi in Chriſto eſſet duplex perſona, cum perſona Chriſti creata vnum cum Patre non eſſet. *Io. c. 17.* Quod autem perſonalitas diuina non induxerit negationem perſonalitatis creatæ propter phyſicam oppoſitionem probant Recentiores quidam; quia ad hoc neceſſum erat, quòd perſonalitas diuina terminaſſet humanitatem prius natura, quam foret ad eandem conſequenda perſonalitas propria; ſed hoc ita in præſenti non accidit: ergo non induxit negationem perſonalitatis creatæ propter phyſicam oppoſitionem. Maiorem ſupponunt, & minorem probant; nam perſonalitas diuina terminauit humanitatem in eodem ſigno rationis, in quo propria perſonalitas illa terminaret, ſi aſſumpta à Verbo non fuiſſet: ergo non prius natura.

59 *Reijcitur prædicta ſolutio 1. ex D. Th.* Hæc tamen ſolutio eſt omninò inſufficiens, & in primis aduerſatur Diuo Thomæ *in præſenti quæſt. 4. art. 2. ad 3.* vbi docet, perſonam diuinam ſua vnione impediuiſſe, ne humana naturam propriam perſonalitatem haberet, & ſic explicat Innocentium tertium aſſerentem: *Perſonam diuinam conſumpſiſſe perſonam humanam:* ergo ſentit D. Thom. inter perſonalitatem diuinam, & creatam, eſſe oppoſitionem, ſaltem ex natura rei, in ſimul terminando naturam, illamque, ſufficientem anteceſſionem habuiſſe, vt reſultantiam perſonalitatis propriæ impediret. *Secundò.* Deindè pugnat cum verbis Innocentij aſſerentis, perſonam diuinam conſumpſiſſe perſonam hominis, quod non poteſt aliter explicari, niſi per hoc, quòd impedimentum fuerit reſultantiæ perſonalitatis creatæ, cum de fide ſit, non præextitiſſe ante vnionem: ergo ex verbis Innocentij colligitur terminationem perſonalitatis ſufficientem anteceſſionem habuiſſe, vt impediret reſultantiam perſonalitatis creatæ. *Tertiò.* Tertiò, nam ea, quæ adduximus ad probandam repugnantiam eſſentialem, ad minus connaturalem ſuadent.

60 *Quartò.* Quartò, ſi namque perſonalitas propria non pugnaret, ſaltem ex natura rei, cum perſonalitate diuina actu terminante humanitatem, non eſſet humanitas propria perſonalitate priuata; ſed de fide eſt, propria perſonalitate carere: ergo inter vtramque vt actu terminantem naturam, datur phyſica oppoſitio. Minor conſequentia tenet; maior autem oſtenditur primò, quia namque ſcientia beata, ſcientia infuſa, & ſcientia naturalis non habent inter ſe repugnantiam, omnes concedunt in Chriſto, quamuis obiecta cognita per infuſam, & acquiſitam, per beatam cognoſcantur: ergo, ſi perſonalitas diuina, & creata nullam oppoſitionem haberent de facto fuiſſent in Chriſto. Secundò, nam ideò omnes illæ ſcientiæ animæ Chriſti attribuuntur, quia ad omnes eſt in potentia, & per omnes illius intellectus perficitur, oportuitque vt omnis illius potentia eſſet ad actum reducta, aliàs fuiſſet aliqua eius potentia imperfecta priuatiuè; ſed perſonalitas propria eſſet perfectio humanitatis illam terminans modo connaturali, & in potentia naturali recepta: ergo, ſi eius terminatio non eſſet ex natura rei oppoſita cum perſona diuina, vt actu terminante humanitatem, de facto in humanitate exiſteret, vt omnis illius potentia eſſet ad actum reducta, & ne humanitas eſſet priuatiuè imperfecta.

Denique nam verba ex Synodo quinta adducta non poſſunt ſine oppoſitione vtriuſque perſonalitatis ſaluari: ergo talis oppoſitio debet neceſſariò admitti. Probatur antecedens; ait enim, Verbum fuiſſe carni ſecundum ſubſiſtentiam vnitum, & propter hoc in Chriſto vnam tantum eſſe perſonam: ergo humanitatem fuiſſe ſubſiſtentiæ Verbi vnitam, cauſa fuit, vt vna tantum ſubſiſtentia ſubſiſteret: & conſequenter fuit cauſa negationis perſonalitatis propriæ; ſed ſi vtraque perſonalitas eſſet ex natura rei in humanitate poſſibilis, vnio ad diuinam ſubſiſtentiam, non fuiſſet cauſa negationis perſonalitatis propriæ; forma namque cum altera compoſſibilis non cauſat negationē illius: ergo, vt ſaluetur veritas propoſitionis ex quinta Synodo adductæ, neceſſariò eſt concedenda oppoſitio, ſaltem ex natura rei inter perſonalitatem diuinam, & perſonalitatem creatam, in ſimul terminando naturam. 61 *Quintò.*

Nec motiuum Recentiorum alicuius ponderis eſt, nam prioritas naturæ eſt prioritas cauſalitatis, ac proindè, ſolum conuenit cauſæ comparatiuè ad effectum; ſed terminatio perſonalitatis diuinæ non fuit cauſa reſultantiæ perſonalitatis propriæ, ſed potius non reſultantiæ: ergo ſufficit, quòd natura præcedat negationem reſultantiæ perſonalitatis propriæ; non autem requiritur, quòd ſit prior reſultantia propriæ perſonalitatis ſub conditione, quod non præueniret à Verbo. Anteceſſio autem, vel prioritas naturæ perſonalitatis diuinæ, vt terminantis humanitatem reſpectu negationis perſonalitatis propriæ, à nullo Theologorum negatur; hæc namque propoſitio eſt vera. *Ideò in humanitate propria ſubſiſtentia non datur, ſubſiſtit per diuinam;* in quo prioritas naturæ conſiſtit: ſicut rationalitas eſt prior natura, riſibilitate, eo quod homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis. Fuit ergo in perſona Verbi, vt terminante humanitatem, illa naturæ prioritas, quæ ſufficit, vt ex natura reſultantiam perſonalitatis propriæ impediret, ad quod ſufficit, quod in eodem inſtanti reali, in quo foret perſonalitas propria, per diuinam terminetur. 62 *Motiuum Recentiorum non vrget.*

§. Vltimus.

Argumentis in contrarium occurritur.

EX DICTIS conſtat ſolutio rationis dubitandi cum cum ſuis confirmationibus. Iam enim rationes implicationis aſſignauimus, & diſparitatem dedimus inter propriam perſonalitatem reſpectu naturæ creatæ, & perſonalitates diuinas: tùm, comparatiuè ad naturam propriam: tum etiam, reſpectu extraneæ; nam propria perſonalitas terminat naturam creatam adæquatè intenſiuè, & extenſiuè, cum qua adæquatione implicat, per aliam ſubſiſtentiam terminari. Nulla autem perſonalitas diuina cum natura propria aut extranea adæquatur extenſiuè, eo quod in omnibus vnica ratio ſubſiſtendi inuenitur, ſumpta ſubſiſtentia pro perſeitate independentiæ. 63 *Rationi dubitandi occurritur.*

64 *Primò arguitur à contrarijs ex Damaſceno.* Reſtat modò alijs argumentis occurrere. Primò arguitur ex Damaſceno *lib. quomodo ad imaginem Dei facti ſumus,* illis verbis: *Dei Filius ſalutari Patris voluntate factus eſt homo, naturamq; humanam ſibi vnit cum humana volun-*

voluntate, qua natura eſt, coniunxit; hominis autem hypoſtaſim non coniunxit. Et rationem reddit; *ne natura humana voluntas, qua natura attribuitur voluntate, ea, qua attingit, à diuina voluntatis praſcriptione diſcederet, ſed ei ſponte pareret in omnibus.* Ex quibus verbis tale argumentum conſurgit. Damaſcenus docet, ideò Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, non autem hypoſtaſim hominis ne fieret aſſumptio cum qua ſtaret peccabilitas: ergo ſupponit, aſſumptionem hypoſtaſis eſſe poſſibilem.

Probatur conſequentia primò; quia ſi repugnaret, non ideò eſſet ſumpta non fuiſſet hypoſtaſis, vt peccabilitas vitaretur, ſed quia eſſet impoſſibilis. Secundò; quia namque Apoſtolus, Dei benignitatem in homines præ Angelis commendat, quòd humanam, non Angelicam, aſſumpſit naturam inferunt communiter Theologi, & Nos cum ipſis *præcedenti diſputatione* intulimus, aſſumptionem naturæ Angelicæ eſſe poſſibilem; ſed Damaſcenus ait Verbum non aſſumpſiſſe hypoſtaſim hominis, ne voluntas hypoſtaſis poſſet è voluntate Dei diſcedendo peccare: ergo ſupponit, potuiſſe hypoſtaſim aſſumere.

65 *Reſpondeo primò.* Reſpondeo primò, in *teſtimonio adducto* duplicem voluntatem diſtingui, vnam naturæ, & aliam hypoſtaſis, quod phyloſophiæ, & Theologiæ aduerſatur: in homine namque vnam tantum voluntatem eſſe, quæ naturæ vt *quo*, & ſupposito *vt quod* attribuitur, in ſuis operationibus, omnibus eſt manifeſtum: vndè dubitari poteſt de veritate translationis; non enim tam abſurda doctrina eſt Damaſceno attribuenda. *Secundò.* Secundò reſpondeo, cum Damaſcenus in *teſtimonio allegato*, docet, Verbum coniunxiſſe ſibi, naturam, & illius voluntatem, loqui de coniunctione phyſica per vnionem ad diuinam ſubſiſtentiam; cum autem docet non coniunxiſſe ſibi hypoſtaſim hominis, loqui de coniunctione, quam Hæretici docebant, ſcilicet, per ſolum affectum, & ſpecialem amorem, & huius rationem reddit, nè voluntate hypoſtaſis naturæ humanæ à Dei voluntate diſcederet; hæc autem affectiua ſolum coniunctio, quam Hæretici aſſtruebant, poſſibilis fuit, tametſi de facto à Concilijs contra Hæreticos damnata. *Tertiò.* Tertiò reſponderi poteſt, loqui Damaſcenum de coniunctione hypoſtaſis hominis, non ad ſubſiſtentiam diuinam, ſed ad diuinam exiſtentiam; hanc autem fuiſſe poſſibilem de potentia abſoluta poſtea admittemus.

66 *Quartò.* Denique reſponderi poteſt, admittendo, loqui Damaſcenum de coniunctione phyſica hypoſtaſis hominis ad ſubſiſtentiam diuinam, negando conſequentiam; potuit enim dictam coniunctionem negare ob rationem aſſignatam, nempè, ne natura humana voluntate hypoſtaſis è Dei voluntate diſcederet, non ſupponendo, fuiſſe prædictam vnionem poſſibilem; ſed ab hac quæſtione præſcindendo; an ſcilicet, poſſibilis, ſit vel non ſit, factum ea ratione negando. Nec eſt eadem ratio de benignitate in homines, quam Paulus commendat præ Angelis, eo quòd non Angelicam, ſed humanam aſſumpſit naturam: vt enim beneficium vni conceſſum, & negatum alteri, & ſpecialem amorem oſtendat, vtrique debet eſſe poſſibile: vnde, quòd Deus homini rationem conceſſerit, & bruto negauerit, non eſt ſignum amoris ſpecialis ad hominem, eo quòd rationalitas bruto repugnat. At quidem Damaſcenum debere à contrarijs Auctoribus explicari, Mihi manifeſtum eſt, nam loquitur de hypoſtaſi hominis; hanc autem aſſumi non poſſe à Deo, etiam de potentia abſoluta, contrarij Auctores fatentur.

67 *Secundò arguitur.* Secundò arguitur: perſonalitas propria, & diuina non opponuntur virtualiter contradictoriè in ordine ad naturam creatam: ergo poſſunt de potentia abſoluta illam ſimul terminare; & conſequenter, huiuſmodi inſpecta potentia, poteſt natura creata, propria perſonalitate retenta, per diuinam terminari, & in ſupposito diuino ſubſiſtere. Conſequentia tenet, nam extrema poſitiua, quæ ſolum opponuntur contrariè, poſſunt ſimul in eodem ſubiecto exiſtere de potentia abſoluta, vt conſtat in calore, & frigiditate, quæ quia ſolum contrariè opponuntur, poſſunt in eodem ſubiecto, etiam in gradibus intenſis, exiſtere de potentia abſoluta. Illa autem, quæ contradictoriè virtualiter opponuntur, nullatenus coexiſtere valent, eo quòd ex illorum coexiſtentia ſequuntur duæ contradictoriæ veræ, quarum ſimultanea veritas diuinæ omnipotentiæ non ſubiacet, vt de odio, & amore in eodem ſubiecto reſpectu eiuſdem obiecti ſecundum eandem rationem, communis ſententia docet; eo quod odium; & amor formaliter pugnant contrariè, & contradictoriè virtualiter: ergo ſi perſonalitas propria naturæ creatæ, & perſonalitas diuina non opponuntur virtualiter contradictoriè, poſſunt ſimul terminare naturæ creata de potentia abſoluta.

68 Antecedens autem probatur: oppoſitio virtualis contradictoria debet eſſe de eodem ſubiecto ſecundum eandem rationem; ſed perſonalitas diuina, & perſonalitas propria naturæ creatæ, quamuis comparentur ad eandem naturam, non tamen ſecundum vnam, & eandem rationem: ergo in eius terminatione non opponuntur virtualiter contradictoriè. Conſequentia tenet, minor eſt certa; nam perſonalitas diuina terminat naturam creatam ratione potentiæ obedientialis; propria autem perſonalitas illam terminat ratione potentiæ naturalis; ſed potentia naturalis, & potentia obedientialis ſunt potentiæ, ratione ſaltem diſtinctæ: ergo non comparantur cum natura creata nec de illa verificantur ſecundum vnam, & eandem rationem. Maior autem probatur: contradictio namque virtualis conſiſtit in incluſione contradictionis formalis; ſed ad formalem contradictionem requiritur, quòd ſit affirmatio, & negatio einſdem prædicari de eodem ſubiecto ſecundum eandem rationem: vndè ſola diſtinctio rationis, quæ inter eſſentiam diuinam, & perſonam inuenitur, ſufficit, vt de eſſentia negetur, quod de perſone affirmatur, & è contra, vt docet Diuus Thomas *prima part. quæſtione 39. artic. primo ad ſecundum*, quin ex hoc inferatur contra leges oppoſitionis contradictoriæ, quòd duæ contradictoriæ ſimul verificentur: ergo ad contradictorium virtuale, requiritur, quòd extrema oppoſita virtualiter contradictoriè reſpiciant idem ſubiectum ſecundum eandem rationem.

69 *Reſpondeo.* Reſpondeo, hoc argumentum, ſi quid probat, conuincere, nullam entitatem naturalem poſſe cum entitate ſupernaturali pugnare contradictoriè virtualiter; & conſequenter peccatum, nec cum gratia, nec cum vnione hypoſtatica repugnantiam eſſentialem habere, quorum primum eſt contra frequentiorem Theologorum ſententiam, & ſecundum communi ſententiæ aduerſatur. Probat etiam, odium, & amorem ſupernaturalem reſpectu eiuſdem obiecti poſſe ſimul eſſe in eodem ſubiecto de potentia abſoluta. Probat denique, non ſolum repugnantiam eſſentialem, verum etiam, nec connaturalem reperiri poſſe inter duas entitates, quarum vna naturalis ſit, & altera ſupernaturalis, nam etiam ad oppoſitionem contrariam, & connaturalem ſine incluſione virtualis contradictionis identitas ſubiecti requiritur: ergo ſi ad repugnantiam eſſentialem cum incluſione virtualis contradictionis eſt neceſſaria, non ſolum identitas reali ſubiecti, ſed etiam identitas rationis in ratione *quo* ſubiectiua, id ipſum neceſſarium erit ad repugnantiam connaturalem per oppoſitionem contrariam; & conſequenter inter odium, & amorem ſupernaturalem, inter peccatum mortale, & vnionem hypoſtaticam, non ſolum non erit repugnantia eſſentialis, ſed nec etiam repugnantia connaturalis, vel ex natura rei.

70 *Reſpondetur in forma.* Vndè in forma nego antecedens; ad illius probationem, diſtinguo maiorem: de eodem ſubiecto *quod*, concedo maiorem: De eodem ſubiecto *quo*, etiam ſecundum rationem, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam, nam licet potentia obedientialis, & potentia naturalis diſtinguentur diſtinctione rationis; quia tamen potentia obedientialis, & potentia naturalis non ſunt, quæ vt *quod* terminantur per ſubſiſtentiam propriam, & alienam, ſed natura: & hæc eſt eadem, fit, *vt* inter perſonalitatem diuinam, & creatam, vt ſimul terminantes, naturam, contradictio virtualis intercedat. Sicut, quia natura ipſa eſt, quæ ſanctificatur per vnionem hypoſtaticam, & quæ peccati macula fœdatur quamuis ad vnionem comparetur ratione potentiæ obedientialis, & ad peccatum ratione capacitatis naturalis, datur ſufficiens ſubiecti identitas, vt inter vnionem hypoſtaticam, & peccatum habituale intercedat virtualis contradictio. *Probatio maioris nõ vrget.* Nec probatio maioris vrget contra hanc diſtinctionem; nam diſtinctio rationis, quæ inter eſſentiam, & relationes verſatur, eſt inter ſubiecta, quæ, & de quibus *vt quod* verificantur affirmatio, & negatio, videlicet: *Eſſentia communicatur Filio, paternitas non communicatur, paternitas eſt diſtincta realiter à filiatione, eſſentia non eſt diſtincta.* Quando autem diſtinctio, quamuis ſit ſolùm rationis, eſt inter ſubiecta, de quibus vt *quod* contradictoria dicuntur, ſaluant cum

D. Thom. contradictionem formalem, aut virtualem ceſſare.

71 *Tertium argumentum proponitur.* Tertiò arguitur: poteſt perſona creata propria exiſtentia priuari, & vniri cum diuina exiſtentia: ergo poterit etiam aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina. Antecedens patet: nam creata perſonalitas eſt prior exiſtentia creata, vt cum frequenti Thomiſtarum ſententia docuimus *tractatu de diuinis perſonis*: ergo natura terminata propria perſonalitate poteſt de potentia abſoluta terminari per diuinam exiſtentiam. Conſequentia autem probatur: tùm, à paritate rationis. Tum etiam, quia, vt docet Diuus Thomas *infra quæſt. 17. art. ſecundo*, ſubſiſtentia conſtituit ſuſceptiuum exiſtentiæ: ergo non poteſt diuina exiſtentia vniri abſque præuia ſubſiſtentia diuina eidem extremo vnita. Tertio, nam perſona creata, tunc caſus, non exiſteret per ſe, cum exiſteret per exiſtentiam extraneam: ergo exiſteret in diuino ſuppoſito; & conſequentèr eſſet vnita ſubſiſtentiæ diuinæ. Denique, nam omnis vnio ſubſtantialis cum Deo eſt in natura, vel in perſona; ſed vnio perſonæ creatæ cum diuina exiſtentia non eſſet vnio in natura: ergo eſſet vnio in perſona, & conſequenter vniretur cum ſubſiſtentia diuina.

72 *Reſpondetur 1.* Huic argumento reſponderi poteſt primò, negando antecedens: tum, propter ea, quibus conſequentiam probauimus. Tum etiam, quia ex tali vnione non poſſet reſultare vnum per accidens, cum perſona creata traheretur ad diuinam exiſtentiam; qua ratione probatur à Diuo Thoma, ex humanitate, & Verbo reſultare vnum per ſe. Nec poſſet reſultare vnum per ſe; quia ad hoc neceſſariò exigitur, aliquod extremum incompletum præſupponi, quod in illa vnione non accidit, nam perſona creata præſupponitur completa, cum perſonalitas ſit vltimum complementum naturæ; exiſtentiæ autem diuinæ incompletio, vtpotè imperfectio, repugnat: ergo vnio illa repugnat.

73 *Reijcitur tradita ſolutio.* Hæc tamen ſolutio non placet; cum enim perſonalitas creata prior ſit exiſtentia, poteſt perſona per propriam perſonalitatem conſtituta, & completa, exiſtentia propria priuari, & per diuinam exiſtere. *Si reſpondeatur.* Si dicas, non poſſe exiſtentia propria priuari, quia licet illam præcedat; eſt tamen cum illa eſſentialitèr connexa. *In contrarium obſtat.* In contrarium obſtat; nam etiam natura creata ſub actualitate eſſentiæ eſt cum exiſtentia propria connexa, & tamen poteſt exiſtentia propria priuari, & per diuinam exiſtere: ergo, quamuis perſona creata ſit cum exiſtentia propria connexa connaturaliter; non tamen cum illa eſſentialiter connectitur, ſed poterit illa priuari, exiſtendo per exiſtentiam diuinam, vel illius reſultantia impediri, præuia vnione cum diuina exiſtentia.

74 *Si dicas.* Si dicas, diſparem eſſe rationem, eo quod actualitas eſſentiæ naturæ creatæ, non niſi media ſubſiſtentia cum exiſtentia propria connectitur: vndè, cum poſſit reſultantia, aut conuenientia propriæ ſubſiſtentiæ impediri præuia vnione cum ſubſiſtentia diuina; ſit conſequens, quòd poſſit propria exiſtentia priuari. Perſona autem creata immediatè cum exiſtentia propria connectitur, vt illius immediatum ſuſceptiuum, & idcirco non poteſt perſona creata propria exiſtentia priuari.

In contrarium arguitur. In contrarium arguitur: nam licet connexio naturæ creatæ ſub actualitate eſſentiæ cum exiſtentia propria ſit mediata: cum ſubſiſtentia autem propria eſt immediatè connexa, vt illius ſuſceptiuum immediatum; & tamen poteſt de potentia abſoluta propria ſubſiſtentia priuari: ergo, quòd perſona creata immediate ſit cum exiſtentia propria connexa, non probat; implicare, quòd exiſtentia propria priuetur. *Nec vrget motiuum.* Nec motiuum in oppoſitum vrget; nam ex vnione prædicta reſultaret vnum per ſe, non in linea entis prædicamentalis, ſed entis participaliter ſumpti: ſicut ex perſona creata, & propria exiſtentia reſultat vnum per ſe perſeitate entis participialitèr ſumpti.

75 *Vera ſolutio.* Vndè ad argumentum reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ad primam probationem, nego paritatem rationis; diſcrimen autem ex *proximè* dicendis conſtabit. *Ad ſecundam probationem.* Ad ſecundam explico, & diſtinguo antecedens: ſuſceptiuum connaturale, concedo antecedens: eſſentiale, nego antecedens, & conſequentiam; ſolum enim ſequitur, vt vnio exiſtentiæ diuinæ cum natura creata ſiat modo connaturali iuxta ordinem hypoſtaticæ ſupernaturalis vnionis debere vnionem ſubſiſtentiæ diuinæ præire; non autem, vt abſolutè ſiat; nam ſicut, doctrina illa Diui Thomæ non obſtante, poteſt diuina exiſtentia vniri cum natura creata abſque eo, quòd diuina ſubſiſtentia terminetur vt docet Vincentius *relectione de Gratia Christi quæſtione 5. concluſione tertia pag. 460.* ita etiam poteſt exiſtentia diuina vniri cum natura creata, etſi propria ſubſiſtentia terminata ſupponatur, de potentia abſoluta. *M. Vincentius.*

76 *Ad tertiam.* Ad tertiam conſequentiæ probationem, nego antecedens; cum enim perſeitas à perſonalitate tribuatur, quamuis exiſtentia ſit aliena, dummodò ſubſiſtentia, aut perſonalitas propria ſit, denominatio per ſe exiſtentis reſultat: non per ſe exiſtentis per exiſtentiam propriam, ſed per alienam.

Ad vltimam. Ad vltimam, nego maiorem, nam licet omne, quod vnitur ſubſtantialitèr cum Deo, debeat vniri, vel prædicato communi, vel prædicato proprio, & perſonali, cum medium inter huiuſmodi prædicata non detur; non autem omnis vnio ſubſtantialis cum Deo debet eſſe in natura, hoc eſt, ita vt vna natura reſultet, vel in perſona, id eſt, quòd ex tali vnione reſultet vna perſona, cum poſſit reſultare vnum exiſtens vnitate per ſe entis participialitèr ſumpti, vt *proximè* dicebamus. Nec ſequitur ex noſtra ſententia, poſſe perſonam creatam a Deo hypoſtaticè aſſumi: vt enim *diſputatione 15.* dicebamus, ad aſſumptionem requiritur, quòd natura aſſumpta in concreto de aſſumente prædicetur, ad quòd vnio cum diuina exiſtentia non ſufficit ſed neceſſariò requiritur vnio cum ſubſiſtentia diuina, vt *ibidem* oſtendimus.

77 *Oppoſitio contra doctrinam traditam.* Vnica tamen obiectio ſupereſt contra hanc doctrinam: vt enim *diſput. 15. §. primo num 18.* contra Durandum oſtendimus, non ſtat, humanitatem vniri cum hoc Deo, vt communi tribus perſonis, quin ſaltim ex conſequenti cum ipſis perſonis vniatur, & de illis prædicetur, quod etiam *in ſecunda parte eiuſdem diſputationis* docuimus: ergo paritèr non ſtabit vnio immediata cum exiſtentia diuina abſque vnione, ſaltim mediata, cum diuina ſubſiſtentia: ac proindè, ſi perſona creata non poteſt cum Dei exiſtentia vniri, poterit etiam vniri cum diuina ſubſiſtentia. Secunda conſequentia ex prima euidentèr colligitur; prima autem probatur; non enim alia ratione vnio immediata cum hoc Deo ſtare nequit abſque mediata vnione cum perſonis diuinis, niſi quia hic Deus eſt identificatus cum illis; ſed exiſtentia diuina eſt idem cum ſubſiſtentia: ergo non ſtat vnio immediata cum exiſtentia diuina abſque vnione, ſaltim mediata, cum diuina ſubſiſtentia.

78 *Reſpondeo.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: vnione mediata materiali, concedo conſequentiam: formali, nego conſequentiam: vt enim vnio mediata formalis colligeretur, oporteret, vt ex vnione immediata cum exiſtentia diuina, reſultaret vnio cum diuina ſubſiſtentia, vt præbente extremo vnito ſuum effectum formalem, illud conſtituendo ſubſiſtens; huiuſcemodi autem vnio cum diuina ſubſiſtentia, non infertur ex immediata vnione cum exiſtentia diuina, eo quòd in perſona creata eſt capacitas, vt effectum, vel quaſi effectum diuinæ exiſtentiæ recipiat, quia per ſuam perſonalitatem non eſt vltimò completa in ordine ad exiſtendum; non autem eſt capax effectus, vel quaſi effectus diuinæ ſubſiſtentiæ propter oppoſitam cauſam, nempè, quia in ordine ad ſubſiſtendum vltimò completa ſupponitur. *Ad probationem conſequentiæ dicitur.* Ad probationem conſequentiæ, quatenus diſtinctioni traditæ obeſſe poteſt, dicitur, cauſalem in maiori aſſignatam adæquatam non eſſe, ſed inſuper, quia in natura huic Deo immediatè vnita, eſt capacitas, nedum vt terminetur abſoluta ſubſiſtentia, ſed etiam per relatiuas, quibus conſtituuntur perſonæ, cuius oppoſitum in noſtro caſu contingit.

79 *Dices.* Sed dices, ſequitur ex hac doctrina, poſſe naturam creatam propria exiſtentia exiſtétem aſſumi ad ſubſiſtentiam diuinam, & per illam terminari: conſequens eſt falſum in doctrina D. Thomæ *infra q. 17. art. 2.* vbi contrarium à Thomiſtis ex Angelico Doctore deducitur: ergo & noſtræ ſolutionis doctrina. Prob. ſequela: ideò natura creata per propriam ſubſiſtentiam completa poteſt vniri cum exiſtentia diuina, quia in ordine ad exiſtendum

ſup-

ſupponitur incompleta, ſed etiam completa per exiſtentiam, ſupponitur incompleta in ordine ad ſubſiſtendum: ergo exiſtens per exiſtentiam creatam poterit vniri cum ſubſiſtentiam diuinam.

80 *Reſponder.* Reſpondeo, negando ſequelam, ad probationem diſtinguo cauſalem maioris: quia incompleta præſupponitur, & capax, vt compleatur per exiſtentiam diuinam, concedo maiorem: præciſè, quia ſupponitur incompleta in ordine ad exiſtendum, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: vt enim *infra q. 17. art. 2.* à Diſcipulis D. Thomæ docetur, & Nos cum ipſis docuimus *tract. de diuinis perſonis*, ſubſiſtentia non eſt modus exiſtentiam præſupponens, & actuans, ſed potius exiſtentiam ſupponitur, & per illam actuatur, conſtituiturque ſubiectum proximè ſuſceptiuum exiſtentiæ. Vndè, ſi natura creata per propriam exiſtentiam exiſtens aſſumeretur ad ſubſiſtentiam diuinam, deberet per illam conſtitui ſuſceptiua propriæ exiſtentiæ, & ſubſiſtentia diuina deberet actuari, & terminari per exiſtentiam creatam, quod implicat; & ideò natura creata exiſtens propria exiſtentia, quamuis ſine propria ſubſiſtentia ſupponatur incompleta; propria tamen exiſtentia retenta non eſt capax, vt compleatur per ſubſiſtentiam diuinam, quia vt ſic compleretur, deberet ſubſiſtentia diuina conſtituere illam ſuſceptiuam propriæ exiſtentiæ, & actuari per exiſtentiam creatam, quod illius perfectioni repugnat. Quod autem perſona creata per exiſtentiam diuinam actuetur, & compleatur, nullam imperfectionem infert in diuina exiſtentia; & ideò propria ſubſiſtentia, & perſonalitate ſubſiſtens eſt incompleta in ordine ad exiſtendum, & complebilis per exiſtentiam diuinam.

81 *Ad probationem ſequelæ aliter reſpondetur.* Et ex his poteſt maiori claritate ad probationem ſequelæ aliter maior diſtingui: quia in ordine ad exiſtendum ſupponitur incompleta incompletione auferibili per exiſtentiam diuinam, concedo maiorem: ob incompletionem præciſè, nego maiorem, & diſtinguo minorem: natura exiſtens per exiſtentiam creatam ſupponitur incũpleta in ordine ad ſubſiſtendum incõpletione auferibili per diuinam ſubſiſtentiam, nego minorem; incompletione per illam non auferibili, concedo minorem, & nego conſequentiam. Ratione autem huius diſtinctionis conſtat ex dictis; quia, nempè incompletio perſonæ creatæ in ordine ad exiſtendum aufertur per hoc, quod actuetur, & compleatur per diuinam exiſtentiam, in quo nulla implicatio inuenitur, quia ex illo nulla in diuina exiſtentia colligitur imperfectio; incompletio autem naturæ creatæ propria exiſtentia exiſtentis; non autem propria perſonalitate, petit tolli per ſubſiſtentiam, quæ actuetur per illius exiſtentiam, quòd imperfectionem diuinæ ſubſiſtentiæ repugnantem importat, & ideò dicta incompletio implicat, quòd auferatur per ſubſiſtentiam diuinam.

Sed adhuc inſtabis: ex eo, quòd natura creata ſubſiſtens ſubſiſtentia diuina propria exiſtat exiſtentia, non ſequitur, exiſtentiam creatam actuare ſubſiſtentiam diuinam, illamque terminare, & complere; ergo poteſt exiſtens propria exiſtentia vniri cum ſubſiſtentia diuina. Conſequentia tenet, nam tota impoſſibilitas à Nobis fundata eſt in eo, quòd deberet diuina ſubſiſtentia per creatam exiſtentiam compleri, & per illam actuari. Antecedens autem probatur: vt enim *diſput. 18.* cum frequentiori, veriorique ſententia docuimus, humanitas terminata per ſubſiſtentiam perſonalem Verbi poteſt de potentia abſoluta terminari per ſubſiſtentiam Patris, quin hæc terminet, vel compleat Verbi perſonalitatem terminantem humanitatem: ergo paritèr natura creata diuina ſubſiſtentia ſubſiſtens compleri, terminari poterit per exiſtentiam creatam, quin diuina ſubſiſtentia actuetur, aut terminetur per illam. 82 *Vrgebis hæc.*

Reſpondeo, negando antecedens; ad illius probationem, conceſſo antecedenti nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam perſonalitas Verbi terminans humanitatem non complet illam in ordine ad ſubſiſtendum perſonalitate Patris, nec capacem huius terminationis conſtituit, nec in hoc illius effectus conſiſtit; & ideò poteſt humanitas terminata per ſubſiſtentiam perſonalem Verbi terminari per ſubſiſtentiam perſonalem Patris, quin hæc terminet propterea eſtem perſonalem Filij terminantem humanitatem. Cæterum ſubſiſtentia diuina, vt compleat naturam creatam propria exiſtentia gaudentem, debet illam complere, vt per talem exiſtentiam exiſtat, illamque capacem conſtituere huiuſcemodi exiſtentiæ; cum quo non ſtat, quòd per illam non terminetur, compleatur, & actuetur. Et ratio huius eſt, nam in ſententia Thomiſtarum primarius ſubſiſtentiæ effectus eſt naturam complere in ordine ad exiſtendum: cumque natura creata exiſtens propria exiſtentia non poſſit ſimul exiſtere per diuinam, fit conſequens, quòd per diuinam ſubſiſtentiam non poſſit, compleri ad exiſtendum exiſtentia diuina, ac proindè quòd compleri debeat ad exiſtendum per exiſtentiam creatam: ex quo vlterius ſequitur, quòd ſubſiſtentia diuina debeat per creatam exiſtentiam actuari, terminari, & compleri; & per illam reddi exiſtens, quod omninò implicatorium cenſetur. 83 *Reſpondeo.*

DISPV-

DISPVTATIO VIGESIMA.

An hæc propoſitio; *Deus aſſumpſit hominem*, in rigore, & proprietate ſermonis ſit vera?

§. I.

Relatis ſententijs, vera eligitur, & auctoritate probatur.

1 *Aperitur difficultas.* POSSE aliquo modo dici, Verbum Dei aſſumpſit hominem, extra controuerſiam eſt, nec ab aliquo poteſt negari, cum in Patribus, & Concilijs paſſim habeatur. Vndè inaniter Ioannes Gonçalez de Caſtilla, aliàs Doctor Ioannes Martinez Complutenſi Primarius *apologemate Satiro*, vel, vt melius dicamus ſanguineo in ſui defenſionem edito gloriatur, in publica diſputatione Magiſtrum quendam Sapientiſſimum, quem inimicum ſuum appellat, non ſine rubore viciſſe hoc argumento, quod Eccleſia, & Concilia aſſerunt, poteſt aliquo modo dici: ſed hæc propoſitio: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, ab Eccleſia, & Concilijs paſſim aſſeritur: ergo poteſt aliquo modo dici, Verbum Dei aſſumpſit hominem. Sed cum diſputatio inter ipſum, & aduerſarium non eſſet de hac propoſitione: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, an poſſit aliquo modo dici, ſed an ſit cum proprietate vera, & de hoc eſſet ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis contra ipſum facta delatio, valdè ſuſpicor, inimicorum finxiſſe, quem fortius feriret, nam toto ſillogiſmo conceſſo, nihil contra id, quod aduerſarius negabat, & de quo ipſum accuſabat, infertur. Nam diſputatio non erat, an poſſit aliquo modo dici, ſed an poſſit dicta propoſitio in rigore, & proprietate defendi.

2 *Prima ſententia* De quo duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans eſt, quam tenuit Ludouicus Viues *in lib. 9. Auguſtini de Ciuitate Dei*, irridens Theologos Scholaſticos oppoſitum aſſerentes, cum ipſe potius meritò irridendus ſit, eo quod, vt inquit Vazquez, magis in humanis litteris, quam in Theologicis rebus verſatus, & vt alij aiunt. Grammaticus magis, quam Theologus, falcem in alienam meſſem mittens, præceps tulerit de Thelogica quæſtione iudicium. Illi adhæſit prædictus Ioannes Martinez *in lib. de generat. & corrupt. pag.* 307. *lin.* 3. vbi docet, Verbum Dei, nedum humanitatem, ſed etiam hominem aſſumpſiſſe, & hoc propriè, & in rigore ſermonis eſſe tenendum. Pro illa referuntur Mag. *in* 3. *diſt.* 5. 6. & 7. Hugo de Sancto Victore *in ſumm. tract.* 1. *cap.* 15. Ricardus *in* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *q.* 2. Henricus *quodlibet.* 1. *q.* 2. Alexand. Alenſ. 3. *p. q.* 6. *membr.* 1. Dionyſius Carthuſianus *diſt.* 5. *q.* 4. Guillelmus de Rubion *diſt.* 5. *q.* 1. & 2. alios referens. Et quod magis eſt, D. Thom. *in* 3. *diſt.* 6. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 1. & 4. *art.* 3. *ad* 4. *ad Anibaldum in* 3. *diſt.* 2. *q.* 2. & *opuſc. de expoſitione Symboli Apoſtolorum* §. 5. ad illa verba: *Qui conceptus eſt.*

3 *Vindicantur prædicti PP. ab impoſtura Auctoris contrarij.* Falsò tamen præfati Doctores pro hac ſententia allegantur. Et in primis D. Thom. *in* 3. *diſt.* 6. *q.* 1. *art* 2. expreſsè oppoſitum docet *in* 3. *ad Annibaldum*, de hac quæſtione non diſſerit *in opuſc.* 6. *de expoſitione fidei*, etſi aſſerat, *ò homo, tui coniunctum eſt Verbum Dei*, &c. Vndè infertur, proprietatem propoſitionis, de qua diſputatio procedit, docuiſſe? Deindè Mag. Sententiarum, etſi vtatur prædicta propoſitione, illamque Auguſtini eſſe fateatur, numquam eſſe in rigore veram aſſeruit, ſed expoſuit, hominem eſſe aſſumptum, ideſt, hominis naturam. Et quidem Mag. non ſolum admittit iſtam propoſitionem. *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, ſed etiam iſtam: *Verbum Dei aſſumpſit quendam hominem*, vel *aliquem hominem*, & iſtam ex Auguſtino: *Hominem Ieſum Chriſtum à Filio Dei aſſumptum fuiſſe*, vt conſtat *diſt.* 5. *q. vltim.* Cum tamen Recentiores, licet concedant hominem aſſumptum in proprietate ſermonis; non tamen audeant concedere eſſe in rigore verum: *Verbum Dei aſſumpſit aliquem hominem: & hominem Ieſum Chriſtum eſſe à Verbo Dei aſſumptum*; in proprietate ſermonis nullus hucuſque docuerit eſſe verum: ſicut ergo ex eo, quòd Mag. Sententiarum has duas propoſitiones admiſerit, nõ infertur, illarum proprietatem docuiſſe: ita ex eo, quòd hanc admiſerit propoſitionem: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, perperam colligitur, ſuſtinuiſſe illius veritatem in rigore, & proprietate ſermonis.

4 Carthuſianus etiam, Guillelmus de Rubion, Hugo Victorinus, & Henricus nihil de proprietate dictæ propoſitionis docuerunt. Ricardum, quem ad manus non habui, Carthuſianus pro oppoſita ſententia refert. Ioannes Maior, quem Guillelmum pro ſua ſententia referre docent Recentiores, expreſsè oppoſitum tenet *in tertio diſt.* 6. *q.* 2. vbi relata prima poſitione aſſerente, quòd ex anima, & corpore conſtituitur homo, & ille homo aſſumptus eſt Verbum, ait, prima poſitio eſt falſa, & probat, quia ex illa ſequitur, idem eſſe aſſumens, aſſumptum, & idem aſſumere ſe. Solus Alexander Alenſis videtur ſententiæ Recentiorum fauere, ſed vt legenti conſtabit, ex aliorum loquitur ſententia: vndè meritò P. Vazquez mox referendus omnes Scholaſticos prædictam propoſitionem in proprietate ſermonis reijcere docet.

5 *Secunda ſententia. S. THO. Caiet. Medin. Cabrer. Lorca. Aluar. Nazar. Araujo. Zippul. Suar. Vazq. Richar. Gran. Euſtat. Gaſpar. Hurt. Petrus Hurt. Bernal. Lugo. Caſtillo. M. Sent.* Secunda ſententia tenet, iſtam propoſitionem: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, non eſſe veram in rigore, & proprietate ſermonis. Ita D. Thom. *in* 3. *diſt.* 6. *q.* 1. *art.* 2. & *in præſenti q.* 4. *art* 3. vbi Caietanus, Medina, Cabrera, Lorca, Aluarez, Nazarius, Illuſtriſſimus Araujo, Zippullus, alijque Recentiores Thomiſtæ. Tenent ex Patribus Societatis Suarez *in præſenti quæſt.* 4. *in commentario art.* 3. Vazquez *diſp.* 35. *cap.* 2. pro illa referens Richardum *in* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *q.* 2. Granadus *controu.* 1. *de Incarnatione tract.* 6. *diſp* 4. *ſect* 1. *num.* 5 vbi refert Euſtatium Epiſcopum Beretii in Concilio Calcedonenſi *ſeſ.* 1 aſſerentem, Verbum Dei hominem non aſſumpſiſſe, ſed hominem factum eſſe. Gaſpar Hurtado *diſp* 4. *de Incarnatione difficult.* 26. docens, in hac ſententia Theologos conſpirare; Petrus Hurtado *diſp.* 44. *difficult.* 2. vbi ait, nullum ex Concilijs, aut PP. aſſeruiſſe, dictam propoſitionem, cum proprietate eſſe accipiendam; plura autem Concilia, & PP. proprietatem loquutionis conſtanter negaſſe, Bernal *diſp.* 26. *ſect.* 2. vbi hominem propriè dictum non fuiſſe aſſumptum à Verbo, fidem docere ait, Cardinalis Lugo *diſp.* 13. *ſect* 2. & ferè omnes eiuſdem familiæ Auctores, vno, vel altero excepto, quo nouitatis, & ſingularitatis amor a ſuorum nobili Cohorte diſtraxit. Eidem ſententiæ ex diſcipulis Scoti adhæſit Caſtillo *diſp.* 7. *de Incarnatione quæſt.* 1. *num* 2. pro illa referens Magiſtrum *in* 3. *diſt.* 6. & cum illo omnes Scholaſticos.

6 *Quæ propoſitio concluſione ſtatuitur probatur* 1. Quæ ſententia à Nobis pro concluſione ſtatuitur. Et probatur primò: vt enim omnes Auctores, quos pro hac ſententia allegauimus, conſtanter docent omnes Scholaſtici cum Magiſtro *in* 3. *diſt.* 5. & 6. & Theologi cum D. Thom. *in hac q. art.* 3 prædictæ propoſitionis veritatem negant in rigore, & proprietate ſermonis, ſed à communi Scholaſticorum, & Theologorum ſententia in re Theologica, & graui diſcedere fas non eſt: ergo dicta propoſitio in rigore, & proprietate ſermonis nequit defendi.

Dices

7 *Reſpondebis 1.* Dices primò, plus auctoritatis PP. & Concilijs deferendam eſſe, quàm omnibus Scholaſticis; dicta autem propoſitio apud Concilia, & PP. habetur vndè, tametſi illius loquutionis proprietas à communi Scholaſticorum negetur, nihilominus eſt ſuſtinenda, quia minor noſtri argumenti ſolum eſt vera, cum pro ſententia Scholaſticis oppoſita PP. & Concilia non extant. *Secundò.* Vel ſecundo reſpondebis, negando maiorem, nam proprietatem dictæ propoſitionis præter Magiſtrum, Ricardum, Hugo de Sancto Victore, Carthuſianum, Maiorem, Henricum, & Alexandrum Alenſem docent Ioannes Martinez Complutenſis Primarius, & Vvadingo *diſput.* 4. de Incarnatione.

8 *Prima ſolutio reijcitur primò.* Sed neutra ſolutio ſatisfacit, & contra primam facit. PP. & Concilia, etſi aſſerant: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*; nullus tamen ex PP. aut Concilijs aſſeruit, veram eſſe prædictam propoſitionem in ſermonis proprietate; ſed difficultas non eſt de veritate propoſitionis, ſed de illius proprietate: ergo omninò præter rem PP. & Conciliorum auctoritas contra auctoritatem Scholaſticorum opponitur. *Secundò.* Secundo: cum enim de ſenſu alicuius propoſitionis in Scriptura contentæ dubitatur, an, nempe, vera ſit in rigore, & proprietate ſermonis, an verò in ſenſu metaphorico, & improprio ſit accipienda, ſtandum eſt communi PP. & Expoſitorum iudicio, nec ab illo poteſt ſine nota recedi: ergo cum de ſenſu alicuius propoſitionis à PP. & Concilijs aſſertæ dubium eſt, an proprius, an metaphoricus ſit, ſtandum eſt communi Scholaſticorum ſententiæ, nec licebit ab illa recedere; ſed quamuis omnes fateantur, hanc propoſitionem. *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, in PP. & Concilijs haberi, dubium extat de ſenſu, in quo illam Concilia, & PP. docuerint, an, ſcilicet, in rigore ſermonis, an verò in ſenſu metaphorico, accipiendo per figuram ſynecdochem, concretum pro abſtracto, & partem pro toto; ergo ſtandum eſt communi Scholaſticorum ſenſui aſſerenti, non in rigore ſermonis, ſed in ſenſu improprio PP. & Concilia loquuta.

9 *Tertiò.* Tertiò, ſi aſſerenti, Chriſtum ſolum in metaphorico ſenſu Agnum, & Leonem dici, idque probanti ex communi PP. & Expoſitorum conſenſu, ſic verba Scripturæ accipientium, aliquis reſponderet, PP. & Expoſitores audiendos non eſſe, quia Scriptura docet oppoſitum, cum ait: *Vicit Leo de Tribu Iuda*: Et *dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, &c.* ſtultus iudicaretur, & illius reſponſio hæretica, eo quòd Scripturæ, etſi Chriſtum Leonem, & Agnum appellet; non tamen docet, id eſſe cum proprietate accipiendum: at Concilia, & PP. cum docent: *Verbum Dei aſſumpſiſſe hominem*, non aſſerunt, hoc eſſe cum proprietate accipiendum: ergo reſpondere, ſtandum non eſſe communi Scholaſticorum, prædictam propoſitionem explicantium in ſenſu non rigoroſo, ſed improprio, & metaphorico, quia PP. & Concilia parti oppoſitæ adſtipulentur, eſt ridicula reſponſio. *Quartò.* Denique nam omnes Scholaſticos in ſententia Concilijs, & PP. aduerſa conuenire, eſt ad minus moraliter impoſſibile: ergo eo ipſo, quòd Scholaſtici omnes conueniant in ſenſu improprio prædictæ propoſitionis, eius proprietas nequit in PP. & Concilijs haberi.

Apoc. c. 5. & 5. & ca.

10 *Secunda ſolutio impugnatur.* Deindè ſecunda ſolutio reijcitur: nam Scholaſticos antiquos falsò pro prædicta ſententia allegari conſtat ex dictis; ex modernis autem Ioannes Martinez fuit à Tribunali Sanctæ Inquiſitionis notatus, & cautè legendam eſſe illius propoſitionem indictum. Vvadingus verò vnus eſt, qui tametſi ingenioſus, & doctus, non tamen qui debeat pro decem millibus computari; imò licet alij Recentiores prædictæ opinioni adhærerent, non indè illi probabilitas accreſceret, nam licet tres, vel quatuor Recentiores poſſint probabilitatem inducere, cum res aliqua de nouo agitatur, & communi Scholaſticorum aduerſa non eſt; cum autem omnes Scholaſtici antiqui ſtant pro aliqua ſententia, duo, vel tres Recentiores oppoſitum aſſerentes non poſſunt certitudinem antiquæ ſententiæ turbare, nec oppoſitam probabilem reddere; at ita in præſenti contingit, quòd res, de qua agitur, inter Scholaſticos eſt agitata, & communis Scholaſticorum ſententia docet, dictam propoſitionem non eſſe in rigore accipiendam: ergo, quamuis duo vel tres Recentiores eius proprietatem tuerentur, non indè poſſet probabiliter defendi.

11 *Secundò probatur.* Secundò eadem ſententia probatur teſtimonio Felicis Papæ in Synodo Epheſina, vel Calcedonenſi 1. *cap.* 8. ibi: *De incarnatione verò Verbi, & fide credimus in Dominum Ieſum Chriſtum ex Maria Virgine natum, quoniam ipſe eſt æternus Dei Filius, & Verbum, & non homo à Deo ſuſceptus, vt alter eſſet præter ipſum; neque enim hominem aſſumpſit Dei Filius, vt alter eſſet præter ipſum*; vbi, vt clarè conſtat, negat Pontifex, hominem à verbo ſuſceptum, Verbumque hominem aſſumpſiſſe. *ſententia Synodi Epheſ. & Calc.* Reſpondet Vazquez, parum hoc teſtimonium vrgere; non enim negat Pontifex, ſimpliciter aſſumptum fuiſſe hominem, ſed cum illo addito diminuente, nempè, fuiſſe aſſumptum, vt eſſet alter ſuppoſito, cuius contrarium Neſtorius, & ſequaces docebant. Imò videtur, teſtimonium hoc oppoſitæ ſententiæ fauere, & ex illo non leuiter confirmari: qui namque aſſereret; *non dedi tibi pecunias, vt illas ludendo conſummeres*, non negaret, ſe dediſſe pecunias, ſed potius illas ſe datas ſupponeret, quamuis non ad illum finem; ſed Pontifex non negat, Verbum aſſumpſiſſe hominem abſolutè, ſed cum additamento, aſſerendo, vt alter eſſet ſuppoſito præter ipſum: ergo non negat hominem à Verbo aſſumptum, ſed potius ſupponit oppoſitum, nam exceptio firmat regulam in contrarium.

12 *P. Vazquez ſolutio reijcitur primò.* Sed hæc explicatio diſplicet communiter Auctoribus noſtræ ſententiæ, Et reijcitur primò; nam illud additamentum, non in ſenſu diminuente, ſed potius in ſenſu expoſitiuo, & cauſali eſt accipiendum, ita, vt ſenſus ſit: *Verbum non aſſumpſit hominem*, quia ex hoc fieret, fore alterum præter ipſum, id eſt, forè aliud ſuppoſitum: vel *Verbum non aſſumpſit hominem*, quia hoc eſſet eſſe alterum ab ipſo; ſed in hoc ſenſu communem ſententiam fouet, & oppoſitam excludit: ergo ex dicto teſtimonio rectè noſtra ſententia ſuadetur, efficaciterque confirmatur. Maior oſtenditur primò; quia teſtimonium Felicis poteſt in prædicto ſenſu accipi, & alias D. Thomas, & frequentius alij Theologi cum ipſo, illud in hoc ſenſu acceperunt: ergo ſic eſt accipiendum.

13 *Secundò. Concil. Epheſ.* Deindè, nam eadem propoſitio, nempè; *Hominem à Verbo Dei aſſumptum non eſſe*, ſine additamento habetur in Concilio Epheſino *p.* 3. ex Cyrillo *in defenſione anathematiſmi*. 8. *Non hominem aſſumptum eſſe dicimus à Deo Verbo*: & in defenſione anathematiſmi. 11. ibi: *Hominem vero aſſumptum eſſe à Verbo non videtur ſanctis Patribus, non ſic ſenſerunt, ſed ipſum potius Verbum Dei Patris aſſerunt, factum eſſe hominem*. Quæ verba refert Bernal vbi *ſupr. num.* 10. & ideò aſſerit, hominem prædictum, non eſſe à diuino Verbo aſſumptum, eſſe veritatem fidei: ergo non eſt, cur verba ex Felice relata non debeant ſine limitatione, aut diminutione admitti.

14 *Si dicas.* Si dicas, Cyrillum in *defenſione anathematiſmi*. 8. ſuprà verba adducta addidiſſe: *Et copulatum illi ſecundum habitudinem quandam, quæ extrinſecus intelligatur*, Ex quibus conſtans videtur, ſolum negaſſe Cyrillum, & cum ipſo Synodum Epheſinam hominem aſſumptum à Verbo ſecundum extrinſecam habitudinem, qualiter à Neſtorio adſtruebatur; non autem, quod homo fuerit è Verbo aſſumptus per phyſicam coniunctionem. *In contrarium obſtat.* In contrarium obſtat: nam verba illa ſuperaddita copulatiuè adijciuntur, ita vt tota propoſitio ſit hæc: *Non hominem aſſumptum eſſe à Deo Verbo dicimus, & copulatum illi ſecundum habitudinem quandam, quæ extrinſecus intelligatur*: quæ propoſitio copulatiua eſt; ſed vna pars propoſitionis copulatiuæ non limitat aliam: ergo ex eo, quod in ſecunda parte neget coniunctionem extrinſecam, non ſequitur, quòd in prima parte, qua negat, hominem aſſumptum à Verbo, de extrinſeca coniunctione loquatur.

15 *Vltimò probatur. Concil. Calced.* Denique, nam Euſtatius Epiſcopus Berytenſis in Concilio Calcedonenſi *action.* 2. abſolutè, & abſque vllo addito diminuente, negauit, Verbum aſſumpſiſſe hominem, his verbis: *Hominem non aſſumpſiſſe, ſed homo factus eſt*. Quæ verba referunt Granadus, & Bernal à Concilio Calcedonenſi approbata: ergo non eſt, cur verba, quæ ex Felice Papa adduximus, cum limitatione dicta accipiamus, ita vt illud additum, *vt eſſet alter præter ipſum*, ſumatur diminutiuè, ſed potius expoſitiuè, exponendo, nempè, cauſam, cur non ſit dicendum: *Verbum hominem aſſumpſit, ſed homo factus eſt*, quia cum homo importet ſuppoſitum, dicendo: *hominem aſſumpſit*, ſi in rigore, & proprietate accipiatur, denotatur ſuppoſitorum diſtinctio, vt rectè notarunt, explicaruntque Soarez, & Lorca *locis vbi ſupra relatis*, quòd clarius explicuit Maxentius *dialogo* 1. contra Neſtorium, dicens: *Ego à Deo ſuſceptum hominem nullatenus dicere audeo, ſed Deum ſine diminutione diuinitatis ſuæ factum hominem fateor*, *Maxentius.*

fateor, ne, ſi ſuſceptum hominem dixero, duas videar in Filio Dei prædicare perſonas, Vbi verbum *nullatenus* non excludit, quòd poſſit, aliquo modo dici, ſed quòd dici poſſit propriè: vndè poſt illa verba ſubiungit: *Melius ergo eſt ſuſceptam à Deo naturam humanam, quam ſuſceptum hominem dicere*, vbi vt clarè conſtet, non omninò loquutionem excludit, ſed alteri loquutioni poſtponit, & rectè, nam loquutio propria, impropriæ loquutioni præfertur.

16 *Tertiò ſuadetur noſtra ſententia. Ludou. Viu.* Tertiò principaliter ſuadetur noſtra ſententia; nam commentarium Ludouici Viues *in cap. 17. lib. 9. de Ciuitate Dei*, vbi propoſitionem iſtam: *Verbum hominem aſſumpſit*, eſſe in rigore veram aſſeruit, iuſſu Supremi Senatus Inquiſitionis anno Domini 1584. abraſum eſt. Et eadem propoſitio aſſerta à Ioanne Martinez, vel Gonzalez de Caſtille, ab Vniuerſitate Salmatina Vallis Oletana, & Complutenſi aliqua ex cenſuris Theologicis notata; quo circa iuſſu Toletani Sanctæ inquiſitionis Tribunalis prædictæ propoſitioni *in libris de generatione* aſſertæ additum fuit in margine, *cautè lege*: ergo illa propoſitio in proprietate ſermonis non poteſt tuto defendi.

17 *Reſpondebis.* Dices, commentarium Ludouici Viues fuiſſe iuſſu Sanctæ Inquiſitionis abraſum, non quia dictam propoſitionem in ſermonis proprietate tueretur, ſed quia illam, ſola in Theologos Scholaſticos irriſione probabat, & defendebat: quæ in Scholaſticos irriſio iuſtè illam ſententiam meruit; ex hoc tamen non infertur, non poſſe tuto, & securè cum omni proprietate defendi. Ioannes autem Martinez *in lib. de generatione* propoſitionem illam: *Verbum aſſumpſit hominem*, nudam non ſtatuit, ſed docuit, Verbum Dei, nedum humanitatem, ſed etiam hominem aſſumpſiſſe: quo loquendi modo inſinuari videtur, aliquid præter humanitatem fuiſſe à diuino Verbo aſſumptum; ac proindè humanam perſonam.

18 *Reijcitur ſolutio.* Hæc tamen ſolutio argumento non ſatisfacit, & contra primum facit; ſi namque ſola in Theologos irriſio fuiſſet ab Inquiſitionis Senatu damnata, ſola irriſoria verba fuiſſent abraſa; non autem catholicæ propoſitio: vt quid enim catholica aſſertio pœnam non debitam ſuſtineret? At non ſola irriſoria verba, ſed etiam propoſitio ipſa fuit iuſſu inquiſitionis delete: ergo quia in rigore ſermonis Tribunali diſplicuit. Deindè contra ſecundum facit: ſi namque hæc propoſitio eſt vera in proprietate ſermonis: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, etiam verum eſſet dicere in ſermonis proprietate, nedum humanitatem, ſed etiam hominem aſſumpſiſſe, cum iſto modo loquendi nihil aliud aſſeratur, quam quòd vtrumque ſit verum in rigore, & proprietate ſermonis: ergo ſi prædictæ propoſitioni, vt aſſertæ à Ioannes Martinez iuſtè fuit è Senatu Sanctæ Inquiſitionis Toletanæ ſuperaddita cautela, eàdem videtur notanda abſoluta hæc aſſertio: *Verbum Dei aſſumpſit hominem* in rigore, & proprietate ſermonis.

19. *Reſpondet Ioan. Martin.* Aliter pro ſe reſpondet Ioannes Martinez *in ſuo Apologemate Saliso ſolpon.* nimirum cautelam additam, fuiſſe poſitam pro ignorantibus, qui facilè decipi poſſunt, iudicantes, nomen *homo*, ſignificare ſuppoſitum, non pro Sapientibus, quibus conſtat nominis ſignificatio. Iuxta quam nomen *homo*; non ſuppoſitum, ſed naturam ſignificat, ſimulque admonuiſſe delatores, vt antequam propoſitionem aliquam deferant, cautè Auctores deferendos legant.

20 *Reijcitur eius ſolutio primò.* Hæc tamen ſolutio nullatenus eſt ſuſtinenda, cum irriſio ſententiæ in ipſum laxæ videatur. Et quidem iuxta illam ſemper, atque iuſſu Sanctæ Inquiſitionis alicui propoſitioni adijcitur, *cautè lege*, fauor, non pœna eſt Auctoris propoſitionis; monere namque aduerſarios deferentes, vt alias antequam deferant, cautè, & attentè Auctorem accuſandum legant; eſt illos in cautelæ indelatione notare, & conſequentèr Auctorem accuſato fauere; at hoc dicere ſtylus Sanctæ Inquiſitionis non patitur, iuxta quem ſempèr additur cautela, quæ propoſitio, eſto hæretica expreſſè non ſit; poteſt tamen hæreticum ſenſum gignere, & in illum magis inclinat: ergo aſſerere, fuiſſe à Sancta Inquiſitione cautelam additam prædictæ propoſitioni pro monendis Aduerſarijs, eſt Sacræ Inquiſitionis Sanctæ decreta irridere.

21 *Secundò.* Deindè, nam cautela fuit addita pro exiſtimantibus, nomen *homo*, non ſolum ſignificare naturam, ſed etiam importare de materiali ſuppoſitum; ſed hoc ſentiunt ferè omnes Scholaſtici: ergo ſi fuit pro ignorantibus adiecta, omnes Scholaſtici Doctores ignorantiæ notantur,

Tertiò. quod aſſerere temeritate non vacat. Denique, nam cautela fuit appoſite ob cenſuras quibus dicta propoſitio fuit notata ab Vniuerſitate Salmantina, Valis Oletana, & complutenſi: ergo ſi fuit pro ignorantibus adiecta, tres iſtæ Vniuerſitates inſipientes, & ignorantes cenſentur, quòd aſſerere eſt abſurditate plenum. Quid enim abſurdius, quam ſolum Ioannem Martinez *Sapientis* nomen mereri, & tres Vniuerſitates ſapientia, & veritis zelo eminentes, à quibus in noſtra Hiſpania tota diſciplina in cæteros deriuetur, ignorantiæ, inſipientiæque notare.

---

§. II.

Rationibus Theologicis noſtra ſententia ſuadetur.

DEINDE probatur noſtra, & communis ſententia hac ratione theologica: ſi namque huiuſmodi propoſitio: *Verbo Dei aſſumpſit hominem*, eſſet vera in rigore, & proprietate ſermonis, ſequeretur, Verbum aſſumpſiſſe, non ſolum humanitatem, ſed etiam humanum ſuppoſitum: conſequens eſt erroneum: ergo dicta propoſitio non eſt vera in proprietate ſermonis. Conſequentia tenet; minor eſt certa, aliàs eſſent in Chriſto duæ hypoſtaſes & duo ſuppoſita, nam aſſumptum manet in aſſumente, & conſequentèr ſi ſuppoſitum humanum fuit à Verbo Dei aſſumptum, manſit in Chriſto, ac per conſequens in illo ſunt duæ hypoſtaſes, & duo ſuppoſita, vt aliqui antiquiores dixerunt, proximè adhærentes Neſtorio, quorum ſententiam refert D. Thom. *ſupra q. 2. art. 3.* & reijcit, vt erroneam *ibi*, *& in hac q. art. 3. in corp.* Maior autem probatur: homo namq; licet de formali ſolum humanitatem ſignificet; de materiali tamen, & indiſtinctè ſignificat ſuppoſitum habens humanitatem, & pro illo ſupponit: ergo Verbum hominem aſſumere propriè, & in rigore eſt aſſumere ſuppoſitum, & conſequentèr, ex proprietate prædictæ propoſitionis ſequitur, Verbum aſſumpſiſſe, non ſolum humanitatem, ſed etiam humanum ſuppoſitum. Conſequentia tenet, antecedens traditur à D. Thom. *in 1. diſt 4. q. 1. art. 2. in corpor. 1. p. q. 39. art. 4. in corpor. & in præſenti q. 4. ar. 3.* quibus locis, *& alibi* paſſim docet, ly *homo* ſignificare naturam per modum perfecti, & cum natura ſuppoſitalitate compleatur, & perficiatur, illam ſignificat, vt in ſuppoſito, & in habente naturam, & indè prouenire, vt nomē *homo* poſſit ex modo ſuæ ſignificationis ſupponere pro perſona in ſingulari. 22 *Ratione Theologica probatur noſtra ſententia.* *S. Tho.* *S. Tho.*

Et oſtenditur primò ex Damaſceno relato à D. Thom. *in præſenti art. 3. in corp. lib. 3. cap. 4. in princ. & cap. 11. circa finem*, vbi docet, quòd ſicut hoc nomen *Deus* ſignificat eum, qui habet diuinam naturam: ita hoc nomen *homo* ſignificat eum, qui habet naturam humanam ergo iuxta Damaſcenum nomen *homo*, idemq; de alijs nominibus concretis dicendum, ſignificat humanitatem, vt in habente, & de materiali importat ſuppoſitum. Secundò probatur: nam homo eſt habens humanitatem, & è conuerſo, habens humanitatem eſt homo: ergo homo, & habens humanitatem ſupponunt pro eodem; ſed habens humanitatem ſupponit pro ſuppoſito humanæ naturæ: ergo homo pro eodem ſupponit; & conſequentèr illud de materiali, & implicitè ſaltim, ſignificat; terminus namque non poteſt ſupponere niſi pro eo, quod de materiali ſaltim ſignificat. Tertiò, nam iſtæ propoſitiones ſunt veræ: *Petrus eſt homo*, *Paulus eſt homo*; ſed ſi homo non ſupponeret pro ſuppoſito habente humanitatem, non poſſent eſſe veræ, quo circa iſtæ propoſitiones: *Petrus eſt humanitas*, *Paulus eſt humanitas*, veræ non ſunt, quia humanitas non ſupponit pro habente naturam, ſed pro natura ipſa: ergo homo ſupponit pro habente humanitatem, & conſequentèr, ſaltim de materiali, importat ſuppoſitum. 23 *Damaſc.*

24 *Reſpondebis.* Dices, ly *homo* de ſe, ſolum ſignificare naturam; poſſe tamen trahi, vt ſtet pro ſuppoſito habente humanitatem; ly autem *humanitas* ſolam naturam ſignificare, taliter, quòd à nullo determinari poſſit, vt ſupponat pro habente naturam; & hoc ideò, quia humanitas ſignificat naturam, vt partem, homo autem non ſignificat illam vt partem: ex quo prouenit vt humanitas nequeat determinari, vt ſtet pro ſuppoſito; benè tamen ly *homo*,

me. Quæ doctrina fundari poteſt in alia D. Thomæ *1. p. q. 39. art. 4. in corp.* vbi refert quorumdam opinionem, aſſerentium, hoc nomen *Deus* ſecundum ſuam naturam pro eſſentia ſupponere; ea adiuncto tamen notionali trahi ad ſupponendum pro perſona. Quorum opinionem non reijcit D. Tho. vt omninò falſam, nec vt aliquid abſurdi continentem, ſed ſubijcit: *Alij melius dixerunt, &c.* ergo eadem probabilitate poterit in præſenti affirmari, hoc nomen *homo*, ex ſe, & ſecundum ſuam naturam pro eſſentia ſupponere; ea adiuncto tamen poſſe trahi ad ſtandum pro perſona humana.

25 *Contra primò.* Sed contra primò: nam D. Thom. expreſsè *in eod. art. ſolut. ad 3.* docet aliter ſe habere, hoc nomen *Deus* ad ſupponendum pro perſona, & hoc nomen *homo*; quia enim humanitas realitèr multiplicatur in diſtinctis ſuppoſitis, nomen *homo* per ſe abſque aliquo addito pro perſona diſtincta ſupponit, & ſolum ratione alicuius adiuncti poteſt trahi ad ſtandum pro natura communi, vt in hac propoſitione: *Homo eſt ſpecies*, cuius prædicatum, quia eſt ſecundæ intentionis, trahit hominem ad ſtandum pro natura communi: ergo homo, vt pro perſona ſupponat non indiget aliquo ſuperaddito. *Secundò.* Secundò, nam *habens humanitatem*, eſt diffinitio quid hominis huius nominis *homo*; ſed diffinitio ſupperaddito, aut determinatiuo non indiget, vt diffinito conueniat: ergo homo de ſe ſine vllo ſuperaddito eſt habens humanitatem; & conſequentèr de ſe naturam humanam, vt in habente, ſignificat.

26 *Tertiò.* Tertiò, nam iuxta communem Dialecticorum doctrinam, licet prædicata trahant aliquando ſubiecta ad ſtandum pro aliquo, pro quo de ſe termini non ſupponunt iuxta commune axioma, quo dicitur, *talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis*; ſubiecta verò non determinant prædicata: & hoc ideò, quia prædicatum in propoſitione ſe habet, vt forma ſubiectum verò, vt materia; ſed in hac propoſitione: *Petrus eſt homo*, ly *Petrus* eſt ſubiectum, & ly *homo* prædicatum: ergo, quòd ly *homo* pro perſona ſupponat, non habet ex adiuncto determinante, ſed ex ſua natura. *Quartò.* Quartò, nam ly *homo* ſignificare debet humanitatem, vel vt partem, vel vt totum, vel vt in toto ſed iuxta ſolutionem non ſignificat illam vt partem, aliàs non ſignificat eandem, vt totum, quod de ſe certum eſt, cum humanitas totus homo non ſit: ergo ſignificat humanitatem, vt in toto; ſed totum, quòd ex humanitate reſultat, eſt ſuppoſitum: ergo ſignificat humanitatem, vt in ſuppoſito, & in habente, & conſequentèr de ſe habet ſupponere pro habente humanitatem.

27 *Quintò.* Denique, nam ſi homo de ſe ſupponeret ſolum pro humanitate, hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, eſſet vera, imò eſſentialis, & æternæ veritatis: conſequens eſt falſum: ergo ly *homo* de ſe non ſupponit pro humanitate, ſed pro habente humanitatem. Conſequentia tenet, maior eſt certa; nam veritas propoſitionis penſatur penès terminorum ſignificata, & illorum ſuppoſitionem: ergo ſi ly *homo* ex ſe ſignificat ſolum naturam humanam, & pro illa ſupponit, hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, vera, & eſſentialis erit, & æternæ veritatis: ſicut hæc: *Homo eſt rationalis, animal, viuens, &c.* Minor autem probatur; nam ex veritate prædictæ propoſitionis ſequitur hanc eſſe veram: *Petrus eſt humanitas*: conſequens eſt falſum: ergo hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, non eſt vera. Conſequentia tenet, minor eſt certa: cum enim Petrus ſit perſona humana ſi hæc eſſet vera: *Petrus eſt humanitas*, hæc etiam eſſet vera *Perſona humana eſt humanitas*; & conſequentèr perſona nihil adderet naturæ; quòd ab illa eſſet diſtinctum.

28 *Probatur ſequela primò.* Sequela autem oſtenditur primò, ex communi Dialecticorum axiomate, in quo ars ſillogiſtica tota fundatur, nimirum; *quando quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de ſubiecto*, quòd maximè verum tenet in prædicatione eſſentiali, ſed hæc eſt eſſentialis, & vera: *Petrus eſt homo*: ergo ſi humanitas propoſitione vera eſſentiali prædicaretur de homine, prædicabitur etiam verè de Petro, & conſequentèr hæc propoſitio: *Petrus eſt humanitas* erit vera. *Secundò.* Secundo probatur ſequela ex alia doctrina dialecticis etiam communi, nimirum, quòd *in materia naturali ab indefinita valet ad vniuerſalem*, v. g. quia hæc propoſitio: *Homo eſt animal*, eſt in materia naturali, tenet hæc conſequentia. *Homo eſt animal: ergo omnis homo eſt animal*, quamuis conſequentia formalis non ſit, quia inſtatur in materia, contingenti: vndè hæc conſequentia, quæ cum præcedenti eſt ſimilis formæ non valet, *Homo currit: ergo omnis homo currit*, quia antecedens eſt verum, vno tantum homine currente: & conſequens autem eſt falſum, ſi alij homines ſint, & non currant, ſed vel ſedeant, vel ſtent. Sed hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, ſi eſt vera, eſt eſſentialis; & conſequenter eſt in materia, non contingenti, ſed naturali: ergo ex illa infertur vniuerſalis; & conſequentèr hæc conſequentia tenebit ratione materiæ: *Homo eſt humanitas: ergo omnis homo eſt humanitas*; ſed hæc conſequentia eſt in dari: *Omnis homo eſt humanitas, Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt humanitas*: ergo de primo ad vltimum per medietas conſequentias infertur ex veritate iſtius: *Homo eſt humanitas*, quòd hæc propoſitio ſit vera: *Petrus eſt humanitas*.

29 *Tertiò.* Tertio probatur ſequela: nam ſuppoſitio naturalis eſt *acceptio termini pro omni eo, pro quo poteſt ſupponere*; ſed ſi hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, eſt vera, & eſſentialis, ly *homo* in illa ſupponit naturali ſuppoſitione: ergo accipitur pro omni eo, pro quo ſupponere poteſt; ſed ly *homo* poteſt ſupponere pro Petro: ergo accipitur pro illo, & conſequenter, ſi hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, eſt eſſentialis, & vera, verè humanitas affirmatur de Petro. *Quartò.* Denique probatur ſequela: nam Petrus ſupra hominem ſolum addit ecceitatem, & conditiones indiuiduantes; ſed ecceitas non poteſt reddere falſam prædictam propoſitionem, nam hæc propoſitio: *Hæc humanitas eſt humanitas*, eſt vera in communi Dialecticorum ſententia; & tamen in illa ecceitas ex parte ſubiecti importatur: ergo ſi hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, eſt vera, hæc etiam: *Petrus eſt humanitas* erit vera.

30 *Vltimò probatur concluſio.* Denique probatur concluſio alia ratione Theologica; nam hæc conſequentia eſt bona: *Verbum Dei aſſumpſit hominem: ergo aſſumpſit hunc hominem, vel hunc hominem* in ſingulari: conſequens non poteſt admitti: ergo nec antecedens in rigore, & proprietate ſermonis. Conſequentia eſt bona, minorem Recentiores admittunt, & meritò, nam hic homo eſt humana perſona: ergo, ſi Verbum aſſumpſit hunc hominem, aſſumpſit perſonam, quod eſt hæreticum. Antecedens autem probatur: nam ſi verbum hominem aſſumpſit, non aſſumpſit hominem in vniuerſali: ergo aſſumpſit hominem in ſingulari, & conſequentèr aſſumpſit hominem ſingularem; ſed homo ſingularis eſt hic homo: ergo benè valet; *Verbum aſſumpſit hominem: ergo aſſumpſit hunc hominem, vel hunc hominem*. Sic arguit D. Thomas *in 3. diſt. 6. q. 1. art. 2. in ſecundo arg. ſed contra, & in corp. art.*

31 *Confirmatur.* Et amplius confirmari poteſt: nam ſub termino ſupponente particularitèr licèt diſiunctiuus deſcenſus, & penès illum veritas propoſitionis particulari penſatur: vndè, quia in hac propoſitione: *Homo legit, currit, vel ambulat*, ſubiectum particularitèr ſupponit, valet benè: ergo hic homo currit, vel hic, vel hic, &c. & ſi ſi conſequens diſiunctiuum in nullo particulari veritatem habet, antecedens conuincitur falſum; ſed in hac propoſitione: *Verbum aſſumpſit hominem*, ly *homo* non ſupponit ſimplicitèr, vt omnibus eſt in conceſſo: ergo ſupponit particularitèr; non ſuppoſitione vniuerſali: ergo ſuppoſitione particulari; & conſequentèr licebit ſub illo deſcendere diſiunctiuè, inferendo: *Verbum aſſumpſit hominem: ergo aſſumpſit hunc hominem*, vel *hunc hominem, &c.* & ex falſitate conſequentis falſitatem antecedentis colligere.

32 *Reſpondetur contrarij Auctores.* Huic argumento reſpondent Auctores contrarij, negando, quòd conſequentia ſit bona. Nec obſtat Dialecticorum doctrina, quæ tunc ſolum verum tenet, quando ſuppoſitio non variatur, qualiter in præſenti contingit; nam in iſta propoſitione: *Verbum aſſumpſit hominem*, homo, non pro ſuppoſito humanæ naturæ, ſed pro humanitate ſupponit; in hac autem propoſitione: *Verbum aſſumpſit hunc hominem*, vel *illum hominem*, homo ratione pronominum *hic*, & *ille*, ſupponit pro ſuppoſitis humanæ naturæ, & ideò conſequentia non tenet.

33 *Prædicta ſolutio impugnatur.* Hæc tamen ſolutio omninò inſufficiens eſt, & reijcitur primò; nam petit manifeſtè principium: argumentum enim contendit probare, ly *homo*, non poſſe pro ſola humanitate ſupponere, eo quod ly *hic homo*, & *ille homo* per quæ reſoluitur homo ſupponens determinatè, non ſupponit pro natura: ergo aſſerere conſequentiam non tenere, quia variatur termini ſuppoſitio penès naturam, & ſuppoſita habentia naturam, eſt cum concluſione ipſa, quã defendunt, reſpondere, & petere manifeſtè principium.

Se-

Secundò, nam ſub omni termino ſupponente determinatè licet aliquis congruus deſcenſus; ſed ſub ly *homo* ſupponente particulariter in prædicta propoſitione, non poteſt congruè deſcendi, niſi deſcenſu aſſignato; ergo ſectus eſt prædictus deſcenſus. Probatur minor; non enim aliter poteſt deſcenſus fieri, niſi vel per ſingulares humanitates, vel per ſingulares homines; ſed deſcenſus iſte: *Verbum aſſumpſit hominem: ergo aſſumpſit hanc humanitatem*, vel *illam*, eſt prorſus incongruus: ergo alter, quo infertur: *ergo aſſumpſit hunc hominem*, vel *hunc hominem*, licitus eſt. Tertiò, nam Dialecticorum regula docens, ſub termino ſupponente determinatè licere disjunctivum deſcenſum, docet ſimul in tali deſcenſu non variari ſuppoſitionem; vndè, quia disjunctivè deſcendendo ſub termino ſupponente ſimpliciter, ſuppoſitio variatur, non licet hic deſcenſus ſub termino ſic ſupponente: ergo vel debet negari, quòd ly *homo* in prædicta propoſitione ſupponat determinatè, vel concedi debet, deſcenſum à Nobis factum licere, & quòd in illo non varietur ſuppoſitio.

Tertiò.

34 Quartò. Denique, nam pronomina ecceitatis, qualia ſunt *hic* & *ille*, ſunt de ſe indifferentia, vt determinent naturam, & ſuppoſita naturæ: ergo ſi ly *homo* ita ſe pro natura, non autem pro habente naturam ſupponit, non trahitur per illa pronomina ad ſtandum pro ſuppoſitis naturæ, ſed illis determinatum ſupponit pro natura ſingulari. Conſequentia eſt euidens, nam ab indifferenti, vt tali, non poteſt præſtari determinatio: ergo, ſi dicta pronomina ſunt de ſe indeferentia, vt determinent naturam, & ſuppoſitum naturæ, ab illis non poteſt determinatio ad ſtandum pro ſuppoſitis naturæ præſtari. Antecedens autem non minus euidens eſt. Tùm, quia ly *hæc humanitas* non ſupponit pro perſona, vel ſuppoſito naturæ, ſed pro natura ſingulari; & tamẽ afficitur pronomine ſingulari: ſi ergo hæc pronomina ſunt de ſe indeferentia, vt determinent naturam, & ſuppoſitum naturæ. Tùm etiam: nam ecceitas, quæ eſt formale ſignificatum pronominis ſingularis, non ſolum conuenit ſuppoſito habenti naturam, ſed etiam ipſi naturæ: natura enim ſine ſuppoſito exiſtens indiuidua, & ſingularis eſſet; & humanitas, quæ in Chriſto exiſtit ſine propria perſonalitate indiuidua, & ſingularis eſt; non enim aſſumpſit Verbum naturam in vniuerſali, nec vt ſic eſt aſſumptibilis, ſed indiuiduam, & ſingularem humanitatem aſſumpſit: ergo pronomen demonſtratiuum ſingulare eſt de ſe indeferens, vt determinet naturam, & ſuppoſitum naturæ.

35 Dices. Dices, ſignificatum formale pronominis ſingularis, non eſſe ſolam indiuiduationem metaphyſicam, quæ communis eſt, vt argumento conuincitur, naturæ, & illius ſuppoſiti, ſed perſonalitatem, aut ſuppoſitalitatem phyſicam, per quam natura completur, & ſubſiſtens conſtituitur. Sed contra; nam hæc ſolutio euidenter manet præcluſa, ſi namque formale ſignificatum iſtius pronominis *hæc* eſſet ſubſiſtentia, aut perſonalitas, non poſſet pronomen iſtud cum natura in abſtracto coniungi, vt liquet ex ipſis terminis; ſed poteſt coniungi cum natura ipſa in abſtracto, nam de humanitate Chriſti verum eſt, quòd ſit hæc humanitas, & de fide eſt, Verbum hanc ſingularem humanitatem aſſumpſiſſe. ergo pronomen *hic*, non importat de formali ſubſiſtentiam, ſed ecceitatem, & indiuiduationem, quæ conuenire poteſt naturæ in abſtracto, & non ſolum naturæ ſuppoſitis. Quod amplius vrgetur: nam de fide eſt, Verbum aſſumpſiſſe hanc humanitatem; ſed etiam eſt de fide non aſſumpſiſſe ſubſiſtentiam: ergo pronomen *hic* non ſignificat ſubſiſtentiam de formali.

Sed contra.

Confirmatur.

36 Reſpondebis. Dices, pronomen *hic*, & alia pronomina ſingularia de ſe non importare ſubſiſtentiam, nec eſſe determinata ad ſuppoſita naturæ, vt argumentum factum euidenter conuincit. Cæterum pronomen *hic* adiunctum termino *homo*, quia nomen concretum eſt, ſtare, non pro indiuidua natura, ſed pro ſuppoſito habente naturam. Sed contra; nam hoc etiam effugium manet euidenter præcluſum. Si namque pronomẽ *hic* de ſe determinatum non eſt ad ſuppoſitum naturæ, non poteſt ex coniunctione ad ly *homo* determinari ad ſuppoſitum: ergo etiam coniunctum cum iſto termino *homo*, vel indifferens manebit, vel ſtabit pro indiuidua natura. Conſequentia tenet, antecedens probo: nam indifferens ex coniunctione ad indifferens non poteſt determinari; ſed ly *homo*, quamuis ſit nomen concretum eſt indifferens de ſe ad ſtandum pro natura, & pro naturæ ſuppoſito, imò vt contrarij Auctores volunt, de ſe pro natura ſupponit, & ſolum ratione alicuius adiunctionis poteſt ſtare pro ſuppoſitis naturæ: ergo ſi pronomen *hic*, & alia pronomina ſingularia ſunt de ſe indifferentia ad ſtandum pro natura, & pro ſuppoſito habente naturam, ex coniunctione cum iſto termino *homo*, quamuis ſit nomen concretum, non poſſunt determinari ad ſtandum pro ſuppoſitis naturæ. Quòd ſi coniuncta cum nominibus concretis ſtant pro ſuppoſitis naturæ, ideò eſt, quia nomen concretum, non ſolum naturam ſignificat, ſed etiam ſuppoſitum habens naturam de materiali implicitè importat; non in ſingulari, ſed vagè, & in communi. Vndè prouenit, vt addito pronomine *hic*, complexum *hic homo* reſultans, ſtet, non pro natura ſingulari tantum, ſed etiam pro perſona ſingulari, & determinata, & conſequenter ly *homo* non ſignificat ſolum naturam, ſed etiam habens naturam, quod aſſerunt communis ſententiæ Auctores; vndè conſequenter negant, veram eſſe in proprietate ſermonis prædictam propoſitionem: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*.

Sed contra.

§. III.

Argumentis ab auctoritate occurritur.

37 Argumentũ primo Auctorum contrariorum auctoritate Conciliorum, & PP. CONTRA communem ſententiam objiciunt contrarij Auctores primò; nam dicta propoſitione: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, vtuntur Eccleſia, Concilia, & Patres: ergo aſſerendum eſt, eſſe veram in proprietate ſermonis. Conſequentia tenet; non enim abſurdum aliquod ſequitur ex eo, quod propriè accipitur; ſed verba Eccleſiæ, Conciliorum, & Patrum ſunt in rigore accipienda, quando ex rigoroſa acceptione nullum inconueniens ſequitur; ergo dicta propoſitio Eccleſiæ, Concilijs, & Patribus familiaris, eſt in rigore, & proprietate accipienda. Antecedens autem conſtat, nam Eccleſia quotidiè canit in hymno: *Te Deum laudamus. Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum*. Id ipſum cauendum iubet, *Feria 2. in Paſſione. Feria 3. in prima lectione*, *Feria 6. in Paraſceue lect. 4. in Aſcenſione Domini. Feria 6. lect. 4. Infra octauam Aſcenſioni; Feria 3. lect. 5.* & paſſim *alibi* eadem, vel æquiualens habetur loquutio. Eadem propoſitio habetur in Concilio Toletano *primò in confeſſione fidei*, ibi: *Credimus, Filium Dei ex utero Virginis aſſumpſiſſe hominem*, in Toletano *ſexto cap. 1.* in Toletano 11. *in confeſſione fidei*, in Concilio Francofordienſi *in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, confirmata ab Alexandro Papa, in Concilio Romano ſub Felice Papa *formula Fidei*, Petro Patriarchæ Antiochiæ miſſa, in Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa Primo, hæc Athanaſij verba contra Appollinarem referuntur, & laudantur: *Diuinitas ergo Filij eſt, quæ penes, & accepit ouinam hominis, quem induitus eſt; perfectum enim hominem aſſumpſit*. In Concilio Alexandrino *epiſtol. ad Neſtorium* 10. inter epiſtolas Cyrilli *anathematiſmo* 8. *& in epiſtol. ad Clerum*, & Populum Conſtantino-politanum 11. *inter epiſtol.* Cyrilli, ac demum in Epheſino, & Calcedonenſi Concilio.

Hymn. Eccleſ.

Concil. Tolet. Concil. Franc. Concil. Rom. Concil. Later. Athan. Concil. Alex.

38 S. Aug. Ex Patribus etiam Auguſtinus illam docuit *cap. tertio de gratia Noui Teſtamenti lib. 83. qq. quæſtione 37. lib. 2. contra Maximinum cap. 11.* Item *ſuper Pſalm. 63. verſ. ſecundo lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 17. tract. 18. in Ioannem de agone Chriſtiano c. 11. & cap. 18.* Imò oppoſitum aſſerentes damnaſſe *in expoſitione Symboli* docet Magiſter Senteut. *in tertio diſtinctione 5. §. 6.* his verbis: *Si quis dixerit, atque crediderit, hominem Ieſum Chriſtum à Filio Dei aſſumptum non fuiſſe, anathema ſit*. Quibus verbis, non ſolum docet Auguſtinus, Verbum aſſumpſiſſe hominem, ſed etiam vt certum diffinit. Id ipſum docuerunt Boetius *lib. de duabus naturis*, Ambroſius *in hymno Te Deum laudamus*. Leo Magnus *in epiſtol. ad Iulianum in ſermone 4. de Epiphania, & ſermone ſecundo de Aſcenſione*. Sanctus Maximus *homil. 11. de Pentecoſtes circa medium, & homil. 1. de Epiphania*, Euſtatius Epiſcopus Antiochenus, Euſebius Epiſcopus Paleſtinenſis, Athanaſius Alexandrinus *contra Arianos*, Hilarius *lib. 10. de Trinitate*, Fulgentius *lib. 3. ad Traſimundum c. 12. & 13.* Ildephonſus *de Virginitate Mariæ c. 6.* Cyrillus Alexandrinus 10. *theſauri cap. 4.* Damaſcenus *lib. 3. fidei cap. 20.*

M. Sent. Boetius. Leo Magn. S. Max. Euſtat. Euſeb. Athan. Hilar. Fulgent. Ildeph. Cyrill. Damaſc. Chriſol.

illis

illis verbis: *Hominem totum, atque omnia, quæ natura fert, ſuſcepit Deus Verbum, peccato dumtaxat excepto.* Petrus Chriſologus ſer. 143. ibi: *Ipſe hominem mulieris reſumpſit ex vtero.* Rupertus *in cap. Ioannis*, dicens: *totum hominem aſſumpſit.* Bernardus *ſermon. 2. Pentecoſtes.*

Rupert. Bernar.

39 S. Anſel. Ac denique Anſelmus *lib. de Incarnatione cap. 4. lit. C. & lit. D. & circa finem.* Et *cap. 5.* obiectioni à ſe factæ, quòd, nempè, ex dicta propoſitione videretur in Chriſto duas conſtitui perſonas, quod eſt hæreſis Neſtoriana, reſpondet, negando conſequutionem, & rationem reddit, his verbis: *Nam cum profertur homo, naturam tantum, quæ communis eſt omnibus hominibus, ſignificatur: cum verò demonſtratiuè dicimus; hunc, vel illum hominem, vel proprio nomine Ieſum, perſonam deſignamus, quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis fit ſingulus, & ab alijs ſingulis diſtinguitur.* Vbi Anſelmus, non ſolum docet prædictam propoſitionem, ſed etiam rationem theologicam reddit; quia nomen *homo* ſolam naturam ſignificat, & ſimul conſequentiam ſupra à Nobis factam ex Angelico Doctore, quam intulimus, quòd ſi aſſumpſit hominem, ſequitur, aſſumpſiſſe hunc, vel illum hominem, negat ob rationem aſſignatam, quia, nempè, *homo*, naturam tantum ſignificat; *hic* autem, vel ille *homo* perſonam deſignat.

40 Fundamentum Patrum deſumitur ex Paulo ad Heb. 2. His Patribus, & alijs innumeris, qui prædictam docuere propoſitionem, fundamentum dedit Paulus *ad Hebræos 2. verſ. 16.* vbi Dei in homines præ Angelis in hoc myſterio miſericordiam prædicans ait: *Nuſquam Angelos apprehendit ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Quibus verbis poſſibilitatem apprehenſionis, hoc eſt, vnionis hypoſtaticæ naturæ Angelicæ cum Deo, nomine concreto Angeli rectè explicari ſuppoſuit; ac proindè illis verbis: *Sed ſemen Abrahæ apprehendit*, quibus explicat factum myſterium, homines, ſeu hominem, etiam in concreto, intelligit.

41 Solutio Cardin. Lugo. Huic argumento Cardinalis Lugo vbi *ſupra n. 15.* reſpondet, antiquos Patres dicta propoſitione vtentes propriè fuiſſe loquutos quia nomen *homo* tunc temporis indifferentes erat ad ſignificandum naturam humanam in abſtracto, & in concreto, eo quòd vox *humanitas*, quæ modo iuxta omnes Theologos naturam in abſtracto ſignificat, tunc in hac ſignificatione vſurpata non erat, ſed eruditionem ſignificabat: vndè ſicut ſi nunc Verbum aquæ naturam aſſumeret, propriè diceretur aſſumpſiſſe aquam, eo quòd non habemus duo nomina diuerſa, quibus naturam, aquæ in abſtracto, & in concreto ſignificemus, ſed nomine aquæ naturam vtroque modò acceptam ſignificemus, ſed nomine aquæ naturam vtroque modò acceptam ſignificamus: ita, & ob eandem cauſam prædicta propoſitio: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, antiquis temporibus fuit vera in rigore ſermonis, quia *homo* natura humana in concreto, & in abſtracto ſignificabatur. Nunc autem, quia duo nomina ſunt inuenta ad ſignificandum naturam humanam in concreto, & in abſtracto, videlicet *homo*, & *humanitas*, non poteſt dicta propoſitio in proprietate vſurpari. Sicut olim vna hypoſtaſis in Deo concedebatur; quia vox hæc indifferens erat ad ſignificandam naturam, & ſubſiſtētiam; poſtea verò, quia ex vſu, & conſenſu fidelium applicata eſt vox *hypoſtaſis* ad ſolam ſubſiſtentiam, vel ſuppoſitum ſignificandum, non licet iam dicere, eſſe in Deo vnam hypoſtaſim. Cui ſolutionis adhæſeret ex noſtris Zippullus, & Prudentius, & ex Patribus Societatis Bernal *diſputatione allegata num. 2.*

42 Cardinalis ſolutio impugnatur. Contra hanc tamen ſolutionem obſtat: nam vox *humanitas* paſſim vſurpata pro abſtracto humanitatis, etiam illis temporibus inuenitur: ergo ſi nunc, quia diuerſis nominibus natura humana in abſtracto, & in concreto ſignificatur, non eſt vera dicta propoſitio in proprietate ſermonis, nec etiam antiquis temporibus fuit cum proprietate vera. Conſequentia tenet ex Cardinalis doctrina; antecedens autem conſtat ex Cypriano *ſermone de Natiuitate columna. 5.* illis verbis *Humanitatis participatione frater noſter fieri voluit.* Ex Concilio Toletano *6. can. 1.* ibi: *Solus tamen Filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ.* Ex Cyrillo *in epiſt. ad Neſtorium* relata in Concilio Epheſino, & Calcedonenſi *act. 5.* illis verbis: *Sed quoniam propter nos, & propter noſtram ſalutem vniens ſibi ſecundum ſubſiſtentiam humanitatem proceſſit ex fœmina, propterea dicitur ſecundum carnem natus.* Ac denique alijs omiſſis ex Damaſceno *lib. 3. fidei cap. 4.* vbi ait: *Illud itaque animaduertendum eſt, quòd diuinitatis, atque humanitatis vox eſſentiæ, ſeu naturæ indicat; at Dei, & hominis vocabulum, tùm de naturis vſurpatur, quemadmodum dicimus, Deus eſt ſubſtantia captum omnem ſuperans, & vnus eſt Deus, tum etiam de perſonis:* ergo antiquis illis temporibus diuerſa erant nomina, quibus natura in abſtracto, & in concreto ſignificaretur.

Cyprian. Conc. Tolet. Cyril. Damaſc.

43 Vera ſolutio. Quare, prætermiſſa hac ſolutione, ad argumentum reſpondeo, concedendo antecedenti, negando conſequentiam; Eccleſia namque, PP. & Concilia, cum docent, Verbum aſſumpſiſſe hominem, non ſunt propriè, ſed impropriè accipienda, id eſt, aſſumpſiſſe humanitatem, ſumendo concretum pro abſtracto, quæ eſt impropria, & metaphorica locutio iuxta figuram Synedochen, accipiendo totum pro parte: vel quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, vt Filius Dei eſſet homo. Iuxta quam intelligentiam non ſumitur homo per modum extremi aſſumpti de cuius ratione eſt aſſumptioni præſupponi, ſed per modum termini effecti per aſſumptionem, quæ etiam non eſt propria, ſed impropria loquutio, nam Verbum aſſumere propriè non explicat effectionem, ſed terminationem vnius ad eſſe alterius: & ideò in rigore acceptum non dicitur de termino effecto, ſed de extremo alteri vnito, & ad eſſe illius aſſumpto. Ita D. Thom *in præſenti artic. tertio ad 1.* ubi ait: *Quòd huiuſmodi loquutiones Verbum Dei aſſumpſit hominem, Deus hominem ſuſcepit, &c. non ſunt nunquam propria extendenda, ſed piè ſunt exponenda vbique ex prædictis modis, vbicumque à Sacris Doctoribus ponuntur.* Coitus ſolutionem tenent Theologi communitèr. Ratio autem, cur non ſunt in rigore accipienda, conſtat ex dictis: tùm, quia alibi in Sacris Concilijs oppoſitum inuenitur. Tum etiam, quia ex propria acceptione magnum inconueniens ſequitur, nempè, Verbum aſſumpſiſſe perſonam, quod eſt hæreſis Neſtoriana.

S. Thom.

44 Impugnatur tradita ſolutio primò. Sed contra hanc ſolutionem multipliciter arguitur. Primò, nam licet cum PP. ſemel, vel iterum aliqua vtuntur propoſitione; poſſint in ſenſu improprio explicari; non tamen cum paſſim, & ex profeſſo illa vtuntur, ſed vt vidimus, prædicta propoſitione paſſim Eccleſiæ PP. vtuntur: ergo non eſt, in metaphorico, & improprio ſenſu accipienda. Secundò, nam Concilia vtuntur prædicta propoſitione, cum ex profeſſo contra Neſtorium diffiniunt Verbum non perſonam, ſed naturam aſſumpſiſſe; ſed non videtur conueniens vti improprijs locutionibus; cum ex profeſſo agitur de rebus fidei ſtatuendis: ergo non in ſenſu improprio, ſed in rigore, & cum proprietate loquuntur. Tertiò, nam in Concilio Lateranenſi ſub Martino Primò *conſult. 5. canon. 7.* quique Concilia generalia, in quibus ipſum Lateranenſe, Calcedonenſe, & Epheſinum numerantur, eorumque dogmata ad apices vſque tenenda, credendaque diffinitur; at in iis Concilijs dicta propoſitio continetur; ergo eſt cum proprietate credenda, aliàs non vſque ad apices dogma illud crederetur. Quartò, nam ſi illa propoſitio eſſet in rigore falſa, illius contradictoria, ſcilicet: *Verbum non aſſumpſit hominem*, eſſet in rigore vera; ſed hoc non poteſt defendi: ergo. Minor probatur: nam aſſerentes aliquam propoſitionem veram in rigore ſermonis, non poſſunt, niſi iniuſtè damnari; ſed Auguſtinus verbis ex Magiſtro relatis ſub anathemate damnat eum, qui dixerit, hominem à Verbo non fuiſſe aſſumptum: ergo hæc propoſitio: *Verbum non aſſumpſit hominem*, non eſt vera in rigore ſermonis.

Secundò. Tertiò. Quartò.

45 Quintò. Quintò, nam Anſelmus vbi *ſupra* docet, Verbum, aſſumpſiſſe hominem, non autem, aſſumpſiſſe hunc hominem; ſed in ſenſu improprio, & metaphorico vera eſt hæc propoſitio: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, concretum pro abſtracto, & totum pro parte accipiendo: ergo iuxta Anſelmum, Verbum aſſumpſiſſe hominem verum eſt in rigore ſermonis. Sexto, nam D. Thom. *in 3. diſt. 6. q. 1. art. 3. ad 4.* docet: *Propriè, & ſimpliciter hominem eſſe vnitum Deo*: ergo etiam propriè, & ſimplicitèr homo eſt aſſumptus à Deo. Patet conſequentia primò; non enim minus extremum vnitum actioni vnienti ſupponitur, quam extremum aſſumptum ſupponitur aſſumptioni: ergo ſi non obſtante, quòd ſuppoſitum non ſupponatur, quia humanitas præſuppoſitoe ad actionem vnitiuā, dicitur propriè, & ſimplicitèr, hominem eſſe vnitum Deo, pariter, non obſtante, quòd ſuppoſitum hominem ſupponatur ad actionem aſſumptiuam, quia humanitas præſupponitur, dicetur propriè, & ſimplicitèr, hominem eſſe aſſumptum à Deo. Secundò, nam ſi homo in propria acceptione non ſupponeret pro natura, ſed ſolum pro ſuppoſito habente naturam; non poſſet propriè dici, homo eſt vnitus Deo, cū hæc propoſitio: Suppoſitum

Sextò. S. Thom.

poſitum humana natura eſt vnitum Deo, ſit falſa; ſed iuxta D. Thom. propriè dicitur homo vnitus Deo: ergo homo, non ſolum pro ſuppoſito habente naturam, ſed etiam pro natura humana propriè ſupponit: ſed eo ipſo, quod ly *homo* propriè pro natura ſupponat propriè dicitur, Verbum aſſumpſiſſe hominem: ergo ex eo quòd propriè dicatur, hominem eſſe vnitum Deo, vt aſſerit D. Thoma recta illatione colligitur, propriè, & ſimpliciter dici, Verbum aſſumpſiſſe hominem.

46 *Vltimò.* Denique, nam ſi dicta propoſitio ſolum eſſet vera in ſenſu metaphorico, & improprio, abſolutè prolata eſſet falſa: conſequens admittendum non eſt: ergo eſt neceſſariò aſſerendum, eſſe in ſenſu proprio veram. Conſequentia tenet, minor conſtans videtur, nam aſſerere, Eccleſiam, Concilia, & PP. abſolutè aliquam propoſitionem ita frequenter proferre, quæ abſolutè prolata ſit falſa, maximum inconueniens apparet: ergo id aſſerendum non eſt. Sequela verò probatur: nam termini abſolutè prolati ſummuntur in propria acceptione, imo, vt communiter docetur à Logicis, & Dialecticis: *Analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato*: ergo ſi homo ſolum accipitur propriè pro ſuppoſito habente naturam, hæc propoſitio: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, abſolutè ſumpta enuntiat, Verbum aſſumpſiſſe ſuppoſitum, & conſequenter abſolutè ſumpta eſt falſa.

47 *Ad primũ reſpondetur.* Hæc tamen parum vrgent. Ad primum nego maiorem, cum enim idem inconueniens ſequatur, ſiuè ſemel, ſiuè pluries propoſitio apud Patres habeatur, eſt eodem modo explicanda. Quòd autem ex dicta propoſitione accepta in rigore ſermonis inconuenientia, ſequantur, conſtat ex dictis; ac proindè non ſic vſurpanda eſt, quamuis totiès à PP. repetatur. *Ad ſecundum.* Ad ſecundum, nego minorem; cum enim quod directè à Concilijs diffinitur, rectè explicatur, non eſt inconueniens loquutione metaphorica vti. Quod autem Concilia, & PP. contra Neſtorium tradebant, nempè, in Chriſto non eſſe duas perſonas affectu ſolo, & accidentali nexu coniunctas, rectè illa propoſitione explicatur, accipiendo per Synedochem concretum pro abſtracto: & ideò inconueniens non eſt viri prædicta propoſitione, quamuis vera in rigoroſa terminorum acceptione non ſit. *Ad tertium.* Ad tertium dicatur, declarationem illam Concilij Lateranenſi intelligi de illis quinque Concilijs, & de illorum dogmatibus quoad ea, quæ directè intendebant diffinire; non autem quoad alia. Certum autem eſt illorum intentionem non fuiſſe diffinire, Verbum aſſumpſiſſe hominem, in proprietate ſermonis, ſed in Chriſto duas perſonas non eſſe, vt Neſtorius, & ſequaces docebant ac proindè non infertur, prædictam propoſitionem eſſe in rigore accipiendam.

48 *Ad quartum.* Ad quartum, conceſſa maiori, nego minorem; ad illius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem, & ſimul explico Auguſtinum: damnat enim, qui dixerit hominem aſſumptum à Verbo non fuiſſe in rigore, & proprietate ſermonis, nego minorem: in eo ſenſu metaphorico, quo ab ipſo vſurpabatur, concedo minorem, & nego conſequentiam, non ſolum, damnat oppoſitum aſſerentes in eodem ſenſu in quo accipit propoſitionem affirmatiuam, videlicet, Verbum aſſumpſiſſe hominem, vel hominem fuiſſe aſſumptum à Verbo: hanc autem propoſitionem non docet Auguſtinus in rigore, & proprietate, ſed in ſenſu metaphorico, accipiendo concretum pro abſtracto, hominem pro humanitate. Vndè ſolum damnat oppoſitum in hoc ſenſu aſſerentes, nempè, eos, qui aſſeruerint, hominem aſſumptum non fuiſſe, accipiendo concretum pro abſtracto, quod ſolum docent, qui negant, fuiſſe humanitatem à diuino Verbo aſſumptam in ſingularitatem perſonæ. Et quidem damnat Auguſtinus eum, qui aſſeruerit, hominem Ieſum Chriſtum à Verbo aſſumptum non fuiſſe, quin ex hoc inferatur, damnare eos, qui negauerint, hanc propoſitionem: *Verbum aſſumpſit hominem Ieſum*, eſſe veram in rigore, cum omnes Theologi negent, proprietatem prædictæ propoſitionis ergo ex eo, quòd Auguſtinus ſub anathemate damnet eum, qui aſſeruerit, hominem aſſumptum non fuiſſe à Verbo non ſequitur damnare negantes proprietatem iſtius propoſitionis: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, ſed tantum illos, qui negant, fuiſſe humanitatem aſſumptam in vnitatem perſonæ.

49 *Ad quintam.* Ad quintam obiectionem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: cum æquali improprietate, nego minorem; cum maiori, concedo minorem, & nego conſequentiam; non enim Anſelmus vnam concedit, & alteram negat, quia vna illarum ſit propriè, & in rigore vera, & alia in rigore falſa, nec quia vtraque in ſenſu improprio non poſſit veritatem habere, ſed quia, quamuis vtraque in ſenſu improprio ſit vera; hæc tamen: *Verbum Dei aſſumpſit hunc, vel illum hominem*, eſt magis impropria, quam iſta: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*. Et quia hæc aptior ad explicandum myſterium Incarnationis, nempè, aſſumptionem naturæ in vnitatem perſonæ, quam illa: *Verbum Dei aſſumpſit hunc hominem*; & hoc ideò, quia homo abſolutè ſolam exprimit naturam, non connotando perſonam in ſingulari; *hic* autem, vel *ille homo* connotant ſingulares perſonas. Ex quo prouenit, vt hæc propoſitio: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*; minus habeat improprietatis, quam iſta: *Verbum Dei aſſumpſit hunc hominem*, aptiorque ſit ad explicandum aſſumptionem ſolius naturæ humanæ à Verbo in vnitatem perſonæ.

Quòd autem Anſelmus non neget, poſſe verè in aliquo ſenſu dici: *Verbum aſſumpſit hunc hominem*, vel *illum hominem*, patet; namidem eſt dicere. *Verbum illum hominem aſſumpſit*; ac dicere: *Ille homo aſſumptus eſt à Verbo*; at in fine illius capitis expreſſè vtitur hoc ſecundò modò loquendi, vt conſtat ex illis verbis: *Sed quoniam & Verbum eſt Deus, & ille homo aſſumptus eſt homo, verum eſt dicere; quia Deus, & homo eadem perſona eſt, ſed in nomine Dei ſubaudiendum eſt Verbum, & in nomine hominis ſubaudiendus eſt Filius Virginis*: ergo cum negat Verbum aſſumpſiſſe hunc, vel illum hominem, non reijcit hanc propoſitionem, vt in nullo ſenſu veram, ſed vt minus propriam, quam iſta: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, quamuis neutra propria ſit, & vtraque ſenſum verum, metaphoricum, & improprium admittat. 50 *S. Anſel.*

Et quidem in principio illius capitis etiam docet Anſelmus: *Quod ſicut in Deo vna natura eſt plures perſonæ, & plures perſonæ ſunt vna natura: ita in Chriſto vna perſona eſt plures naturæ, & plures naturæ ſunt vna perſona*. Vbi non poteſt non vti metaphora, accipiendo abſtractum pro concreto, nam loquendo de naturis in abſtracto non eſt verum, quòd duæ naturæ ſint vna Chriſti perſona, eo quòd licet diuinitas ſit realitèr, & identicè perſona Chriſti, humanitas autem non ita. Similiter ergo, cum docet, Verbum aſſumpſiſſe hominem, in ſenſu metaphorico loquitur, concretum pro abſtracto vſurpando. 51 *S. Anſel.*

Ad ſextam obiectionem dicatur, vnitum in facto eſſe, dicere partem, vel extremum, quod vnitur, ſcilicet, humanam naturam, & id, in quo ſit vnio, ſcilicet, vnum ſuppoſitum: & quia totum hoc importatur per ly *homo* ideò propriè dicitur homo vnitus Filio Dei, id eſt, vnus cum, ipſo ſumpto *vnite* in facto eſſe; non autem propriè dicitur, homo vnitur Dei Verbo; quia in hac propoſitione ſolum importatur pars, vel extremum vnitum, quod ad vnionem debet ſupponi; non autem homo vnionem præſupponitur, & eadem ratione non dicitur propriè, homo eſt aſſumptus, vel aſſumitur à Verbo, quia Verbum *aſſume*, dicit ordinem ad extremum aſſumptum, aſſumptionique præſuppoſitum; homo autem non ſupponitur aſſumptioni, ſed efficitur per illam. Et quidem D. Tho. *in ead. q. art. 2.* docuerat, non eſſe propriè dictum Verbum Dei aſſumpſit hominem: ergo cum *loco alleg.* docet, propriè dici vnitum Verbo, ſentit, non eſſe, eandem rationem de vtraque propoſitione, alias ſibi apertè contradiceret; & conſequenter, quamuis poſſit Recentiores vti præfata obiectione ad redarguendam D. Thom. inconſequentiæ in doctrina, non tamen ad conuincendum, oppoſitæ ſententiæ fauere. Sed nec primum argumento facto conuinci, conſtat ex diſcrimine aſſignato, & ex illo ad vtramque conſequentiæ probationem conſtat ſolutio. 52 *Ad ſextam.*

Ad vltimam obiectionem reſpondere poteſt primò, negando ſequelam, & ad probationem, conceſſo antecedenti negando conſequentiam; nam in hac propoſitione: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, non profertur homo abſolutè, ſed cum addito extrahente terminum *homo* à propria ad impropriam ſuppoſitionem, nam hæc propoſitio: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, idem valet, ac iſta: *Verbum Dei fuit aſſumens hominem*, in qua ly *homo* non ſumitur abſolutè, ſed cum modificatione aſſumptionis: & quia hæc repugnat ſuppoſito, & ſolum poteſt conuenire naturæ, per illam extrahitur à propria ſuppoſitione, qua accipitur pro ſuppoſito ad impropriam pro natura; & ideò eſt vera propoſitio abſolutè prolata, quia homo non profertur in illa abſolutè. Sicut hæc propoſitio: *Vicit Leo de Tribu Iuda*, abſolutè dicta eſt vera, quia quamuis termi- 53 *Ad vltimam.*

minus *Leo* abſolutè prolatus non ſtet pro Chriſto, qui tantum metaphoricè eſt Leo, ſed pro vero Leone: at in dicta propoſitione non profertur Leo abſolutè, ſed cum addito *de Tribu Iuda*, per quod extrahitur à propria ad impropriam ſuppoſitionem.

54 *Tradita ſolutio impugnatur.* Contra hanc tamen ſolutionem obſtat, nam ex illa ſequitur, iſtam propoſitionem: *Verbum non aſſumpſit hominem*, eſſe falſam abſolutè; conſequens admitti nequit ab Auctoribus noſtræ ſententiæ: ergo tradita ſolutio à Nobis ſuſtineri non poteſt. Minor conſtat; nam omnes communis ſententiæ Auctores docent propoſitionem negatiuam, vt abſolutè veram. Sequela autem manifeſtè probatur ex lege contradictionis, de cuius eſſentia eſt, vt ſi affirmatiua eſt vera, negatiua contradictoriè oppoſita ſit falſa, quia ſimul veræ, nec ſimul falſæ eſſe poſſunt propoſitiones contradictoriæ: ergo ſi affirmatiua eſt vera abſolutè, contradictoria negatiua erit abſolutè falſa; at iſtæ duæ propoſitiones: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, *Verbum non aſſumpſit hominem*, opponuntur contradictoriè: ergo ſi affirmatiua eſt vera abſolutè prolata, negatiua abſolutè dicta eſt falſa.

55 *Reſpondent Cardinalis Lugo, & Bernal.* Vt hoc inconueniens vitarent Cardinalis Lugo, & Bernal vbi *ſupra* aſſerebant, fuiſſe antiquis temporibus nedum veram, ſed etiam propriam prædictam propoſitionem: vndè PP. non docuerunt propoſitionem, quæ abſolutè ſumpta eſſet falſa. Cæterum præterquam quòd illorum doctrinam ex principio falſo procedere *ſupra* monſtrauimus, adhuc prædicta euaſione inconueniens non vitatur. *Eorum effugium reijcitur.* Nam propoſitio iſta: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, non ſolum olim fuit apud PP in vſu, ſed quotidie canitur ab Eccleſia in canticis, orationibus, & lectionibus *ſupra* allegatis: ergo, ſi modo abſolutè dicta, eſt falſa, vtitur Eccleſia modo propoſitione modo falſa abſolutè, quod non minus inconueniens eſt, quam quòd olim Eccleſiæ PP. propoſitione abſolutè falſa vſos fuiſſe dicatur.

56 *Vera ſolutio.* Quare ad vltimam obiectionem reſpondeo, concedendo ſequelam, negando minorem; cum enim vna ex his propoſitionibus: *Verbum aſſumpſit hominem*, *Verbum non aſſumpſit hominem*, debeat eſſe falſa abſolutè, & negatiua communi Scholaſticorum conſenſu ſit vera, & aliàs in PP. & Concilijs habeatur, aſſerendum eſt, affirmatiuam eſſe falſam abſolutè. Nec ſequitur, Patres, & Eccleſiam, toties hac propoſitione vtendo, falſum proferre; nam licet verbis illam abſolutè proferant, ſemper tamen ſubintelligunt nomine hominis naturam humanam: vndè *S. Anſel.* ſemper dicunt verum: ſicut, vt inquit Anſelmus *libr. de Incarnatione Verbi cap. 5. in fin.* verum eſt dicere, homo, & Deus ſunt vna perſona in Chriſto, quia nomine Dei ſubauditur Verbum, & nomine hominis ſubauditur Filius Virginis.

§. Vltimus.

Rationibus in contrarium occurritur.

57 *Deindè arguunt Auctores contrarij.* DEINDE obijciunt contrarij Auctores: nomen *homo* propriè acceptum ſolam naturam ſignificat, non autem ſuppoſitum, vel perſonam: ſed propoſitionis proprietas pendet à propria nominum ſignificatione penſanda: ergo hæc propoſitio: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, vera eſt in rigore, & proprietate ſermonis. Conſequentia cum minori tenet; maior autem, in qua eſt difficultas, pluribus argumentis oſtenditur. *Primò ex Anſelmo.* Primò ex Anſelmo *lib. de Incarnatione Verbi cap. 5.* illis verbis: *Cum ergo Verbum caro factum eſt, naturam aſſumpſit, quæ ſola nomine hominis ſignificatur, & ſemper eſt alia à diuina natura, non aliam aſſumpſit perſonam, quoniam eandem habent cum aſſumpto homine proprietatum collectionem*: ergo iuxta Anſelmum nomen *homo* propriè acceptum ſolum naturam ſignificat. *Secundò.* Secundò probatur: nam ſi nomen *homo* propriè acceptum non ſolum ſignificaret naturam, ſed etiam ſuppoſitum, vel perſonam, Neſtorius, & ſequaces propoſitionem illam: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, à Concilijs pronunciatam admiſiſſent ve veram in ſenſu rigoroſo, quem faceret, & hoc fideles deciperent: at Neſtorius nunquam prædictam propoſitionem admiſit: ergo quia ly *homo* ſolam naturam ſignificat, nec poteſt in proprio ſenſu accipi pro ſuppoſito, vel perſona.

58 *Tertiò.* Tertiò, ſi namque nomen *homo* propriè acceptum ſignificaret ſuppoſitum, vel perſonam, Theodoretus, qui adhuc fuit de Neſtorianiſmo ſuſpectus, vt in Concilio Calcedonenſi primum fuerit inter Catholicos PP. admiſſus, teſte Bellarmino *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quique verba anathematiſmi 8. & aliorum Cyrilli, adeò carpſit; propoſitionem illam *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, impropietatis argueret; at hoc Theodoretus non præſtitit: ergo quia nomen *homo* propriè ſumptum ſolam naturam ſignificat, nec poteſt accipi pro perſona, vel ſuppoſito. *Quartò.* Quartò, nam iuxta Auguſtinum, hæreticum eſt negare, Deum aſſumpſiſſe hominem; ſed ſi nomen *homo*, non ſolam naturam ſignificaret, ſed propriè ſignificaret ſuppoſitum, vel perſonam, propoſitio hæc negatiua, *Deus non aſſumpſit hominem*, non eſſet abſolutè, vt hæretica, ab Auguſtino damnata, cum eſſet vera abſolutè; & conſequentèr non poſſet rationabiliter, vt hæretica, damnari: ergo ly *homo*, ſi propriè accipiatur, ſolam naturam ſignificat. *Quintò.* Quinto probatur: nam ſignificatum propriè per nomen eſt, quod illius diffinitione explicatur; ſed diffinitione hominis nempè *animal rationale*, non explicatur ſuppoſitum, vel perſona, ſed ſolum explicatur natura: ergo ſola natura eſt, quæ propriè ſignificatur nomine *homo*.

59 *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur: ſi namque ly *homo* propriè ſignificaret perſonam, diffinitio perſonæ verificaretur de homine; ſed hoc eſt falſum: ergo nomen *homo* propriè non ſignificat perſonam, ſed ſolam naturam humanam. Conſequentia cum maiori tenet; minor autem probatur: nam perſona iuxta Boetium, cuius diffinitionem omnes Scholaſtici admittunt, eſt *rationalis naturæ indiuidua*, id eſt, incommunicabilis, *ſubſtantia*; ſed homo non eſt ſubſtantia incommunicabilis, ſed potius communis omnibus indiuiduis humanis: ergo diffinitio perſonæ non verificatur de homine. *Damaſc.* Vnde Damaſcenus *libr. 3. fidei* ita *cap. 4.* inchoat: *Quod aliud ſit aſſumptio, aliud hypoſtaſis, ſæpè numero à Nobis dictum eſt, quodque eſſentia communem ſpeciem, ac perſonas eiuſdem ſpeciei complectentem ſignificet, vt Deus homo.* *Leont. Bizant.* Et Leontius Bizantinus *hypotheſi 27.* apud Caniſſium *tom. 4. antiquæ lectionis*, ſic ait: *Communitèr ab omnibus conceſſum eſt, nomen hominis ſignificare naturam, Petri aut perſonam.* Idemque docet Anſelmus *libr. 1. de Incarnatione Verbi cap. 6.* verbis relatis *ſupra*.

60 *Vltimò probat maiorem Doctor Ioannes Martinez.* Denique eandem maiorem probat Doctor Ioannes Martinez argumento ſuo iudicio euidenti; etenim nomen *homo* cum ſua ſignificatione antiquius eſt Incarnationis myſterio; ſed ante myſterium Incarnationis non potuit ſignificare ſuppoſitum; ergo ex vi ſuæ primæ impoſitionis nomen *homo* ſolam naturam ſignificat; cumque à primæua ſignificatione nunquam fuerit tranſlatum, conſequitur euidentèr, quòd modò etiam ſolam naturam ſignificet, non autem ſuppoſitum, vel perſonam. Conſequentia cum maiori tenet, minorem autem ſic probat: ante Incarnationis myſterium, nedum ab hominibus, verum nec etiam ab Angelis, fuit cognitum humanum ſuppoſitum, ſed illius notitia ortum duxit ex Incarnatione Verbi, ex quod illa fuit factum, vt humanitas ſine propria ſubſiſtentia in perſona Verbi ſubſiſteret, illaque terminaretur; ſed nomen non poteſt ſignificare, quod ab imponente ignoratur, cum nominis ſignificatio ex impoſitione oriatur; impoſitio autem nominis cognitionem rei ſignificandæ in imponente ſupponat: ergo nomen *homo* ante Incarnationem Verbi, non potuit ſignificare ſuppoſitum, vel perſonam, ac proinde ex vi ſuæ impoſitionis ſolam naturam ſignificat.

61 *Reſpond. ad 1. probationẽ.* Reſpondeo, negando maiorem; ad primam probationem ex Anſelmo ſumptam dicatur loqui Anſelmum de ſignificato formali; ſic autem verum eſt, nomen *homo* ſolam ſignificare naturam, cum quo rectè ſtat, de materiali, & implicitè ſignificare ſuppoſitum, & non pro natura, ſed pro habente naturam ſupponere: vt enim ex Ariſtotele docent communitèr logici, nomen *album* ſolam qualitatem ſignificat, quod intelligendum eſt pro formali; & tamen de materiali, & implicitè importat ſubſtratum, & non pro albedine, ſed pro illam habente ſupponit. Vndè ſicut albedine aſſumpta, non eſſet propriè dictum, Verbum Dei aſſumpſit album, quia licet ſignificet ſolam formam, non tamen ſupponit pro illa, poſſet tamen verè affirmari, ſumpto concreto pro abſtracto: ita quamuis nomen *homo* ſolam humanitatem ſignificet de formali, quia de materiali, & implicitè ſignificat ſuppoſitum in humanitate ſubſiſtens, & pro illo ſupponit, fit conſequens, vt impropriè dictum ſit, Verbum Dei aſſumpſit hominem.

62 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam probationem, nego maiorem:

cum

cum Neſtorio conſtaret, in quo ſenſu à Concilijs, & PP. dicta propoſitio accipiebatur, ſcilicet, de aſſumptione naturæ per vnionem phyſicam in vnitatem perſonæ, parum illi prodeſſet illam in alio ſenſu, vt veram accipere, & ideò de hoc non curauit. Ad tertiam, quidquid ſit de veritate hiſtoriæ; an, ſcilicet, Theodoretus fuerit de Neſtorianiſmo ſuſpectus, & tunc primum inter Catholicos PP. admiſſus, dicatur, potuiſſe quidem Theodoretum dictam propoſitionem improprietatis arguere, quia tamen hoc nihil ad Neſtoriani intentum conducebat, cum de mente Patrum, & de ſenſu, in quo loquebantur; conſtaret, de argumento non curaſſe.

Ad tertiam.

63 Ad quartam probationem, permiſſa maiori, diſtinguo minorem: abſolutè, & nullo ſubintellecto, concedo minorem, aliquo ſubintellecto, nego minorem, & conſequentiam, nam licet hæc propoſitio; *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, abſolutè ſit falſa, & eius contradictoria abſolutè ſit vera; ſubaudita autem natura nomine *hominis* vera, & de ſide eſt propoſitio affirmatiua, & negatiua falſa, & hæretica. Et cum hac limitatione implicita, & ſubintellecta damnauit Auguſtinus negantes, Verbum aſſumpſiſſe hominem. Et quidem, vt *ſupra* ponderabamus, non ſolum damnauit Auguſtinus negantes, Verbum aſſumpſiſſe hominem, ſed etiam damnat eum, qui aſſeruerit, hominem Ieſum Chriſtum à Verbo aſſumptum non fuiſſe; cum tamen Verbum hominem Ieſum aſſumpſiſſe nullus doceat eſſe verum in proprietatem ſermonis; & conſequentèr negatiua propoſitio, nempè; *Verbum non aſſumpſit hominem Ieſum Chriſtum*, aut *homo Ieſus Chriſtus à Verbo aſſumptus eſt*, abſolutè vera ſit.

Ad quartam.

64 Ad quintam, diſtinguo maiorem: diffinitione, quid nominis, concedo maiorem: diffinitione quid rei, ſubdiſtinguo maiorem: ſignificatum formale, & explicitum, concedo maiorem: materiale, & implicitum, nego maiorem, & ſub eadē diſtinctione, & ſubdiſtinctione minoris, nego cōſequentiam. Itaque diffinitio quid nominis explicat adæquatum nominis ſignificatum, nempè, materiale, & formale: vndè *habens humanitatem*, quæ eſt diffinitio quid nominis huius vocis *homo*, non ſolum naturam explicat, ſed etiam ſuppoſitum habens naturam, & in illa ſubſiſtens; diffinitio autem quid rei ſolum explicat ſignificatum formale; & quia hæc eſt ſola natura, diffinitio quid rei, qua homo diffinitur, ſolum explicat naturam. Cum hac tamen differentia, quòd cum diffinitur natura in abſtracto, diffinitio explicat ſolam naturam, & pro illa ſupponit; cum autem diffinitur in concreto; etſi ſola explicetur eſſentia, & natura; diffinitio tamen ſolam explicans naturam ſupponit: vt ſic adæquentur diffinitum, & diffinitio; & conuertibilitèr prædicentur: vndè *animal rationale*, quæ eſt diffinitio hominis quid rei, quamuis ſolum explicet naturam, non pro illa, ſed pro habente naturam ſupponit, hæc omnq; propoſitio; *Humanitas eſt animal rationale*, non minus eſt falſa quam iſta: *Humanitas eſt homo*, vel *homo eſt humanitas*, cuius falſitatē *ſuperius* mōſtrauimus.

Ad quintam.

65 Et ex his ad confirmationem dicatur, diffinitionem perſonæ verificari de homine, non pro formali ſignificato, ſed pro materiali, quod eſt habens humanitatem, & in illa ſubſiſtens, quod idem eſt ac ſuppoſitum, & humana perſona: vndè perſona humana, & homo licet differant in ſignificato formali, & ideò etiam differant diffinitione quidditatiua, quæ, vt diximus, explicat ſignificatum nominis formale; in ſupponendo tamen conueniunt, & pro eodem ſupponunt: quo circa iſtæ propoſitiones ſunt veræ: *Homo eſt perſona humana*, & *perſona humana eſt homo*. Nec obſtat, quòd non ſolum humanitas, ſed etiam homo eſt communis communibus indiuiduis, & de illis prædicatur; nam homo non importat implicitè perſonam in ſingulari, ſed perſonam in communi; hæc autem, quamuis ſignare incommunicabilis ſit; eſt tamen exercitè communicabilis: perſona enim humana communis eſt huic, & illi ſingulari perſonæ, & prædicatur de illis. Nec etiam obſtant PP. in confirmatione adducti, loquuntur namque de ſignificato formali, & ſic verum eſt, perſonam differre ab homine, eò quod homo de formali, non perſonalitatem, ſed naturam ſignificat; perſona autem de formali perſonalitatem importat: cum quo rectè ſtat, quod vox *homo* de materiali, & implicitè perſonam importet: ſicut cum diſcrimine in ſignificato formali inter ly *perſona*, & ly *homo* ſtat, quòd in ſupponendo conueniant; terminus namque non poteſt ſupponere pro eo, quod non ſignificat de materiali, & implicitè ſaltem.

Ad confirmationem.

66 Ad vltimam antecedentis probationem, conceſſa maiori, nego minorem de ſignificato materiali, & implicitè, vt *ſæpè* iam diximus; ad illius probationem reſponderi primò, negando maiorem: cum enim D. Thom. ratione naturali probet diſtinctionem ſuppoſiti à natura, potuit hæc diſtinctio lumine naturali conſtare, & ab impoſitoribus huius vocis *homo* ante myſterium Incarnationis, aut euidentèr, aut probabilitèr, ſaltim, cognoſci, quam cognitionem ad impoſitionem nominis ſufficere eſt certum. Et quidem Ariſtotelem cognouiſſe diſtinctionem ſuppoſiti à natura conſtat ex pluribus locis, in quibus docuit, actiones eſſe ſuppoſitorum, id eſt, ſubſiſtentium, & diſtinctum eſſe, quodquid eſt ab eo, cuius eſt. Nec obſtat, quòd Aduerſarij dicunt, loqui Ariſtotelem, non de ſuppoſito Theologico conſtituta ſubſiſtentia modaliter à natura diſtincta, ſed de ſuppoſito logico, vel metaphyſico, ſcilicet, de ſingulari contrahante, & vltimo determinante naturam. Non inquam, obſtat, nam hoc voluntariè dicitur, & ſine vllo fundamento. Nec interpretationem iuuat, Ariſtotelem docere, in ſeparatis à materia non differre ſuppoſitum à natura, quod neceſſariò accipiendum eſt de indiuiduo. Nam ſubſiſtentiam in Angelis à natura diſtingui, docet communis ſententia. Non inquam, obſtat: tum, quia licet communis ſententia doceat, ſubſiſtentiam à natura Angelorum diſtingui, cum euidens lumine naturali non ſit, potuit latere Ariſtotelem. Tum etiam, quia, cum docet, in ſeparatis à materia non differre ſuppoſitum à natura, intelligendus eſt Ariſtoteles de ſuppoſito in radice, non autem de ſuppoſito, vt formalitèr ſubſiſtentia conſtituto. Et priori modo, verum eſt, in Angelis non diſtingui ſuppoſitum à natura, quia radix ſubſiſtentiæ eſt natura ſingularis: & quia hæc, nec formalitèr, nec radicaliter diſtinguitur à natura Angelorum, verum eſt, in Angelis ſuppoſitum non diſtingui à natura radicaliter.

Ad vltimam.

67

68 Et quidem eadem doctrina, quòd, nempè, in Angelis ſuppoſitum à natura non differat, paſſim in D. Thom. inuenitur; & tamen ex hoc non licet colligere, Angelicum Doctorem ſenſiſſe, ſubſiſtentiam à natura Angelorum nō diſtingui, vt monſtrauimus, *diſp.* 18. ergo idem de Ariſtotele eſt dicendum. Quod autem ait Doctor Ioannes Martinez, nempè, nec Angelos cognouiſſe ante Incarnationis myſterium diſtinctionem naturæ à ſuppoſito, omni fundamento caret: cum enim diſtinctio ſit naturalis, & Angeli omnia naturalia, quæ infra ipſos ſunt, comprehendant in communi Theologorum ſententia, non potuit dicta diſtinctio Angelorum intellectum latere.

69 Secundò reſponderi poteſt ad probationem minoris, quòd licet homines latuerit ante Incarnationis myſterium diſtinctio realis ſuppoſiti à natura creata, quæ ex ſeparatione ſubſiſtentiæ ab humanitate Chriſti eſt illata; non tamen illos latuit ratio ſuppoſiti ratione ſaltim à natura diſtincti, cum hæc conſiſtat in exiſtentia per ſe, cuius cognitio non dependet à myſterio Incarnationis: vt autem vox *homo* fuerit impoſita ad ſignificandum ſuppoſitum, prædicta cognitio ſufficit. Et quidem ly *hic homo* ſignificare ſuppoſitum, & non ſolam naturam, fatentur Recentiores Theologi, qui oppoſitæ ſententiæ adhæſere; & tamen fuit ante myſterium Incarnationis ad ſignificandum impoſitum: ergo ex defectu cognitionis ſuppoſiti habitæ ante Incarnationis myſterium, non licet colligere, vocem *homo* non ſignificare ſuppoſitum. Maneat ergo non ſolum de formali ſignificare naturam, ſed etiam de materiali ſuppoſitum importare, & pro habente naturam ſupponere; ac proindè propoſitionem iſtam: *Verbum Dei aſſumpſit hominem*, non eſſe in rigore accipiendam.

Secundò reſpondetur ad probationem minoris.

70 De cenſura autem ſententiæ contrariæ non eſt vna Theologorū mens. Quidam illam cenſent hæreticam, alij erroneam, alij errori proximam. Alij denique temerariam illam exiſtimant, eo quòd ſit in graui, & Theologico communi Scholaſticorum conſenſui aduerſetur. Nos tamen Tribunali Sanctæ Inquiſitionis iudicium remittimus, cenſentes cum D. Thoma prædictam propoſitionem non extendendam, ſed piè eſſe interpretandam, & cum Hiſpanis Cenſoribus cautè legendam, nomine hominis ſubaudiendo, vel ſubintelligendo humanitatem. Et hæc de iſta diſputatione ſufficiant, applicanda littera Magiſtri in *tertio diſtinctione quinta §. quarto*, ad illa verba: *Quare non accepit perſonam hominis, cum hominem accepit. Et §. vltim. per totum, & diſtinctione ſexta*, à Diuo Thoma *quæſt. 1. art. ſecundo* excitatur.

Iudicium de cenſura contrariæ ſententiæ.

M. Sent.

TRACTATVS QVINTVS

De Gratia perſonali Chriſti.

CVM Chriſtus, in quantum homo, in ſe ipſo ſanctus fuerit, & in ordine ſupernaturali perfectus, ſit etiam Eccleſiæ Caput, de cuius ratione eſt, habere influxum in membra illius gratia dupliciter conſideratur: primo, prout ipſum ſanctificat, & in ordine ſupernaturali perfectum conſtituit, qua ratione dicitur perſonali; ſecundo, quatenus in membra Eccleſiæ influit gratiam, & virtutes, qua ratione capitalis dicitur. Sub priori conſideratione de illa in præſenti tractamus cum D. Thoma *q. 29. de Veritate art. 1. 2. & 3. in 3. Sent. diſt. 13. quæſt. 3. ad Annibaldum in eadem diſtinct. quæſt. vnica, & in hac 3. p. quæſt. 7.* quam in tredecim articulos diuidit.

Articulus primus.

2. *Docens in primo, in anima Chriſti fuiſſe gratiam habitualem. Primo, quanto enim aliquod receptiuum eſt propinquius cauſa influenti, tanto magis participat de influentia ipſius: anima autem Chriſti, Deo, qui eſt cauſa gratia propinquiſſima fuit: ergo gratiam ab ipſo recepit. Secundò, quia illius operationes oportebat propinquiſſimè attingere ad Deum, per cognitionem, & amorem: ad quod neceſſe eſt eleuari rationalem naturam per gratiam. Tertio; nam Chriſtus, in quantum homo, eſt mediator Dei, & hominum, vt dicitur prima ad Thimotheum ſecundo, & ideo oportebat, quod haberet gratiam, etiam in alios redundantem; ſecundum illud Ioannis* primo *de plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

3. Quomodo autem poſſit cum hac doctrina componi, quod in Chriſto fides non fuerit, cum illam in nos deriuauerit, explicat D. Thomas *inferius art. 3. ad ſecundum argumentum*, docens, quòd licet in Chriſto fides non fuerit, fuit tamen in illo meritum fidei, conſiſtens in obedientia ad Deum, quam pleniſſimè Chriſtus habuit, & ex hoc potuit in membra Eccleſiæ fidem deriuare per meritum. Quæ doctrina non eſt accipienda de merito fidei formali: hoc enim, cui fides non conuenit, conuenire non poteſt; ſed de eminentiali, vel finali, ideſt, de merito, ad quod fides ordinatur. Nec inferas id ipſum poſſe dici de gratia habituali, quod, nempè, illam Chriſtus deriuauerit in membra, quamuis illam formaliter non habuerit, per hoc quod in ipſo eminentialiter conſtituatur: ſicut diximus de fide, nam recurſus iſte in gratia neceſſarius non eſt: quia, ſecundum conuenientiam formalem, nullam habet repugnantiam cum alijs perfectionibus Chriſti, ſicut illam habet fides: opportuit autem, quod anima Chriſti formaliter poſideret omnes perfectiones deriuandas in alios, quæ cum illius ſtatu repugnantiam non habent. Sicque accipienda eſt Angelici Præceptoris doctrina.

Articulus ſecundus.

4. *In ſecundo art. docet, fuiſſe in anima Chriſti virtutes. Quod probat: nam ſicut potentia anima deriuantur ab eius eſſentia, ita virtutes ſunt quædam deriuationes gratia; ſed in anima Chriſti fuit perfectiſſima gratia: ergo in illa fuerunt virtutes perfectiſſimè ad perficiendum ſingulas illius potentias, quantum ad omnes anima actus.* Quæ ratio directè probat de virtutibus infuſis, quæ conſequuntur ad gratiam: ſicut potentiæ animæ conſequuntur ad animam. Qua autem ratione, etiam in anima Chriſti conſtituendæ ſint virtutes per ſe acquiſitæ, inferius examinabimus.

Articulus tertius.

5. *In tertio artic. docet, non fuiſſe in anima Chriſti fidem, eo quòd obiectum fidei eſt res diuina non viſa. Habitus autem virtutis, ſicut & quilibet alius recipit ſpeciem ab obiecto. Et ideo excluſo, quòd res diuina ſit non viſa excluditur ratio fidei. Chriſtus autem à primo inſtanti ſua conceptionis plenè vidit Deum per eſſentiam, vndè in eo fides eſſe non potuit.*

Quæ ratio ſic ad formam reducitur: cui ab intrinſeco repugnat primarium virtutis obiectum, repugnat, & ipſa virtus; ſed animæ Chriſti, ratione vnionis ad Verbum, & viſionis claræ Dei conſequutæ ad talem vnionem, repugnat obiectum fidei: ergo etiam repugnat fides. Minor in qua eſt difficultas probatur: nam obiectum primarium fidei, eſt diuina eſſentia non viſa; ſed anima Chriſti ratione vnionis ad Verbum à primo conceptionis inſtanti clarè vidit diuinam eſſentiam: ergo animæ Chriſti repugnat obiectum primarium fidei. Patet conſequentia: nam ratio viſi, & non viſi ſimul ab eodem in ordine ad idem obiectum repugnat. Quod argumentum, vt concludat efficacitèr, debet accipi ratio non viſi pro conditione obiecti fidei aſſignata, non purè negatiuè ex vi medij, cui innititur fides, ſed priuatiuè, & ſubiectiuè, ideſt, quod obiectum creditum à credente non videatur; quod autem ſic accipi debeat patet: non enim repugnat fides huiuſcemodi

conditionem expoſcens : ergo non eſt cur negetur fidem Theologicam , qua Deo reuelanti credimus , talem conditionem expoſcere . Maximè cum Patres Eccleſiæ ſic acceperint diffinitionem fidei . Quòd patet ; nam explicanres verba illa Chriſti Domini ad Tho-
Ioann. cap. 20. mam : *Quia vidiſti me , Thoma , credidiſti , beati , qui non viderunt : & crediderunt* . Non valentes intelligere , quod poſſet Thomas ſimul idem obiectum credere , & clarè videre , aſſuerunt aliud crediddiſſe , & aliud vidiſſe : vidit enim hominem , creddidit autem Deum , ſed ſi conditio , non viſi poſita in diffinitione fidei , non acciperetur ſubiectiuè , effugium hoc ad diuerſa obiecta neceſſarium non eſſet ; ergo conditio illa ſic à Patribus accipitur : & conſequentèr ſic à nobis eſt accipienda .

Articulus quartus. *In quarto articulo excludit ab anima Chriſti ſpem virtutem theologicam . Eo quòd ſicut obiectum primarium fidei , eſt Deus à credente non viſus ; ita obiectum primarium ſpei , eſt Deus à ſperante non habitus , nec poſſeſſus : Chriſtus autem à principio ſuæ conceptionis , plenè habuit , & poſſedit Deum , mediante fruitione diuina : ergo in illius anima non fuit ſpes virtus theologica .*

Notat autem D. Thomas hoc inter ſpem , & fidem diſcrimen , in ordine ad animam Chriſti , quòd , nempè , quia Chriſtus in quantum homo , nondum erat omnia adeptus , habuit ſpem reſpectu aliquorum , ſcilicet , illorum , quæ nondum adeptus fuerat ; quia tamen non ſolum Deum , ſed etiam alia extra Deum , plenè , & perfectè cognouit , nulli obiecto , aſſenſum præbuit per fidem . Vbi animaduertendum eſt , actus illos , quibus Chriſtus nondum adepta ſperauit , non pertinuiſſe ad ſpem virtutem theologicam , quæ obiecto primario excluſo , in anima Chriſti non fuit , & conſequentèr non potuit prædictos actus elicere ; ſed vel à charitate , vel ab alia virtute proceſſiſſe .

Articulus quintus. *In quinto articulo docet , fuiſſe in anima Chriſti dona ; vt enim* prima ſecundæ quæſt. 68. artic. 1. *dictum eſt , dona propriè ſunt perfectiones quædam potentiarum animæ ſecundum quòd ſunt natæ moueri à Spiritu Sancto : anima autem Chriſti perfectiſſimè à Spiritu Sancto mouebatur , ſecundum illud* Lucæ 4. *Ieſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Iorda-*
Lucæ 4. *ne , & agebatur à ſpiritu in deſertum : ergo in illa fuerunt excellentiſſimè dona .*

Articulus ſextus. *Quod etiam in ſexto articulo ſpecialiter de dono timoris , docet , quod , nempè , in anima Chriſti fuerit : eo quòd de ratione doni timoris , non eſt reſpicere malum culpæ , vel pœnæ , prout imminens , ſed eminentiam diuinam potentem infligere malum pœnæ , & malum culpæ permittere , quodam reuerentiæ affectu ; ſed quamuis anima Chriſti malum culpæ , aut pœnæ , vt imminens non timeret ; affectu tamen reuerentiæ mouebatur in Deum , à Spiritu Sancto acta ; hunc enim reuerentiæ affectum , Chriſtus ſecundum quod homo , præ cæteris habuit pleniorem : ergo illius animæ eſt donum timoris tribuendum .*

Articulus ſeptimus. *In ſeptimo Articulo docet , fuiſſe in Chriſto gratias gratis datas . Quod probat vt enim* prima ſecundæ quæſt. 111. dictum eſt , *gratia gratis data ordinatur ad fidei , & ſpiritualis doctrinæ manifeſtationem : oportet enim eum , qui docet , habere ea , per quæ ſua doctrina manifeſtetur : aliàs ſua doctrina eſſet innutilis ; ſed primus , & principalis Doctor fidei , & ſpiritualis doctrinæ , eſt Chriſtus : ergo in ipſo excelentiſſimè fuerunt omnes gratiæ gratis datæ .*

Notat autem D. Thomas *ſolutione ad tertium* , Chriſtum dono linguarum vſum non fuiſſe ; eo quod in vna ſola gente , ſcilicet , Iudæorum , voluit perſonaliter prædicare : habuiſſe tamen omnium linguarum notitiam , nec inutiliter illam habuiſſe , quamuis ea vſus non fuerit : ſicut non innutilirer habet habitum , qui eo uon vtitur , quando oportunum non eſt .

Articulus octauus. *In octauo articulo docet , fuiſſe in Chriſto prophetiam , eo quod propheta dicitur , qui cognoſcit , & annuntiat ea , quæ loco vel tempore diſtant ab illis , cum quibus conuerſatur propheta ; ſed Chriſtus plura cognouit , & annuntiauit , loco , & tempore diſtantia ab his , cum quibus , vt viator conuerſabatur : ergo in illo fuit prophetia .*

Notat autem *ſolutione ad primum* , de ratione prophetiæ enigmaticam cognitionem non eſſe , ac proinde ex hoc capite Chriſto non repugnare . *Et ſolutione ad ſecundum* , diſcrimen ſtatuit inter fidem , & ſpem ex vna parte , vt in Chriſto non admittantur ; & ex alia prophetiam , vt ſit in ipſo admittenda , conſiſtens in eo quòd fides eſt eorum , quæ non videntur ab ipſo credente , & ſpes eorum , quæ non habentur ab ipſo ſperante , & ideo repugnant perfectionis beatitudinis Chriſti : prophetia autem , eſt eorum , quæ ſunt procul , non ab ipſo propheta , ſed à communi hominum ſenſu , cum quibus Propheta conuerſatur , in quo nulla imperfectio importatur perfectioni Chriſti repugnans .

Articulus nonus. *In nono Articulo docet , fuiſſe in Chriſto plenitudinem gratiæ : quod probat : nam id plenè dicitur haberi , quod perfectè , & totalitèr habetur ; ſe gratia fuit in Chriſto plenè , & totaliter fuit enim in illo in ſummo gradu intenſionis , & ſecundum omnem gratiæ virtutem , quia propter coniunctionem ad Verbum , gratia extenditur in illo ad omnes effectus , & operationes gratiæ : eo quod fuit illi collata , vt cuidam vniuerſali principio , in genere habentium gratiam : virtus autem primi principij alicuius generis ſe extendit ad omnes effectus illius generis : ergo habuit plenè gratiam .*

Eſt autem notandum , cum docet Diuus Thomas fuiſſe in Chriſto gratiam in ſummo

gradu

gradu intenſionis poſſibilis, accipiendum eſſe de poſſibili de potentia ordinaria non autem de poſſibili de potentia abſoluta: ſic enim potuiſſe illius gratiam maiorem intenſionem habere, ex infra dicendis conſtabit. Secundo aduertendum eſt, non obſtari totalitati virtutis gratiæ reſidentis in Chriſto, quod non fuerint in ipſo fides, & ſpes, quæ in nobis conſequuntur ad gratiam, vt enim notat Diuus Thomas in *ſolutione ad primum*, virtutes iſtæ nominant effectus gratiæ, in quodam defectu ex parte recipientis gratiam, & ideo illas non habuiſſe, plenitudini, gratiæ non obſtat, maximè cum in ipſo fuerit multo perfectius, quidquid perfectionis in fide, & ſpe reperitur.

In Articulo decimo inquirit, vtrum plenitudo gratiæ ſit propria Chriſti? Et reſpondet, plenitudinem gratiæ attendi poſſe dupliciter; vno modo ex parte ipſius gratiæ, quam gratiæ plenitudinem, quis habere dicitur, ex eo quòd pertingit ad ſummum gratiæ, & quantum ad eſſentiam, & quantum ad virtutem, quia, ſcilicet, habet gratiam, & in maxima excellentia, qua poteſt haberi, & in maxima extenſione ad omnes effectus gratiæ, & talis gratiæ plenitudo, eſt propria Chriſto. Quia, nempè, ſoli Chriſto conuenit gratia in ſumma intenſione poſſibili de lege ordinaria, & in ſolo Chriſto ad omnes ſuos effectus ſe extendit. Articulus decimus.

Alio modo attenditur plenitudo gratiæ ex parte ſubiecti illam habentis, & tunc dicitur plenitudo gratiæ hoc modo, cum quis habet plenè gratiam, ſecundum ſuam conditionem, ſiuè ſecundum intenſionem, prout in eo eſt intenſa gratia vſque ad terminum præfixum ei a Deo: ſiuè etiam ſecundum virtutem, in quantum, ſcilicet, habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad ſuum officium, ſiuè ſtatum, & talis gratiæ plenitudo non eſt propria Chriſto, ſed communicatur alijs per Chriſtum.

Fuiſſeque communicatam Beatiſſimæ Virgini, docet Diuus Thomas *in ſolutione ad primum*, vnde in ſalutatione Angelica dicitur gratia plena, quod accipiendum eſt de plenitudine ſubiectiua: quia, ſcilicet, habuit gratiam ſufficientem, vt eſſet mater vnigeniti Filij Dei ad quem ſtatum fuerat à Deo electa, & ſimiliter Beato Stephano, vnde in Actibus Apoſtolorum dicitur plenus gratia, & fortitudine: quia habebat gratiam ſufficientem ad hoc, quod eſſet idoneus miniſter, & teſtis Dei, ad quod fuerat electus; vbi etiam notat Diuus Thomas inter has plenitudines, vnum eſſe altera maiorem, ſecundum quod aliquis eſt diuinitus præordinatus ad altiorem ſtatum, quàm alius. *Et in ſolutione ad ſecundum*, concedit omnibus ſanctis quandam gratiæ plenitudinem: quia, ſcilicet, habent gratiam ſufficientem ad merendum vitam æternam, ad quam omnes ſunt ordinati.

In vndecimo Articulo docet, gratiam vnionis fuiſſe infinitam in Chriſto: Gratiam vero habitualem poſſe conſiderari dupliciter: vno modo in eſſe entis, & ſic fuiſſe finitam: quia recipitur in ſubiecto finito, ſcilicet, in anima Chriſti, quæ finitæ capacitatis eſt. Alio modo ſecundum propriam rationem gratiæ: & ſic poſſe dici gratiam Chriſti infinitam, in quantum in illo extenditur ad omnem effectum gratiæ. Articulus vndecimus.

In duodecimo Articulo docet, gratiam Chriſti non potuiſſe argueri, neque ex parte gratiæ, eo quod in illo pertingit ad ſummam gratiæ menſuram, quæ attenditur penès coniunctionem ad Deum: hæc autem in anima Chriſti fuit ſumma, ſcilicet, coniunctio perſonalis cum Deo, qua maior eſſe non poteſt. Nec ex parte ſubiecti potuit incrementum ſuſcipere; nam Chriſtus in quantum homo, à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit verus, & plenus comprehenſor: in beatis autem, & comprehenſoribus, eo quod ſunt iam in termino, gratia non poteſt augeri. Articulus duodecimus.

In vltimo articulo docet, gratiam vnionis in Chriſto præceſſiſſe gratiam habitualem, non ordine temporis, ſed naturæ, quod probat tripliciter: primo, nam ſecundum gratiam vnionis, dicitur Filius miſſus in mundum; ſecundum gratiam vero habitualem, dicitur mitti Spiritum Sanctum: miſſio autem Filij, ſecundum ordinem naturæ, prior eſt miſſione Spiritus Sancti: ergo gratia vnionis prior eſt prioritate naturæ gratia habituali in Chriſto. Secundò nam gratia cauſatur in homine ex præſentia diuinitatis: præſentia autem Dei in Chriſto intelligitur ſecundum vnionem humanæ naturæ ad diuinam perſonam; prius quam ſecundum vnionem effectiuam per gratiam habitualem: ergo gratia vnionis in vnione perſonali conſiſtens, ordine naturæ habitualem gratiam præcedit. *Tertiò, quia gratia, vtpotè, ad benè agendum ordinata, præſupponit hypoſtaſim: actiones enim ſunt ſuppoſitorum: hypoſtaſis autem non præſupponitur in humana natura ante vnionem, vt habetur ex dictis* quæſtione quarta articulo ſecundo: *ergo gratia vnionis, ſecundum intellectum præcedit gratiam habitualem.* Hæc Diuus Thomas in tota quæſtione ſeptima; pro quorum intellectu, & explicatione ſequentes diſputationes ſubijcimus. Articulus vltimus.

DISPV-

DISPVTATIO VIGESIMA PRIMA.

Vtrùm humanitas Chriſti ſanctificetur formalitèr per aliquid ſubſtantiale?

§. I.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio.

1 *Prima ſententia.* IN HAC Diſputatione duas extremè oppoſitas Theologorum ſententias reperio. Prima negans eſt, quæ tribuitur quibuſdā Antiquis Theologis, aſſerentibus, habitualem gratiam fuiſſe in Chriſto neceſſariam, vt illius humanitatem redderet ſanctam formalitèr. Ita Paludanus *in* 3. *diſt.* 13. *q.* 2. Marſilius *q.* 12. *art.* 1. & Durandus in eadem *diſt. q.* 2. *n.* 3. vbi docet, potuiſſe Verbum diuinum aſſumere humanitatem in puris naturalibus manentem. Tribuitur etiam Vincentio relectione de gratia Chriſti. *q.* 1. in dubio incidente circa ſolutionem ad primum: falſo tamen Vincentius adiungitur huic ſententiæ, ſolum enim negat ſanctificari humanitatem Chriſti à diuina perſonalitate formaliter, idest, per phyſicam informationem: non autem negat ſanctificari formalitèr à perſonalitate Verbi contrapoſitiuè ad radicaliter. Illam expreſsè docent Radda 3. *p. controuerſia* 4. *art.* 3. *concluſ.* 4. vbi ait, eſſe omnium Scotiſtarum ſententiam, & Franciſcus del Caſtillo *in præſenti diſp.* 11. *q.* 2.

Palud. Marſil. Durand. Vincent. Radda. Caſtillo.

2 *Secunda ſententia.* Communis tamen, veraque Theologorum ſententia affirmat, humanitatem Chriſti præcedentèr ad gratiam habitualem, ex vi gratiæ vnionis, quæ donum eſt ſubſtantiale, conſtitui ſanctam formaliter, contrapoſitiuè ad radicaliter. Hanc tenent Magiſter Soto *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *& lib.* 3. de natura & gratia *cap.* 6. Medina in præſenti *dub.* 2. Aluarez *diſp.* 31. Nazarius *in præſenti art.* 1. *controuerſia* 1. Illuſtriſſimus Araujo *dub.* 2. & Lorca *diſp.* 37. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *diſp.* 18. *ſectione* 1. Vazquez *diſp.* 41. *cap.* 3. Valentia *in hac quæſt. puncto* 1. Raguſa *diſp.* 67. §. 2. Becanus *cap.* 8. *q.* 1. Granadus *tract.* 7. *diſp.* 1. Cardinalis Lugo *diſp.* 16. quibus cæteri Recentiores ex eadem familia frequentèr adhærent.

Soto. Medin. Aluar. Nazar. Araujo. Suar. Vazq. Valent. Raguſ. Becanus. Granad. Lugo.

3 *Varij modi dicendi.* Licet autem præfati Auctores in allegata ſententia conueniant, in modo illam defendendi diſſident, & in plures modos dicendi diuiduntur: quibuſdam aſſerentibus, ſanctificari humanitatem Chriſti formalitèr, tum a modo ſubſtantiali vnionis, quem realiter ab extremis diſtinguit *tomo præcedenti tract.* 2. cum frequentiori Recentiorum ſententia docuimus. Tum à perſonalitate Verbi, quatenus à natura diuina, & à perfectionibus abſolutis Dei virtualiter diſtincta. Tum denique a natura diuina ſub conceptu eſſentiæ, & naturæ. Alijs è contra docentibus à ſola perſonalitate Verbi, prout virtualiter à natura diuina diſtincta, formaliter ſanctam conſtitui. Alijs denique aſſerentibus à ſola eſſentia, & natura diuina, ſub conceptu eſſentiæ, & naturæ; non autem à modo ſubſtantiali vnionis, nec à perſonalitate Verbi ſanctificari formaliter. Auctores dabimus noſtram explicantes ſententiam. Pro quo ſit.

4 *Prima concluſio.* PRIMA CONCLVSIO. Humanitas Chriſti Domini, eſt ſancta, & grata formalitèr per aliquod donum ſubſtantiale a gratia habituali diſtinctum. Ita omnes Auctores relati pro ſecunda ſententia, ex quibus Vincentius, adeò certum id exiſtimat; vt oppoſitum, nec cum probabilitate, nec cum ſecuritate poſſit defendi. Et Vazquez expreſsè doctrinæ Conciliorum, & Patrum aduerſum. Concluſionem iſtam probant quidam Theologi, ex Vincentio vbi ſuprà *concluſ.* 2. *pag.* 94. in hunc modum: etenim vnio hypoſtatica verè, & propriè gratia eſt, vnde à Theologis communiter gratia vnionis nuncupatur, quæ gratia fuit facta Chriſto, non vt Deo, ſed vt homini, id eſt, Chriſti humanitati: ergo ex vi illius humanitas Chriſti Domini Deo grata, & accepta conſtituitur: ac proinde ſancta formalitèr.

Quorundam ratio refertur.

5 *Prædicta ratio rejicitur.* Hoc tamen argumentum non vrget. Tum, quia probat modum ſubſtantialem vnionis humanitatis cum Verbo, ratione ſui, quatenus ab extremis diſtinctum, humanitatem Chriſti ſanctam formaliter conſtituere; cum prout ſic gratia ſit à Deo facta humanitati, cuius oppoſitum ſequenti concluſione monſtrabimus. Tum etiam, quia conuincit perſonalitatem Verbi, ratione ſui prout à natura diuina diſtinctam, etiam ſanctificare formaliter Chriſti humanitatem; cum prout ſic etiam ſit gratia humanitati facta, cuius contrarium concluſione tertia conſtabit. Tùm denique; nam omne beneficium à Deo nobis conceſſum gratuito, eſt gratia, & talis nuncupatur à Theologis: non tamen omne beneficium, etiam ſupernaturale, conceſſum nobis a Deo, eſt ad ſanctificandum ſufficiens, vt conſtat in fide, quæ beneficium eſt, & gratia ſupernaturalis: & tamen non eſſe ratione ſui formam ſanctificantem formalitèr, eſt catholica veritas. Conſtat etiam in dono charitatis, ſiuè actualis, ſiuè habitualis, quòd gratia eſt: & tamen non reddere formalitèr gratum, & ſanctum ſubiectum, eſt frequentior Theologorum ſententia. Conſtat denique in viſione beata, quam eſſe donum maximum, & gratiam ſimplicitèr, nullus Theologorum negabit, cum in illa noſtra beatitudo, & fœlicitas ſumma conſiſtat: & tamen non ſanctificare formalitèr, ratione ſui, probabilior tenet ſententia: ergo iſta conſequentia non valet: *Vnio humanitatis ad Verbum eſt gratia humanitati facta: ergo conſtituit illam formalitèr gratam, & ſanctam.*

6 *Aliorum ratio proponitur.* Secundò, alij Recentiores ſic arguunt: ex vi gratiæ vnionis, gratia habituali ſecluſa, redditur humanitas Chriſti impeccabilis: eſt enim gratia vnionis cum peccato incompoſſibilis, multo magis, quàm gratia habitualis: cum hæc compatiatur ſecum peccatum veniale, ſecus autem gratia vnionis: ergo ex vi illius, etiam ſi omnem gratiam habitualem ab humanitate Chriſti ſecludamus, redditur formaliter ſancta.

7 *Prædicta ratio rejicitur.* Sed nec premit hoc argumentum: primò, quia ad ſummum probat gratiam vnionis ſanctificare humanitatem Chriſti ſanctitate negatiua, conſiſtente in immunitate à peccato, cum tamen in præſenti de ſanctitate poſitiua præcipuè inquirimus, an, ſcilicet, à dono ſubſtantiali, humanitati Chriſti præſtetur? Deindè; nam beatos, ex vi beatificæ viſionis impeccabiles conſtitui, cum frequentiori ſententia docuimus *tractatu de beatitudine*: & tamen viſionem beatificam non ſanctificare formalitèr, probabilior tenet ſententia: ergo ex eo quòd per gratiam vnionis impeccabilis conſtituatur humanitas Chriſti, non probatur ſanctificari per illam formalitèr. Præterea, nam ſi quid prædictum argumentum ſuadet, conuincit perſonalitatem Verbi, ratione ſui, quatenus à natura diuina diſtinctam, eſſe ſanctitatem formalem: cuius contrarium concluſione tertia moſtrabimus. Quod autem ſequatur patet. Nam ſic ſumpta perſonalitas reddit humanitatem Chriſti impeccabilem. Denique, quia non omne cum peccato incompoſſibile eſt ſufficiens ad ſanctificandum formalitèr: actus enim charitatis, non poteſt cum peccato mortali, ſiuè actuali, ſiuè habituali componi, vt docuimus *tract. de Gratia Dei art.* 3. cum communi

ni Thomiſtarum ſententis ibi, & 1.2. q.1. art.5. & tamen non eſſe ſanctitatem formalem frequentius docetur à Theologis, eſtque in via Thomiſtarum commune: ergo ex eo, quòd gratia ſubſtantialis vnionis cum peccato incompenatur, non ſequitur humanitatem Chriſti, ratione ſui, conſtituere ſanctam formalitèr.

8 *...batur ...cluſio* Prætermiſſis igitur his argumentis, ſuadenda eſt concluſio primò: nam apud Patres idem eſſe vnctum, ac eſſe ſanctum formalitèr, quocirca iuſti Chriſti, id eſt, vncti appellantur; ſed Chriſtus, in quantum homo, dicitur ſubſtantialitèr vnctus à diuinitate formalitèr: ergo dicitur etiam ab eadem diuinitate formalitèr ſanctus. Minor, in qua eſt difficultas, probatur primò ex Dionyſio Alexandrino *in epiſtola contra Paulum Samoſetanum*, ex Baſilio *in illud Pſalmi 44. Propterea vnxit te Deus*, ex Atanaſio *in oratione contra Arrianos*, ex Cirillo *lib. 4. in Ioannem cap. 29.* ex Damaſceno *lib. 3. de fide cap. 3.* ac denique ex Gregorio Nazianzeno *oratione 36. quæ eſt 4. de Theologia nu. 94.* vbi, de Chriſto loquens, ſic habet: *Chriſtus verò dicitur propter diuinitatem, ea enim humanitatis vnctio eſt, non operatione, vt in alijs Chriſtis ſanctificans, ſed totius vngentis præſentia.* Ex quibus verbis oſtenditur minor primò: nam Chriſtus idem eſt, quod vnctus; ſed Chriſtus, in quantum homo eſt ſubſtantialitèr Chriſtus: ergo eſt ſubſtantialiter vnctus, & conſequentes ſubſtantialiter ſanctus. Secundò, nam Chriſtus dicitur vnctus à diuinitate, non operatione, ſicut alij iuſti: ergo dicitur vnctus à diuinitate formalitèr. Tertiò, quia vt expreſsè docet Nazianzenus, diuinitas eſt vnctio humanitatis: ergo conſtituit humanitatem ſubſtantialitèr vnctam, & conſequentèr ſubſtantialitèr ſanctam.

9 *...ponde...* Reſpondebis Nazianzenum, & alios Eccleſiæ Patres eſſe in ſenſu cauſali, non autem in ſenſu formali, accipiendos: ex quo tantum ſequitur diuinitatem eſſe, vnctionem humanitatis, non formalitèr ratione ſui, ſed cauſalitèr, & originalitèr: quatenus ex ſe deriuat gratiam habitualem, qua humanitas formalitèr vngitur, & formalitèr ſanctificatur. Sed contra primò: nam ſi diuinitas ſolum cauſaliter ſanctificaret humanitatem Chriſti, ſanctificaretur operatione diuina: cum gratia formaliter illam ſanctificans à diuinitate per operationem efficientèr cauſetur; ſed vt ait Nazianzenus: *Diuinitas eſt vnctio humanitatis Chriſti, non operatione, vt in alijs Chriſtis ſanctificans, ſed totius vngentis præſentia*: ergo non cauſalitèr tantum, ſed etiam ratione ſui formaliter diuinitas eſt vnctio, & ſanctitas humanitatis.

10 *...dions.* Nec refert ſi dicas, Nazianzenum, in allegatis verbis, non excluſiſſe operationem Dei in ſanctificatione humanitatis à diuinitate, ſed operationem humanitatis. Et in hoc ſtare diſcrimen, quòd alij ſancti, media propria operatione, ſe diſponunt ad ſanctificationem à diuinitate præſtandam: humanitas autem Chriſti, non ſe diſpoſuit per propriam operationem. Non inquam refert, tùm, quia negatiò adæquatè diſtribuit, ac proindè, omnem *Obſtat ...mò.* operationem, tam Dei, quam humanitatis, excludit à ſanctificatione præſtita à diuinitate. Tùm etiam, nam *Obſtat ...undò.* eſt probabilis Theologorum ſententia aſſerentium, humanitatem Chriſti ad gratiam habitualem, ſe per proprios actus antecedentèr diſpoſuiſſe: ergo operatio, quam Nazianzenus excludit à ſanctificatione præſtita humanitati à diuinitate, non eſt ſola operatio humanitatis, ſed operatio diuinitatis: ita vt ſenſus verborum Nazianzeni ſit, diuinitatem ſe ipſa, abſque media operatione cauſante formam ſanctificantem, eſſe ſanctitatem humanitatis Chriſti.

11 *Secundò impugnatur principalis ſolutio.* Deindè principalis ſolutio reijcitur; etenim Nazianzenus intendit probare dici Chriſtum à diuinitate, & aſſumit pro medio, quia diuinitas eſt vnctio humanitatis; ſed dicitur Chriſtus à diuinitate formalitèr: ergo diuinitatem eſſe vnctionem humanitatis accipit in ſenſu formali. Patet conſequentia: nam Chriſtus idem eſt, quod vnctus: ergo eſſe Chriſtum formalitèr, idem eſt, quod eſſe formalitèr vnctum. Sed non ſtat eſſe vnctum formalitèr à diuinitate, vt vngente virtualiter: ergo non ſtat eſſe Chriſtum formaliter à diuinitate, vt vngente virtualiter, ſeu cauſaliter tantum. Tertiò reijcitur; nam verba Nazianzeni, & aliorum Patrum cum maiori proprietate accipiuntur intellecta, in ſenſu formali, quam in ſenſu cauſali: & ex eo quod ſic accipiantur nullum inconueniens ſequitur: ergo ſic ſunt accipienda. Denique; nam iuxta Nazianzenum aliter comparatur diuinitas ad humanitatem Chriſti, in ratione vnctionis, & ſanctitatis, atque ad alios homines iuſtos; ſed aliorum eſt ſanctitas, vnctio cauſaliter; cauſat enim gratiam in illis, qua vnguntur, & ſanctificantur formaliter: ergo reſpectu humanitatis Chriſti, eſt ſanctitas, & vnctio formalis.

Reſpondebis abſque eo quod diuinitas ſit formalis ſanctitas humanitatis, ſaluari alietatem comparationis reſ- 12 *Reſpondebis.*
pectu illius, & aliorum hominum penès hoc, quod alios iuſtos ſanctificat diuinitas purè effectiuè, cauſando ſcilicet, efficienter gratiam habitualem ſanctificantem illos formaliter, reſpectu verò humanitatis Chriſti, non purè effectiuè ſe habet, ſed vt principium dimanationis phyſicæ, vel moralis, iuxta varias Theologorum ſententias; licet enim diuinitas, non ſit ſanctitas; humanitatis Chriſti formalitas, eo tamen ipſo, quod humanitati vniatur petit exigentia phyſica, vel ſaltim morali, quod gratia habitualis humanitati Chriſti infundatur, per quam ſanctificetur formaliter.

Sed contra primò; nam diſcrimen aſſignatum, non eſt ſufficiens ad intentum Nazianzeni, quod erat probare, 13
Chriſtum dici à diuinitate, quia diuinitas eſt vnctio, & *Contra*
ſanctitas humanitatis: ergo admittendum non eſt. Probatur antecedens, nam intentum erat probare dici Chriſtum, quod idem eſt ac vnctus, a diuinitate; ſed à diuinitate ſolum radicaliter ſanctificante, & vngente non poteſt dici Chriſtus, quod idem eſt, ac vnctus, formalitèr: ergo diſcrimen traditum intentum Nazianzeni non ſaluat. Contra ſecundò, nam eo ipſo, quod diuinitas humanitati vnita ſit radix phyſica, vel moralis gratiæ habitualis, non ſolum radicaliter, ſed etiam formalitèr humanitatem ſanctificat, vt inferius oſtendemus: ergo admiſſo prædicto diſcrimine, admittendum etiam eſt, diuinitatem eſſe ſanctitatem formalem humanitatis. *primò. Contra ſecundò.*

14 *Secundò ſuadetur concluſio.* Secundo principaliter ſuadetur concluſio ex D. Thoma *infra q. 22. art. 2. ad 3.* illis verbis: *Acquiſiuit enim actualem hoſtia ſanctificationem, tunc ex antiqua charitate, & gratia vnionis ſanctificante eandem abſolutè*; ſed forma abſolutè ſanctificans eſt formalis ſanctitas, quod enim ſolum radicaliter ſanctificat, non dicitur abſolutè ſanctificare, ſed cum addito, ſicut id, quod ſolum radicaliter conſtituit riſibile, non dicitur abſolutè, ſed cum addito, conſtituere: ergo iuxta D. Thomam ex vi gratiæ vnionis, quæ donum ſubſtantiale eſt, & à gratia habituali diſtinctum, ſanctificatur humanitas Chriſti formaliter. Confirmatur primò ex D. Thoma *in tertio diſt. 13. q. 1. art. 1. ad vltimum*, vbi docet: *Chriſto ex vi vnionis ad Verbum repugnare peccatum, & deberi gloriam, requiri tamen gratiam habitualem, vt perficeret illius animam in ordine ad actu gloriæ*; ſed illa eſt forma ſanctificans formaliter, quæ mundat animam à peccato, & ratione cuius gloria debetur, cum ratione talis formæ homo à Deo diligatur in ordine ad vitam æternam: ergo ſentit D. Thom. ex vi vnionis ſubſtantialis ad Verbum ſanctificari humanitatem Chriſti formaliter. *Confirma. primò.*

Confirmatur, vrgetur ſecundò ex eodem D. Thoma q. 29. *de veritate art. 1.* vbi duplicem ad Deum vnionem 15
diſtinguit, vnam ſecundum eſſe, & hanc aſſerit conuenire *Confirmatur ſecundò.*
humanitati per gratiam vnionis, aliam ſecundum operationem, & ad illam indiguiſſe animam Chriſti gratia habituali; ſed gratia habitualis vniens animam Deo ſecundum operationem reddit illam formaliter ſanctam: ergo gratia vnionis, per quam vnitur vna ima Deo ſecundum eſſe, conſtituit illam ſanctam formaliter. Confirmatur & vrgetur tertiò, nam D. Thom. *in hac q. art. 1.* oſtendit neceſſitatè gratiæ habitualis in anima Chriſti, primò ex illius propinquitate ad Verbum, ſecundo vt eſſet connaturale principium cognitionis & amoris, in ordine ſupernaturali, tertio ex habitudine ipſius Chriſti ad genus humanum, cuius eſt caput; non autem probat prædictam gratiæ neceſſitatem pro effectu ſanctitatis præſtando; ſed ſi non ſanctificaretur Humanitas Chriſti ex vi doni ſubſtantialis formaliter, ſed ſolum ex vi gratiæ habitualis, D. Thom. illius neceſſitatem in anima Chriſti probaſſet ob effectum ſanctitatis præſtandum, cum ſit præcipuus effectus inter præſtitos à gratia habituali: ergo manifeſtè ſentit neceſſarium ad hunc effectum non fuiſſe: & conſequentèr ſentit ex vi doni ſubſtantialis à gratia habituali diſtincti ſanctificari humanitatem Chriſti formaliter. *Confirmatur tertiò.*

16 *Deniqua probatur concluſio.* Denique probatur concluſio hac ratione; nam ex vi gratiæ vnionis ſanctificatur formaliter humanitas Chriſti; ſed gratia vnionis eſt donum ſubſtantiale à gratia habituali diſtinctum: ergo ſanctificatur humanitas Chriſti formaliter ab aliquo ſubſtantiali à gratia habituali diſtincto,

Con-

Conſequutio cum minori tenet. Maior autem oſtenditur primò; quod enim præſtat animæ participatio Deitatis, multo melius id præſtabit ſubſtantialis Deitatis communicatio; ſed gratia habitualis, quæ eſt participatio Deitatis ſanctificat animam formaliter: ergo gratia vnionis, quæ eſt ſubſtantialis Deitatis communicatio ſanctificat humanitatem Chriſti formalitèr. Secundò probatur; nam id ex vi cuius debetur gloria humanitati Chriſti ſanctificat illam formaliter, cum ex vi illius diligatur à Deo in ordine ad gloriam; & conſequentèr amicabiliter, in quo conſiſtit eſſe ſanctum formaliter; ſed ex vi gratiæ vnionis debetur gloria humanitati Chriſti, cum ex vi illius ſit debita humanitati gratia habitualis, vt fatentur contrariæ ſententiæ Auctores, ob hanc cauſam aſſerentes gratiam vnionis ſanctificare humanitatem Chriſti radicalitèr, quia, nempè, ratione illius debetur animæ Chriſti gratia habitualis, quæ illam ſanctificat formalitèr: ergo ex vi gratiæ vnionis conſtituitur ſancta formaliter humanitas Chriſti.

17 *Tertiò probatur.* Tertiò eadem maior probatur; donum in radice continens omnia ad ordinem gratiæ ſpectantia reddit ſubiectum, cui datur, amicabiliter dilectum à Deo, in quo conſiſtit eſſe gratum, & ſanctum formalitèr; ſed gratia vnionis eſt donum humanitati factum continens radicaliter omnia ad ordinem gratiæ ſpectantia, vt fatentur contrariæ ſententiæ Auctores, aliàs nec radicaliter humanitatem Chriſti ſanctificaret, cuius contrarium affirmant: ergo gratia vnionis, ratione ſui conſtituit humanitatem Chriſti amicabilitèr dilectam à Deo: & conſequentèr non ſolum radicaliter, ſed etiam formaliter ſanctam. Et augetur difficultas primò: quia namque gratia habitualis continet radicaliter gloriam, ideo reddit animam gratam, & ſanctam formaliter; ſed gratia vnionis continet gloriam radicaliter, eminentius, quam gratia habitualis, cum ipſam gratiam habitualem radicaliter contineat: ergo conſtituit humanitatem Chriſti gratam, & ſanctam formalitèr. Confirmatur, & vrgetur ſecundò, & tacita euaſio præcluditur; nam eſto gratia habitualis per modum radicis phyſica contineat habitus viæ, de quo plures Theologi dubitant; gloriam tamen ſolum moraliter continet, ſaltim prout eſt gratia viæ, & tamen prout ſic ſanctificat formaliter animam: ergo eſto gratia vnionis, non phyſicè, ſed tantum moralitèr contineat in radice gratiam habitualem, & gloriam, erit nihiloſminus formalis ſanctitas humanitatis.

Confirmatur primò.

Confirmatur ſecundò.

18 *Denique probatur.* Denique probatur maior. Etenim humanitas Chriſti eſt ſancta infinitè ſimpliciter, & conſequentèr per formam ſanctificantem, quæ ſimpliciter ſit infinita forma enim finita non valet infinitum effectum præſtare; ſed quidquid reperitur in humanitate Chriſti, præter gratiam ſubſtantialem vnionis, eſt ſimpliciter finitum: ergo per gratiam vnionis ſanctificatur humanitas Chriſti formaliter. Minor cum conſequentia tenet: maior autem probatur; nam opera Chriſti Domini ſunt infinita ſimpliciter, in ratione ſatisfactionis, & meriti, vt tenet frequentior Theologorum ſententia; ſed non ſtat dignitas meritoria infinita in operibus humanitatis Chriſti, abſque infinita humanitatis ſanctitate: ergo humanitas eſt ſancta, & grata Deo infinitè ſimpliciter. Probatur minor; forma namque dignificans opera eſt gratia gratum faciens ſubiectum; quæ immediatè gratificat ſubiectum operans, & mediatè valorat illius operationes: ergo non ſtat valorare operationes infinitè ſimplicitèr, quin gratificet infinitè ſubiectum: & conſequentèr non ſtabit operationes humanitatis Chriſti eſſe infinitas in dignitate meritoria ſimpliciter, quin humanitas ſit infinitè ſimpliciter grata, & ſancta infinitè ſimplicitèr.

19 *Reſpondebis.* Reſpondebis, vt operationes Chriſti ſint infinitæ in valore meritorio, ſufficere perſonam Verbi eſſe ſanctam infinitè, vndè quamuis humanitas infinitè ſancta non ſit, ſubſiſtit infinitas valoris meritorij in operationibus à Verbo media humanitate elicitis. Sed contra; nam vt operationes Chriſti ſint meritoriæ, non ſufficit ſanctitas perſonæ Verbi in ſe ipſa, ſed requiritur ſanctitas perſonæ Verbi, vt eſt homo: ergo ad infinitatem meritoriam illarum non ſufficit ſanctitas infinita Verbi in ſe ipſo, & vt Deus, ſed requiritur ſanctitas infinita Verbi, prout homo eſt; & conſequentèr requiritur ſanctitas infinita humanitatis. Conſequentia eſt bona. Antecedens autem probatur primò; nam ad valorem meritorium operationum requiritur ſanctitas merentis elicitiuè; ſed elicitiuè merens per operationes Chriſti non eſt Verbum in ſe ipſo, nec Verbum vt in Deitate ſubſiſtens, ſed Verbum quatenus homo: ergo ad rationem meriti prædictarum operationum, non ſufficit ſanctitas perſonæ Verbi in ſe ipſa, & vt Deus eſt, ſed requiritur ſanctitas perſonæ Verbi, vt eſt homo. Secundò probatur; ſi namque ſanctitas Chriſti, vt hominis ad meritum operationum Chriſti neceſſaria non eſſet: ſequeretur, quod ſi per impoſſibile humanitas Verbo vnita peccato infecta maneret, operationes illius adhuc meritoriæ ſubſiſterent; conſequens eſt falſum: Chriſtus enim, vt homo, in data hypotheſi, eſſet æterno ſuplicio, & inimicitia dignus; & conſequentèr indignus, vt à Deo exaudiretur: ergo ſanctitas Chriſti, prout hominis neceſſaria eſt ad valorem meritorium ſuarum operationum.

Sed contra.

---

§. II.

Occurritur Argumentis in contra.

20 *Contra concluſionem arguitur primò.* CONTRA iſtam concluſionem arguitur primò ex D. Thoma *quæſtione præcedenti art. 6. in corpore,* illis verbis: *Gratia autem habitualis pertinens ad ſanctitatem ſpiritualem illius hominis eſt effectus quidam conſequens vnionem.* Quibus verbis manifeſtè videtur Angelicus Doctor intendere ſolam habitualem gratiam, Chriſto, vt homini, ſpiritualem ſanctitatem conferre; *& in præſenti art. 1. ad 2.* ibi: *Anima Chriſti non eſt per ſuam eſſentiam diuina; vndè oportet, quod fiat diuina per participationem, quæ eſt ſecundum gratiam;* at ſi per diuinitatem ſubſtantialitèr communicatam eſſet anima Chriſti ſubſtantialitèr ſancta; & conſequentèr diuina, non rectè inferret D. Thom. neceſſitatem gratiæ, vt eſſet diuina per participationem; cum iam eſſet diuina eminentiori, & præſtantiori modo, ſcilicet, per communicationem ſubſtantialem diuinitatis: ergo ſentit animam Chriſti Domini non eſſe ſanctam formalitèr per aliquid ſubſtantiale à gratia habituali diſtinctum. Et *q. 29. de Veritate art. 1. ad 4.* ibi: *Dicendum, quod ſi ponatur anima Chriſti non habere gratiam; tunc Chriſto conueniret beatitudo increata, in quantum eſt Filius naturalis, non autem beatitudo creata, quæ debetur filijs adoptiuis;* ſed ſi humanitas per gratiam vnionis eſſet ſancta formaliter, quamuis gratia habituali careret, eſſet illi debita beatitudo creata; cum ratione ſanctitatis præſtitæ per gratiam vnionis ius haberet ad illam; & conſequentèr ei conueniret: ergo humanitas per gratiam vnionis, non eſt formalitèr ſancta.

21 *Confirmatur primò.* Quod amplius vrgetur primò ex *art. 5. eiuſdem quæſtionis,* ibi: *Ad quartum dicendum, quod quamuis meritum Chriſti, quandam infinitatis rationem habeat ex dignitate perſonæ, tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, ſine qua meritum eſſe non poteſt;* ſed ſi Chriſti humanitas ſanctificaretur formalitèr ab aliquo prædicato diuino, actiones humanitatis ab illo rationem meriti haberent, cum eadem forma ſit, quæ ſubiectum ſanctificat, & opera meritoria conſtituit: ergo non ſanctificatur formalitèr ab aliquo prædicato diuino; & conſequentèr non eſt ſancta formalitèr per gratiam vnionis ſanctitate ſubſtantiali à gratia habituali diſtincta.

22 *Confirmatur ſecundò.* Confirmatur, & vrgetur ſecundò ex eodem D. Thoma *in hac 3. p. infra q. 34. art. 1. ad 2.* illis verbis: *Sed Chriſtus quidem ſecundum hominem factus eſt ſanctus; quia hanc ſanctitatem non ſemper habuit; non tamen factus eſt ſanctus ex peccatore; quia peccatum numquam habuit, ſed factus eſt ſanctus, ex non ſancto ſecundum hominem, non quidem priuatiuè, vt, ſcilicet, aliquando fuerit homo, & non fuerit ſanctus, ſed negatiuè; quia, ſcilicet, quando non fuit homo, non habuit ſanctitatem humanam; & ideo ſimul factus fuit homo, & ſanctus homo;* ſed ſi ſanctitatem præſtitam à gratia habituali, præceſſiſſet ſanctificatio per gratiam ſubſtantialem vnionis; non fuiſſet Chriſtus, in quantum homo, factus ſanctus ex non ſancto negatiuè; cum prò priori ad gratiam habitualem ſupponeretur ſanctus formalitèr per gratiam vnionis ſubſtantialem: ergo iuxta D. Thom. humanitas Chriſti Domini non ſanctificatur formalitèr per aliquod donum ſubſtantiale à gratia habituali diſtinctum.

23 *Reſpondetur.* Reſpondeo, D. Thom. in priori teſtimonio nihil veritati à Nobis traditæ contrarium docere. Solum enim poſiti-

poſitiuè affirmat, gratiam habitualem pertinere ad ſpiritualem ſanctitatem Chriſti, vt hominis: ex hoc tamen non infertur negaſſe aliam eminentiorem ſanctitatem humanitatis per ſubſtantialem Deitatis communicationem, quam locis à Nobis allegatis aſſerunt. Ad ſecundum teſtimonium reſpondeo illo admiſſo, vt iacet, negando minorem: cum enim per communicationem ſubſtantialem diuinitatis, etſi humanitas ſanctificetur, non tamen conſtituitur connaturale principium operationum ſupernaturalium intelligendi, & amandi; fit conſequens, vt poſita ſanctificatione ſubſtantiali præſtita à diuinitate perſonaliter communicata, non excludatur neceſſitas gratiæ habitualis per quam conſtituatur diuina per participationem, & prædictorum actuum connaturale principium; ex quo capite probauerat D. Thom. neceſſitatem gratiæ habitualis in anima Chriſti Domini. Secus contingeret ſi humanitas eſſet per eſſentiam diuina, aut per communicationem diuinitatis per modum formæ phyſicè informantis: tunc enim ratione diuinitatis eſſet anima Chriſti illorum actuum connaturale principium; ac proindè ſuperflueret, quod eſſet per participationem diuina gratiam habitualem.

24 *Explicatur tertium teſtimonium.* Ad tertium teſtimonium dicatur, negata habituali gratia, in anima Chriſti Domini remoueri ab ipſo, actualem beatitudinem creatam, èa defectu principij connaturalis illius, nempè, gratiæ habitualis, à qua beatitudo creata connaturalitèr petit procedere, remouetur etiam ius quaſi elicitum & phyſicum, iſtius beatitudinis, quod in gratia habituali fundatur: non autem remouetur à Chriſto, quatenus homine ius purè morale, competens humanitati ratione gratiæ vnionis, ſanctificans illam ſubſtantialitèr, vt docet D. Thomas in 3. *diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 1. *ad vltimum*, vbi ait: *Chriſtus ex vi vnionis ad Verbum repugnare peccatum, & debere gloriam; requiri tamen gratiam habitualem, vt perficeret illius animam in ordine ad actus gloriæ*, quæ verba de morali debito ſunt accipienda. Eandem doctrinam repetit Angelicus Doctor *in hac* 3 *p. infra q.* 19. *art.* 3. *ad* 2. *D. Thom.*

25 *Occurritur primæ confirmationi.* Ad primam confirmationem dicatur, loqui Angelicum Doctorem de principio *quo* meritum Chriſti connaturaliter eliciente, illudque dignificante dignitate ſui ordinis exacta connaturaliter ab actibus ſupernaturalibus, quibus Chriſtus merebatur: & hanc dignitatem fatemur, actibus humanitatis ratione habitualis gratiæ competere, & ſine illa meritorios eſſe non poſſe, nempè, modo ipſis connaturali: non autem loqui de principio dignificante operationes Chriſti abſolutè, dignitate alterius ordinis, & ab ipſis non exacta, quæ illis competit per gratiam ſubſtantialem vnionis, eiſque poſſet conuenire, quamuis in anima Chriſti Domini gratia habitualis non reſideret.

26 *Ad ſecundam confirmationem reſpondetur.* Ad ſecundam confirmationem reſpondeo primò, Chriſtum in quantum hominem, factum fuiſſe ſanctum ex non ſancto ſanctitate formali phyſicè illius animæ inhærente, quæ ſanctitas à gratia habituali præſtatur, illamque prioritate naturæ non præcedit: non verò ex non ſancto per negationem omnis ſanctitatis præcedentis gratiam habitualem pro ſigno, & priori naturæ: nam pro tali ſigno præintelligitur in Chriſto, quatenus homine, ſanctitas à gratia vnionis ſubſtantiali proueniens. Et ſic, doctrina D. Thomæ explicata, diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia: ſolum enim ſequitur, non præceſſiſſe gratiam habitualem, ſanctitatem formalem, & phyſicam, non autem, quod illam non præceſſerit ſanctitas perſonalis moralis, quæ à gratia vnionis humanitati Chriſti præſtatur.

27 *Reſpondetur ſecundò.* Secundo reſpondeo, Chriſtum in quantum hominem factum fuiſſe ſanctum, ex non ſancto negatiuè, per negationem ſanctitatis humanæ, quia in inſtanti præcedenti formationem humanitatis non erat huiuſcemodi ſanctitas; ſed ſolum ſanctitas increata, & diuina Verbo per eſſentiam conueniens, quæ explicatio ferè ſine interprete ex Angelico Præceptore colligitur loco in contrarium adducto, ibi: *Sed factus eſt ſanctus ex non ſancto ſecundum hominem, non quidem priuatiuè, vt ſcilicet, aliquando fuerit homo, & non fuerit ſanctus, ſed negatiuè: quia, ſcilicet, quando non fuit homo, non habuit ſanctitatem humanam; & ideo ſimul factus fuit homo, & ſanctus homo.* *S. Thom.*

28 *Secundum argumentum.* Secundò principaliter arguitur, effectus formalis formæ non poteſt ab alio, quam ab ipſa forma præſtari, ſicut eſſe hominem à ſola humanitate, & eſſe album ab albedine ſola præſtatur: ſed eſſe gratum, & ſanctum eſt effectus formalis, & primarius habitualis gratiæ: ergo à dono ſubſtantiali à gratia habituali diſtincto communicari non poteſt; & conſequentèr humanitas Chriſti Domini per gratiam vnionis non ſanctificatur formaliter ſed ſolum per gratiam habitualem redditur formalitèr ſancta.

29 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: eſſe gratum gratitudine accidentali; eſt effectus gratiæ habitualis, concedo minorem: eſſe gratum gratitudine ſubſtantiali, vel gratitudine ſumpta in communi, nego minorem, & conſequentiam, vel diſtinguo conſequens diſtinctione minoris. Itaque eſſe ſanctum, vel gratum abſtrahit à grato gratitudine accidentali, & à grato gratitudine ſubſtantiali. Et ſumptum in communi eſt effectus formæ ſanctificantis ſimili communitate gaudentis, abſtrahentiſque à forma ſubſtantiali, & à forma accidentali. Primum membrum à forma accidentali præſtatur, nec poteſt ab alio, quam ab illa prouenire, ſecundum verò prouenit à forma ſubſtantiali, ex quo ſolum ſequitur humanitatem Chriſti per gratiam vnionis non eſſe ſanctam, & gratam gratitudine accidentali, non verò quod per illam ſancta, & grata ſubſtantialiter non conſtituatur.

30 *Aliter reſpondet Vincentius.* Aliter Magiſter Vincentius huic argumento reſpondet, nimirum, diſtinguendo gratitudinem formalem, & gratitudinem perſonalem. Primam docet, eſſe effectum formalem gratiæ habitualis, nec præſtari poſſe ab aliquo ab illa diſtincto: ſecundam vero gratitudinem non eſſe, nec poſſe effectum gratiæ habitualis, ſed gratiæ vnionis ſubſtantialis. Quæ doctrina in cauſa fuit, vt à pluribus Auctoribus ſententiæ Nobis contrariæ adiungeretur, immeritò tamen, vt in diſputationis limine notabam: non enim negat Vincentius, humanitatem Chriſti eſſe ſanctam, & gratam formaliter per gratiam vnionis, ſumpto ly *formalitèr* contrapoſitiuè ad *radicalitèr*; ſed ideo vocat illam gratitudinem perſonalem, & non formalem, quia non præſtatur à perſonalitate Verbi mediante phyſica informatione humanitatis, ſed media phyſica terminatione illius: ex quo perperam infertur: Vincentium docuiſſe humanitatem Chriſti, non eſſe ſanctam formalitèr per gratiam ſubſtantialem vnionis: ſicut ex eo; quod per ſubſiſtentiam Verbi abſque phyſica informatione reddatur ſubſiſtens: non licet inferre, non conſtitui humanitatem Chriſti per illam formalitèr ſubſiſtentem.

31 *Aliorum ſolutio reijcitur primò.* Aliorum ſolutio eſt, effectum formalem formæ poſſe præſtari, non ſolum à tali forma, ſed etiam ab alia, in qua eminentèr contineatur: ſanctitas autem increata eminentèr continet gratiam habitualem, ideoque poteſt illius effectum humanitati Chriſti communicare. Hæc tamen ſolutio non placet, & reijcitur primo: nam licet ſanctitas increatam, contineat eminenter ſanctitatem creatam, non tamen poteſt humanitati vniri illius effectum præſtando, qui eſt poſſe radicaliter phyſicè videre, & amare Deum: ſicut intellectus diuinus, quamuis eminenter lumen gloriæ contineat, non poteſt intellectui creato effectum formalem luminis gloriæ præſtare, nec voluntas diuina voluntati creatæ poteſt effectum formalem habitus charitatis præbere, quamuis illum eminentèr contineat, vt *tractatu de Viſione Dei*, & *tractatu de Charitate docuimus*. Quorum omnium ratio eſt, nam id, quod vnitur per modum principij vitalis, ſiuè radicale ſit, ſiuè proximum, neceſſario debet intrinſecè informare ſubiectum, cui vnitur; hæc autem informatio perfectionibus diuinis repugnat. *Secundò.* Deindè reijcitur, nam ſi increata ſanctitas humanitati vnita, illi effectum formalem habitualis gratiæ præberet; ſuperflueret gratia habitualis in anima Chriſti Domini: conſequens eſt falſum, vt ex omnium Theologorum ſententia *diſputatione ſequenti* videbimus: ergo ſolutio tradita eſt nulla.

32 *Contra noſtram ſolutionem objicitur.* Sed aduerſus noſtram ſolutionem objicies, ſi eſſe gratum, & iuſtum dicta communitate gauderent, vel eſſet commune vniuocum, vel analogum; neutrum poteſt dici: ergo tali communitate non gaudet. Minor pro prima parte certa videtur: nam creato, & increato nihil eſſe poteſt vniuocè commune, vt perpetuo docet D. Thomas, quem ſequitur maior, & melior pars Theologorum; ſed forma præbens ſanctitatem ſubſtantialem eſt increata, quæ autem præſtat ſanctitatem accidentalem eſt creata: ergo illis nihil commune vniuocum datur; & conſequentèr nec illorum concretis. Pro ſecunda vero

par-

parte probatur: non enim eſt analogum analogia proportionalitatis, quia ad hoc analogiæ genus, exigitur tranſcendantia; ſanctitas autem, vt ſic, non tranſcendit ſanctitatem creatam, nec analogia attributionis: ad hanc enim neceſſaria eſt dependentia, licet autem ſanctitas accidentalis dependeat à ſanctitate increata ſubſtantiali, quatenus ſanctificat Deum, non verò dependet ab illa, vt vna ſanctificante, aut potente ſanctificare creaturam: ergo nullo analogiæ genere gaudet.

33 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando minorem pro ſecunda parte: ad illius probationem dicatur; vtroque genere analogiæ gaudere, nec obſtat ad primum analogiæ genus, ſcilicet, proportionalitatis, quod ſanctitas, vt ſic, non tranſcendat ſanctitatem creatam, eſto ita eſſe admittamus; nam ſufficit, quod tranſcendat ſanctitatem increatam: cum eo ipſo importet in ſuo conceptu actuali, non ſolam vnitatem, ſed etiam diuerſitatem; quod autem ſanctitatem increatam tranſcendat, conſtat; nam omnia diuina formalitas debet eſſe completa: ergo ſanctitas increata, eſt ſanctitas perfecta, & completa; & conſequenter tranſcendit ut à ratione ſanctitatis vt ſic. Nec magis obſtat probatio ſecundæ partis minoris; cum enim ſanctitas increata, ſub eodem conceptu, Deum, & creaturam ſanctificet, eo ipſo, quod ſanctitas accidentalis dependeat ab illa, vt ſanctificante Deum etiam dependet ab illa vt ſanctificante, aut potente ſanctificare creaturam; & conſequenter ſanctitas vt ſic analogicè prædicatur analogia attributionis de ſanctitate accidentali, & de ſanctitate ſubſtantiali.

34 *Tertium argumentum.* Tertiò arguitur; nam iuxta Diuum Thomam *in hac 3. p. infra q. 19. art. 3.* & communem Theologorum ſententiam, Chriſtus non meruit ſibi de facto gratiam habitualem, quamuis illam mereri potuerit de potentia abſoluta; ſed ſi humanitas Chriſti ſanctificaretur per gratiam vnionis formaliter, de facto ſuis operibus habitualem gratiam meruiſſet: ergo non ſanctificatur formalitèr per gratiam vnionis. Probatur minor nam iuxta. D. Thomam *infra q. 34. art. 3.* Chriſtus, in primo ſuæ conceptionis inſtanti, ſanctificatus fuit ſanctificatione adultorum, ſcilicet, per proprios actus ſe ad iuſtitiam diſponendo; & conſequenter actus iſti præceſſerunt prioritate naturæ infuſſionem gratiæ habitualis ſed ſi humanitas ſupponitur ſanctificata per gratiam vnionis formaliter, nihil prædictis actibus defuit, vt eſſent de facto merita condigna gratiæ, cum à ſubiecto formaliter grato, & ſancto pro illo priori procederent: ergo ſi humanitas per gratiam vnionis ſanctificatur formaliter, de facto meruit Chriſtus per proprias operationes merito de condigno gratiam habitualem.

35 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; licet namque diſpoſitio antecedens præcedat formam, ad quam diſponit prioritate naturæ, diſpoſitio tantum comitans, & exornans prioritatem iſtam non petit, & D. Thomas loquutus fuit de diſpoſitione comitante, non autem de antecedente, vt cum alij docet Nazarius *loco allegato controuerſia vnica part. 7.* ac proinde ex doctrina Diui Thomæ non ſequitur, quòd Chriſtus per proprios actus de facto gratiam habitualem meruerit. *Nazar.*

36 *Reſpondetur ſecundò.* Vel ſecundò reſpondetur, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, negando minorem. Deficiebat namque illis actibus, quod ordinarentur ad habitualem gratiam, vt præmium. Quod autem ſic non fuerint ordinati, conſtat primò ex communi Theologorum doctrina. Secundò nam omnes actus meritorij Chriſti debebant in ratione talium conſtitui modo ipſis connaturali, vt autem actus Chriſti connaturali modo ſint materia, petunt dignificari immediatè per gratiam habitualem, quæ eſt dignitas ſui ordinis, illis connaturaliter debita, & hac dignificatione ſuppoſita, ad altiorem dignitatis ordinem per ſanctitatem ſubſtantialem eleuari. Quia ergo pro priori præcedentiæ ad gratiam habitualem non erant informati, nec dignificati ab illa, non poterant eſſe modo ſibi debito, & connaturali meritorij; & idcirco non fuerunt per voluntatem Chriſti ad gratiam habitualem, vt ad præmium ordinati. Quæ contra doctrinam iſtam obſtare poſſunt examinabimus *infra de merito Chriſti tractantes.*

37 *Quartum argumentum.* Quartò arguitur; nam id ſolum poteſt ſanctificare formalitèr, ratione cuius ſubiectum acceptatur ad vitam æternam, & diligitur in ordine ad illam; ſed ratione gratiæ vnionis non diligitur humanitas Chriſti in ordine ad vitam æternam, nec ad illam acceptatur: ergo per gratiam vnionis non ſanctificatur formaliter. Minor, cui ineſt difficultas, oſtenditur primò: poteſt enim Deus, gratia vnionis præſuppoſita, & Chriſto in ſuo eſſe conſtituto per illam, non dare illius humanitati gloriam, nec gratiam habitualem, imo poteſt omni ſupernaturali dono deſtitutam relinquere, loquendo de potentia abſoluta: cum huiuſcemodi dona cum gratia vnionis, & aſſumptione humanitatis à Verbo, eſſentialem connexionem non habeant: ergo ex vi gratiæ vnionis non diligitur Chriſtus, vt homo, in ordine ad vitam æternam, nec ad iſtam acceptatur. Secundo probatur minor: nam poteſt de potentia abſoluta vnio Verbi fieri ad irrationalem naturam; ſed natura irrationalis non poteſt diligi in ordine ad vitam æternam: ergo ſi diligi, non eſt formalis effectus gratiæ vnionis ſubſtantialis: implicat enim formam vnitam eſſe ſubiecto, & illi ſuum effectum formalem non dare.

38 *Tertiò probatur minor.* Tertiò, nam gratia vnionis non eſt Deo ratio diligendi humanitatem in ordine ad vitam æternam amore neceſſario: cum nihil extra ſe Deus neceſſario diligat, nec amore libero: cum bonum infinitum non liberum amorem, ſed neceſſarium petat terminare: ergo nullo modo eſt ratio, ob quam humanitas diligatur à Deo in ordine ad vitam æternam. Denique probatur; nam humanitas ratione gratiæ vnionis non diligitur in ordine ad vitam æternam increatam Dei: cum huiuſcemodi vitæ ſit incapax, nec in ordine ad vitam æternam, conſiſtentem in viſione creata Dei ab humanitate elicita: tùm, quia natura dat ius, & fundat diligibilitatem in ordine ad hæreditatem ſibi proportionatam: beatitudo autem in viſione creata conſiſtens cum perfectionibus increatis in quarum aliqua vnionis gratia conſiſtit, proportionem non habet. Tùm etiam; quia cum diligibilitas ad gratiam vnionis ſequuta infinita debeat eſſe, vtpotè fundata in forma ſanctificante infinitè, neceſſarium eſt, quod ſit in ordine ad bonum infinitum: viſio autem creata bonum infinitum non eſt ergo humanitas ratione gratiæ vnionis, nõ diligitur in ordine ad vitam æternam, nec acceptatur ad illam.

39 *Reſpondetur argumentum.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, ad primam probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens; non diligitur in ordine ad vitam æternam in iure, & quoad ſufficientiam, nego conſequentiam: in re, & quoad efficaciam, ſubdiſtinguo conſequens: connaturaliter, attenta exigentia vnionis; nego conſequentiam: indiſpenſabilitèr, attenta potentia abſoluta Dei, concedo conſequentiam. Nec hoc ſecundum neceſſarium eſt, vt gratia vnionis humanitatem Chriſti ſanctificet, ſed ſufficit primum, vt conſtat in gratia habituali, quæ formalis ſanctitas eſt; & tamen licet conſtituat hominem dignum vt à Deo acceptetur ad vitam æternam, & det ius ſufficiens ad illam, non tamen conſtituit hominem neceſſario acceptatum: poteſt enim Deus homini in gratia habituali conſtituto, etiam in ſenſu compoſito gratiæ, vitam æternam negare, imo, & illum in æternum punire; ſua vtens abſoluta potentia, in qua hypoteſi talis homo eſſet acceptatus ad vitam æternam in iure, & quoad ſufficientiam, non tamen in re, & quoad efficaciam: paritèr ergo in præſenti caſu, in quo Deus humanitati Verbo hypoſtaticè vnitæ vitam æternam negaret, maneret humanitas ex vi gratiæ vnionis acceptata ad vitam æternam in iure, ideſt, cum iure, vt ad vitam æternam acceptaretur, etſi in re acceptata ad illam non eſſet, vt quantum eſt de ſe gratia vnionis exigebat; & hoc ſufficit, vt gratia vnionis formalis ſanctitas ſit.

40 *Ad ſecundam probationem minoris.* Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam: licet enim forma ſubiecto capaci vnita præbeat illi omnem ſuum effectum formalem; ſecus tamen contingit quando in ſubiecto non adeſt ad omnes illos capacitas; vt conſtat in gratia habituali, quæ non dat Chriſto, vt homini, eſſe Filium Dei adoptiuum; quia in illo ad hunc effectum capacitas non reperitur conſtat etiam in perſonalitate Verbi, quæ naturæ bruti vnita, illam perſonatam non redderet, ſed tantum ſuppoſitam, etſi Verbi perſonalitas vtrumque poſſit præſtare; quia vnius, & non alterius effectus, capax eſt bruti natura: quia ergo natura irrationalis eſt incapax iuris ad vitam æternam, & diligibilitatis in ordine ad illam: fit conſequens, vt quantumuis gratia vnionis ſi potens ad prædictos effectus, non tamen illos præſtet naturæ irratio-

nali

nali defectu capacitatis. Et inſto manifeſtè argumentum in ſententia contrariorum; nam licet contrarij Auctores gratiæ vnionis non concedant vim ſanctificandi formalitèr docent tamen ſanctificare radicalitèr humanitatem Chriſti, quem effectum non præſtat in genere cauſæ efficientis, ſed in genere cauſæ formalis, & tamen Verbum naturæ irrationali vnitum, non ſanctificaret illam radicalitèr: ergo ex eo quod Verbum vnitum naturæ bruti, non ſanctificaret illam formalitèr, nec conſtitueret diligibilem in ordine ad vitam æternam, perperam colligitur huiuſcemodi effectus non dare naturæ rationali, cui vnitur.

41 *Obiectio.* Sed dices, eſto effectus ſecundarius poſſit ſeparari à forma communicata ſubiecto; effectus tamen primarius à forma ſubiecto vnita inſeparabilis eſt: cum effectus formalis primarius, nihil aliud ſit, quam forma ſubiecto communicata; ſed eſſe ſanctum, & diligibile in ordine ad vitam æternam, ſi præſtatur à gratia vnionis formalitèr, non eſt ſecundarius, ſed primarius effectus illius; ſicut eſſe ſanctum, & gratum gratitudine accidentali, eſt primarius effectus gratiæ habitualis: ergo non poterit à forma ſubſtantialitèr ſanctificante ſubiecto communicata ſeparari; & conſequenter non poterit Verbum naturæ irrationali vniri, illamque non reddere ſanctam formalitèr, ſuppoſito quod forma ſanctificans ſit.

42 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo primò, negando maiorem; nam perſonam conſtituere, non eſt effectus ſecundarius, ſed primarius, perſonalitatis Verbi, & relatum conſtituere effectus primarius eſt relationis filiationis diuinæ; & tamen ſubſiſtentia Verbi naturæ irrationali vnita perſonam conſtitueret, ſed tantum ſuppoſitum, & filiatio Verbi humanitati vnita non conſtituit relatam humanitatem, ſed perſonatam, & ſuppoſitatam: ergo formæ ſubiecto communicata, poteſt illi non præbere omnem ſuum effectum formalem, quantumuis primarius ſit, ob incapacitatem ſubiecti; & conſequenter, quamuis eſſe ſanctum, effectus primarius ſit ſanctitatis ſubſtantialis, poterit ab illa naturæ irrationali vnita non præſtari: quia ad huiuſcemodi effectum in natura irrationali non inuenitur capacitas. Nec obſtat probatio in contra; nam effectus formalis primarius non eſt forma, vtcumque communicata, ſed forma communicata ſubiecto capaci.

43 *Reſpondetur ſecundum.* Vel ſecundo reſpondetur, prætermiſſa maiori, negando minorem: nam effectus primarius gratiæ vnionis eſt naturam ſuppoſitatam, & perſonatam reddere, deificatamque conſtituere, hoc eſt diuinitati coniunctam in eadem perſona, aut ſuppoſito; ius autem ad vitam æternam, ſeu diligibilitas in ordine ad illam ſecundario à gratia vnionis præſtatur. Nec obſtat exemplum in probationem adductum: dicimus namque, etiam reſpectu gratiæ habitualis, non primario, ſed ſecundario effectum ſanctitatis, & ius ad vitam æternam comparari; primarius autem effectus illius, eſt ſubiectum conſtituere participem diuinæ eſſentiæ, & naturæ.

44 *Inſtabis.* Inſtabis ergo ſic comparantur in gratia vnionis eſſe ſanctum ſubſtantialitèr, & eſſe Deificatum, ſicut comparantur in gratia habituali eſſe participem diuinæ naturæ, & eſſe ſanctum, & gratum gratitudine accidentali. Sed implicat gratiam habitualem communicare alicui ſubiecto participium diuinæ naturæ, & non præſtare eidem ſanctitatis effectum, & ius ad vitam æternam; ergo pariter implicabit communicari alicui naturæ eſſe Deificatam formaliter per gratiam vnionis, quin illi communicetur eſſe ſanctam, & gratam gratitudine ſubſtantiali, iuſque ad vitam æternam habentem.

45 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo primum conſequens; ſic comparantur quantum ad rationem effectus primarij, & ſecundarij, concedo conſequentiam: ſic comparantur quoad omnia, nego conſequentiam: & conceſſa minori ſubſumpta, neganda eſt ſecunda conſequentia. Ratio autem diſcriminis eſt: nam cum eſſe particeps diuinæ naturæ, ſit eſſe radicem videndi, & amandi Deum, & implicet capacitas ad videndum, & amandum Deum, abſque capacitate amabilitatis ab ipſo, ideo non ſtat capacitas ad participium diuinæ naturæ, abſque capacitate ad ſanctitatem, & conſequenter implicet, quod à gratia habituali primum, & non ſecundum præſtetur: eſſe autem diuinitati coniunctum, dupliciter contingere poteſt, nempè, in vnitate perſonæ, vt coniungitur cum Deo rationalis natura: & in vnitate ſuppoſiti, vt in natura irrationali contingeret; & primo modo affert ſecum indiſpenſabilitèr ſanctitatis effectum, ſecus autem ſecundo modo; ideoque ſtare poteſt capacitas ad eſſe Deificatum, quod primario à gratia vnionis præſtatur, cum incapacitate ad effectum ſanctitatis, qui ſecundario prouenit ab illa.

46 *Ad tertiam probationem minoris.* Ad tertiam probationem minoris argumenti principalis, nego antecedens pro ſecunda parte; nec obſtat eſſe bonum infinitum; nam licet infinitum bonum in ſe ipſo terminet amorem neceſſarium, prout tamen creaturæ communicatum, non terminat amorem neceſſarium, ſed liberum. Nec iterum obſtat ſanctificare infinitè creaturam: ac proindè illam conſtituere neceſſario diligendam. Nam licet infinitum per eſſentiam neceſſitet voluntatem diuinam, infinitum, non per eſſentiam ſed per liberam communicationem, diuinam voluntatem ad ſui amorem non neceſſitat. Et quidem actus Chriſti Domini meritorij, & ſatisfactorij morali gaudent infinitate; & tamen non neceſſitant voluntatem diuinam, vt ab illa acceptentur ad præmium, nec ad remiſſionem culpæ, niſi pacto præſuppoſito, in frequentiori Theologorum ſententia; & hoc ideo, quia non per eſſentiam, ſed per communicationem ſunt infiniti: pariter ergo in præſenti, quamuis humanitas per gratiam vnionis infinitè ſancta conſtituatur; non ideo ad ſui amorem neceſſitat voluntatem diuinam quia non eſt infinitè ſancta per eſſentiam, ſed per communicationem.

47 *Ad vltimam probationem.* Ad quartam probationem minoris, nego antecedens pro ſecunda parte: ad primam illius probationem dicatur; quod licet natura increata ſubiecto, cui conuenit per eſſentiam, præbeat ius in vitam ſibi perſonatam, nempè, ad increatam Dei viſionem; ſubiecto tamen, cui non per eſſentiam conuenit, ſed per communicationem, non dat ius ad vitam ſibi ipſi proportionatam, ſed ad vitam proportionatam ſubiecto, cui talis natura communicatur: & quia vita increata non habet proportionem cum natura creata, cui Dei natura per gratiam vnionis communicatur; benè tamen vita æterna, quæ in viſione Dei creata conſiſtit, hinc ſit, quod non ad illam, ſed ad iſtam tantum præbeat natura diuina ius naturæ creatæ, cui vnitur, & quam ſanctificat. Ad ſecundam antecedentis probationem dicatur; quod vt diligibilitas ad formam infinitam ſequuta, ſit infinita, ſufficit, quod *vel* ſit in ordine ad hæreditatem infinitam, vel ad finitam hæreditatem ſine termino in infinitum: vt conſtat in meritis Chriſti, quæ infinita ſunt moralitèr, & tamen non reſpondet illis præmium in actu infinitum, per hoc ſolum, quod dicunt ordinem ad præmium ſine termino in infinitum. Sic autem præſenti contingit: nam licet non conſtituatur humanitas per gratiam vnionis diligibilis in ordine ad beatitudinem actu infinitam; conſtituitur tamen diligibilis in ordine ad beatitudinem finitam in infinitū, & ſine termino idest, ita vt nulla beatitudine de facto communicata humanitati, poſſit illius dignitas exhauriri, etſi de facto beatitudine fruatur finita: quia infinita in actu beatitudine frui impoſſibile, & implicatorium eſt.

48 *Vltimum argumentum.* Denique arguitur: ſi ex vi gratiæ vnionis ſanctificaretur humanitas Chriſti, ſequeretur, Chriſtum, in quantum hominem eſſe Filium Spiritus Sancti, & totius Trinitatis: conſequens eſt falſum, & contra communiorem Theologorum ſententiam: ergo humanitas Chriſti non ſanctificetur per gratiam vnionis formalitèr. Probatur ſequela, Chriſtus, in quantum homo, eſſet Filius Dei; cum ratione gratiæ vnionis haberet in quantum homo, ius ad hæreditatem diuinam, qua ſola ratione gratia habitualis nos Dei filios conſtituit: quia, nempè, nos conſtituit hæredes, hæreditas namque diuina tantum eſt debita filijs; ſed non eſſet Filius ſolius Patris diuini: ergo eſſet Filius totius Trinitatis. Probatur minor; nam terminus *ad quem* relationis filiationis, eſt ipſum principium actionis, ſupra quam talis relatio fundatur; ſed actio, ſupra quam fundaretur huiuſcemodi relatio, videlicet, actio vnitiua humanitatis ad Verbum, non eſſet à ſola perſona Patris, ſed ab hoc Deo, vt tribus perſonis communi: prout ſic namque Incarnationem cauſauit, fuitque principium illius: ergo terminus *ad quem* relationis filiationis ſupra actionem iſtam fundatæ, non eſſet ſola Patris perſona, ſed hic Deus, vt toti Trinitati communis; & conſequentèr, Chriſtus, in quantum homo, eſſet Filius totius Trinitatis, ſi illius humanitas, ex vi gratiæ vnionis ſanctificaretur formaliter.

49 Suarez *in hac 3. p. diſp. 49. ſect. 2.* & Vazquez *diſp. 89. c. 14.*

c. 14. argumento facto conuicti, non reputant inconuenicos *Quorun-* aſſerere, Chriſtum, in quantum hominem, eſſe Filiū Tri- *dam ſen-* nitatis Quorum ſententiam ad longum examinare præſe- *tentia re-* tis loci non eſt, ſed *infra q. 23.* fusè à Theologis diſcutitur. *fellitur* Pro nunc tamen breuiter, ab illa recedendum exiſtimo, *primò.* primo: quia Concilium Toletanum vndecimum in confeſ- *Concil.* ſione Fidei, illi apertè refragari, videtur, his verbis: *Nam* *Tolet.* *Chriſtus Ieſus nullo modo Spiritus Sancti Filius credi, vel intelligi poteſt.* Quæ verba ſumpta ex Auguſtino *in En-* *S. Auguſt.* *chiridione cap. 38. & cap. 39. & libr. 2. de Trinitate cap.* 10. Et cum vniuerſalia ſint, & omnem modum filiationis excludant, nullam interpretationem videntur admittere, & ſententiæ oppoſitæ apertè aduerſari videntur: cum in illa hæc propoſitio admittatur: *Chriſtus, aliquo modo, eſt Filius Spiritus Sancti*; quæ contradictoriè opponitur propoſitioni Concilij Toletani, ſumptæ ex patente Auguſtino.

50 *Secundò* Secundo, quia ex oppoſito fieret, poſſe in aliquo vero, *refellitur.* & catholico ſenſu concedi Spiritum Sanctum eſſe Filium; conſequens abſurdum eſt: ergo ſententia oppoſita eſt falſa. Patet ſequela; nam in contraria ſententia, ideo Chriſtus, in quantum homo, eſt, in aliquo vero ſenſu, Filius naturalis totius Trinitatis per gratiam vnionis, quia ratione illius eſt ſanctus, eique conuenit ius ad hæreditatem Dei; ſed etiam Spiritui Sancto conuenit, per æternam proceſſionem, ius eſſentiale ad hæreditatem Diuinam: ergo poterit concedi in aliquo vero, & catholico ſenſu, Spiritum Sanctum eſſe Filium naturalem primæ, & ſecundæ perſonæ.

51 *Denique* Denique à præfata ſententia recedimus: quia expreſſè *refellitur.* aduerſatur Angelico Præceptori *infra quæſt. 32. art. 3. ad* *S. Thom.* *finem corporis*, illis verbis: *Chriſtus, quamuis ſecundum humanam naturam ſit creatus, & iuſtificatus, non tamen debet dici Filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione iuſtificationis, ſed ſolum ratione generationis æternæ, ſecundum quam eſt Filius Patris ſolius; & ideo nullo modo debet dici Chriſtus, Filius Spiritus Sancti, nec etiam totius Trinitatis.* Quæ verba clara ſunt, adeoque perſpicuè oppoſitæ ſententiæ aduerſantur, vt nullam interpretationem admittant.

Vnde ad argumentum factum reſpondeo, negando
52 ſequelam: ad illius probationem, negandum eſt ante- *Traditur* cedens: licet enim omnis filius ſit hæres, non tamen omnis *vera ſolu-* hæres, eſt filius: nepos namque ius habet ad hæredita- *tio.* tem aui, & conſanguinei ius habent ad hæreditatem aliorum, quibus ſanguine coniunguntur, & tamen illorum filij non ſunt. Spiritus Sanctus ius habet eſſentiale ad hæreditatem diuinam, & tamen in nullo ſenſu catholico poteſt dici Dei Filius. Chriſtus etiam ratione gratiæ habitualis ius habet ad hæreditatem diuinam, cum ratione illius Chriſto, vt homini, ſit debita viſio beatifica, in qua Dei hæreditas conſiſtit; & tamen ratione gratiæ habitualis non eſt, nec dicitur Filius, cum per illam ſit Filius adoptiuus, vtpotè, huius filiationis incapax, nec etiam Filius naturalis, cum gratia ratione ſui non poſſit filiationem naturalem fundare: licet ergo valeat benè: *Eſt Filius: ergo eſt hæres*; non tamen è contra valet: *Eſt hæres: ergo eſt Filius*: ac proindè, quamuis Chriſtus, in quantum homo, ius habeat ſibi connaturale, ratione gratiæ vnionis, ſanctificantis illius humanitatem, ad hæreditatem Dei, malè infertur eſſe naturalem Dei Filium, & totius Trinitatis.

53 Sed dices, ideo per gratiam habitualem Filij Dei con- *Obijcies.* ſtituimur, quia præſtat nos ad vitam æternam nos Deificando participatiuè, & imitatiuè; ſed ſi gratia vnionis humanitatem Chriſti ſanctificat, præſtat illi ius ad vitam æternam Deificando illam, non participatiuè, accidentaliter, aut imitatiuè, ſed perfectiori, & altiori modo, videlicet, ſubſtantialiter: ergo ratione illius, Chriſtus, in quantum homo, conſtituetur Filius Dei, etſi non humanitas, quia eſt incapax denominationis Filij.

54 Si fortè dicatur, per gratiam habitualem taliter natu- *Si reſpon-* ram Dei per modum naturæ participari, quod conſtituit *deatur.* hominem viuentem radicaliter vita diuina; ideoque illum conſtituere Filium Dei adoptiuum: Deitas autem, etſi ſubſtantialiter humanitati coniuncta, non tamen vnitur illi, ſub conceptu naturæ viuentis, nec ipſam conſtituit radicaliter viuentem vita diuina; ac proindè, nec humanitatem, nec Chriſtum, in quantum hominem, Filium Dei naturalem, aut adoptiuum conſtituit.

55 In contrarium obſtat primo; quòd licet diuinitas *Obſtat* non vniatur humanitati Chriſti, ſub conceptu vitæ, *primò.* vnitur tamen illi, ſub ratione ſanctitatis, *vt conclusione quarta* videbimus, quæ ratio etiam ſpectat ad conceptum naturæ diuinæ: ergo communicatur illi natura diuina, ſub conceptu naturæ; & conſequenter ſufficienti modo, vt fundet in Chriſto, vt homine, relationem filiationis.

Secundo, & vrgentius: nam eſto Deitas humanitati *Secundò.* vnita non conſtituat illam ſe ipſa phyſicè radicaliter viuentem vita Dei, conſtituit tamen illam radicaliter moraliter vita diuina, aliàs ſanctitas humanitatis non eſſet, cuius contrarium *inferius in hac diſputatione* monſtrabimus; ſed ſic viuentem humanitatem conſtituere, ſufficit ad fundandam relationem filiationis in Chriſto, quatenus homine: tùm quia oppoſitum non poteſt efficaci aliqua ratione conuinci. Tum etiam; quia in multorum ſententia gratia habitualis non conſtituit animam radicaliter phyſicè viuentem, in ordine ſupernaturali, & diuino, ſed tantum radicaliter moraliter; & tamen hominem Dei filium conſtituit; ergo ex defectu vnionis Deitatis cum humanitate, ſub conceptu vitalis, non rectè colligitur filiationem Dei in Chriſto, vt homine non fundare.

Denique, nam ex iſta ſolutione ſequitur, Chriſtum, vt 56 hominem, ſaltim per gratiam habitualem, Filium Dei na- *Denique.* turalem, vel adoptiuum conſtitui: cum gratia habitualis vniatur animæ Chriſti, ſub conceptu vitæ radicalis, ipſam conſtituendo viuentem radicaliter phyſicè: conſequens eſt falſum, vt *Tractatu de filiatione Chriſti* videbimus: ergo ad aliud principium recurrendum eſt, vt eum ſanctificatione humanitatis à diuinitate illi hypoſtaticè vnita, componamus Chriſtum, in quantum hominem, ratione iſtius ſanctificationis, Filium naturalem Trinitatis non eſſe.

Aliter ergo eſt obiectioni factæ occurrendum, notan- 57 do primo ex Diuo Thoma *infra quæſtione 35. articulo* *Pro vera* *quinto*, ſubiectum filiationis, tam inhæſiuè, quam de- *ſolutione* nominatiuè, non eſſe naturam, nec ſuppoſitum ratio- *notandū* ne naturæ, ſed ſuppoſitum ratione ſui, & ſecundum id, *primò.* quod importat in recto, nempè, ſubſiſtentiam: quo circa, vt ibi docet Diuus Thomas, relatio filiationis, qua Chriſtus ad Beatiſſimam Virginem refertur, non realis, ſed rationis eſt: quia ſubiectum immediatum illius, nempè, ſuppoſitum Verbi, non eſt capax recipiendi accidens reale.

Notando ſecundò ex eodem D. Thoma *infra quæſtione* 58 *23. articulo quarto, & quæſtione 32. articulo tertio*; il- *Notandū* *lud, quod de aliquo dicitur ſecundum perfectam rationem, non poſſe dici de eodem ſecundum rationem imperfectam; ſicut, quia ſortes dicitur naturaliter homo, nunquam dicitur homo ſecundum illam ſignificationem, qua pictura hominis dicitur homo; licet forsè ipſe aſſimiletur alteri homini.* Verba ſunt D. Thomæ. *ſecundò.* *S. Thom.*

Tertio eſt notandum, Chriſtum, ſecundum ſuppoſi- 59 tum, eſſe ratione generationis æternæ Filium Patris ſe- *Notandū* cundum perfectam rationem filiationis: filiatio autem, *tertiò.* quæ in iuſtificatione, proueniente à gratia vnionis poſſet fundari, non eſſet filiatio, ſecundum perfectam rationem filiationis: vtpotè cum non eſſet filiatio per eſſentiam, ſed per gratuitam communicationem, ſeu in communicatione gratuita prædictæ ſanctitatis fundata: eſſet ergo filiatio ſecundum imperfectam filiationis rationem: & conſequenter non poteſt talis filiatio de ſuppoſito Verbi prædicari, ſeu de Chriſto ratione ſuppoſiti.

His ita breuiter præſuppoſitis explicandis fusè *infra* 60 *quæſtione 23. tractatu de Filiatione Chriſti*, ad obiectio- *Obiectio-* nem factam reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ob ra- *nis ſolu-* tionem illam præcisè, nego maiorem: ob illam, & inſu- *tio.* per, quia datur in nobis capacitas ad ſuſcipiendam filiationem, prouenientem à gratia adoptionis, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minorem, nego conſequentiam. Quia in Chriſto non eſt capacitas recipiendi denominationem Filij ratione iuſtificationis humanitatis per gratiam vnionis: vndè ſicut ob hanc cauſam non recipit denominationem Filij à gratia habituali, ob eandem rationem non denominatur Filius filiatione ſuper vnionis gratiam fundata. Quæ ſolutio eſt Diui Thomæ *infra quæſtione 32. articulo tertio* ibi: *S. Thom.* *Ad ſecundum dicendum, quod homines, qui ſpiritualiter formantur à Spiritu Sancto, non poſſunt dici Filij Dei ſecundum perfectam rationem filiationis; & ideo dicuntur Filij Dei ſecundum filiationem imperfectam, quæ eſt ſecundum ſimilitudinem gratiæ, quæ eſt à tota Trinitate.*

te. Sed de Chriſto eſt alia ratio; vt dictum eſt. Et ſimiliter dicendum eſt ad tertium.

61 *Replicabis primò.* Sed replicabit aduerſus iſtam reſolutionem primo. Gratia enim vnionis, vt ſanctificans humanitatem, eſt quantum eſt de ſe, potens fundare relationem filiationis: ergo illam de facto fundat in Chriſto quatenus homine; & conſequentèr Chriſtus, vt homo, eſt per gratiam vnionis Filius totius Trinitatis. Conſequentia patet; implicat enim potentia, cui ad actum reduci repugnet; ſed actus fundandi relationem filiationis, non poteſt prædictæ gratiæ in alio, quam in Chriſto competere: ergo ſi eſt potens fundare prædictam relationem, illam de facto fundat in humanitate Chriſti. Antecedens probatur; nam gratia habitualis eſt de ſe potens relationem filiationis fundare: quia dat ius ad hæreditatem diuinam fundatum in participatione naturæ Dei; ſed gratia vnionis præſtat ius ad diuinam hæreditatem fundatum in communicatione ſubſtantiali naturæ Diuinæ: ergo eſt, quantum eſt de ſe, potens fundare relationem filiationem.

62 *Replicabis ſecundò.* Replicabis ſecundo; licet Chriſtus, in quantum Deus, ſit per eſſentiam Filius Dei naturalis; Chriſtus, in quantum homo, eſt Filius Dei naturalis per gratiam vnionis; vt docet Diui Thom. *infra quæſtione vigeſimaquarta articulo primo*. Et tamen eſſe Filium Dei per gratiam vnionis, eſt eſſe Filium Dei, ſecundum minus perfectam rationem filiationis; ergo ex impoſſibilitate conuenientiæ eiuſdem prædicati, ſecundum perfectam, & imperfectam rationem reſpectu eiuſdem ſubiecti, perperam intulimus Chriſtum, in quantum hominem, non poſſe eſſe Filium Dei filiatione in gratia vnionis fundata.

63 *Denique obijcies.* Denique obijcies; nam ſequitur ex tradita ſolutione, quod ſi Spiritus Sanctus carnem humanam aſſumeret, eſſet, in quantum homo, Filius Dei filiatione fundata in ſanctificatione ſubſtantiali humanitatis: conſequens eſt falſum; omnes enim Theologi, quantum ad hoc, idem aſſerendum exiſtimant de Spiritu Sancto, in ſuppoſitione facta, quod de Chriſto, vt homine, aſſeritur: ergo ſolutio tradita eſt nulla. Probatur ſequela; nam iuxta doctrinam ſolutionis, Chriſtus, in quantum homo, ideo non eſt Filius Dei filiatione ſuper vnionis gratiam fundata, quia eſt Filius Dei, ſecundum perfectam rationem, cum quo non compatitur dici Filium imperfectè; ſed hæc ratio in Spiritu Sancto non militat; cum non ſit Filius Dei per eſſentiam, quod eſt eſſe Filium, ſecundum perfectam filiationis rationem: ergo eſſet, in prædicta hypotheſi, Filius Dei filiatione ſuper vnionis gratiam fundata.

64 *Occurritur primæ obiectioni.* Reſpondeo ad primam replicam, negando antecedens; ad probationem, nego cauſalem maioris, vt omnino adæquatam; ſed inſuper, quia gratia habitualis non eſt alligata eſſentialitèr ad hominem Deum, ſed indifferens, vt poſſit conuenire puræ creaturæ, cui poteſt effectum filiationis præſtare; ideoque eſt, quantum eſt de ſe, potens illum effectum præbere: gratia autem vnionis hac indifferentia non gaudet, ſed ſolum ſanctificare poteſt naturam intellectualem vnitam hypoſtaticè perſonæ Diuinæ, quæ incapax eſt filiationis ſupra ſanctificationem à gratia vnionis præſtitam fundatæ ob rationem aſſignatam; & ideo non eſt de ſe potens relationem filiationis fundare; implicat enim formam alicui ſubiecto eſſentialitèr alligatam, poſſe quantum eſt de ſe præſtare effectum tali ſubiecto eſſentialiter repugnantem.

65 *Soluitur ſecunda obiectio.* Ad ſecundam replicam, conceſſa maiori, nego minorem. Nam filiatio Chriſto, vt homini, per gratiam vnionis conueniens, non eſt diſtincta à filiatione conueniente Chriſto, vt Deo, per æternam generationem, ſed eadem, & ſupra idem fundamentum fundata, nempè, ſupra generationem æternam, gratia vnionis ſolùm vt conditione ingrediente, quam doctrinam latè explicabimus *infra quæſtione 23. & vigeſimaquarta, tractatu de filiatione Chriſti, & de illius prædeſtinatione*.

66 *Occurritur tertiæ obiectioni.* Ad tertiam obiectionem, nego ſequelam: ad probationem, diſtinguo maiorem; ly *ex eo*, dicente cauſam neceſſariam; & vnicam, nego maiorem: dicentem cauſam ſufficientem ad excludendam prædictam filiationem ab humanitate Chriſti, vel à Chriſto, quatenus homine, concedo maiorem; & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam licet eſſe Filium, ſecundum perfectam rationem ſit cauſa ſufficiens, vt Chriſtus, in quantum homo, nequeat eſſe Filius Dei filiatione fundata in ſanctificatione humanitatis; non tamen eſt cauſa vnica, & neceſſaria; ſed reſtat alia ſufficiens militans in Spiritu Sancto, nempè, eſſe perſonam Diuinam, cui per eſſentiam conuenit diuina hæreditas, & ius ad illam; ac proindè, non poteſt denominationem Filij ſupra ſanctificationem humanitatis fundata ſortiri.

---

§. III.

Modum ſubſtantialem vnionis non eſſe formam ſanctificantem humanitatem Chriſti, cum veriori ſententia defenditur.

SIT SECVNDA CONCLVSIO. Vnio creata, qua humanitas Verbo vnitur, non eſt forma illam ſanctificans, nec cauſalitas formæ ſanctificantis, ſed tantum requiſita conditio. Primam partem concluſionis tenent Theologi frequentèr, ferè nihil de ſecunda attingentes: omnes Diſcipuli Diui Thomæ relati pro ſecunda ſententia primæ concluſionis parti aſſentiuntur: & ex Patribus Societatis Suarez *diſputatione decimaoctaua, ſectione prima, §. Sed quæres aliquis*, Vazquez *diſputatione 41. capite quarto*, Raguſa *diſputatione 67. §. ſecundo*, Becanus *capite octauo quæſtione prima*, Turrianus *opuſculo ſexto de Gratia diſputatione prima dubio ſecundo*, Granadus *tractatu ſeptimo diſputatione prima*, & Cardinalis Lugo *diſputat. decima ſexta numero vigeſimoſeptimo*. Eſtque apud Recentiores eiuſdem familiæ frequentior. 67 *Secunda concluſio.* *Diſcip. D. Thom. Suar. Vazq. Raguſ. Becan. Turrian. Lugo.*

68 *Probat Vazq.* Illam probat Vazquez *diſputat. 30. cap. 3.* eo quod ſi vnio humanitatis cum Verbo eſſet forma præbens effectum ſanctitatis formaliter humanitati Chriſti; ſequeretur, non poſſe de potentia abſoluta naturam irrationalem Verbo hypoſtaticè vniri: conſequens eſt falſum, vt communiter docetur à Theologis: ergo modus vnionis, quo humanitas Verbo vnitur, non eſt forma humanitati præſtans effectum ſanctitatis formaliter. Probat ſequelam; vbi enim eſt impoſſibilis effectus formæ inhærentis intrinſecè, impoſſibile etiam eſt talem formam inhærere; ſed effectus ſanctitatis eſt in natura irrationali impoſſibilis: ergo ſi à modo vnionis, tanquam à forma, præſtatur, repugnat irrationali naturæ recipere talem modum; & conſequenter repugnat Verbo hypoſtaticè vniri.

69 *Reijcitur primò.* Hoc tamen argumentum, quo alijs relictis ſuis, Vazquez ad communem ſententiam conuincit, diſplicet merito alijs Theologis, non ſolum exteris, ſed etiam domeſticis, & reijcitur primò: nam vnio humanitatis ad Verbum eſt ſpecificè diſtincta à modo vnionis irrationalis naturæ: ergo quamuis vnio humanitatis formalitèr effectu ſanctitatis humanitati præſtaret, poſſet vnio irrationalis naturæ vi ad prædictum effectum præſtandum carere; formæ namque differentes ſpecificè non petunt præſtare eoſdem effectus formales: & conſequenter, ex eo quod natura irrationalis incapax ſit effectus ſanctificationis, ad ſummum colligi poteſt eſſe incapacem vnionis, qua humanitas Verbo vnitur; non autem poteſt inferri incapacitas in natura irrationali; vt Diuino Verbo vniatur modo vnionis ſpecificè diſtincto ab vnione humanitatis; ac proindè non colligitur, quod non poſſit abſolutè Verbo hypoſtaticè vniri, quæ eſt communis Theologorum ſententia.

70 *Impugnatur ſecundò.* Secundò reijcitur; non enim eſt minus de ratione formæ intrinſecè, per modum termini vnitæ, præſtare ſuum effectum formalem ſubiecto, cui intrinſecè vnitur, quam de ratione formæ intrinſecè inhærentis, vel intrinſecè informantis; ſed ſtat formam primo modo vniri ſubiecto incapaci alicuius effectus, ſeu quaſi effectus formalis illius: ergo etiam ſtare poterit formam aliquam vniri ſubiecto, quod capax non ſit recipiendi in ſe omnem effectum formalem, qui à tali forma præſtatur, dum tamen alicuius effectus prædictæ formæ ſit capax; & conſequentèr, quamuis modus creatus vnionis forma

forma ſanctificans ſit poterit nihilominus recipi in natura irrationali, eſto effectus ſanctitatis ſit incapax: quia alterius effectus eſt capax, nempè, huius, quod eſt eſſe vnitum ſubſtantialiter Verbo.

Secunda conſequentia ex prima clarè colligitur. Prima ex præmiſſis infertur. Maior conſtat à paritate rationis. Minor autem probatur; nam ſubſiſtentia Verbi, poteſt de potentia abſoluta vniri intrinſecè naturæ irrationali; & tamen non poteſt illam reddere perſonatam, ſed tantum eſſe ſuppoſitatam, nec poteſt illam ſanctificare; cum tamen humanitatem perſonata, & ſanctam conſtituat: ergo ſtat formam intrinſecè per modum termini vniri ſubiecto, quod non ſit capax omnis effectus formalis, qui poteſt à tali forma præſtari, dummodo ſit in illo capacitas ad aliquem effectum formalem à tali forma præſtabilem.

71 *Denique reijcitur.* Denique reijcitur, & explicatur magis hoc ipſum; nam licet de ratione formæ ſit non poſſe vniri ſubiecto, illud informando intrinſecè, quin ſit capax recipiendi aliquem effectum formalem à tali forma præſtabilem; quod tamen poſſit ſubiectum recipere omnem effectum formaliter, prouenientem à forma, neceſſarium non eſt, vt ſit capax receptiuum illius, etiam ſi intrinſecè informet. Conſtat hoc in gratia habituali, quæ de facto exiſtit in anima Chriſti Domini, cui non præſtat omnem ſuum effectum formalem; cum Chriſtus capax non ſit filiationis adoptiuæ, quam gratia præſtare poteſt, & de facto puris hominibus præſtat. Conſtet etiam in anima rationali, quæ intrinſecè informat capillos, quos nec rationales, nec ſenſitiuos conſtituit, ſed tantum vegetatiuos; ſed quamuis modus vnionis eſſet ſantificatiuus formaliter, effectus ſantificationis non eſſet illi adæquatus, cum vltra talem effectum præſtet etiam alium, nempè, eſſe vnitum ſubſtantialitèr Verbo: ergo ſtare poſſet incapacitas in natura irrationali ad effectum ſanctificationis, cum capacitate ad recipiendam intrinſecè vnionem hypoſtaticam cum Verbo, quamuis talis vnio eſſet ſanctificatiua formalitèr.

72 *Confirmatur.* Confirmatur, & vrgetur; nam licet modus vnionis non ſit ſanctificatiuus formalitèr, inchoatiuè tamen, & vialiter ſanctificatiuus, & eſſe inchoatiuè, & vialiter ſanctum præſtatur à tali modo in genere cauſæ formalis, & tamen recipi poteſt in natura irrationali, & illi communicari, vt fatetur Vazquez communis adhærens ſententiæ, quin talem naturam conſtituat ſanctam ichoatiuè, & vialitèr; cui enim repugnat ſanctitas, etiam inchoatio ſanctitatis repugnat: ergo quamuis modus vnionis humanitatis cum Verbo effectum ſanctitatis, per modum formæ, præſtaret, poſſet nihilominus irrationalis natura Verbo hypoſtaticè vniri, quin talis vnio illam redderet ſanctam, & gratam formaliter: ac proinde ex eo quod vnio humanitatis cum Verbo eſſet forma humanitatem ſanctificans, non ſequitur, non poſſe de potentia abſoluta naturam irrationalem Verbo hypoſtaticè vniri.

73 *Aliorum probatur reijcitur.* Secundò alij pro prima noſtræ concluſionis parte ſic arguunt; humanitas Chriſti eſt infinitè ſancta; ſed per modum creatum vnionis, non poteſt eſſe ſancta infinitè, ergo per talem modum non ſanctificatur formalitèr. Hoc tamen argumentum prorſus inefficax eſt. Licet enim humanitas Chriſti infinitè ſancta ſit, ex hoc tamen non excluditur, quod etiam finitè ſit ſancta; imo de facto finitè ſanctificatur per gratiam habitualem, vt ex infra dicendis conſtabit, ergo ex eo, quod infinitè ſancta ſit, licèt rectè colligatur eſſe in humanitate Chriſti formam aliquam, illam infinitè ſanctificantem, & effectum iſtum infinitè ſanctitatis ab vnione non præſtari, non tamen rectè colligitur, quod modus creatus vnionis effectum alium finitæ ſanctificationis non præſtet. *Inſtatur in gratia habituali.* Et inſtatur euidentèr in gratia habituali, reſpectu cuius, poteſt idem argumentum conficit, in hunc modum arguendo; *Anima Chriſti Domini eſt ſancta infinitè; ſed gratia habitualis, non poteſt Animam Chriſti infinitè ſanctificare: ergo non ſanctificat illam formalitèr*; cuius argumenti vtraque præmiſſa eſt vera, loquendo in minori de infinitate ſimpliciter: conſequens tamen eſt falſum, in omnium Theologorum ſententia, vno conſenſu aſſerentium, animam Chriſti Domini per gratiam habitualem reddi formalitèr ſanctam: ergo prædictum argumentum inefficax debet cenſeri ad probandum humanitatem Chriſti non ſanctificari formalitèr per modum ſubſtantialem vnionis.

Tertiò alij concluſionem noſtram ſic probant; forma impotens de ſe conſtituere Filium adoptiuum, & naturalem, nequit eſſe ſanctificatiua formaliter, cum effectum ſanctitatis aliqua filiatio ſequatur; ſed vnio creata humanitatis cum Verbo non poteſt Filium naturalem conſtituere, cum Diuina natura non ſit, quam ſolam naturalis filiatio conſequi poteſt, nec poteſt conſtituere Filium adoptiuum; forma namque eſſentialitèr cum filiatione naturali connexa nequit habere ſufficientiam ex ſe ad conſtituendum Filium adoptiuum; vnio autem prædicta eſſentialitèr cum filiatione Dei naturali connectitur: ergo non eſt forma ſanctificatiua formalitèr. 74 *Alterum probatur reijcitur.* Sed nec ratio iſta concluſionem noſtram ſuadet; inſtatur namque primò in gratia ipſa ſubſtantiali vnionis ſanctificante humanitatem Chriſti, formalitèr; cui tamen eſſentialiter repugnat filiationem naturalem, aut adoptiuam fundare. *Inſtatur primo argumentū.* Inſtatur ſecundò in gratia habituali formalitèr humanitatem Chriſti ſanctificante; quæ conſtituat Chriſtum vt hominem Filium adoptiuum, aut naturalem. *Inſtatur ſecundò.* Si namque poteſt dari forma de facto ſanctificans, quæ de facto modum aliquem filiationis non fundet; cur non erit dabilis forma ſanctificatiua, impotens de ſe ad fundandam filiationem.

75 *Suadetur concluſio.* Vndè his argumentis omiſſis, ſuadenda eſt noſtra concluſio primò; nam iuxta Eccleſiæ Patres, eo ſanctificatur humanitas Chriſti formalitèr quo formaliter vngitur; ſed vnctio humanitatis non præſtatur à modo vnionis formalitèr: ergo nec formalis humanitatis ſanctificatio ab illo formalitèr prouenit. Probatur minor; nam eſſe vnctam humanitatem, idem apud Patres eſt, quod Deificatam eſſe; ſed humanitatem eſſe Deificatam non prouenit à modo vnionis formalitèr, ſed eſt quaſi effectus formalis Diuinitatis vnitæ: ergo vnctio humanitatis non eſt ab vnione, ſed à Diuinitate formalitèr. Minor probatur; ab illo namque præſtatur eſſe Deificatum *adiectiuè*, à quo præberetur eſſe Deum, ſi Deitas talitèr vniretur humanitati, quod poſſet illam deam *ſubſtantiuè* conſtituere, ſicuti ab eodem prouenit eſſe *adiectiuè* humanatū, à quo prouenit eſſe hominem *ſubſtantiuè*; ſed ſi Deitas poſſet ſic humanitati vniri, quod illam deam conſtitueret, non ab vnione humanitatis cum Deitate, ſed ab ipſa diuinitate præſtaretur eſſe deam in genere cauſæ formalis; ſicut eſſe ignem non ab vnione formæ ignis, ſed ab ipſa forma præſtatur formaliter, & eſſe hominem, non ab vnione animæ rationalis, ſed ab ipſa anima rationali formalitèr prouenit: ergo eſſe Deificatam humanitatem non præſtatur à modo vnionis, ſed à Diuinitate formalitèr.

76 *Secundò ſuadetur concluſio.* Deindè probatur; nam modus vnionis non eſt ſanctitas per eſſentiam, cum ſit aliquid creatum, nec ſanctitas per participationem; cum non ſit formalis participatio ſanctitatis, per eſſentiam, nempè, naturæ diuinæ ſub conceptu naturæ, ſub quo ſolo conceptu eſſe ſanctitatem per eſſentiam ex infra dicendis conſtabit: ergo non eſt ſanctitas formalis; & conſequentèr non poteſt formalitèr effectum ſanctitatis præſtare. *Confirmatur.* Confirmatur; vnio humanitatis cum Verbo non eſt ratione ſui radix phyſica, vel moralis donorum ad ordinem gratiæ ſpectantium: ergo non eſt forma ad formalitèr ſanctificandum ſufficiens. Conſequentia patet; nam illa ſola eſt forma ſanctificatiua formalitèr, in qua aliquo ex prædictis modis radicantur omnia dona ſpectantia ad ordinem gratiæ. Antecedens pro prima parte conſtat; aliàs vnio hypoſtatica eſſet formaliter natura participata; cum in conceptu radicis facultatum proximè operatiuarum, ratio, naturæ conſiſtat, & gratia habitualis non alia de cauſa ſit formalis participatio naturæ diuinæ, niſi quia radix eſt donorum ſupernaturalium. Pro ſecunda parte probatur; nam debitum morale principiorum proximè operandi, ſolum ratione naturæ conuenire poteſt; ſed vnio hypoſtatica non obtinet conceptum naturæ, vt proximè dicebamus: ergo non poteſt debitum morale facultatum ſupernaturalium fundare; & conſequenter non poteſt illas radicare moralitèr.

77 *Denique probatur.* Denique ſuadetur concluſio; cauſalitas alicuius formæ non præſtat ſubiecto effectum formalem formæ, quo circa vnio albedinis cum ſubiecto non dealbat formaliter: vnio gratiæ habitualis cum anima formalitèr non ſanctificat illam; vnio animæ rationalis cum corpore non conſtituit illud formaliter animatum; ſed vnio humanitatis cum Verbo eſt cauſalitas formæ ſanctificantis humanitatem formalitèr, in ſententia Aduerſariorum: ergo non ſanctificat humanitatem formaliter, ſed ſolum vni-

vnitiuè, prout ſcilicet, vnit diuinitatem cum humanitate, quæ illam formaliter ſanctificat.

78 *Aduerſariorum ſolutio.* Reſpondent contrarij Auctores, veram eſſe maiorem de effectu formali ſpecifico formæ; hoc eſt, conuenienter ſpecificè cum formali effectu præſtita à forma; hic enim non poteſt ab vnione formæ cum ſubiecto præſtari; falſam autem de effectu formali generico, hoc eſt, genericè conueniente cum illo effectu, quem forma præſtat ſubiecto; forma namque ſubſtantialis ſubſtantificat materiam, & vnio eiuſdem formæ effectum ſimilem genericè præſtat; nam etiam talis vnio materiam formalitèr ſubſtantificat, licet ſubſtantialitate incompleta, & ſpecificè diſtincta ab ea, quam forma ſubſtantialis materiæ præſtat formalitèr: ex quo tantum ſequitur, ſanctitatem præſtitam ab vnione non eſſe eiuſdem, ſed diuerſæ ſpeciei à ſanctitate præſtita humanitati à forma ſanctificante, cuius vnio eſt cauſalitas, ſeu exercitium formale.

79 *Reijcitur primò.* Sed contra primò; nam licet cauſalitas formæ poſſit conuenire cum illa in effectu abſtrahente à completo, & incompleto, à perfecto, & imperfecto, qualis eſt effectus ſubſtantificandi; in effectu autem completo, & perfecto conuenire non poteſt cum forma, vt conſtat in exemplis adductis; vnio namque animæ rationalis cum corpore conuenit quidem cum illa in effectu ſubſtantialitatis, qui abſtrahit à completo, & incompleto, non in effectu animandi, qui tali obſtractione non gaudet. Vnio etiam albedinis cum corpore conuenit cum illa in præſtando eſſe accidentale à completo, & incompleto abſtrahente; non autem in effectu formali dealbandi, cui talis abſtractio non conuenit; ſed effectus ſanctificationis, perfectus, & completus eſt, ergo cauſalitas formalis formæ ſanctificantis non poteſt conuenire cum illa in effectu formali ſanctitatis præſtando.

80 *Secundò reijcitur.* Contra ſecundò; cauſalitas formalis gratiæ ſanctificantis, nempè, vnio, qua gratia vnitur cum anima, non conuenit cum gratia in præſtando formaliter effectum ſanctitatis, etiam genericè ſumptum: ergo cauſalitas formalis ſanctitatis hypoſtaticæ, nempè, vnio Deitatis cum Verbo, non conuenit cum Deitate in præſtando formalitèr ſanctitatis effectum, nec ſpecificè, nec genericè ſumptum. Conſequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem conſtat; nam vnio gratiæ ad ſubiectum non præſtat illi effectum ſanctitatis formalitèr ſpecificè, aut genericè conuenientem cum effectu ſanctitatis, quem gratia formalitèr præſtat, in communi Theologorum ſententia.

81 *Reſpondent contrarij.* Reſpondent contrarij Auctores, falſum eſſe antecedens; ſicut namque vnio hypoſtatica habet cum peccato mortali, & veniali eſſentialem repugnantiam; ideoque ſanctificat formaliter ſanctitate ordinis hypoſtatici: ita vnio gratiæ habitualis ad animam habet cum peccato mortali repugnantiam connaturalem, non minus quam ipſa gratia; & conſequenter ſanctificat formalitèr animam, etſi ſanctitate inferiori ad illam, quam gratia formalitèr præſtat, ſolumque genericè conueniente cum effectu ſanctitatis præſtito à gratia habituali.

82 *Reijcitur hæc ſolutio.* Hæc tamen ſolutio, præterquamquod communi Theologorum ſententiæ aduerſatur; nullus enim, quem hucuſque viderim, dixit, vnionem gratiæ cum anima eſſe formam ſanctificantem formalitèr; præter hoc, inquam, reijcitur; nam ſi vnio gratiæ habitualis cum anima ſanctificaret formalitèr, eo quod habet cum peccato mortali repugnantiam connaturalem, ſequeretur actionem productiuam gratiæ præſtare effectum ſanctitatis formalitèr; conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Patet ſequela; ideò namque vnio gratiæ habitualis, cum anima, habet cum peccato mortali repugnantiam connaturalem, quia eſt connexa eſſentialiter cum gratia connaturaliter cum peccato mortali pugnante; ſed etiam actio productiua gratiæ eſt cum illa eſſentialiter connexa; & conſequenter repugnantiam connaturalem habet cum peccato mortali: ergo erit formalis ſanctitas, ſi vnio gratiæ cum anima ob rationem aſſignatam formalitèr illam ſanctificat.

83 *Si fortè dicatur.* Si fortè dicatur; vnionem gratiæ habitualis cum anima, præter repugnantiam connaturalem cum peccato mortali, habere etiam, quod ſit entitas ſupernaturalis intrinſecè afficiens animam, & illam pulchram conſtituens pulchritudine ſupernaturalis ordinis, ideoque ſanctificare formalitèr; actio verò productiua gratiæ non afficit intrinſecè animam, nec illam pulchram conſtituit; atque adeò, licet eſſentialiter connectatur cum gratia, habeatque cum peccato mortali repugnantiam connaturalem, non eſt ſanctificatiua formaliter.

84 *Obſtat primo contra hanc ſolutionẽ.* In contrarium obſtat primò; nam in ſententia Aduerſariorum, actio per quam Deus gratiam infundit, non eſt formaliter immanens, ſed actio formaliter tranſiens, ſubiectiuè in anima recepta: ergo dat animæ intrinſecam perfectionem formaliter, & intrinſecam pulchritudinem ordinis ſupernaturalis. Deinde, nam eſto in ſententia D. Thomæ, & Noſtra, actio productiua gratiæ habitualis ſit actio immanens in Deo, paſſio tamen illi correſpondens intrinſecè afficit animam, habetque cum peccato mortali repugnantiam connaturalem: ergo erit forma ſanctificans; quod non minus falſum eſt, quam quod actio productiua gratiæ, præſtet effectum ſanctitatis in genere cauſæ formalis. *Obſtat ſecundo.*

85 *Tertio probatur aſſumptũ.* Tertiò probatur, vnionẽ gratiæ cum anima nõ ſanctificare formaliter; ſi namque vnio gratiæ cum anima ratione ſui animam ſanctificaret formaliter, ſequeretur habitualem gratiam nunquam peccatum expellere, ſed expulſum inuenire; conſequens eſt falſum: ergo vnio, qua gratia vnitur cum anima, non eſt ſanctificatiua formaliter. Probatur ſequela; nam vnio gratiæ prius natura informat, & afficit animam, quam illam informet gratia; cum gratia ratione modi vnionis animæ inhæreat, illamque informet, & afficiat; ergo ſi vnio ratione ſui eſt ſanctificatiua formaliter, & expulſiua peccati, ſemper gratia habitualis inueniet peccatum ab anima expulſum; & conſequenter numquam illud expellet formaliter.

86 *Denique probatur.* Denique id ipſum probatur; etenim vnio iſta non conuenit cum gratia habituali in ratione naturæ ordinis ſupernaturalis, etiam conuenientia generica, nec in effectu formali conſtituendi radicem ſupernaturalium donorum; ſed effectus ſanctitatis ſolum præſtatur formaliter à natura Diuina, vel per eſſentiam, vel per participationem; & à forma, ſupernaturalia dona radicante: ergo vnio iſta non conuenit cum gratia habituali, nec conuenientia ſpecifica, nec conuenientia generica in ratione ſanctitatis, nec in eius effectu formali. Quo argumento id ipſum conuincitur de vnione humanitatis cum Verbo; non enim eſt natura Diuina, nec per eſſentiam, nec per participationem; & conſequentèr, ſi ſola natura Diuina eſt formalis ſanctitas vnio humanitatis cum Verbo, ſanctitas formalis non eſt.

87 *Reſpondebis.* Reſpondebis, vt quondam audiui, negando, quod modus vnionis non ſit natura diuina per participationem; participat namque formaliter Dei naturam; & conſequentèr eſt formalitèr natura participata, & principium *quo* radicale operandi ſupernaturaliter. Sed contra primò; *Contra primò.* nam vnio humanitatis ad perſonam Verbi, ſolum participat formaliter identitatem perſonalitatis cum natura Diuina; ſed conceptus identitatis perſonalitatis cum natura, non eſt formaliſſimè conceptus naturæ; alias perſonalitas Diuina eſſet natura formalitèr: ergo modus vnionis humanitatis cum Verbo, non participat naturam Diuinam ſub conceptu naturæ formalitèr. Contra ſecundò; *Contra ſecundò.* vnionemque gratiæ habitualis cum anima non eſt formalis participatio naturæ, ſed nexus, & vinculum formæ, quæ naturam Diuinam formalitèr participat, nempè, gratiæ habitualis: ergo pariter vnio humanitatis cum Verbo non eſt formalis participatio naturæ Diuinæ.

88 *Tertiò.* Contra tertio, vnio humanitatis cum perſonalitate non eſt humanitas: vnio animæ rationalis cum materia non eſt anima rationalis, nec ſpecificè, nec genericè: ergo pariter vnio humanitatis cum Deitate non eſt natura diuina, nec ſecundum conuenientiam ſpecificam, nec ſecundum conuenientiam genericam. Denique falſitas *Denique* prædictæ ſolutionis probatur; ſi namque vnio humanitatis cum Verbo eſſet formalis participatio naturæ Diuinæ ſuperflueret omnino gratia habitualis in anima Chriſti Domini; conſequens eſt falſum, vt ex infra dicendis conſtabit: ergo prædicta vnio, formalis participatio naturæ Diuinæ non eſt. Probatur ſequela; nam vnio eſſet radicale principium actuum, & habituum ſupernaturalium: ergo media vnione anima Chriſti omnino connaturaliter ſupernaturales actus eliceret; ſed gratia ad hoc conſtituitur in anima Chriſti Domini, vt mediante illam connaturaliter actus ſupernaturales eliciat: ergo admiſſo vnionem hypoſtaticam eſſe participationem formalem naturæ Diuinæ, ſuperfluit gratia habitualis in Chriſto,

89 *Secunda pars concluſionis probatur; 1.* Deinde ſecunda pars concluſionis, quod, nempè, vnio humanitatis cum Verbo non ſanctificet humanitatem, vt cauſalitas formæ ſanctificantis, probatur primo; vt enim ſupra *tractatu ſecundo* docuimus; etſi humanitas vniatur Verbo per modum ſubſtantialem vnionis realitèr ab illa, & a Verbo diſtinctum; Verbum tamen intrinſecè humanitati per ſe ipſum vnitur abſque modo realitèr ſuperaddito; ſed cauſalitas formæ ſubſtantialitèr ſanctificantis humanitatem Chriſti, non eſt vnio ex parte humanitatis ſe tenens, ſed vnio ſe tenens ex parte Verbi, illud intrinſecè vniens cum humanitate; ſicut cauſalitas animæ rationalis non eſt vnio intrinſecè recepta in materia, illamque animæ vniens, ſed vnio recepta in anima, & illam vniens materiæ; eo quod exercitium cauſæ formalis, & cauſalitas illius non ex parte recipientis, ſed ex parte formæ ſe tenet: ergo vnio creata humanitatis ad Verbum non eſt cauſalitas formæ hypoſtaticæ, & ſubſtantialitèr ſanctificantis humanitatem.

90 *Secundò probatur.* Secundo probatur eadem pars concluſionis, nam cauſalitas Verbi vt ſanctificantis humanitatem, non poteſt realiter ab illo diſtingui; ſed modus creatus, quo humanitas Verbo ſubiectiuè vnitur, realitèr à Verbo diſtinguitur: ergo non eſt cauſalitas Verbi vt ſanctificantis humanitatem. Minor cum conſequentia tenet; maior autem oſtenditur primo: nam ratio cur materia, & forma indigent cauſalitatibus realiter ab illis diſtinctis eſt, quia ſunt quid finitum, & potentiale, nedum in linea entis, ſed etiam in ratione, & linea cauſæ; ſed Verbum eſt illimitatum, infinitum, & actus purus, non ſolum in eſſentia, ſed etiam in ratione ſanctificantis: ergo cauſalitate realiter ab ipſo diſtincta, non eget, vt humanitatem ſanctificet, ſed ſanctificat humanitatem formalitès per cauſalitatem realitèr ab illo indiſtinctam.

91 *Secundò probatur maior.* Secundò probatur maior; quia namque omnipotentia eſt actus purus, non ſolum in linea entis, ſed etiam in ratione, & linea cauſæ, actio per quam agit ad extra eſt actio formaliter immanens, realiterque ab omnipotentia indiſtincta, vt cum communi Thomiſtarum ſententia ex Angelico Doctore ſuppono, quia ex oppoſito fierat non eſſe in ratione cauſæ actum purum, & compleri, atque actuari per aliquid ab ipſa diſtinctum, quod inconueniens cenſetur, arguenſque in omnipotentia defectum actualitatis in ratione cauſantis ad extra; ſed cauſalitas Verbi in ratione ſanctificantis eſt vltima illius actualitas, atque eius complementum in ratione cauſæ ſanctificantis, nulla enim cauſa abſque propria cauſalitate completa in ratione cauſæ intelligitur; ergo debet identificari cum Verbo, na alias dicamus non eſſe ratione ſui in vltima actualitate, ſed aliquid potentiale, in linea cauſæ ſanctificantis, complerique, & in prædicta linea actuari per entitatem realiter ab illo diſtinctam; quòd ſumma Verbi actualitas in omni linea, non patitur.

92 *Vltima pars concluſionis probatur.* Denique vltima pars concluſionis, quod, ſcilicet, vnio humanitatis cum Verbo per modum requiſitæ conditionis ad ſanctificationem humanitatis præſtitam à Verbo concurrat, probatur: nam humanitas non poteſt effectum formalem ſanctitatis à Diuinitate ſuſcipere, niſi Deo hypoſtaticè vniatur; & conſequenter modus vnionis, quo humanitas Deo vnitur indiſpenſabiliter ad prædictum effectum exigitur; ſed non eſt neceſſarius, vt formalis ſanctitas, nec vt cauſalitas formæ ſanctificantis, vt probatum relinquimus: ergo concurrit ad prædictum effectum tanquam requiſita conditio, vt humanitas à Verbo ſanctificetur. *Confirmatur.* Confirmatur, etenim applicatio paſſi ad agens eſt conditio requiſita, vt effectum agentis recipiat: ergo applicatio ſubiecti ad formam, vt conditio ad minus, ad illius effectum formalem recipiendum exigitur; ſed vnio humanitatis cum Verbo eſt intrinſeca applicatio ſubiecti ſanctificandi ad formam ſanctificantem: ergo eſt ad minus requiſita conditio, vt humanitas à Verbo, recipiat ſanctificationis effectum.

---

§. IV.

Argumenta in contrarium diſſoluuntur.

93 *Contraria ſententia* CONTRARIVM huius concluſionis docuit, ſui oblitus, *Suar. infra diſp. 53. ſect. 3. verſ. Vndè ad alteram partem*; quem aliqui Recentiores ſequuntur, *referuntur, & primò fundamentum illius* arguentes primo ex Patribus ſæpè aſſerentibus, humanitatem ſanctificatam fuiſſe per vnionem ad Verbum, quod ſaluari rectè non poteſt, niſi modus vnionis ſit formalis humanitatis ſanctitas; & ex Auguſtino *lib. 13. de Trinitate capit. 19. & in Enchiridione capit. 40.* vbi vnionem ipſam humanitatis ad Verbum ſummam gratiam appellat; ſumma autem gratia neceſſario formalis ſanctitas eſt; ergo ab vnione ratione ſui, prout ab extremis diſtincta, ſanctificatur humanitas Chriſti formalitèr.

94 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo primo; Patres non curaſſe de modo vnionis realiter ab extremis diſtincto, imo fortè illum non agnouerunt, nec de illo diſputarunt, ſed ab Scholaſticis eſt adinuentus, & de illo nouitèr eſt agitatum; vndè Patres ſumunt vnionem pro ipſa gratia ſubſtantiali humanitati vnita, illamque ſubſtantialitèr ſanctificante, quam merito Auguſtinus ſummam gratiam appellauit; ex hoc tamen non colligitur modum ſubſtantialem vnionis, quo humanitas Verbo vnitur realitèr ab extremis diſtinctum, ſanctificare humanitatem formaliter.

95 *Reſpondetur ſecundò.* Reſpondeo ſecundo; vnione ſanctificari humanitatem Chriſti radicaliter, inchoatiuè, & vnitiuè, quatenus vnio humanitatis cum Verbo eſt via ad ſanctitatem à diuinitate recipiendam; non autem ſanctificatur à modo vnionis formaliter, & primum ſufficit ad ſaluandam locutionem Patrum. Nec obſtat Auguſtinum vnionem humanitatis cum Verbo ſummam gratiam appellaſſe; non enim omnis gratia ſanctificare poteſt formaliter; vt conſtat in fide, & charitate, quæ abſque dubio gratiæ ſunt, & primam non ſanctificare ſe ipſa, eſt catholica veritas: charitatem etiam non ſanctificare formaliter, eſt frequentior Theologorum ſententia: neque ex eo quod ſumma gratia dicatur, rectè colligitur præſtare formalitès ſanctitatis effectum, aut eſſe formam ſanctificatiuam, niſi conceptum naturæ in ordine ſupernaturali ſortiatur, vt ex infra dicendis conſtabit.

96 *Reſpondetur tertiò.* Vel tertio reſponderi poteſt, Patres aſſerentes, humanitatem Chriſti per vnionem fuiſſe ſanctificatam, non loqui de modo vnionis creato ſe tenente ex parte humanitatis, & illam ſubiectiuè vniente Verbo, ſed de vnione Verbi increata, cui, quia indiſtincta realiter eſt à forma ſubſtantialiter ſanctificante humanitatem, attribuitur à Patribus ſanctificationis effectus, non ratione illius quod explicat, ſed ratione prædicati impliciè in prædicta vnione incluſi, & identificati cum illa, nempè, ratione naturæ Diuinæ, quam vnio ex parte Verbi ſe tenens implicitè includit, & cum qua identificatur, & vnionem iſtam ſic ſumptam, ſummam gratiam Auguſtinus appellauit: ex hoc tamen non colligitur Patres, & Auguſtinum ſenſiſſe modum vnionis creatum realiter ab extremis diſtinctum ſanctificare humanitatem Chriſto formalitèr.

97 *Objectio ſecundò.* Objiciunt ſecundò; vnio albedinis cum ſubiecto propriè dealbat, conuenitque cum illa in proprio effectu formali: ergo vnio humanitatis cum Verbo propriè ſanctificat, & cum gratia ſubſtantiali propriè conuenit in præſtando ſanctitatis effectum. Conſequentia patet à paritate rationis. Antecedens autem probatur; vnio albedinis cum ſubiecto, eſt complementum albedinis in quantum tribuit ſuum effectum formalem: ergo conuenit cum illa in effectu formali, quem præſtat. Secundo poteſt idem antecedens probari, quia namque actio eſt cauſalitas agentis, conuenit cum illo in cauſando efficienter; ſed vnio albedinis cum ſubiecto eſt cauſalitas formalis albedinis: ergo conuenit cum illa in cauſando formaliter; ac per conſequens propriè dealbat; dealbare namque nihil eſt aliud, quam album conſtituere, & cauſare in genere cauſæ formalis.

98 *Reſpondeo primò.* Reſpondeo primo, permiſſo antecedenti, negando conſequentiam: vnio namque humanitatis cum Verbo, ex parte humanitatis ſe tenens, & in illa ſubiectiuè recepta, non eſt cauſalitas, nec complementum formæ ſanctificantis humanitatem, ſed vnio Verbi cum humanitate, ſe tenens ex parte Verbi eſt prædictæ formæ cauſalitas, vt §. *præcedenti in 2. parte concluſionis* docuimus; vndè ex eo quod vnio albedinis cum ſubiecto; quia eſt cauſalitas albedinis, conueniat cum illa inde albendo, & in præſtando proprium effectum formalem, non ſequitur, vnionem creatam humanitatis cum Verbo conuenire in ſanctificando cum forma ſanctificante humanitatem, nec in præſtando ſanctitatis effectum, ſed ad ſummum poteſt colli vnionem, quæ ex parte Verbi ſe tenet dictam conue-

nitu-

nientiam habere ; hoc autem aliquid creatum non eſt, nec de illa loquitur contraria ſententia, ſed de modo vnionis creato.

99 *Reſpondeo ſecundo.* Secundò reſpondeo, negando antecedens: ad primam probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: conuenit cum albedine in cauſando, & in modo cauſandi, nego conſequentiã: cum diuerſo modo cauſandi, concedo conſequentiã: ex quo tantum ſequitur, vnionem albedinis cum ſubiecto dealbare per modum cauſalitatis formæ dealbantis non autem ſequitur, quod dealbet, vt forma. Et per hoc ad ſecundam antecedentis probationem conſtat ſolutio ; actio enim, etſi cum agente conueniat, non dicitur cauſa efficiens, nec dicitur cauſa agens, ſed cauſalitas cauſæ efficientis, & agentis ; vnde licet admittamus, vnionem humanitatis cum Verbo, eſſe cauſalitatem formæ ſubſtantialitèr ſanctificantis humanitatem ; inde tamen non colligitur ratione ſui ſanctificare humanitatem per modum formæ, ſed ſolum, quod illam ſanctificet, vt cauſalitas formæ ſanctificantis ; hoc autem ad intentum Aduerſariorum non ſufficit ; intendunt enim vnionem taliter ratione ſui ſanctificare humanitatem Chriſti, quod præſtet effectum ſanctitatis diſtinctum ab eo, quem Deitas præſtat humanitati ; cauſalitas autem, & forma, cuius eſt cauſalitas, non concurrunt ad effectus formales diſtinctos, ſed ad vnum, & eumdem effectum modo diuerſo, nempè, vt forma, & vt formæ cauſalitas ; ſicut cauſalitas agentis, & agens non cauſant efficienter diuerſos effectus, ſed eumdem cum modo diuerſo.

100 *Obijcies.* Sed dices ; ſi vnio hypoſtatica non præſtaret ratione ſui effectum ſanctificationis formaliter, maximè, quia cauſalitas eſt formæ dictum effectum præſtantis ; ideoque non poteſt cum ſua forma formali ſanctitatis effectu conuenire ; ſed hæc ratio eſt nulla ; nam licet cauſalitas formalis, non poſſit cum ſua forma conuenire in effecto ſpecifico ; poteſt tamen conuenire cum illa in effectu generico, & nulla eſt ratio aſſignabilis cur eſſe ſanctum effectus formæ ſpecificus, & non potius genericus ſit : ergo vnio humanitatis cum Verbo, formalitèr illam ſanctificat, etſi ſanctitate diſtincta ab illa, quam diuinitas præſtat humanitati, illique inferiori, quod Auctores oppoſiti intendunt.

101 *Reſpondetur.* Reſpondeo, prætermiſſa maiori, negando minorem ; etenim ex dictis conſtat effectum ſanctitatis non eſſe ex communibus formæ, & illius cauſalitati : tum quia perfectus, & completus eſt, cauſalitas autem formæ eſt aliquid incompletum. Tum etiam, quia datur à forma ex conceptu naturæ ordinis ſupernaturalis, qui conceptus cauſalitati formæ non conuenit. Tum denique à paritate vnionis gratiæ habitualis cum anima, quæ ratione ſui non ſanctificat formaliter animam. Et quidem eodem argumento probarent contrarij Auctores, album non eſſe effectum ſpecificum, ſed genericum, vnioni, & albedini communem, & ſubiectum eſſe dupliciter album, nimirum ab albedine, & ab vnione albedinis, ideoque conuincerent de ratione animati, quod, ſcilicet, materia dupliciter animatur, duplexque animati ratio in illa reperiatur, vna præſtita ab anima rationali, & alia ab vnione animæ proueniens, quod qui dixerit audiendus non erit.

102 *Tertium argumentum.* Tertio obijciunt ; nam in plurium Theologorum ſententia, humana Chriſti natura ſpecialem terminat cultum, vt præciſè includit vnionem ratione excellentiæ ipſius, quin talem adorationem terminet Verbum, ſecundum aliquod prædicatum Diuinum, nec vt *quod*, nec vt *quo*, ſed omnino ab illo præſcindendo : ergo ratio terminandi prædictam adorationem, & ſpecialem cultum eſt modus creatur vnionis hypoſtaticæ ſecundum ſe prout à Verbo diſtinctus, & præciſiuè à Verbo, & conſequenter ratione ſui, quatenus à Verbo diſtinctus humanitatem ſanctificat ; quod enim ratione ſui terminat cultum ſpecialem, non eſt cur ſanctificare non poſſit ratione ſui.

103 *Reſpondetur.* Reſpondeo ; prætermiſſo antecedenti, de quo *infra quæſtione 25.* & conceſſa prima conſequentia, negando ſecundam. Etenim vt ſpecialem terminet cultum, ſitque humanitati ratio terminandi ſpecialem adorationem, ſufficit excellentia ſpecialis, quam abſque dubio vnio hypoſtatica præſtat humanitati ; cum ſit ſupernaturalis, & intra hunc ordinem excellentior gratia habituali ; ad ſanctificandum autem formaliter non eſt quælibet excellentia, eſto magna ſit, ſufficiens, ſed illa, quæ eſt prima radix omnium ad ordinem gratiæ, expectantium, & quæ rationem naturæ ordinis ſupernaturalis ſortiatur, quod non conuenit vnioni hypoſtaticæ. Et quidem Deus adorabilis eſt, non ſolum ratione naturæ, ſed etiam ratione cuiuſcumque ex attributis ; & tamen ſolum ratione naturæ eſt ſanctus. Iuſtus etiam adorabilis eſt, tùm ratione gratiæ habitualis, tùm etiam ratione charitatis, & aliorum ſupernaturalium donorum ; cum tamen ſanctus formalitèr ſolum conſtituatur per gratiam habitualem : non ergo valet iſta conſequentia. *Ab vnione ratione ſui humanitas redditur adorabilis : ergo ab illa conſtituitur ſancta formaliter.*

104 *Obijcies primò.* Sed obijcies aduerſus iſtam ſolutionem primò ; nam humanitas ratione vnionis hypoſtaticæ conſtituitur adorabilis excellentiori genere adorationis, quam iuſtus ratione gratiæ habitualis, nempè, hyperduliæ, vel latriæ reſpectiuè, vt docetur à Theologis *infra quæſt. 25.* ſed gratia realiter iuſtum adorabilem conſtituit, quod reddit illum ſanctum formaliter : ergo vnio ratione ſui conſtituit humanitatem Chriſti, non ſolum ſpecialiter adorabilem, ſed etiam ſanctam formalitèr.

105 *Obijcies ſecundò.* Secundò obijcies : vnio namque talitèr conſtituit adorabilem humanitatem, quod cum omni peccato, ſiuè actuali, ſiuè habituali incomponitur, illudque ab humanitate excluderet, ſi præceſſiſſet in illa ; ſed forma expellens peccatum, & cum illo incompatibilis, eſt ſufficiens ad ſanctificandum formalitèr : ergo formalitèr humanitatem ſanctificat.

106 *Tertiò obijcies.* Tertiò : nam reddit adorabilem humanitatem illam Deificando formalitèr : ergo illam formalitèr ſanctificando. Conſequentia tenet ex dictis ; aſſeruimus namque inter probandam noſtram concluſionem, ab illa forma ſanctificari formalitèr humanitatem, per quam formaliter Deificata conſtituitur. Antecedens autem probatur : nam humanitatem eſſe Deificatam, nihil aliud eſt, quam eſſe Deitati coniunctam ; ſed eſſe coniunctam Deitati eſt effectus formalis coniunctioni ad illam ; & conſequentèr vnionis, quæ ſe ipſa eſt ad Deitatem coniunctio : ergo eſſe Deificatam humanitatem præſtatur à modo vnionis formalitèr.

107 *Denique obijcies.* Denique ; nam ideo conſtituit ratione ſui formalitèr, adorabilem humanitatem, quia ratione ſui excellentia eſt ; excellentiæ autem eſt obiectum formale, motiuumque adorationis ; ſed etiam ratione ſui eſt bonitas ordinis ſupernaturalis, quæ eſt obiectum formale, & motiuum ſui ſupernaturalis amoris : ergo reddit ratione ſui formaliter diligibilem humanitatem dilectione ſupernaturali, & conſequentèr formaliter illam ſanctificat ; cum eſſe formalitèr ſanctum nihil aliud ſit, quam eſſe obiectum diuinæ dilectionis ſupernaturalis ſimplicitèr.

108 *Ad primam replicam reſpondetur.* Reſpondeo ad primam replicam ; conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam : nam eſto, vnio hypoſtatica excellentior ſit habituali gratia, ideoque excellentiorem cultum valeat terminare ; quia tamen in diuerſo ordine ſunt, & gratia in ſuo ordine obtinet conceptum naturæ, & radicis facultatum ſupernaturalium, ſecus autem vnio hypoſtatica ; conſequens ſit, quod gratia habitualis ſanctificare valeat formalitèr, vnio autem hypoſtatica forma ſanctificatiua non ſit. Quæ doctrina amplius ex dicendis *infra* conſtabit.

119 *Ad ſecundam reſpondetur primò.* Ad ſecundam replicam reſponderi poteſt primò, prætermiſſa maiori, diſtinguendo minorem : ſanctificatione poſitiua, nego minorem : ſanctificatione negatiua, tranſeat minor, & diſtinguo conſequens diſtinctione minoris : ſolum enim ſequitur vnionem ratione ſui ſanctificare humanitatem Chriſti ſanctitate negatiua, conſiſtente in expulſione peccati, & oppoſitione cum illo ; non autem quod illam ſanctificet ſanctitate poſitiua, quæ conſiſtit in conſtituendo obiectum amicabiliter diligibile in ordine ad vitam æternam, & cum iure ad illam.

110 *Reſpondetur 2.* Vel ſecundo, & melius reſpondetur, diſtinguendo maiorem : indirectè & ratione diuinitatis, cui vnit humanitatem, concedo maiorem : directè, & ratione ſui, nego maiorem, & diſtinguo minorem. forma, quæ directè, & ratione ſui cum peccato incompoſſibilis eſt ad ſanctificandum ſufficiens, concedo minorem : quæ ſolum indirectè, & ratione alterius habet repugnantiam cum peccato, nego minorem, & nego conſequentiam. Et quidem actus charitatis, in ſententia aſſerente, non poſſe elici de potentia abſoluta, niſi media gratia habituali, cum peccato incomponitur, ſiquidem eſſentialiter cum gratia connectitur, quæ cum peccato habituali habet incompoſſibilitatem ; & tamen, in eadem ſententia, actus charitatis non ſanctificat

eat formaliter? quia pugnat cum peccato, non directè, & & ratione ſui, ſed indirectè, & ratione alterius, nempè, ratione gratiæ habitualis, cum qua habet connexionem? pariter ergo in præſenti, quamuis vnio hypoſtatica repugnantiam habeat cum peccato; vtpotè eſſentialitèr cum Diuinitate, vt vnita, connexa: quia tamen hoc non habet ratione ſui, & directè, ſed indirectè, & ratione alterius, nempè, ratione Diuinitatis, quam ſecum vt vnitam eſſentialiter habet annexam, non ſequitur ſanctificare formaliter, etiam negatiua ſanctitate.

111 *Ad tertiam reſpondetur.* Ad tertiam inſtantiam dicatur; quod ſicut eſſe viſum, etſi explicetur per hoc, quod eſt terminare viſionem, non eſt formalis effectus, ſeu formalis denominatio terminationis, ſed viſionis terminatæ; & eſſe ſanum, quamuis explicetur per hoc, quod eſt eſſe cauſam, vel ſignum ſanitatis, non eſt denominatio à ſignificatione, aut cauſalitate ſanitatis proueniens formalitèr, ſed ab ipſa ſanitate: ſic eſſe Deificatum tametſi explicetur per hoc, quod eſt eſſe Deitati coniunctum, non eſt formalis effectus, ſeu denominatio formaliter à coniunctione proueniens; ſed à Diuinitate coniuncta; vndè ex eo quod modus vnionis ſit formalis coniunctio cum Diuinitate, non ſequitur eſſe formam formaliter Deificantem; & conſequenter, nec ſequitur eſſe formam ſanctificantem formaliter. Sicut coniunctio cum igne non eſt forma qua lignum ignitum formaliter conſtituitur, ſed forma ignis eſt, quæ huiuſcemodi effectum, & denominationem formalitèr præſtat. Quo exemplo vſus eſt Nazianzenus ad explicandam Deificationem humanitatis Verbo hypoſtaticè vnitæ.

Ad vltimam inſtantiam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: eſt bonitas terminans amorem Dei ſupernaturalem amicabilem, nego minorem: amorem ſupernaturalem non amicabilem, concedo minorem: & ſub eadem diſtinctione primi conſequentis, nego conſequentiam ſub illatam: nam eſſe ſanctum formalitèr non eſt eſſe obiectum congruum cuiuſuis dilectionis, etiam ſupernaturalis, niſi amicabilis ſit, vt *infra* pluribus exemplis monſtrabitur: vnio autem hypoſtatica, etſi ratione ſui conſtituat humanitatem diligibilem dilectione Dei ſupernaturali, non tamen conſtituit illam, ratione ſui formaliter, diligibilem à Deo dilectione ſupernaturali amicabili; ideoque non ſanctificat humanitatem formaliter. Quæ doctrina conſtat ex dictis, & ex *infra* dicendis plenius conſtabit.

112 *Ad vltimã inſtãtiam reſpondetur.*

113 *P. Granadus in cõſequentia redarguitur.* Ex dictis obiter colligo: Patrem Granados, qui ex vna parte docuit, vnionem hypoſtaticam non ſanctificare formaliter humanitatem Chriſti, & ex alia aſſeruit, eſſe radicem phyſicam gratiæ habitualis, & donorum ad ordinem gratiæ ſpectantium, eſſe parum conſequentèr locutum. Quòd patet primò; nam eo ipſo, quod eſſet radix phyſica ſupernaturalium donorum eſſet natura Dei participatiuè; in hoc enim ratio naturæ Dei per participationē conſiſtit. Nec alia ratione gratia habitualis in ordine ſupernaturali obtinet conceptum naturæ, niſi quia eſt radix facultatum videndi, & amandi Deum ſicuti eſt; ſed eo ipſo, quod eſſet participatiuè natura Diuina, eſſet ſanctitas formalis; natura enim, cuius eſſet participatio eſt ſanctitas per eſſentiam, & gratia habitualis, ideò eſt formalis ſanctitas animæ, quia eſt participatio formalis naturæ diuinæ ſub conceptu naturæ, quæ prout ſic eſt ſanctitas per eſſentiam, ergo non ſtat vnionem hypoſtaticam eſſe radicem phyſicam gratiæ habitualis, & donorum ſupernaturalium, quin ſit formalis humanitatis ſanctitas.

Primò.

114 *Secundò.* Deindè, nam forma, quæ eſt ratio terminandi amorem amicabilē Dei eſt ſufficiens ad ſanctificãdum formalitèr; ſed eo ipſo, quod vnio hypoſtatica eſſet radix phyſica gratiæ habitualis, & aliorum facultatum ad ordinem gratiæ ſpectantium, eſſet terminus amoris amicabilis Dei, & humanitati ratio illum terminandi: ergo eo ipſo ſanctificaret humanitatem formalitèr. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; nam id terminat amorem amicabilem Dei, quod diligitur in ordine ad vitam æternam, cum poteſtate proxima, aut radicali ad ipſum amicabiliter redamandum; ſed eo ipſo, quod vnio hypoſtatica eſſet radix phyſica gratiæ, & donorum ſupernaturalium, redderet humanitatem dilectam à Deo in ordine ad vitam æternam, & potentem radicalitèr ipſum redamare cum radicaret dona dantia facultatem proximam redamandi: ergo eſſet humanitati ratio terminandi amorem amicabilem Dei; & conſequentèr illam conſtitueret ſanctam formalitèr.

115 *Si fortè dicatur.* Si fortè dicatur: vnionem hypoſtaticam non eſſe radicem facultatum dantium vim proximam amandi, & videndi Deum, ſed tantum gratiæ habitualis, quæ radix eſt prædictarum facultatum, & primum eſſe neceſſarium, vt conſtitueret obiectum diligibile amicabiliter, & vt conceptum naturæ in ordine ſupernaturali obtineret. In contrarium obſtat primò; quod ſi radix immediata facultatum proximè operandi in ordine ſupernaturali conſtituit obiectum dilectum amicabiliter, voluntariè id negatur radici mediatæ prædictarum facultatum: ergo ſi vnio hypoſtatica eſt mediata radix facultatum, quæ ſunt principia proxima operandi ſupernaturalitèr, & videndi, & amandi Deum, conſtituit humanitatem obiectum congruum Diuinæ dilectionis amicabilis.

116 *In contrarium obſtat primò.*

117 *Obſtat ſecundò.* Obſtat ſecundò; nam ſequitur ex hac ſolutione, nec Diuinitatem, nec perſonalitatem Diuinam ſanctificare humanitatem Chriſti formaliter; conſequens eſt falſum in ſententia Auctoris, quem impugnamus: ergo ſolutio tradita, in illius ſententia ſuſtineri non poteſt. Probatur ſequella, nec Diuinitas, nec perſonalitas Verbi radicant immediatè facultates proximas ſupernaturales phyſica, aut morali radicatione, ſed tantum mediatè, ſcilicet, radicando gratiam habitualem, quæ illas immediatè radicat: ergo ſi vnio hypoſtatica, ideo non eſſet humanitati ratio terminãdi amorem amicabilem Dei, nec ſanctitas formalis illius, quia non immediatè, ſed mediatè tantum prædictas facultates radicat, nec Diuinitas, nec Verbi perſonalitas conſtituent humanitatem amicabilitèr diligibilem, nec illam ſanctificabunt formaliter non enim poteſt ſufficiens ratio diſcriminis aſſignari.

§. V.

Perſonalitatem Verbi ſub expreſſo perſonalitatis conceptu, non eſſe formalem ſanctitatem probatur.

118 *Tertia concluſio. Vazq. Turrian. Araujo.* SIT TERTIA CONCLVSIO *Perſonalitas Verbi ſecundum id quod addit ad perfectiones abſolutas, non ſanctificat humanitatem Chriſti formalitèr.* Hanc tenent Vazquez *vbi ſupra cap. 4.* Turrianus *de Gratia opuſc. 6. diſput. 10. dub. 4.* & Illuſtriſſimus Araujo *in præſenti dub. 2. concluſ. 2.* nec credo diſſentire alios ex Diſcipulis Diui Thomæ frequentiùs tenentes, relationes diuinas perfectiones relatiuas ad eſſentiam non ſupperaddere, cum docent humanitatem Chriſti ſanctificari à perſonalitate Verbi; nam intelligendi ſunt de perſonalitate ratione incluſi, nempè, ratione naturæ Diuinæ, quam includit implicitè; non autem ratione conceptus expliciti ſupperadditi ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam.

119 *Recentiorum.* Concluſionem iſtam probant aliqui Recentiores; eo quod hypoſtaſis Verbi potuit naturæ æquinæ communicari; & tamen illam non ſanctificaret formaliter: ergo hypoſtaſis ratione ſui non eſt ſanctitas formalis; & conſequenter non ſanctificat formalitèr humanitatem. Patet conſequentia non enim ſtat formam communicari ſubiecto, & illi non præſtare ſuum effectum formalem: ergo ſi hypoſtaſis Verbi communicari poteſt naturæ irrationali, quam ſanctificare nequit, Sanctum eſſe, non eſt effectus formalis illius; ac proindè huiuſcemodi effectum humanitati non præſtat, nec ratione ſui eſt forma potens formaliter ſanctificare.

120 *Hoc argumentum non vrget.* Hæc tamen ratio inefficaciæ conuincitur: primò ex dictis §. 3. *in princip.* vbi ſimile argumentum reicimus, inefficaxque reputauimus loquendo de vnione hypoſtatica. Secundò: nam caſu, in quo Verbum equi naturam aſſumeret, non ſolum communicaretur illi ſubſiſtentia Verbi ſub expreſſo ſubſiſtentiæ conceptu, ſed etiam Diuina natura mediatè cum illa vniretur, Deificatamque conſtitueret; non tamen ſanctificaret, quin ex hoc inferatur Deitatem, non præſtare ſanctitatis effectum humanitati aſſumptæ: ergo ex eo quod hypoſtaſis Verbi communicari poſſit naturæ irrationali, illam non ſanctificando; perperam infertur non eſſe ſanctitatem formalem, & non ſanctificare formaliter humanitatem aſſumptam.

121 *Probatur 1. ex principijs Thomiſtarum.* Probatur ergo poſita concluſio; primò ex principijs communibus Thomiſtarum, iuxta quæ non video quo modo poſſit ſententia oppoſita ſuſtineri; nam, in communi Diſcipulorum D. Thom. ſententia, perſonalitates Diuinæ ratione illius, quod explicant, adduntq; ad eſſentiam, perfectionem non dicunt, vt fusè oſtendimus, & ex Auguſtino, & D. Thoma manifeſtè deduximus 1. p. q. 28. & conſequenter, ratione illius, quod ſuperaddunt eſſentiæ, bonitatem non dicunt; bonitas enim eſſe non poteſt, quod perfectio non eſt; ſed ſanctitas formalis bonitas eſt, & perfectio; cum ſubiectum, quod ſanctificat, conſtituat obiectum amabile dilectione amicabili Dei; obiectum autem amoris in bonitate conſiſtat: ergo perſonalitates Diuinæ, ratione illius, quod addunt ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam, ſanctitatem non dicunt, ſed ſolum ratione eſſentiæ incluſæ; & conſequenter perſonalitas Verbi, ratione conceptus expliciti ad eſſentiam ſuperadditi, ſanctitas formalis non eſt, nec humanitatem Chriſti ſanctificat.

122 *Confirmatur.* Quod amplius confirmari poteſt; exindè namque, præcipuè, mouentur noſtri Thomiſtæ ad aſſerendum, relationes diuinas perfectionem ad eſſentiam non addere; quia aliàs deberent concedi in Deo tres perfectiones relatiuæ: ex quo vlterius fieret, comparatas inter ſe neceſſario eſſe inæquales; cum inter diſtincta eſſentialitèr æqualitas eſſe non poſſit; & vlterius ſequeretur, cuiuis ex Diuinis perſonis aliquam perfectionem deeſſe; Patri, nempè, filiationis perfectionem; Filio perfectionem Paternitatis; quæ omnia inconuenientia cenſentur à Diſcipulis D. Thom. ſed non minus inconueniens eſt multiplicari ſanctitates in Deo, concedereque inter illas eſſentialem inæqualitatem, & cuiuis ex Diuinis perſonis aliquam ſanctitatem deeſſe, quam id aſſerere de Diuinis perfectionibus; nec minori cum euidentia, hæc omnia inferuntur, ex eo quod perſonalitas ratione ſui ſanctitas, ſit quam ex eo quod perfectionem dicat ad eſſentiam ſuperadditam: ergo eo ipſo, quod negetur relationes diuinas ratione ſuperadditi ad eſſentiam, dicere perfectionem; negari etiam debet, vt conſequentèr in doctrina procedatur, ratione illius, quod explicant, adduntq; ad Diuinam eſſentiam dicere, aut exprimere ſanctitatem. Et certè non percipio qualiter componi poſſit perſonalitates Diuinas, ratione conceptus expliciti ad eſſentiam ſuperadditi, non dicere perfectionem, & quod ratione talis concepcus exprimant, & importent ſanctitatem; ſanctitas enim, vt proximè dicebamus, neceſſario bonitas eſt; & conſequentèr perfectio: ergo, quod ratione alicuius conceptus perfectio non eſt, ratione illius ſanctitas eſſe non poteſt. Vndè cum noſtri Thomiſtæ, cenſentes perſonalitates Diuinas, non ſuperaddere ad eſſentiam perfectionem, aſſerunt hypoſtaſim Verbi ſanctificare humanitatem Chriſti, abſque dubio loquuntur, de hypoſtaſi Verbi ratione eſſentiæ, quam in ſe includit tranſcendentaliter, & ſic veriſſimum eſt, quod humanitatem ſanctificet; non autem de hypoſtaſi, ratione conceptus relatiui ſuperadditi ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam.

123 *Prima ſolutio.* Hæc vt mihi euidentia, Salmanticæ è ſuggeſtu dictaueram, non valent percipere, poſſe ab aliquo in oppoſitam ſententiam iri; ſed cum hominum ingenia ſint varia non deſunt, qui tenacitèr illi adhæret, defendens, quod licet perſonalitas Verbi, ratione conceptus expliciti perfectionem phyſicam relatiuam non dicat, nec illam ſuperaddat eſſentiæ, eſt nihilominus formalis ſanctitas ratione talis conceptus, & ratione illius humanitatem Chriſti ſanctificat. Argumento autem à nobis facto triplicater occurrebat, primo aſſerendo, perſonalitatem Verbi, eſto ad intra, perfectio non ſit; eſſe tamen perfectionem ad extra; ex quo ſolum ſequitur, non eſſe bonitatem, nec ſanctitatem ad intra, nec Verbum conſtituere bonum, ſanctum, aut amabile; non autem quo huiuſcemodi effectus humanitati non præſtet, illam ſanctificando, bonamque, & amicabiliter amabilem conſtituendo.

124 *Rejicitur primo.* Hæc tamen ſolutio omnino inſufficiens eſt, & reijcitur primo: vt enim perſonalitas Verbi ratione ſui humanitatem ſanctificet, dabet eſſe in ſe, & ratione ſui perfectio, eſto nec Verbo, nec ſibi perfectio ſit, hoc eſt, nec ſe, nec Verbum ſanctificet: ergo dantur tres bonitates, treſque perfectiones in Deo, potentes perficere ad extra, relatiuè oppoſitæ, & realitèr diſtinctæ inter ſe; ſed hoc nō minus inconueniens eſt; quam multiplicare realitèr perfectiones relatiuas ad intra: ergo ſi, obuitandum hoc inconueniens, negatur, perſonalitates Diuinas dicere, ratione ſui, & ratione conceptus expliciti perfectionem ad intra ſuperadditam eſſentiæ, & ad lineam abſolutam; ob idem inconueniens vitandum, negari debet, quod ratione conceptus explicitì ſuperadditi ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam, ſint perfectiones ad extra.

125 *Reſpondebis.* Reſpondebis; ſolum ſequi ex tradita ſolutione, dari in Deo plures perfectiones ad extra materialiter diſtinctas, non autem diſtinctas formalitèr, & hoc inconueniens non eſſe. *Sed contra primo.* Sed contra primo; nam cuiuis perſonalitati Diuinæ conuenit eſſe perfectionem ad extra ratione vltimi conceptus, quo in ſe conſtituitur, & ab alijs perſonalitatibus Diuinis diſtinguitur; ſed conceptus, quo vltimo conſtituitur ſecunda perſona, formaliter diſtinguitur ab vltimo conſtitutiuo aliarum: ergo ratio perfectionis ad extra, ſi Diuinis perſonalitatibus conuenit ratione conceptus expliciti, multiplicatur in illis formaliter. *Contra ſecundo.* Secundo; nam ſi poſſunt, ratione conceptus expliciti, dicere perfectionem ad extra, illamque non multiplicare formaliter; poterunt etiam dicere perfectionem ad intra, abſque eo quod rationem perfectionis ad intra multiplicent formaliter realiter. At, ſi hoc admittatur; ſequitur eſſe admittendum, quod diuinæ relationes, ratione conceptus expliciti relatiui ſint perfectiones ad intra; cum præcipuum fundamentum ad id negandum ſit multiplicitas perfectionum, quæ ex tali ſententia ſequitur; ex quo vlterius colligitur, aliquam perfectionem conuenire vni perſonæ, quæ de alia perſona negetur, quæ in doctrina traditæ ſolutionis inconuenientia non ſunt, loquendo de perfectionibus materialiter ſolum diſtinctis: ergo tradita ſolutio omnino inſufficiens eſt.

126 *Reſpondebis.* Reſpondebis, negando conſequentiam, & aſſignabis rationem diſcriminis; nam relationes Diuinæ opponuntur inter ſe relatiuè; & conſequentèr diſtinguuntur formalitèr realitèr: ideoque, ſi dicunt perfectionem ad intra, non poſſunt non multiplicare rationem perfectionis formalitèr realitèr; cæterum in perficiendo humanitatem ad extra non opponuntur inter ſe relatiuè, quandoquidem omnes ſimul poſſunt terminare vnam numero humanitatem, illamque ſanctificare, & perficere; & ideo licet ratio perfectionis ad extra multiplicetur realiter in diuinis relationibus, non multiplicatur formaliter, ſed tantum materialitèr.

127 *Sed contra primò.* Sed contra primo; nam eadem ratione poſſunt eſſe perfectiones eſſentiæ Diuinæ non multiplicatæ formalitèr realitèr, ſed ſolum materialitèr; hoc non conceditur: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur maior: ideo namque, iuxta ſolutionis doctrinam, diuinæ relationes non multiplicant formalitèr rationem perfectionis ad extra quia in perficiendo ad extra non opponuntur inter ſe relatiuè; & hoc ideo, quia omnes ſimul poſſunt terminare, & perficere vnam numero humanitatem; ſed nec etiam opponuntur relatiuè in terminando eſſentiam Diuinam quandoquidem omnes ſimul illam terminant; & conſequentèr per reſpectum ad Diuinam eſſentiam perficiendam non habent inter ſe oppoſitionem: ergo quamuis diuinam eſſentiam perficerent ratione proprij, & expliciti conceptus, non multiplicarent formalitèr, ſed tantum materialitèr rationem perfectionis ad intra.

128 *Contra ſecundò.* Contra ſecundo; nam ſequitur rationem perfectionis ad extra, & rationem relationis virtualiter diſtingui inter ſe; ex quo vlterius fieret, vt perſonalitas Verbi non perficiat, nec ſanctificet humanitatem ex conceptu relatiuo, ſed ex conceptu abſoluto, quod non poteſt cum præfacta ſententia componi. Probatur ſequela; ratio namque relationis multiplicatur formaliter in perſonalitatibus Diuinis; ratio autem perfectionis ad extra non multiplicatur in illis formaliter, iuxta ſolutionem traditam: ergo ratio perfectionis ad extra, & ratio relationis diſtinguuntur virtualiter. Probatur conſequentia; multiplicari realiter relationes, & non multiplicari realitèr eſſentiam, non poteſt ſaluari abſq; diſtinctione virtuali inter eſſentiam, & relationes: ergo multiplicari formaliter relationes, & non multiplicari formaliter rationem perfectionis ad extra, ſtare non poteſt abſq; virtuali diſtinctione inter conceptum perfectionis ad extra, & conceptum relationis.

129 *Contra tertiò.* Contra tertio: nam ſi perſonalitas Verbi eſt bonitas, & perfectio ad extra, hoc habet, non ſolum ratione conceptus perſonalitatis, ſibi communis cum alijs; ſed etiam

ratio-

ratione conceptus ſecundæ perſonalitatis, quo ab alijs perſonalitatibus Diuinis diſtinguitur; ſed hoc ipſo, non poteſt non eſſe formaliter ab alijs diſtincta in ratione perfectionis: ergo hoc ipſo, concedi debent in Deo tres perfectiones ad extra formaliter diſtinctæ inter ſe. Conſequentia eſt bona. Maior certa; nam quod ſit perfectio ad extra inde prouenit: quia poteſt alienam terminare naturam: ſed hoc illi conuenit, non ſolum ex conceptu communi perſonalitatis Diuinæ, ſed etiam ex conceptu proprio, & differentiali; enim de facto ratione iſtius conceptus, humanitatem Chriſti terminauerat: ergo ſi eſt perfectio ad extra, id habet non ſolum ex conceptu perſonalitatis ſibi cum alijs communis, ſed etiam ex conceptu proprio, & differentiali. Minor autem oſtenditur primo: quia namque perſonare conuenit perſonalitati Verbi ex conceptu differentiali, multiplicat formaliter rationem perſonalitatis: ergo ſi perficere ad extra illi conuenit ex conceptu differentiali, multiplicat formaliter rationem perfectionis ad extra. Secundo probatur minor: quia namque terminare naturam diuinam conuenit perſonalitati Verbi ea ratione differentiali, multiplicat formaliter rationem termini perſonalis ad intra ergo ſi terminare, & perficere ad extra illi conuenit ex conceptu differentiali, multiplicat formaliter rationem perfectionis ad extra; & conſequenter eo ipſo, quod aſſeratur, perſonalitates Diuinas, ratione conceptus relatiui ſuperadditi ad prædicata abſoluta, dicere perfectionem ad extra; concedendæ ſunt in Deo tres perfectiones ad extra diſtinctæ inter ſe formaliter, eſſentialiter inæquales, & quarum vna conueniat vni perſonæ, & alteri non conueniat, quæ ſunt inconuenientia, ob quæ vitanda, negatur communiter a Diſcipulis Diui Thomæ, quod relationes Diuinæ, ratione illius quod ſuperaddunt eſſentiæ ſint perfectiones ad intra.

130 *Secundo principalis ſolutio reijcitur.* Deinde prima, & principalis ſolutio reijcitur; non enim ſtat, quod perſonalitas Verbi, ratione conceptus ſuperadditi ad eſſentiam ſit perfectio ad extra, & quod ratione eiuſdem conceptus, perfectio ad intra non ſit: ergo in ſententia aſſerente, non dicere perfectionem ad intra, non poteſt conſequenter defendi, quod ratione conceptus relatiui ſuperadditi ad prædicata abſoluta humanitatem ſanctificet. Conſequentia tenet ex dictis. *Antecedens probatur. 1.* Antecedens probo primo; nam habens in ſe perfectionem, non poteſt non conſtitui formaliter perfectum per illam, ſi talis perfectionis ſit capax; ſed Verbum Diuinum habet in ſe ipſo propriam perſonalitatem, & eſt perfectionis capax: ergo ſi hæc ratione proprij conceptus, eſt bonitas, & perfectio, nō poteſt nō perfici ab illa; & conſequenter non ſtat, quod perſonalitas Verbi ſit perfectio ad extra, ratione proprij conceptus, & quod ratione eiuſdē perfectio ad intra nō ſit.

131 *Secundo probatur.* Secundo idem antecedens probatur, ideo namque in ſententia, quam impugnamus, perſonalitas Verbi ratione proprij conceptus perficit humanitatem, quia illam terminando, cum Diuinitate coniungit; coniunctio autem cum Diuinitate, non poteſt non eſſe perfectio; ſed conſtituendo Verbum, illud cum Diuinitate identificat: ergo etiam perficit Verbum; & conſequenter non ſtat, quod perſonalitas Verbi ſit perfectio ad extra ratione proprij conceptus, & quod ratione eiuſdem, perfectio ad intra non ſit. Secunda conſequentia ex prima euidenter colligitur. Prima autem probatur; nam ſi coniungi accidentaliter Diuinitati eſt perfici formaliter à perſonalitate coniungente; coniungi Diuinitati ſubſtantialiter, & per identitatem, erit perfici formaliter à perſonalitate ſubſtantialiter, & per identitatem cum Diuinitate coniungente; & conſequenter Verbum, quod ratione propriæ perſonalitatis cum Diuinitate coniungitur per identitatem, non poterit non perfici ab ipſa.

Tertio antecedens probatur. Tertio probatur antecedens, & explicatur magis hoc ipſum; ideo in hac ſententia perſonalitas Verbi perficit ratione ſui humanitatem, quia illam cum Diuinitate coniungit, etſi coniunctio extra eſſentiam humanitatis ſit, & cum illa non identificata; ſed perſonalitas Verbi ſe ipſam cum Diuinitate ſubſtantialiter coniungit per identitatem ſubſtantialem cum illa, & coniunctione ſibi eſſentiali: ergo à fortiori ſe perficit; & conſequenter non poteſt negari eſſe perfectionem ad intra ſemel dato, quod ad extra perficiat.

132 *Aliter idem argumentum formatur.* Vel aliter poteſt idem argumentum proponi, & prima ſolutio impugnari; ex hoc quod perſonalitas Verbi, ratione proprij conceptus, humanitatem coniungat cum Deitate, non ſequitur, ratione proprij conceptus, humanitatem perficere: ergo ex hoc principio non ſequitur, eſſe ratione ſui, perfectionem ad extra ſuperadditam eſſentiæ, prædicatiſque abſolutis. Conſequentia eſt bona. Et antecedens probatur; humanitatem eſſe Diuinitati coniunctam, non eſt perfectio in humanitate, diſtincta à perfectione ipſius Diuinitatis: ergo ex hoc quod perſonalitas Verbi, ratione proprij conceptus, coniungat Deitati humanitatem, non ſequitur, quod ratione proprij conceptus, formaliter humanitatem perficiat; ſed ſolum, quod illi adiungat, & applicet perfectionem Deitatis, per quam formaliter perficiatur. Conſequentia probatione non indiget. Antecedens autem probo; eſſe formalitatem aliquam identificatam cum Deitate, non eſt perfectio diſtincta à perfectione Deitatis, cui identificatur: ergo eſſe humanitatem coniunctam Deitati, non eſt in humanitate perfectio diſtincta à perfectione Deitatis, cui humanitas eſt coniuncta. Conſequentia patet; nam plus eſt identitas cum Deitate, quam coniunctio cum illa: ergo ſi eſſe identificatam Deitati, non eſt perfectio diſtincta virtualiter à perfectione Deitatis, quæ eſt extremum identificationis; eſſe Deitati coniunctam, non eſt perfectio diſtincta à perfectione Deitatis, quæ eſt extremum coniunctionis. Antecedens autem probo; nam perſonalitas Verbi, ratione proprij conceptus, eſt identificata Deitati; & tamen in ſententia ſuppoſita, quod, nempè, relationes non addant perfectionem ſupra eſſentiam, non eſt ratione proprij conceptus perfecta, perfectione diſtincta à perfectione Deitatis, cui eſt identificata: ergo eſſe formalitatem aliquam identificatam cum Deitate, non eſt perfectio in tali formalitate diſtincta à perfectione Deitatis, quæ eſt identificationis extremum.

Secundo reſpondebatur argumento principali; perſonalitatem Verbi, ratione illius quod addit ad eſſentiam, & ad omnia prædicata abſoluta, eſſe perfectionem bonitatem, & ſanctitatem *vt quo*, eſto *vt quod*, nec ſanctitas, nec perfectio, nec bonitas ſit; & inconueniens non eſſe admittere in Deo tres perfectiones treſque bonitates *vt quo*; quamuis inconueniens ſit concedere in ipſo tres perfectiones, & tres bonitates *vt quod*, diſtinctas realiter inter ſe. 133 *Secunda ſolutio.*

Hæc tamen ſolutio, vel coincidit cum prima, vel ex ignorantia terminorum procedit; nam eſto admittamus neceſſarium non eſſe, vt id quod perficit, & bonificat aliud ſit in ſe ipſo perfectum, & bonum *vt quod*, ſed tantum *vt quo*; non tamen poteſt non eſſe *vt quod* bonitas, & perfectio; ſed iuxta ſententiam, quam impugnamus, perſonalitas Diuina ratione conceptus explicitè ſuperadditi ad eſſentiam, & ad prædicata abſoluta, perficit humanitatem, & illam conſtituit bonam: ergo eſto admittatur, quod non ſit bona, & perfecta *vt quod*; negari tamē non poteſt, eſſe *vt quod* bonitatem, & perfectionem. 134 *Reijcitur hæc ſolutio.* Conſequentia cum minori tenet. Maior autem probatur; licet namque, vt albedo conſtituat formaliter album, neceſſarium non ſit, quod ipſa ſit alba *vt quod*, ſed tantum *vt quo*; non tamen poteſt non eſſe *vt quod* albedo in abſtracto, idemque de calore, nigredine, ſcientia, & alijs formis eſt vniuerſaliter verum, quod licet vt præſtent ſuos effectus formales non prædicentur *vt quod* de ſe ipſis in concreto, ſed tantum *vt quo*; in abſtracto tamen *vt quod* de ſe ipſis prædicantur; calor enim, licet *vt quod*, non ſit calidus, eſt tamen calor *vt quod*; & ſic in alijs exēplis ergo pariter licet id, quod aliud perficit, illudque bonum conſtituit, non debeat eſſe bonum, & perfectum *vt quod*, neceſſarium tamen eſt, vt ſit bonitas, & perfectio *vt quod*; ac proinde ſi perſonalitas Verbi, ratione illius, quod ſuperaddit eſſentiæ perficit humanitatem, illamque bonam conſtituit, quod neceſſarium eſt vt rationem formæ ſanctificantis humanitatem ſortiatur, debet ratione illius, quod eſſentiæ ſuperaddit, eſſe *vt quod* bonitas, ſanctitas, & perfectio; eſto inde non inferatur eſſe *vt quod*, ſanctam, & perfectam, & bonam.

Denique reſpondebatur; quod, vt perſonalitas Verbi ratione conceptus relatiui ſuperadditi ad eſſentiam, ſanctificet humanitatem Chriſti formaliter, non eſt neceſſarium, quod ratione illius conceptus, ſit perfectio, & bonitas phyſica, ſed ſufficit eſſe perfectionem, & bonitatem moralem ſuperadditam eſſentiæ. Sicut in noſtra ſententia, Deitas humanitati vnita, non phyſicè, ſed moraliter illam ſanctificat; non autem eſt inconueniens, quod perſonalitates Diuinæ, ratione conceptus explicitè ſuperadditi ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam, ſint bonitates, 135 *Vltima ſolutio.*

& per-

& perfectiones morales ; eſſe inconueniens cenſeatur, quod ratione talis conceptus ſint perfectiones, & bonitates phyſicæ, & quod bonitatem, & perfectionem phyſicam ſupperaddant eſſentiæ, prædicatiſque abſolutis.

Sed contra iſtam ſolutionem obſtat argumentum factum ſupra ; eadem namque inconuenientia ſequuntur, ex
136 *Reijcitur argumento ſupra facto.* eo quod relationes Diuinæ ſuperaddant ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam, bonitatem, & perfectionem moralem, quæ ſequuntur ex ſuperadditione bonitatis, & perfectionis phyſicæ : ergo ſi ob illa inconuenientia vitanda, negatur, quod ſuperaddant eſſentiæ bonitatem, & perfectionem phyſicam, conſequenter eſt negandum, ſuperaddere ad eſſentiam bonitatem, & perfectionem moralem. Probatur antecedens ; primum namque ; ideo à Thomiſtis negatur, quia ſequeretur, dari in Deo tres perfectiones, & bonitates phyſicas relatiuas ſpecie, aut quaſi ſpecie diſtinctas ; ex quo vlterius fieret, quod eſſent inter ſe eſſentialiter inæquales ; eo quod illa, quæ eſſentialiter diſtinguuntur, neceſſario ſunt inæqualia ; quia teſte Ariſtotele, ſpecies ſunt ſicut numeri ; inter numeros autem eſſentialis inæqualitas neceſſario conſequitur diſtinctionem eſſentialem. Et vlterius ſequeretur cuilibet ex Diuinis perſonis aliquam perfectionem, & bonitatem deeſſe, quod cum ſumma, & omnimoda perfectione diuinarum perſonarum nequit ſubſiſtere ; ſed hæc eadem inconuenientia ſequuntur, ex eo quod perſonalitates Diuinæ ſuperaddant ad eſſentiam perfectionem, & bonitatem moralem ; erunt namque neceſſario conſtituendæ in Deo tres perfectiones, & bonitates morales ſpecificè diſtinctæ ; & conſequentèr inæquales inter ſe ; & cuius ex diuinis perſonis aliqua bonitas, & moralis perfectio deficiet ; quod ſumma illarum perfectio in linea morali non patitur : ergo eadem inconuenientia, quæ ſequuntur, ex eo quod relationes Diuinæ, ratione proprij & relatiui conceptus, dicant perfectionem phyſicam ad eſſentiam ſuperadditam, militant in additione perfectionis, & bonitatis moralis.

Reſpondebis, negando ſequi eadem inconuenientia
137 *Reſpondebis.* ex ſuperadditione bonitatis, & perfectionis moralis, quæ ex ſuperadditione phyſicæ bonitatis ſequuntur ; nam licet relationes diuinæ ſuperaddant ad eſſentiam bonitatem ; & perfectionem moralem ; illam tamen formaliter non multiplicant, nec ſpecie, aut quaſi ſpecie diſtinguunt ; eo quod omnes illæ conueniunt in ſanctificando ad extra, & in hoc munere eſſentialiter non diſtinguuntur ; inconueniens autem non eſt, quod dentur in Deo tres perfectiones, & bonitates, non formaliter, ſed materialiter ſolum diſtinctæ, ideoq; in additione bonitatis, & perfectionis moralis ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam inconueniens non inuenitur.

Sed contra hanc ſolutionem faciunt prima, quæ num.
138 *Hæc tamen ſolutio reijcitur.* 254. contra ſimilem doctrinam obiecimus. Secundo facit, nullam eſſe rationem, cur ſuper additio phyſicæ bonitatis arguat illius formalem, & eſſentialem multiplicationem, illamque non inferat ſuperadditio bonitatis, & perfectionis moralis. Denique facit ; nam ſicut perſonalitates Diuinæ conueniunt in ſanctificando ad extra ; ita conueniunt in ſuppoſitando ad extra, & ad intra ; omnes namque terminant eandem naturam Diuinam, & ſuppoſitare poſſunt eandem naturam creatam : ſed ex hac conuenientia, non ſequitur, quod in ratione ſuppoſitandi, & perſonandi, non ſint diſtinctæ eſſentialiter, alias, non conſtituerent perſonas in ratione perſonæ eſſentialitèr diſtinctas : ergo ex conuenientia, quam perſonalitates Diuinæ habent in ſanctificando ad extra, non ſequitur, non diſtingui eſſentialiter in ratione bonitatis, & perfectionis moralis, ſi ſemel illis ratio ſanctitatis conuenit ex conceptu relatiuo ad eſſentiam ſuperaddito.

Inſtabatur autem in iſtius ſententiæ fauorem ; nam re-
139 *In fauorem doctrinæ arguebatur.* pugnantia cum peccato actuali, non poteſt non eſſe perfectio : ſed hanc repugnantiam tribuit humanitati perſonalitas Verbi ratione conceptus proprij ſuperadditi ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam : ergo ratione illius perfectionem importat ; & conſequentèr ſuperaddit perfectionem eſſentiæ, prædicatiſque abſolutis. Hæc tamen ratiocinatio non vrget, vt infra videbimus, etſi quid probat, conuincit, non ſolum humanitatem, ſed etiam Verbum perficere ; cum etiam Verbo præſtet repugnantiam cum peccato actuali, ſi verum eſt, quod illam humanitati præſtat.

§. VI.

Alijs argumentis ſuadetur noſtra concluſio.

DEINDE ſuadetur concluſio : perſonalitas Verbi non ſanctificat Verbum ratione proprij conceptus 140 *Secunda*
ad eſſentiam ſuperadditi : ergo nec ſanctificat ratione talis conceptus humanitatem Chriſti formalitèr. Conſequentia patet ; non enim poteſt communicata humanitati, illi præſtare, quod Verbo non præſtat, cum ipſo identificata : ergo ſi Verbum, cui perſonalitas identificetur, non ſanctificat ratione proprij conceptus ſuperadditi ad eſſentiam, humanitatem, cui vnitur, ſanctificare non poteſt. Antecedens autem probatur : non enim eſt Verbo prima radix videndi, & amandi Deum ; ſed forma ſanctificans non eſt quæcumque perfectio, ſed prima, & originalis, in qua primo radicantur omnes proprietates Diuinæ, & facultates proximè operatiuæ, & maximè, facultates proximè videndi, & amandi Deum : ergo perſonalitas Verbi non ſanctificat ipſum formaliter ratione proprij conceptus, per quem ab eſſentia diſtinguitur, & quem ſuperaddit eſſentiæ. *principaliter probatur concluſio.*

Huic argumento Lorca, vbi *ſupra num.* 17. reſpondet ; 141 *Reſpondet*
prætermiſſo antecedente, negando conſequentiam. Et diſparitatem reddit ; quia ſanctitas, qua Deus in ſe ipſo *Lorca.*
dicitur formalitèr ſanctus, diuerſiſſima eſt ab ea, qua creatura ſanctificatur formalitèr, & licet in pluribus prædicatis conueniant ; conuenientia tamen non eſt vniuoca, ſed tantum analoga ; vndè ex eo quod perſonalitas non ſit apta ad tribuendum Deo eam ſancti denominationem, qua in ſe ipſo ſanctus eſt, perperam infertur, non poſſe vnitam creaturæ, ei aliquam ſanctitatem conferre, quæ vera ſanctitas ſit ; ſicuti, licet ſanctitas, qua Deus modo ſanctus dicitur, non poſſit à gratia habituali præſtari ; creatura tamen ab illa optimè ſanctificatur.

Aliorum ſolutio eſt, etiam conceſſo antecedenti, ne- 142 *Aliorum*
gando conſequentiam : nam formæ ſubiecto vnita, non dat illi ſuum effectum formalem, quando in ſubiecto ca- *ſolutio eſt.*
pacitas ad talem effectum ſuſcipiendum non adeſt ; vndè videmus filiationem Diuinam reddere terminatam eſſentiam, quam tamen non conſtituit relatam : quia primi capax eſt, non verò ſecundi effectus, aut quaſi effectus formalis ; Verbum autem, quia ratione naturæ Diuinæ eſt infinitè, & perfectiſſimè ſanctum, non eſt capax ſanctificationis à propria perſonalitate ratione illius conceptus, quem ſuperaddit eſſentiæ, & per quem ab eſſentia diſtinguitur, & ideò non ſanctificatur ab illa ratione talis conceptus humanitati verò incapacitas iſta non conuenit, & idcirco à perſonalitate Verbi, ratione ſui quatenus ab eſſentia diſtincta, conſtituitur ſancta formaliter.

Tertio alij etiam, conceſſo antecedenti, negant con- 143 *Tertio*
ſequentiam, ob aliam rationem diſcriminis : quia, nem- *Cardinalis Lugo*
pè ſanctitas non eſt quæcumque perfectio, ſed prima, & *reſpondet.*
fontalis radix diuinarum perfectionum, & in qua omnes perfectiones Dei originalitèr radicantur : quia ergo reſpectu Verbi, perſonalitas propria non eſt prima radix diuinarum proprietatum ; cum præſupponat virtualiter in ipſo naturam ſub conceptu naturæ, in qua primo radicantur ; reſpectu autem humanitatis eſt prima, nullam in illa præcedentem perfectionem ſupponens, ideo Verbum non ſanctificat, ratione proprij conceptus ; benè autem humanitatem. Ita Cardinalis Lugo *diſput.* 16. *num.* 37.

Denique alij Recentiores argumento facto occurrunt, 144 *Denique*
negando antecedens. Nec inconueniens reputant plu- *reſpondetur ab alijs.*
res ſanctitates relatiuas concedere, ſicut nec plures perfectiones relatiuas admittere in Deo, nec ſimiliter, quod Verbum, quod ratione naturæ eſt ſanctum, à perſonalitate ratione proprij conceptus, etiam ſanctificetur formalitèr.

Sed nulla ex his ſolutionibus argumento ſatisfacit. 145 *Solutio*
Non prima ; tùm, quia non declarat diuerſitatem illam *M. Lorca*
modi, quo Deus ſanctus eſt à modo, quo ſanctificatur *reijcitur.*
creatura, ob quam forma ſanctificare potens creaturam, etiam ſi Deo communicetur, non ſit apta ad ipſum ſanctificandum. Tùm etiam ; nam licet diuerſo modo Deus, & crea-

& creatura ſubſiſtant, & in ſubſiſtendo, analogicè tantum conueniant; ſi Diuina ſubſiſtentia non eſſet apta ad conſtituendum ſubſiſtentem Deum, non poſſet humanitatem reddere ſubſiſtentem: ergo pariter, quamuis ſanctitas, qua Deus Sanctus dicitur, diuerſitate analoga diſtet à modo ſanctificationis creaturæ; ſi perſonalitas Verbi non eſt apta ad ſanctificandum Deum, cui conuenit per identitatem; inepta etiam erit ad ſanctificandum ad extra creaturam; & conſequentèr non ſanctificabit humanitatem Chriſti formaliter. Tùm denique; nam eo ipſo, quod perſonalitas Verbi forma ſanctificans ſit; eſſe ab illa ſanctum, erit perfectio nullam dicens imperfectionem: ergo non repugnans Deo; & conſequentèr apta erit perſonalitas ad ſanctificandum Verbum. Nec exemplum gratiæ habitualis, quo Magiſter Lorca Doctrinam ſolutionis confirmat, facit ad rem; gratia enim habitualis non poteſt recipi in Deo; ac proindè inepta eſt ad Deum ſanctificandum, quæ ratio in perſonalitate Verbi non militat, quæ Deo per identitatem conuenit, & Verbo conſtitutiuè.

146 *Secunda ſolutio reijcitur primò.* Deindè ſecunda ſolutio reijcitur primò; nam licet Deus ſit infinitè perfectus ratione Diuinæ naturæ, & eminentèr, aut virtualitèr contineat perfectionem relationis; ab illa tamen perficitur, in ſententia concedente relationem ratione proprij conceptus ſuperadditi ad eſſentiam perfectionem importare: ergo licet Deus ratione Diuinæ naturæ infinitè ſanctus ſit, & quaſi eminentèr continens ſanctitates relationum, ab illis ſanctificabitur, ſi ratione proprij conceptus ſanctitatem relatiuam important. *Secundò,* Secundò reijcitur; nam licet Deus infinitus ſit entitatiuè, ratione Diuinæ eſſentiæ, & quaſi eminentèr continens relatiuas entitates; quia tamen perſonalitates Diuinæ addunt entitatem ad eſſentiam, Deum in nouo eſſe entitatiuò conſtituunt; ergo pariter quamuis à Diuina eſſentia infinitè ſanctus ſit; ſi tamen perſonalitates addunt ſanctitatem ad eſſentiam, ab illis ſanctificabitur ſanctitate relatiua. *Tertiò,* Tertiò; nam ſemel conceſſo, perſonalitates Diuinas ratione proprij conceptus ad eſſentiam ſuperadditi, ſanctitatem importare; ſanctitas perſonalitatum erit diuerſæ rationis à ſanctitate eſſentiæ, cum vna relatiua ſit, altera verò abſoluta: ergo Deum eſſe ſanctum à ſua eſſentia infinitè, nihil poterit obſtare, quominus per relationes ſanctificetur formalitèr.

147 *Solutio Cardinalis reijcitur 1.* Tertia ſolutio, quæ proximius ad veritatem accedit, reijcienda venit primò: quia namque natura Dei ſub conceptu naturæ eſt potens ſanctificare, Deumque de facto ſanctificat, quamuis non primò humanitati vniatur, ſed perſonalitatem Verbi vnitam humanitati ſupponat, illamque ſanctificantem; nihilominus humanitatem ſanctificat, vt Cardinalis Lugo fatetur, docens, humanitatem Chriſti ſanctificari ſimul à perſonalitate Verbi, & à natura Diuina, prout inter ſe diſtinguuntur virtualiter: ergo ſi perſonalitas, quatenus à natura diſtincta, primò vnita humanitati, eſt potens ad illam ſanctificandam, eamque de facto ſanctificat; quamuis Deo non primò, ſed præſuppoſita natura conueniat, ipſum nihilominus ſanctum conſtituet.

148 *Reſpondet Lugo.* Reſpondet Lugo; illam dici, & eſſe primam, & formalem perfectionem reſpectu alicuius ſubiecti, intuitu, cuius tali ſubiecto debentur cæteræ perfectiones; & quia humanitati Chriſti debentur omnes perfectiones ad ordinem gratiæ ſpectantes intuitu perſonalitatis Verbi, & intuitu, ſeu ratione naturæ Diuinæ ipſi hypoſtaticè vnitæ; fit conſequens, quod quæuis illarum reſpectu humanitatis, ſit prima modo ſufficienti ad illam ſanctificandum; & quod vtraque de facto humanitatem Chriſti ſanctificet.

149 *Sed contra primò.* Sed contra primò; nam iuxta iſtam ſolutionem, primatui perfectionis exacto ad ſanctificandum, non obſtat prioris perfectionis ſuppoſitio: ergo quamuis perſonalitas Diuina ſupponat perfectionem naturæ, vt priorem, poterit primatum illum obtinere qui ſufficiens ſit ad ſanctificandum ad intra, Deumque de facto ſanctificabit per hoc, quod non ſolum ratione naturæ, ſed etiam ratione perſonalitatis cæteræ perfectiones debentur, ratione identitatis, quam perſonalitas habet cum illis.

150 *Contra ſecundò.* Contra ſecundò; nam falſum eſt, eam dici primam, & veluti fontalem perfectionẽ reſpectu alicuius ſubiecti, ratione cuius tali ſubiecto aliæ perfectiones debentur, ſed ſolum illa dicitur prima perfectio, ratione cuius primò debentur; vndè quamuis actualis volitio, Deo ratione voluntatis debeatur: quia tamen non primò, ratione voluntatis debetur; ſed ratione naturæ, non voluntas, ſed natura Diuina eſt in Deo, & dicitur prima perfectio: ergo licet demus deberi humanitati Chriſti dona ad ordinem gratiæ ſpectantia, & ratione perſonalitatis Verbi, & ratione naturæ Diuinæ, non ſequitur, vtramque dici, aut eſſe primam perfectionem reſpectu humanitatis, ſed tantum vnam illarum, nempè, illa, ratione cuius primò prædicta dona humanitati debentur; & conſequentèr hæc ſola ſanctificabit humanitatem formalitèr.

Deindè principalis ſolutio reijcitur; nam perfectionem aliquam eſſe primam, modo ſufficienti, vt ſanctificet, duo importat, nempè, negationem prioris perfectionis, & cæteras radicare, ſed quamuis perſonalitati Verbi, vt vnitæ humanitati, negatio prioris perfectionis conueniat; non tamen illi conuenit eſſe aliarum perfectionum radicem: ergo non eſt prima perfectio, modo ſufficienti ad ſanctificandum formalitèr. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; nam perfectio, quæ cum aliam perfectionem ſupponit, non radicat alias ſaltim ſecundario, aut proximè, non poteſt, cum primo communicatur, tales perfectiones originalitèr radicare; vndè ſi voluntas Dei communicari poſſet ad extra, non communicata natura, non poſſet eſſe prima radix intellectionis; ſed tantum volitionis: quia in Deo, cui conuenit cum præſuppoſitione naturæ, non radicat, ſeu principiat ſecundario, & proximè intellectionem, ſed tantum volitionem; ſed perſonalitas Verbi non eſt radix ſecundaria, aut proxima perfectionum diuinarum in Deo, cui conuenit cum præſuppoſitione naturæ: ergo in natura humana, cui primario conuenit, non eſt prima talium perfectionum radix; & conſequentèr reſpectu naturæ humanæ, rationem ſanctitatis formalis non obtinet. 151 *Secundò reijcitur principalis ſolutio.*

Si fortè dicatur, doctrinam hanc eſſe veram loquendo de radicatione phyſica, non autem de radicatione morali diuinarum perfectionum; & radicationem moralem prædictarum perfectionum ſufficere ad ſanctificandum formalitèr. In contrarium obſtat; nam perſonalitas Verbi, nec phyſicè, nec moraliter radicat, etiam ſecundariò, & proximè diuinas perfectiones in Verbo; cum illas ratione naturæ Verbo, vt Deo conuenientes ſupponat; ſed quia in Deo non radicat prædictas perfectiones proximè phyſicè, in humanitate, cui primò conuenit, non eſt prima radix phyſica illarum: ergo, quia in Verbo non radicat illas perfectiones moraliter proximè, non eſt in humanitate prima radix moralis prædictarum perfectionum. 152 *Si dicatur. In contrarium obſtat.*

Tandem, vltima ſolutio argumenti principalis reijcitur; nam perſonalitati, vt à natura diſtinctę, vel conuenit, quod ſit ſanctitas ex proprio perſonalitatis conceptu, vt ab alijs attributis diſtinguitur, vel ex conceptu entitatis Diuinę tranſcendentis tranſcendentia formali omnes Dei perfectiones; nullo ex his modis conuenit perſonalitati ratio ſanctitatis formalis: ergo non eſt ſanctitas ratione illius, quod addit ad Diuinam eſſentiam, & ab illa diſtinguitur. Conſequentia cum maiori tenet. Minor pro prima parte nota videtur: non enim apparet ratio, cur eſſe ſanctitatem formalem, Deumque ſanctificare, perſonalitati conueniat, & hoc ipſum alijs Dei perfectionibus, & attributis non competat: ergo ſi perſonalitas eſt ſanctificatiua formalitèr, id non habet; ſolum ex conceptu ſibi proprio, & peculiari, ſed etiam ex ratione ipſi cum alijs communi. Pro ſecunda autem parte probatur; nam ſi conceptus ſanctitatis conueniret perſonalitati ea ratione entitatis Diuinæ tranſcendentis tranſcendentia formali, omnes Dei perfectiones; ſicut ratio entitatis multiplicatur realiter in relationibus, & in attributis virtualitèr: ita etiam ratio ſanctitatis multiplicaretur realiter in relationibus, & in attributis virtualiter; ac per conſequens intellectus, vt à voluntate diſtinctus ſanctitas formalis eſſet; & ſimiliter voluntas, aliaque attributa Diuina; conſequens eſt falſum: ergo ratio ſanctitatis formalis non conuenit perſonalitati Diuinæ, prout à natura diſtinctæ. Sequela eſt manifeſta; falſitas autem conſequentis, probatur primò: quia alias humanitas Chriſti eſſet formalitèr ſancta, non ſolum à perſonalitate Verbi, & à natura Diuina; ſed etiam ab intellectu, à voluntate, & ab alijs attributis: conſequens eſt falſum; nam contrarij Auctores ſolum perſonalitati Verbi, & naturæ Diuinæ humanitatis ſanctificationem attribuunt: ergo ſanctitatis conceptus non multiplicatur virtualitèr in diuinis attributis. Secundò, & vrgentius falſitas conſequen- 153 *Vltima ſolutio impugnatur.*

ſequentis probatur; ſi namque voluntas Dei, v. g. ratione ſui, prout ab intellectu, & à Diuina natura diſtinguitur, eſſet ſanctitas increata; participatio formalis voluntatis Diuinæ, eſſet participata ſanctitas: ſicut quia natura Diuina, vt à voluntate diſtincta, eſt ſanctitas per eſſentiam, formalis participatio naturæ diuinæ, nempè, gratia habitualis, eſt ſanctitas per participationem; ſed charitas, quæ eſt formalis participatio voluntatis Diuinæ, non eſt formalitèr ſanctitas participata, vt ſuppono ex frequentiori, & veriori Theologorum ſententia, t. 2. q. 113. art. 2. ergo voluntas Diuina, prout à natura diſtincta, non eſt ſanctitas per eſſentiam formalitèr.

154 *Reſpondebis primò.* Reſpondebis primò; voluntati Diuinæ non competere conceptum ſanctitatis ex ratione differentiali, per quam à natura Dei, & ab alijs attributis virtualiter diſtinguitur; ſed ex ratione entitatis Diuinæ tranſcendentis tranſcendentia formali omnes Dei formalitates; charitas autem creata, non eſt formalis participatio Diuinæ voluntatis, ſecundum rationem illam tranſcendentem; hæc enim ratio, non eſt participabilis ab entitate creata participatione formali, ſed ſecundum conceptum differentialem, ſecundum quem, vt diximus, voluntas diuina ſanctitas per eſſentiam non eſt; & ideò noſtra charitas non eſt formalis participatio ſanctitatis diuinæ; & conſequentèr non eſt ſanctitas participata.

155 *Sed contra primò.* Sed contra primò; nam eo ipſo, quod voluntas Dei increata, non ſit ſanctitas, ratione proprij conceptus, per quem à natura Diuina, & alijs attributis diſtinguitur, ſed ratione entis diuini tranſcendentis, tranſcendentia formali, omnes Dei formalitates; etiam natura Diuina, non erit formalis ſanctitas, ex conceptu differentiali, quo diſtinguitur ab attributis, ſed ex conceptu entis diuini, ſibi cum alijs attributis per tranſcendentiam communis; non enim poteſt diſcriminis ratio aſſignari; & tamen gratia habitualis, quæ eſt formalis participatio naturæ Dei, ſub conceptu naturæ, prout ab attributis diſtinctæ, eſt participatio ſanctitatis tranſcendentis naturam, & participata ſanctitas: ergo charitas, quæ eſt participatio formalis diuinæ voluntatis, vt diſtinctæ à natura, & alijs attributis, erit etiam formalis participatio ſanctitatis tranſcendentis voluntatem Diuinam.

156 *Contra ſecundò.* Secundò; nam eo ipſo quod conceptus ſanctitatis, Dei voluntati conueniat ex ratione entis Diuini tranſcendentis omnes Dei formalitates, non poteſt non eſſe ſanctitas ratione conceptus differentialis, aut quaſi differentialis, quo à natura Dei, & ab alijs attributis diſtinguitur: ergo charitas, quæ eſt participatio formalis voluntatis Diuinæ, erit etiam formalis participatio ſanctitatis conuenientis voluntati ex conceptu differentiali; & conſequenter erit ſanctitas participata. Conſequentia tenet ex doctrina ſolutionis. Antecedens autem probatur; nam eo ipſo non poteſt non multiplicari ſanctitas virtualiter in voluntate, & in alijs Dei perfectionibus inter ſe virtualiter diſtinctis; ſicut etiam entitas Diuina, quam conceptus ſanctitatis conſequitur, virtualiter in illis multiplicatur: quia non materiali, & identica, ſed formali, & logica tranſcendentia Dei perfectiones tranſcendit: ſed non ſtat multiplicari virtualiter conceptum ſanctitatis per contractionem, aut quaſi contractionem ad perfectiones Diuinas, & per determinationem ab illis, niſi propriæ differentiæ, aut quaſi differentiæ, quibus tales perfectiones virtualiter inter ſe diſtinguuntur ſint peculiares ſanctitates; ſicut nec entitas Diuina tranſcendens poteſt virtualiter multiplicari, niſi per differentias, aut quaſi differentias addentes peculiares modos entitatis: ergo eo ipſo, quod ſanctitatis conceptus, Dei voluntati conueniat ex ratione entis Diuini ipſi, & alijs attributis communi per tranſcendentiam formalem, non poteſt non obtinere rationem peculiaris ſanctitatis ex conceptu proprio, & differentiali, per quem à natura Diuina, & ab alijs Dei perfectionibus diſtinguitur virtualitèr.

157 *Reſpondebis ſecundò.* Reſpondebis ſecundò; rationem ſanctitatis per eſſentiam, conſiſtere in conceptu radicis perfectionum Diuinarum, & in conceptu complentis, ſeu integrantis talium perfectionum radicem; vnde voluntas Diuina, quia complet radicem increatam diuinarum perfectionum, adeo eſt ſanctitas increata. Quia vero charitas non participat formaliter voluntatem Diuinam ſub conceptu complentis radicem increatam perfectionum diuinarum; gratia autem habitualis formaliter participat naturam Diuinam ſub conceptu radicis prædictarum perfectionum; ideo gratia habitualis eſt formaliter ſanctitas participata; charitas autem conceptum formalis ſanctitatis participatæ non obtinet.

158 *Sed contra.* Sed contra; gratia namque, non ideo eſt formalis participatio naturæ Diuinæ ſub conceptu radicis attributorum, quia ipſa ſit radix attributorum Dei; ſed quia eſt radix luminis gloriæ, & charitatis, quæ ſunt formales participationes Diuinorum attributorum, nempè, intellectus, & voluntatis Diuinæ; ſed charitas complet gratiam, quæ eſt participatio formalis naturæ Diuinæ ſub conceptu radicis: ergo participat voluntatem Diuinam ſub conceptu complementi radicis increatæ; & conſequenter eſt formalis participatio voluntatis Diuinæ ſub conceptu ſanctitatis; ex quo vlterius ſequitur eſſe ſanctitatem participatam.

159 *Reſpondebis.* Reſpondebis, negando conſequentiam: charitas enim, non complet gratiam habitualem, vt radicem luminis gloriæ, & aliarum perfectionum, vt aliquid gratiæ eſſentiale, aut tanquam de eſſentia illius; cum realiter diſtinguatur à gratia; voluntas autem Diuina integrat, & complet naturam Dei, vt prædicatum ipſi eſſentiale, & cum illa identificatum; & ideo charitas noſtra non eſt formalis participatio voluntatis Diuinæ, vt complentis Dei naturam, prout eſt increata attributorum radix, ſub qua ratione obtinet conceptum ſanctitatis per eſſentiam; ac proinde charitas non obtinet rationem ſanctitatis participatæ.

160 *Sed contra.* Sed contra; nam etiam gratia habitualis non radicat lumen gloriæ, & charitatem participantia attributa Dei formaliter per identitatem cum illis; & tanquam de eſſentia illorum, quo pacto Diuina natura voluntatem, & cætera attributa radicat, & tamen eſt formalis participatio Diuinæ naturæ, vt radicis attributorum, & ſub conceptu ſanctitatis: ergo licet charitas non compleat gratiam tanquam de eſſentia illius, nec cum illa identificetur, erit formalis participatio voluntatis Diuinæ vt complentis, integrantiſque radicem increatam diuinorum attributorum, & vt increata ſanctitas eſt; & conſequenter ipſa obtinebit rationem ſanctitatis participatæ, ſi verum eſt voluntatem Diuinam eſſe ſanctitatem increatam, prout virtualiter à natura Dei diſtinctam.

161 *Denique reſpondebis.* Denique reſpondebis obiectioni principali; perſonalitati Diuinæ conuenire, quod ſit ſanctitas per eſſentiam, non ex conceptu ſibi, & attributis communi; ſed ex peculiari, & proprio perſonalitatis conceptu, quo ab attributis diſtinguitur; nam cum natura ratione ſui non ſit completum principium, & radix operationum abſque perſonalitate, perſonalitas eſt complementum illius, vt radicaliter operatiuæ: & ideireo perſonalitas obtinet rationem ſanctitatis per eſſentiam; ſanctitas enim, non ſolum conſiſtit in radice operationum, & ſoculrarum ſupernaturalium, ſed etiam in complemento radicis; attributa autem Diuina non ſunt complementum naturæ Dei, vt radicis operationum, ſed antecedenter ad illa intelligitur conſtituta perfectiſſimè in ratione radicis; ideoque attributa ratione ſui, prout à natura Diuina virtualiter diſtincta, ſanctitatis conceptum non obtinent.

162 *Sed contra primò.* Sed contra primò; nam voluntariè extenditur conceptus ſanctitatis formalis, ad radicem operationum ſupernaturalium, & ad complementum radicis talium operationum, ergo ex eo quod perſonalitas compleat naturam Diuinam: vt radicaliter operatiuam, & attributa non compleant, ſine fundamento colligitur perſonalitatem Diuinam eſſe ſanctitatem per eſſentiam; ſecus autem attributa. Deindè; *Contra ſecundò.* nam ſequitur ex tradita ſolutione modum, quo vnitur gratia habitualis animæ, eſſe ratione ſui ſanctitatem formalem participatam: conſequens eſt falſum, vt ſupra ſatis oſtendimus: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela; ſicut enim natura ſubſtantialis completur per ſubſiſtentiam, vt operatiua radicaliter: ita natura accidentalis completur per vnionem cum ſubiecto, vt radicaliter, vel proximè operatiua: ergo ſi ſubſiſtentia eſt formalis ſanctitas ratione proprij conceptus, quia ratione illius complet naturam ſubſtantialem, vt radicaliter operatiuam, etiam vnio gratiæ cum anima, quia gratiam complet, prout eſt radicale principium ſupernaturalium operationum, erit ratione ſui forma ſanctificatiua formaliter, & participata ſanctitas.

163 *Contra tertiò.* Prætereà; nam etiam attributa Diuina complent, & perficiunt Dei naturam in ordine operatiuo; quandoquidem abſque illis, non poteſt cum operatione coniungi, ſicut natura creata, ſine facultatibus proximè operatiuis nō poteſt in operationem

tionem exire : ergo ſi perſonalitas Diuina ratione proprij conceptus ſuperadditi ad eſſentiam, & prout ab illa diſtincta, eſt ſanctitas increata: quia complet naturam Diuinam in ordine operatiuo; etiam attributa Diuina, ſaltem, quæ operatiua ſunt virtualiter, ſecundum proprios conceptus ad eſſentiam ſuperadditos, & prout ab illa diſtincta, obtinent rationem ſanctitatis per eſſentiam.

164 *Contra quartę.* Denique tradita ſolutio reijcitur; nam eſto admittamus complementum radicis operationum, rationem formalis ſanctitatis obtinere, non ſequitur talem conceptum conuenire perſonalitati Diuinæ ſub ratione perſonalitatis: ergo ſolutio tradita fuit. Probatur antecedens; nam Diuina perſonalitas ſub conceptu ſibi proprio, non complet naturam Dei in ratione radicis operatiuæ; cum ante omnem conceptum relatiuum, perfecte operans ſupponatur abſolutas operatione ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quæ à ſubſiſtentijs relatiuis, ſeu perſonalitatibus Diuinis, diſtinguitur; nam pro priori ad perſonalitates Diuinas ſupponitur hic Deus perfectiſſimè intelligens, & perfectiſſimè volens: ergo quamuis admittamus complementum radicis operatiuæ, conceptum ſanctitatis ſortiri, non ſequitur perſonalitati Verbi ratione proprij conceptus ſuperadditi ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam, rationem ſanctitatis competere.

---

§. VII.

Contraria ſententia cum tribus fundamentis proponitur.

165 *Contrariam ſententiam proponitur. Valent. Peſant. Lorca. Lugo. Suar. Vincent. Nazar. Zippul.* CONTRARIAM noſtræ concluſionis ſententiam tuentur Valentia *quæſt. 7. puncto 5.* Peſantius *q. 2. art. 3. diſput. 5. poſt primam concluſionem.* Lorca *diſput. 36. num. 15.* & Cardinalis Lugo *vbi ſupra.* Eidem adhærere videntur Suarez *vbi ſupra concluſ. 1.* & ex noſtris Vincentius *relectione de Gratia Chriſti quæſt. 1. dub. circa ſolutionem ad 1. concluſ. 2.* Nazarius *in præſenti controuerſ. 1. concluſ. 4.* Zipulus *dub. 2. §. 3. numer. 12.* Quibus alij Recentiores noſtri in manuſcriptis adhærent. Cæterum præfati Auctores, ſi non explicent ſe loqui, de perſonalitate Verbi, vt virtualiter à natura diſtincta, & ratione illius, quod explicat, & ſuperaddit eſſentiæ, & ad lineam abſolutam, accipiendi ſunt de perſonalitate ratione naturæ incluſæ. Quod maximè verum eſt de Diſcipulis Diui Thomæ communiter non admittentibus perfectiones relatiuas ſuperadditas eſſentiæ; tum vt *ſuperius* arguebamus, non poſſit conſequenter ad hanc ſententiam defendi, perſonalitatem Verbi ratione proprij, & explicíti conceptus, eſſe ſanctitatem formalem.

166 *Primum argumentum ex Nazian.* In huius ſententiæ fauorem arguunt Recentiores primo, ex Nazianzeno *oratione 36 num. 93.* illis verbis: *Ea enim humanitatis vnctio eſt, non operatione, vt in alijs Chriſtis, ſanctificans, ſed totius vngentis præſentia.* Ex quibus verbis ſic arguunt: iuxta Damaſcenum humanitas Verbo vnita ſanctificatur *totius vngentis præſentia*; ſed vngens eſt Verbum, & præſentia totius Verbi claudit perſonalitatem: ergo Verbi perſonalitas ſubſtantialiter humanitatem Chriſti ſanctificat. Minor pro ſecunda parte conſtat; nam perſonalitas conſtituit Verbum; & conſequenter clauditur in illo. Pro prima autem parte probatur, ex eodem Nazianzeno, qui explicans effectum illius vnctionis, & ſanctificationis aſſerit eſſe, *vt id, quod vngit homo vocetur, & quod vngitur Deus fiat*; ſed quod poſt vnctionem vocatur homo, non eſt Deitas, ſed Deus Verbum; ergo Nazianzenus nomine vngentis non intelligit Deitatem, ſed Verbum.

167 *Reſpondetur.* Reſpondemus verum eſſe, verbum ſanctificare humanitatem, & totum Verbum illam ſanctificare, non ſyncathegorematicè, ideſt, totaliter, & ratione omnium formalitatum, ex quibus coaleſcit Verbum; ſed cathegorematicè, ideſt, totum Verbum ratione alicuius ſuæ formalitatis, nempè, ratione naturæ. Et cum hæc in perſonalitate Verbi, in mea ſententia, tranſcendentaliter, & impræſcindibiliter includatur; etiam de ipſa perſonalitate fatemur, quod ſanctificat humanitatem, vt diſtincta à Diuina natura, non ratione illius, per quod à natura Diuina diſtinguitur, ſed ratione Diuinæ naturæ, quam, etiam, vt diſtincta ab illa, in ſe ipſa includit tranſcendentalitèr.

Opponunt ſecundo, D. Tho. *in hac 3 p. q. 6. art. 6.* illis verbis: *Gratia vnionis eſt ipſum eſſe perſonale Verbi, quod gratis Diuinitus datur humanæ naturæ.* Hæc D. Thom. ex quibus ſic arguunt; per gratiam vnionis ſanctificatur humanitas Chriſti formaliter; at iuxta Diuum Thomam, gratia vnionis eſt ipſa perſonalitas, ſeu eſſe perſonale Verbi: ergo humanitas Chriſti ſanctificatur à perſonalitate Verbi formaliter. Reſpondeo ex proximè dictis, conceſſis maiori, & minori, diſtinguendo conſequens: ſanctificatur humanitas à perſonalitate Verbi ratione omnis ſuæ formalitatis, vel ratione conceptus expliciti ſuperadditi ad Diuinam eſſentiam, & per quem ab illa diſtinguitur, nego conſequentiam: ratione alicuius formalitatis, nempè, ratione naturæ, quam in ſe implicitè includit, & cum qua identificatur, concedo conſequentiam: nec amplius ex Diuo Thoma colligitur; ad ſummum enim infertur, quod perſonalitas humanitatem ſanctificet; non autem quod ſanctificet illam ratione conceptus expliciti, & hoc eſt, quod à nobis negatur. 168 *Secundũ argumentum ex D. Th.* *Mens D. Thom. explicatur.*

169 *Tertium argumentum.* Tertio arguitur, & inſtatur contra hanc ſolutionem: gratia vnionis, prout gratia vnionis eſt, ſanctificat humanitatem Chriſti formaliter; ſed perſonalitas Verbi, ratione illius, quod addit ad Diuinam eſſentiam, eſt formaliter gratia vnionis: ergo ratione conceptus ſuperadditi ad Diuinam eſſentiam, ſanctificat formaliter humanitatem Chriſti. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; gratia vnionis formaliter conſiſtit in dono ſubſtantiali perſonaliter communicato humanitati Chriſti; ſed perſonalitas Verbi, ratione illius quod explicat, & addit ad Diuinam eſſentiam, eſt donum communicatum humanitati Chriſti; cum ratione conceptus ſuperadditi ad eſſentiam terminet humanitatem, & eam perſonatam conſtituat: ergo perſonalitas, ratione illius, quod addit ſupra Diuinam eſſentiam, eſt formaliter gratia vnionis facta humanitati Chriſti.

170 *Reſpondetur.* Reſpondeo primo, conceſſa maiori, negando minorem: ad illius probationem, conceſſa etiam maiori, nego minorem; cum enim eſſe donum, non poſſit ſine ratione boni ſaluari, & perſonalitas Verbi, etſi bona ſit, non tamen eſt bona ratione conceptus ſuperadditi ad eſſentiam, ſed ratione eſſentiæ incluſæ; ſicut perfecta non eſt, ratione illius; quod ſupra eſſentiam addit, ſed ratione eſſentiæ, quam tranſcendentaliter includit; fit conſequens quod ratione illius, quod addit ad Diuinam eſſentiam, non ſit donum, nec gratia humanitati facta; ſed tantum ratione eſſentiæ, cum qua identificatur, & quam in ſe includit tranſcendentaliter. Nec vrget probatio minoris; nam humanitatem eſſe terminatam, duo dicit, nempè, eſſe ſubſiſtentem per independentiam ab alio tanquam à ſuſtentante, & eſſe per ſe per incommunicabilitatem alteri ſuppoſito diuerſæ naturæ; primum eſt perfectio, donum, & gratia; cæterum id non præſtat perſonalitas Verbi ratione conceptus relatiui, ſed ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ; benè tamen ſecundum, vt docuimus *Tractatu de Trinitate 1. part. quæſtion. 30.* & ideo perſonalitas ratione illius, quod addit ad Diuinam eſſentiam, nec donum eſt, nec gratia humanitati facta.

171 *Replica.* Sed dices; humanitatem eſſe terminatam per ſubſiſtentiam Verbi, quatenus relatiuam, eſt effectus amoris Diuini; & conſequenter humanitas, vt ſic terminata, eſt Diuini amoris obiectum; ſed obiectum Diuinæ dilectionis eſt bonum: ergo humanitatem eſſe terminatam per ſubſiſtentiam Verbi, quatenus relatiuam, bonum eſt; & conſequenter illa terminatio prout ſic, donum eſt, & gratia facta humanitati.

Reſpondetur. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo primum conſequens: humanitas vt ſic terminata, eſt obiectum amoris Diuini ratione conceptus relatiui formaliter, nego conſequentiam: ratione conceptus abſoluti in relatiuo incluſi, concedo conſequentiam: ex quo ſolum ſequitur, terminationem relatiuam eſſe bonam, donum, & gratiam, non ratione conceptus relatiui formaliter, ſed ratione conceptus abſoluti tranſcendentaliter incluſi in relatiuo. Et inſtatur argumentum in relatione ſpirati, quæ per actum Diuinę voluntatis producitur: & conſequenter terminat Diuinum amorem; & tamen amor, quo Pater, & Filius tertiam perſonã producunt, etſi terminetur ad relatio-

nem

nem ſpirati; non tamen habet pro ratione terminandi conceptum relatiuum, ſed abſolutum in relatione incluſum.

172 *Inſtabis.* Inſtabis; ſubſiſtentia abſoluta, ratione cuius perſonalitas Verbi conſtituit humanitatem primo modo ſubſiſtentem, ſcilicet, per independentiam ab alio, vt ſuſtentante, diſtinguitur virtualiter à Diuina natura, non minus quam exiſtentia: ergo ſi vt conſtituens humanitatem ſic ſubſiſtentem, eſt donum, & gratia facta humanitati, & illius formalis ſanctitas; iam perſonalitas Verbi ſanctificat humanitatem Chriſti formaliter ratione alicuius

Reſpondetur. conceptus ad diuinam naturam ſupperadditi. Reſpondeo; iuxta in hanc ſolutionem, vel negandum eſſe antecedens, cum probabili multorum Thomiſtarum ſententia, aſſerentium, exiſtentiam, & conſequenter nec ſubſiſtentiam abſolutam diſtingui virtualiter ab eſſentia diuina. Vel conceſſo antecedenti, diſtinguendum eſſe conſequens: ratione ſupperadditi ad eſſentiam ſecundum omnia prædicata abſoluta, neganda eſt conſequentia: ratione ſuperadditi ad eſſentiam ſecundum præciſum conceptum eſſentiæ, quo ab attributis diſtinguitur, concedenda eſt conſequentia. Hac enim prima ſolutione, ſolum ſaluare contendimus, non ſanctificari humanitatem Chriſti formaliter, à perſonalitate Verbi ratione conceptus relatiui ſecundum explicitum talis conceptus, quod optimè ſubſiſtit, quamuis humanitatem Chriſti ſanctificet ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, & hæc à natura Diuina ſub conceptu eſſentiæ, & naturæ virtualiter diſtinguetur.

173 *Secunda tertij argumenti ſolutio.* Secundò ad tertium argumentum reſpondeo, diſtinguendo maiorem: gratia vnionis ſumpta complete ſanctificat humanitatem Chriſti formaliter; concedo maiorem: incomplete ſumpta, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam perſonalitas verbi, vt terminans ratione ſui humanitatem Chriſti, pro priori ad vnionem cum Diuina natura, quæ mediante perſonalitate vnitur humanitati, non eſt gratia vnionis conſummatè, & perfectè, ſed incompletè, & vialitèr; completa autem gratia vnionis conſiſtit in vnione immediata cum ſubſiſtentia Verbi, & mediata cum Diuina natura; ideoque perſonalitas Verbi prout immediatè ratione ſui tantum vnita, non ſanctificat humanitatem Chriſti, ſed tantum ratione naturæ, quam vnit eidem humanitati. Et inſto argumento in modo vnionis ſubſtantiali creato, quo humanitas Verbo vnitur. Hic enim modus gratia vnionis eſt; & tamen ratione ſui non ſanctificare humanitatem Chriſti formaliter, docet communis ſententia: ergo ex eo quod perſonalitas Verbi ſecundum conceptum ſupperadditum eſſentiæ ſit gratia vnionis, non ſequitur, ratione talis conceptus eſſe ſanctitatem formalem, & ſanctificare formaliter humanitatem Chriſti.

174 *Obijcies.* Obijcies, perſonalitas Verbi, vt terminans ratione ſui humanitatem Chriſti, eſt donum, & gratia humanitati facta: ergo conſtituit illam formaliter gratam; & conſequenter ſanctam formaliter. Reſpondeo, conceſſo an-

Reſpondetur. tecedenti, diſtinguendo primum conſequens: reddit humanitatem gratam gratitudine amicabili, nego conſequentiam: gratitudine non amicabili, concedo conſequentiam, & nego conſequentiam ſubillatam: nam forma ſanctificans non eſt; quæ conſtituit ſubiectum quomodolibet gratum; ſed tantum illa forma, quæ conſtituit gratum ſubiectum gratitudine amicabili; hoc autem non præſtat humanitati perſonalitas Verbi, ratione conceptus explicíti ſupperadditi ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam; ideoque ratione talis conceptus, non ſanctificat formaliter humanitatem Chriſti. Et inſto argumentum in charitate, in fide, & in alijs donis ſupernaturalibus; quæ gratiæ ſunt; & conſequenter ſubiectum, cui communicantur, obiectiuè gratum conſtituunt; & tamen non præſtant effectum ſanctitatis formaliter.

175 *Inſtabis.* Inſtabis; perſonalitas Verbi, vt ratione ſui, quatenus diſtincta ab eſſentia, vnita humanitati eſt gratia maior, quam gratia habitualis; ſed hæc ſubiectum, cui infunditur conſtituit gratum gratitudine amicabili: ergo perſonalitas Verbi ſic ſumpta reddit humanitatem gratam amicabili gratitudine. Et confirmabis primo; nam gratia habitualis, quia Deificat accidentaliter, & imitatiuè, præſtat amicabilem gratitudinem; ſed perſonalitas Verbi, ratione ſui, vt à natura Diuina diſtinguitur, Deificat humanitatem ſubſtantialiter; nam prout ſic includit conceptum entis Diuini omni Dei perfectioni, & formalitati per treſcendentiam rationis communem; ergo conſtituit illam gratam, & dilectam amicabiliter: Patet conſequentia; ſi namque gratia habitualis ex conceptu Deificantis præſtat formaliter effectum ſanctitatis, à fortiori forma perfectius deificans, qualis eſt perſonalitas Verbi, dictum effectum præſtabit. Confirmabis, &

Confirmabis ſecundo. vrgebis ſecundo; nam gratia habitualis ſanctificat formaliter, animam, quia coniungit illam cum Deo, & facit vnum cum ipſo ſed perſonalitas Verbi ratione ſui, prout ab eſſentia diſtincta, coniungit humanitatem ſubſtantialiter cum Deo, & facit magis vnum cum ipſo, quam gratia habitualis, cuius coniunctio accidentalis eſt: ergo ratione ſui, quatenus ab eſſentia diſtincte, ſanctificat formaliter Chriſti humanitatem.

176 *Reſpondetur obiectioni.* Reſpondeo ad obiectionem conceſſis maiori, & minori negando conſequentiam: iſtoque in viſione beatifica, quæ improbabili plurimum Thomiſtarum ſententia, maius donum eſt, quam gratia habitualis; & tamen in eorumdem ſententia, hæc ſanctificat, & non illa. Vnio etiam diuinæ eſſentiæ per modum ſpeciei, maior gratia, & maius donum eſt, quam gratia habitualis ſanctificans; & tamen Deus, vt vnitus per modum ſpeciei, non ſanctificat animas beatorum formaliter. Ac denique; modus vnionis ſubſtantialis creatus, quo humanitas Verbo vnitur, perfectior eſt, & maior gratia, quam gratia habitualis; & tamen ex hoc non colligitur, quod ſi gratia habitualis ſanctificat formalitèr animam, etiam modus ſubſtantialis vnionis præſtet humanitati Chriſti effectum ſanctitatis formaliter.

177 *Ratio omnium aſſignatur.* Et ratio omnium eſt; quia ſolum illa forma conſtituit ſubiectum gratum gratitudine amicabili, quæ terminat amorem Diuinum, præſtando vim radicalem ad redamandum Deum, & ratione cuius ſubiectum diligitur in ordine ad vitam æternam; & quia hoc præſtat gratia habitualis, vtpotè in ordine ſupernaturali natura; ſecus autem perſonalitas ratione conceptus explicíti ſuperadditi ad Diuinam eſſentiam: conſequens fit, quod licet ſit maior gratia, & maius donum, quam gratia habitualis, non tamen ſit forma ſufficiens ad ſanctificandum formaliter, nec ad conſtituendam humanitatem obiectiuè gratam gratitudine amicabili. Et ex his ad primam confirmationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Ad

Prima confirmatio ſoluitur. probationem dicimus, non quamlibet Deificationem, ſed illam, quæ eſt naturæ, vt naturæ, eſſe ſanctitatem formalem, nec terminum amicabilis dilectionis, ob rationem aſſignatam; & quia gratia habitualis ratione ſui Deificat animam Deificatione per modum naturæ, licet participatæ, perſonalitas autem ratione ſui, prout à natura Diuina diſtinguitur, non Deificat humanitatem Deificatione naturæ, ſed Deificatione communi naturæ, & omni formalitati diuinæ: fit conſequens, quod gratia habitualis ſanctificet formaliter animam, illamque conſtituat dilectam amicabiliter perſonalitas autem, etſi perfectius Deificans, prædictum effectum, non præſtet formaliter humanitati Chriſti.

178 *Ad ſecundam confirmationem reſp.* Ex his etiam ad ſecundam confirmationem reſpondeo, diſtinguendo maiorem; gratia habitualis ſanctificat, quia coniungit cum Deo, & facit vnum cum ipſo per aſſimilationem in conceptu naturæ, concedo maiorem: ex ratione communi coniunctionis, & vnitatis cum Deo, nego maiorem, & diſtinguo minorem: perſonalitas ratione ſui coniungit ſubſtantialiter cum Deo, & facit vnum cum ipſo, aſſimilando in conceptu naturæ, nego minorem: ſine tali aſſimilatione, & per modum perſonalitatis, & modi naturæ; concedo minorem, & nego conſequentiam: non enim quælibet coniunctio cum Deo eſt ſufficiens ad ſanctificandum formaliter, ſed ſolum illa, quæ fit per aſſimilationem cum Deo in natura ſub conceptu naturæ: & quia gratia habitualis hoc modo cum Deo coniungit; ſecus autem perſonalitas Verbi; fit conſequens, quod gratia habitualis ſanctificet formalitèr animam, etſi ſolum accidentaliter illam coniungat cum Deo; perſonalitas autem non ſanctificet formaliter humanitatem Chriſti, etſi coniunctio cum Deo, quam præſtat humanitati, coniunctio ſubſtantialis ſit.

179 *Inſtabis.* Inſtabis; eſſe naturam diuinam identicè, maius quid eſt, quam eſſe naturam diuinam imitatiuè; ſed gratia habitualis, quæ ſolum imitatiuè eſt natura diuina ſanctificat formaliter animam: ergo perſonalitas Verbi, quæ identicè eſt natura diuina, ſanctificat formaliter humanitatē Chriſti.

Reſpōdeo primo. Reſpondeo primo ex iam dictis conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam: quia exceſſus ille, quo perſonalitas excedit gratiā habitualem, non eſt in eadē linea,

& genere; ſcilicet, in linea naturæ formaliter; ideoque non obſtante tali exceſſu gratia habitualis ſanctificat; ſecus autem perſonalitas. Et inſto in modo vnionis ſubſtantiali, quo humanitas Verbo vnitur; magis enim eſt ſubſtantialiter vnire cum Deo, quam imitatiuè participare naturam diuinam formaliter; & tamen hoc ſecundum ſufficit in gratia, vt ſanctificet, & illud primum non ſufficit in vnione ſubſtantiali. *Reſpondetur ſecundò.* Vel ſecundo reſpondetur, negando iterum conſequentiam; ſed tantum ex premiſſis infertur, quod perſonalitas Verbi ſanctificet humanitatem Chriſti identicè ſanctitate ſubſtantiali; non autem quod formaliter illam ſanctificet; hoc enim, quod eſt identicè ſanctificare ſanctitate ſubſtantiali, magis eſt, quam ſanctificare formaliter ſanctitate accidentali; vnde ex eo quod eſſe identicè naturam diuinam, ſit aliquid maius, quam eſſe naturam diuinam imitatiuè per formalem participationem; & primum conueniat perſonalitati Verbi, & ſecundum gratiæ habituali, non ſequitur, quod perſonalitas Verbi ſanctificet humanitatem Chriſti formaliter, ſed ſolum quod illam ſanctificet identicè ſubſtantialiter.

---

§. VIII.

Cætera argumenta diluuntur.

180 *Quartum argumentum.* QVARTO principaliter arguitur; per id ſanctificatur humanitas Chriſti formaliter, cui immediatiùs vnitur; ſed immediatiùs vnitur humanitas ſubſiſtentiæ Verbi, ratione illius, quod addit ad eſſentiam, quam naturæ diuinæ, prout virtualiter à perſonalitate diſtinctæ; naturæ namque vnitur ratione perſonalitatis, huic autem ratione ſui: ergo ſanctificatur formaliter per ſubſiſtentiam Verbi, ſecundum id, per quod à natura diuina diſtinguitur. Maior, in qua eſt difficultas, probatur: etenim ratione illius, cui immediatiùs vnitur, terminat humanitas amorem hypoſtaticum, qui maior eſt amore adoptiuo; ergo ratione illius fit obiectum congruum diuinæ dilectionis ſimpliciter; & conſequenter, ratione illius cui immediatiùs vnitur humanitas, conſtituitur ſancta formaliter.

181 *Reſpondetur.* Reſpondeo; maiorem abſolutè eſſe falſam, & inſtantiam manifeſtam habere: tum in vnione gratiæ habitualis ad animam, cui immediatiùs anima vnitur, quam ipſi gratiæ; & tamen non per vnionem, ſed per gratiam vnitam ſanctificatur formaliter anima. Tum etiam, in modo vnionis hypoſtaticæ realiter ab extremis diſtincto, cui immediatiùs vnitur humanitas, quam ſubſiſtentiæ Verbi; & tamen ab illo non ſanctificatur formaliter, in frequentiori Theologorum doctrina. Maior ergo ſolum eſt vera, ſi illud, cui immediatiùs vnitur, forma ſanctificans ſit: & quia perſonalitas Verbi ratione illius, quod addit ad diuinam naturam ſanctitas formalis non eſt: conſequens ſit, quod per illam ſub iſto conceptu, non ſanctificetur humanitas, etſi illi immediatiùs vniatur. Ad maioris probationem, diſtinguo antecedens: ratione illius, cui immediatiùs vnitur, terminat humanitas amorem hypoſtaticum vltimatè, & completè, nego antecedens: terminat non vltimatè, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et inſto in modo vnionis, ratione cuius humanitas Chriſti amorem hypoſtaticum terminat: quia tamen vnio non eſt terminus vltimus prædicti amoris, ſed vlterius tendit, nempè, ad ſubſiſtentiam, & diuinitatem Verbi, non vnio, ſed ſubſiſtentia, aut diuinitas Verbi eſt, quæ humanitatem Chriſti conſtituit obiectum amoris hypoſtatici. Sic Nos in *præſenti* dicimus; quod quia amor hypoſtaticus non ſiſtit in perſonalitate Verbi, ſed vlterius tranſit ad communicandam diuinam naturam, hæc vltimo terminat, & eſt ratio terminandi prædictum amorem; & conſequenter non perſonalitas Verbi, ſed ipſius diuinitas ſanctificat humanitatem Chriſti formaliter.

182 *Obijcies primò.* Sed oppones contra iſtam ſolutionem primo: perſonalitas Verbi ratione illius, per quod diſtinguitur à diuina natura, terminat prius, quam diuina natura; ſed pro illo priori intelligitur terminatus amor hypoſtaticus: ergo intelligitur pro illo priori ratio illum terminandi; cumque non intelligatur pro illo priori natura diuina, vt virtualiter à perſonalitate Verbi diſtincta; ratio terminandi hypoſtaticum amorem non erit natura diuina, ſed perſonalitas Verbi ratione illius, per quod à natura diuina diſtinguitur. *Obijcies ſecundò.* Secundo; non enim ſolus terminus vltimus prædeſtinationis hypoſtaticæ eſt ſanctificatiuus formaliter, ſed etiam terminus non vltimus prædictæ prædeſtinationis eſt forma ſanctificatiua; at perſonalitas Verbi, vt vnita humanitati, ratione illius, quo diſtinguitur à natura diuina, eſt terminus, ſaltim non vltimus amoris, & prædeſtinationis hypoſtaticæ: ergo vt ſic ſanctificat humanitatem Chriſti formaliter. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur: terminus non vltimus prædeſtinationis adoptiuæ, nempè, gratia habitualis, ſanctificat animam iuſti formaliter: ergo terminus non vltimus amoris, & prædeſtinationis hypoſtaticæ ſanctificat formaliter humanitatem Chriſti.

183 *Ad primã replicam reſpondetur.* Reſpondeo ad primam replicam, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: intelligitur pro illo priori amor hypoſtaticus terminatus completè, & perfectè, nego minorem: incompletè, & inchoatiuè, concedo minorem, & diſtinguo conſequens: intelligitur ratio terminandi amorem hypoſtaticum completè, & vltimatè, nego conſequentiam: ratio illum terminandi incompletè, inchoatiuè, & viuliter, concedo conſequentiam: ex quo non ſequitur, quod perſonalitas Verbi, vt pro illo priori humanitati vnita, formaliter illam ſanctificet; non enim obtinet conceptum ſanctitatis formalis ratio terminandi amorem hypoſtaticum incompletè, & inchoatiuè; ſed ratio illum terminandi, completè, & conſummatè; alias ſanctificaret formaliter humanitatem modus vnionis creatus, quo diuino Verbo vnitur; eſt enim ratio terminandi hypoſtaticum amorem incompletè, & prius quam illum terminet perſonalitas Verbi; cum prius quam Verbi perſonalitas humanitati conuenire intelligatur.

184 *Ad ſecundam reſpõdetur.* Ad ſecundam obiectionem, nego maiorem. Ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam inter terminos non vltimos prædeſtinationis adoptiuæ, continetur gratia habitualis, quæ cum natura ſit in ordine ſupernaturali, eſt ad ſanctificandum ſufficiens; ideoque ſanctificat animam, non ex ratione termini prædeſtinationis adoptiuæ; aliàs omnis terminus talis prædeſtinationis ſanctificaret formaliter; quod eſt falſum conſtat in auxilijs ſufficientibus, in auxilijs efficacibus, in actu contritionis, & in alijs donis gratiæ, quæ omnia in prædeſtinatis ſunt effectus prædeſtinationis; & conſequenter ſunt termini, ſaltim non vltimi illius, & tamen rationem ſanctitatis non obtinent; imò nec viſio beatifica, quæ eſt terminus vltimus noſtræ prædeſtinationis, ſanctitas formalis eſt, in probabiliori, & veriori ſententia: non ergo gratia habitualis ſanctificat formaliter animam, ex conceptu termini prædeſtinationis adoptiuæ; ſed quia talis terminus eſt, nempè, in quo Dei natura ſub conceptu naturæ formaliter participata inuenitur; perſonalitas autem Verbi, ratione illius, per quod à natura Dei diſtinguitur, non obtinet formaliter conceptum naturæ, nec per eſſentiam, nec per participationem; & ideo, quamuis terminet non vltimo amorem hypoſtaticum, & Chriſti prædeſtinationem non ſanctificat formaliter humanitatem Chriſti ratione talis conceptus.

185 *Quintum argumentum.* Quinto arguitur; perſonalitas Verbi, ratione ſui, prout virtualiter à natura diuina diſtincta, eſt ſanctitas ſubſtantialis: ergo vt ſic ſanctificat ſubſtantialiter humanitatem Chriſti. Conſequentia eſt euidens: quia namque vt ſic, eſt formaliter perſonalitas, & communicatur humanitati, illam perſonatam conſtituit: ergo ſi prout ſic, eſt formaliter ſanctitas ſubſtantialis, vnita & communicata humanitati ſubſtantialiter illam ſanctificat. *Antecedens probatur 1. Dioniſ.* Antecedens autem oſtenditur primò; nam *Sanctitas*, iuxta Dionyſium cap. 12 de diuinis nominibus *eſt ab omni ſcelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas*; ſed perſonalitas Verbi, ratione proprij, & expliciti conceptus ſuperadditi ad eſſentiam, eſt ab omni ſcelere libera; non enim poteſt in peccatum influere, eſt etiam omnino perfecta, & ex omni parte immaculata puritas; pugnat enim, ratione ſui, eſſentialiter cum omni peccato: ergo ratione ſui eſt forma ſanctificatiua.

186 *Secundò probatur.* Secundo probatur; nam proprietas perſonalis Spiritus Sancti, ratione ſui, prout ab eſſentia diſtinguitur, ſanctificat Spiritum Sanctum; & conſequenter, prout ſic ſanctitas formalis eſt: ergo perſonalitas Verbi, ratione ſui, quatenus ab eſſentia diſtinguitur, obtinet conceptum ſanctitatis formalis. Conſequentia eſt euidens; nullum enim quoad hoc

eſt

eſt diſcrimen inter perſonalitatem Verbi, & perſonalitatẽ Spiritus Sancti. Antecedens autem probatur: nam tertia Trinitatis perſona, ex vi ſuæ proceſſionis, eſt Spiritus Sanctus, & conſequenter ex vi ſuæ proceſſionis eſt ſancta; ſed non ratione naturæ, hanc enim non accipit formaliter ex vi proceſſionis, aliàs eſſet filius, & genitus, & illius proceſſio eſſet generatio formaliter: ergo eſt ſancta, ratione proprietatis perſonalis, quatenus ab eſſentia diſtincta; & conſequenter prout ſic Spiritum Sanctum ſanctificat.

187 *Tertio probatur.* Tertio idem antecedens probatur; nam perſonalitas Verbi, vt ab eſſentia virtualiter diſtincta, coniuncta per identitatem cum Deitate, conſtituit Verbum Filium Dei naturalem per eſſentiam: ergo coniuncta per vnionem humanitati, conſtituit Chriſtum, vt hominem, Filium Dei naturalem per gratiam vnionis; ſed forma Filij Dei naturalem conſtituens, non poteſt non eſſe ſufficiens ad ſanctificandum formaliter; ergo perſonalitas Verbi, prout virtualiter a diuina natura diſtinguitur, eſt forma formaliter ſanctificatiua. *Quarto probatur.* Quarto probatur; nam perſonalitas Verbi ratione conceptus expliciti ſuperadditi ad eſſentiam, & prout ab illa diſtinguitur, pugnat eſſentialiter cum omni peccato: ergo ratione talis conceptus, eſt forma ad ſanctificandum ſufficiens; & conſequenter, ratione illius, ſanctificat humanitatem Chriſti formaliter.

188 *Denique antecedens probatur.* Denique idem antecedens probatur; nam perſonalitas Verbi ratione prædicti conceptus dignificat operationes Chriſti, illaſque meritorias conſtituit; ergo, prout ſic, eſt ſanctitas formalis, & humanitatem Chriſti ſanctificat. Probatur antecedens; nam ſi per impoſſibile, vnita perſonalitate Verbi cum humanitate Chriſti, non vniretur natura; adhuc operationes Chriſti eſſent infiniti valoris, & infinitæ æſtimabilitatis: ergo perſonalitas, vt virtualiter à natura diſtincta, operationes Chriſti dignificat, & meritorias conſtituit. Probatur antecedens: tùm, quia dignitas operationum Chriſti prouenit ex eo quod ſunt theandricæ, & Dei viriles; in eo autem caſu, Dei viriles eſſent, Dei, inquam, ratione ſuppoſiti, & viriles ratione humanæ naturæ. Tùm etiam, nam offenſe in illum hominem, tunc caſus, commiſſa, eſſet grauitatis infinitæ, cum grauitas offenſæ ſumatur ex dignitate perſonæ iniuriatæ; hæc autem in prædicto caſu infinita eſſet: ergo in prædicta hypoteſi, operationes Chriſti eſſent valoris ſimpliciter infiniti.

Ad hoc argumentum reſpondeo, negando antecedens.

189 *Argumenta reſponditur.* Ad primam probationem dicatur, puritatem dupliciter ſumi: primo negatiuè pro carentia peccati, & repugnantia cum illo: ſecundò poſitiuè, & eſt idem, quod rectitudo, aut ſpiritualitas. Admitto pro nunc perſonalitatem Verbi, ratione proprij conceptus, repugnare peccato, & eſſe incompatibilem cum illo; ex hoc autem ſolum ſequitur, quod ſit puritas negatiua perfecta; & conſequenter ſanctitas negatiua; non verò colligitur eſſe puritatem perfectam poſitiuam: quia ad hoc requirebatur, quod præſtaret per modum radicis omnium potentiarum rectitudinem, ſtatimque viſionem, & amorem Dei, quod perſonalitati Verbi non conuenit, prout e natura diuina diſtinctæ; & conſequenter prout ſic ſanctitas poſitiua non eſt. An autem ſit ſanctitas negatiua, ex proximè dicendis conſtabit.

Ad ſecundam antecedentis probationem, nego antecedens.

190 *Secunda antecedentis probatio diluitur.* Ad illius probationem dicatur; ly *Spiritus Sanctus*, prout appropriatur tertiæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, non eſſe terminum complexum, nec accipi in vi duarum dictionum; ſed terminum incomplexum in vi vnius dictionis acceptum, qui ratione non ſignificet ſanctitatem, ſed impulſum procedentem per actum voluntatis, de quo D. Thom. 1. p. q. 36. art. 1. vndè ex eo quod tertia Trinitatis perſona ex vi ſuæ proceſſionis ſit Spiritus Sanctus; non ſequitur eſſe formaliter ex vi proceſſionis ſanctam; ac proindè non colligitur ſanctificari formaliter a propria perſonalitate, prout virtualiter e natura diuina diſtincta.

191 *Ad tertiam reſpondetur.* Ad tertiam antecedentis probationem, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, nego minorem ſubſumptam: nam licet Filius naturalis Dei neceſſario ſit ſanctus, vtpotè habens ius ad diuinam hæreditatem; non tamen neceſſarium eſt, quod ſit ſanctus formaliter per formam conſtituentem ipſum in ratione filij, ſed a natura connotata in obliquo; vndè licet Verbum Diuinum ſanctum ſit per eſſentiam, non tamen eſt ſanctum formaliter per hypoſtaſim, per quem in recto conſtituitur in ratione Filij, ſed per naturam diuinam in obliquo a perſonalitate connotatam, & importatam: pariter ergo in præſenti, licet perſonalitas Verbi vnita humanitati, conſtituat Chriſtum, vt hominem, Filium Dei naturalem per gratiam vnionis; non tamen eſt neceſſarium, quod perſonalitas, ratione ſui, prout a natura diuina diſtinguitur, præſtet humanitati effectum ſanctitatis formaliter, ſed illum præſtat natura in obliquo a perſonalitate importata: taliter, quod ad ſanctificandum ingrediatur in recto id, quod ad conſtituendum Filium importatur in obliquo. Et ratio eſt manifeſta; nam ab illa forma conſtituitur Verbum Diuinum formaliter ſanctum per eſſentiam, ratione cuius illi debetur Patris hæreditas; forma autem ratione cuius debetur Verbo beatitudo increata, in qua hæreditas diuina conſiſtit, non eſt perſonalitas conſtituens illud Filium in recto, ſed natura conſtituens ipſum Filium in obliquo; & conſequenter hæc, & non illa eſt forma ſanctificans Verbum per eſſentiam, & ſanctificans Chriſtum, vt hominem, per gratiam factam humanitati.

192 *Si obijcias.* Si obijcias; dato per impoſſibile, quod vniretur humanitati Chriſti perſonalitas Verbi ſeparata à natura diuina, vel natura diuina non vnita, Chriſtus, vt homo, eſſet Filius naturalis Dei; & conſequenter, vt homo eſſet ſanctus; vt enim paulò ante diximus, non ſtat ſine ſanctitate Filiatio naturalis Dei; ſed non eſſet ſanctus à natura diuina, quæ in data hypoteſi, non eſſet humanitati vnita; & conſequenter, nec humanitatem, nec Chriſtum, vt hominem, ſanctificaret; non enim ſine vnione præſtare poteſt ſanctitatis effectum: ergo eſſet ſanctus formaliter à perſonalitate ratione ſui, prout virtualiter à natura diſtinguitur. Maior, in qua eſt difficultas, probatur; nam in illo caſu communicaretur humanitati Chriſti diuina filiatio, nempè, ſubſiſtentia Verbi, quæ eſſentialiter filiatio diuina eſt: ergo Chriſtus, vt homo, eſſet, in tali caſu naturalis Dei Filius.

193 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando maiorem: ad illius probationem, diſtinguo antecedens: communicaretur in prædicto caſu humanitati Chriſti diuina filiatio reduplicatiuè, & formaliter ſub conceptu filiationis, nego antecedens: ſpecificatiuè, & materialiter, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quia, vt Chriſtum, quatenus hominem, Filium Dei naturalem conſtituat, neceſſarium eſt communicari illius humanitati perſonalitatem Verbi, vt filiatio eſt, reduplicatiuè, & formaliter, & vt rationem filiationis exercentem; in illo autem caſu non ſic communicaretur; quia non vniretur humanitati, vt in exercitio terminans diuinam naturam, qualiter ſolum Filium Dei naturalem conſtituit, & munus filiationis exercet; & ideò Chriſtum, vt hominem, non conſtitueret Filium Dei naturalem, nec in hypoteſi admiſſa, & conficta eſſet ſubſiſtentiæ Verbi eſſentiale Filium Dei naturalem actu conſtituere; ſicut nec eſſet illi eſſentiale actu naturam Dei terminare, cum ab illa ſupponatur ſeparata, quod non poteſt componi cum eo quod illi ſit eſſentialis terminatio naturæ diuinæ.

194 *Quarta antecedentis probatio diluitur primò.* Ad quartam antecedentis probationem reſpondeo primò, prætermiſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: ſanctificat perſonalitas Verbi ſanctitate poſitiua, nego conſequentiam: ſanctitate negatiua, tranſeat conſequens iuxta dicta *in hac Diſputatione §. 4. in ſolut. tertij argumenti*, nam ex eo quod perſonalitas Verbi ratione proprij, & expliciti conceptus ſuperadditi ad eſſentiam, & ad lineam abſolutam, pugnet cum omni peccato, ad ſummum colligi poteſt, eſſe ſanctitatem negatiuam, conſiſtentem in emundatione à peccato, vel repugnantia cum illo; non autem infertur conceptum ſanctitatis poſitiuæ obtinere, conſiſtentis in renouatione interiori, per radicationem omnium facultatum ſupernaturalium, & præcipuè illarum, quæ tribuunt potentiam proximam ad redamandum Deum, & ad ipſum intuitiuè videndum; hoc enim perſonalitas Verbi ratione prædicti conceptus, non præſtat, nec præſtare poteſt, vt conſtat ex dictis, ampliuſque ex dicendis conſtabit; ideoque, eſto admittamus, eſſe ſanctitatem negatiuam, ſanctitas poſitiua non eſt.

195 *Diluitur.* Secundo reſpondeo, diſtinguendo antecedens: perſonalitas Verbi, ratione proprij conceptus, pugnat eſſentialiter cum omni peccato actuali, tranſeat antecedens: cum peccato habituali, nego antecedens, & conſequentiam. Nam forma ſanctificans, etiam ſanctitate negatiua, illa eſt, quæ cum habituali pugnat peccato, habetque

vim formaliter expulſiuam illius; non quæ ſolum cum peccatu actuali repugnantiam eſſentialem habet; etenim dilectio efficax Dei ſuper omnia, pugnat eſſentialiter cum peccato actuali mortali; & tamen non ſanctificat animam, adhuc ſanctitate negatiua, in frequentiori, & veriori Theologorum ſententia. Viſio etiam beatifica, repugnat eſſentialiter peccato actuali; & tamen quod ſanctitas formalis non ſit, frequentior ſententia tenet. Ac denique, decretum efficax Dei, nunquam concurrendi cum voluntate creata ad materiali peccati, aut nunquam illud permittendi repugnantiam eſſentialem habet cum omni peccato actuali; & tamen nullus dixit, eſſe ſanctitatem formalem: ergo ex eo quod perſonalitas Verbi, ratione conceptus explicite ad eſſentiam ſuperadditi, pugnet eſſentialiter cum omni actuali peccato; non ſequitur habere vim ſanctificatiuam formaliter.

196 *Tertia ſolutio.* Vel tertio reſpondeo, diſtinguendo antecedens: pugnat eſſentialiter cum omni peccato, etiam habituali, per incompoſſibilitatem formalem directam, nego antecedens: per indirectam conſiſtentem in ablatione cauſæ conſeruantis peccatum habituale, ſcilicet, peccati actualis præteriti, vt perſeuerantis moraliter, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam. Vt namque eſſet forma ſanctificans, neceſſarium erat, primo, & non tantum ſecundo modo, peccatum habituale excludere, ſeu cum illo pugnare. Cuius manifeſta inſtantia, ſeu exemplum inuenitur in actu efficaci dilectionis Dei ſuper omnia, quo poſito, & non ſuperinfuſa gratia habituali, non extaret in anima peccatum habituale; quia retractaretur efficaciter voluntas antecedens, ex cuius non retractatione, moralis exiſtentia peccati habitualis dependet. Et in viſione beatifica, cum qua, in omnium Thomiſtarum ſententia, eſt incompoſſibile eſſentialiter peccatum habituale; & tamen neutrum horum, eſt ſufficiens ad ſanctificandum formaliter: quia oppoſitio, quam habent cum peccato habituali, non directa, ſed indirecta eſt: non ergo ſufficit ad rationem formæ ſanctificantis formaliter, quicumque modus oppoſitionis cum peccato habituali; & conſequenter, ex eo quod perſonalitas Verbi ratione proprij conceptus, modo prædicto, cum peccato habituali opponatur, non ſequitur eſſe ſanctitatem formalem.

197 *Denique reſpondetur.* Denique reſponderi poteſt, ad quartam antecedentis probationem, negando antecedens. Nam licet perſonæ Verbi peccatum actuale in natura aſſumpta eſſentialiter repugnet; ratio tamen huius repugnantiæ, non poteſt perſonalitas Verbi, ratione illius, quod addit ad diuinam naturam, ſed ratione naturæ, quam in ſe includit tranſcendentaliter. Quod patet; nam id eſt ratio repugnantiæ eſſentialis peccati Verbo in natura aſſumpta, quod eſt ratio repugnantiæ peccati Verbo in ſe ipſo; ratio autem repugnantiæ peccati Verbo in ſe ipſo, non eſt explicitus perſonalitatis conceptus, ſed natura diuina, in perſonalitate incluſa tranſcendentaliter; cum ratio huius repugnantiæ ſit ſumma bonitas, aut ſumma rectitudo, quarum vtraque conuenit Verbo, non ratione perſonalitatis ſecundum id, per quod à natura diuina diſtinguitur; ſed ratione naturæ diuinæ; ac per conſequens ratio repugnantiæ peccati actualis Verbo in natura aſſumpta, non eſt id, quod perſonalitas addit ad naturam diuinam, ſed ipſa diuina natura; ac proinde ex tali repugnantia non ſequitur, quod Verbi perſonalitas ratione conceptus explicitis forma ſanctificans ſit, ſed ſolum, quod ſanctificet humanitatem Chriſti ratione naturæ diuinæ, quam tranſcendentaliter includit.

198 *Obijcies.* Sed dices: creatura ideo eſt potens peccare, quia ex nihilo facta eſt, vnde naſcitur, quod in nihilum, id eſt, in peccatum poſſit deflecti, vt communiter docetur à Patribus; ex quo principio communis Theologorum ſententia deducit, implicare creaturam ab intrinſeco omnino impeccabilem; quia implicat creatura, quæ ex nihilo facta non ſit: ergo repugnantia ad peccandum, conuenit Deo ratione repugnantiæ ad nihilum, vel ad fieri ex nihilo; hæc enim eſt repugnantia ad radicem peccabilitatis, vel potentiæ ad peccandum; ſed Verbo conuenit, repugnantia ad nihilum, vel ad fieri ex nihilo, non ſolum ratione naturæ incluſæ in perſonalitate, ſed etiam ratione perſonalitatis ſecundum proprium conceptum: ergo repugnantia ad peccandum actualiter conuenit Verbo, non ſolum ratione naturæ diuinæ, ſed etiam ratione perſonalitatis ſecundum conceptum proprium ſuperadditum eſſentiæ. Vtraque conſequentia eſt clara. Minor autem ſubſumpta probatur; nam Verbo conuenit repugnantia, ad fieri ex nihilo, ex conceptu entis diuini communi per tranſcendentiam formalem, & rationis, omni Dei formalitati; ſed quod conuenit Verbo ex conceptu iſto communi, conuenit etiam ipſi ratione perſonalitatis ſecundum id, quod addit ad naturam diuinam: ergo repugnantia ad fieri ex nihilo conuenit Verbo Diuino ratione perſonalitatis, ſecundum proprium perſonalitatis conceptum, per quem diuina natura diſtinguitur. Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas probatur; nam repugnantia ad fieri ex nihilo conuenit Verbo ex ratione entis *à ſe* per excluſionem cauſæ; ſed ratio hæc eſt communis per tranſcendentiam rationis omni Dei formalitati; licet ratio entis *à ſe* per excluſionem principij vlterioris ſoli naturæ diuinæ, quæ radix eſt attributorum conueniat, & ſoli naturæ diuinæ ſit propria: ergo repugnantia ad fieri ex nihilo conuenit Verbo ex ratione entis diuini communi per tranſcendentiam rationis omni Dei formalitati; & conſequenter ex hoc eodem conceptu, illi conuenit repugnantia ad peccandum actualiter.

Reſpondeo, creaturæ rationali conuenire potentiam peccandi ex conceptu entis ex nihilo, non formaliter, ſed arguitiuè, hoc eſt, quod ex tali conceptu arguitur potentia peccandi, non vt conueniens ex illo, ſed ex alio in ea reperto, vt ex ratione formali; ſi enim conceptus entis ex nihilo eſſet ratio, ex qua formaliter, natura rationalis creata poſſet in peccatum cadere; ſequeretur omne ens creatum poſſe in peccatum incidere. Ex hoc autem ſolum ſequitur, argui in Verbo ex conceptu entis à ſe repugnantiã cum peccato actuali, non vt illi conuenientem ratione talis conceptus, ſed ratione alterius, nempè, ex conceptu naturæ, ratione cuius Verbo debentur operationes, & illarum rectitudo. Ex quo non colligitur, repugnantiam iſtam, tranſcendere per tranſcendentiam formalem, & rationis, perſonalitatem Verbi, nec quod in illa realiter multiplicetur; ſed ſolum, quod perſonalitatem tranſcendat tranſcendentia reali, ſicut tranſcendit eſſentia, & natura Dei omnes perſonalitates diuinas, abſque eo quod in illis multiplicetur. Et quidem negari non poſſunt in Deo plures formalitates, & perfectiones, quæ formaliter operatiuæ non ſunt; & conſequenter ratione illarum, non debentur ipſi operationes, nec operationum rectitudo: ergo ratione talium perfectionum, non conuenit repugnantia eſſentialis cum peccato actuali, quæ vel conſiſtit in eſſentiali debito rectitudinis operationum, vel in illo fundatur. Ex quo vlterius colligitur repugnantiam eſſentialem, cum peccato actuali, non conuenire Deo ex conceptu entis diuini tranſcendentis per tranſcendentiam rationis omnem Dei formalitatem. 199 *Reſpondetur huic obiectioni.*

200 *Secundò & melius reſpondetur.* Vel ſecundo, & melius reſpondetur, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, negando minorem ſubſumptam. Ad illius probationem, nego maiorem. Ad cuius probationem dicatur; quod licet ratio entitatis, vel realitatis diuinæ, ſit communis per tranſcendentiam formalem omni Dei formalitati, & in relationibus realiter multiplicetur; ratio tamen *à ſe*, etiam per excluſionem cauſæ, non tranſcendit relationes, hoc genere tranſcendentiæ; ſed illis conuenit ratione eſſentiæ diuinæ, cuius exiſtentia exiſtunt, vt *Tract. de Trinitate quæſt.* 29. cum communi Thomiſtarum ſententia docuimus, & monſtrauimus; aliàs ratio increati, quæ conſiſtit in ratione entis *à ſe*, multiplicaretur realiter in diuinis relationibus; ex quo vlterius ſequeretur tres perſonas dicendas tres increatos, contra illud Athanaſij in Symbolo: *non tres increati, ſed vnus increatus*. *Symbol. Athan.* Cum ergo, repugnantia eſſentialis cum omni peccato actuali conueniat Diuinis perſonis ex ratione entis *à ſe*, & hæc non tranſcendat perſonalitates diuinas tranſcendentia rationis, ſed tranſcendentia reali; conſequens fit, vt repugnantia eſſentialis cum peccato conueniat perſonalitati Verbi, non ratione conceptus explicite, nec ratione prædicati, illam tranſcendentis primo genere tranſcendentiæ, ſed ratione eſſentiæ, & naturæ diuinæ, quæ illam reali tranſcendentia tranſcendit. Et quidem, ſicut conuenit creaturæ rationali potentia ad peccandum, ex eo quod eſt ex nihilo; ita illi ex eodem capite conuenit, negatio æternitatis per eſſentiam, hoc eſt, quod æterna eſſentialiter non ſit; & conſequenter Deo ex conceptu entis *à ſe* conuenit oppoſitum prædicatum, nempè quod ſit eſſentialiter æternus; & tamen ex hoc ſequitur relationibus diuinis conuenire æternitatem, ratione conceptus explicitl, nec ratione prædicati, quod in illis realiter multiplicetur, aliàs æternitas realiter multiplicaretur in diuinis relationibus, & tres perſonæ diuinæ, tres

æterni

æterni eſſent dicendæ, cuius contrarium docet Athana- *Symb.* ſius in Symbolo, illis verbis: *Non tres æterni, ſed vnus* *Athan.* *æternus*: pariter ergo idem argumentum factum de repugnantia cum peccato actuali non vrget, nec intentum concludit, ob rationem aſſignatam.

Ad vltimam primi antecedentis probationem dicatur;
201 *Ad vltimã primi antecedẽtis probationem reſpond.* operationes Chriſti fuiſſe infinitæ æſtimabilitatis moralis, & valoris meritorij ſimpliciter infiniti: primum, ex dignitate perſonæ Verbi, vt communicatæ humanitati immediatè, & mediatè, illius operationibus: ſecundum, ex infinita ſanctitate perſonæ, vt prius etiam humanitati communicatæ; neutrum tamen à perſonalitate, ratione conceptus relatiui ſuperadditi ad eſſentiam, & ad prædicata Dei abſoluta deſumi, ſed moralem æſtimabilitatem, à dignitate perſonali Chriſti, quæ eſt aliquid abſolutum, & valorem meritorum à perſonalitate Verbi ratione naturæ incluſæ, vt explicuimus *Tract. 1. diſp. 3.*

Ad primã probationem reſpond. Vnde in forma ad vltimam probationem reſpondeo, negando antecedens. Ad primam illius probationem concesſa maiori, nego minorem. Tunc enim, non eſſent operationes hominis Dei, in quo conſiſtit, quod ſint Dei viriles, ſed tantum eſſent operationes hominis ſubſiſtentis aliena, & diuina ſubſiſtentia, ratione cuius infinitam æſtimabilitatẽ haberent ſi quamuis ſupponatur perſonalitas Verbi ſeparata à natura diuina, non ſupponatur ab omni formalitate Dei abſoluta diſiuncta; non tamen haberent valorem meritorium infinitum: quia valor meritorius ſumitur à ſanctitate increata, quæ in illo caſu non eſſet communicata humanitati; ſi vero etiam ab omni Dei formalitate abſoluta, perſonalitas Verbi ſupponatur diuiſa, & ſimul aſſeratur, relationes diuinas non addere perfectionem relatiuam ad eſſentiam, conſequenter eſt aſſerendum, operationes, in tali hypoteſi, ab humanitate elicitas, nec fore infinitè meritorias, nec infinitè æſtimabiles.

Et ex his ad ſecundam probationem reſpondeo; quod ſi
202 *Ad ſecũdam probationem reſpond.* ſupponatur perſonalitas Verbi ſeparata ab omni formalitate diuina abſoluta, & quod ratione ſui perfectionem relatiuam, non dicat conflatum ex ſubſiſtentia, Verbi, & humanitate, non eſſet dignitatis infinitæ; non enim ratione humanitatis, quæ finita eſt, nec ratione ſubſiſtentiæ, quæ in data hypoteſi, ſicut perfectionem, non diceret; ita nec dignitatem infinitam, imo nec finitam haberet, & conſequenter offenſa in illum hominem commiſſa, infinitæ grauitatis non eſſet; ſi autem ſupponatur ſeparata à natura Diuina, non verò ab omni formalitate diuina abſoluta, tunc eſſet perſona infinitæ dignitatis, & offenſa in illa commiſſa grauitatis infinitæ; ex quo ſolum ſequitur, operationes Chriſti tunc caſus, fore infinitæ æſtimabilitatis moralis, non autem valoris meritorij infiniti; & quia ſola infinitas meritoria moralis: infinita ſanctitatem ſupponit, non ſequitur perſonalitatem Verbi, in hypoteſi ſuppoſita, ſanctificaturam humanitatem Chriſti.

Denique principaliter arguitur: & contra doctrinam
203 *Vltimum argumentum.* hucuſque datam inſtatur; perſonalitas Verbi ratione ſui, quatenus ab eſſentia diſtincta, eſt humanitati Chriſti prima radix moraliter, videndi, & amandi Deum, totiuſque rectitudinis moralis in eius operationibus: ergo ſanctificat humanitatem Chriſti formaliter. Conſequentia patet; nam diuinitas ſub conceptu naturæ ſanctificat humanitatem Chriſti; & tamen non radicat phyſicè, ſed tantum moraliter prædicta dona, vt ex *infra* dicendis conſtabit: ergo ſi perſonalitas Verbi, vt à natura Diuina diſtincta, illa radicat moraliter, eſt formalis ſanctitas humanitatis. Antecedens autem probatur; nam eſſe radicem moralem donorum ſupernaturalium, eſt quod ratione illius primo prædicta dona debeantur; ſed humanitati debentur primo illa dona ratione perſonalitatis Verbi: ergo eſt prima radix moralis. Probatur minor; nam debentur humanitati, ratione perſonalitatis; ſed non debentur ſecundo, ratione illius, cum ad perſonalitatem nihil aliud ſupponatur in humanitate præexiſtens: ergo debentur ratione perſonalitatis primario. Maior probatur, ſupponendo cum ſententia probabili, perſonalitatem Verbi ratione proprij, & expliciti conceptus, dicere perfectionem, & bonitatem ſuperadditam eſſentiæ. Quo ſuppoſito, ita probatur; nam ratione perſonalitatis, redditur infinitè bona humanitas; & conſequenter amabilis infinitè, dignaque infinito amore: ergo conſtituitur, ratione perſonalitatis, digna amore communicatiuo omnis boni; & conſequenter digna amore communicatiuo donorum ſupernaturalium, præſtantium humanitati facultatem proximam videndi, & amandi Deum, & ſemper rectè operandi.

Reſpondeo primo; admittendo prædicta dona deberi humanitati, ratione, perſonalitatis, negando autem; 204
quod ratione illius primo debeantur, quod neceſſarium *Prima ſolutio.* erat, vt eſſet prima radix moralis, & vt humanitatem ſanctificaret formaliter. Ratio autem cur non primo, ratione perſonalitatis prædicta dona debeantur, eſt, nam licet, quoad vniri phyſicè, Deitatem humanitati, ſupponatur vnio perſonalitatis; quoad vnionem tamen moralem, non eſt prior perſonalitas: quia ſub ea ratione eſt prior, ſub qua à Deitate præexigitur; non autem præexigitur à Deitate, perſonalitas, vt vnita moraliter, ſed tantum vt phyſicè terminans humanitatem; ideoque, vt moralem præſtans effectum, non præcedit perſonalitas, ſed potius ſubſequitur Deitatem: quia cum dignificet, per modum dignitatis ſecundæ, ſupponit dignitatem radicalem, & primam: quæ eſt Deitas ſub conceptu naturæ. Sicut in ſententia aſſerente, actum charitatis eſſe formam ſanctificatiuam, etſi gratiam habitualem, vt diſpoſitio præcedat, negatur, quod pro illo priori formaliter ſanctificet animam, eo quod gratia habitualis iuſtificans, exigit actum charitatis præcedentem, vt diſpoſitionem; non tamen illum exigit præcedentem, vt iuſtificantem, & in prioritate cauſalitatis ſolum conceditur cauſæ, quod exigitur ab effectu. Sic Nos in præſenti aſſerimus, Deitatem exigere, vt vniatur humanitati, præcedentiam perſonalitatis, vt phyſicè terminantis humanitatem, non vero vt præſtantem aliquem effectum moralem; ideoque perſonalitas pro ſigno præcedentiæ ad vnionem Deitatis, non radicat dona ſupernaturalia moralitèr.

Secundo reſpondeo; quod licet perſonalitas præſtet 205
humanitati donorum ſupernaturalium dignitatem, pri- *Secunda ſolutio.* mario executiuè, ſeu in ordine executionis; non tamen illam præſtat primario intentiuè, ſeu in ordine intentionis; vnio enim perſonalitatis cum humanitate eſt propter mediatam vnionem Deitatis; vt autem eſſet radix moralis donorum ſupernaturalium, & forma humanitatem ſanctificans, debebat, non ſolam in ordine executionis, ſed etiam in ordine intentionis præcedere; ſicut in linea phyſica, natura, vel eſſentia proprietates ſuas ordine intentionis præcedit; natura namque non eſt propter proprietates, ſed proprietates ſunt propter illam, vt finem.

Denique reſpondeo, negando; quod ratione perſonali- 206
tatis, humanitati prædicta bona debeantur; cum enim *Denique reſpondetur.* ſint operandi principia, nec phyſicè, nec moraliter poſſunt deberi, non interueniente merito, niſi ratione naturæ, vel participatæ, vel communicatæ; perſonalitas autem ratione proprij, & expliciti conceptus, neutro ex his modis obtinet rationem naturæ; ideoque ratione illius, non poſſunt prædicta dona humanitati eſſe debita. Ad probationem dicatur perſonalitatem, prout virtualiter à natura diſtinctam, nec phyſicè, nec moralitèr eſſe in omni linea infinitam, ſed tantum in propria linea perſonalitatis; vnde ſicut, quia phyſicè, non eſt in omni linea infinita formaliter, ſed tantum in linea peculiari, nũ debẽtur phyſicè ratione illius omnia bona, nec omnia dona ſupernaturalia: ita quia non eſt infinita moraliter in omni linea, ſed tantum in linea propria, non debetur moraliter ratione illius, omne, quod poteſt conferri à Deo, nec humanitatem conſtituit dignam amore diuino cõmunicatiuo omnis boni; vt autem ſit propria linea infinita, illique amor infinitus reſpondeat, ſufficit, Deum in illa infinitè complacere, & quod humanitas ratione illius, digna adorationis, & venerationis, ſine termino conſtituatur.

Cæterum contra iſtam ſolutionem inſtabis; nam forma *Inſtabis.* ratione cuius humanitas conſtituitur impeccabilis, facit debita omnia dona, requiſita ad rectitudinem moralem operationum; cum ſine hac rectitudine, præſuppoſito præcepto, non poſſit peccatum vitari ſed perſonalitas Verbi ratione ſui, prout à natura, diſtinguitur, & ab omni prædicato abſoluto, conſtituit humanitatem Chriſti impeccabilem, vt *ſuperius*, tanquam probabile admiſimus: ergo ratione illius debentur humanitati moraliter omnia dona requiſita ad rectitudinem ſuarum operationum; ex quo vlterius ſequitur, etiam ratione illius, eſſe moraliter humanitati debita dona præſtantia facultatem videndi, & amandi Deum.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſub vno, & eodem 207
conceptu, nego maiorem: ſub vno, vel ſub diuerſis *Reſpondetur.*
con-

conceptibus talis formæ, omitto maiorem; & prætermiſſa minori nego conſequentiam; nam licet conſtituto impeccabili, neceſſarium ſit debitum donorum dantium rectitudinem moralem, præſuppoſito præcepto; non tamen eſt neceſſarium, quod forma præſtans impeccabilitatem, ratione eiuſdem conceptus, prædictum debitum fundet; ſed ſufficit illud fundare ſub alio conceptu ſibi identificato, maximè, ſi in illo includatur, & hoc ita in perſonalitate Verbi inuenitur; nam licet ſub expreſſo perſonalitatis conceptu, non fundet debitum donorum ſupernaturalium, nec ratione illius humanitati debeantur; includit tamen implicitè naturam Diuinam, ratione cuius, humanitati debentur. Sic diſcurrendum iudico, admiſſo, quod perſonalitas Verbi ratione ſui, impeccabilem conſtituat humanitatem, vt ſimul defendatur, non ſanctificare humanitatem formaliter.

§. IX.

Explicatur forma ſubſtantialiter humanitatem Chriſti ſanctificans.

208 *Quarta concluſio.* SIt Quarta Concluſio. *Diuinitas, vt à perſonalitate Verbi, virtualiter diſtincta, eſt quæ ſanctificat humanitatem Chriſti, vt terminata per ſubſiſtentiam Verbi; ly vt dicente, non rationem formalem ſed conditionem, ſeu complementum, & illam immediatè ſanctificat.* Ita ex noſtris Nazarius *in præſenti controu. 2. concluſ. 4.* & *Nazar. Araujo. Vazq. Turrian. Becan. Lugo.* Illuſtriſſimus Araujo *vbi ſupra concl. 2.* Eidem ſententiæ ex Patribus Societatis adhæret Vazquez *diſp. 41. cap. 3. & 3.* Turrianus *de Gratia opuſc. 3. diſp. 1. dub. 7. & opuſc. 6. diſp. 10. dub. 3.* Becanus *de Incarnat. cap. 8. q. 2. concl. 3. num. 6.* & Cardinalis Lugo *vbi ſupra ſectione ſecunda concluſione 3.*

209 *Prima pars probatur 1.* Et quoad primam partem oſtenditur primo; nam iuxta Eccleſiæ Patres, eo ſanctificatur humanitas, quo vngitur, & deificatur; ſed Deitate vngitur, & ab illa deificatur: ergo Deitate ſanctificatur formaliter. *Secundo probatur.* Secundo probatur; nam humanitas præcedenter ad gratiam habitualem, eſt ſubſtantialiter formaliter ſancta; & conſequenter ab aliqua forma illi prædictum effectum præſtante; ſed non à modo ſubſtantiali vnionis, vt oſtendimus concluſione ſecunda, nec à perſonalitate Verbi, ratione illius, per quod à Diuinitate virtualiter diſtinguitur, vt tertia concluſione monſtrauimus: ergo à Deitate, prout virtualiter à perſonalitate diſtincta; non enim extat aliud, à quo poſſit humanitati effectus ſanctitatis præcedenter ad gratiam habitualem præſtari.

210 *Tertio probatur.* Tertio probatur; nam diuinitas, prout virtualiter à perſonalitate diſtincta, eſt formaliter ſanctitas ſubſtantialis, Deumque per eſſentiam ſanctificat: tùm, quia participatio formalis illius, nempè, gratia habitualis, eſt formalis ſanctitas participatiuè; & conſequenter Deitas à gratia participata, eſt formalis ſanctitas per eſſentiam. Tum etiam, quia ſub prædicto conceptu, eſt prima radix videndi, & amandi Deum, in quo ratio ſanctitatis conſiſtit: ergo vnita, etſi mediatè, humanitati Chriſti, ſanctificat illam formaliter ſanctitate ſubſtantiali. Patet conſequentia primo: quia nulla eſt ratio cur effectus ſanctificationis petat immediatam vnionem formæ cum ſubiecto, quod formaliter ſanctificet. Secundo; nam gratia totum ſanctificat hominem; & tamen, non vnitur toti homini immediatè, ſed tantum illius animæ. Tertio; nam diuinitas, ſolum mediatè humanitati vnita illam exiſtentem conſtituit, in ſententia D. Thomæ, & Diſcipulorum eius: ergo etiam conſtituit ſanctam humanitatem, non obſtante, quod ſolum mediatè illi vniatur. Denique; nam ex parte humanitatis nullam repugnantiam eſſe, vt per diuinitatem ſanctificetur formaliter, ex argumentorum ſolutione conſtabit; ſed diuinitas de ſe, eſt ſufficiens ad ſanctificandum humanitatem, cum formalis ſanctitas ſit: ergo illam de facto ſanctificat.

211 *Denique probatur prima pars concluſionis.* Denique prima pars concluſionis probatur; nam ſi ob aliquam rationem diuinitas non ſanctificaret humanitatem Chriſti formaliter, maximè, quia illam phyſicè non informat; at hæc ratio nulla eſt: ergo ſanctificat humanitatem formaliter. Minor, in qua eſt difficultas, oſtenditur primo; nam in ſententia Lorcæ, cuius eſt argumentum, perſonalitas Verbi, prout virtualiter diſtincta à diuina natura, ſanctificat formaliter humanitatem Chriſti; & tamen illam phyſicè non informat, phyſica namque informatio omni Dei perfectioni, & formalitati repugnat: ergo ex eo quod diuinitas vt diſtincta virtualiter a perſonalitate Verbi; non informet phyſicè humanitatem, non ſequitur non ſanctificare formaliter humanitatem. Secundo probatur minor; nam abſque phyſica informatione, perſonalitas Verbi reddit perſonatam humanitatem. Diuinitas etiam, abſque phyſica informatione, illam exiſtentem conſtituit. Ac denique eſſentia diuina fecundat intellectum beati ordine ad viſionem beatificam, quin illum informet phyſicè: ergo etiam poterit ſanctificare humanitatem Chriſti formaliter, abſque illius phyſice informatione, ſolum per terminationem, non immediatam, ſed mediatam.

212 *Secunda pars concluſionis probatur 1.* Deinde ſecunda pars concluſionis probatur primo; nam diuinitas ſanctificat humanitatem mediante vnione cum illa; forma namque non vnita, non poteſt ſuum effectum formale præſtare; ſed non vnitur humanitati, niſi vt terminata, & modificata per ſubſiſtentiam Verbi: ergo vt ſic terminatam humanitatem ſanctificat. *Secundo probatur.* Secundo probatur; nam diuinitas non ſanctificat humanitatem, vt toti Trinitati communis; alias, vt ſic communis, humanitati vniretur; & conſequenter tota Trinitas incarnata fuiſſet, quod catholicæ fidei aduerſatur: ergo ſanctificat humanitatem diuinitas, vt eſt Verbo propria; & conſequenter, vt perſonalitate Verbi terminata; nam per hanc terminationem Verbo appropriatur diuinitas, non enim poteſt per communem prædicatum omnibus perſonis diuinis alteri perſonæ determinatè, appropriari, vel illius propria fieri.

213 *Ly vt non dicit rationem formalem.* Quod autem ly *vt*, non dicat rationem formalem, vt diuinitas, humanitatem Chriſti ſanctificet, ſed ſolum conditionem, aut complementum ad effectum ſanctitatis humanitati præſtandum, probatur: nam quod ratione ſui, ſanctitas formalis non eſt, non poteſt alteri eſſe ratio formalis, vt præſtet ſanctitatis effectum; ſicut id, quod ratione ſui formaliter album non eſt, non poteſt alteri eſſe ratio formalis dealbandi; ſed perſonalitas Verbi, ſecundum id, per quod à natura diuina virtualiter diſtinguitur, non eſt ſanctitas formalis, vt *concl. 3.* monſtrauimus: ergo non poteſt eſſe diuinitati ratio formalis, vt ſanctificet humanitatem, ſed tantum conditio, vel complementum ad hunc effectum præſtandum: eo quod diuinitas ſanctificat, vt vnita humanitati vnitur autem illi mediante perſonalitate Verbi.

214 *Notatur obiter.* Vbi obiter eſt aduertendum, perſonalitatem Verbi non eſſe conditionem, ita neceſſariam, vt ſine illa non poſſet diuinitas humanitatem ſanctificare, ſed tantum eſt conditio ad illam de facto ſanctificandam: quia, ſcilicet, ita contingit de facto, vt mediante perſonalitate Verbi, vniretur humanitati diuinitas. Quod patet; nam potuit diuinitas immediatè vniri humanitati ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, vt docuit Caietanus *ſupra q. 3. art. 3.* Noſque *Tract. 3.* fusè monſtrauimus, quo in caſu, humanitatem ſanctificaret. *Caiet.* Potuit etiam Pater Incarnari, & Spiritus Sanctus ſimiliter; at in iſtis caſibus perſonalitas Verbi, non eſſet medium, quo diuinitas vniretur humanitati; & conſequenter, nec conditio, ſeu complementum ad ſanctificandum illam: ergo non requiritur, vt conditio indiſpenſabilis, vt diuinitas humanitatem ſanctificet, etſi de facto fuerit conditio, ſeu complementum, vt illam ſanctificaret.

215 *Vltima pars concluſionis probatur 1.* Tandem vltima pars concluſionis, probatur primo; nam Deitatem immediatè ſanctificare, eſt, quod inter Deitatem, & humanitatem, nihil formaliter ſanctificans medìet; ſed licet mediet perſonalitas Verbi, vt terminans humanitatem, & vnio humanitatis cum Verbo, nihil tamen horum mediat, vt formaliter ſanctificans: ergo diuinitas ſanctificat humanitatem Chriſti immediatè. *Secundo probatur.* Secundo probatur; nam ſanctificare immediatè humanitatem, eſt, quod nihil mediet, à quo vim ſanctificandi formaliter accipiat diuinitas; ſed licet inter Diuinitatem, & humanitatem, medient perſonalitas Verbi, & vnio humanitatis cum ipſo, nec perſonalitas, nec vnio, dant diuinitati vim proximam, aut remotam ad ſanctificandum formaliter, cum ipſæ vim formaliter ſanctificatiuam non habeant, vt conſtat ex dictis: ergo diuinitas ſanctificat humanitatem Chriſti immediatè.

§. X.

§. X.

Duo argumenta contrariæ ſententiæ diluuntur.

216 *Primum argumentum.* SENTENTIAM noſtræ concluſioni contrariam tenet Lorca *in præſenti diſput.* 36. cui aliqui Recentiores adhærent; in cuius fauorem arguitur primò; etſi Deitas in ſeipſa, ſanctitas formalis ſit; non tamen poteſt ſanctitatis effectum humanitati præſtare: ergo ratione ſui, vt à perſonalitate diſtinguitur, non ſanctificat humanitatem Chriſti. Antecedens probatur; vt enim diuinitas præſtet humanitati ſanctitatis effectum, requiritur, quod vniatur vt illi, forma; ſed non poteſt vt forma humanitati vniri; informatio namque diuinitati, & cuius diuinæ perfectioni repugnat: ergo nec poteſt ſanctitatis effectum humanitati præſtare, eſto in ſe ipſa ſanctitas formalis ſit.

217 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem: requiritur, quod vniatur, vt forma phyſicè informans, nego maiorem: vt forma terminans mediatè, vel immediatè, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet diuinitas, non poſſit vniri humanitati, vt forma phyſicè informans; poteſt tamen illi vniri per modum terminantis, non ratione ſui immediatè, ſed mediatè, ratione ſubſiſtentiæ perſonalis Verbi: & hæc vnio mediata terminatiua ſufficit, vt Deitas ratione ſui humanitatem Chriſti ſanctificet; ſicut in ſententia Lorcæ, cuius eſt argumentum, perſonalitas Verbi, ratione ſui terminans humanitatem, ratione ſui ſanctificat formaliter illam, abſque phyſica informatione; & ſicut perſonalitas forma phyſica humanitatis non eſt, & illæ, vt forma moralis vnitur, ita diuinitas, quamuis immediatè, non vniatur humanitati, poteſt illam ſanctificare.

218 *Inſurgit Lorca.* Sed contra iſtam ſolutionem inſurgit Lorca in hunc modum: mediata vnio ſapientiæ, omnipotentiæ, æternitatis, & immenſitatis cum humanitate, non ſufficit, vt à ſapientia Dei conſtituatur humanitas ſapiens, ab omnipotentia omnipotens, ab æternitate æterna, & immenſa ab immenſitate: ergo pariter vnio mediata terminatiua diuinitatis, cum humanitate, non ſufficit, vt ab illa ſancta conſtituatur. Patet conſequentia; tùm à paritate rationis. Tùm etiam, quia attributa ob ſummam ſimplicitatem, & identitatem inter ſe, & cum diuina eſſentia; non poſſunt non communicari eſſentia communicata: ergo ſi mediata vnioni eſſentiæ cum humanitate, ſufficit, vt illi communiretur eſſentia, vt ſanctificans; ſufficiet etiam, vt cætera attributa humanitati communicent proprios effectus formales. Tum denique; quia non minus inconueniens videtur, quod humanitas ſit formaliter ſancta ſanctitate, qua Deus ſanctus eſt, quam quod ſit immenſa formaliter per eandem immenſitatem, qua Deus eſt immenſus; nullum enim prædicatum, quod infinitum ſit, poteſt de natura humana in abſtracto prædicari; vllàs ſecundum eandem realitatem, quæ de Deo prædicetur, de humanitate in abſtracto diceretur; ex quo ſequitur naturarum confuſio.

219 *Reſpondet Cardinalis Lugo.* Huic argumento Cardinalis Lugo vbi *ſupra ſectione* 1. *num.* 18. reſpondet, conceſſo antecedenti, quoad omnes partes illius, negando conſequentiam. Rationem autem diſcriminis reddit; nam humanitas, non poteſt vniri Deo, niſi prædicato, in quo ſubſtantialiter incompleta ſupponitur; & quia in ordine ad ſubſiſtendum ſupponitur incompleta ſubſtantialiter ex defectu propriæ, & ſibi connaturalis ſubſiſtentiæ; quæ in ordine ſubſtantiali eſt complementum illius; non autem in ordine ad durandum, ad eſſendum in loco, ad intelligendum, vel ad operandum: quia hæc omnia prædicata ſunt extra lineam ſubſtantiæ, nec illam ſubſtantialiter complent; fit conſequens, quod poſſit vniri cum ſubſiſtentia Verbi, & cum ſanctitate illius, effectus formales ſubſiſtentiæ, & ſanctitatis recipiendo; non autem poſſit vniri cum cæteris attributis, ita vt ab illis proprias denominationes, & quaſi effectus formales recipiat; vndè non poteſt à ſapientia Dei, ſapiens conſtitui, ab omnipotentia omnipotens, ab æternitate æterna, aut immenſa ab immenſitate diuina.

220 *Si in contrarium opponatur.* Quod ſi in contrarium objicias; humanitatem in ordine ad ſanctitatis effectum, non ſupponi ſubſtantialiter incompletam; cum defectus ſanctitatis in humanitate ſubſtantialis non ſit, nec per ſanctitatem præſtitam à gratia habituali in linea ſubſtantiæ compleatur; & tamen vnitur cum ſanctitate Verbi, & per illam ſancta conſtituitur: ergo quamuis in ordine ad durationem, ad intellectionem, ad operationem, & ad eſſendum in loco, non ſupponatur humanitas ſubſtantialiter incompleta, poterit nihilominus per diuinam durationem durare, per ſapientiam Dei intelligere, & vniri cum omnipotentia, & cum æternitate diuina, iſtorum attributorum effectus, vel quaſi effectus formales, formaliter in ſe recipiendo, niſi aliundè repugnantia oſtendatur, aliam rationem diſcriminis conſtituendo.

221 *Reſpondet.* Reſpondet; quod licet in ordine ad ſanctitatem ſub conceptu ſanctitatis, non ſupponatur humanitas incompleta ſubſtantialiter: quia tamen in ordine ad ſubſiſtendum ſupponitur ſubſtantialiter incompleta, ex defectu propriæ ſubſiſtentiæ, quæ illam ſubſtantialiter compleret, fit vt poſſit per Verbi ſubſiſtentiam ſubſiſtere; & quia in hoc, quod eſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi intimè clauditur, quod reddatur ſancta per illam; conſequens fit, vt ex incompletione ſubſtantiali humanitatis in ſubſiſtendo, inferatur poſſibilitas ſanctificationis humanitatis per ſanctitatem diuinam.

222 *Requiritur primò.* Sed contra hanc ſolutionem obſtat primò; in hoc quod eſt per ſubſiſtentiam Verbi ſubſiſtere, non claudi intimè ſanctificationem ab illa, niſi ſupponatur in humanitate capacitas, vt ſanctitatis effectum à ſubſiſtentia recipiat; ſi namque irrationalis natura terminaretur à Verbo, ſubſiſteret per illius ſubſiſtentiam; & tamen non ſanctificaretur ab illo: quia effectus ſanctificationis implicat in tali natura: ergo ex poſſibilitate terminationis per ſubſiſtentiam Verbi, non arguitur poſſibilitas ſanctificationis ab illa, niſi aliundè probetur, ſanctificationem eſſe poſſibilem, abſque phyſica informatione; ſecus autem effectus formalis aliorum attributorum; nam huius rationem diſcriminis argumentum factum quærit, & niſi aſſignetur non ſoluitur.

223 *Secundò.* Deindè; nam ſicut perſonalitas Verbi eſt ratione ſui ſanctitas, ita etiam eſt immenſitas, & æternitas, in ſententia illius Auctoris; at in hoc, quod eſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi non clauditur intimè immenſam, aut æternam conſtitui per illam: ergo nec clauditur intimè hoc, quod eſt per illam ſanctificari, niſi ratio differentiæ inter ſanctitatem, & alia attributa reddatur; cur, ſcilicet, effectus ſanctitatis præſtari poſſit, abſque phyſica informatione, aut identitate cum ſubiecto ſanctificato, effectus autem aliorum attributorum phyſicam informationem, vel identitatem expoſcant.

Denique. Denique; nam eſto ſolutioni traditæ demus, quod ſanctificari humanitatem per ſubſiſtentiam perſonalem Verbi intimè claudatur in hoc, quod eſt conſtitui ſubſiſtentem per illam; non tamen intimè clauditur ſanctificari humanitatem à Deitate ſub conceptu naturæ, in ſententia iſtius Auctoris, intimè non includatur in perſonalitate Verbi: ergo ad ſanctificationem à Deitate præſtandam, non ſupponitur humanitas ſubſtantialiter incompleta, nec in ſeipſa formaliter, nec in alio prædicato, in quo ſanctificatio à Deitate præſtanda includatur; & tamen per Deitatem ſanctificatur humanitas ſanctificatione virtualiter diſtincta à ſanctitate perſonalitatis, vt Cardinalis Lugo fatetur: ergo poterit etiam humanitas per æternitatem Diuinam durare, per ſapientiam Dei intelligere, & ſic de alijs attributis, quamuis ad illorum denominationes, aut quaſi effectus formales, nullo modo ſupponatur ſubſtantialiter incompleta.

224 *Secunda ſolutio.* Alij ad argumentum factum reſpondent, conceſſo etiam antecedenti, negando conſequentiam, & rationem diſcriminis reddunt: nam effectus formales attributorum vitalium, petunt identitatem cum illo, quod viuens conſtituunt, vel realem egreſſum ab illo; & quia repugnat perfectionibus diuinis identitas cum humana natura, & realis egreſſus ab illa; ideo non poſſunt humanitati communicari, eam ſcientem, aut volentem conſtituendo, nec poteſt humanitas eſſe ſapiens ſapientia diuina, aut volens diuina volitione. Ad alios autem effectus, qui formaliter vitales non ſunt, vt eſſe immenſum, æternum, &c. ideo in humanitate capacitas non inuenitur: quia de ratione immenſi eſt, quod poſtulet præſentiam in omni ſpacio, de ratione æterni, quod careat principio &

fine

ſine durationis, de ratione omnipotentis, quod ſi potens principaliter producere, quidquid re ipſa producitur eſt, quæ omnia humanitati repugnant; & idtirco, quamuis huiuſcemodi attributa vniantur humanitati mediatè, non præſtant illi proprias denominationes, aut quaſi effectus formales: quia, nempè, ad illos in ſe recipiendos, non eſt in humanitate capacitas; Sanctitas autem non petit identificari cum ſubiecto, cui præſtat ſuum effectum formalem, nec realiter egredi ab illo; & aliàs in ſua denominatione formali nihil humanitati repugnans importat; & idcirco diuinitas mediatè humanitati vnita, illam reddit ſanctam formaliter.

125 *Reijcitur pas ſolutio.* Hæc tamen ratio diſcriminis, etſi veriſſima ſit, quoad effectus formales vitales diuinarum perfectionum; quoad alios autem, qui vitales non ſunt, omnino inſufficiens eſt; nam licet rectè probetur, non poſſe prædicta attributa humanitati præſtare eoſdem quaſi effectus formales, quos Deo in ſe ipſo tribuunt, nempè, quod omnem occupet locum, quod careat principio durationis, & fine, quod omnia poſſit producere: quia ad huiuſcemodi effectus ſic ſumptos, non eſt in humanitate capacitas; non tamen probatur, quod non poſſint tales effectus modo limitato, & finito humanitati præſtare, nec quod in humanitate, non ſit ad illos ſic recipiendos capacitas: ita vt duret per diuinam æternitatem, etſi non ſine principio, & fine, per immenſitatem aliquem occupet locum, & per omnipotentiam aliquid producere poſſit, ſicut per ſubſiſtentiam Verbi, quæ in ſe infinita eſt, Verbumque infinitè ſubſiſtens conſtituit, humanitas ſubſiſtit modo finito, per diuinam exiſtentiam modo finito conſtituitur exiſtens, & per ſanctitatem diuinam, quæ Deum infinitè ſanctum per eſſentiam conſtituit, redditur humanitas ſancta, non infinitè per eſſentiam, ſed tantum per communicationem: ergo tradita ſolutio quoad effectus iſtos formales ſic ſumptos eſt inſufficiens.

126 *Traditur vera ſolutio.* Vndè his prætermiſſis ſolutionibus, ad argumentum reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad primam probationem dicatur, rationem diſcriminis eſſe: nam effectus formales vitales per modum actus ſecundi, non poſſunt communicari, niſi actus vitales procedant phyſicè à principio viuente, aut identificentur cum illo, v. g. cognitio cum cognoſcente, & volitio cum volente; ſi autem ſint vitales per modum actus primi, non poſſunt communicari, niſi forma ſit dans vitam, aut identificetur cum ſubiecto viuente, aut illud phyſicè informet, v. g. intellectus, & voluntas, non poſſunt conſtituere intelligentem, & volentem in actu primo, niſi identificentur cum ſubiecto intelligente, & volente, vt in Deo, aut illud phyſicè informet, vt in Angelis, & in nobis contingit. Et ratio eſt; quia cum eſſe operatiuum ſequatur ad eſſe eſſentiæ, non poſſunt eſſe operatiuum præſtare, niſi vniantur ad vnam conſtituendam eſſentiam, ad quod, vel identitas, vel ſaltim phyſica informatio requiritur.

127 *De duratione diſtinguitur.* Duratio autem, ſi idem ſit cum exiſtentia formaliter, ſicut humanitas exiſtit per exiſtentiam diuinam, ita & poteſt per diuinam durationem durans conſtitui; ſi autem ab exiſtentia formaliter diſtinguatur, pertinet ad eſſe eſſentiæ ſubſtantiale, vel accidentale; & ideo vt alicui ſubiecto præſtet ſuum effectum formalem, petit, aut identificari cum illo, aut phyſicam eius informationem. Idemque de immenſitate dicatur, nempè, vel identificari cum omnipotentia formaliter; & conſequenter ſicut omnipotentia, quia eſt principium operatiuum, non poteſt ſuum effectum naturæ creatæ præſtare: ita nec immenſitas poteſt: vel pertinere ad eſſe eſſentiæ & conſequenter exigere, vt ſuum effectum præſtet, vel identitatem, vel phyſicam informationem, quorum vtrumque diuinis perfectionibus repugnat: idemque eſt de alijs attributis dicendum.

128 *Effectus ſanctitatis nihil imperfectionè dicens importat.* Effectus autem ſanctitatis, nec petit identitatem formæ ſanctificantis cum ſubiecto ſanctificato, nec illius phyſicam informationem, ſed ſufficit phyſica terminatio mediata, vel immediata, & moralis informatio conſiſtens in ſic ſe habere ad dignificandum, ſeu gratificandum ſubiectum, ac ſi phyſicè informaret. Cuius ratio eſt, quia eſſe ſanctum eſt, eſſe obiectum, vel terminum dilectionis diuinæ amicabilis; vnde ſicut eſſe exiſtens, vel ſubſiſtens, quia in eſſe terminato conſiſtit, non petit informationem phyſicam ſubiecti exiſtentis, vel ſubſiſtentis, nec identitatem cum illo, ſed ſufficit illius terminatio: ita eſſe ſanctum, quia conſiſtit in eſſe obiectum, vel terminum dilectionis diuinæ amicabilis, non petit identitatem formæ ſanctificantis in ſubiecto ſanctificato, nec informationem phyſicam illius; ſed tantum phyſicam terminationem mediatam, vel immediatam, & informationem moralem: nam eo ipſo, quod diuina eſſentia mediatè vniatur humanitati, redditur ratione illius adorabilis, æſtimabilis, & diligibilis. Quam doctrinam tenetur Magiſter Lorca approbare, cum ipſe fateatur ſanctitatem relatiuam, ſanctificare humanitatem Chriſti formaliter, non tamen illam referre, aut relatam conſtituere, etiam ſi perſonalitas Verbi, non minus ſit relatio, quam ſanctitas; ad quod ſaluandum, tenetur ad traditam doctrinam recurrere.

129 *Ad ſecundam conſequentiæ probationem.* Ad ſecundam conſequentiæ probationem, negandum eſt antecedens, ob rationem aſſignatam diſcriminis: nec obſtat ſumma ſimplicitas, & identitas eſſentiæ, & attributorum; ratio namque relationis, & ratio perſonalitatis in ſubſiſtentia verbi magis identificantur, quam attributa, & eſſentia inter ſe; & tamen in ſententia Lorcæ perſonalitas Verbi conſtituit perſonatam humanitatem, quin eam conſtituat relatam: ergo ex eo quod eſſentia, & attributa inter ſe identificentur, non ſequitur, quod ſi eſſentia ſecundum aliquid ſui humanitati communicatur formaliter, etiam attributa neceſſario illi communicentur, communicatione formali, ei præſtando ſuos quaſi effectus formales.

130 *Ad tertiam.* Ad tertiam conſequentiæ probationem, negandum eſt antecedens, ob rationem ſæpè datam, & diſcrimen aſſignatum inter effectum ſanctificationis, & effectus, vel quaſi effectus formales aliorum attributorum, nec inconueniens eſt cenſendum, quod eadem realitas eſſentiæ, Deum, & humanitatem ſanctificet, & quod eadem ſanctitate, ſanctificetur humanitas, qua Deus ſanctificatur; ſicut nec inconueniens reputat Lorca, quod eadem ſubſiſtentiæ realitas diuinitatem, & humanitatem ſubſiſtentes conſtituat, & quod eadem ſubſiſtentia ſubſiſtat humanitas, qua Verbum ſubſiſtit, eo quod diuerſimodè comparatur ad illa. Nec ſequitur naturarum confuſio; non enim vniuntur ad vnam eſſentiam, vel naturam conſtituendam; ſed taliter, quod natura humana ex conſortio cum diuina, & ex vnione mediata cum illa, ſicut in omnium ſententia, æſtimabilitatem, & adorabilitatem venatur: ita in Noſtra ſententia, diligibilitatem accipiat; & conſequenter ſanctificationem conſiſtentem in hac amabilitate.

131 *Secundò argumentum.* Secundò arguitur, & contra iſtam ſolutionem inſtatur; nam eſſe ſanctum, non conſiſtit in obiecto diuinæ dilectionis vtcumque, ſed in obiecto dilectionis amicabilis Dei; ſed non ſtat per formam aliquam conſtitui obiectum dilectionis diuinæ amicabilis, abſque phyſica informatione formæ huiuſcemodi effectum præſtantis: ergo diuinitas, cui phyſica informatio repugnat, non poteſt humanitati effectum ſanctificationis præſtare. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: nam obiectum dilectionis diuinæ amicabilis, petit non ſolum terminare dilectionem, ſed etiam poſſe mutuo redamare Deum proximè, vel radicaliter; ſed poſſe radicale, vel proximum, non poteſt præſtari à forma per ſolam terminationem mediatam, vel immediatam, ſed neceſſario phyſicam formæ informationem requirit, vt *proximè* dicebamus; quo circa cum communi Thomiſtarum ſententia *Tractatu de charitate* docuimus non poſſe de potentia abſoluta Deum per modum charitatis vniri cum voluntate creata, & *Tract. de viſione Dei*, id ipſum docuimus, de vnione per modum luminis: quia, nempè, proximum poſſe operari, non poteſt ſine phyſica informatione præſtari ab aliqua forma; phyſica autem informatio omni diuinæ perfectionis repugnat: ergo obiectum dilectionis amicabilis, non poteſt conſtitui à forma, phyſicè non informante, per ſolam terminationem mediatam, vel immediatam. Hoc argumentum, non poteſt Lorcæ fauere, cum ipſe fateatur, vt vidimus, perſonalitatem Verbi ſanctificare humanitatem Chriſti formaliter; & conſequenter fateri teneatur conſtituere humanitatem obiectum diuinæ dilectionis amicabilis; cum tamen Verbi perſonalitas, non poſſit phyſicè informare humanitatem.

132 *Reſpondetur.* Reſpondeo ergo ad argumentum, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem; petit poſſe redamare phyſicè, vel moraliter, concedo maiorem: phyſicè determinatè, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſe-

ſe-

ſequentiam: nam licet forma præſtans poſſe phyſicum proximum, vel radicale neceſſario petat phyſicam informationem ſubiecti, quod operatiuum conſtituit; poſſe tamen radicale morale, conſiſtens in morali debito, moralique exigentia donorum præſtantium phyſicum poſſe proximum, & radicale, poteſt optimè prouenire à forma phyſicè non informante; & hoc poſſe præſtat diuinitas humanitati Chriſti; nam hoc ipſo, quod ex coniunctione ad Verbum deificata conſtituitur, ratione huius deificationis, debentur humanitati, omnia dona ordinis gratiæ, media, quibus conſtituitur phyſicè potens ad redamandum Deum; & idcirco humanitatem ſanctificat, abſque phyſica informatione, per ſolam terminationem mediatam, & informationem moralem.

233 *Replicatur primò.* Sed obijcies aduerſum iſtam ſolutionem primo; ſequitur namque ex illa humanitatem Chriſti perfectius per gratiam habitualem, quam per diuinitatem ſanctificatam fuiſſe; conſequens eſt falſum: ergo & tradit ſolutio. Probatur ſequela: nam perfectius præſtat gratia habitualis poſſe redamare Deum, quam illud præſtat diuinitas; cum ab hac ſolum morale poſſe præſtetur; ab illa autem poſſe phyſicum, quod perfectius eſt morali: ergo perfectius per gratiam habitualem, quam per diuinitatem ſanctificatur humanitas.

234 *Secundò.* Secundo; ſequitur, actum contritionis ſanctificare formaliter, conſequens eſt falſum in communiori, & veriori ſententia: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur ſequela; nam contritio, vtpote diſpoſitio moralis ad gratiam iuſtificantem; moraliter exigit illam, & conſequenter etiam moraliter exigit cætera dona, quæ ad iuſtificantem gratiam conſequuntur; ex quo vlterius fit, vt præſtet, poſſe radicaliter ad redamandum moraliter: ergo ſi ad ſanctificandum ſufficit præſtare hoc poſſe, in exigentia explicata conſiſtens, erit actus contritionis forma formalitèr iuſtificans.

235 *Tertiò.* Tertio; nam ſequitur ex eadem ſolutione perſonalitatem Verbi ratione illius, quod ſuperaddit eſſentiæ, ſanctificare humanitatem Chriſti formaliter; conſequens eſt contra dicta concluſione tertia: ergo ſolutio tradita eſt falſa. Probatur ſequela: nam moralis dignitas, quæ idem eſt, quod exigentia moralis gratiæ, & donorum ipſam conſequentium, non eſt cur à perſonalitate Verbi ratione proprij conceptus, non poſſit humanitati Chriſti præſtari cum ratione illius, prout ſic veneratione digna conſtituatur: ergo ſi diuinitas, quia præſtat humanitati huiuſcemodi dignitatem, & moralem exigentiam, ſanctificat illam formaliter, etiam ſanctificabitur à perſonalitate Verbi ratione illius, per quod à Diuinitate diſtinguitur.

236 *Denique.* Denique: nam ex ſolutione traditæ infertur, humanitatem non phyſicè, ſed tantum moraliter ſanctificatam fuiſſe per gratiam vnionis: conſequens eſt falſum, alias ſolum extrinſecè, ſanctificata fuiſſet per illam, cum formæ ſolum moralis, extrinſeca ſit ſubiecto: ergo ſolutio tradita non poteſt ſubſiſtere. Probatur ſequela, nam eo modo per gratiam vnionis ſanctificatur humanitas, quo per illam conſtituitur potens radicaliter redamare; ſed iuxta ſolutionem traditam in vi gratiæ vnionis, ſolum eſt potens radicaliter moraliter: ergo per gratiam vnionis ſolum moraliter ſanctificatur humanitas.

237 *Ad primā obiectionē reſpond.* Reſpondeo ad primam replicam, diſtinguendo conſequens: perfectius ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam ſanctificationis, nego ſequelam: perfectius, ſecundum quid, & quoad modum, tranſeat conſequens: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nec probatio conuincit exceſſum talem ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid; nam cum poſſe radicaliter redamare, non ſit adæquatus ſanctitatis conceptus, nec conceptus principalis illius, ſed ſolum inadæquatus, & minus principalis; quamuis excedat gratia habitualis diuinitatem in modo tribuendi prædictum poſſe radicale, non ſequitur Deitatem excedi à gratia ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid; imo potius humanitas in infinitum à diuinitate exceditur; eo quod dignitas moralis à diuinitate præſtita, vtpote infinita ſimpliciter in infinitum excedit dignitatem moralem, quam gratia habitualis præſtat humanitati.

238 *Secundæ obiectioni occurrit.* Ad ſecundam replicam, nego ſequelam. Ad illius probationem dicitur; exigentiam moralem, qua actus contritionis exigit gratiam ſanctificantem, eſſe tantum diſpoſitiuam, & imperfectam; ideoque ad ſanctificandum inſufficientem, ad quem effectum præſtandum, requiritur exigentia moralis, & perfecta, qualis eſt exigentia donorum gratiæ, competens humanitati, ratione diuinitatis. Et quidem non deſunt Theologi contendentes gratiæ habituali, ſolam moralem exigentiam facultatum ſupernaturalium, abſque phyſica illarum radicatione, & ſimul aſſerentes ſanctificare formaliter animam; quin ex hoc vrgeantur, ad concedendum, actum contritionis ſanctificare poſſe formaliter; quia illius exigentia imperfecta eſt, & per modum diſpoſitionis ſubordinatæ formæ, quam exigit, & ad illam, vt finem ordinatæ; exigentia verò, quæ gratia habitualis, exigit dona ad ordinem gratiæ ſpectantia eſt perfecta, & radicalis, ſcilicet, per modum naturæ fundantis ius filiationis ad æternam hæreditatem.

Ad tertiam, nego ſequelam. Ad illius probationem nego maiorem. Ratio autem cur hæc radicalis exigentia moralis, non poteſt humanitati competere, ratione perſonalitatis, ſecundum id quod addit ad naturam diuinam, eſt, quia exigentia iſta eſt moralis, ſolum ob defectum informationis phyſicè, formæ exigentiam præſtantis; vndè ſi talis forma phyſicè humanitatem informaret, radicaret phyſicè in illa facultates ad ordinem gratiæ ſpectantes; ac proindè, ſolum præſtari poteſt à forma, quæ phyſicè vnita, phyſicè radicaret; Verbi autem perſonalitas, etſi phyſicè informaret humanitatem, non radicaret phyſicè facultates ſupernaturales operatiuas, cuius ſignum eſt, quod Verbo identificata non radicat in illo virtualiter principia proximè operatiua, aliàs prout diſtincta à Deitate eſſet natura formaliter; ideoque non poteſt exigentiam iſtam moralem radicalem humanitati præſtare. Nec eſt eadem ratio de ſumma veneratione; hæc namque debetur diuinis perfectionibus ex conceptu entis diuini tranſcendentis per rationem omnes Dei formalitates; operationes autem Deo propriæ, ſolum deberi poſſunt ratione naturæ diuinæ, vel per eſſentiam, vel per participationem: & quia perſonalitas, ratione proprij conceptus neutro ex his modis obtinet conceptum naturæ, idem ratione illius non poſſunt humanitati deberi operationes diuinæ, nec illarum principia. 239 *Reſpondetur primò tertiæ obiectioni.*

240 *Reſpondetur 2.* Vel ſecundo reſponderi poteſt; perſonalitatem Verbi ratione proprij, & expliciti conceptus ſuperadditi ad diuinam naturam, Deique perfectiones abſolutas, non conſtituere humanitatem ſummè venerabilem; cum enim veneratio ratione dignitatis debeatur; dignitas autem ſicuti, & bonitas ſit prædicatum abſolutum in Deo; & conſequenter nequeat perſonalitati Verbi ratione conceptus relatiui competere; conſequens fit, quod ratione talis conceptus venerationem non terminet, nec humanitas ratione illius veneratione digna conſtituatur, ſicut in prædicta ſententia bona non conſtituitur à perſonalitate Verbi, ratione conceptus expliciti, ſed ratione prædicati impliciti.

241 *Reſpondetur 3.* Vel tertio reſpondetur; exigentiam moralem radicalem, quæ ad formaliter ſanctificandum exigitur, non ſolum excludere priorem radicem, ſed etiam ſubordinationem, ſeu ordinationem ad aliud tanquam ad finem; vndè vt *proximè* dicebamus, quamuis actus contritionis exigat moraliter gratiam, & dona ipſam conſequentia non dicitur, neque eſt radix moralis illorum: quia licet non præſupponat, vt radicem ſui; gratiam habitualem, ad illam tamen, vt ad finem ordinatur; & quia Verbi perſonalitas, vt terminans naturam diuinam, quamuis in executione, non ſupponat diuinitatem vnitam: illi tamen ſubordinatur, & ad illam ordinatur; fit conſequens, quod non exigat radicaliter moraliter dona ad ordinem gratiæ pertinentia, & quod exigentia illius, non ſit radicalis moralis, nec ad formaliter ſanctificandum ſufficiens.

242 *Vltimæ obiectioni occurritur à P. Suarez.* Ad vltimam obiectionem Suarez *infra diſputatione 53. ſect. tertia*, verſ. *Vndè ad alteram partem*, reſpondet; ſanctificationem humanitatis à perſonalitate Verbi eſſe ſolum moralem etſi à modo vnionis phyſicè ſanctificetur humanitas. Idem quoad primam partem tenet Vazquez vbi *ſupra cap. quarto numer. 24.* vbi docet, modum ſanctificationis deriuatum à Deitate in humanitatem, non eſſe effectum aliquem phyſicum, ſed dumtaxat moralem, in reſpectu extrinſeco conſiſtentem. Quem modum dicendi acritèr impugnat Lorca *diſputatione 36. num. nono*, dicens ſanctificationem iſtam ſolum moralem, eſſe Theologis inauditam, nec intelligi, aut explicari poſſe. Alij diſtinguunt, & aſſerunt, ſanctificationem

huma-

humanitatis à Deitate non eſſe moralem, ſed quaſi moralem, nec phyſicam, ſed quaſi phyſicam.

243 *Melius reſpondetur.* Melius tamen diſtinguendum exiſtimo, aſſerendumque; duplicem eſſe denominationem moralem, vnam fundatam in vnione phyſica intrinſeca mediata, vel immediata; formæ denominantis cum ſubiecto denominato, aliam in vnione intrinſeca formæ denominantis non fundatam, ſanctificationemque humanitatis à diuinitate, eſſe moralem primo, non ſecundo genere moralitatis. Et quidem quod moralis ſit patet; non enim radicat phyſicè, ſed tantum moraliter facultates ordinis ſupernaturalis; ſed in hac radicatione ſanctificatio conſiſtit: ergo non phyſicè, ſed moraliter humanitatem Chriſti ſanctificat. Quod autem non ſit moralis ſecundo genere moralitatis ſed primo, probatur: nam prouenit à Deitate intrinſecè mediatè humanitati vnita: ergo non eſt moralis in extrinſeca denominatione conſiſtens, aut in illa fundata, ſed in vnione intrinſeca phyſica, licet mediata. Eſt tamen aduertendum, quod diuinitas informat humanitatem immediatè moraliter; illam enim immediatè ſanctificat, vt dicebamus *ſupra*; non tamen immediatè phyſicè vnitur, ſed tantum mediatè, media, ſcilicet, perſonalitate Verbi ſibi identificata. Et ex his ad quartam obiectionem reſpondeo, diſtinguendo conſequens: moraliter moralitate fundata in vnione phyſica intrinſeca, concedo ſequelam: moralitate fundata in denominatione extrinſeca, nego ſequelam, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam.

---

§. XI.

Alijs argumentis occurritur.

244 *Tertio principaliter arguitur.* Tertio arguitur; eſſe ſanctum, eſt eſſe conſtitutum in ordine ſpirituali, & diuino; ſed anima Chriſti non conſtituitur per diuinitatem in eſſe ſpirituali, & diuino: ergo non ſanctificatur per diuinitatem formaliter. Illatio eſt legitima. Maior ex eo conſtat; nam ſanctitas eſt ſpiritualitas perfectiſſima, & diuina: ergo eſſe ſanctum, eſt eſſe conſtitutum in eſſe ſpirituali diuino. Minor autem probatur ex Diuo Thom. 3. *ad Annibaldum diſtinctione 13. quæſt. vnica art. 1. in tertio Sententiarum diſtinctione 13. q. 1. art. 1. in corpore*, illis verbis. *Reſpondeo dicendum, quod gratia principaliter duo facit in anima. Primo enim perficit ipſam formaliter in eſſe ſpirituali, ſecundum quam Deo ſimilatur vnde, & vita animæ dicitur. Secundo perficit eam, ad opus ſecundum quod à gratia emanant virtutes.* Et paucis interpoſitis addit: *Et propter hæc duo, oportet ponere gratiam habitualem in anima Chriſti: quia enim ſit perfectiſſima in eſſe ſpirituali, oportet, quod ſit aliquid illam perficiens formaliter in eſſe illo; Deitas autem non eſt formaliter, ſed effectiuè perficiens ipſam; vnde oportet aliam formam creatam in ipſa ponere, qua formaliter perficiatur, & hæc eſt gratia*: ergo ex mente Diui Thom. anima Chriſti Domini, non conſtituitur in eſſe ſpirituali per diuinitatem formaliter. Probatur conſequentia primo: nam docet Diuus Thomas, Deitatem non perficere formaliter animam Chriſti, ſed tantum effectiuè; at hoc eſt falſum eſſet, ſi per Deitatem conſtitueretur formaliter in eſſe ſpirituali: ergo iuxta Diuum Thomam, in tali eſſe conſtituitur per Deitatem formaliter. Secundò; nam docet Diuus Thomas, gratiam neceſſariam eſſe in anima Chriſti Domini, et per illam formaliter perficiatur in eſſe ſpirituali; ſed hoc etiam eſſet falſum, ſi Deitas formaliter per ſe ipſam, animam Chriſti conſtitueret in eſſe ſpirituali: ergo per illam non conſtituitur anima Chriſti Domini formaliter in eſſe ſpirituali, & diuino.

S. Tho.

245 *Confirmatur.* Confirmatur ex eodem D. Thoma *artic. citato ad ſecundum argumentum*, ibi: *Dicendum, quod gratia eſt facere Deo ſimilem, nec oportet vt de diſſimili faciat ſimilem, ſed de non ſimili ſimilem, nec ita quod ſemper negatio ſimilitudinis, ſimilitudinem tempore præcedat, ſed natura, ſicut potentia eſt ante actum, ſicut ſol præcedit lucem ſuam*: ergo iuxta Diuum Thomam, gratia habitualis fecit animam Chriſti Deo ſimilem, non de diſſimili poſitiuè, ſed ex non ſimili negatiuè, negatione ſimilitudinis præcedentem ſimilitudinem, non tempore, ſed natura; & conſequenter anima Chriſti Domini pro priori ad gratiam habitualem fuit non ſimilis Deo negatiuè; ſed ſi ex vi gratiæ vnionis, & Deitatis ſanctificaretur formaliter, non præceſſiſſet prioritate naturæ, et non ſimilis; cum ſanctitas ſine Dei ſimilitudine, non poſſit intelligi, & Deitas pro illo priori illam ſanctificaret: ergo anima Chriſti ex vi vnionis ad Diuinitatem, non ſanctificatur formaliter.

S. Tho.

246 *Quorundam ſuntio.* Quidam, vt hoc argumentum ſoluant, duplicem ſanctitatem diſtinguunt vnam per modum eſſentiæ, aliam per modum naturæ, qua diſtinctione ſuppoſita, aſſerunt, diuinitatem vniri humanitati Chriſti, et ſanctificat per modum eſſentiæ, ipſamque ſpiritualem, ſpiritualitate eſſentiæ conſtituere, non vero uniri ſub conceptu ſanctitatis per modum naturæ radicaliter operatiuæ, nec ſpiritualitatem radicaliter operatiuam animæ Chriſti præſtare; ſed hanc ſecundam ſpiritualitatem à gratia habituali formaliter exhiberi, & vt illam præſtaret neceſſariam fuiſſe, ſicque intelligendum eſſe Angelicum Præceptorem. Quam doctrinam inſinuaſſe videtur Diuus Thomas *q. 29. de Veritate artic. 1. in corpore*: vbi diſtinguit duplicem vnionem ad Deum; vnam ſecundum eſſe, & aliam ſecundum operationem; aſſeritque primam ratione gratiæ vnionis conuenire animæ Chriſti: ad ſecundam autem, gratiam habitualem neceſſariam fuiſſe. Et in *ſolutione ad 7. argumentum*, id ipſum inſinuare videtur, illis verbis: *Dicendum quod vnio diuinitatis ad Animam Chriſti, ſufficit ad hoc, quod eſt, non tamen ſequitur, quod vnio gratiæ ſuperfluat; quia ad aliud ordinatur.* S. Tho.

247 *Hæc interpretatio menti S. Tho. incongrua.* Hæc tamen ſolutio ad mentem Diui Thomæ non eſt; nam Diuus Thomas expreſſè in *allegato loco*, diſtinguit rationem naturæ, penès quam attenditur coniunctio cum Deo ſecundum operationem, & rationem ſpiritualitatis, ſecundum, quam coniungitur cum Deo quoad eſſe, vt conſtat ex illis verbis: *Dicendum, quod gratia principaliter duo facit in anima. Primo enim perficit ipſam formaliter in eſſe ſpirituali. Secundo perficit eam ad opus.* Statim ſubiungit: *Et propter hæc duo, oportet ponere gratiam habitualem in anima Chriſti, &c.* ergo apertè ſentit Diuus Thomas, gratiam habitualem ſanctificaſſe animam Chriſti ſanctitate per modum eſſentiæ, & ſanctitate per modum naturæ; & conſequenter tradita interpretatione, ineptè illius mens explicatur.

248 *Deinde reijcitur.* Deinde reijcitur; non enim minus repugnat Deitati, præſtare animæ Chriſti rationem Dei; quoad eſſe, quam rationem Dei, quoad operari mercedes, & diuinas operationes; ſed ob hoc ſecundum non vnitur animæ Chriſti ſub conceptu ſanctitatis per modum naturæ, iuxta doctrinam traditæ ſolutionis: ergo ob primam repugnantiam, non poteſt, illi vniri ſub conceptu ſanctitatis per modum eſſentiæ.

249 *Secundò reijcitur.* Secundo reijcitur; nam idcirco repugnat diuinitati vniri cum anima Chriſti, vt eſt ſanctitas per modum naturæ: quia non poteſt cum illa vnam naturam conſtituere; ſed nec poteſt ſimul cum illa vnam conſtituere eſſentiam: ergo non poteſt communicari, ſeu cum illa vniri per modum eſſentiæ, vel ſub conceptu eſſentiæ.

250 *Denique.* Denique reijcitur; nam ratio quare non poteſt diuinitas eſſe vita animæ per modum naturæ, & principij quo radicaliter operatiui, eſt; quia operari ſequitur ad eſſe eſſentiæ, vt ad rationem formalem; diuinitas autem non poteſt animam conſtituere in aliquo eſſe eſſentiæ: quia ad hoc exigeretur phyſica illius informatio, vel identitas cum illa, quorum vtrumque diuinitati repugnat: ergo admiſſo, poſſe diuinitatem vniri cum anima Chriſti ſub conceptu eſſentiæ, illamque in eſſe ſpirituali diuino per modum eſſentiæ conſtituere; nulla eſt ratio, cur non poſſit formaliter illi vniri ſub conceptu naturæ, & principij quo radicaliter operatiui. Nec fauet D. Thom. traditæ interpretationi *quæſt. 29. de Veritate art. 1. in corpore, & ſolutione ad 7.* Loquitur enim, non de eſſe eſſentiæ, ſed de eſſe ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ, quod verum eſt, humanitatem accipere à Deitate ex hoc tamen non colligitur ſanctificare animam Chriſti ſanctitate per modum eſſentiæ, & non ſanctitate per modum naturæ, vt aſſerunt præfatæ ſolutionis Auctores. S. Tho.

251 *Reſpondetur primò.* Vnde ad argumentum factum reſponderi poteſt primo, conceſſa maiori diſtinguendo minorem: non eſt anima Chriſti ratione diuinitatis, ſpiritualis ſpiritualitate diuina, ſubſtantiuè, & ſpiritualitate eſſentiæ, per identitatem, aut phyſicam informationem, concedo minorem: adiectiuè, & ſpiritualitate exiſtentiæ, & per terminationem

nem mediatam, nego minorem, & conſequentiam; nam licet humanitas ea vnione ad diuinitatem non ſit Dea, eſt tamen deificata, iuxta phraſim tritam Patrum. Et licet, non fiat per diuinitatem Dea, exiſtit tamen per exiſtentiam diuinam, iuxta D. Thomam *infra quæſt. 17. art. 2.* vndè licet non ſit ratione diuinitatis, ſpiritualis ſpiritualitate diuina ſubſtantiuè, & quoad eſſentiam, & per phyſicam informationem; eſt tamen ſpiritualis ſpiritualitate diuina obiectiuè, & quoad exiſtentiam. Vt autem eſſet ſpiritualis ſpiritualitate formæ phyſicè illam informantis, neceſſaria fuit habitualis gratia in anima Chriſti Domini, quæ hanc præſtans ſpiritualitatem conſtitueret, illam viuentem radicaliter phyſicè vita ſpirituali, & diuina; & de iſta ſpiritualitate loquendo, verum eſt, non præſtari animæ Chriſti à Deitate formaliter, ſed ſolum effectiuè, quatenus gratiam producit in illa, per quam ſpiritualizatur formaliter, & Deo fit in eſſe iſto ſpirituali ſimilis: & per hæc ad vtramque conſequentiæ probationem conſtat ſolutio.

252 *Secundò.* Vel ſecundo reſponderi poteſt, negando maiorem: ad illius probationem, diſtinguo antecedens: ſanctitas eſt, ſpiritualitas, formaliter realiter, concedo antecedens: formaliter per rationem, abſque diſtinctione virtuali inadæquata, nego antecedens, & conſequentiam. Nam licet forma ſanctificans ſit ſpiritualitas, vita, & ſanctitas, abſque formali reali, aut adæquata virtuali diſtinctione inter iſtos tres conceptus; eſt tamen inter illos diſtinctio virtualis inadæquata, vel ſaltim diſtinctio munerum; non enim eſt idem in forma ſanctificante munus conſtituendi in eſſe ſpirituali cum munere vitalizandi, & cum munere ſanctificandi; quando autem inter aliqua intercedit diſtinctio inadæquata virtualis, aut diſtinctio munerum diuerſorum, poteſt vnum communicari formaliter, non communicato formaliter alio, vt exemplis *proximè* manifeſtauimus; & ideo quamuis diuinitas, ſpiritualitas, & ſanctitas ſit, abſque diſtinctione virtuali adæquata, potuit communicari humanitati Chriſti formaliter ſub munere ſanctificantis, quin ei communicaretur formaliter ſub munere ſpiritualizantis, ſeu conſtituentis illam in eſſe ſpirituali diuino: quia ad hoc ſecundum neceſſaria erat phyſica informatio, aut identitas; non autem ad primum, ſed ſufficit mediata terminatio: contra quam doctrinam nihil obſtat auctoritas D. Thomæ in contrarium adducta; ſaluatur enim, quod diuinitas formaliter animam Chriſti ſanctificet; & quod illam non conſtituat formaliter in eſſe ſpirituali, ſed ad hoc neceſſaria fuerit gratia habitualis, quæ ab Angelico Doctore *loco allegato* docentur.

253 *Ad confirmationem reſpondetur primò.* Ad confirmationem reſpondeo primo, ex dictis *in hac diſputatione §. ſecundo numer.* 26. animam Chriſti per gratiam habitualem factam fuiſſe ſimilem, ex non ſimili, negatione ſimilitudinis formalis phyſicè ipſi inhærentis, non autem negatione omnis ſimilitudinis cum Deo; cui doctrinæ non obſtat, quod pro illo prior intelligatur à Deitate ſanctificata; Deitas namque non præſtat animæ Chriſti ſimilitudinem formalem inhærentem phyſicè, ſed perſonalem per terminationem mediatam; ac proindè quamuis huiuſcemodi ſimilitudo in illo priori intelligatur, ſaluatur optimè Angelici Præceptoris doctrina, *loco allegato*, aſſerentis, fuiſſe animam Chriſti ex vi gratiæ habitualis, factam ſimilem ex non ſimili, negatione præcedente, non tempore, ſed natura.

254 *Reſpondetur ſecundò.* Reſpondeo ſecundo; non omnem ſanctificationem ſitam eſſe in ſimilitudine cum Deo, ſed aliquam tantum, nempè, illam, quæ à gratia habituali præſtatur; cum enim gratia habitualis ſit imitatiuè natura diuina ſanctificat animam, illam Deo aſſimilando in conceptu naturæ; ſanctitas autem, quæ humanitati conuenit per gratiam vnionis, cum non præſtetur à forma, quæ imitatiuè ſit natura diuina, ſed ab ipſa Dei natura, non conſiſtit in ſimilitudine cum Deo, ſed in coniunctione ſubſtantiali cum ipſo; vndè ex eo quod priori ad gratiam habitualem ſupponatur humanitas Chriſti non ſimilis Deo negatione præcedente, non tempore, ſed natura, quod à D. Tho. loco allegato docetur, non ſequitur, non ſupponi ſanctam ex vi gratiæ ſubſtantialis vnionis, nec quod Deitas pro illo priori effectum ſanctitatis non præſtet, quia, vt dixi, non præſtat talem effectum per aſſimilationem cum Deo.

255 Denique arguitur; etenim natura diuina non poteſt communicari humanitati Chriſti ſub conceptu radicaliter vitalis; aliàs poſſet illam conſtituere formaliter per ſe ipſam potentem phyſicè radicaliter videre, & amare Deum, quod eſſe de lege ordinaria impoſſibile, communiter docetur a Theologis, & quod repugnet de potentia abſoluta, eſt concors Thomiſtarum ſententia: ergo nec poteſt illi communicari ſub conceptu ſanctitatis. Patet conſequentia; nam conceptus ſanctitatis in natura diuina eſt idem formaliſſimè cum conceptu vitalis; ergo ſi natura diuina non poteſt communicari humanitati Chriſti ſub conceptu vitalis, non poteſt illi vniri, vel communicari ſub conceptu ſanctitatis. Probatur antecedens; nam conceptus ſanctitatis in gratia habituali, & conceptus vitalis per modum radicis, ſunt formaliſſimè idem: ergo pariter in natura diuina. *Vltimum argumentum.*

256 *Huic argumento reſpondetur primò.* Ad argumentum reſpondeo primo, iuxta primam ſolutionem, quam dedimus tertio argumento: naturam diuinam ſub conceptu vitalis communicari poſſe adiectiuè humanitati Chriſti, illam vita Deo vitalizatam, id eſt, vitæ Dei phyſicè coniunctam conſtituendo, ſicut illam deificatam conſtituere, id eſt, deitati coniunctam, ibi aſſerebamus; non autem poteſt ſub conceptu vitalis humanitati ſubſtantiuè communicari, illam vita Dei radicaliter phyſicè viuentem conſtituendo: quia ad hoc requirebatur identitas cum humanitate, aut phyſica illius informatio, quarum vtraque diuinitati repugnat, qua ratione ibidem diximus, non communicari Deitatem humanitati ſub conceptu Deitatis ſubſtantiuè illam, ſcilicet, Deam conſtituendo; & prima communicatio naturæ Dei ſub conceptu vitalis eſt, ſufficiens, vt humanitatem ſanctificet.

257 *Reſpondetur 2.* Secundo reſpondeo, conſequenter ad ſecundam ſolutionem tertij argumenti; duos illos conceptus identificari in natura diuina formaliter identitate formali oppoſita diſtinctioni virtuali adæquatæ; diſtingui tamen virtualiter inadæquatè, vel eminenter, vel diſtinctione munerum: primus enim conceptus conſiſtit in ratione radicis phyſicæ actionum vitalium: ſecundus autem in ratione obiecti dilectionis Dei amicabilis: & hæc diſtinctio ſufficit, vt vnus formaliter communicetur humanitati, alio manente incommunicato formaliter; vt conſtat in conceptu ſpeciei, & conceptu intellectionis, quos ſolum inadæquatè, ſeu eminentialiter diſtingui, docet probabilis plurium Thomiſtarum ſententia; & tamen eſſentia diuina mentibus beatorum, vnitur ſub conceptu ſpeciei, & non ſub conceptu intellectionis. Conſtat etiam in perſonalitate Verbi, in qua ratio productæ, ſeu expreſſæ, ſub qua Verbum in ratione Verbi conſtituit, & ratio hypoſtaſis, ſub qua conſtituit perſonam, & ratio referentis, ſub qua Filium relatiuè conſtituit, ſolum diſtinguuntur diſtinctione virtuali inadæquata, ſeu diſtinctione eminentiali, vel diſtinctione munerum; & tamen humanitati Chriſti, non vnitur formaliter ſub ratione Verbi, nec ſub ratione exercita referentis; non enim conſtituit humanitatem Verbum, nec relatam relatione filiationis ad Patrem; benè verò ſub ratione hypoſtaſis; illam enim ſuppoſitatam, & perſonatam conſtituit. Paternitas etiam ſuppoſitat naturam diuinam, non tamen illam refert ad Filium: aliàs illam realiter a Filio diſtingueret. Ac denique perſonalitas Verbi vnita naturæ bruti, illam ſuppoſitaret, & non perſonaret, tametſi ratio ſuppoſitandi, & ratio perſonandi, ſolum penès implicitum, & explicitum diſtinguantur; pariter ergo in præſenti, etſi ratio vitalis, & ratio ſanctitatis in natura diuina, ſolum virtualiter inadæquatè diſtinguantur, poteſt natura diuina vniri formaliter humanitati ſub conceptu ſanctitatis, non vnita formaliter ſub conceptu vitalis. Et ratio omnium vna eſt; quia, nempè, in ſubiectis, quibus communicantur, eſt capacitas ad vnum, & non ad alium conceptum, ſeu effectum, vel quaſi effectum formalem ſuſcipiendum.

258 *Obijciet aliquis primò.* Ceterum contra hanc ſolutionem obijciet aliquis primò: nam eſſe ſanctum eſt eſſe obiectum dilectionis Dei amicabilis; & conſequenter potens Deum radicaliter redamare; ſed niſi natura Dei communicetur humanitati formaliter ſub conceptu vitalis, non poteſt illam conſtituere, potentem radicaliter redamare, cum in hoc formaliſſimè conſiſtat ratio principij radicaliter vitalis: ergo nec poteſt humanitati communicari formaliter ſub conceptu, & munere ſanctificantis, niſi formaliter eidem communicetur ſub conceptu, & munere vitalis radicaliter, ſeu vitæ radicalis.

259 *Secundò.* Secundo; nam eſto in gratia habituali conceptus vitæ radi-

radicalis, & conceptus ſanctitatis virtualiter inadæquatè diſtinguantur, non ſtat ſub vno communicari formaliter; quin etiam formaliter eidem ſubiecto ſub alio communicetur: ergo pariter licet in natura diuina inadæquatè virtualiter, ſeu eminentialiter diſtinguantur, non poterit communicari formaliter ſub conceptu ſanctitatis, non communicata formaliter, ſub conceptu vitalis; & conſequenter, ſi non vnitur humanitati, vt vita formaliter, conſtituendo illam viuentem vita Dei, nec illi communicatur formaliter ſub conceptu ſanctitatis, conſtituendo illam ſanctam ſanctitate Dei.

260 *Tertiò.* Tertio: nam conceptus radicis vitalis eſt primus in natura diuina: ſed eſt implicatorium, & inintelligibile communicari formam ſub ſecundo conceptu formaliter, & manere formaliter incommunicatam ſub primo conceptu; ſicut eſt implicatorium, quod forma præſtet effectum ſecundarium alicui ſubiecto, non præſtito eidem ſubiecto effectu primario; quo circa omnino implicat, quantitatem extendere ſubiectum in ordine ad locum, non extendendo illud in ordine ad ſe, quia hæc extenſio eſt effectus quantitatis primarius, illa vero ſecundario à quantitate præſtatur: ergo non ſtat Deitatem communicari humanitati Chriſti formaliter, ſub conceptu, & munere ſanctitatis, non communicata formaliter ſub conceptu vitæ radicalis.

261 *Denique ſuadetur.* Denique; non enim ſtat participari ab aliqua forma naturam diuinam ſub conceptu ſanctitatis, niſi ab eadem participetur ſub conceptu radicis videndi, & amandi Deum; quo circa communiter à Diſcipulis D. Thom. docetur, ſolam gratiam habitualem eſſe formam ſanctificatiuam formaliter; non verò actum charitatis, aut beatificam viſionem; quia ſola habitualis gratia eſt formalis participatio naturæ diuinæ ſub conceptu radicis videndi, & amandi Deum: ergo pariter implicabit communicari alicui ſubiecto naturam diuinam ſub conceptu ſanctitatis formaliter, quin eidem ſubiecto formaliter communicetur ſub conceptu radicis vitalis; & conſequenter non ſtabit Deitatem conſtituere humanitatem Chriſti formaliter ſanctam, niſi illam vita Dei radicaliter viuentem conſtituat.

262 *Reſpondetur primò obiectioni.* Ad primam obiectionem reſpondeo, diſtinguendo ſecundam partem maioris: potens radicaliter redamare, phyſicè, vel moraliter, concedo maiorem; neceſſario phyſicè, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet natura diuina, non poſſit humanitati præſtare potentiam phyſicam radicalem ad redamandum: ad hoc enim neceſſum erat, quod illam phyſicè informaret; poteſt tamen ei præbere poſſe radicale morale, exigendo moraliter facultates proximè operatiuas in ordine ſupernaturali, ad quod phyſica informatio neceſſaria non eſt, ſed ſufficit terminatio mediata, & quod humanitas mediatè phyſicè coniungatur Deitati, & ab illa deficerent, etſi Deo non conſtruatur; & hoc poſſe præſtitum humanitati à Deitate eſt ſufficiens, vt ab illa ſanctificetur formaliter. Recolantur, quæ diximus *in hac diſp.* §. 10. *numer.* 132. vbi plura contra hanc doctrinam oppoſuimus, & diluimus.

263 *Reſpondetur ſecundò.* Ad ſecundam obiectionem reſponderi poteſt primo, negando antecedens: nam gratia habitualis ſolum præſtat animæ rationem radicis cum ſoli animæ phyſicè inhæreat, & tamen totum hominem ſanctum conſtituit: & conſequenter toti homini communicatur ſub conceptu ſanctitatis, quin toti homini communicetur ſub conceptu radicis.

264 *Ad ſecundam obiectionem reſpondetur primò,* Vel ſecundo reſpondetur, & melius, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio autem diſcriminis duplex eſt. Prima, quia gratia non poteſt, niſi vno modo communicari, ſcilicet, per phyſicam inhæſionem, & informationem; eo autem ipſo, quod ſic communicetur, vtrumque neceſſario præſtat: natura verò diuina communicari poteſt dupliciter, ſcilicet, per identitatem, qualiter conuenit Deo, & per terminationem, ſaltem mediatam, & communicata hoc ſecundo modo præſtat ſanctitatis effectum, ob rationem ſæpè traditam; non autem effectum phyſicæ vitalitatis. Secunda ratio diſcriminis eſt: nam omne ſubiectum capax ſanctitatis gratiæ, eſt etiam capax vitalitatis illius; non autem ſtat communicari formam, non communicato omni effectu, cuius ſubiectum eſt capax; & ideo, non poteſt gratia communicare ſanctitatis effectum, & non communicare vitalitatem radicalem; poteſt autem aliquid eſſe capax ſanctificationis a natura diuina, quod ſit incapax viuendi per illam phyſicè; & ideo poteſt vniri tali ſubiecto ſub conceptu ſanctitatis formaliter, & non ſub conceptu vitæ.

Ad tertiam obiectionem, conceſſa maiori, nego minorem: nam ratio ſpeciei in natura, & eſſentia diuina, non eſt primus conceptus, ſed ſupponens conceptum radicis, vel conceptum actualis intellectionis, in ſententia aſſerente, conſtitui naturam Dei per intellectionem actualem; & tamen vnitur diuina eſſentia mentibus beatorum, vt ſpecies, non vnita formaliter ſub conceptu radicis, nec ſub conceptu actualis intellectionis. Ratio etiam ſubſiſtentiæ, & ratio exiſtentiæ, eſſentiam diuinam conſtitutam in ratione eſſentiæ ſupponunt; & tamen vnitur Dei eſſentia humanitati Chriſti ſub conceptu ſubſiſtentiæ, & ſub conceptu exiſtentiæ, illam ſubſiſtentem, & exiſtentem conſtituendo, quin vniatur formaliter humanitati ſub conceptu eſſentiæ: quamuis ergo munus ſanctificandi, ſupponat in natura diuina munus radicandi, & conceptum vitæ radicalis, poterit nihilominus humanitati vniri formaliter ſub conceptu, & munere ſanctificantis, non vnita formaliter ſub conceptu, & munere phyſicè radicantis, & vitalizantis, ob capacitatem humanitatis ad vnum, & incapacitatem ad aliud: vel quia vnum petit aliquam conditionem, vt formaliter vniatur Dei eſſentiæ repugnantem, quam aliud, vt formaliter communicetur, non petit. 265 *Reſpondetur tertiæ obiectioni* Nec eſt eadem ratio de forma per informationem phyſicam vnita; nam eo ipſo, quod ſit in ſubiecto capacitas, ad illius phyſicam receptionem, etiam eſt aptitudo ad vtrumque effectum, primarium ſcilicet, & ſecundarium recipiendum; ideoque, non poteſt vnum ſine altero ſubiecto præſtare. Quod ſi cum capacitate ad ſecundarium effectum, eſſet in ſubiecto incapacitas ad primarium effectum recipiendum, poſſet ſecundarium præſtare, effectu primario non præſtito.

Ad vltimam obiectionem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam duo illi conceptus habent connexionem in eſſendo; ideoque, non poteſt vnus conuenire alicui formæ, altero non conueniente; in ſui autem communicatione ad ſubiectum connexionem eſſentialem non habent, propter diuerſas conditiones, quas petunt, & quia poteſt ad vnum illorum eſſe in ſubiecto capacitas, cum incapacitate ad alium formaliter recipiendum, quod ſufficit, vt plura eſſentialiter in eſſendo connexa, quoad ſui communicationem eſſentialiter non connectantur; vt patet in conceptu ſpeciei repræſentantis quidditatiuè Deum, & conceptu Deitatis; non enim poteſt primus ſine ſecundo in forma aliqua reperiri, iuxta veriorem Thomiſtarum ſententiam cum D. Tho. aſſerentium, implicare ſpeciem creatam repræſentantem quidditatiuè Deum; & tamen poteſt ille communicari altero incommunicato formaliter; vndè ſicut iſta conſequentia non tenet: *Implicat participare conceptum ſpeciei repræſentantis quidditatiuè Deum, à forma non participante conceptum naturæ diuinæ, vel quæ natura diuina eſſentialiter non ſit: ergo implicat Dei eſſentiam communicari ſub conceptu ſpeciei, non communicatam formaliter ſub conceptu eſſentiæ, & naturæ*: ita conſequentia contra Nos facta non tenet. 266 *Vltimæ obiectioni occurritur.*

---

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

267 *Primum corollarium.* EX DICTIS in diſcurſu diſputationis, colligo primo, quod ſi Diuinum Verbum naturam irrationalem aſſumeret, illam non ſanctificaret, cuius contrarium docet Nazarius *controu. 2. in ſolut. ad 4. argum. contra 1. concluſ.* Sed noſtrum corollarium probatur: nam eſſe ſanctum formaliter, eſt eſſe gratum Deo gratitudine amicabili, & diligibile in ordine ad vitam æternam, cum potentia, ſaltem radicali ad redamandum Deum, & amicabiliter diligendum; ſed natura irrationalis à Diuino Verbo aſſumpta, non conſtitueretur ab illo grata Deo amicabiliter, nec diligibilis in ordine ad vitam æternam, nec potens radicaliter Deum redamare, & diligere amicabiliter, cum horum omnium ſit eſſentialiter incapax; illi namque Deum videre, & diligere eſſentialiter repugnat; & conſequenter, non poteſt capacitatem radicalem ad illa recipere: ergo non ſanctificaretur ab ipſo.

268 *Si opponas.* Nec refert ſi opponas; naturam irrationalem à Diuino Verbo

Verbo aſſumptam, adorandam fore adoratione latriæ, ratione Verbi aſſumentis: ergo etiam ſanctificaretur ab illo formaliter. Reſpondeo namque antecedenti conceſſo, negando conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam vt ratione Verbi adoretur, & venerationem terminet, eſt in natura irrationali capacitas; ideoquè vnita Diuino Verbo adorabilis; & venerabilis ab ipſo conſtitueretur; ad effectum autem ſanctitatis, de quo loquimur in præſenti, conſiſtentis in ratione obiecti grati Deo amicabiliter, & diligibilis in ordine ad vitam æternam, cùm potentia redamandi, capacitas in natura irrationali non eſt; ideoque, etſi Diuino Verbo vniretur, non ſanctificaretur ab ipſo. Et quidem imago Chriſti, ratione ipſius, terminat adorationem latriæ; & tamen amicabilem Dei dilectionem non terminet; & conſequenter non eſt ſancta ea ſanctificatione, de qua Theologi diſputant in præſenti: ergo ex eo quod natura irrationalis Verbo hypoſtaticè vnita, foret adorabilis adoratione latriæ, non ſequitur fore ſanctam.

269 *Secundū corollarium probatur 1.*

Secundo infertur ex dictis; humanitatem Chriſti per gratiam vnionis eſſe ſanctam infinitè. Quod patet primo; nam operationes Chriſti dignificantur infinitè à Verbo, infinitèque valorantur, cum fuerint infiniti valoris meritorij, & ſatisfactorij, vt cum frequentiori Theologorum ſententia docuimus *Tract. 1. de Incarnatione diſp. 3.* ergo Chriſti humanitas infinitè ſanctificatur ab ipſo. Patet conſequentia, primo a paritate rationis. Secundo; nam meritum ſanctitatem ſupponit: ergo infinitum meritum, infinitam ſanctitatem requirit; & conſequenter ſi operationes Chriſti media humanitate elicitæ, ſunt in ratione meriti infinitæ, neceſſario præſupponunt infinitè ſanctam humanitatem.

270 *Probatur 2.*

Secundo probatur; nam ſanctificatio humanitatis à Verbo, eſt ſupra quam excogitari maior non poteſt lineu ſanctitatis per communicationem, ſed hoc ſufficit, vt ſit infinitè ſancta: ergo infinitè ſanctificatur a Verbo. Denique probatur: ſi namque infinitè ſancta non eſſet, maximè, quia Deus in ſe ipſo ſanctior eſt; ſed hoc infinitæ ſanctificationi humanitatis à Verbo non obſtet: ergo infinitè ſanctificatur ab illa. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem oſtenditur primo; nam etiam increatæ Dei actiones maioris ſunt dignitatis, quam actiones Chriſti creatæ; & tamen huiuſcemodi actiones ſunt dignitatis infinitæ, & infiniti valoris: ergo quod Deus ſanctior ſit humanitate, & magis ſanctus quam illa, non obſtat, vt humanitas ſit ſancta infinitè. Secundò; nam etſi in eadem linea vnum infinitum maius alio eſſe non poſſit; in diuerſa tamen poteſt, infinitumque vnius lineæ, poteſt maius eſſe infinito alterius lineæ; ſed infinitas ſanctitatis per communicationem, & infinitas ſanctitatis per eſſentiam in diuerſis lineis ſunt: ergo ex eo quod ſanctitas Dei per eſſentiam, ſit maior ſanctitate humanitatis per communicationem, non ſequitur humanitatem non eſſe infinitè ſanctam.

271 *Humanitas non adæquat diligibilitatem diuinam.*

Nec ſequitur ex Noſtra doctrina, eſſe humanitatem æquè dilectam à Deo ſicut Deus à ſe ipſo diligitur. Tùm, quia non fuit æquè ſancta, vt *proximè* dicebamus ergo nec fuit æquè dilecta: Tum etiam; quia licet ratio, & forma diligibilitatem præſtans ſit eadem, nempè, diuinitas, quæ Deum, & humanitatem diligibiles conſtituit; modus tamen conueniendi eſt diuerſus; nam Deo conuenit per eſſentiam, humanitati autem per gratioſam communicationem, & ex diuerſitate in modo conueniendi, diuerſificatur amabilitas ſubiecti, licet formæ conueniens ſit eadem: ergo quamuis Deitas, quæ Deum diligibilem conſtituit, reddat humanitatem amabilem, illamq; in ratione obiecti diligibilis conſtituat, non ſequitur, illam æquè amabilem reddere, ac Deus eſt in ſe ipſo: aliàs, redderet humanitatem ſuper omnia diligibilem, quod dicere abſurdum eſt.

Humanitas non fuit acceptata ad beatitudinem actu infinitam.

Nec etiam infertur, fuiſſe humanitatem Chriſti acceptatam ad beatitudinem actu infinitam: vt enim infinitè ſancta ſit, hoc neceſſarium non eſt, ſed ſufficit, quod acceptatione Deitatis ſit digna beatitudinis ſine termino, etſi non acceptetur ad beatitudinem actu infinitam, eo quod beatitudo actu infinita repugnat, vt in ſimili de merito Chriſti dicebamus *Tractatu 1. diſp. 3.* quod, nempè, vt in ratione meriti ſit infinitum, neceſſarium non eſt, vt ad præmium actu infinitum fuerit acceptatum, ſed ſufficit, quod ex ſe ſit dignum præmio ſine termino in infinitum? & quod nullo præmio dato poſſit in ratione meriti exhauriri.

Tertio colligitur; non fuiſſe humanitatem Chriſti ſanctificatam à Patre, & Spiritu Sancto formaliter. Quod patet primò: nam Deitas ſanctificat humanitatem Chriſti, vt modificata per ſubſiſtentiam Verbi, & vt ipſi Verbo appropriate; ſed quod præſtat diuinitas, vt modificata per vnam relationem, proprietates aliarum perſonarum non præſtant, vt conſtet in hoc, quod eſt eſſe potens radicaliter generare, quod, quia prouenit à Deitate, vt modificata per ſubſiſtentiam Patris, non præſtatur à filiatione, aut paſſiua ſpiratione: ergo humanitas non fuit à Patre, & Spiritu Sancto ſanctificata formaliter. Secundo probatur; nam Verbum in ſe ipſo non ſanctificatur formaliter à Paternitate, aut paſſiua ſpiratione, eſto diuinitas Verbum ſanctificans, ſit cum illis identificata: ergo licet diuinitas humanitatem ſanctificans, ſit cum Patre, & Spiritus Sancto realiter identificata, humanitas tamen non ſanctificatur ab illis. Tertio; nam quamuis effectus prouenientes à diuinitate in genere cauſæ efficientis, ſint toti Trinitati communes; ſecus autem illi, qui à Deitate præſtantur in genere cauſæ formalis, ſeu quaſi cauſæ formalis; ſanctitatis autem effectus non efficienter, ſed in genere quaſi cauſæ formalis, à Deitate præſtatur humanitati; & conſequenter neceſſarium non eſt eſſe toti Trinitati communem, nec quod à tribus perſonis præſtetur. 272 *Tertium corollarium.*

Quarto ex dictis infero, non ſequi ex noſtra ſententia, vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in natura. Quod probo; nam vnionem in natura fieri, eſt, quod ex vnione extremorum vna natura reſultet, vt clarè colligitur ex doctrina D. Thomæ *ſupra q. 2. art.* 1. ex eo autem, quod humanitas ſanctificetur à natura diuina, non ſequitur, ſic humanam, & diuinam naturam vniri, quod ex vtraque vna reſultet natura, ſed tantum quod ex vnione immediata humanitatis ad ſubſiſtentiam Verbi, & mediata ad diuinitatem amabilis conſtituatur, obiectumque diuinæ dilectionis amicabilis: ergo ex eo quod humanitas Verbo vnita ſanctificetur a Deitate formaliter, non ſequitur vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in natura. 273 *Quartum corollarium.*

Denique infero, humanitatem Chriſti, non eſſe infinitè ſanctam in lineam ſanctitatis vt ſic, ſed ſolum in lineu ſanctitatis per communicationem. Secunda pars iſtius corollarij conſtat ex dictis n. 261. *& ſequentib.* Prima autem pars corollarij probatur primo; ſi namque eſſet infinitè ſancta in linea ſanctitatis vt ſic, nihil ſanctius illa eſſe poſſet; ſed hoc eſt falſum; Deus namque in ſe ipſo ſanctior eſt humanitate: ergo humanitas non eſt infinitè ſancta in linea ſanctitatis vt ſic. Secundo probatur; quod enim eſt in aliqua linea, vel genere infinitum, continet omnem perfectionem talis generis, vel lineæ, quo circa quantitas infinitæ intenſionis; aut extenſionis infinitæ; non tamen, infinitæ profunditatis, quamuis eſſet infinita in ratione lineæ, aut in ratione ſuperficiei; in genere tamen quantitatis vt ſic; infinita dici non poſſet: quia non contineret omnem talis generis perfectionem; ſed humanitas, vt ſancta, non continet omnem perfectionem lineæ ſanctitatis vt ſic; non enim continet perfectionem Dei, vt ſancti; aliàs adæquaretur in ſanctitate cum Deo: ergo non eſt infinitè ſancta in linea ſanctitatis vt ſic; nec ex hoc ſequitur, ſanctitatem humanitatis præſtitam à Deitate, non poſſe dici ſanctitatem infinitam; vt enim infinita ſanctitas ſit, & dicatur, ſufficit eſſe infinitam in linea ſanctitatis per communicationem; ſicut linea infinitæ longitudinis, eſſet, & diceretur quantitas infinita; quia intra genus quantitatis infinita eſſet in aliqua ſpecie illius. Et ſicut intellectus diuinus, prout virtualiter ab alijs attributis diſtinctus, quia eſt in propria linea infinitus, quamuis prout ſic formaliter, non ſit infinitus in genere entis vt ſic, dicitur nihilominus ens infinitum: ita ſimiliter, vt ſanctitas humanitatis infinita ſanctitas ſit, & dicatur, ſufficit eſſe infinitam in linea ſanctitatis per communicationem, etſi infinita non ſit in linea ſanctitatis vt ſic. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri in 3. *diſt.* 13. §. 1. ad illa verba. *Ab ipſa conceptione gratia plenitudinem recepiſſe, &c.* 274 *Deniq; infertur ex dictis.* *M. Sent.*

DISPVTATIO VIGESIMA SECVNDA.

Vtrùm in anima Chriſti Domini fuerit gratia habitualis?

§. I.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio, & primæ obiectioni occurritur.

1 *Quidam negant.*

QVIDAM, quos ſine nomine refert Paludanus *in 3. diſt.13. q.2.* negatiuæ ſententiæ adhæſere aſſerentes, gratiam habitualem in anima Chriſti non fuiſſe, ea ducti ratione; quia, nempè, gratia habitualis in anima Chriſti ad nihil fuit neceſſaria, cum ex vi gratiæ vnionis fuerit perfectiſſimè ſanctificata; gratia autem habitualis ad hunc effectum præſtandum vnicè, aut potiſſimè, ſaltim requiritur; & conſequenter animæ Chriſti concedenda non eſt, nec in ipſa conſtituenda.

2 *Affirmatiua ſententia eſt communis.* *Coment.* S.Tho. *Suar.* *Lorca.* *Aluar.*

Affirmatiua tamen ſententia docens, gratiam habitualem in anima Chriſti fuiſſe, communis eſt inter Theologos: illam tenent omnes Commentatores D. Thomæ *in præſenti*, & Scholaſtici cum Magiſtro Sententiarum *in 3. diſtinct. 13.* licet autem in ſententia conueniant, in gradu certitudinis inter ſe diuiduntur. Suarez *in præſenti diſp.18. ſect.2.* aſſerit eſſe de fide. Conſentit Lorca *diſput. 37. num.3.* non ſub his terminis *gratia habitualis*; bene tamen ſub nomine *doni creati, & permanentis*, quod *gratia* appellatur. Id ipſum docet Magiſter Aluarez in *expoſitione articuli primi huius quæſtionis*, ſub nomine *gratiæ infuſæ*, quæ ſit aliquid creatum, immediatè inhærens animæ. Alij, & frequentius docent, prædictam ſententiam, nullo ex prædictis modis, vel terminis explicatam eſſe, vt de fide tenendam; eſſe tamen ita certam, vt oppoſita ſit temeraria; vtpotè communi Theologorum conſenſui contraria in re Theologica, & graui.

3 Prima concluſio. *M. Vincent.* *Medin.* *Nazar.* *Araujo.* *Vazq.* *Lugo.*

Sit Prima Concluſio. *Non eſt de fide immediatè, nec mediatè, gratiam habitualem fuiſſe in anima Chriſti Domini, nec ſub terminis* gratiæ habitualis, *nec ſub nomine* doni creati permanentis. Hanc tenet Magiſter Vincentius *relectione de Gratia Chriſti q. 1. concluſ.6. pag.84.* cui conſentiunt Medina *in præſenti*, Nazarius *controuerſ. 2. concl.5.* & Illuſtriſſimus Araujo *dub.1. concluſ.2.* Tenent etiam ex Patribus Societatis Vazquez *diſp.41. cap. 1.* Cardinalis Lugo *diſputatione 16. num.92.* & alij Recentiores frequenter.

4 *Probatur concluſio.*

Et quoad vtramque partem probatur; fuiſſe namque habitualem gratiam, in anima Chriſti Domini, aut ſub his terminis, aut ſub nomine *doni creati permanenter inhærentis*, non continetur immediatè in aliquo teſtimonio Scripturæ, Conciliorum, aut Pontificum, nec in aliqua traditione, nec ex iſtorum aliquo, per euidentem conſequentiam infertur, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit; ſed primum requirebatur, vt eſſet immediatè de fide, & ſecundum neceſſarium erat; vt eſſet de fide mediatè, & Theologica concluſio, vt docent Canus *lib. 12. de locis Theologicis cap.7.* Peña in *Commentarijs ad directorium Inquiſitorum part.2. commentario 27.* & frequenter omnes Theologi: ergo nec immediatè, nec mediatè eſt de fide, fuiſſe in anima Chriſti Domini habitualem gratiam ſub nomine *gratiæ habitualis*, aut ſub nomine *doni creati permanenter inhærentis*: & eodem argumento probatur contra Magiſtrum Aluarez, non eſſe immediatè, aut mediatè de fide, quod gratia habitualis fuerit in anima Chriſti ſub nomine *gratiæ infuſæ*, quæ ſit aliquid creatum, immediatè inhærens animæ.

M.Canus. *Pena.*

5 Contra iſtam concluſionem obijciunt Auctores oppoſiti primo, verba illa Ioannis 1. cap. *Et vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*; ſed nomine *gratiæ* intelligitur donum creatum: quia ita exponunt Bernardus *ſerm.16. in Cantica*, Sanctus Thomas *in hunc locum*, Bonauentura *in ſecundum caput Lucæ*, & omnes poſteriores interpretes. Et quia in alijs teſtimonijs Scripturæ, nomine *gratiæ*, non gratia vnionis, ſed donum gratiæ creatum accipitur; & conſequenter in teſtimonio adducto, eſt eodem modo accipiendum. Ac denique nam *veritatis* nomine veritas creata intelligitur, qua plenum fuiſſe Chriſtum, vt hominem, ex prædicto teſtimonio, tanquam fide certum colligitur: ergo etiam eſt fide certum, fuiſſe in anima Chriſti Domini, donum gratiæ permanentis, & creatæ; ac proindè ſub his terminis, eſt veritas certa de fide.

Primum argumentum. *Bernar.* *Bonau.* S. Tho.

Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguendo minorem: ita vt prædicta intelligentia ſit certa, certitudine fidei, aut concluſionis Theologicæ, nego minorem: abſque tali certitudine, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nam licet ita ſit, quod nomine *gratia*, in prædicto teſtimonio, ſignificetur donum creatum infuſum animæ Chriſti; hæc tamen intelligentia non eſt certa, certitudine fidei, & hoc neceſſarium erat, vt eſſet de fide, gratiam permanentem creatam in anima Chriſti fuiſſe. Ad primam probationem minoris; quatenus poteſt doctrinæ ſolutionis obſtare, dicatur: plures alios Patres nomine gratiæ in allegato teſtimonio, accepiſſe gratiam vnionis, quia fuit anima Chriſti exornata: ita Cyrillus *lib. de fide ad Reginas.* Origenes *homil 2. in diuerſos.* Beda *in locum citatum Ioannis*. Auguſtinus *lib.13. de Trinitate cap 19.* & alij, quos refert Lorca vbi *ſupra num.3.* Vndè quamuis D. Thomas, Bernardus, & Bonauentura nomine *gratia*, in prædicto teſtimonio, intelligant donum creatum inhærens animæ Chriſti; non ideo colligitur, prædictam veritatem certitudine fidei gaudere. Ad ſecundam probationem, nego antecedens: cum enim gratia vnionis, ſit gratia in omni rigore, & perfectiſſima gratia, non eſt cur in alijs teſtimonij Scripturæ, cum de Chriſto ſermo ſit non ſignificetur nomine gratiæ, niſi aliud ex contextu inferatur. 6

Reſpondetur.

Cyrill. *Origen.* *Beda.* *S. Aug.* *Lorca.*

Ad tertiam probationem, quidquid ſit de antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt: nam anima Chriſti Domini, non eſt vera, veritate increata; cum ſapiens ſapientia increata non ſit; imo neque eſſe poſſit de potentia abſoluta, in communi Theologorum ſententia, *infra quæſt.9. art.1.* ac proindè, cum in prædicto teſtimonio plena veritate aſſeratur, neceſſum eſt intelligi de veritate creata. Sanctificatur autem ſanctitate increata, quæ eſt vera gratia ſanctificans Chriſtum, vt hominem, & infinitè ſanctificans; & ideo cum Chriſtus, vt homo, aſſeritur plenus gratia, explicari poteſt, & intelligi de gratia vnionis increata; ſicque explicant, & intelligunt plures Patres Eccleſiæ. Quare ex hoc teſtimonio non colligi fuiſſe in anima Chriſti Domini donum creatum gratiæ ſanctificantis, fatetur Lorca, vbi *proximè*, etſi oppoſitæ adhæret ſententiæ. 7

Aſſignatur diſcrimen inter gratiam, & veritatem.

§. II.

§. II.

Alijs Argumentis occurritur.

8 *Pſ. 132. Eſai. 61. Actor. 10. Pſal. 44. Ioan. 1. Eſai. 11.*

SECVNDO obijciunt: nam Chriſtus, in quantum homo, fuit Spiritu Sancto vnctus, ita Pſ. 132. Eſaiæ 61. Actorum 10. & Pſal. 44. illis verbis: *vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Dicitur etiam habuiſſe in ſe Spiritum Sanctum manentem, & quieſcentem, Ioannes 1. *Super quem videritis Spiritum Sanctum deſcendentem, & manentem in ipſo.* Eſaiæ 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini:* quæ verba de Chriſto, vt homine, communiter accipiuntur; ſed verificari nequeunt de Chriſto ratione gratiæ vnionis: ergo ex prædictis locis, vt fide certum colligitur, in anima Chriſti fuiſſe gratiam permanentem creatam. Minorem, in qua eſt difficultas, probat Lorca primò, quia vis verborum indicat donum creatum: ergo accipi non poſſunt de gratia vnionis increata. Secundò, quia Eccleſiæ Patres communiter accipiunt prædicta verba de dono gratiæ creato; & conſequenter de hoc dono ſunt accipienda. Tertiò, nam licet conceptio Chriſti ex Virgine Spiritui Sancto attribuatur; vnio autem humanitatis ad Verbum, nuſquam ſpecialiter Spiritui Sancto attribuitur, ſicut ei attribuitur vnctio per gratiã ſed in teſtimonijs allegatis, dicitur ſpecialiter vnctus à Spiritu Sancto: ergo non ratione gratiæ vnionis, ſed ratione gratiæ permanentis creatæ. Denique; nam dicitur Spiritum Sanctum vnxiſſe Chriſtum, & in illo manſiſſe, eiſdem verbis, quibus dicitur nos vngere, & in nobis manere; ſed reſpectu noſtri intelligitur de vnctione per gratiam permanentem creatam: ergo eodem modo eſt accipiendum de Chriſto; & conſequenter eſt certum, certitudine fidei, in illius anima fuiſſe donum gratiæ permanentis creatæ.

9 *Vis verborum nõ indicat donum creatum. Nec ex Patribus Eccleſiæ.*

Reſpondeo, negando minorem. Ad primam probationem, nego antecedens: quod ſcilicet, vis prædictorum verborum, neceſſario indicet donum creatum. Ad ſecundam, nego etiam antecedens: quod ſcilicet, de dono creato, communiter ab Eccleſiæ Patribus prædicta verba vſurpentur; imò Vazquez *diſputat. 41. n. 4. & 5.* docet locum illum *ex Pſalm. 44.* nullum ex antiquis Interpretibus de gratia habituali, vel de ſanctificatione diſtincta à gratia vnionis intellexiſſe. Requieſcere etiam, & permanere Spiritum Domini in Chriſto, explicant plures Patres de diuinitate in habitante. *Tertull.* Sic Tertullianus *lib. 5. aduerſus Marcionem cap. 8.* ibi: *in quo Chriſto, conſiſtere haberet tota ſubſtantia ſpiritus, non quaſi poſtea ob ventura, qui illi ſemper ſpiritus fuerit.* *Hieron. Cyril. Origen.* Hieronymus, & Cyrillus in *allegata verba Eſaiæ.* Origenes autem *homil. 6. in Numeros;* ideò ait ſuper Chriſtum Spiritum Sanctum requieſcere: quia in illo nullum potuit eſſe peccatum; ſicut in alijs hominibus; impotentia autem peccandi ratione gratiæ vnionis conuenit Chriſto. Et quamuis alij Patres ex illo teſtimonio Eſaiæ inferant dona creata in anima Chriſti Domini, per hæc tamen dona operationes intelligunt. *Nazian. Baſil. S. Aug. S. Greg.* Ita Nazianzenus *oratione in ſanctam Pentecoſten.* Magnus Baſilius *libr. 5. de Spiritu Sancto contra Eunomium capit. 14.* Auguſtinus *libr. 12. contra Fauſtum Manichæum cap. 15.* Et Gregorius Magnus *libr. 10. Moralium cap. 30.* Et quamuis daremus omnes Eccleſiæ Patres, ex allegato teſtimonio Eſaiæ, colligere Spiritus Sancti dona permanentia creata in humanitate Chriſti: hæc tamen dona diſtincta ſunt à gratia habituali immediatè animæ inhærente; ac proinde non colligeretur, vt veritas fide certa, gratiam iuſtificantem eſſe donum permanens, & creatum in Chriſto: non ergo infertur hæc veritas ex prædictis teſtimonijs iuncta Patrum interpretatione, vt de fide.

10 *Vnio humanitatis ad Verbũ Spiritui Sancto attribuitur. Luc. 1. Anſelm.*

Ad tertiam probationem, nego maiorem. Nam illa verba Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoq; & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei;* Explicat Anſelmus de ſanctificatione per vnionem hypoſtaticam, quæ per accommodationem Spiritui Sancto attribuitur, etſi efficienter à tota Trinitate proceſſerit, ſicut alia opera gratiæ. Nec video, cur vnctio per gratiam habitualem Spiritui Sancto attribuatur, & vnctio humanitatis à Diuinitate, Spiritui Sancto attribuenda non ſit: ideo namque vnctio per gratiam Spiritui Sancto attribuitur; quia eſt affectus diuini amoris & amor ſumptus notionaliter eſt, proprium nomen Spiritus Sancti, vt docet D. Thoma 1. p. q. 37. art. 1. & per appropriationem Spiritui Sancto accommodatur, vt de his, quæ ad voluntatem, & bonitatem ſpectant, docet D. Thomas 1. p. q. 39. art. 8. ſed etiam vnctio humanitatis à diuinitate, & illius vnio ad Verbum ſunt diuini amoris effectus: ergo quamuis ſint toti Trinitati effectiuè communis, non eſt cur Spiritui Sancto per accommodationem non attribuantur. Dicitur ergo Chriſtus, vt homo, Spiritu Sancto vnctus; quia virtute Spiritus Sancti ſimul cum alijs perſonis facta eſt vnio humanitatis ad Verbum, vt per cauſam efficientem, & attribuitur per accomodationem Spiritui Sancto, ſicut alia dona gratiæ. Vel quia nomine Spiritus Sancti perſona Filij ſignificatur, vt ex doctrina Auguſtini probat D. Thom. 1. p. q. 36. art. 1. & ipſa eſt, qua formaliter humanitas vngitur. *S. Thom.*

11 *Diſcrimen inter Chriſtum & alios homines aſſignatur.*

Ad vltimam probationem dicatur; quod licet verba ſint eadem acceptio tamen Verborum, in Chriſto, & in alijs hominibus poteſt eſſe diuerſa; en quod in Chriſto eſt aliud præter dona creata, per quod vngitur, & ſanctificetur eius humanitas, ſcilicet ſanctitas increata ſubſtantialiter, & intrinſecè vnita humanitati: in puris autem hominibus nihil eſt, per quod vngantur, & ſanctificentur intrinſecè, niſi donum aliquod creatum illis intrinſecè inhærens, & cum vnctio, & ſanctificatio ſtare poſſit pro vtraque ſanctificatione, & vnctione, accipitur in Chriſto pro vna, videlicet, ſubſtantiali, in hominibus puris pro alia, nempè, quæ à forma accidentali intrinſecè inhærente præſtatur. *Redarguitur Lorca.* Et certè non *gratia*, non minus indicat donum creatum, quam nomen vnctionis, & inhabitationis Spiritus Sancti: cum ergo fateatur Lorca, ex teſtimonio Ioannis 1. *cap.* vbi Chriſtus aſſeritur plenus gratiæ, non colligi omnino efficaciter ſanctificationem Chriſti per gratiam, quæ ſit donum permanens, & creatum, non video cur ex illis teſtimonijs, in quibus vnctus aſſeritur, & in ipſo inhabitare Spiritum Sanctum, id omnino efficaciter colligi cenſeat.

12 *Tertium argumentum.*

Tertiò arguitur; nam eadem certitudine, qua aſſeritur impium iuſtificari per gratiam, quæ ſit donum creatum intrinſecè inhærens, tenendum eſt Chriſti animam per donum accidentale creatum ipſi inhærens fuiſſe ſanctificatam; ſed impium iuſtificari per formam inhærentem, permanentem, & creatam, eſt immediatè de fide: ergo etiam tenendum eſt, vt fidei certitudine verum eſſe in Chriſto Domino formam permanentem creatam ipſius animam ſanctificantem, illique inhærentem intrinſecè. Minor conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 6. canon. 7.* Maior autem oſtenditur primo; nam ſecluſa expulſione peccati eadem omnino eſt ratio de ſanctificatione animæ Chriſti, quæ eſt de iuſtificatione impij, ſuntque eiuſdem ſpeciei, ſicut gratia Chriſti, & noſtra ſpecificè conueniunt: ſed vbi eadem eſt ratio, vt habet canonica regula, eadem eſſe debet iuris diſpoſitio, quod non ſolum habet verum in iure præceptiuo, ſed etiam in iure diffinitiuo veritatis fidei: ergo eadem certitudine eſt de iuſtificatione Chriſti, ac de noſtra iuſtificatione cenſendum, quoad fieri per formam creatam, & permanentem. Secundo probatur maior: nam Tridentinum *loco allegato* diffinit, impij iuſtificationem fieri per formam inhærentem; propterea teſtimonia Scripturæ, in quibus impij iuſtificatio exprimitur per ſanctificationem, per diffuſionem Spiritus Sancti, & per internam ſpiritualem vnctionem; ſed Chriſtus in ſacris litteris dicitur ſpiritualiter vnctus, & ſanctificatus, & gratia Spiritus Sancti dicitur in ipſo diffuſa, plenuſque gratia, & Spiritu Sancto aſſeritur; & in ipſo Spiritu Domini dicitur requieuiſſe: ergo idem eſt de gratia Chriſti ferendum iudicium quoad præſens, quod tulit Tridentinum de gratia impium iuſtificante; & conſequenter, ſi ex Tridentino habemus, tanquam de fide, impium iuſtificari per donum gratiæ creatum, & intrinſecè inhærens, etiam eſt, vt certum de fide tenendum, animam Chriſti Domini per donum gratiæ creatam, & intrinſecè inhærens ſanctificatam fuiſſe.

13 *Reſpondetur Vincentius.*

Hoc argumento ductus Magiſter Vincentius *relectione de Gratia Chriſti ſupra allegata*, docet, nullum quantum ad præſens attinet eſſe diſcrimen in certitudine iuſtificationis impij per formam creatam inhærentem intrinſecè, & ſanctificationis animæ Chriſti; quia tamen cenſet non eſſe de fide immediatè, nec mediatè impij iuſtificationem fieri per formam creatam illi inhærentem intrinſecè, ſed ſolum ita certum, vt oppoſitum ſit temerarium: quia communi Theologorum conſenſui aduerſatur, id ipſum

de ſanctificatione Chriſti cenſet dicendum, quoad fieri per formam creatam, quod, nempè, temerarium ſit hoc negare, non tamen hæreticum, aut erroneum, in quo ſequutus eſt Magiſtrum Medina *in præſenti art.* 1. & iuxta hanc doctrinam, eſt argumento facto occurrendum, conceſſa maiore, negando minorem.

14 *Defenditur ſolutio Vincentij.* Cæterum eſſe de fide immediatè, impij iuſtificationem fieri per formam creatam permanentem, eique inhærentem intrinſecè, probabilius iudicauimus *Tract. de Charitate circa art.* 2. Tametſi de fide non ſit, talem formam eſſe habitum, *ibidem* defenſauimus. Quare ad argumentum factum reſpondeo, negando maiorem. Ad primam probationem, nego etiam maiorem. In Chriſto namque præter dona creata eſt aliud donum, per quod ſanctificetur intrinſecè, nempè, gratia ſubſtantialis vnionis; ſecus autem in puris hominibus; & ideo in illis, vt non per ſolam imputationem extrinſecam meritorum Chriſti iuſtificentur, ſed per extrinſecam renouationem, neceſſario eſt recurrendum ad formam inhærentem creatam; in Chriſto autem, recurſus iſte non eſt neceſſarius omninò, vt Scripturæ verba de ipſo loquentia ſaluentur; eo quod habet ſibi intrinſecè vnitam ſanctitatem increatam, de qua explicari, & verificari poſſunt. Et licet ſanctificatio Chriſti per gratiam habitualem, quam eſſe in ipſo fatemur, ſit eiuſdem eſſentialis ſpeciei cum iuſtificatione impij; ſanctificatio autem per gratiam vnionis non conuenit cum impij iuſtificatione ſpecificè. Et de prima præſens litigium procedit, an, ſcilicet, ſit de fide conuenire animæ Chriſti?

15 *Ex ſpecificatiua impij non ſit euidens argumentum.* Et ex his ad ſecundam maioris probationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis habetur ex dictis: nam vnctio ſpiritualis, interior renouatio, & ſanctificatio impiorum, & Spiritus Sancti in eorum cordibus interna diffuſio, non poſſunt aliter, quam per formam creatam, illis intrinſecè inhærentem ſaluari; ideoque Tridentinum prædictis teſtimonijs innitens, aſſeruit impij iuſtificationem per formam inhærentem, & permanentem fieri; at verò in anima Chriſti poſſunt hæc omnia ſaluari, abſque forma creata, illi intrinſecè inhærente, vel ſaltim oppoſitum, non poteſt euidenti argumento conuinci; dicitur enim per diuinitatem, mediatè humanitati vnitam ſpiritualiter vnctus, & ſanctificatus; & conſequenter ob illam, & ratione illius, poteſt dici plenus gratia, & ratione eiuſdem diuinitatis, vt humanitati vnitæ, poteſt dici Spiritus Sanctus in anima Chriſti diffuſus, ſi fortè hæc propoſitio in Scripturis inueniatur, non formaliter, ſi de tertia perſona Trinitatis loquamur, ſed effectiuè, quatenus in Spiritus Sancti virtute fuit humanitas diuinitati vnita, per quam Deus habitat in Chriſto. Et etiam ratione diuinitatis poteſt dici Spiritus Sanctus in Chriſto requieſcere, vt *ſuperius* notabamus; ideoque non eſt omninò certum Tridentini diffinitionem ad Chriſti humanitatem extendi; nec eſt neceſſarium omninò, vt idem iudicium de humanitate Chriſti feramus, quod tulit Tridentinum de Gratia impium iuſtificante, quoad hoc, quod eſt ſanctificationem per donum Creatum fieri.

16 *Quartum argumentum.* Quarto arguitur; de fide eſt fuiſſe charitatem per modum formæ permanentis in Chriſto; ſed charitas, vel eſt idem cum gratia habituali, vel neceſſario comitatur illam: ergo, ſaltim eſt mediatè de fide fuiſſe in Chriſto gratiam habitualem. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem oſtenditur primo; nam Chriſtus eſt Princeps iuſtorum, & illorum caput; ſed eſſe animabus iuſtorum charitatem, quæ ſit donum permanens, & creatum, eſt immediatè de fide, vt oſtendimus *Tract. de Charitate ad art.* 2. ergo eſt immediatè de fide donum charitatis permanens, & creatum reſidere in anima Chriſti. Secundo probatur: eſt enim de fide charitatem eſſe in hominibus iuſtis, ex illo teſtimonio Pauli Romanor. 5. *Charitas*
Ad Rom. 5. cap. *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*: ſed multo magis diffuſa eſt charitas
Ad Epheſ. 3. in corde Chriſti, de quo Paulus ad Epheſ. 3. ait: *In charitate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti: ergo etiam eſt de fide, fuiſſe in Chriſto donum Charitatis permanens, & creatum.*

17 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo primo, prætermiſſa maiori, diſtinguendo minorem: in re, & in communi Theologorum ſententia, concedo minorem: demonſtrabiliter certo, aut euidentèr, nego minorem, & conſequentiam. Quia vt eſſet mediatè de fide, fuiſſe in Chriſto gratiam habitualem, ex eo quod in illo habitus charitatis extiterit, neceſſarium erat, quod identitas charitatis cum gratia habituali, vel concomitantia neceſſaria ad illam eſſet certa, vel certitudine fidei, vel certitudine naturali veritatis per ſe notæ, aut demonſtrabilis; licet autem ita ſit, quod charitas, vel eſt idem cum habitu gratiæ vel illum ſemper comitatur, non tamen hoc eſt certum certitudine fidei, nec per ſe notum, nec demonſtrabile; & ideo ex maiori data, vt de fide, quod, nempè, in anima Chriſti fuerit donum permanens charitatis creatum, & ex minori ſubſumpta, non colligitur, vt veritas mediatè de fide exiſtentia charitatis in Chriſto, quæ ſit donum creatum, & permanens.

18 *Reſpondetur ſecundò.* Secundo reſpondeo, negando maiorem. Ad primam probationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Non enim eſt euidens debere eſſe in capite formaliter omnes perfectiones membrorum, nec in Principe omnes illas, quæ in ſubditis reperiuntur; ſed ſufficit, ſi illæ perfectiones, vel aliæ eminentiores in Principe reperiantur; vnde ex eo quod Chriſtus ſit princeps iuſtorum, & iuſtis charitas reperiantur, quæ ſit donum permanens, & creatum, non infertur euidenter idem donum reperiendum in Chriſto, ſed vel idem, vel aliud eminentius. Et quia diuinitas humanitati Chriſti hypoſtaticè vnita, eſt donum charitate eminentius; conſequens ſit, quod licet diſcurſu facto efficaci conſequentia probetur exiſtentia habitus charitatis in Chriſto, non tamen euidentèr hæc veritas inferatur. Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: re ipſa, concedo minorem: ita vt diffuſio charitatis habitus certa ſit, aut euidens in Chriſto, nego minorem, & conſequentiam. Ratio autem, cur ex eo quod charitas in cordibus noſtris dicatur diffuſa, motum fuerit Tridentinum ad diffiniendam exiſtentiam charitatis permanentis, & creatæ in animabus iuſtorum, & ſimilis loquutio de Chriſto, non vrgeat, vt neceſſario idem feramus iudicium, eſt, quam dedimus *in ſolut. tertij argumenti*: quia, nempè, verba Scripturæ loquentia de puris hominibus, non poſſunt aliter explicari, niſi de dono creato ipſis inhærente intrinſecè; quæ autem de Chriſto loquuntur aliam explicationem admittunt, videlicet, de dono increato, quo illius anima infinitè ſancta redditur.

19 *Arguit Suarez.* Et ex his ſolutum manet argumentum Patris Suarez, quo perſuadere conatur, exiſtentiam gratiæ habitualis in Anima Chriſti Domini, eſſe immediatè de fide; nam communis Patrum, & Scholaſticorum conſenſus conſpirantium in aſſertionem alicuius veritatis, vt indubitatam, & in Scripturis contentam, inducit certitudinem fidei, vt docet eleganter Canus *lib.* 12. *de locis Theologicis cap.* 7.
M. Canus. *præcep.* 8. ſed ita in præſenti contingit; omnes enim Sancti Patres, & Scholaſtici Doctores in exiſtentiam gratiæ habitualis in anima Chriſti Domini, vt in veritatem indubitatam, & in teſtimonijs Scripturæ contentam vnanimi conſenſu conſpirant: ergo eſſe gratiam habitualem in anima Chriſti Domini, illi intrinſecè inhærentem, eſt veritas immediatè de fide.

20 *Reſpondetur.* Cui argumento ex dictis occurritur; conceſſa maiori, negando minorem. Licet enim omnes Doctores Scholaſtici exiſtentiam gratiæ habitualis intrinſecè inhærentis in anima Chriſti fateantur, & in iſta veritate vnanimiter conueniant; non tamen illam, vt omninò indubitatam docent, nec omnes in illa, vt in Scripturis euidenter contenta conſentiunt; cum maior pars Theologorum neget eſſe veritatem de fide, quod minimè poteſt componi cum eo quod aſſerant, eſſe omninò indubitatam, & in Scripturis contentam; aliàs contraria docerent. Patres autem rem iſtam Scholaſticè non tractantes, non omninò clarè loquuntur, poſſuntque illorum verba explicari de ſanctificatione per gratiam ſubſtantialem vnionis; ac proindè, non poteſt iſta veritas ex Patrum teſtimonijs euidentèr, aut omninò certo deduci. De quo videatur Vazquez *diſputatione allegata cap.* 1. *per totum.*

§. III.

Statuitur ſecunda concluſio.

21 *Secunda concluſio.* SECVNDA CONCLVSIO SIT. *In anima Chriſti Domini fuit habitualis gratia, & oppoſitum aſſerere, non ſolum eſt temerarium, ſed etiam errori proximum.* Ita quoad omnes partes Medina, Vincentius, Nazarius, & Illuſtriſſimus Araujo vbi *ſupra*. Et quantum ad primam partem probatur rationibus D. Thom. Prima eſt: nam quanto aliquod receptiuum eſt proximius cauſæ influenti, tanto magis de influxu illius participat; ſed Deo, qui eſt cauſa gratiæ proximius accedit anima Chriſti, quam omnes aliæ rationales creaturæ, cum ſit illi ſubſtantialiter hypoſtaticè vnita, quæ vnio non conuenit alteri rationali creaturæ, ſed tantum vnio effectiua, vt effectus cum ſua cauſa, aut vnio per affectum ratione amoris diuini: ergo magis de influxu gratiæ participat, quam omnis alia creatura; & conſequenter recipit in ſe perfectiſſimè donum gratiæ habitualis. Qua ratione, non ſolum probatur exiſtentia gratiæ habitualis in anima Chriſti Domini, ſed etiam quod in illa donum gratiæ habitualis perfectiſſimè extiterit.

Prima ratio D. Th.

22 *Secunda ratio D. Thomæ.* Secunda ratio Angelici Doctoris eſt; nam anima Chriſti Domini, præter phyſicam vnionem perſonalem cum Deo, oportuit, vt aliam vnionem haberet, ſcilicet, per cognitionem, & amorem beatificum; aliàs cum beatitudo, & ſuprema felicitas, in Dei intuitione conſiſtat, beatitudine perpetuò careret, & amicitia diuina, quæ in mutuo Dei amore conſiſtit; ſed ad connaturalem prędictorum actuum elicientiam, qualis animæ Chriſti erat debita; ipſamq; decebat, non ſufficit vnio perſonalis cum Deo, ſed neceſſaria eſt habitualis gratia intrinſecè inhærens, & phyſicè dona ſupernaturalia radicans, vt *diſp. ſeq.* conſtabit, vbi neceſſitatem gratiæ habitualis ad iſtum finem monſtrabimus: ergo tali gratia fuit prædita.

23 *Tertia ratio D. Th.* Tertia ratio Angelici Præceptoris eſt; nam perfectio, quæ communicatur effectui, præexiſtit formaliter in cauſa efficiente, ſi imperfectionem cauſæ repugnantem non dicat; ſed anima Chriſti Domini influit gratiam habitualem in animabus iuſtorum, & aliàs non dicit imperfectionem repugnantem animæ Chriſti: ergo illam in ſe recipit. Et ex his ſuadetur vltimo; omnis namq; perfectio ſpiritualis hominibus iuſtis competens, concedenda eſt animæ Chriſti, ſi nec pugnet cum viſione beatifica, qua ab inſtanti conceptionis potitur, nec cum vnione hypoſtatica; ſed gratia habitualis iuſtificans, eſt maxima perfectio ſpiritualis competens animabus iuſtorum, & alias non pugnat cum viſione beatifica, nec cum vnione hypoſtatica, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit: ergo animæ Chriſti eſt tribuenda.

24 *Secunda pars concluſionis probatur, M. Canus.* Deindè ſecunda pars concluſionis ſuadetur; illa namq; eſt aſſertio temeraria, quæ opponitur torrenti Doctorum in re Theologica, & graui, & materiam fidei concernente, vt elegantia, & eruditione ſolita explicat M. Canus *lib. 7. de locis Theologicis cap. 3. concl. 5.* ſed gratiam, quæ ſit donum permanens, & creatum, in anima Chriſti extitiſſe, illamque ſanctificaſſe, eſt communis Scholaſticorum conſenſus, reſque eſt Theologica, & grauis, & materiam fidei concernens; cum ex pluribus teſtimonijs Scripturæ probetur, & probabiliter colligatur: ergo aſſertio contraria opponitur torrenti Doctorum in re Theologica, & graui, & materiam fidei concernente; & conſequenter eſt temeraria.

25 *Vltima pars concluſionis probatur.* Tandem vltima pars noſtræ concluſionis probatur; nam propoſitio erronea, prout à propoſitione hæretica diſtincta, eſt, quæ opponitur concluſioni Theologicæ, id eſt, concluſioni per euidentem conſequentiam deductæ, vel ex duabus præmiſſis de fide, vel ex vna de fide, & alia ratione naturali euidenti: ergo propoſitio proxima errori erit illa, quæ opponitur concluſioni deductæ, ex vna præmiſſa de fide, & altera, etſi non euidenti, efficaci tamen argumento, & quod difficilem ſolutionem habeat monſtrabili; aliàs non erit per quid propoſitio errori proxima ab erronea diſcernatur; ſed in anima Chriſti Domini extitiſſe gratiam permanentem creatam ipſam ſanctificantem, propoſitio huius conditionis eſt: ergo exiſtentiam gratiæ habitualis in anima Chriſti negare, licet erroneum non ſit, vt in 1. *concl.* docuimus, eſt tamen errori proximum. Minor, in qua ſola eſſe poteſt difficultas, oſtenditur primo: nam Chriſto, vt homini, omnem ſpiritualem perfectionem competere, quæ cum viſione beatifica, vel cum vnione hypoſtatica repugnantiam non habet, Theologi vno ore fatentur, vt catholicam veritatem; quod ad certitudinem fidei inducendam ſufficere, etſi nullum adſit teſtimonium Scripturæ, Conciliorum, aut Pontificum, in quo contineatur, docet Canus *lib. 12. de locis Theologicis, præcept. 8* vndè Chriſti animam ab initio ſuæ vnionis ad corpus Deum clarè vidiſſe, gaudet fidei certitudine, & non ex alio principio, niſi quia omnes Doctores id tanquam fide certum ſunt amplexati; ſed gratia habitualis iuſtificans, eſt perfectio ſpiritualis, quod nullus inficiari poteſt, non pugnans cum viſione beatifica, quod à nemine poteſt negari, nec incompatibilis cum vnione hypoſtatica, quod monſtrari poteſt argumento efficaci diſcurrendo per omnia repugnantiæ capita, illaq; efficaciter excludendo: ergo exiſtentia doni creati, & permanentis in Chriſto illius animam ſanctificans, deducitur ex vna præmiſſa de fide, & ex alia efficaci, etſi non euidenti, nec omnino inſolubili, argumento monſtrabili. Secundo probatur minor; etenim anima Chriſti fuiſſe ab inſtanti conceptionis beatam, tanquam aſſertio de fide, eſt communi Theologorum ſenſu receptum; & conſequenter viſionem beatificam ab illa fuiſſe connaturaliter elicitam, eadem certitudine gaudet; ſed ad connaturalem elicientiam viſionis fuiſſe neceſſariam habitualem gratiam, argumento ſatis efficaci, & quod non facilè ſoluitur, probat D. Thom. in *præſenti art. 1. vt ſeq. diſp.* videbimus: ergo exiſtentia gratiæ habitualis in anima Chriſti deducitur ex vna de fide, & ex alia, ſi non euidenti, efficaci tamen argumento monſtrabili; & conſequenter aſſertio huic veritati contraria, non ſolum temeraria eſt, ſed etiam errori proxima. *M. Canus.* *S. Thom.*

§. IV.

Duplici argumento occurritur.

CONTRA primam partem concluſionis arguitur primò: nam cui repugnat effectus formalis primarius alicuius formæ, & ipſa forma repugnat; ſed repugnat Chriſto Domino effectus primarius gratiæ habitualis: ergo & gratia habitualis. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; effectus primarius habitualis gratiæ eſt, eſſe diuinæ naturæ participem, vel eſſe Deum per participationem; ſed repugnat Chriſto eſſe Deum participatiuè: ergo repugnat illi effectus primarius habitualis gratiæ. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur: repugnat vnum, & idem ſubiectum eſſe Deum per eſſentiam, & eſſe Deum per participationem; ſed Chriſtus eſt Deus per eſſentiam: ergo repugnat illi eſſe Deum participatiuè, & conſequenter eſt incapax primarij effectus gratiæ habitualis. 26 *Primum argumentum.*

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, nego etiam minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: ſecundum vnam, & eandem rationem, & naturam, concedo maiorem: ſecundum diuerſas naturas, & rationes, nego maiorem, & diſtinguo minorem: eſt Deus per eſſentiam, ſecundum naturam humanam, nego minorem: ſecundum naturam Diuinam, concedo minorem, & diſtinguo conſequens eadem diſtinctione. Solum enim infertur, Chriſtum, vt Deum, ſeu ratione naturæ diuinæ, Deum per participationem eſſe non poſſe, quod libentès fatemur; vt ſic enim per eſſentiam eſt Deus; non autem colligitur, quod ſecundum humanitatem, Deus eſſe participatiuè non poſſit; & hoc ſufficit, vt gratiæ habitualis, & illius primarij effectus ſit capax. Ita D. Thom. in 3. *Sentent. diſt. 13. quæſt. 1. art. 1. ad 1.* ad Annibaldum in *eadem diſtinct. quæſt. vnic. art. 1. ad 2. q. 29. de Veritate art. 1. ad 5.* Et in hac *q. art. 1. ad 1. argumentum.* 27 *Reſpondetur.* *S. Thom.*

Sed opponens primum; quamuis Chriſtus, vt homo, non ſit Deus per eſſentiam, eſt tamen ſubſtantialiter deificatus, & ſubſtantialiter ſanctus à ſanctitate increata, vt *diſput. praeced.* monſtrauimus; ſed non ſolum repugnat idem 28 *Replicabis 1.*

ſe-

ſecundum eandem rationem eſſe Deum per eſſentiam, & Deum per participationem, ſed etiam repugnat eſſe ſubſtantialiter deificatum, & ſanctum, & eſſe accidentaliter participatiuè ſanctum, & Deum, quod à gratia habituali primario præſtatur: ergo in Chriſto, vt homine, non adeſt capacitas ad effectum formalem primarium gratiæ habitualis; & conſequenter eſt incapax ad illam in ſe recipiendam. Minor, in qua eſt difficultas, probatur: *Illud, quod de aliquo dicitur ſecundum perfectam rationem, non poteſt dici de eo ſecundum rationem imperfectam, ſicut quia Sortes dicitur naturaliter homo ſecundum propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo ſecundum illam ſignificationem, qua pictura hominis dicitur homo, licet aſſimiletur alteri homini.* Verba ſunt D. Thom. *infra quæſt. 32. art. 3. propè finem corporis.* Et ex hoc principio infert, quod, quia Chriſtus eſt Filius Dei ſecundum perfectam rationem filiationis, licet ſecundum humanam naturam ſit creatus, & iuſtificatus, non debet dici Filius Dei, nec ratione creationis, nec ratione iuſtificationis: ſed eſſe ſubſtantialiter deificatum, & ſanctum, eſt eſſe ſanctum ſecundum perfectam rationem; eſſe autem ſanctum per formam accidentalem, eſt eſſe ſanctum ſecundum rationem imperfectam: ergo repugnat, idem ſecundum eandem rationem, eſſe ſanctum ſubſtantialiter à natura diuina ſe ipſa ſanctificante, & eſſe ſanctum accidentaliter, & participatiuè per formam accidentalem.

S. Thom.

29 *Replica ſecunda.* Oppones ſecundo: in ſanctificatione humanitatis à Deitate continetur eminenter ſanctificatio à gratia habituali proueniens; gratia namque ſubſtantialis vnionis eminenter continet gratiam habitualem, & illius ſanctificationem, ſicut Deitas eminenter continet omnem perfectionem gratiæ habitualis; ſed non ſtat cum continentia eminentiali alicuius formæ capacitas in ſubiecto ad talem formam in ſe recipiendam formaliter: quia namque Sol eſt calidus eminenter, non eſt capax recipiendi in ſe calorem formaliter, nec vt ſit formaliter calidus: ergo effectu præſtitus humanitati à gratia ſubſtantiali vnionis, non eſt compatibilis cum effectu formali à gratia habituali præſtando; & conſequenter, nec gratia ſubſtantialis vnionis poteſt compati in humanitate Chriſti cum gratia habituali.

30 *Ad primam replicam reſpondetur. 1.* Reſpondeo ad primam replicam primo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem admiſſa, vt iacet Angelici Præceptoris doctrina, nego minorem. Nam licet eſſe ſanctum à diuinitate formaliter, ſit eſſe ſanctum perfectiori modo, quam eſſe ſanctum per formam accidentalem, comparentque inter ſe, ſicut magis, & minus perfectum in ordine ſanctitatis; non tamen eſt eſſe ſanctum ſecundum perfectam rationem ſanctificationis à Deitate; hoc enim ſolum conuenit illi ſubiecto, cui diuina ſanctitas eſt eſſentialis, non autem illi, cui conuenit communicatiuè, & per gratiam; vndè, quia Deus ſanctus eſt per eſſentiam à ſanctitate diuina, non eſt capax, vt ſit ſanctus, ſanctitate accidentali; humanitas autem Chriſti, quæ eſt ſancta ſanctitate diuina, non per eſſentiam, ſed per communicationem, capax eſt, vt ſancta etiam conſtituatur per formam accidentalem; quia eſſe ſanctam à Deitate per gratioſam communicationem, non eſt eſſe ſanctam, ſecundum perfectam rationem ſanctificationis à Deitate; ideoque non excludit alium ſanctificationis modum præſtitum à forma accidentali.

31 *Reſpondetur. 2.* Vel ſecundo reſponderi poteſt, ad probationem minoris, diſtinguendo, aut explicando maiorem, & doctrinam D. Thomæ: ſi dicatur ſecundum omnem modum debitum intra lineam perfectæ prædicationis, concedo maiorem: ſi deſit aliquis modus intra talem lineam debitus, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minorem, nego conſequentiam. Etenim ſanctificationi vtrique perfectæ, debetur radicatio phyſica donorum, & facultatum ad ordinem gratiæ ſpectantium, dantiumque poſſe proximum ad ſupernaturaliter operandum; diuinitas autem, etſi humanitatem Chriſti ſanctificet infinitè, non tamen ſic illi vnitur, vt phyſicè radicet facultates ad ordinem gratiæ ſpectantes; ideoque non ſanctificat humanitatem, nec de illa prædicatur omnimodo debito, intra lineam perfectæ ſanctificationis, ac proindè cum ſanctificatione præſtita humanitati à Deitate, datur in illa capacitas ad formam accidentaliter ſanctificantem, phyſicèque radicantem dona, & facultates ordinis ſupernaturalis. Eſt tamen obiter aduertendum, humanitatem ex prædicto defectu, non debere dici ſanctificatam à Deitate imperfectè priuatiuè, ſed tantum negatiuè; non enim eſt in humanitate capitas, vt radicationem phyſicam donorum ſupernaturalium à diuinitate recipiat, nec deitas effectum iſtum poteſt humanitati præſtare; & ideo quod illum non præſtet, non inducit in humanitate defectum priuatiuum, ſed tantum modo negatiuum.

32 *Ad ſecundam replicam reſpondetur primò.* Ad ſecundam replicam reſpondeo, primo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: cum continentia eminentiali purè effectiua, nego minorem: cum continentia eminentiali executiua, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nam licet gratia vnionis eminenter effectiuè contineat gratiam habitualem, non tamen continet illam eminenter executiuè, hoc eſt, executiuè præſtando id, quod præſtat gratia habitualis; non enim poteſt animam Chriſti eleuare ad radicandas phyſicè facultates ordinis ſupernaturalis, quod à gratia habituali animæ Chriſti præſtatur. Et ſolum hæc continentia eminentialis non compatitur, ſeu componitur cum denominatione formali in eodem ſubiecto à forma eminenter contenta; non autem primus modus continentiæ eminentialis. Et enim in eſſentia, aut natura eminenter effectiuè continentur proprietates; & tamen eſt in potentia ad illas in ſe recipiendas, ſecundum eſſe formale, vt conſtat in homine continente ratione naturæ eminenter effectiuè potentiam proximè intellectiuam, qui tamen eſt in potentia ad prædictam facultatem recipiendam in ſeipſo ſecundum eſſe formale, & vt ſit formaliter proximè intellectiuus. Nec obſtat exemplum adductum; incapacitas enim in Sole ad caliditatem formalem, non naſcitur ex ſola capita continentiæ eminentialis caloris, ſed ex eo quod incorruptibilis eſt; ac proindè incapax recipiendi qualitates alteratiuas, & ad corruptionem diſponentes. Hæc eſt communis ſecundæ obiectionis ſolutio, quam dedit Noſter Vincentius *relectione de Gratia Chriſti pag. 104.* & ex ipſo poſteriores Theologi deſumpſere.

M. Vincent.

33 *Reſpondetur. 2.* Secundo reſponderi poteſt; continentiam eminentialem effectiuam duplicem eſſe, alteram propriè effectiuam, quæ eſt eminentialis continentia, perfecta, alteram radicatiuam; & licet demus, primum modum continentiæ eminentialis, non ſtare in eodem ſubiecto cum capacitate ad formam eminenter contentam, recipiendam ſecundum eſſe formalem, ideoque in Sole ad caliditatem formalem capacitatem non eſſe; quia eminenter continet calorem continentia perfecta effectiua, ſecundus continentiæ modus obſtare minimè poteſt, vt in eodem ſubiecto ſit capacitas ad formam eminenter contentam, vt formaliter in ſe recipiendam. Tum, quia non eſt continentia eminentialis vndequaque perfecta. Tum etiam; quia potius ſecum affert, & inuoluit capacitatem ad formam, ſic contentam formaliter recipiendam; cum radix immanens ſit, id eſt, radix proprietatum, quæ recipiendæ ſunt in ſubiecto, in quo radicantur; vndè anima rationalis eminenter radicaliter continens intellectum, & cæteras proprietates, capax eſt ad illa recipienda ſecundum eſſe formale; eminentialis autem continentia conuenit gratiæ vnionis reſpectu gratiæ habitualis huius poſterioris generis eſt; non enim continetur gratia habitualis in gratia vnionis, vt formaliter ſanctificante humanitatem, continentia effectiua perfecta; aliàs conſtitueret humanitatem potentem efficienter principaliter phyſicè, gratiam iuſtificantem cauſare, quod nullus Theologorum aſſeruit; ſed ad ſummum continetur in illa prout ſic, continentia radicatiua, quæ, vt diximus, non obſtat capacitati ad formam in eſſe formali, ſed potius, non poteſt ſubſiſtere ſine tali capacitate; ſi namque eſt radix phyſica habitualis gratiæ, radicat illam, non alijs, ſed ipſi humanitati, ſicut anima rationalis hominis conſtituta per ipſam, proprietates radicat.

34 *Reſpondetur. 3. & melius.* Vel tertiò, & melius reſponderi poteſt, prætermiſſa minori, negando maiorem. Nam licet Deitas in ſe conſiderata, eminenter gratiam habitualem, & omnes illius effectus contineat; prout tamen humanitati vnitur, gratiam habitualem, & illius effectus, non continet eminenter. Quod patet; non enim continentia eminentiali propriè effectiua, cum non præſtet humanitati eſſe cauſam efficientem principalem phyſicam gratiæ; id autem in Deitate, vt vnita humanitati eminenter continetur, cuius continentiam præſtat humanitati. Nec continentia eminentiali radicatiua; cum prout vnita humanitati, non radicet phyſicè gratiam, nec facultates ordinis ſupernaturalis, quæ gratiam ſequuntur, ſed tantum moraliter, in frequenti, & vera Theologorum ſententia.

Nec denique continet eminenter gratiam habitualem continentia æquiualentiæ; non enim taliter Deitas cum humanitate vnitur, vt æquiualeat omnibus effectibus humanitati præſtitis à gratia habituali: cum ergo non reſtat alius modus continentiæ eminentialis, præter enumeratos, negandum eſt, gratiam habitualem eminenter contineri in gratia vnionis, prout ſanctificante humanitatem; ac proindè ex capite continentiæ eminentialis, non repugnat humanitati Chriſti ſecundum eſſe formale.

35 *Secundũ argumentum principale.*

Secundo arguitur; ſi in anima Chriſti Domini eſſet gratia habitualis, ſequeretur, Chriſtum, vt hominem, eſſe Filium Dei adoptiuum; conſequens eſt falſum, & contra communem Theologorum ſententiam, *infra q. 23. art. 4.* ergo gratia habitualis in anima Chriſti non eſt. Probatur ſequela primò: nam eſſe filium adoptiuum eſt effectus formalis habitualis gratiæ; ſed non ſtat formam communicari ſubiecto ſine proprio effectu formali: ergo ſi exiſtit in anima Chriſti Domini, conſtituit Chriſtum, vt hominem, Filium adoptiuum Dei. Secundo probatur; nam dato, quod forma communicata ſubiecto poſſit aliquo effectu priuari, non tamen poteſt connaturaliter eſſe in ſubiecto, cui non præſtat omnem ſuum effectum formalem; cum ad omnes præſtandos naturaliter forma inclinetur; & conſequenter contra illius inclinationem ſit aliquo effectu priuari; ſed ſi gratia habitualis conceditur animæ Chriſti, non eſt in illa inconnaturaliter conſtituenda: ergo nullo effectu formali eſt priuanda; & conſequenter Chriſtum, vt hominem, Filium adoptiuum conſtituet. Tertio; nam ius ad hæreditatem, & filiatio conuertuntur; ſed non poteſt eſſe gratia habitualis in Chriſto, quin illi tribuat ius ad hæreditatem diuinam: ergo nec poteſt exiſtere in Chriſto, quin illum Filium conſtituat. cumque non poſſit gratia habitualis filiationem naturalem præſtare, præſtabit neceſſario adoptiuam.

36 *Denique probatur ſequela.*

Denique probatur ſequela; non enim poteſt gratia habitualis exiſtere in Chriſto, quin ratione illius ſit ſpiritualiter genitus; ſed ſpiritualem generationem conſequitur relatio filiationis: ergo non poteſt in Chriſto gratia habitualis conſtitui, quin ad illam aliqua filiatio ſequatur, cumque naturalis eſſe non poſſit, erit neceſſario adoptiua. Maior, in qua eſt difficultas, oſtenditur primò; ideo namque homines iuſti conſtituuntur ſpiritualiter geniti per gratiam iuſtificantem: quia ratione illius participant naturam diuinam ſub conceptu naturæ; ſed etiam Chriſtus, vt homo, ſi habituali gratia exornatur, participat ratione illius Dei naturam ſub conceptu naturæ, cum eſſe formalem participationem naturæ diuinæ ſub conceptu naturæ, non accidentaliter, ſed eſſentialiter gratiæ habituali conueniat: ergo neceſſario, per illam, vel ratione illius, conſtituitur Chriſtus, vt homo, ſpiritualiter genitus. Secundo probatur maior: etenim non ſtat actio naturalis terminata ad naturam ſub conceptu naturæ ſecundum conuenientiam vniuocam, quæ generatio naturalis non ſit: ergo nec dari poteſt actio libera terminata ad naturam participatam ſecundum conuenientiam analogam, quæ non ſit generatio ſpiritualis; ſed actio Dei infundentis gratiam in anima Chriſti Domini terminatur ad naturam diuinam participatam ſecundum conuenientiam analogam: ergo non poteſt non eſſe ſpiritualis generatio: & conſequenter, non poteſt eſſe gratia habitualis in anima Chriſti Domini, quin ratione illius conſtituatur Chriſtus, vt homo, ſpiritualiter genitus.

37 *Reſpondetur argumento.*

Reſpondeo, negando ſequelam; adoptio namque extraneitatem in perſona adoptata ſupponit, in Chriſto autem, non eſt duplex, ſed vna tantum perſona, & hæc extranea non eſt; ac proindè eſt in illo incapacitas, vt à gratia habituali effectum filiationis adoptiuæ recipiat; ideoque talem effectum gratia habitualis Chriſto, vt homini, non præſtat, licet quantum eſt de ſe, poſſit talem effectum præſtare; illumque de facto præſtet ſubiecto non incapaci, de quo *ſupra quæſtione 23. artic. 4.*

38 *Ad primã probationem reſpondetur primò.*

Ad primam probationem ſequelæ, reſpondeo primo, diſtinguendo maiorem: eſt effectus formalis primarius gratiæ habitualis, nego maiorem: effectus formalis ſecundarius, tranſeat maior: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet à forma communicata ſubiecto, non poſſit non præſtari effectus formalis primarius; effectus formalis ſecundarius poteſt ſeparari ab illa ſubiecto communicata; vt conſtat in quantitate Chriſti, quæ illum in Euchariſtia non extendit in ordine ad locum, quamuis localis extenſio ſit effectus formalis quantitatis; quia non primarius, ſed ſecundarius eſt; conſtat etiam in impenetrabilitate, quæ eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis; & tamen quantitas Chriſti, eſt tali effectu priuata, quando egreſſus eſt ex vtero Sanctiſſimæ Virginis manentis incorruptæ poſt partum, & quando ad diſcipulos ingreſſus eſt ianuis clauſis: cum ergo eſſe Filium adoptiuum Dei, ad ſummum ſit ſecundarius gratiæ habitualis effectus, poteſt tali effectu in Chriſto, vt homine priuari, ob ſubiecti incapacitatem.

39 *Reſpondetur ſecundò.*

Vel ſecundo reſpondetur, prætermiſſa maiori, negando minorem. Nam eſſe Filium adoptiuum, eſt effectus formalis relationis, qua adoptatus ad adoptantem refertur, ſicut eſſe Filium naturalem, eſt effectus formalis relationis, qua refertur genitus ad generantem; vndè ſicut hæc relatio, non eſt effectus formalis ſecundarius naturæ terminantis generationem naturalem, ſed aliquid conſecutum ad generationem paſſiuam in genere cauſæ efficientis, vt ad proprium fundamentum: ita relatio filiationis adoptiuæ, non eſt effectus formalis ſecundarius gratiæ habitualis, ſed quid conſecutum fundamentaliter ad illam, vt terminantem ſpiritualem generationem, non autem eſt inconueniens, vt id, quod aliàs fundandum erat in gratia, non fundetur in illa de facto, quando exiſtit in ſubiecto incapaci formę, quæ fundanda erat; ſicut neq; eſt inconueniens, quod gratia habitualis fidem non radicet in Chriſto, quam in hominibus iuſtis radicat in via; quia ad illam non eſt in Chriſto capacitas ratione viſionis beatificæ. Nec inconueniens cenſetur; quod non radicet in nobis iuſtitiam ſatisfactiuam ad æqualitatem Deo, quam tamen in humanitate Chriſti huiuſcemodi virtutis capaci radicat. Nec denique inconueniens reputatur, quod gratia iuſtificans in beatis fidem, & ſpem non radicet ob illorum incapacitatem ratione ſtatus beatifici, quas virtutes phyſicè in viatoribus radicat. Non enim minus connectitur gratiæ cum prædictis virtutibus, vt potè radix phyſica illarum, quam cum relatione filiationis adoptiuæ; & conſequentèr ſi poteſt radicatione prædictarum virtutum ſine inconuenienti priuari; poterit etiam ſine inconuenienti non fundare relationem filiationis.

40 *Ad ſecundam probationem reſpondetur.*

Ad ſecundam probationem ſequelæ, quæ contra vtramque iſtam ſolutionem procedit, dicatur: veram eſſe maiorem de effectibus illis formalibus, qui adæquatè, & conuertibiliter comparantur cum forma, id eſt, poſtulantibus ab illa ſemper præſtari; ſi namque ab his impediretur, non erit in ſtatu connaturali; falſam autem de illis effectibus, qui ad formam non comparantur conuertibiliter adæquatè, nec forma petit, illos ſemper exhibere, ſed ſolum in tali, aut tali ſubiecto, in hoc, vel in illo ſtatu. Cuius diſtinctionis veritas patet: non enim minus opponitur exiſtentiæ connaturali alicuius formæ in ſubiecto, impediri ab efficientia effectus, quem naturaliter cauſat, aut radicat, quam impediri ab effectu formali ſecundario; quando autem formam non petit ſemper in talem effectum exire, ſed tantum in determinato ſubiecto, abſque vlla inconnaturalitate à tali effectu impeditur; vndè gratia habitualis nullam violentiam patitur in beatis, etſi ab illa fides, & ſpes non dimanent, nec in hominibus iuſtis aliquam violentiam patitur, tametſi, non dimanet ab illa iuſtitia ſatisfactiua ad æqualitatem Deo, quæ ad illam in Chriſto ſequitur: quia iſtarum virtutum reſultantiam, non petit vniuerſaliter, ſed tantum in determinato ſubiecto, vel in ſtatu determinato, ad quæ indifferenter ipſa gratia comparatur. Idem ergo Nos dicimus de impedimento formæ ab effectu formali ſecundario; tunc inducere violentiam, aut inconnaturalitatem, quando forma talem effectum vniuerſaliter petit; non vero quando ſolum illum petit in determinato ſubiecto; gratia autem habitualis eſt de ſe indifferens ad exiſtendum in perſona extranea, & in perſona non extranea, & ſolum petit filiationem adoptiuam fundare, & in effectum adoptiuæ filiationis exire in ſubiecto determinato, nempè, in perſona extranea à diuina hæreditate; & idcirco, abſque vlla violentia, vel inconnaturalitate tali effectu ſecundario, vel tali reſultantia, in humanitate Chriſti priuatur, qui perſona extranea non eſt.

41 *Ad 3. reſpondetur 3.*

Ad tertiam probationem ſequelæ reſpondeo, negando maiorem. Licet enim valeat benè, *eſt Filius: ergo hæres*; è contra tamen non valet, *eſt hæres: ergo Filius*: ſed latius

latius patet ius ad hæreditatem, quam filiatio; nepotes enim, & conſanguinei in humanis ius habent ad auorum, & conſanguineorum hæreditatem; & tamen filij non ſunt. Et in diuinis Spiritus Sanctus ius habet eſſentiale ad hæreditatem Dei, cum eſſentialiter ei beatifica viſio debeatur; & tamen filius non eſt, nec filius dici poteſt in aliquo ſenſu catholico: ergo licet ratione gratiæ habitualis conueniat Chriſto, et homini, ius ad hæreditatem diuinam perperam indè colligitur per illam Dei Filium conſtitui. Quod dicas; ius ad hæreditatem fundatum in communicatione naturæ conuerti cum filiatione; ius autem competens Chriſto ad hæreditatem diuinam, ratione gratiæ habitualis, in communicatione, vel participatione naturæ diuinæ fundatur; & conſequenter eſt ius filij. Conſtabit ex dicendis ad vltimam probationem ſequelæ.

42 *Reſpondetur ſecundo.* Vel ſecundo reſponderi poteſt ad tertiam ſequelę probationem, diſtinguendo maiorem: ius ad hæreditatem primo competens ſubiecto, & filiatio conuertuntur, tranſeat maior: ius non primo competens, ſed aliud ſupponens, & ad illud conſecutum, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam ius Chriſto præſtitum à gratia habituali, non eſt primum ius ad diuinam hæreditatem, ſed ſupponens illud nempè, illud, quod Chriſto, vt homini, conuenit per gratiam vnionis; ideoque non infert filiationem in Chriſto præſtitam à gratia habituali, vel ſuper illam fundatam, quæ ſolutio eſt D. Thomæ in 3. *Sentent. diſt.* 10. *q.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 4. *argum.* quod ita procedebat: *Per inhabitationem Spiritus Sancti homo efficitur filius adoptiuus; ſed ſuper Chriſtum requieuit Spiritus Sancti, vt dicitur Iſaiæ* 11. *Ergo ipſe debet dici filius adoptiuus.* Cui argumento his verbis reſpondet: *Ad quartum dicendum, quod alijs hominibus per Spiritum Sanctum inhabitantem acquiritur ius in hæreditate cæleſti de nouo, quod in eis non competit per naturam, ſicut filio Dei competit; vndè per Spiritum Sanctum inhabitantem, non dicitur adoptari.*

S. Tho.

43 *Ad vltimã probationem reſpõdetur.* Ad vltimam ſequelæ probationem reſpondeo negando maiorem. Ad cuius primam probationem diſtinguo maiorem: ideo homines iuſti ſunt ſpiritualiter geniti, quia participant naturam diuinam ſub conceptu naturæ, & ad modum naturæ, concedo maiorem: præcisè, quia participant naturam diuinam ſub conceptu naturæ nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet per gratiam habitualem conueniat Chriſto, vt homini, natura Dei ſub conceptu naturæ participatæ, non tamen communicatur illi ad modum naturæ, ſed ad modum proprietatis conſequentis gratiam vnionis, illamque præſupponentis; & ideo Chriſtum, vt hominem, non conſtituit ſpiritualiter genitum. Quæ doctrina fundamentum habet in alia D. Thom. *infra quæſt.* 23. *art.* 4. *ad* 2. illis verbis: *Gratia autem habitualis in Chriſto non facit de non filio filium adoptiuum, ſed eſt quidam effectus filiationis in anima Chriſti, ſecundum illud* Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Quibus verbis apertè Angelicus Doctor inſinuat, ideo gratiam habitualem, non conſtituere Chriſtum, vt hominem, filium adoptiuum Dei: quia conſequitur ad gratiam vnionis: ergo eadem ratione, non conſtituet Chriſtum ſpiritualiter genitum.

S. Tho.

44 *Nõ obſtat quod non conſequatur phyſicè.* Nec obſtat, quod gratia habitualis, non conſequatur ad gratiam vnionis per dimanationem phyſicam, ſed tantum moralem; vndè fit per actionem infuſiuam diſtinctam ab actione vnitiua humanitatis ad Verbum. Non, inquam, obſtat; cum enim generatio ſpiritualis, non phyſica, ſed moralis generatio ſit, conſecutio moralis formæ per illam productæ, tollit quod ſubiectum, cui infunditur, conſtituat ſpiritualitèr genitum; ſicut conſecutio per modum proprietatis phyſicæ obſtaret rationi phyſicæ generationis, etiam ſi actio diſtincta intercederet, vt plures intercedere docent in dimanatione phyſica proprietatum ab eſſentia.

45 *Nec iterũ obſtat.* Nec iterum obſtat, ſi dicas; gratiam habitualem in nobis conſequi moraliter ad diſpoſitiones præuias vltimo diſponentes ad illam; & tamen hoc non obſtante nos conſtituit ſpiritualiter genitos, & filios ergo conſecutio tantum moralis formæ participantis conceptum naturæ, non tollit ab illa, quod ſubiectum, cui infunditur conſtituat ſpiritualiter genitum, & quod infuſio illius rationem ſpiritualis generationis ſortiatur. *Reſpondetur.* Non, inquam, obſtat, propter diuerſum modum conſecutionis; nam gratia iuſtificans, conſequitur in nobis ad diſpoſitiones præuias, non vt pure effectus, ſed vt illarum finis, eas ſibi ſubordinando; ad vnionem vero hypoſtaticam conſequitur, non vt finis, ſed vt effectus illius; vndè vltimus terminus prædeſtinationis Chriſti eſt, eſſe per gratiam vnionis factam humanitati Filium naturalem Dei, & ſi conſequi eſt per modum proprietatis ſe habere, quod impedit, ne forma communicata, eſto natura, ſic communicetur per modum naturæ, & quod genitum, & Filium conſtituat.

Sed dices; non minus eſt de ratione formæ ſanctificantis, eſſe primam radicem donorum ſupernaturalium, quam de ratione formæ conſtituentis genitum, eſt, quod ſit prima; ſed quod gratia habitualis in Chriſto prima radix non ſit donorum ſupernaturalium, ſed priorem radicem ſupponat, nempè, gratiam ſubſtantialem vnionis, non tollit quod ſanctificet Chriſtum, vt hominem: ergo quod ad filiationem naturalem Chriſti ad modum proprietatis ſequatur, ideoque prima non ſit, non impedit, quod Chriſtum, vt hominem, conſtituat ſpiritualiter genitum. 46 *Obijcies.*

Reſpondeo, negando maiorem. Nam de ratione formæ ſanctificantis, ſolum eſt eſſe primam radicem poſitiuè, & in re; non autem eſſe primam negatiuè, & in modo ſe habendi, & terminandi actionem agentis: & quia gratia habitualis in Chriſto eſt prima poſitiuè, & in re, quatenus eſt radix donorum ſupernaturalium, & intuitu, cuius ratione ſui, abſque reſpectu ad aliud quodcumque donum, Deus animæ Chriſti gloriam poteſt conferre, ideo quamuis aliam priorem ſanctitatem præſupponat, rationem formæ ſanctificantis ſortitur, & de facto animam Chriſti ſanctificat; de ratione autem formæ terminantis generationem, & genitum conſtituentis, non ſolum eſt, quod in re ſit natura participata à natura generantis, ſed etiam, quod per ſe primo intendatur et natura; vndè, quamuis Spiritui ſancto natura diuina per proceſſionem communicetur; quia tamen non per ſe primo intenditur ſub conceptu naturæ; ideò illius proceſſio generatio non eſt. Et quia, cum per modum proprietatis producitur aliqua forma, non intenditur per ſe primo, ſed ex fine illius ad quod conſequitur et proprietas; ideo quamuis ſit natura, generationem non terminat, nec conſtituit genitum ſubiectum, cui communicatur. Et ex his conſtat ſolutio ad ſecundam probationem maioris: Falſum enim eſt antecedens, quod aſſumit, nempè, non poſſe dari actionem naturalem terminatam ad naturam ſub conceptu naturæ, quæ naturalis generatio, non ſit, cuius doctrinæ falſitas, conſtat in actione, per quam Spiritus Sanctus procedit; terminatur enim ad naturam diuinam, vt Spiritui Sancto communicatam; & tamen generatio naturalis non eſt, ob rationem proximè aſſignatam. 47 *Reſpondetur.*

Sed adhuc inſtabis, & aduerſus iſtam ſolutionem obijcies; prima gratia iuſtificans, per accidens in aliquo caſu à Sacramento Euchariſtiæ, collata, conſtituit ſubiectum, cui datur ſpiritualiter genitum; alias homo illam recipiens Filius Dei adoptiuus non eſſet, quod nullus Theologorum aſſerit; & tamen non intenditur per ſe; cum ſolum per accidens à Sacramentis viuorum poſſit prima gratia conferri vt fatentur omnes Theologi: ergo; quod gratia iuſtificans per ſe primo, non intendatur in humanitate Chriſti, ſed ad aliud ordinetur, nempè, ad gratiam ſubſtantialem vnionis, cuius eſt moralis proprietas, non tollit, quod Chriſtum, vt hominem, ſpiritualiter genitum, & filium conſtituat. 48 *Inſtabis.*

Reſpondeo primo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: non intenditur per ſe negatiuè, nego minorem: 49 *Reſpondetur* 1. non intenditur per ſe poſitiuè, tranſeat minor, & nego conſequentiam. Per ſe negatiuè intenditur gratia prima iuſtificans, caſu, in quo per accidens per Sacramentum Euchariſtiæ confertur, quia non ordinatur ad aliud, & hoc ſufficit, vt homo illam recipiens conſtituatur ſpiritualiter genitus; at vero gratia habitualis iuſtificans, humanitati Chriſti collata, adhuc negatiuè, non intenditur per ſe, hoc eſt, ratione ſui, ſed per aliud, & ratione ulterius, ad quod ordinatur, nempè ratione gratiæ ſubſtantialis vnionis; ideoque Chriſtum, et hominem, non conſtituit ſpiritualiter genitum, nec illius infuſio in humanitate Chriſti, eſt ſpiritualis generatio.

Vel ſecundo reſpondetur, conceſſa etiam maiori, diſtinguendo minorem: non intenditur per ſe ex vi ſignificationis Sacramenti, concedo minorem: non intenditur 50 *Reſpondetur ſecundum.*

per

per ſe ex vi eleuationis, qua tunc ad cauſandam gratiam eleuatur à Deo, nego minorem, & conſequentiam.

51 *Reſpondetur tertiò.* Vel tertiò reſpondetur aliter diſtinguendo minorem: non intenditur per ſe ex vi Sacramenti, concedo minorem: non intenditur per ſe à Deo gratiam infundente, nego minorem, & conſequentiam. Nam licet Sacramentum Euchariſtiæ, non ſit per ſe inſtitutum ad primam gratiam conferendam, ſed ad augmentum gratiæ præſtandum; & conſequenter, caſu, in quo prima gratia per ipſum confertur, non intendatur per ſe ex vi Sacramenti, à Deo tamen gratiam principaliter infundente, per ſe in tali caſu prima gratia iuſtificans, intenditur: & hoc ſufficit, vt actio infuſiua gratiæ ſit ſpiritualis generatio, & gratia infuſa conſtituat ſpiritualiter genitum.

---

§. V.

Vltimum argumentum diluitur.

52 *Deinique arguitur.* DEnique arguitur; non minus opponuntur inter ſe, eſſe ſanctum per eſſentiam, & eſſe ſanctum per participationem, quam eſſe Filium naturalem, & Filium adoptiuum Dei; ſed quia Chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei naturalis, non eſt, vt homo, Filius adoptiuus Dei, vt tenet communis Theologorum ſententia *infra q. 23. art. 4.* ergo cum ſit ſanctus per eſſentiam, non poteſt eſſe ſanctus per participationem; & conſequenter, nec habitualem gratiam recipere, cuius effectus formalis primarius eſt, conſtituere hominem iuſtum, participatiuè Deum, & ſanctum per participationem formalem ſanctitatis diuinæ.

53 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando maiorem. Cum enim ſanctitas conueniat ſuppoſito ratione naturæ, ad denominationem ſancti per eſſentiam, & ſancti per participationem; ſufficit diuerſitas naturarum in eodem ſuppoſito, vt ſecundum vnam, ſanctum per eſſentiam ſit, & ſecundum aliam ſit ſanctum per participationem; filiatio autem non conuenit ſuppoſito ratione naturæ, ſed ratione ſui; vndè ad filiationem adoptiuam, & naturalem, non ſufficit naturarum diuerſitas, ſed requiritur realis ſuppoſitorum diſtinctio: & quia in Chriſto, cum vnitate ſuppoſiti, eſt diuerſitas naturarum; fit, vt poſſit eſſe ſanctus per eſſentiam ſecundum vnam naturam, & ſecundum aliam ſanctus per participationem; non autem poſſit eſſe Filius adoptiuus, & Filius naturalis Dei. Ita D. Thom. *in 3. Sentent. diſt. 13. quæſt. 1. art. 1. ad 1.* S.Tho. vbi cum ſibi obiiciſſet: *Sicut ſe habet filiatio adoptiuis ad filiationem naturalem, ita ſe habet bonitas gratuita bonitatem naturalem; ſed Chriſtus, ſicut ex vnione habuit quod eſſet filius naturalis, ita habuit, quod eſſet naturaliter bonus: ergo ſicut non ponitur in eo filiatio adoptionis, ita non debet poni bonitas gratuita:* his verbis reſpondet: *Ad primum dicendum, quod filiatio refertur ad perſonam: & quia extraneitas reſpectu diuinæ gloriæ, quam nomen adoptionis importat, nullo modo conuenit perſonæ illi; ideò nomen adoptionis de Chriſto non conceditur, ſed gratia eſt perfectio naturæ cum ſubiectum eius ſit anima, quæ eſt pars humanæ naturæ, ideo quamuis gratia importet aliquid non naturaliter inhærens; tamen poteſt rationi humanæ naturæ Chriſti conuenire.*

54 *Obiiciet.* Sed dices, in Chriſto eſt tantum vnum ſuppoſitum; & tamen in illo duplex filiatio inuenitur, vna æterna, per quam refertur ad Patrem, & alia temporalis ad Matrem, ratione cuius Filius eſt Beatiſſimæ Virginis; etſi hæc ſecunda relatio, non realis, ſed rationis ſit, vt docet D. Thom. *infra q. 35. art. 5.* S.Tho. ergo filiatio, non dicitur de perſona ratione perſonæ, ſed ratione naturæ; & conſequentèr non incompatientur ſimul in eadem perſona ſubſiſtente in diuerſis naturis, filiatio naturalis, & filiatio adoptiua, admiſſo, vt admittimus, non eſſe incompatibiles in eodem ſuppoſito diſtinctas habente naturas, ſanctitatem per eſſentiam, & ſanctitatem participatam: vel è contra, ſi filiatio adoptiua, & filiatio naturalis, non poſſunt eidem conuenire ſuppoſito terminanti diuerſas naturas, nec ſanctitas per eſſentiam, & ſanctitas participata, poterunt in Chriſto inueniri ratione diuerſarum naturarum.

55 Reſpondeo conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam. Nam licet in Chriſto vna tantum ſit perſona, & filiatio conueniat perſonæ, non ratione naturæ, ſed ratione ſui immediatè; quia tamen vna Chriſti perſona, duas terminat naturas, poteſt ratione perſonalitatis, vt terminantis naturam diuinam ei conuenire filiatio æterna, & ratione eiuſdem, vt terminantis naturam humanam conuenire filiatio temporalis, qua refertur ad Beatiſſimam Virginem: tametſi hæc relatio, quia ineſt perſonæ immediatè, & perſona Chriſti, eſt incapax recipiendi realia accidentia, non realis, ſed rationis ſit, vt docet in allegatis locis D. T. Ratio autem cur hæc duplex filiatio poſſit vni perſonæ Chriſti competere, non autem filiatio naturalis, & filiatio adoptiua, eſt; quia filiatio temporalis ad Virginem, & filiatio æterna, qua refertur ad Patrem, cum ſint reſpectu diuerſorum terminorum, non habent prædicata repugnantia; filiatio autem adoptiua, cum petat extraneitatem in perſona adoptata, & hæc cum naturali filiatione eiuſdem perſonæ ſtare non poſſit; fit conſequens, quod nequeat cum perſonæ vnitate hæc duplex filiatio ſaluari. *Reſpondetur.*

Inſtabis; temporalis filiatio, & filiatio æterna habent prædicata eſſentialiter repugnantia reſpectu vnius perſonæ, vnam tantum terminantis naturam; & tamen reſpectu vnius perſonæ duas naturas terminantis, diuinam, nempè, & humanam, oppoſitionem non habent; cum ſimul Chriſto conueniant: ergo pariter filiatio naturalis, & filiatio adoptiua repugnabunt, & incompatientur ſimul in vna perſona, vnam tantum terminante naturam, non verò in vna perſona duas naturas terminante; & conſequentèr, quamuis perſona Chriſti ſit vna; quia tamen in duabus naturis ſubſiſtit, diuina, nempè, & humana, erit filius naturalis, vt ſubſiſtens in diuina, & filius adoptiuus, vt in humana ſubſiſtens natura. 56 *Inſtabis.*

Reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam id, in quo opponuntur filiatio temporalis, & filiatio æterna, nempè, in terminando æternam, & temporalem generationem, conuenit ſuppoſito, aut perſonæ ratione naturæ; vt enim Docet D. Thom. in *hac 3. p. infra q. 35. art. 1. in corpore, & art. 2. ad 3. argum.* terminare natiuitatem, ſeu generationem, conuenit perſonæ ratione naturæ: & quia in Chriſto eſt duplex natura cum vnitate perſonæ, vna ab æterno communicata, & alia producta in tempore; conſequens fit, quod oppoſitio, quæ inter filiationem æternam, & filiationem temporalem verſatur non ſit reſpectu vnius perſonæ, niſi vt vnam terminantis naturam, & quod Chriſto, ratione duarum naturarum, duplex iſta filiatio conuenire poſſit: extraneitas autem, quam adoptio petit in adoptato, & ratione cuius pugnat cum filiatione naturali, petit perſonæ, non ratione naturæ, ſed ratione perſonalitatis competere: & quia in Chriſto non datur, niſi vna tantum perſona, & hæc non eſt, nec dici poteſt extranea ab hæreditate diuina; conſequens fit, quod ei repugnat adoptio & filiatio adoptiua, quamuis duæ in illo reperiantur naturæ. 57 *Reſpondetur.* S.Tho.

Sed contra iſtam ſolutionem vrgebit aliquis primò; nam eo ipſo, quod generatio conueniat ſuppoſito ratione naturæ, etiam filiatio, ratione naturæ illi conuenit; tùm, quia filiatio ſequitur generationem, vt fundamentum ſui: relatio autem, & fundamentum relationis in eiſdem principijs conueniunt, & conſequuntur. Tùm etiam quia ſicut eſſe filium eſt tantum ſubſiſtentis: ita etiam eſſe genitum tantum ſubſiſtentis eſt. Tùm tertiò, quia ſicut natura non dicitur filia, ita nec genita dicitur, quo non obſtante perſonæ conuenit ratione naturæ. Tùm denique, quia nulla poteſt diſcriminis ratio aſſignari inter eſſe genitum, & eſſe filium, vt proximum ratione naturæ conueniat; ſecus autem ſecundum. Sed eo ipſo, quod filiatio conueniat ſuppoſito, ratione naturæ adeſt in Chriſto capacitas ad filiationem adoptiuam, & filiationem naturalem: ergo eo ipſo, quod terminare natiuitatem competat perſonæ ratione naturæ, & ob hanc cauſam detur in Chriſto capacitas ad filiationem temporalem, & filiationem æternam, admitti etiam debet capacitas ad filiationem adoptiuam in Chriſto, non obſtante filiatione naturali. 58 *Vrgebis primò.*

Secundò; nam eſto filiatio competat ſuppoſito ratione ſui, & non ratione naturæ, poſſunt aliqua enata à filiatione ſuppoſito, non ratione ſui, ſed ratione naturæ competere; vt patet in temporalitate à filiatione temporali petita, quæ perſonæ Chriſti conuenit, non ratione ſui, ſed ratione humanitatis, illi temporaliter vnitæ: ergo quamuis filiatio adoptiua petat extraneitatem in ſubiecto adoptato, 59 *Secundò.*

ptata,

peato, poterit iſta extraneitas perſonæ adoptatæ competere, non ratione perſonalitatis, ſed ratione naturæ: cumq; in Chriſto extraneitas detur ratione naturæ humanæ, erit in illo ad filiationem adoptiuam capacitas.

60 *Tertiò.* Tertio; nam extraneitas ad filiationem adoptiuam petita, ſufficit, quod ſit extraneitas naturæ: ergo filiatio adoptiua, & filiatio naturalis, non pugnat in eadem perſona duas terminante naturas. Conſequentia ex dictis tenet. Antecedens autem probatur, nam eo modo requiritur extraneitas ad filiationem adoptiuam, quo exigitur intraneitas ad filiationem naturalem; ſed ad hanc ſufficit intraneitas ratione naturæ: ergo ad illam extraneitas naturæ, aut ratione naturæ ſufficit. Conſequentia eſt bona. Maior conſtat à paritate rationis. Minor autem oſtenditur primo; nam Chriſtus Dñs eſt verè, & propriè Filius naturalis Beatiſſimæ Virginis, vt fides docet; & tamen in Chriſto, non eſt intraneitas cum Beatiſſima Virgine, ratione perſonalitatis, ſed tantum ratione humanæ naturæ, cum ſolum ratione illius detur inter Chriſtum, & Virginem vniuoca conuenientia: ergo intraneitas ad filiationem naturalem exacta, non eſt neceſſarium, quod conueniat ſuppoſito ratione ſubſiſtentiæ, ſed ſufficit, quod ſuppoſito competat ratione naturæ. Secundo probatur minor; nam intraneitas à filiatione naturali petita, eſt ius naturale ad Patris hæreditatem; ſed Verbo Diuino, non conuenit ius naturale ad hæreditatem Patris, ratione perſonalitatis, ſed ratione naturæ diuinæ: tùm, quia aliàs, non ſolum natura diuina, ſed etiam perſonalitate propria ſanctificaretur formaliter, cuius contrarium *diſp. praced.* docuimus. Tùm etiam quia hæreditas diuina, vtpotè in operatione conſiſtens, non poteſt ſuppoſito, niſi ratione naturæ competere, quæ ſola eſt principium operandi: ergo intraneitas à filiatione naturali petita, ſufficit, quod conueniat ſuppoſito ratione naturæ.

61 *Denique.* Denique impugnatur ſolutio; nam extraneitas ad filiationem adoptiuam exacta, eſt carentia debiti connaturalis hæreditatis Paternæ; ſed in Chriſto, vt homine, eſt carentia debiti connaturalis hæreditatis diuinæ: ergo eſt in illo extraneitas ad filiationem adoptiuam ſufficiens. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur, etenim Chriſtus, vt homo, eſt ſubiectum capax gratiæ, ſeu beneficij gratiosè collati à Deo: ergo in Chriſto, vt homine, eſt carentia debiti connaturalis hæreditatis diuinæ. Conſequentia patet; cui namq; hæreditas diuina debetur, debentur etiam omnia, quæ ad illam conducunt, cum quo debito non poteſt capacitas, gratiæ componi: ergo ſi in Chriſto, vt homine, datur ad gratiam capacitas, non eſt illo, prout ſic debitum connaturale hæreditatis diuinæ. Antecedens autem probatur; nam Chriſtus, vt homo, eſt ſubiectum propriæ prædeſtinationis, vt do-
S. Thom. cet D. Thom. *infra quæſt.24.art.1. & 2.* ſed ſubiecto prædeſtinato conuenit ex gratia terminus prædeſtinationis, vt *ibidem* à communi Theologorum docetur: ergo Chriſtus, vt homo, & quatenus in humanitate ſubſiſtens, eſt ſubiectum capax gratiæ, ſeu beneficij gratiosè collati à Deo.

---

§. VI.

Singularis doctrina Vincentij refertur, & impugnatur.

62 *Ad primam obiectionem reſpondet Vincent.* VT PRIMAM ex his obiectionibus dilueret Magiſter Vincentius *relectione de Gratia Chriſti q.1. pag. 127. & ſeqq.* communi D. Thom. interpretatione impugnata, ſingularem aggreſſus eſt viam dicens, filiationem conuenire ſuppoſito ratione naturæ terminantis generationem, & per illam productæ, vt ſubiecti *quo* formalis, non autem ratione naturæ, quæ generationem non terminat. Et quia humana Chriſti natura, non fit per ſpiritualem generationem producentem gratiam habitualem, ſed ſola habitualis gratia per talem actionem producitur; fit conſequens, quod ſi adoptiua filiatio competeret Chriſto, non conueniret illi ratione naturæ humanæ, vt ſubiecti *quo* formalis, ſed ratione habitualis gratiæ, quæ eſt natura per prædictam actionem producta; & conſequentèr filiatio immediatè Diuino Verbo competeret per excluſionem humanitatis mediantis, non verò excludendo gratiam; vndè neceſſarium eſſet, quod gratia, vt fundans filiationem adoptiuam, immediatè referretur ad diuinum Verbi ſuppoſitum ratione ſui, & non ratione naturæ humanæ, & quod ei ratione ſui gratia, non ex debito, ſed gratiosè conueniret; & conſequenter etiam neceſſarium eſſet, quod ratione ſui, & non ratione humanæ naturæ eſſet extraneum à diuina hæreditate. Cumque hæc omnia pugnent cum ſana doctrina, fit, vt filiatio adoptiua ratione gratiæ habitualis, Chriſto, etiam vt homini, competere minimè poſſit.

Quod ſi in contrarium obijcias; gratiam habitualem, vtpotè accidens reale, non conuenire Chriſto immediatè & ratione ſuppoſiti; aliàs realiter mutaretur per gratiam in ſe receptam, ſed mediatè, & ratione humanæ naturæ, vt immediati ſubiecti: ergo ſi gratia habitualis relationem filiationis fundaret, talis relatio non immediatè, ſed mediante humanitate Diuino Verbo competeret. Patet conſequentia; nam relatio ſuper aliquam formam fundata, conuenit ratione illius; & conſequenter ſi gratia prædictam relationem fundans conuenit Chriſto ratione naturæ humanæ, etiam relatio fundata, ratione humanitatis Chriſto conueniet. 63 *Si in contrarium illi opponatur.*

Reſpondeo; gratiam habitualem conſiderari poſſe dupliciter: primo in ratione qualitatis ſibi, & alijs accidentibus communi: ſecundo ſub conceptu naturæ diuinæ participatæ, & ſub prima conſideratione ſupponere formaliter naturam humanam, & ad ſuppoſitum Verbi, non niſi mediatè, & ratione humanitatis referri; ſub ſecunda verò conſideratione comparari ad ſuppoſitum Verbi immediatè, & omninò materialitèr cum humanitate in Verbo coincidere; ſicut ſi modò Verbum humanitati vnitum, ſimul cum humanitate Angelicam terminaret naturam, hæc ad ſuppoſitum Verbi immediatum ordinem diceret, omninò materialitèr humanitate ad illam ſe habente; quando enim duæ naturæ eidem copulantur ſuppoſito, vna non eſt alteri ratio conueniendi ſuppoſito ſed vtraque immediatè comparatur cum illo, & inter ſe materialitèr ſolum. Ita, inquit, diſcurrendum eſt de gratia conſiderata ſub conceptu naturæ diuinæ participatæ, quod, nempè, immediatè ad ſuppoſitum Verbi comparatur, de materiali humanitate ſe habente; licet conſiderata in ratione accidentis, non immediatè, ſed mediatè comparetur ad Verbum ratione humanæ naturæ. 64 *Reſpondetur.*

Huius tamen acutiſſimi, paritèr, ac doctiſſimi Magiſtri doctrina, quam ex ipſo accepit Cabrera *infra q.23. art.4. diſputat.1.* ſubtilitèr magis, quam ſolidè excogitata videtur. Et reijcitur primò ex D. Thom. *infra q.35. art.5.* vbi docet, relationem filiationis Chriſti ad Beatiſſimam Virginem, non realem, ſed rationis eſſe: quia immediatè inhæret ſuppoſito Chriſti, cui accidentia realia recipere immediatè, repugnat; at ſi natura generationem terminans eſſet ſubiectum *quo* relationis filiationis, & non reciperetur omninò immediatè in ſuppoſito, ratio hæc D. Thom eſſet nulla: ergo natura generationem terminans, non eſt ſubiectum *quo* relationis filiationis in doctrina D. Thom. & conſequenter cum illa non poteſt tradita ſolutio ſubſiſtere. Probo manifeſtè minorem: non enim repugnat ſuppoſito Verbi eſſe ſubiectum *quod* immediatum accidentis realis, mediante humanitate, vt ſubiecto *quo* formali; vt enim docet idem D. Thom. *quæſt. allegata art.1. & 2.* generatio Chriſti ex Virgine realis generatio eſt, & in ſuppoſito Verbi immediatè vt *quod*, recipitur humanitate, vt ſubiecto *quo* mediante; ſed ſi relatio filiationis reciperetur in ſuppoſito media natura terminante generationem, relatio filiationis Chriſti ad Beatiſſimam Virginem reciperetur in Verbo mediante humanitate, vt ſubiecto *quo* formali; cum humanitas generationem ex Virgine terminet: ergo non eſſet rationis, ſed vera, & realis relatio; & conſequenter cum D. Thom. docet, filiationem recipi immediatè in ſuppoſito, loquitur de immediatione, non ſolum vt *quod*, ſed etiam vt *quo* per excluſionem naturæ terminantis generationem, vt ſubiecti *quo* formalis relationis filiationis. 65 *Reijcitur primò.*

Reſpondebis; generationem reſpicere humanitatem vt ſubiectum, non ſolum *quo*, ſed etiam *quod* immediatum inhæſionis, licet ſuppoſitum, vt ſubiectum *quod* denominationis reſpiciat; ideoque poſſe, quamuis reale accidens ſit, conuenire ſuppoſito Chriſti, abſque illius mutatione: filiatio autem, ſolum tanquam ad ſubiectum *quo* inhæſionis, comparatur ad naturam; vndè ſuppoſitum reſpicit, vt ſubiectum *quod* immediatum inhæſionis per 66 *Reſpondebis.*

ex-

excluſionem ſubiecti immediati *quod*; ſuppoſitum autem Verbi eſt incapax in ſe recipiendi accidens reale per modum ſubiecti *quod*, ratione ſui immutabilitatis, & idcirco relatio filiationis ad Virginem, realis in Chriſto eſſe nequit.

67 *Sed contra.* Sed contra; nam iuxta iſtam ſolutionem, ex eo quod generatio in natura recipiatur, vt in ſubiecto inhæſionis immediato, non ſequitur relationem filiationis eodem modo cum natura comparari; quando quidem, vt in ſolutione aſſeritur, relatio filiationis omnino immediatè ineſt ſuppoſito Verbi; ideoque realis non eſt, ſed rationis: ergo diuerſa eſt ratio filiationis, & generationis, etiam ſi filiatio ad generationem, vt ad fundamentum ſequatur; & conſequenter, ex eo quod generatio ad naturam comparetur, vt ad terminum formalem, & vt ad ſubiectum *quo*, & filiatio ad illam ſequatur, vt fundamentum, non infertur filiationem debere conuenire naturæ generationem terminanti, vt ſubiecto *quo* formali; qua ſola ratione fuit conuictus Vincentius, vt communem Thomiſtarum doctrinam relinqueret, & nouam excogitaret.

68 *Deinde reijcitur.* *S.Tho.* Deindè reijcitur, ex eodem D. Tho. *infra q. 23. art. 4. ad 3.* ibi: *Dicendum, quod eſſe creaturam, vel etiam ſeruum, vel ſubiectum ad Deum, non ſolum reſpicit perſonam, ſed etiam naturam, quod non poteſt dici de filiatione*: ergo iuxta Diuum Thomam, aliter comparatur filiatio ad ſuppoſitum, quoad rationem immediationis, atque comparatur relatio ſeruitutis, & ſubiectionis ad Deum; ſed hæc comparatur ad ſuppoſitum mediante natura terminante creationem, aut productionem, vt ſubiecto *quo* formali: ergo filiatio comparatur immediatè ad ſuppoſitum immediatione excludente naturam terminantem generationem, vt ſubiectum *quo* formale; aliàs nullum erit diſcrimen à D. T. ſtatutum inter filiationem, & ſeruitutem, in comparatione ad ſuppoſitum.

69 *Tertiò reijcitur.* Tertiò, nam ſi natura terminans generationem, eſſet ſubiectum formale *quo* relationis filiationis, quæ ſtrictè filiatio eſt, natura rationalis terminans productionem diuinam eſſet ſubiectum formale, *quo* relationis filiationis, non ſtrictæ ſupra creationem fundatæ, qua rationales creaturæ Dei Filij dicuntur ad differentiam creaturæ irrationalis in qua non imago Dei, ſed veſtigium reperitur; conſequens eſt falſum, & contra D.Tho. *infra q. 32. art. 3.* ergo natura terminans generationem, non eſt ſubiectum formale *quo* relationis filiationis, quæ ſtrictè filiatio eſt. Sequela patet à paritate rationis. Minor autem probatur; nam D. Thom. *in corpore illius articuli* probat, Chriſtum non poſſe dici Filium Dei ratione creationis: quia ratione generationis æternæ eſt Filius Dei ſecundum perfectam filij rationem, & non ſtat, dici de aliquo ſecundum rationem imperfectam id, quod de illo ſecundum rationem perfectam prædicetur, ſed ſi filiatio fundata in creatione diceretur de ſuppoſito media natura creationem terminante, nullum eſſet inconueniens, quod diceretur de Chriſto, eſto ſit filiatio imperfecta: ergo iuxta D. Tho. prædicta filiatio, non dicitur de ſuppoſito mediante natura terminante creationem, vt ſubiecto *quo* formali. Minor in qua eſt difficultas, probatur: nam licet de eodem ſecundum vnam, & eandem rationem, non poſſit aliquid prædicari ſecundum perfectam, & imperfectam rationem; de eodem tamen ſecundum diuerſas rationes, & naturas nihil obſtat ſic enunciari; vt conſtat ex eodem D. Tho. in ſanctitate per eſſentiam, & ſanctitate per participationem, quæ duæ ſanctitates, etſi vna perfecta, & alia imperfecta ſit, de Chriſto prædicantur ſecundum diuerſas naturas; at ſi filiatio in creatione fundata, diceretur de ſuppoſito, ratione naturæ terminantis creationem, eſſe filium hoc genere filiationis, enunciaretur de ſuppoſito Verbi, ratione naturæ humanæ, & eſſe filium perfectè, prædicaretur de illo ratione naturæ diuinæ: ergo non obſtante perfecta ratione filij conueniente ſuppoſito Verbi ratione generationis æternæ, poſſet etiam dici Filius Dei, filiatione in creatione fundata, ſi filiatio non comparatur immediatè ad ſuppoſitum, ſed mediante natura terminante generationem.

70 *Denique impugnatur ſolutio.* Denique reijcitur; nam licet duæ naturæ, quarum quælibet eſt prima ſimpliciter, & alteri non ſubordinata, quando ab eodem terminantur ſuppoſito, materialitèr ſolum coincidant, & vtraque ad ſuppoſitum immediatè comparetur, vt conſtat in exemplo, quo vtitur Magiſter Vincentius, naturæ humanæ, & Angelicæ; quando tamen vna illarum, non eſt prima ſimpliciter, & alteri ſubordinatur, non coincidunt materialitèr, ſed vna ad ſuppoſitum mediante alia comparatur; ſed gratia habitualis, non eſt prima ſimpliciter ſub conceptu naturæ, & prout ſic ſubordinatur naturæ rationali: ergo non comparatur ad ſuppoſitum Verbi immediatè, etiam ſub conceptu naturæ, ſed mediante humanitate.

Minor, in qua eſt difficultas, oſtenditur primo: nam illa eſt natura prima ſimpliciter, quæ dat primum poſſe, aliud poſſe non ſupponens; ſed gratia habitualis, non dat primum poſſe, aliud poſſe non ſupponens; aliàs vnita immediatè ſuppoſito creato, vel increato, illud conſtitueret potens radicaliter videre, & amare Deum, abſque indigentia naturæ intellectualis ſubſtantialis eidem ſuppoſito vnitæ: ergo gratia etſi natura ſit, non tamen eſt prima ſimplicitèr, ſed aliam priorem naturam ſupponit. 71 *Minor probatur primò.*

Secundo probatur; nam catenus gratia obtinet rationem naturæ, quatenus eſt radix videndi, & amandi Deum; ſed prout ſic ſubordinatur rationali naturæ, illamque eſſentialiter ſupponit; aliàs naturæ, irrationali vnita præſtaret poſſe radicaliter videre, & amare Deum: ergo gratia ſub conceptu naturæ ſubordinatur naturæ rationali ſubſtantiali, vt ſubiecto, illamque eſſentialiter præſupponit; & conſequenter, non eſt natura prima ſimpliciter, ſed aliam præſupponens naturam. 72 *Secundò.*

Tertio eadem minor probatur; nam de facto gratia habitualis vnitur ſuppoſito Verbi ſub conceptu naturæ ordinis ſupernaturalis; & tamen non vnitur illi immediatè, ſed mediante humanitate; aliàs non ſanctificaret humanitatem Chriſti; cum non præſtaret illi poſſe radicaliter Deum videre, & amare in quo ſanctificatio conſiſtit: ergo gratia habitualis, etiam ſub conceptu naturæ, non comparatur immediatè ad ſuppoſitum, ſed mediante humanitate. 73 *Tertiò.*

Denique probatur minor; nam eo modo gratia habitualis dat poſſe radicale, quo facultates ordinis ſupernaturalis tribuunt poſſe proximum in ordine ad operationem; ſed poſſe proximum à charitate, v.g. præſtitum eſſentialiter ſupponit voluntatis actiuitatem, & mediante voluntate vnitur animæ rationali; aliàs habitus charitatis ſine media voluntate poſſet dare proximam facultatem amandi: ergo poſſe radicale à gratia habituali proueniens, eſſentialiter præſupponit actiuitatem remotam naturæ intellectualis, eique ſubordinatur tanquam ſubiecto eleuabili, & non niſi illa mediante poteſt ſuppoſito vniri. 74 *Denique.*

---

§. Vltimus.

Obiectionibus factis occurritur.

QVare omiſſa ſolutione Vincentij, ad primam obiectionem reſpondeo, negando maiorem; quam non conuincit prima probatio; nam licet fundamentum, & relatio fundata petant eidem conuenire ſubiecto, non tamen petunt ratione eiuſdem conuenire, quando diſpar eſt inter vtrumque ratio, vt in præſenti contingere, ex *proximè* dicendis conſtabit. Vel ſecundo: quia filiatio fundatur in generatione, vt dante denominationem perfectam geniti, quam ſolum tribuit ſuppoſito; & ideo filiatio ſoli ſuppoſito conuenit, & illi ineſt immediatè. Nec ſecunda probatio conuincit, nam eſſe genitum dupliciter ſumitur terminatiuè, ſcilicet, & ſubiectiuè: primo modo conuenit ſuppoſito ratione naturæ: ſecundo modo ratione ſui, vt docet D. Thom. *infra q. 35. art. 1.* eſſe autem Filium ſolum ſubiectiuè dicitur; & ideò ſoli ſuppoſito conuenit. Nec tertia probatio vrget; nam licet natura, non dicatur genita vt *quod*, dicitur genita vt *quo* filia autem nullatenus dicitur. 75 *Occurritur primæ obiectioni* *S.Thom.*

Nec denique quarta probatio conuincit; nam eſt duplex ratio diſcriminis. Prima, quia cum generatio ſit via ad eſſe ſpecificatur à termino formali; terminus autem formalis illius eſt forma, vel natura geniti; & conſequenter conuenit compoſito, aut ſuppoſito ratione formæ, aut naturæ, generationem vt *quo* terminantis; filiatio autem non eſt via ad eſſe, ſed eſſe completum ſupponit, in illoque recipitur, & ratione ſubſiſtentiæ, per quam na- 76 *Quarta probatio maioris non conuincit.*

tura in eſſe completus conuenit. Secunda deſumitur ex D. Thom. *quodlibet. 9. quæſt. 2. art. 4. propè finem corporis*, illis verbis: *Non enim poteſt dici, quod ſubiectum filiationis ſit ſuppoſitum æternum ratione humanæ naturæ, vel aliquius partis eius, ſicut dicitur ſubiectum mortis, vel paſſionis; quia ſic ipſa humana natura, vel pars eius eſſet primum ſubiectum filiationis, & denominaretur per ipſam, ſicut contingit de alijs accidentibus, quæ attribuuntur Chriſto ratione humanæ naturæ; filiatio verò nunquam denominat, niſi ipſum ſuppoſitum, nec poteſt aliud pro ſubiecto habere.* (S. Thom.)

77 Hæc D. Thomas. Ex quibus apertè conſtat, quod quando aliqua forma conuenit ſuppoſito ratione naturæ, tribuit naturæ aliquam denominationem: quia ergo filiatio nullam denominationem tribuit naturæ, benè tamen generatio; denominat enim illam genitam terminatiuè, & paſſiuè traſmutatam, ratione alicuius partis eius, nempè, ratione materiæ, quæ per generationem tranſmutatur nouam formam recipiendo conſequens fit, quod generatio competat ſuppoſito ratione naturæ, ſicut paſſio, & mors ſuppoſito Chriſti ratione naturæ conueniunt; eſſe autem Filium, non conuenit ſuppoſito ratione naturæ, ſed ratione ſui immediatè. Et hinc videmus Chriſtum terminare generationem realem in tempore, & ab illa denominari realiter genitum; non autem relatione reali filiationis, ſed relatione rationis, refertur ad Beatiſſimam Virginem, vt docet D. Thom. *infra q. 35. ar. 2. & 5.* quia, nempè, filiatio perſonam reſpicit, vt ſubiectum immediatum denominationis, & inhæſionis: ſecus autem generatio, quæ licet perſonam, vt ſubiectum denominationis reſpiciat, non tamen illam reſpicit, vt ſubiectum immediatum inhæſionis. (*Forma conueniēs ſuppoſito ratione naturæ aliquam denominationem tribuit naturæ.* — S. Thom.)

78 Quod ſi rationem petas, cur ſicut natura denominatur aliquo modo genita, non poſſit etiam dici aliquo modo filia? Reſpondeo duplicem eſſe rationem. Prima eſt, quia à nullo fuit ſic aliquando denominata, ex quo habetur filiationem talis conditionis eſſe, vt ſolum ſuppoſito ſuam tribuat denominationem, illique immediatè, & ratione ſui conueniat. Secunda eſt, nam *Generatio eſt proceſſio viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ*: & quia natura eſt aliquo modo viuens vt *quod*; ideo eſt, & dicitur aliquo modo genita; filiatio autem non eſt relatio aliquo modo geniti, ſed geniti ſecundum perfectam geniti denominationem; eo quod eſt perfectiſſimum in linea procedentium per generationem; vndè ſicut ob hanc cauſam, non poteſt natura denominari perſona: quia, ſcilicet, perſona eſt perfectiſſimum, quod inuenitur in rationali natura, ita & ob eandem cauſam, non poteſt denominari filia. Et quidem ſi natura poſſet dici perſona, vel filia, poſſet catholicè admitti in Chriſto duplex perſona diſtincta realiter; quod nullus catholicorum docebit. (*Duplex doctrina ratio aſſignatur.*)

79 Sed dices, Patri conuenit eſſe generantem, & Filio æternò eſſe genitum ratione naturæ diuinæ, cum hæc ſit in Patre principium *quo* radicale generandi, & in Filio ſit terminus *quo* generationis æternæ; & tamen generatio nullam præſtat denominationem naturæ diuinæ, vt in Patre, nec vt in Filio; alias conſtitueret Deitatem, in Patre generantem, & in Filio genitam conſtitueret; & conſequenter hæc propoſitio eſſet vera: *Deitas generat Deitatem*, quod abſurdum, & hæreticum eſt: ergo ſtat formam conuenire ſubiecto ratione alicuius prædicati, cui nullam denominationem tribuat; & conſequenter, ex eo quod filiatio nullam tribuat denominationem naturæ, ſed tantum ſuppoſito, malè probat Diuus Thomas, quod ſuppoſito immediatè conueniat, & non ratione naturæ. (*Obijcies.*)

80 Reſpondeo; concesſa maiori, negando minorem pro vtraque parte. Nec ſequitur Deitatem, in Patre eſſe generantem, & prout in Filio eſſe genitam, vt in obiectione infertur; nam præter denominationem generantis, & geniti eſt alia, quam tribuat diuinæ naturæ, nempè, prout in Filio eſſe communicatam per generationem, & prout in Patre, eſſe communicantem, quod veriſſimè dicitur; nam ſi non obſtat identitas Deitatis Filij cum Patre, vt dicatur Deitas à Patre, Filio communicata, nec etiam obſtare poterit identitas Deitatis Patris cum Filio, vt dicatur Deitas Patris communicans Filio Deitatem. (*Reſpondetur.*)

81 Replicabis; nam Deitas prout in Filio, non ſolum eſt ratio terminandi generationem ſub conceptu communicationis, ſed etiam ſub conceptu productionis: ergo ſub vtraque ratione conuenit Filio paſſiua generatio ratione diuinitatis. Et tamen Deitas prout in Filio, nullam ſuſcipit denominationem à generatione ſub conceptu productionis; alias in aliquo vero ſenſu, poſſet dici Deitas Filij realiter producta à Patre, & Deitas Patris realiter producens Filium; ergo ſtat formam conuenire ſubiecto ratione alicuius prædicati, cui nullam tribuat denominationem vt *quod*; ac proindè licet filiatio nullam tribuat denominationem naturæ, poterit ratione illius ſuppoſito conuenire. (*Replicabis.*)

82 Reſpondeo, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, & minoris ſubſumpta, negando ſecundam conſequentiam. Nam ratio productionis, & ratio communicationis in generatione æterna, non ſunt formalitates, aut eſſentiæ adæquatè diſtinctæ, ſed ſunt conceptus inadæquati generationis diuinæ; quando autem forma vni conuenit ratione alterius, non eſt neceſſarium, quod immediato ſubiecto omnem tribuat denominationem, ſed aliquam tantum; vndè vt Deitas in Filio ſit ei ratio terminandi generationem, non eſt neceſſarium, quod ab illa denominetur realiter producta, ſed ſufficit, quod denominetur per illam communicata; & vt Deitas in Patre ſit ratio cur ei generatio actiua conueniat, non eſt neceſſarium, quod à generatione actiua denominetur realiter producens, ſed ſufficit, quod denominationem communicantis à generatione ſuſcipiat. (*Reſpondetur.*)

83 Nec ſequitur, idem poſſe de filiatione dici; quod, nempè, conueniat ſuppoſito ratione naturæ, quamuis illam non denominet filiam per hoc, quod denominetur genita; nam filiatio, & generatio paſſiua in Deo non diſtinguuntur virtualiter adæquatè. Non, inquam, ſequitur; nam licet filiatio, & paſſiua generatio Verbi, non diſtinguantur virtualiter adæquatè, diſtinguuntur tamen adæquatè eminenter, vel æquiualenter; æquiualent enim generationi paſſiuæ creatæ, & relationi filiationis fundatæ ſuper illam, quæ ſunt eſſentiæ adæquatè diſtinctæ, vtpote pertinentes ad diuerſa prædicamenta; vndè ſicut in creatis, ex quibus argumentum ad diuina deſumimus, non ſufficit naturam aliquo modo genitam dici, vt filiatio recipiatur in illa: ita in Deo, vt filiatio ratione naturæ conueniat, non ſufficit, quod natura aliquam denominationem à generatione paſſiua recipiat: ratio autem communicationis, & ratio productionis non diſtinguuntur eminenter, aut æquiualenter adæquatè in generatione diuina, cum in generatione creata vtraque ratio inueniatur; ideoque, vt generatio paſſiua conueniat ratione naturæ ſufficit, quod naturam diuinam communicatam denominet, etſi non denominet illam productam. (*Non ſequitur idem poſſe de filiatione.*)

84 Ad ſecundam obiectionem dicatur, ea, quæ filiatio exigit ratione fundamenti, nempè, ratione generationis, vt eſt temporalitas, & conuenientia ſpecifica in natura, poſſe ſuppoſito ratione naturæ competere; quæ verò à filiatione petuntur ratione ſui in ſubiecto, quod denominat, debent ſuppoſito ratione ſui conuenire, & huius conditionis eſt extraneitas ad filiationem adoptiuam exacta. (*Ad ſecundam obiectionem reſpondetur.*)

85 Ad tertiam obiectionem reſpondetur, negando antecedens; cum enim immediatum ſubiectum filiationis ſit ſuppoſitum ſecundum id, quod dicit in recto requiritur ad filiationem adoptiuam extraneitas in ſuppoſito ſecundum ſubſiſtentiam, quam importat in recto, & non ſufficit extraneitas naturæ, quæ nec vt *quo*, neque vt *quod*, eſt ſubiectum filiationis. Ad antecedentis probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad primam illius probationem, conceſſa etiam maiori, negatur minor. Nam licet ſubſiſtentia Verbi, non habeat intraneitatem cum Beatiſſima Virgine ſumptam pro conuenientia in genere entis, habet tamen intraneitatem ſumptam pro exigentia, & iure connaturali ad illius hæreditatem; ſi enim hoc ius competeret creato ſuppoſito accipienti naturam ex Virgine, à fortiori competit Verbo eminentius terminanti naturam ex Virgine acceptam; & hæc ſecunda intraneitas ſufficit ad filiationem naturalem, vt contraponitur adoptiuæ. Ad ſecundam probationem dicatur, intraneitatem ad filiationem naturalem petitam, eſſe ius naturale, identicum, vel formale ad Patris hæreditatem; licet autem ius formale ad hæreditatem diuinam Verbo conueniat, ratione ſolius naturæ; ius tamen identicum, illi conuenit, ratione propriæ ſubſiſtentiæ, quæ cum ſit ſubſtantialiter identificata diuinitati, præſtat identicè ius ad hæreditatem Dei, & hoc ſufficit vt filiatio adoptiua excludatur; nam Filius adoptiuus eſt, qui ſolo affectu cum adoptante coniungitur hypoſtaſis autem (*Ad tertiam.*)

Verbi,

Verbi, identificata cum natura Patris, non ſolo affectu eſt cum illo coniuncta; ac proinde habet intraneitatem ex ratione ſui, a filiatione naturali petitam, & cum adoptiua pugnantem.

86 *Vltimæ obiectioni occurritur.*

Ad vltimam obiectionem, diſtinguo maiorem: eſt carentia debiti in perſona, ratione ſui, concedo maiorem: eſt carentia debiti in perſona, ratione ſolius naturæ, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet in Chriſto, vt homine, ſit carentia debiti hæreditatis diuinæ, ratione naturæ humanæ, non tamen eſt carentia talis debiti ratione perſonalitatis terminantis humanam naturam; & hæc carentia requirebatur, vt eſſet in Chriſto capacitas filiationis adoptiuæ; prima autem carentia ſufficit, vt ſit ſubiectum propriæ prædeſtinationis; quia ſubiectum *quo* prædeſtinationis Chriſti eſt humanitas, non autem eſt ſubiectum *quo* filiationis.

87 *Aliter obiectionibus factis occurritur.*

Aliter poterat obiectionibus factis occurri; nempè, aſſerendo, filiationem adoptiuam petere in perſona adoptata extraneitatem ex omni capite, ideſt, non ſolum naturæ, ſed etiam perſonalitatis in recto ingredientis perſonæ conſtitutionem, quæ extraneitas in Chriſto non datur, ideoque eſt incapax filiationis adoptiuæ. Quod autem ad adoptionem extraneitas adæquata requiratur: patet primo. Nam Concilium Francofordienſe, ex eo quod Chriſtus ſit Filius naturalis, intulit Filium adoptiuum non eſſe, quæ illatio bona non eſſet, niſi adæquata extraneitas in ſubiecto adoptando peteretur à filiatione adoptiua.

88 *Filius adoptiuus ſolo affectu adoptanti adiungitur.*

Secundo; nam Filius adoptiuus eſt, qui ſolo affectu cum adoptante coniungitur; eo autem ipſo, quod in aliquo ex ingredientibus ad conſtitutionem perſonæ, ſit conſubſtantialis adoptanti, non ſolo effectu coniungitur cum illo; & conſequenter, non ſaluatur adoptio. Quia ergo, etſi natura humana Chriſti extranea ſit comparata cum Deo; perſonalitas tamen Chriſti, non extranea, ſed conſubſtantialis eſt Deo; fit conſequens, quod Filius adoptiuus eſſe non poſſit, etiam ſi admittamus filiationem dici de ſuppoſito ratione naturæ. Et hinc apparet diſcrimen inter æternam, & temporalem filiationem ex vna parte, & filiationem adoptiuam, & naturalem ex alia, vt poſſit Chriſtus dici Filius Patris ab æterno, & Filius Virginis ex tempore, & non poſſit dici Filius naturalis, & Filius adoptiuus: quia, nempè, denominatio Filij ex tempore, non requirit, quod ſubiectum denominatum ab illa, ex omni capite incipiat in tempore; filiatio autem adoptiua petit ſubiectum ex omni capite extraneum. Et inſuper apparet, cur poſſit Chriſtus eſſe Deus per participationem ratione naturæ humanæ, & Deus per eſſentiam ratione naturæ diuinæ; non autem Filius naturalis, & adoptiuus propter diuerſas naturas. Quia, ſcilicet, eſſe Deum per participationem, non dicit in ſubiecto denominato omnimodam excluſionem ſanctitatis per eſſentiam, ſed tantum ex parte illius naturæ, qua mediante vt ſubiecto *quo* prædicatur; filiatio verò adoptiua petit, quod ſubiectum adoptatum, ſub nulla ratione conſubſtantiale ſit adoptanti, ſed vndique ab illo extraneum, & ab illius hæreditate. Sed de his plura *infra quæſt. 23. articul. 4.* vbi fuſiùs doctrinam iſtam, Deo dante, ſumus examinaturi.

89 *Gratia habitualis fuit in Chriſto à primo conceptionis inſtanti.*

Ex dictis in iſtius diſputationis decurſu, colligitur primò; gratiam habitualem extitiſſe in anima Chriſti Domini à primo conceptionis Chriſti inſtanti. Quod patet primo; nam ab illo inſtanti fuit ſanctificata per gratiam ſubſtantialem vnionis, ad quam habitualis gratia ad modum proprietatis conſequitur. Deindè; nam ab illo inſtanti fuit Chriſtus beatus beatitudine animæ, & ſupernaturales actus exercuit, ad quorum elicientiam connaturalem, habitualis gratia in illius anima conſtituitur, vt *diſput. ſequenti* conſtabit. Denique; nam infuſio gratiæ in primo inſtanti conceptionis Chriſti, fuit decens dignitatem illius; & aliàs in ea nulla repugnantia inuenitur: ergo fuit de facto illius animæ infuſa à primo conceptionis inſtanti, quod docuit D. Thom. *infra q. 34. art. 1.* & fatentur omnes Theologi. S. Thom.

90 *Fuit in illo inſtanti gratia habitualis in Chriſto cum omni intenſione poſſibili.*

Secundo ex dictis colligitur, in illo inſtanti fuiſſe animæ Chriſti gratiam habitualem infuſam in omni intenſione de lege ordinaria poſſibili. Quod etiam docuit D. Th. *loco* proximè allegato. Et patet primo, decuit enim dignitatem Chriſti gratiam habitualem cum omni perfectione poſſibili illius animæ communicari: ergo ſic fuit de facto communicata. Deindè; nam licet gratia habitualis non ſit paſſio, ſeu proprietas phyſica vnionis, vt *Tract. ſequenti* monſtrabimus; fuit tamen ad modum proprietatis Chriſto communicata, vt partim conſtat ex dictis, pleniuſque ex dicendis vbi *proximè* conſtabit; ſed proprietates cum omni perfectione poſſibili conſequuntur ad eſſentiam in primo productionis inſtanti: ergo gratia habitualis Chriſti à primo ſuæ conceptionis inſtanti, omnem perfectionem intenſiuam obtinuit.

91 *Denique probatur.* S. Thom.

Denique; nam ſtatim à primo conceptionis inſtanti fuit anima Chriſti beata, perfecta, & plena beatitudine, vt docet D. Th. *infra q. 34. art. 4.* aliàs augmentum aliquod beatitudinis animæ decurſu temporis promeruiſſet; cuius contrarium docet D. Tho. *infra q. 19. art. 3.* & cum illo Theologi communiter; ſed ad beatitudinis perfectionem, & plenitudinem, præexigitur plenitudo perfectionis gratiæ; cum intenſio viſionis commenſuretur cum intenſione luminis, & luminis intenſiua perfectio cum intenſione gratiæ habitualis, ad quam lumen ſequitur, tanquam paſſio ad eſſentiam, vt docet Diuus Thomas *in 4. Sent. diſt. 49. q. 2. art. 4. Tertiò libro Contra Gentes c. 56. 1. p. q. 12. art. 3.* & pluribus alijs in locis: ergo habuit etiam plenitudinem gratiæ à primo ſuæ conceptionis inſtanti; & conſequenter ab illo inſtanti fuit gratia habitualis in anima Chriſti Domini cum omni intenſione poſſibili; non enim poteſt plenitudo gratiæ ſine tali intenſione ſubſiſtare. Et hæc de iſta Diſputatione applicanda litteræ Magiſtri in 3. *diſt. 13. §. 1.* ad illa verba: *Ab ipſa conceptione gratiæ plenitudinem recepiſſe.* S. Thom. M. Sent.

DISPVTATIO VIGESIMA TERTIA.

Ad quid fuerit neceſſaria gratia habitualis in anima Chriſti Domini?

§. I.

Relatis ſententijs, prima concluſio ſtatuitur.

1 *Non fuit neceſſaria pro effectu ſanctitatis abſolutè.*

EX DICTIS Diſputatione vigeſima prima, conſtat falſam eſſe Paludani ſententiam, & aliorum, quos ibidem recenſuimus, aſſerentium, gratiam habitualem neceſſariam fuiſſe in anima Chriſti Domini ad ſanctificandum illam abſolutè. Cum enim, vt *ibi* oſtendimus cum frequentiori Theologorum ſententia, per gratiam ſubſtantialem vnionis fuerit ſanctificata formaliter; & conſequenter gratia habituali ſecluſa fuiſſet abſolutè ſancta; per euidentem conſequentiam infertur, non fuiſſe neceſſariam gratiam habitualem in anima Chriſti ad ſanctificandum illam abſolutè; non enim ſtare poteſt neceſſitas alicuius formæ ad effectum, qui ſine illa poteſt exiſtere: ergo ſi anima Chriſti ſine gratia habituali foret abſolutè ſancta, non eſt neceſſaria gratia habitualis, vt ſancta ſit abſolutè. Reſtat ergo examinare ad quem finem, vel effectum neceſſaria fuerit gratia habitualis in Chriſto.

2 *Prima ſententia. Durand. Palud.*

Quæ in re variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima eſt Durandi *in* 3. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. n. 8. aſſerentis, fuiſſe neceſſariam habitualem gratiam in Chriſto, vt illius opera eſſent meritoria apud Deum. Quam ſententiam tenet Paludanus *in eadem diſtinctione quæſt.* 2. *concluſione prima*, & ſequi tenentur illi Theologi, *diſp.* 21. pro prima ſententia adduximus, aſſerentes, animam Chriſti non fuiſſe ſanctam formaliter per gratiam ſubſtantialem vnionis: cum enim ſubiecti ſanctitas ad meritum requiratur, vt tenet communis Theologorum ſententia 1. 2. *quæſt.* 114. *art.* 1. ſi anima Chriſti non fuit ſancta, & grata Deo per gratiam ſubſtantialem vnionis, rectè infertur, gratiam habitualem ad hunc finem neceſſariam fuiſſe, nempè, vt Chriſtus, quatenus homo mereretur apud Deum; non enim eſt poſſibilis alia forma præter gratiam potens ſanctificare formaliter in veriori Theologorum ſententia. Et eſto poſſibilis ſit, de facto tamen non datur forma à gratia habituali diſtincta præſtans formaliter ſanctitatis effectum.

3 *Secunda ſententia. Lorca.*

Secunda ſententia docet; gratiam habitualem non fuiſſe neceſſariam ad connaturalem elicientiam operationum ſupernaturalium; ſed tantum vt ſanctificaret animam Chriſti, ſanctitate accidentalis, quantumuis ſine gratia habituali eſſet per gratiam vnionis ſancta, ſubſtantiali ſanctitate. Ita Lorca *diſputatione* 37. *num.* 11. *& ſequentibus.*

4 *Tertia ſententia. Vazq.*

Tertia per oppoſitum docet, fuiſſe neceſſariam gratiam habitualem ad connaturalitatem elicientiæ operationum ordinis ſupernaturalis; non autem ad ſanctificationem animæ Chriſti vllo modo, nec ad completam, & conſummatam ſanctificationem humanitatis. Hanc tenet Vazquez *diſp.* 41. *cap.* 4. *&* 5.

5 *Quarta ſententia. Vincent. Aluar. Nazar.*

Quarta ſententia docet; fuiſſe neceſſariam gratiam habitualem in anima Chriſti Domini; tùm ad completam illius ſanctificationem, quatenus ſine illa, licet eſſet ſubſtantialiter ſancta, non tamen eſſet ſancta completè; non enim haberet ſanctitatem omnis ordinis. Tùm etiam, vt connaturalitèr operaretur in ordine gratiæ; & conſequenter etiam ad merendum connaturali modo, non tamen fuiſſe indiſpenſabiliter requiſitam, vt Chriſtus, quatenus homo, mereretur apud Deum; potuit enim ſine illa de potentia abſoluta mereri. Hanc tenent Vincentius *de Gratia Chriſti quæſt.* 5. *artic.* 1. Aluarez *diſputatione* 31. Nazarius *in hac quæſtio. articul. primo controuerſia vnica concluſione vltima.* Illuſtriſſimus Arauio *dub. primo, & ſecundo*; & ex Patribus Societatis Suarez *diſputatione* 18. *ſectione* 1. quos frequentius Recentiores ſequuntur. *Arauio. Suarez.*

SIT PRIMA CONCLVSIO. *Gratia habitualis fuit neceſſaria in anima Chriſti Domini, vt eliceret connaturaliter actus ordinis ſupernaturalis.* Ita Auctores pro tertia, & quarta ſententia relati. Et expreſſè Diu. Thom. *quæſt.* 29. *de veritate artic.* 1. *in* 3. *Sentent. diſt.* 13. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *ad Annibaldum ibidem, & in hac quæſt. art.* 1. Quibus locis probat Angelicus Doctor, exiſtentiam gratiæ habitualis in humanitate Chriſti, vt coniungeretur Deo, non ſolum ſecundum eſſe, quod ſit per gratiam ſubſtantialem vnionis, ſed etiam ſecundum operationem, quod à gratia habituali præſtatur. Cumque hæc neceſſitas eſſentialis non ſit, vt *ex dicendis* conſtabit: neceſſario eſt accipiendus D. Thom. de neceſſitate connaturalitatis, quod, nempè, gratia habitualis neceſſaria fuerit in anima Chriſti Domini, vt connaturaliter eliceret amorem, & viſionem beatificam, quibus Deo per operationem coniungitur. 6 *Prima concluſio S. Thom.*

Et probatur ratione D. Thomæ ex præallegatis locis deſumpta. Tunc enim agens, actum aliquem elicit modo connaturali, quando habet in ſe formam, ratione cuius inclinatur in illum; ſed anima Chriſti Domini ratione propriæ entitatis, non eſt ad ſupernaturales actus inclinata; aliàs ſupernaturales non eſſent, cum non excederent omnis naturæ exigentiam: ergo vt ad illos inclinetur, & conſequentèr, vt illos eliciat connaturaliter, neceſſarium eſt, quod aliqua forma eleuante ſupra ipſius naturam exiſtente afficiatur. At hæc forma eleuans humanitatem Chriſti eſt gratia habitualis: ergo neceſſaria fuit, vt anima Chriſti Domini ſupernaturales actus eliceret modo connaturali. 7 *Probatur ratione D. Th.*

Reſpondebis primo; quod licet hoc argumentum probet neceſſitatem habitualis gratiæ in animabus iuſtorum, vt actus ſupernaturales eliciant connaturaliter; eo quod in illis, non datur alia forma, à qua poſſit connaturalitas prædicta præſtari, non autem conuincere illius neceſſitatem in humanitate Chriſti; eo quod ex vi gratiæ ſubſtantialis vnionis eſt euecta ad ordinem hypoſtaticum, in quo ordo gratiæ eminenter continetur; ac proindè, ratione huius eleuationis poteſt ad ſupernaturales actus inclinari, illoſque elicere modo connaturali; ex quo vlterius ſequitur, gratiam habitualem in anima Chriſti Domini ad hunc effectum præſtandum neceſſariam non fuiſſe. 8 *Reſpondebis* 1.

Sed contra, nam id ratione cuius anima inclinatur ad elicientiam actus, debet eſſe principium operatiuum vt *quo*, proximè, vel radicaliter; ſed gratia ſubſtantialis vnionis, vi cuius anima Chriſti euehitur ad ordinem hypoſtaticum, & intra illum conſtituitur, non eſt vllo modo principium operatiuum vt *quo*: ergo per gratiam vnionis, non poteſt anima Chriſti ad ſupernaturales actus inclinari; & conſequenter, non poteſt ratione illius modo connaturali ſupernaturales actus elicere. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; etenim in gratia vnionis tria ſolum inueniuntur, nempè, ſubſiſtentia perſonalis Verbi terminans, & ſuppoſitans humanitatem, Diuinitas vnita humanitati mediatè, illamque ſanctificans, & modus ſubſtantialis vnionis creatus, quo humanitas Verbo vnitur; ſed ſubſiſtentia non eſt, vt 9 *Sed contra.*

quo

quo, operatiua, ſed tantum vt *quod*, & per modum conditionis ad operationem concurrit: diuinitas etiam principium *quo* operatiuum humanitati eſſe nequit; nam principium *quo* operandi proximum, vel radicale, debet cum illo, cui eſt ratio, & principium agendi, vel identitatem habere, vel illud phyſicè informare, quorum vtrumque diuinitati reſpectu humanitatis repugnat; modus etiam ſubſtantialis vnionis, quamuis intrinſecè humanitatem informet, non tamen eſt operatiuus vt *quo*, per modum principij proximi; aliàs eſſet virtus ordinis ſupernaturalis, & immediatè potentias animæ afficeret, in illiſq; immediatè reſideret, nec per modum principij *quo* radicalis; aliàs eſſet natura participata ſupernaturalis ordinis, quod nullus Theologorum aſſeruit: ergo anima Chriſti Domini, non inclinatur ad operationes ſupernaturales per gratiam ſubſtantialem vnionis; & conſequentèr, vt ad illas inclinetur, & vt connaturalitèr illas eliciat, indiget aliquo dono ordinis ſupernaturalis à gratia vnionis diſtincto.

10 *Reſpondebis 2.* Reſpondebis ſecundo, vt anima Chriſti eleuetur, inclineturque intrinſecè ad actus ordinis ſupernaturalis, ſufficere qualitatem aliquam eiuſdem ordinis fluidam, citoque ab intrinſeco tranſeuntem; vndè quamuis concedatur, indigere animam Chriſti ad connaturalem elicientiam actuum ſupernaturalium dono aliquo ſupernaturali eleuante, illamque afficiente intrinſecè à gratia vnionis diſtincto, non probatur neceſſitas habitualis gratiæ ad hunc finem; datur enim forma eleuans, & intrinſecè inclinans ad prædictorum actuum elicientiam diſtincta à gratia habituali, ſcilicet, prædicta qualitas, quæ cum ab intrinſeco fluida ſit, eſſentialiter diſtinguitur à gratia habituali, quæ eſt donum ab intrinſeco permanens.

11 *Sed contra.* Sed contra; nam operatio, non procedit ab agente perfectè connaturaliter, niſi ad illam ſit permanentèr, & habitualiter inclinatum; ſed qualitas fluida, & ea natura ſua facilè tranſiens, non poteſt permanentem inclinationem præſtare ad actus ſupernaturales: ergo vt anima Chriſti Domini connaturalitate perfecta, actus ſupernaturales eliceret indiguit dono ab intrinſeco permanente; & conſequenter neceſſaria fuit ad hunc finem gratia habitualis. Minor cum conſequentia, probatione non indiget. Maior autem oſtenditur primo: nam actus, non elicitur à potentia connaturalitate omninò perfecta, niſi ab illa ſuauitèr, facilitèr, & delectabilitèr procedat; ſed ſic elici, non poteſt niſi à forma permanente præſtari; facilitare namque potentiam eſt effectus habitus, prout à diſpoſitione diſtinguitur: ergo non poteſt actus egredi à potentia perfectè connaturaliter, niſi ad illum ſit permanentèr, & habitualitèr inclinata. Secundo probatur minor ex D. Tho. 1. 2. *quaſt.* 110. *art.* 2. non enim poteſt agens naturale ad proprium finem perfectè moueri, niſi
S.Tho. præter actualem motionem, ſeu qualitatem ab intrinſeco fluidam, per formam permanentem in ſuum actum inclinetur; quocirca naturæ Auctor agentibus naturalibus, præter actualem motionem formas permanentes dedit, quibus in proprios actus, & motus permanenter inclinantur: ergo paritèr vt agens ſupernaturale connaturalitate perfecta exeat in proprias operationes, præter qualitates fluidas, quibus applicatur ad illas, debet ratione formæ permanentis ad illarum elicientiam habitualiter, permanenterque inclinari.

12 *Reſpondebis.* Reſpondebis, tota hac doctrina admiſſa, adhuc ſufficienter non inferri neceſſitatem gratiæ habitualis in anima Chriſti Domini, pro connaturali elicientia actuum ſupernaturalium. Nam iuxta D. Th. 1. 2. q. 110. *art* 3. gratia habitualis iuſtificans diſtinguitur realiter à virtutibus
S.Tho. infuſis; quocirca, vt docet Angelicus Doctor ibi *art.* 4. non in potentijs animæ, ſed in anima immediatè ſubijcitur, illique immediatè inhæret. Vt autem agens ſupernaturale habitualitèr, & permanenter ad ſupernaturales actus inclinetur, virtute ſupernaturales ſufficiunt, charitas ad dilectionem, fides ad actum credendi, & ſic de alijs virtutibus ad ſuos actus comparatis; & conſequenter, etiamſi ad connaturalem elicientiam actuum ſupernaturalium forma permanens in agente exigatur, per quam habitualiter, permanenterque inclinetur, non conuincitur adhuc neceſſitas gratiæ habitualis in anima Chriſti Domini, vt actus ſupernaturales videndi, & amandi Deum, cæterarumq; virtutum eliciat connaturaliter; ſufficiunt enim habitus virtutum per ſe infuſarum, vt prædictos actus eliciat perfectè connaturaliter.

13 Sed contra primò; vt enim docet D. Th. 1. 2. q. 110. *art.* 3. virtus eſt diſpoſitio perfecti, id eſt, diſpoſiti ſecundum naturam: ergo omnis virtus diſponit ſubiectum conformiter ad naturam aliquam ſui ordinis præexiſtentem in illo; & conſequenter, virtutes ſupernaturales, vt ſint in ſtatu perfecto, ſibique connaturali, petunt præexiſtentiam habitualis gratiæ, quæ in ordine ſupernaturali obtinet conceptum naturæ, & coniunctionem cum illa. Ex quo vlterius ſequitur, ſine tali coniunctione non eſſe in ſtatu perfecto, & ſibi connaturali; ſed virtus non exiſtens in ſtatu connaturali, non poteſt cum perfecta connaturalitate in proprios actu exire; ſicut enim operari præſupponit eſſe, ita connaturaliter operari ſupponit eſſe connaturale: ergo ſine gratia habituali, non eliciuntur actus ſupernaturales perfectè connaturaliter; & conſequenter neceſſaria eſt habitualis gratia in anima Chriſti Domini, vt eliciat connaturaliter actus ſupernaturales. *Sed contra.*

Secundò; ſicut enim virtutes naturales præſupponunt naturam ordinis naturalis, ita virtutes ſupernaturales, vtpotè dantes facultatem proximam operandi, ex natura rei ſupponunt habitualem gratiam pro radice, quæ eſt natura illius ordinis: ergo ſine gratia habituali non ſunt in ſtatu ſibi debito, & connaturali; & conſequenter, ſine illa non poſſunt proprios actus elicere perfectè connaturaliter. 14 *Secundò.*

Deniq; nam actus ſupernaturales, non ſolum petunt principium proximum ſui ordinis, ſed etiam principium radicale; at virtutes per ſe infuſæ, non ſunt principium radicale, ſed proximum actuum ſupernaturalium: ergo elicitι ſine gratia habituali, carent principio radicali à ſe exacto; & conſequentèr, vt cum perfecta connaturalitate eliciantur, non ſufficiunt virtutes ſupernaturales reſidentes in potentijs, ſed etiam gratia habitualis animæ inhærens requiritur. 15 *Tertiò;*

---

§. II.

Obiectionibus in contrarium occurritur.

CONTRA iſtam concluſionem arguit Lorca vbi *ſupra nu.* 10. nam gratia habitualis, non eſt forma operatiua, ſed tantum ſanctificatiua ſubiecti: ergo non poteſt requiri in anima Chriſti Domini, vt actus ſupernaturales connaturaliter ab illa procedant. Antecedens ſupponit. Et conſequentia patet. Nam forma, quæ operatiua non eſt, non poteſt conducere ad operandum connaturaliter: ergo ſi gratia habitualis non eſt forma operatiua, non poteſt eſſe neceſſaria, vt actus ſupernaturales connaturaliter eliciantur ab anima. 16 *Arguitur primò.*

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: non eſt forma operatiua per modum principij proximi per ſe primo ordinati ad operandum, concedo antecedens: per modum principij radicalis, non per ſe primo ad operandum, ſed ad eſſendum ordinati, nego antecedens, & conſequentiam. Nam etiam natura ſubſtantialis, in ſententia D. Th. illam realiter diſtinguente à potentijs, non eſt operatiua, vt principium *quo* proximum operandi, per ſe primo ad operationem ordinatum, ſed vt principium *quo* radicale, per ſe primo præſtans eſſe, & ex conſequenti operari; & tamen ad operationes humanas, non ſolum naturaliter, ſed etiam eſſentialiter, præſupponitur anima rationalis: ergo ex eo quod gratia iuſtificans, non ſit principium *quo* proximum actuum ſupernaturalium, non ſequitur, neceſſariam non eſſe, vt connaturaliter eliciantur. 17 *Reſpondetur.*

Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione, peccatores in quorum anima gratia habitualis non reſidet, non poſſe elicere actus ſupernaturales fidei, & ſpei, vel ſaltim, non poſſe prædictos actus elicere, eo modo, quo ab homine iuſto eliciuntur; conſequens eſt falſum: ergo & ſolutionis doctrina. Minor pro prima parte ſupponitur; eſt enim catholica veritas, fidem, & ſpem per peccatum mortale non deſtrui; gratia autem habitualis per mortalem culpam deſtruitur; ac proindè, ſine illa poſſunt elici actus credendi, & ſperandi. Pro ſecunda parte probatur; ſi namque actus fidei, & ſpei ſine gratia habituali, non elicerentur connaturaliter; ſequeretur primo, amiſſa gratia habituali, amittendas eſſe connaturaliter fidem, & ſpem; ſecundo ſequeretur, non deberi peccatoribus debitum phyſico concurſum ad credendum, & ſperandum 18 *Obijcies.*

conſequens verumque eſt falſum; aliàs peccatores, loquendo ex natura rei, non poſſent actum fidei ſupernaturalis elicere: ergo prædicti actus eliciuntur connaturaliter ab homine peccatore, ratione fidei, & ſpei, ſine gratia habituali.

19 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando primam partem ſequelæ. Nam dependentia actuum ſupernaturalium à gratia habituali, dependentia eſſentialis non eſt; & ideo abſque illa poſſunt exiſtere in peccatore, & concedendo ſecundam partem ſequelæ. Licet enim fides maneat in peccatore, & poſſit in proprium actum exire, non tamen manet in ſtatu perfecto virtutis, nec habet connaturalem modum, quem petit, nempè, coniunctionis cum gratia habituali; ac proindè, non ita connaturaliter operatur in peccatore, at in homine iuſto. Nec ſequitur primum inconueniens. Nam licet fides in peccatore non ſit cum omni modo connaturalitatis exacto; quia tamen non eſt paſſio gratiæ, ſicut charitas, & virtutes morales per ſe infuſæ; ideo poteſt, abſque miraculo, in abſentia gratiæ conſeruari, etſi gratia habitualis in ſtatu viæ ſine fide nequeat exiſtere. Nec ſecundum inconueniens infertur. Nam licet fides in peccatore non habeat ſtatum, quem connaturaliter petit: quia tamen præſtat illi poſſe phyſicum, phyſicè expeditum ad actum credendi, facit ſibi debitum concurſum, vt aliquando prorumpat in illum. Idemque, & eadem ratione eſt de actu ſperandi in peccatore dicendum.

20 *Secundũ argumentum.* Secundo arguitur; actus, quos humanitas Chriſti eliceret ſine gratia habituali, connaturaliter ab illa mediante fluida qualitate procederent: ergo gratia habitualis neceſſaria non eſt, vt ſit connaturale principium actuum ſupernaturalium. Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur; nam actus taliter ab auxilio procedens, quod eſſentialiter illi repugnat procedere à gratia habituali, connaturaliter ab auxilio procedit; ſed actus, qui ab humanitate Chriſti ſine gratia habituali, mediante auxilio, facilè tranſeunte procederent, talis ſunt conditionis, quod repugnat illis procedere à gratia habituali: ergo connaturaliter elicerentur ab illo. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; nam actus ab aliquo principio eſſentialiter dependentes, non poſſunt elici ſine illo; & conſequenter repugnat, quod ab alio principio procedant; ſed actus mediante auxilio fluido eliciti dependent ab illo eſſentialiter; dependentia namque actus vitalis, à principio vitali eſt dependentia eſſentialis; ergo repugnat illis eſſentialiter ſine tali auxilio exiſtere, & ab alio principio procedere.

21 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem: ſi à tali principio ſecundum vltimam differentiam inſpecto per ſe procedant, concedo maiorem: ſi non procedant per ſe ab illo ratione vltimæ differentiæ, per quam ab alio diſtinguitur, ſed ſub ratione illi, & alteri principio communi, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam actus media qualitate fluida eliciti, non dependent per ſe ab illa ſecundum vltimam differentiam, per quam à qualitate permanente diſtinguitur, nempè, ſub conceptu fluidè, & facilè tranſeuntis ab intrinſeco; ſed ſecundum rationem, vtrique qualitati communem, nempè, ſecundum conceptum tendentiæ ad obiectum actus per modum principij illius abſtrahentem à ratione permanentis, & facilè tranſeuntis; & conſequenter poſſunt procedere ab auxilio facilè tranſeunte, & à qualitate permanente, & petere qualitatem permanentem, vt connaturaliter eliciantur.

22 *Obijcies.* Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione, poſſe defendi neceſſitatem gratiæ habitualis ad elicientiam connaturalem actuum ſupernaturalium, etiam ſi diuinitas eſſet humanitati vnita vt principium *quo* radicale phyſicum iſtorum actuum; conſequens eſt contra dicta *diſp.* 21. vbi exindè inter alia probauimus, diuinitatem non eſſe vnitam humanitati per modum radicis phyſicè facultatum ſupernaturalium: quia aliàs gratia habitualis in humanitate Chriſti ſuperflueret: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur ſequela; vt enim in ſolutione aſſerimus, poſſunt actus ſupernaturales indifferenter elici à qualitate fluida, & ab habitu permanente, cum connaturali exigentia, vt ab habitu permanente procedant: ergo pariter poterunt indifferenter procedere, tanquam à principio phyſico radicali à diuinitate phyſicè humanitati vnita, & à gratia habituali, cum exigentia connaturali, vt à gratia habituali procedant; & conſequenter, quamuis de facto vniretur diuinitas humanitati vt principium *quo* phyſicum radicale actuum ſupernaturalium; adhuc ſuſtineri poſſet neceſſitas gratiæ habitualis in anima Chriſti Domini, vt eſſet illorum actuum connaturale principium.

Reſpondeo primò, negando ſequelam. Ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt; nam gratia habitualis eſt reſpectu actuum ſupernaturalium natura eleuatiuè, & quaſi ſubſtitutiuè loco diuinæ naturæ, cuius eſt participatio, & imitatio; eo autem ipſo, quod proprietarius adſit, non petitur ſubſtitutum, ſed potius ſuperfluit; ac proindè ſi diuinitas, cuius loco gratia habitualis ſubſtituitur, cuiuſque eſt participatio, & imitatio adeſſet humanitati cum vnione ſufficiente, vt eſſe poſſet principium *quo* phyſicum radicale actuum ſupernaturalium, potius diuinitas ipſa, quam habitualis gratia ab illis exigeretur, vt connaturale principium; conſequenterque, vt actus ſupernaturales connaturaliter procederent ab anima Chriſti Domini ſuperflueret gratia habitualis. 23 *Reſpondetur primò.*

Vel ſecundo reſpondetur, ea doctrina à Nobis tradita, tantum inferri, quod poſſent actus ſupernaturales procedere à diuinitate, & à gratia habituali indifferenter diſiunctiuè, vel diuiſiuè, non autem copulatiuè: ita vt ſimul ab vtraque, vt à principio *quo* radicali procederent, hoc enim eſſe non poteſt, ſicut nec poteſt actus charitatis procedere ſimul ab habitu, & ab auxilio facilè tranſeunte, vt dante phyſicam ſufficientiam: ita vt voluntas per habitum charitatis, & per auxilium facilè tranſiens ſimul actuetur, & in actu primo proximo conſtituatur, ſed ab auxilio procedit ſupernaturalis dilectio in abſentia habitus charitatis. Diuinitas autem ſemel humanitati vnita, ſemper illi præſens eſt; ac proindè, ſi eſſet ſufficienter vnita, vt principium *quo* radicale actuum ſupernaturalium, ſemper illos radicaret, cum quo non compateretur, quod habitualis gratia radicalem concurſum exerceret. Nec eſt ſimile de virtutibus infuſis eleuantibus potentias, & de gratia habituali animæ immediatè inhærente, à quibus, vt ſimul concurrentibus actus ſupernaturales procedunt. Nam virtutes eleuantes potentias concurrunt ad actus ſupernaturales, vt principia illorum proxima, & gratia habitualis immediatè inhærens animæ, vt principium *quo* radicale, & non repugnat, principium radicale, & proximum ſimul ad elicentiam actuum concurrere, imò eſt modus concurrendi connaturaliter petitus ab actibus; vt enim ex dictis conſtat, vt actus ſupernaturales connaturaliter ab agente procedant, petunt non ſolum principium proximum, ſed etiam principium *quo* radicale; gratia autem habitualis, & diuinitas radicaliter concurrerent ad actus ſupernaturales, ſi diuinitas vniretur animæ Chriſti vt phyſica illorum radix, & non poteſt vnus actus ſimul à duplici radice procedere, ſicut nec à duobus principijs proximis adæquatis. 24 *Reſpondetur ſecundò.*

Inſtabis, diuinitas, & gratia habitualis concurrunt ad actus ſupernaturales, ſimul illos radicando moraliter: ergo etiam radicando phyſicè poſſent ſimul ad eoſdem actus concurrere, & conſequenter, ex eo quod diuinitas eſſet humanitati vnita vt principium *quo* phyſicum radicale actuum ſupernaturalium, non ſequitur, gratiam habitualem neceſſariam non fore ad eorundem actuum elicientiam connaturalem, & ad iſtum finem fore ſuperfluam. Secunda conſequentia benè ex prima colligitur. Prima tenet à paritate rationis. Antecedens autem conſtat ex his, quæ *diſp.* 21. docuimus, nempè, diuinitatem ſanctificare ſe ipſa humanitatem Chriſti formaliter; quia licet non vniatur humanitati, vt radix phyſica facultatum ad ordinem gratiæ ſpectantium, vnitur tamen vt radix moralis; ſed etiam gratia habitualis moraliter illas radicat: ergo concurrunt ſimul moraliter radicando. 25 *Replicabis.*

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: diuinitas & gratia habitualis concurrunt ſimul radicando moraliter, æquè immediatè, nego antecedens: diuinitas vt radix moralis mediata, gratia verò vt immediata radix, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Nam radicalis concurſus phyſicus, quem diuinitati in hac ſolutione negamus, & ex quo *diſputat.* 21. §. 2. inferebamus, ſuperfluentiam gratiæ habitualis, eſt concurſus radicalis immediatus in actus ſupernaturales. Nam auctores, quos ibi reiecimus, aſſerebant, poſſe diuinitatem, ob continentiam eminentialem gratiæ habitualis, illius effectum præſtare; effectus autem gratiæ habitualis, non eſt radicatio mediata, ſed immediata actuum ſupernaturalium; eo quod inter gratiam habitualem, & actus ſupernaturales, etſi me- 26 *Reſpondetur.*

dient

dicent principia proxima , principium tamen radicale non mediat ; & conſequenter , ſi diuinitas ob continentiam eminentialem gratiæ habitualis , poſſet illius effectum præſtare , poſſet humanitati vniri , vt radix immediata phyſica actuum ſupernaturalium. Et ex hoc rectè arguebamus fore , ſuperfluam in humanitate Chriſti gratiam habitualem pro connaturali elicentia actuum ſupernaturalium. Quod verò non poſſit diuinitas humanitati vniri , vt radix mediata phyſica actuum ſupernaturalium, non eſt ex hoc inconueniens inferendum , nempè , ex eo quod gratia habitualis ſuperfloeret ad connaturalem elicientiam illorum ; ſed ex alio principio , videlicet , quia radix phyſica petit identitatem , vel phyſicam informationem cum eo , quod phyſicè radicans conſtituit , quorum vtrumque diuinitati reſpectu humanitatis repugnat ; non enim poteſt identificari cum humanitate , nec illam phyſicè informare.

27 *Tandē arguitur.* Denique arguitur ; vt enim anima Chriſti eliciat connaturaliter actus ſupernaturales , ſufficiunt habitus virtutum per ſe infuſarum immediatè reſidentes in potentijs , & mediatè animæ inhærentes : ergo gratia habitualis , quæ in ſententia D. Tho. 1.2. *quæſt.* 110. *art.* 3. à virtutibus infuſis diſtinguitur realitèr , & immediatè in anima recipitur, eſt ad hunc finem ſuperflua. *Antecedens probatur 1.* Antecedens oſtenditur primo ; etenim vt anima Chriſti ſit ſupernaturaliter operans in actu ſecundo , ſufficit vnus actus immediatè inhærens potentiæ, & egrediens ab illa , & mediatè inhærens , & egrediens ab anima , & vnum auxilium efficax immediatè potentiam , & mediatè animam applicans ad operandum nullus enim duplicem actum diſtinxit , quorum vnum operetur anima , & in alio operentur potentiæ ; nec ſimiliter duplex auxilium efficax ad animæ, & potentiarum applicationem : ergo vt ſit connaturaliter operans in ordine ſupernaturali, & connaturaliter eliciens ſupernaturales operationes , vnus habitus ſufficiet afficiens immediatè potentias , & mediatè inhærens animæ.

28 *Probatur ſecundo.* Secundo probatur antecedens ; nam vt anima eleuetur tranſeunter ad agendum ſupernaturalitèr, & ad eliciēdum ſupernaturalem operationem , ſufficit vnum principium immediatè , inhærens potentijs, & animæ tantum mediatè ; vt conſtat in auxilio ſufficiente , dato in abſentia habitus charitatis ad eliciendam dilectionem ſupernaturalem , per quod anima , & voluntas ſufficientèr per modum actus primi eleuantur ad illius elicientiam ; nemo enim in abſentia habitus duplex diſtinxit auxilium, quorum vno conſtituatur anima , & alio conſtituatur potentię in actu primo proximo ad ſupernaturaliter operandum : ergo vt anima eleuetur ad influendum connaturaliter in actus ſupernaturales , vnus habitus ſufficiet , inclinans permanentèr immediatè potentiam , & mediatè inclinans animam.

29 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem , conceſſo antecedenti , nego conſequentiam. Nam principij radicalis , & principij proximi quia ſubordinata ſunt , non datur niſi vnus actus , proximè ab vno , & ab alio remotè , & radicaliter egrediens ; & conſequentèr ad vtrumque applicandum efficacitèr ad operationem ſola vna applicatio datur , ſeu vna inchoatio actus , in qua eſſentia auxilij efficacis conſiſtit , diuerſas tamen formas requirunt , vt conſtat in ordine naturali ; nam anima rationalis non conſtituitur radicaliter operatiua per ſuas potentias , ſed per propriam entitatem realiter à potentijs diſtinctam in ſententia D. Thom. Vndè ſicut in hoc ordine conſequentia facta non tenet ; nam vnica actione anima , & potentiæ operantur , & vna applicatione , vnoque auxilio efficaci applicantur ad agendum ; & tamen quodlibet illorum gaudet ſua forma diſtincta , per quam vnum eſt operatiuum radicaliter , & aliud operatiuum proximè; ita nec tenet in ordine ſupernaturali ; ſed quamuis anima , & illius potentiæ vna actione ſupernaturali operentur , & eodem auxilio efficaci applicentur ad operandum , poſſunt diuerſas qualitates exigere, vt ab illis operatio ſupernaturalis connaturaliter egrediatur. Et ita de facto contingit ; nam vt anima ſit operatiua radicaliter , requiritur gratia habitualis illi inhærens immediatè , & vt potentiæ ſint proximè operatiuæ requiruntur habitus virtutum per ſe infuſarum tribuentes facultatem proximè operatiuam , & inclinantes permanenter potentias ad operandum.

30 Ad ſecundam antecedentis probationem , conceſſo antecedenti , nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt ; etenim concurrere connaturaliter animam ad operandum ſupernaturaliter , eſt concurrere radicando facultates proximas ordinis ſupernaturalis reſidentes in potentijs , ipſaſque conſtituentes in actu primo proximo in ordine ad operationem ſupernaturalem, ſicut concurſus connaturalis eiuſdem animæ in ordine ad operationes naturalis ordinis conſiſtit in radicando potentias proximè operatiuas ; non autem poteſt conſtitui in ratione radicis facultatum ſupernaturalium per facultates ipſas radicatas ; aliàs idem radicaret ſe ipſum , ſicut ſi cauſa efficiens in ratione cauſæ per effectum conſtitueretur idem ſe ipſum cauſaret ; ideoque non poteſt conſtitui eliciens connaturaliter operationes ſupernaturales per eandem formam , quæ in potentijs reſidet immediatè , illaſque conſtituit potentes proximè operari ſupernaturalitèr , ſed alia requiritur , per quam in eſſe radicis conſtituatur , & hęc eſt habitualis gratia. Vt autem anima ſit potens proximè abſolutè ad operandum in ordine ſupernaturali, prædicta radicatio non petitur; & non poteſt per ſolum auxilium immediatè inhærens potentijs , & mediatè efficiens animam conſtitui abſolutè potens ſupernaturaliter operari. *Ad ſecũdam antecedentis probationem.*

31 *Obijcies.* Sed dices ; anima non ſolum eſt potens radicaliter connaturali modo operari in ordine ſupernaturali , ſed etiam eſt potens connaturaliter proximè; omne enim agens operans in actu ſecundo , præſupponitur pro priori ad operationem potens , non ſolum remotè , ſed etiam proximè operari ; at hoc poſſe proximum , & connaturale præſtatur animæ ab habitibus virtutum per ſe infuſarum ; gratia namque habitualis ; cum ſolum radicaliter ſit operatiua vt *quo* , non poteſt poſſe proximum connaturale præbere : ergo ab habitibus virtutum per ſe infuſarum , conſtituitur anima , non ſolum potens operari obſolutè , ſed etiam potens connaturali modo operari in ordine ſupernaturali ; & conſequenter ad hoc poſſe connaturale præſtandum habitus gratiæ à virtutibus diſtinctus, neceſſarius non eſt.

32 *Reſpondetur primò.* Reſpondeo primo , conceſſis maiori , & minori , & prima conſequentia , diſtinguendo conſequens ſubſumptum : non requiritur habitus gratiæ à virtutibus diſtinctus ad præſtandum poſſe connaturale proximum in ordine ad operationes ſupernaturales, concedo conſequentiam; non requiritur ad præſtandum poſſe connaturale radicale in ordine ad eaſdem operationes , nego conſequentiam. Et quia vt anima connaturaliter in ordine ſupernaturali operetur , & vt actus ſupernaturales perfectè connaturaliter ab illa egrediantur , vtrumque poſſe , nempè , radicale , & proximum requiritur; fit conſequens, vt quamuis gratia habitualis immediatè inhærens animæ , & realitèr diſtincta à virtutibus actuantibus potentias , ad vnum non requiratur ; quia ad aliud poſſe requiritur , non ſit ſuperflua , ſed neceſſaria ad hunc finem , nempè , vt anima connaturaliter in ordine ſupernaturali operetur , & vt operationes ſupernaturales connaturaliter ab illa procedant.

33 *Reſpondetur ſecūdò.* Secundo , & melius reſpondetur , conceſſa maiori , diſtinguendo minorem : poſſe proximum connaturale præſtatur animę ab habitibus virtutum per ſe infuſarum, vt radicatis in gratia , & vt cum illa coniunctis , concedo minorem : vt à gratia ſeparatis , & non radicatis in illa , nego minorem , & diſtinguo conſequens : ergo non requiritur gratia habitualis ad prædictum poſſe proximum præſtandum per modum formæ , concedo conſequentiam ; ad præſtandum connaturalitatem habitibus virtutum per ſe infuſarum , reſidentium in potentijs , vt illud præſtare poſſint , nego conſequentiam.

34 *Replicabis.* Inſtabis , habitus iſti etiam ſeparati à gratia, & non radicati in illa conſtituerent potentias , quibus immediatè inhærent , non ſolum potentes proximè abſolutè , ſed etiam potentes connaturaliter proximè elicere ſupernaturales operationes : ergo animam etiam in abſentia gratiæ , conſtituerent , non ſolum proximè abſolutè potentem , ſed etiam potentem connaturalitèr ad eaſdem operationes concurrere . Conſequentia patet . Non enim aliter virtutes per ſe infuſæ dant animæ poſſe operari , niſi hoc poſſe immediatè præſtando potentijs : ergo eleuando potentias immediatè ad connaturalitèr operandum , eleuant mediatè animam, vt connaturaliter operetur ; & conſequenter , ſi virtutes in abſentia gratiæ conſtituerent potentias potentes proximè connaturaliter operari in ordine ſupernaturali etiam conſtituerent animam potentem , vt connaturaliter in eodem ordine operetur . Antecedens autem probatur ; nam poſſe connaturaliter

actus

actus ſupernaturales elicere, eſt poſſe cum inclinatione ad illos, ratione formæ permanentis; ſed habitus virtutum per ſe infuſarum exiſtentes ſine gratia eleuarent potentias ad operandum cum inclinatione ad actus ſupernaturales, ratione formæ permanentis, cum ipſi formæ permanentes ſint, & conſequenter poſſint permanenter inclinare potentias: ergo conſtituerent illas, non ſolum potentes proximè, ſed etiam potentes connaturaliter elicere operationes ſupernaturales.

35 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem: poſſe proximum connaturale, eſt poſſe ratione formæ permanentis, vt connaturaliter, & in ſtatu perfecto exiſtentis, concedo maiorem: ratione formæ permanentis, non exiſtentis connaturaliter, nec in ſtatu perfecto ipſi debito, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Vt enim forma aliqua operetur connaturaliter, neceſſum eſt, quod connaturaliter exiſtat, ſicut, quod abſolutè exiſtat requiritur, vt abſolutè operetur; virtutes autem reſidentes in potentijs, ſi non radicantur in gratia, ſed ſunt ſeparatæ ab illa, non exiſtunt connaturaliter, nec in ſtatu ſibi debito, vt conſtat ex dictis inter probandum noſtram concluſionem; vndè licet poſſint conſtituere potentias, potentes proximè abſolutè operari, & elicere operationes ſupernaturalis ordinis; non tamen poſſunt illas conſtituere potentes proximè connaturaliter elicere prædictas operationes, ſed vt præſtent hoc poſſe connaturale, neceſſum eſt, quod radicentur in gratia habituali, & cum illa coniungantur.

---

§. III.

Fuiſſe neceſſariam gratiam habitualem in anima Chriſti ad merendum, probatur.

36 *Secunda concluſio.* SECVNDA CONCLVSIO. *Gratia habitualis fuit neceſſaria, vt principium connaturale effectiuum, & formale meriti; de potentia tamen abſoluta potuit ſine gratia habituali mereri.*

Prima pars concluſionis probatur. Prima pars concluſionis conſtat ex dictis; loquimur namque in præſenti de merito Chriſti, quod ſupernaturale ſit quoad ſubſtantiam; ſed vt in prima concluſione docuimus, & monſtrauimus: actus ſupernaturales non poſſunt elici ab humanitate Chriſti omninò connaturaliter ſine gratia habituali: ergo meritum in actu ſupernaturali conſiſtens, pro principio effectiuo connaturali, gratiam habitualem requirit; & conſequentèr gratia habitualis neceſſaria fuit in anima Chriſti Domini, vt eſſet principium effectiuum connaturale merendi.

37 *Probatur ſecunda pars.* Secunda pars concluſionis probatur; nam formatio meriti, & dignificatio illius fit formaliter à forma ſanctificante ſubiectum, & in meritum effectiuè influente, vt ſuppono ex communi Theologorum ſententia. 1. 2. *quæſt.* 114. ſed opera Chriſti Domini meritoria, petunt gratiam habitualem pro principio ſui connaturali radicali effectiuo: ergo illam etiam expoſcunt, vt formam connaturaliter dignificantem, etſi formatione per gratiam habitualem ſuppoſita ad altiorem dignitatem eleuentur per gratiam ſubſtantialem vnionis. *Confirmatur.* Confirmatur; etenim quæuis potentia expoſcit connaturaliter per actum, vel formam ſui ordinis actuari; vel formari; ſed ſubſtantia actuum ſupernaturalium eſt in potentia, vt formetur, & media hac formatione actus ſupernaturales condigna merita conſtituantur: ergo connaturaliter petit per formam ſui ordinis informari; ſed gratia ſubſtantialis vnionis altioris ordinis eſt, nempè, ordinis hypoſtatici, gratia autem habitualis eſt eiuſdem ordinis cum prædicta potentia: ergo petit connaturaliter informari per gratiam habitualem; & conſequenter gratia habitualis fuit neceſſaria in anima Chriſti Domini ad merendum, vt principium meriti formale connaturale, id eſt, vt actus Chriſti meritorij formarentur per formam ſibi connaturalem.

38 *Vtraque pars ex D. Thom. colligitur.* Deindè vtraque pars concluſionis, probatur ex D. Th. q. 29. *de Veritate art.* 5. *ad* 4. illis verbis: *Dicendum, quod quamuis meritum Chriſti quandam infinitatis rationem habeat ex dignitate perſonæ, tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, ſine qua meritum eſſe non poteſt*: ergo ſentit Diuus Thomas, gratiam habitualem, ſaltem de lege ordinaria, & connaturaliter, neceſſariam fuiſſe animæ Chriſti ad merendum, & ex illa, vel ab ille connaturaliter ſaltem dependere actus meritorios Chriſti; tùm vt à principio efficiente; tùm vt à forma dignificante immediatè; etſi hac dignificatione ſuppoſita, infinitam dignitatem, & vim infinitè meritoriam accipiant, à perſona Verbi operante.

39 *Vltima pars concluſionis probatur.* Tandem vltima pars concluſionis, quam communiter tuentur Theologi contra Durandum, in hunc modum probatur; nam potuit Chriſtus de potentia abſoluta actus ſupernaturales elicere, & illos ad præmium ſupernaturale ordinare ſine gratia habituali; ſed actus ſic eliciti, & ad præmium ſupernaturale ordinati, eſſent merita ſupernaturalia, & condigna: ergo potuit de potentia abſoluta ſine gratia habituali mereri. Illatio eſt legitima. Minor conſtat; nam actus ſic eliciti à ſubiecto grato procederent, nempè, à Chriſto, vt homine infinitè grato, & ſancto per gratiam ſubſtantialem vnionis, eſſent liberi, boni, ſupernaturales ad præmium ordinati, & in ſtatu viæ eliciti, & ſi pactum, vel promiſſio requiritur, poſſet etiam intercedere, quæ conditiones ad meritum condignum ſufficiunt, de quo videantur Theologi 1. 2. q. 114. *Theologi.* ergo eſſent meritorij præmij ſupernaturalis. Maior autem probatur; nam actus ſupernaturales non dependent à gratia habituali eſſentialiter: ergo poſſunt ſine illa elici ab humanitate Chriſti medijs auxilijs ſupernaturalibus fluidis, & ab intrinſeco facilè tranſeuntibus. Conſequentia patet; nam dependentia non eſſentialis poteſt de potentia abſoluta suppleri: ergo ſi actus ſupernaturalis ordinis non dependent à gratia habituali eſſentialiter, poſſunt ſine illa exiſtere de potentia abſoluta.

40 *Antecedens probatur primò.* Antecedens autem oſtenditur primo; ſi actus ſupernaturales dependerent eſſentialiter à gratia habituali, actus etiam intenſiores gratia habituali præexiſtente, & illius augmentum promerentes, dependerent eſſentialitèr à gradu intenſiori gratiæ illis in præmium collatu; & conſequenter elicerentur ab illo; cum eadem ratio ſit de actibus vt intenſis comparatis cum intenſione habitus, ac de actibus quoad ſubſtantiam comparatis cum ſubſtantia habitus gratiæ, at hoc eſt impoſſibile; aliàs principium effectiuum meriti condigni ſub eodem meritu caderet, eſſetque præmium illius; quod eſſe de lege ordinaria impoſſibile communiter docetur à Theologis, & contradictionem inuoluere, eſt frequentior Theologorum ſententia: ergo actus ſupernaturales non dependent ab habitu gratiæ, dependentia eſſentiali.

41 *Secundo probatur.* Secundo probatur; nam homo exiſtens in peccato mortali tenetur aliquando Deum ſuper omnia diligere dilectione ſupernaturali, & conſequentèr eſt in actu primo potens prædictam dilectionem elicere; nam ſine potentia proxima ad actum in actu primo expedita, non ſtat obligatio inexcuſabilis ad illius elicientiam; at ſi dilectio Dei ſupernaturalis dependeret à gratia habituali eſſentialiter, in homine exiſtente in peccato mortali non daretur proxima potentia ad illam; nam ſine principio eſſentiali ſtare nequit potentia proxima ad actum, in peccatores autem non exiſtit gratia habitualis: ergo dilectio ſupernaturalis, & conſequenter alij actu meritorij non dependent eſſentialiter ab illa.

42 *Tertiò probatur.* Tertio probatur idem antecedens, & tacita ſolutio præcluditur: nam puer non baptizatus, quando primo ad vſum rationis peruenit, tenetur inexcuſabiliter; ſaltem ſecundum regularem Dei prouidentiam, Deum ſuper omnia diligere dilectione, qua poſita infallibiliter iuſtificabitur; ac proindè dilectione, quæ ſit ſupernaturalis, vt docet D. Th. 1. 2. q. 89. *art.* 6. vbi ex hoc principio colligit, *S. Thom.* nunquam poſſe peccatum veniale cum ſolo peccato originali inueniri: ergo habet in ſe principium quo poſſit proximè Deum ſuper omnia diligere; nam ſine potentia proxima non ſtat obligatio inexcuſabilis, niſi ad ſummum quando carentia potentiæ voluntaria eſt perſonaliter, quod de prædicto puero dici non poteſt, cui carentia gratiæ habitualis ſolum eſt voluntaria voluntate capitis. At in puero non diligente, & prædictum tranſgrediente præceptum, non exiſtit gratia habitualis: ergo ſine gratia habituali datur poſſe proximum in actu primo expeditum ad dilectionem ſupernaturalem; & conſequenter, non pendet ab illa dependentia eſſentiali.

43 *Confirmatur.* Confirmatur. Nam ſi ob aliquam rationem actus ſupernaturales dependerent eſſentialiter à gratia habituali, maximè, quia eſt in ordine ſupernaturali naturæ, & vita

in

in iſto ordine radicalis; ac proindè ab illa omnis actus ſupernaturalis eſſentialiter dependet; ſicut ab anima rationali, quia eſt vita radicalis intra ordinem naturæ, omnes actus naturales ab homine eliciti dependent eſſentialiter: at hæc ratio eſt nulla: ergo actus ſupernaturales non dependent eſſentialiter ab habitu gratiæ iuſtificantis; conſequenter poſſunt de potentia abſoluta ſine illo elici ab anima Chriſti Domini. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; ſi namque ratio facta aliquid probaret, conuinceret, non poſſe peccatorem fidelem actum fidei ſupernaturalem elicere; conſequens eſt hæreticum, cum ſit de fide, non deſtrui per peccatum mortale fidem, nec ſpem; & conſequenter ſit certum poſſe credere, & ſperare: ergo ratio facta nihil conuincit. Patet ſequela; etenim ſine principio eſſentiali non ſtat exiſtentia actus, nec potentia ad illum eliciendum; ſed in peccatore fideli non exiſtit gratia habitualis: ergo ſi actus ſupernaturalis credendi eſſentialiter dependeret ab illa, non daretur in peccatore fideli potentia ad prædictum actum eliciendum.

44 *Replicatur.* Reſpondebis peccatori fideli, quando elicit actum ſupernaturalem credendi, infundi habitualem gratiam, non quidem per modum habitus, ſed per modum fluidæ qualitatis: & quia, vt peccatum à ſubiecto excludatur, neceſſaria eſt habitualis gratia, non per modum diſpoſitionis, ſed per modum habitus communicata; conſequens fit, quod cum peccato mortali commiſſo à peccatore fideli componatur habitus fidei, & potentia expedita ad credendum, & actum ſupernaturalem fidei eliciendum.

45 *Sed contra primò.* Sed contra primò; vt enim frequentior, viriorque ſententia docet, eſſentiale eſt gratiæ habituali, qua iuſtificamur à Deo, peccatum excludere ab anima; nam cum non repugnet forma aliqua creata, cui excluſio peccati mortalis eſſentialiter conueniat, non eſt cur negetur repugnantiam iſtam eſſentialem conuenire gratiæ habituali, per quam de facto iuſtificamur: ergo non ſtat gratiam habitualem ſecundum ſibi eſſentialia infundi peccatori fideli, ſiuè per modum tranſeuntis, ſiue per modum formæ permanentis; quin in eodem inſtanti peccatum excludatur ab anima; & conſequenter, ſi exigitur habitualis gratia ad credendum fide ſupernaturali, non poterit in peccatore fideli ſimul cum peccato mortali exiſtere fides, nec potentia proxima ad elicientiam actus credendi.

46 *Contra ſecundò.* Deindè; nam ſi vt actus credendi eliciatur de facto, requiritur habitus gratiæ per modum tranſeuntis, & auxiliantis communicatus, vt poſſit permanenter credere, requiritur habitualis gratia, vt permanenter communicata; conſequens eſt falſum: ergo non requiritur gratia habitualis communicata per modum tranſeuntis ad credendum actualitèr. Falſitas conſequentis conſtans videtur: nam peccator fidelis ratione habitus fidei perſeuerantis in illo ſimul cum peccato mortali, eſt potens permanentèr, & habitualitèr credere; cum hoc ſit formalis effectus fidei, quo non poteſt priuari, fide in ipſo perſeuerante, & tamen habitualis gratia non eſt permanentèr in peccatore fideli; aliàs gratia habitualis in illo exiſteret ſimul cum peccato mortali per modum habitus permanentis, nec deſtrueretur per quodlibet peccatum mortale gratia iuſtificans, contra Tridentinum *ſeſ.6. de iuſtific. can.27. & 28.* ergo vt peccator fidelis poſſit permanentèr, & habitualitèr, credere non requiritur, quod in illo exiſtat gratia habitualis permanenter communicata. Sequela verò probatur indè; namque arguitur, neceſſitas gratiæ habitualis pro quolibet actu ſupernaturali eliciendo: quia ſicut vita naturalis radicalis eſt neceſſaria ad actum naturalem, vitalem ſic radicalis ordinis ſupernaturalis, quæ ſolum eſt habitualis gratia, ad omnem actum vitalem ſupernaturalem exigitur; ſed vita radicalis naturalis, non ſolum exigitur ad actualiter operandum, ſed etiam ad poſſe proximè operari: ergo vel parificatio inter vtramque vitam radicalem eſt nulla, vel affirmandum eſt gratiam habitualem, quæ eſt vita radicalis in ordine ſupernaturali, requiri, non ſolum ad actualiter operandum, ſed etiam ad poſſe proximè operari operationes ſupernaturales; & conſequenter ſine illa in ſubiecto exiſtente, non poſſe permanenter exiſtere potentiam proximè operatiuam ſupernaturalis ordinis.

47 *Contra tertiò.* Præterea; nam ſi gratia in peccatore adſtruitur ad actum fidei eliciendum, quia eſt in ordine ſupernaturali, debet in illo per modum naturæ exiſtere; modus autem, & munus naturæ eſt, facultates proximas radicare; & conſequenter erit in peccatore gratia per modum radicis. At ſub hoc munere, non exiſtit in peccatore fideli: ergo in illo gratia habitualis neceſſaria non eſt pro actu fidei eliciendo. Probatur minor primò; nam gratia habitualis vnita per modum tranſeuntis, non poteſt radicare radicatione permanente; ſed ſi eſſet in peccatore gratia per modum radicis, deberet radicare radicatione permanente; cum donum fidei, pro quo radicando adſtruitur, permanenter ſit in illo: ergo non exiſtit gratia habitualis in peccatore fideli ſecundum munus radicis.

Secundò probatur minor nam ſi in peccatore gratia habitualis exiſteret ſub conceptu naturæ, & ſub munere radicis quando elicit actum credendi, eſſent in illo omnes virtutes infuſæ; conſequens eſt falſum, & à nemine admiſſum: ergo cum peccator elicit actum credendi, non exiſtit gratia habitualis in illo ſub conceptu naturæ, & ſub munere radicis. Sequela probatur primò: nam gratiam habitualem radicantem permanenter, conſequuntur omnes virtutes permanenter, communicatæ: ergo ipſam radicantem tranſeunter conſequuntur omnes virtutes tranſeunter communicatæ. Secundò probatur: quia namque anima rationalis eſt in ordine naturali natura, non poteſt etiam tranſeunter vniri quin omnes illius proprietates tranſeunter communicentur; ſed gratia habitualis eſt natura in ordine ſupernaturali; ergo ſi vnitus ſub conceptu naturæ, & vt tranſeunter radicans, omnia dona ſupernaturalia, quæ ſunt proprietates illius tranſeunter radicantur, & per modum tranſeuntis exiſtunt. 48 *Secundò probatur minor.*

Denique tradita ſolutio reijcitur; nam ſequitur ex illa peccatorem elicientem actum credendi, eſſe iuſtum tranſeunter; conſequens eſt hæreticum: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Sequela probatur primò: nam effectus formalis ſequitur propriæ formæ conditionem: ergo ſi gratia, cuius effectus formalis eſt ſanctificatio, & iuſtificatio, poteſt tranſeunter, & permanenter communicari, eſſe iuſtum, & ſanctum, poterit etiam permanenter, & tranſeunter contingere, & conſequenter à gratia permanenter vnita præſtabitur eſſe permanenter iuſtum, & ab eadem tranſeunter communicata, eſſe iuſtum tranſeunter. 49 *Denique reijcitur.*

Secundò probatur ſequela: quia namque eſſe iniuſtum, & inimicum Dei eſt effectus formalis peccati, à peccato permanenter exiſtente præſtatur eſſe iniuſtum permanenter, & ab illo tranſeunter exiſtentem, neceſſario præſtatur eſſe iniuſtum tranſeunter; ſed eſſe iuſtum, & ſanctum eſt effectus formalis gratiæ habitualis: ergo ab illa permanenter communicata, dabitur eſſe permanenter iuſtum, & ab eadem communicata tranſeunter, præſtabitur eſſe tranſeunter ſanctum, & iuſtum; & conſequenter ſi per modum tranſeuntis exiſtit in peccatore fideli cum elicit actum fidei, erit iuſtus, & ſanctus per modum tranſeuntis. 50 *Secundò probatur ſequela.*

§. IV.

Primum argumentum diluitur.

COntra iſtam concluſionem arguitur primò; nam ſine actu charitatis non ſtat meritum condignum ſupernaturalis præmij, nec in nobis, nec in Chriſto, vt communiter docent Thomiſtæ 1. 2. *q.114. art.3.* ſed actus charitatis eſſentialiter dependet à gratia habituali; & conſequenter non poteſt ſine illa exiſtere de potentia abſoluta: ergo nec meritum condignum præmij ſupernaturalis ſine illa eſſe potuit in Chriſto de potentia Dei abſoluta. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; nam actus charitatis eſſentialitèr dependet ab habitu dante facultatem proximam in ordine ad illum; ſed habitus charitatis eſſentialiter dependet à gratia habituali: ergo actualis dilectio eſſentialiter dependet ab illa. Maior probatur; vt enim *Tract. de Viſione Dei art.5.* docuimus; viſio beatifica eſſentialiter dependet ab habitu luminis gloriæ, ſaltem per modum tranſeuntis communicato: ergo etiam actus charitatis eſſentialiter dependet ab habitu charitatis, vel permanenter, vel tranſeunter infuſo. Minor etiam ſuadetur; vt enim docet D. Thom. *in hac q. art. 2.* habitus charitatis eſt proprietas conſequens gratiam, ſicut animam conſequuntur naturales 51 *Primum argumentum. Thomiſtæ.* S. Tho.

poten-

potentiæ; ſed iſtæ taliter dependent ab anima, quod non poſſunt ſine illa exiſtere de potentia abſoluta, vel ſaltim ſine illa, non poſſunt de potentia abſoluta proprias operationes efficere: ergo habitus charitatis eſſentialiter dependet à gratia in eſſendo, vel ſaltim in operando; & conſequenter ſine illa, vel non poteſt exiſtere, vel ſaltim in actualem dilectionem influere de potentia abſoluta.

52 *Reſpondetur primò.* Reſpondeo primò, conceſſa maiori, negando minoram. Ad illius probationem, nego maiorem. Ad cuius probationem, conceſſo antecedenti nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam viſioni beatificæ; conuenit eſſentialiter permanentia, vt exacta, id eſt, exigentia permanentiæ, licet poſſit communicari, ſine permanentia actuali: ac proindè nequit in intellectu præcontineri, niſi ratione luminis permanentis ab intrinſeco, & cui exigentia permanentiæ eſſentialiter conueniat quamuis poſſit actuali permanentia priuari; eo autem ipſo, quod lumen permanens ſit ab intrinſeco, eſt habitus quoad eſſentiam, licet ſtatu habitus non gaudeat cum tranſeunter communicatur; & ideò viſio beatifica eſſentialiter dependet ab habitu vel permanenter, vel tranſeunter intellectum eleuante. Actus autem charitatis non eſt permanens ex ſuis prædicatis ſpecificis; cum ſecundum ſuam eſſentiam ſit indifferens ad eſſe liberum, vt contingit in vita; & ad eſſe neceſſarium, qualiter contingit in patria; ideoque; non dependet eſſentialiter à qualitate permanenti quoad eſſentiam, & cui exigentia permanentiæ ſit eſſentialis, ſed poteſt præcontineri in voluntate ratione auxilij ab intrinſeco non permanentis, ſed ex natura ſua facilè tranſeuntis; ac proindè non dependet eſſentialiter ab habitu charitatis.

53 *Objicies.* Sed dices: ergo ſaltim pro elicienda viſione beatifica neceſſaria fuit eſſentialiter, & indiſpenſabiliter de potentia abſoluta, gratia habitualis in anima Chriſti Domini. Patet conſequentia; fuit enim neceſſarium lumen gloriæ in intellectu Chriſti, vt in beatificam viſionem influeret tali neceſſitate, vt nec de potentia abſoluta poſſit elici ſine illo; ſed etiam anima Chriſti in viſionem beatificam præſtat influxum: ergo neceſſaria fuit eſſentialiter gratia habitualis in anima Chriſti Domini: ita vt ſine illa nequeat elici de potentia abſoluta.

54 *Reſpondetur.* Reſpondeo, etſi hoc concederemus nihil contrarium noſtræ concluſioni inferri, quæ ſolum de actibus meritorijs procedit; viſio autem beatifica actus meritorius non eſt, ſed meritorium præmium. Conſequenter tamen ad dicta *concluſioni præcedenti*, neganda eſt conſequentia. Ad illius probationem dicatur dupliciter, animam poſſe ad actus ſupernaturales concurrere, primò immediatè radicaliter, nempè, radicando principia proxima ſupernaturalium operationum: ſecundò mediatè obedientialiter, quatenus medijs potentijs à ſe radicatis eleuari poteſt ad ſupernaturales actus eliciendos; & licet vt primo modo ad beatificam viſionem concurrat, neceſſaria ſit gratia habitualis indiſpenſabiliter de potentia abſoluta, quia ad ſic concurrendum radicare debet lumen gloriæ in intellectu, quod ſine forma ſupernaturali ab intrinſeco permanente nequit præſtare; ac proindè, nec ſine gratia habituali, quæ in radice permanēte facultatum ſupernaturalium conſiſtit; vt autem ſecundo modo in beatificam viſionem influeret, gratia habitualis neceſſaria non erat; quia hoc modo eleuatur anima ſolum mediatè; & conſequenter ab eadem forma, per quam intellectus immediatè eleuatur; vnde enim intellectus per lumen beatificum ſufficienter eleuetur ad eliciendam viſionem, ſufficienter etiam per idem lumen eleuari poteſt anima ad prædicto modo influendum in illam ſine interuentu gratiæ habitualis animæ immediatè inhærentis.

55 *Contra principalem ſolutionem objicies.* Sed contra principalem ſolutionem objicies; nam actus dilectionis procedens ab habitu charitatis eſſentialiter dependet ab illo; ſed non datur duplex dilectio efficax Dei Auctoris ſupernaturalis eſſentialiter diſtincta: ergo omnis dilectio efficax ſupernaturalis Dei eſſentialiter dependet ab habitu charitatis. Conſequentia tenet. Minor eſt communis Theologorum ſententia. Maior autem probatur; nam dependentia actus vitalis à principio proximo vitali eſt dependentia eſſentialis; ſed dilectio ſupernaturalis efficax Dei dependet ab habitu charitatis, vt à principio proximo vitali: ergo eſſentialiter dependet ab illo.

56 Reſpondeo ex dictis §. 3. diſtinguendo maiorem: eſſentialiter dependet ab habitu charitatis ſecundum vltimam differentiam, per quam ab auxilio facilè tranſeunte erga idem obiectum diſtinguitur, nego maiorem: ſecundum rationem habitus charitatis, & auxilio facilè tranſeunti communem concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens diſtinctione maioris: ſolum enim ſequitur, omnem actum dilectionis ſupernaturalis Dei dependere ab habitu, vel auxilio disiunctim; non autem, quod dependeat eſſentialiter ab habitu charitatis determinatè ſecundum vltimam differentiam, per quam à qualitate fluida auxiliante circa idem obiectum diſtinguitur. *Reſpondetur.*

57 *Replicabis.* Replicabis; nam habitus charitatis diſtinguitur eſſentialiter in ratione principij dilectionis ab auxilio facilè tranſeunte: ergo non poteſt vnus, & idem actus dilectionis ſecundum eſſentiam, indifferenter ab illis procedere. Conſequentia videtur bona: non enim poteſt vnus actus ſecundum eſſentiam habere duo principia eſſentialiter in ratione principij diſtincta, nec ab illis diſiunctim procedere: ergo ſi habitus charitatis in ratione principij dilectionis diſtinguitur eſſentialiter ab auxilio facilè tranſeunte, non poterit vnus actus ſecundum eſſentiam, indifferenter procedere ab illis. Antecedens autem probatur; nam habitus charitatis diſtinguitur eſſentialiter ab auxilio facilè tranſeunte, non ſolum penès ordinem ad ſubiectum, ſed etiam penès ordinem ad obiectum, & actum; ſed quod habitui conuenit in ordine ad obiectum, & actum, illi conuenit in ratione principij: ergo diſtinguitur eſſentialiter in ratione principij dilectionis ab auxilio facilè tranſeunte; & conſequenter non poteſt vnus actus ſecundum eſſentiam ab habitu, & auxilio indifferenter procedere.

58 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: habitus charitatis diſtinguitur in ratione principij ab auxilio facilè tranſeunte, diſtinctione materiali per comparationem ad actum dilectionis, concedo antecedens: diſtinctione eſſentiali formali comparatiuè ad actum, nego antecedens, & conſequentiam. Sicut enim vnus, & idem habitus poteſt reſpicere obiecta materialiter per comparationem ad ipſum diſtincta, etſi inter ſe diſtinguatur diſtinctione eſſentiali formali: & ſimiliter vna potentia extenditur ad plures actus diſtinctos eſſentialiter inter ſe, dummodo illorum diſtinctio materialiter ſe habeat comparatione facta ad potentiam: ita vnus, & idem actus ſecundum eſſentiam, poteſt à duobus principijs diuiſim indifferenter procedere, ſi quamuis talia principia diſtinguantur eſſentialiter inter ſe, illorum tamen diſtinctio materialiter comparetur ad actum. Licet autem habitus charitatis eſſentialiter diſtinguatur ab auxilio facilè tranſeunte penès ordinem ad obiectum ex diuerſo modo reſpiciendi illud, hæc tamen diſtinctio eſt materialis comparatione dilectionis ſupernaturalis Dei; & ideò obſtare non poteſt, vt vnus actus dilectionis vnitate ſpecifica, & eſſentiali, ab vtroque *diuiſim* indifferenter poſſit procedere.

59 *Inſtabis.* Inſtabis, actus charitatis procedens ab habitu, per ſe eſſentialiter procedit ab illo ſecundum vltimam differentiam, per quam ab auxilio facilè tranſeunte ſpecificè diſtinguitur: ergo diſtinctio habitus ab auxilio formalis eſt comparatiuè ad actum. Conſequentia tenet; nam id eſt in principio, vel in cauſa formale reſpectu effectus, quod per ſe ab effectu exigitur: ergo ſi differentia eſſentialis habitus charitatis ab auxilio facilè tranſeunte per ſe exigitur ab actu procedente ab habitu eſt formalis comparatione illius. Antecedens autem probatur; nam habitus charitatis ratione vltimæ differentiæ eſt principium eſſentialiter diſtinctum ab auxilio facilè tranſeunte: ergo ſecundum vltimam ſui differentiam, eſt per ſe, & eſſentialiter actiuum; ſed omni per ſe actiuo correſpondet per ſe agibile, ſicut omni actiuo, agibile correſpondet: ergo datur actus aliquis per ſe, & eſſentialiter petens ab habitu ſecundum illam differentiam principij actiui procedere; cumque aliud eſſe non poſſit, niſi qui de facto mediante habitu elicitur, neceſſario eſt aſſerendum, differentiam eſſentialem habitus ab auxilio formaliter comparari cum illo.

60 *Reſpondetur.* Reſpondeo verum eſſe habitum, & auxilium in ratione principij actus charitatis eſſentialiter diſtingui; cæterum diſtinctio hæc, quæ eſt formalis cum habitu, & auxilio comparata, eſt materialis comparatione facta cum acto; eo quod actus talem differentiam eſſentialiter non petit, nec ab illa ſpecificatur; ſicuti è contra in actibus ab eodem habitu procedentibus contingit, qui licet multoties eſſentialiter inter ſe diſtinguantur; & conſequen-

ter

ſet dicant reſpectus eſſentialiter diſtinctos ad habitum; quia tamen hæc diſtinctio non inſpicitur per ſe ab habitu, quamuis ſit formalis comparatione facta inter actus, comparatione tamen facta cum habitu eſt omninò materialis.

61 *Ratio doctrinæ aſſignatur.* Ratio autem quare ab actu charitatis per ſe non petatur principiorum differentia, eſt, quia vt peteret eſſentialiter differentiam habitus, ſcilicet, permanentiam, oporteret, vt ipſe eſſet eſſentialiter permanens, & vt peteret eſſentialiter differentiam auxilij faciliè transeuntis, deberet eſſe eſſentialiter tranſiens; neutrum autem illi eſſentialiter conuenit, alias actus charitatis viæ, & actus charitatis patriæ eſſentialiter diſtinguerentur, quod frequentiori, & veriori ſententiæ aduerſatur. Nec obſtat probatio ibi facta: non enim eſt neceſſarium, quod omni per ſe actiuo ſecundum prædicata eſſentialia, correſpondeat per ſe agibile eſſentialiter; habitus namq; acquiſitus ſecundum ſuam eſſentiam eſt actiuus; & tamen actus, in quem inclinat, non petit eſſentialiter ab illo procedere; ſed ſufficit, quod per ſe actiuo reſpondeat per ſe agibile, vel ſecundum eſſentiam, vel ſecundum aliquem modum: vndè habitui naturali acquiſito reſpondet per ſe agibile ſecundum modum facilitatis, & habitui ſupernaturali reſpondet per ſe agibile ſecundum modum connaturalitatis.

62 *Alia ratio aſſignatur.* Poteſt etiam alia ratio aſſignari: quia, nempè, differentia eſſentialis, quæ inter habitum charitatis, & auxilium faciliè tranſiens verſatur, non ſumitur ex reſpectu ad diuerſa obiecta, & ad diſtinctos actus, ſed ex diuerſo modo tendendi ad idem obiectum, & reſpiciendi eundem actum; quando autem differentia, eſto eſſentialis ſit in principijs, naſcitur ſolum ex diuerſitate in modo reſpiciendi, non oportet, vt per ſe exigatur ab actu, alias non poſſet eſſe differentia ſolum ſumpta ex diuerſitate modi reſpiciendi eundem actum; ſi namque differentia illa per ſe exigeretur ab actu, non poſſet vtrumque principium eundem actum reſpicere; quod autem poſſit eſſentialis principiorum diuerſitas oriri ex ſolo diuerſo modo reſpiciendi eundem actum, conſtat in auxilio ſufficienti, & auxilio efficaci datis ad eundem actum, quæ eſſentialiter diſtinguuntur, & tamen illorum diuerſitas ſolum naſcitur ex diuerſo modo, quo ad eundem actum comparantur.

63 *Reſpondetur ſecundo ad principale argumentum. Ratio diſcriminis ab aliquibus aſſignatur.* Secundo ad principale argumentum propoſitum *num.* 58. reſpondeo, conceſſa etiam maiori, negando minorem. Ad probationem, prætermiſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, & permiſſa minori, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis inter potentias animæ comparatas cum illa, & charitatem, aliaſque ſupernaturales virtutes comparatas cum gratia, eſſe poteſt; nam potentiæ animæ ſunt vitales, non ſolum vt *quo*, ſed etiam vt *quod*; & quia vitale vt *quod* ſpecificatur a ſuo principio effectiuo, & conſequenter eſſentialiter dependet ab illo; conſequens fit, quod potentiæ animæ non poſſint, etiam de potentia abſoluta, ſine illius influxu dimanatiuo produci. Qua ratione vſus eſt Monteſinus 1. 2. q. 3. *art.* 2. *diſput.* 3. q. 5. *num.* 89. vt defenderet potentias vitales à ſolo Deo effici non poſſe. *Monteſ.* Charitas autem, & aliæ virtutes per ſe infuſæ, non ſunt vitales vt *quod*, ſed tantum vt *quo*; de ratione autem principij vt *quo* tantum vitalis, non eſt a principio vitæ radicali eſſentialiter procedere: & ideò eſſe poſſunt de potentia Dei abſoluta ſine influxu radicatiuo gratiæ, & ſine exiſtentia illius per immediatam efficientiam diuinam.

64 *Hæc diſferentia reijcitur.* Hæc tamen ratio diſcriminis ſuſtineri à Nobis non poteſt. Diximus enim *Tractat. de Charitate* 2. 2. *quæſt.* 23. *art.* 2. charitatem eſſe vitalem vt *quod*. Tùm, quia eſt formalis participatio voluntatis diuinæ, quæ vt *quod* vitalis eſt, nec poteſt repugnantia oſtendi, vt illius vitalitas participetur ab aliqua forma creata. Tùm etiam, nam gratia iuſtificans eſt vitalis radicaliter: ergo virtutes ab illa dimanantes ſunt vitales vt *quod* proximè. Tùm denique nam potentiæ dimanantes ab anima, idcirco ſunt vitales vt *quod*, & non ſolum vt *quo*: quia non ſolum dant animæ poſſe ſe mouere ab intrinſecu, ſed etiam ab illa, vt a principio intrinſecu dimanant; ſed charitas non ſolum dat voluntati ſe poſſe mouere ab intrinſeco ſed etiam dimanat ab intrinſeco animæ ratione gratiæ habitualis: ergo eſt vitalis, non ſolum vt *quo*, ſed etiam vt *quod*; & conſequenter ratio aſſignata diſcriminis inter potentias animæ, & charitatem, vt illæ eſſentialiter dependeant ab anima; ſecus autem charitas à gratia habituali, ſuſtineri à Nobis non poteſt.

Aliundè ergo ratio differentiæ eſt petenda, admiſſo actum charitatis ab habitu charitatis eſſentialiter dependere, vt ſimul defendatur poſſe exiſtere ſine gratia habituali. Primo, ex eo quod, licet gratia habitualis rationem naturæ in ordine ſupernaturali ſortiatur, & charitas rationem proprietatis; non tamen cum tanto rigore, gratia eſt natura, & charitas eius proprietas, ac anima, & illius potentiæ rationem naturæ, & proprietatum ſortiuntur, cum videamus, animam taliter eſſe naturam, quod non ſolum radicat potentias, ſed etiam illas in ſe ipſa recipit immediatè; gratia vero habitualis, non recipit in ſe charitatem, nec alias virtutes infuſas, ſed ipſa in anima immediatè recipitur; virtutes autem, immediatè reſident in potentijs. Sicut ergo non æquiparantur in hoc; eo quod, gratia habitualis non eſt cum tanto rigore natura, ſicut anima: ita & quoad dependentiam in eſſendo poſſunt diſcriminari: ita vt voluntas, & aliæ potentiæ animæ magis dependeant ab anima, quam virtutes ſupernaturales à gratia habituali; & ratione huius maioris dependentiæ, ex eo quod voluntas nequeat de potentia abſoluta exiſtere ſine anima; non rectè inferatur, charitatem, & alias virtutes ſupernaturales, non poſſe in ſubiecto exiſtere, illudq; potens proximè conſtituere de potentia abſoluta. 65 *Aſſignatur prima ratio diſcriminis.*

Secundo; nam ex independentia alicuius formæ in eſſendo, colligitur independentia eiuſdem in operando, & è contra ex dependentia eſſentiali in operando colligitur dependentia eſſentialis in eſſendo, ſi dependentia ſit quoad omnem operationem; vndè D. Thomas 1 *p. quæſt.* 50. *art.* 3. ex eo quod omnes operationes Angelicæ ſunt independentes à corpore, probat Angelos a corpore non dependere in eſſendo, ſed eſſe omninò immateriales, & ex eodem principio colligit *artic.* 5. eſſe ab intrinſeco incorruptibiles. Et *quæſt* 75. *art.* 2. quia anima rationalis in intelligendo, a materia, vt organo, non dependet, probat eſſe ſubſiſtentem. Et ex eodem principio *quæſt.* 90. *art.* 2. & *quæſt.* 118. *art.* 2. infert animam rationalem non dependere à materia in eſſendo nec educi de potentia illius, ſed fieri per creationem à Deo. Voluntas autem dependet eſſentialiter ab anima in operando, nec ſeparata ab illa poteſt operari; & conſequenter etiam dependet ab anima eſſentialiter in eſſendo: charitas verò ſine gratia habituali, poteſt in ſupernaturalem dilectionem influere; cum hæc a gratia habituali non dependeat eſſentialiter, vt §. *ſequenti* videbimus; & ideò nec in eſſendo eſſentialiter dependet ab illa, ſed poteſt ſine gratia habituali exiſtere de potentia abſoluta. 66 *Aſſignatur alia ratio diſcriminis. S.Tho.*

---

§. V.

Secundum argumentum, aliaque obiectiones diluuntur.

SECVNDO principaliter arguitur. Nam actus charitatis dependent eſſentialiter à gratia habituali: ergo ſi vt Chriſtus Dominus mereretur, fuit actus charitatis indiſpenſabiliter neceſſarius non potuit, etiam de potentia abſoluta ſine gratia habituali mereri. Probatur antecedens: nam actus charitatis eſt vitalis vitalitate ſupernaturali actuali; ſed vita ſupernaturalis actualis dependet eſſentialiter, non ſolum a principio proximo ſupernaturali vitali, ſed etiam à principio vitali ſupernaturali radicali: ergo actus charitatis eſſentialiter dependent à radice ſupernaturali vitali; & conſequenter eſſentialiter dependet à gratia habituali, quæ ſolum in ordine ſupernaturali eſt vitalis radicaliter. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur; actus enim vitalis naturalis dependet eſſentialiter, non ſolum à principio proximo, ſed etiam à principio remoto, & radicali vitæ ordinis naturalis: ergo actus vitalis ſupernaturalis eſſentialiter dependet, non ſolum à principio proximo, ſed etiam à principio remoto vitali ſupernaturali. Antecedens eſt communis Metaphyſicorum, & Theologorum doctrina, de qua videatur Doctor Monteſinus 1. 2. *diſp.* 3. q. 5. n. 84. aliàs intellectus ſeparatus ab anima poſſet beatificari, & voluntas ſeparata ab anima poſſet mereri, quod nullus quem vide- 67 *Secundum argumentum.* *Monteſ.*

derim docuit. Conſequentia vero probatur paritate rationis. Non enim apparet ratio aliqua ſufficiens diſcriminis, cur ſcilicet, dependentia eſſentialis actus vitalis ordinis naturæ ſit ab vtroque principio radicali, nempè, & proximo, & actus vitalis ſupernaturalis dependeat eſſentialiter à principio proximo vitali ſupernaturali, & non à principio radicali vitæ ordinis ſupernaturalis.

68 *Inſtatur argumentum.* Hoc argumentum ſi quid probat, conuincit, nullum actum ſupernaturalem elici poſſe ſine gratia habituali; etiã de potentia abſoluta. Cum enim nullus actus vitalis ordinis naturæ poſſit exiſtere de potentia Dei abſoluta ſine principio radicali, & proximo vitæ ſui ordinis, ſi paritas vrget, & aliquid probat, de omni actu ſupernaturali conuincit. Hoc autem eſſe falſum oſtendimus ſupra in actu credendi fide ſupernaturali, & diuina, exiſtente in peccatore ſine gratia habituali. Conſtatque in actibus ordinis ſupernaturalis remotè ad iuſtificationem diſponentibus, qui eliciuntur ab homine peccatore in ſenſu compoſito peccati mortalis; & conſequenter ſine gratia habituali, quæ ſaltim de lege ordinaria, non poteſt cum peccato mortali componi.

69 *Ratio differentiæ in Principijs Thomiſtarum eſt difficilis.* Sed quamuis hoc verum ſit, & inſtanti adducta ſatis efficaciter oſtendat, argumentum non conuincere, nec paritatem inter vtrumque ordinem omninò tenere; in reddenda tamen ratione diſcriminis inter ordinem naturæ, & ordinem gratiæ quantum ad dependentiam eſſentialem actuum vitalium à principio radicali vitæ, non modica difficultas exiſtit, quam hucuſque vel intactam, vel ſi quandoque inſinuatam, nunquam tamen ſuperatam vidi, in principijs Thomiſtarum docentium, gratiam habitualem eſſe vitalem vt *quo* per modum radicis, & virtutes reſidentes in potentijs eſſe vitales vitalitate proxima, totamque ſupernaturalium actuum vitalitatem, non in potentiam naturalem, ſed in formas ſupernaturales potentiam eleuantes reducendam eſſe, vt in virtutem proximam adæquatam agendi ſupernaturales actus, & in illos influendi.

70 *In alterius Principijs facilè redditur.* Si namque oppoſitum teneremus per via eſſet, & facilis argumenti ſolutio: quia, nempè, actus vt vitalis eſſentialiter petit procedere à principio intrinſeco vitali, & in vltimum vitæ principium reduci, quod eſt principium radicale; ideoque omninò implicat in rerum natura exiſtere ſine concurſu potentiæ, quæ eſt principium proximum vitalitatis ipſius, & ſine concurſu naturæ, quæ eſt principium radicale vitæ, & in quam, vt in radicem reducitur omnis vitalitas; vt ſupernaturalis autem intrinſecum principium non petit, ſed vel intrinſecum, vel extrinſecum, & ſic Deus poteſt ad actum, quatenus ſupernaturalem concurrere, vel immediatè ſe ipſo extrinſecè potentiæ vitali aſſiſtendo, vel medijs principijs proximis, & radicalibus eleuantibus intrinſecè potentias, & animam, vel tantum medijs principijs proximis fluidis, aut permanentibus, quibus immediatè eleuantur potentiæ, & illis mediantibus eleuatur anima.

71 *Traditur vera ſolutio, & aſſignatur prima ratio diſcriminis.* Quia tamen doctrinam iſtam ſæpè reiecimus, falſamque reputamus, aliter iuxta noſtra principia eſt argumento facto occurrendum, negando antecedens. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis duplex eſſe poteſt; prima, quam in hac diſputatione *n.* 65. tetigimus: quia, nempè, gratia habitualis, tametſi natura ſit, & principium radicale vitæ ordinis ſupernaturalis, non tamen eſt adeò rigoroſè natura, ſicut anima rationalis: vndè ſicut ob hanc cauſam deficit à ſubiectandi, & in ſe ipſa immediatè recipiendi proprietatibus ordinis ſupernaturalis; virtutes namque non recipiuntur in gratia, ſed immediatè in potentijs ſubiectantur, quas ad operandum eleuant; cum tamen anima rationalis ſuas proprietates immediatè recipiat, ob eandem etiam cauſam deficit à terminanda eſſentiali dependentia ſupernaturalium actuum, quamuis actus naturales vitales humani ab anima rationali eſſentialiter dependeant. Vndè ſicut iſta conſequentia non valet: *Potentiæ ſpirituales vitales, immediatè recipiuntur in anima, quæ eſt natura ſubſtantialis in ordine naturali; ergo proprietates ordinis ſupernaturalis immediatè ſubiectantur in gratia, quæ eſt in ordine ſupernaturali natura;* Ita hæc conſequentia non tenet: *Actus vitales naturales eſſentialiter dependent à principio radicali vitæ ordinis naturalis; ergo actus vitales ſupernaturales dependent eſſentialiter à principio radicali vitæ ordinis ſupernaturalis.*

72 Secunda ratio diſcriminis eſt, quam dedimus *Tract. de Charitate à 2.2. q. 23. art. 2.* quia, ſcilicet, anima rationalis eſt natura ſubſtantialis proprietariè, & ratione ſui, non autem vt ad alterius ordinem eleuans; & ideo omnis vitalitas, quæ in homine reperitur, petit in ipſam vltimatè reduci; gratia verò eſt natura vitalis; veluti ſubſtitutiuè, & eleuatiuè per modum formæ ad diuinum ordinem eleuantis; & quia Deus poteſt diuerſimodè hominem eleuare ad elicientiam ſupernaturalium actuum, ſcilicet, vel per principia fluida, & tranſeuntia, vel per principia permanentia proxima, & radicalia, vel tantum per principia proxima permanentia; ſit conſequens, quod actus ſupernaturales vitales, etſi à gratia, vt à principio radicali connaturali depẽdeant, non tamen habeant eſſentialem dependentiam ab illa, ſed poſſint ſine interuentu concurſu radicalis gratiæ, medijs principijs proximis in Deũ vltimatè reduci. *Altera ratio diſcriminis redditur.*

Sed dices, quamuis formæ ſupernaturales intrinſecè eleuantes potentias, illaſque conſtituentes in actu primò proximo ad operandum, ſint vitales, non per modum potentiarum, ſed tantum eleuatiuè; nihilominus actus ſupernaturalis ordinis eſſentialiter ab illis dependent, non minus, quam actus naturales à potentijs naturalibus; vndè, non poſſunt actus ſupernaturales de potentia Dei abſoluta exiſtere ſine illis; ergo quamuis gratia habitualis ſit radix, & natura eleuatiuè, dependebunt nihilominus actus ſupernaturales vitales ab illa, non minus, quam ab anima rationali actus humani ordinis naturalis dependent; & conſequenter non poterunt ſine illius influxu exiſtere, etiam de potentia abſoluta. 73 *Obijcit.*

Reſpondeo, argumentum procedere poſſe, vel de principijs proximis permanentibus, vel abſtrahendo ab immanentibus, & tranſeuntibus: ſi primo modo procedat, falſum eſt antecedens. Nam ſicut ſine gratia habituali poteſt actus dilectionis exiſtere de potentia abſoluta; ita & ſine habitu charitatis elici poteſt à voluntate eleuata per auxilium facilè tranſiens; vndè etiam in hoc diſparitas aſſignata, verſatur inter habitus ſupernaturales, & potentias naturales; non enim poteſt actus charitatis exiſtere ſine voluntatis concurſu, etiam de potentia abſoluta; poteſt autem huiuſmodi attenta potentia exiſtere ſine concurſu habitus charitatis, eleuata voluntate per auxilium facilè tranſiens. Si verò argumentum procedat de principijs proximis ordinis ſupernaturalis, abſtrahendo à fluido, & permanente, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam actus ſupernaturalis vitalis, non poteſt exiſtere de potentia abſoluta ſine influxu potentiæ, nec potentia in illum poteſt influere ſine præcontinentia per modum actus primi, & cum ratione ſuæ innatæ virtutis ſupernaturalem actum non præcontineat; ſit conſequens, vt indiſpenſabiliter ſit neceſſarium principium aliquod præcontinentiam præſtans; & conſequenter potentiam phyſicè informans. Et quia Deus non poteſt ſe ipſo phyſicè potentiam informare; conſequens ſit, quod debeat formam aliquam ſupernaturalem efficere, media qua potentia virtuoſa conſtituatur, & actum ſupernaturalem præcontinens. Gratia habitualis non dat potentijs præcontinentiam actuum ſupernaturalium; & adeò ſine illa poſſunt elici, & exiſtere de potentia abſoluta. 74 *Reſpondetur.*

Inſtabis; nam ad exiſtentiam actus ſupernaturalis, non ſolum exigitur influxus potentiæ, quæ eſt principium proximum illius, ſed etiam influxus animæ, quæ eſt principium radicale; & conſequenter, non ſolum in potentia, ſed etiam in anima debet præcontineri; ſed gratia habitualis eſt forma præſtans animæ præcontinentiam actus ſupernaturalis, ſicut habitus, aut auxilia præſtant præcontinentiam potentijs; ergo ſicut non poſſunt exiſtere de potentia abſoluta ſine principio ſupernaturali proximo præſtante potentijs præcontinentiam; ita ſine radicali principio ſupernaturali, quod eſt gratia habitualis, nullatenus valent exiſtere. 75 *Inſtatur.*

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: influxus animæ radicalis ſupernaturalis, nego maiorem: radicalis, vel mediatus obedientialis, concedo maiorem. & ſub eadem diſtintione minoris, nego conſequentiam. Nam anima dupliciter poteſt in actus ſupernaturales influere; primo radicaliter, nempè, radicando habitus ſupernaturales eleuantes potentias, illiſque præſtantes proximam præcontinentiam, & hoc modo non poteſt anima influere, etiam de potentia abſoluta ſine gratia habituali, per quam conſtituatur radix prædictorum habituum. Secundo mediatè, non radicaliter, ſed obedientialiter, quatenus eleuatis potentijs, ex vi eiuſdem formæ ipſas imme- 76 *Reſpondetur.*

diatè

diatè eleuantis, eleuatur anima mediatè ad agendum ſupernaturaliter; & vt iſto modo anima concurrat ad actus ſupernaturales, non indiget gratia habituali; cum hæc eleuatio fiat in vi eiuſdem formæ immediatè potentias, & mediatè animam efficientis, ſiuè habitus ſit, ſiuè auxilium. Vndè vt abſolutè anima rationalis contineat ſupernaturales actus, gratia habitualis, potentia abſoluta inſpecta, neceſſaria non eſt.

77 *Replicabis.* Sed vrgebis adhuc; non enim poſſet anima in actus naturales vitales influere per influxum mediatum, niſi potentias proximas radicaret: ergo pariter, non poterit in actus ſupernaturales mediatum influxum ſupernaturalem præſtare, niſi radicet facultates ſupernaturales reſidentes in potentijs dantes illis poſſe proximum ad operandum; & conſequenter, ſi ad concurrendum per influxum mediatum radicalem, gratia habitualis eſt indiſpenſabiliter neceſſaria, eadem neceſſitate requiritur ad abſolutè influendum, & ſine illa non poteſt influere, etiam de potentia abſoluta.

78 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo primo, negando antecedens. Si namque animæ rationali ſine illius radicali influxu intellectus infunderetur, quod plures cenſent poſſibile, poſſet nihilominus medio intellectu intelligere; ſicut intellectus vitaliter credit, & vitaliter videt intuitiuè Deum, etſi habitus fidei, & habitus luminis gloriæ, medijs quibus influit in prædictos actus, non procedant dimanatiuè ab intellectu, ſed ſolum ſubiectiuè recipiantur in illo. Et ſimiliter voluntas vitaliter, & liberè amat ſupernaturali amore, medio habitu charitatis ab illa non dimanante, ſed tantum ipſi inhærente.

79 *Reſpondetur 2.* Vel ſecundo reſpondeo, prætermiſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam in ordine ad actus ſupernaturales, principium illorum proximum adæquatum coaleſcit ex potentia, & habitu, potentia ingrediente per modum principij proximi immediati immediatione potentiæ, non immediatione virtutis, & habitu ingrediente, vt virtute proxima adæquata; vndè, vt anima mediatum influxum præſtet in actus ſupernaturales ſufficit, quod radicet potentiam, etſi in habitum eleuantem potentiam, non exerceat influxum radicis. Nam eo ipſo, quod potentia in anima radicata eleuatur immediatè ad ſupernaturalem actum eliciendum, anima radicans potentiam eleuatur mediatè, & ad mediatum influxum in ſupernaturalem actum præſtandum. In ordine autem ad actus naturales adæquatum principium proximum ſe tenens ex parte agenti, eſt potentia ratione propriæ, & innatæ virtutis; vndè ſi hæc non radicetur in anima, nihil erit in principio proximo radicatum in illa; ac proindè, non poterit mediatè naturaliter in actus naturales vitales influere, iuxta doctrinam in antecedenti aſſumptam.

§. VI.

Neceſſitas auxilii ſupernaturalis ad meritum in Chriſto, explicatur, & probatur.

80 *Tertia concluſio. Vincent. Cabrer. Aluar. Nazar. Zippul.* TERTIA CONCLVSIO. *Sine gratia ſupernaturali auxiliante, non potuit Chriſtus mereri præmium ſupernaturale, etiam de potentia abſoluta.* Hanc tenent Vincentius *relectione de Gratia Chriſti q. 5. pag. 248.* Cabrera *in præſenti diſp. 3.* Aluarez *diſp. 31.* Nazarius *controu. 2.* & Zippul. *dub. 5. §. 2.* Et probatur; actus enim non ſupernaturalis elicitiuè, aut imperatiuè, non potuit eſſe meritorius præmij ſupernaturalis in Chriſto, etiam de potentia abſoluta; ſed actus ſupernaturalis aliquo ex prædictis modis non potuit elici ab humanitate Chriſti ſine gratia auxiliante ordinis ſupernaturalis etiam inſpecta abſoluta Dei potentia: ergo adhuc de potentia abſoluta non potuit Chriſtus præmium ſupernaturale mereri ſine gratia ſupernaturali auxiliante.

81 *Minor ſuadetur.* Conſequentia eſt legitima. Minor conſtat ex his, quæ latè docuimus *Tract. de Charitate 2. 2. q. 23. art. 2. & 1. p. q. 12. art. 5.* Et ſuadetur breuitèr, ſupponendo actum eſſe poſſe ſupernaturalem duplicitèr: primo elicitiuè, cum, ſcilicet, medio principio ſupernaturali, vt eliciente cauſatur, & ex motiuo ſupernaturali, vt fine operis procedit: ſecundo imperatiuè, cum, ſcilicet, quamuis in ſua entitate naturalis ſit, & à principio naturali elicitiuè procedat, & motiuum naturale reſpiciat vt finem operis, ab operante tamen ad finem ſupernaturalem mediante actu ſupernaturali refertur, ex qua relatione honeſtate ſupernaturali actus imperantis veſtitur, vt quando quis elicit actum miſericordiæ naturalem ex motiuo dilectionis Dei, tanquam ex fine operantis; vndè non poteſt actus aliquis eſſe ſupernaturalis imperatiuè, quin præexiſtat, vel præextiterit actus elicitiuè, & ſubſtantialiter ſupernaturalis, ex cuius imperio fiat. Quo ſic prænotato, minor argumenti ſuadetur; implicat potentiam elicere actum, quem in ſe non præcontineat intrinſecè per modum cauſæ effectiuæ; ſed potentiæ humanitatis Chriſti, non præcontinent ratione ſui intrinſecè per modum actus primi actum ſupernaturalem; cum virtus adæquata proxima potentiæ naturalis reſpectu actuum ſupernaturalium, ſit forma ſupernaturalis eleuans, vt fusè *allegatis locis* monſtrauimus: ergo implicat, quod potentiæ animæ Chriſti actum ſupernaturalem eliciant, niſi eleuentur per formam ſupernaturalem, ratione cuius illum in ſe præcontineant; & conſequenter implicat actum meritorium præmij ſupernaturalis ab humanitate Chriſti procedere, abſque gratia ſupernaturali auxiliante.

Maiorem principalis diſcurſus, ad quam præſens difficultas, deuoluitur, nimirùm, actum non ſupernaturalem elicitiuè, aut imperatiuè, non potuiſſe eſſe meritorium præmij ſupernaturalis in Chriſto: probant aliqui ex Vincentio *vbi ſupra*; actus enim meritorius proportionari debet cum præmio; ſed præmium eſt ſupernaturale, non ſolum moraliter, aut ſecundum aliquam entitatem moralem, ſed etiam phyſicè, & ſecundum ſuam phyſicam entitatem: ergo actus meritorius illius debet eſſe ſupernaturalis, non ſolum ſupernaturalitate morali ex dignitate ſuppoſiti operantis deſumpta, ſed etiam ſupernaturalitate phyſica, & entitatiua, quam ſupernaturalitatem non poteſt in Chriſto habere, niſi elicitiuè, aut imperatiuè ſupernaturalis ſit; & conſequenter implicat, actum aliquem eſſe meritorium præmij ſupernaturalis in Chriſto, niſi ſit ſupernaturalis aliquo ex prædictis modis. 82 *Maiorem aliqui probant.*

Hæc tamen ratio, & probatio maioris non vrget, & reijcitur primo; nam humanitas Chriſti ratione ſolius ſupernaturalitatis moralis à diuinitate ſumpta, eſt digne gloria ſubſtantialiter ſupernaturali per modum hæreditatis; cum illo hoc modo æterna beatitudo debeatur ratione ſanctitatis ipſi præſtitæ à diuinitate, à qua tamen non phyſicè, ſed moraliter ſanctificari, conſtat ex dictis *diſp. 21.* ergo etiam ratione ſolius dignitatis moralis ſupernaturalis, poſſunt actus meritorij eſſe digni præmio ſupernaturali phyſicè, & entitatiuè. Patet conſequentia. Non enim maior proportio requiritur inter meritum, & præmium, quam inter gratitudinem, & hæreditatem: ergo ſi per ſolam gratificationem moralem adeſt proportio ſufficiens ad condignitatem hæreditatis; adeſſe etiam poterit ratione ſolius moralis ſupernaturalitatis condignitas ſufficiens in actu præmij ſupernaturalis. 83 *Reijcitur primò.*

Secundo reijcitur; nam actus entitatiuè naturalis, poteſt ex imperio actus ſupernaturalis mereri condignè gloriam; & tamen talis actus non eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam ſupernaturalis: ergo ad condignitatem præmij ſubſtantialiter ſupernaturalis, non requiritur in merito ſupernaturalitas phyſica ſubſtantialis. Denique; nam ſi quis ſe, & omnia ſua efficacitèr referat in Deum Auctorem ſupernaturalem, & hac relatione moraliter perſeuerante, opera bona moralia ordinis naturæ efficiat, huiuſcemodi opera ſunt condigna merita gloriæ, vt ſuppono ex communi ſententia, de qua *1. 2. q. 114. art. 1. 3. & 4.* & tamen non habent ſupernaturalitatem phyſicam, ſed tantum moralem; cum actus imperans, à quo ſupernaturalitatem accipiunt, non exiſtat phyſicè, ſed tantum moraliter: ergo inter actum ſupernaturalem ſolum moraliter, & præmium phyſicè ſupernaturale adeſt proportio ſufficiens ad rationem meriti condigni. 84 *Secundò reijcitur.* *Denique impugnatur.*

Secundo alij probant maiorem; nam actus nullatenus ſupernaturalis, non poteſt eſſe condignus præmij ſupernaturalis; ſed actus non ſupernaturalis, elicitiuè, aut imperatiuè, nullatenus eſt ſupernaturalis: ergo actus, qui non eſt ſupernaturalis aliquo ex prædictis modis, non poteſt præmium ſupernaturale mereri. Maior cum conſequentia tenet: minor autem probatur; nam ſi talis actus in Chriſto aliqua ſupernaturalitate gauderet, maximè eſſet ſupernaturalitas moralis à dignitate ſuppoſiti operantis deſumpta; ſed hæc ſupernaturalis non eſt; nam ſupernaturalitas non eſt differentia actus in linea morali, ſed tantum in linea phyſica: ergo niſi actus ſit elicitiuè, aut impe- 85 *Alterum probatur.*

imperatiuè ſupernaturalis, nullatenus eſt ſupernaturalis, nec in nobis, nec in Chriſto.

86 *Contra rationem iſtam obſtat primò.* Sed nec vrget hoc argumentum: primò, quia actus imperatus ſolum moraliter à charitate, eſto entitatiuè naturalis ſit, eſt meritorius vitæ æternæ de condigno, vt modò ſupponimus cum probabili Theologorum ſententia locis vbi *proximè* adductis; & tamen non eſt ſupernaturalis phyſicè, ſed tantum moraliter; nam ab actu charitatis, ſolum moraliter imperante nihil phyſicum poteſt recipere: ergo ſupernaturalitas, non eſt differentia actus in

Secundò. linea phyſica tantum, ſed etiam in linea morali. Præterea: nam actus noſtri ſupernaturales, conſtituuntur merita de condigno per informationem gratiæ iuſtificantis, non phyſicam, ſed moralem; actus enim ab homine iuſto eliciti, non informantur phyſicè à gratia habituali; & tamen hæc informatio, vel formatio actuum ſupernaturalium ſupernaturalis eſt; aliàs in quantum condigna merita, tales actus ſupernaturales non eſſent: ergo conceptus ſupernaturalitatis non eſt alligatus ad lineam phyſicam actus, ſed etiam ad moralem extenditur.

87 *Tertiò.* Deindè, nam dignificatio, & ſanctificatio humanitatis Chriſti à Deitate ſibi hypoſtaticè vnita, non eſt phyſica, ſed moralis, vt conſtat ex dictis *diſput.* 21. & tamen non naturalis, ſed ſupernaturalis eſt, cum excedat omnis naturæ exigentiam: ergo idem quod prius.

88 *Tandem obſtat.* Denique, & à priori; nam id, quod excedit exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis, ſupernaturale eſt; ſed dignitas, quæ ſolum moralis ſit, poteſt hunc exceſſum habere, vt conſtat in exemplis adductis; dignitas namque moralis ex imperio charitatis proueniens; dignitas etiam conueniens actibus ex formatione per gratiam iuſtificantem, ac denique, dignitas conueniens humanitati à diuinitate ſibi hypoſtaticè vnita, ſupra exigentiam omnis naturæ eleuentur, cum tamen morales ſint: ergo dignitas ſolum moralis poteſt ſupernaturalis eſſe; & conſequenter ſupernaturalitas non eſt lineæ phyſicæ alligata, ſed etiam ad lineam moralem extenditur.

89 *Denique; ab alijs probatur.* Aliorum probatio ſumitur à paritate operum hominis iuſtificati, in quo actus non ſupernaturalis aliquo ex prædictis modis, ſed adæquatè naturalis, & ex viribus naturæ profectus, quantumuis bonus ſit, & boneſtus boneſtate morali, & ab homine grato, Deique amico procedat, meritorius præmij ſupernaturalis non eſt, vt docent Bonauentura, Scotus, Durandus, Paludanus, Alexander, Almaynus, & frequentius alij Theologi, quos refert, & ſequitur Doctor

Monteſ. Monteſinus 1. 2. q. *diſputat.* 36. *q.* 2. *nu.* 204. ergo pariter actus non ſupernaturales elicitiuè, aut imperatiuè, ſed vndique naturales, & ex viribus naturæ eliciti ab humanitate Chriſti, quamtumuis à ſubiecto grato gratitudine perſonali procedant, eſſe nequeunt meritorij præmij ſupernaturalis.

90 *Hoc argumentum non vrget.* Sed nec iſti efficaciter arguunt; poteſt enim manifeſta ratio diſcriminis inter opera humanitatis Verbo hypoſtaticè vnitæ, & opera puri hominis iuſtificati conſtitui, conſiſtens in eo, quod gratia habitualis non informat moraliter actus, in quos phyſicè non influit; actus autem vndique naturales, & eliciti ex viribus liberi arbitrij non eleuati per gratiam auxiliantem ſupernaturalis ordinis, non procedunt efficienter phyſicè à gratia habituali; ideoque licet ab homine grato ſpecificatiuè ſumpto procedant, non informantur per gratiam iuſtificantem, nec dignificentur ab illa, nec condigna merita conſtituuntur. In Chriſto autem omnes actus eliciti ab illius humanitate, procedunt à ſuppoſito Verbi; non enim eſt conſtitutum in libera poteſtate humanitatis operari, non influente ſuppoſito Verbi in illius operatione, ex ſuppoſitione, quod ab illa egrediantur, quamuis ſit poſitum in eius libera facultate operari; & conſequentes ſuppoſitum Verbi neceſſario dignificat, & informat moraliter omnes operationes ab humanitate elicitas; cumque iſta dignificatio, & informatio ſupernaturalis ſit; fit conſequens, quod omnes operationes procedentes ab humanitate Verbo hypoſtaticè vnita, neceſſario gaudent ſupernaturaliter morali.

Aliter ergo eſt probandum actum non ſupernaturalē aliquo ex prædictis modis, nempè, elicitiuè, aut imperatiuè, non poſſe eſſe meritorium præmij ſupernaturalis. Primò,

91 *Aſſumptū probatur 1.* nam actus non ſupernaturalis elicitiuè, aut imperatiuè, nequit eſſe diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, nec proxima, nec remota; aliàs ex viribus liberi arbitrij, poſſet vnus homo ſe diſcernere ab alio, cōtra illud Pauli 1. *Corint.* 4 *verſ.*

1. Cor. 4. verſ. 7. *Quis te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti?* Poſſet etiam aliquid ad vitam æternā conducens ex viribus proprijs efficere contra illud Pauli 2 *ad Cor.* 3. *verſ.* 5. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Et contra Trid. *ſeſ.* 6. *de iuſtificatione c.* 5. *&* 6. *& can.* 1. *&* 3. Sed magis requiritur ad meritum premij ſupernaturalis, quam ad diſpoſitionem remotam ad gratiam; cum plures actus remote ad gratiam diſponentes, merita præmij ſupernaturalis non ſint: ergo actus non ſupernaturalis elicitiuè, aut imperatiuè, nequit eſſe meritorius præmij ſupernaturalis. *2. Cor. 3. verſ. 5. Concil. Trid.*

Secundo probatur; vt enim docet D. Tho. 1. 2. q. 21. ar. 3. *Actus humanus eſt meritorius, vel demeritorius, ſecundum quod eſt bonus, vel malus*: ergo ratio meriti neceſſario ſupponit moralem bonitatem in actu; & conſequenter ratio meriti premij ſupernaturalis debet boneſtatem ſupernaturalē ſupponere; ſed actus ſupernaturalis elicitiuè, aut imperatiuè, bonitate ſupernaturali non gaudet; cum bonitas ſupernaturalis, ex obiecto, & fine operis, aut ex fine operantis, aut ex alijs circumſtantijs ſumatur, vt volunt; nulla autem circumſtantia ſupernaturalis poſſit attingi formaliter per actum vndique naturalem: ergo actus, qui aliquo ex prædictis modis ſupernaturalis non ſit, nequit eſſe meritorius. 92 *Secundò probatur.*

Si dicat, in actibus ab humanitate Chriſti procedentibus, licet nec elicitiuè, nec imperatiuè ſupernaturales ſint, reperiri bonitatem ſupernaturalem moralem ſumptam ex circumſtantia perſonæ Verbi operantis; & ex iſto capite, poſſe eſſe meritorios præmij ſupernaturalis, quamuis nec eliciantur media gratia ſupernaturali auxiliante, nec ab actu ſupernaturali imperentur, ſed ex viribus liberi arbitrij humanitatis tantum procedant. 93 *Si dicat.*

In contrarium obſtat, quod vt circumſtantia tribuat actui bonitatem, vel malitiam moralem, debet eſſe cognita, & volita ab operante, vt tradit communis Theologorum ſententia 1. q. 18. ar. 3. quo circa, ſi coniugatus inuincibiliter ſtatum coniugij ignorans alienæ fœminæ carnaliter coniungatur, adulterij crimen non committit, nec illius actus, adulterij malitia viciatur; ſed per actum vndique naturalem, non poteſt Chriſtus velle circumſtantiam perſonæ operantis, cum ſupernaturalis ſit; & conſequenter in attingibilis formaliter per actum vndequaque naturalem: ergo non poteſt ex illa bonitas ſupernaturalis moralis in talem actum obiectiuè deriuari. 94 *In contrarium.*

Tertio principale aſſumptum probatur; vt enim actus ſit meritorius apud aliquem, debet ordinari ad ipſum. Tùm, quia meritum, vt communiter docetur à Theologis eſt *opus factum in obſequium præmiantis.* Tùm etiam: quia id expreſsè docet D. Th. 1. 2. q. 21. art. 3. ibi; *Meritum dicitur in ordine ad retributionem, quæ fit ſecundum iuſtitiam; retributio autem ſecundum iuſtitiam fit alicui, ex eo quod agit in profectum, vel nocumentum alterius.* Et *Art.* 4. *in princip.* corp. illis verbis: *Actus alicuius hominis habet rationem meriti, vel demeriti, ſecundum quod ordinatur ad alterum.* Et 1. 2. q. 114. art. 1. ad 2. ibi; *Ideò aliquid meremur à Deo, non quaſi ex noſtris operibus aliquid ei accreſcat, ſed in quantum propter eius gloriam operamur.* Ex quibus teſtimonijs manifeſtè colligitur, quod vt opus aliquod meritorium ſit apud Deum neceſſarium eſt, quod ad ipſum formaliter, aut virtualiter ordinetur; & conſequenter, quod vt opus meritorium ſit apud Deum Auctorem ſupernaturalem, debet ad ipſum, vt Auctorem ſupernaturalem referri formali, aut virtuali relatione; ſed actus vndequaque naturalis non reſpicit, nec poteſt reſpicere Deum, vt ſupernaturalem Auctorem ratione ſui, cum prout ſit adæquatè à Deo, vt naturæ Auctore efficienter procedat; & conſequenter in eodem, vt fine naturali ſiſtat, nec ratione alterius; cum ad hoc requiratur actus imperans, & ordinans, qui ſit ſupernaturalis, ratione cuius actus, qui elicitiuè naturalis eſt, fiat ſupernaturalis imperatiuè: ergo actus non ſupernaturalis aliquo ex prædictis modis, nihil poteſt apud Deum, vt ſupernaturalem Auctorem mereri; & conſequenter præmij ſupernaturalis meritorius eſſe nequit; nam meritum præmij ſupernaturalis, neceſſario debet apud Deum Auctorem ſupernaturalem, à quo vt ſic obtinendum. 95 *Probatur.* *S. Thom.*

Quarto idem aſſumptum probatur ratione D. Tho. 1. 2. q. 114. art. 2. *Actus enim cuiuſcunque rei non ordinatur diuinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ eſt principium actus; hoc enim eſt ex inſtitutione Diuinæ prouidentiæ, vt nihil agat vltra ſuam virtutem*; ſed præmium ſupernaturale excedit proportionem virtutis, quæ eſt principium adæquatum actus vndique naturalis, cum talis virtus naturalis ſit, & conſequenter intra naturæ ter- 96 *Quarto probatur.*

terminos contineatur effectiuè, obiectiuè, & finaliter: ergo actus naturalis omninò, non ordinatur ad præmium ſupernaturale; & conſequenter non eſt meritorius illius.

97 *Denique principale aſſumptũ probatur.* Denique probatur; ſi namque ob aliquam rationem actus non ſupernaturalis, nec eliciuè, nec imperatiuè, poſſet in Chriſto præmium ſupernaturale mereri, maximè, quia dignificaretur à ſuppoſito Verbi, & valoraretur ab illo, quæ dignificatio, & valoratio ſupernaturalis eſt; at hæc ratio eſt nulla: ergo actus non ſupernaturalis aliquo ex prædictis modis, nec etiam in Chriſto eſſe poteſt meritum præmij ſupernaturalis. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem oſtenditur primò; vt enim *S. Thom.* docet D. Th. 1. 2. *q.* 114. *art.* 3. vt actus ex dignitate operantis reddatur condignus ſupernaturalis præmij, oportet, vt quatenus ex libero arbitrio procedit, habeat congruitatem vel proportionem cum tali præmio; ſed actus humanitatis Chriſti, nec eliciuè, nec imperatiuè ſupernaturalis, non habet prout à voluntate Chriſti procedit congruitatem, aut proportionem cum præmio ſupernaturali, cum eliciatur ab illa ex viribus puræ naturæ, abſque aliqua forma ſupernaturali eleuante, ſicque in hac conſideratione eiuſdem omninò rationis cum actu à nobis elicito ex viribus liberi arbitrij, in quo nec congruitas, nec proportio cum præmio ſupernaturali inuenitur: ergo ex dignitate perſonæ Verbi operantis, non ſit meritum condignum præmij ſupernaturalis.

98 *Secundò, probatur minor.* Secundo probatur minor; nam actus ab aliquo elicitus, non dignificatur ex valore perſonali, niſi reſpectiuè ad præmium, ad quod ab operante ordinatur ordine proportionato; ſed actus vndique naturalis non ordinatur ab operante ad præmium ſupernaturale, cum ad hanc ordinationem intercedere deberet actus aliquis ſupernaturalis: ergo ratione dignitatis perſonæ Chriſti operantis, non redditur dignus præmij ſupernaturalis.

99 *Denique probatur minor.* Denique probatur minor; nam ex oppoſito fieret, vt actus indifferentes eliciti à Chriſto Domino (dato, quod ſint in indiuiduo poſſibiles, & Chriſto non repugnantes) eſſent ratione dignitatis perſonæ condigna merita præmij ſupernaturalis; conſequens eſt falſum, & à nemine admiſſum, quem viderim: ergo quod actus vndique naturalis media humanitate elicitus à ſuppoſito verbi procedat, non probat, quod ratione dignitatis à perſona Verbi ſumptæ reddatur condignum meritum præmij ſupernaturalis. Probatur ſequela; nam valor perſonalis, ſeu dignitas ex perſona Verbi ſumpta eiuſdem rationis eſt, reſpectu actus indifferentis, & reſpectu actus honeſti honeſtate ſolum naturali; & aliàs proportio cum præmio ſupernaturali non eſt neceſſarium, quod præſupponatur in actu ante talem dignitatem, cum in actu vndique naturali non præſupponatur proportio, & tamen dignus conſtituatur præmij ſupernaturalis à perſona Verbi operante in oppoſita ſententia: ergo ſequitur ex illa actus in indiuiduo indifferentes, ſi elicerentur ab humanitate Chriſti, fore merita condigna præmij ſupernaturalis, contra communem Theologorum ſententiam 1. 2. *q.* 114. *art.* 1. vnanimi conſenſu affirmantium, bonitatem moralem actus, eſſe omninò neceſſariam ad meritum.

---

§. VII.

Oppoſita ſententia cum ſuis fundamentis proponitur.

100 *Hæc ſententia duplici modo defenditur.* CONTRARIAM noſtræ concluſionis ſententiam docuere quidam graue Theologi, quos ſine nomine refert Vincentius *relectione de Gratia Chriſti q.* 5. *art.* 1. *Vincent.* aſſerentes humanitatem in puris naturalibus à Diuino Verbo aſſumptam, hoc eſt, omni dono gratiæ, ſiuè habitualis, ſiuè actualis, deſtitutam (vt potuit de potentia abſoluta contingere) poſſe in vi vnionis ad Verbum omnes operationes entitatiuè ſupernaturales elicere; & conſequenter actiones meritorias ſupernaturalis præmij exercere, quibus adiungendum cenſet Medinam *in hac q. art.* 1. *ad 3. arg.* Tenent etiam Suarez *infra diſp.* 29. *ſect.* 3. *concl.* 4. cui aliqui Recentiores ex ſua familia adhæſere, & ex noſtris Illuſtriſſimus Araujo *in præſenti dub.* 2. *ſolut. ad* 5. *& vlt. arg.* docentes, actus omnes naturales à Chriſto Domino elicitos, eſto non ordinarentur ex imperio alterius actus ad finem ſupernaturalem, fore merita condigna ſupernaturalis præmij. Eidem ſententiæ ſubſcribere tenentur, docentes, omnes actus hominis iuſtificati, quamuis non procedant ex motiuo ſupernaturali, nec eliciuè, nec imperatiuè, eſſe meritorios vitæ æternæ de condigno; pro qua referuntur Capreolus *in diſt.* 40. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. Magiſter Soto *lib.* 3. *de Natura, & Gratia c.* 4. & Magiſter Medina 1. 2. *q.* 114. *art.* 4. *Medin. Suar. Araujo. Capreol. Soto. Medin.*

101 *Arguitur primo in fauore primi modi dicendi.* Arguitur primo pro Auctoribus primi modi dicendi; ad eliciendas enim actiones ſupernaturales non ſunt ſimpliciter neceſſarij habitus per ſe infuſi, ſed ſufficit, ſecundum frequentiorem Theologorum ſententiam, auxilium Dei ſpeciale actuale fluidum, & facilè tranſiens; ſed vnio humanitatis cum Verbo, multo melius poteſt illam ad ſupernaturales actus eliciendos eleuare, qualibet gratia auxiliante, cum ſit participium ſupernaturale omni gratia auxiliante excellentius, imò; & gratia habituali: ergo humanitas in vi illius omni alio dono accidentali, ſiuè actuali, ſiuè habituali ſecluſo, poteſt ſupernaturales actus elicere; & conſequenter poteſt ſine omni gratia auxiliante, ab vnione ſubſtantiali cum Verbo diſtincta, præmium ſupernaturale mereri.

102 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: etenim modus ſubſtantialis vnionis, quo humanitas Verbo vnitur, eſto excellentior ſit omni dono accidentali gratiæ, non tamen eſt operatiuus radicaliter; aliàs eſſet formalis participatio ſubſtantialis naturæ diuinæ, quæ in radice operationum diuinarum conſiſtit. Nec etiam eſt principiũ *quo* proximè operatiuum; non enim reſidet immediatè in potentijs, nec ad operandum ordinatur, ſed munus illius eſt vnire humanitatem cum Verbo; ideoque non poteſt humanitas, ratione prædicti modi, potens ad eliciendas actiones ſupernaturales conſtitui. Verbum autem, cum non informet phyſicè humanitatem, nequit ſe ipſo illam ad ſupernaturales actus eleuare per modum principij *quo*; vndè ſi nullo dono accidentali ſupernaturali afficiatur humanitas, æquè impotens phyſicè in ordine ad ſupernaturales actus manebit; ac ſi Verbo vnita non eſſet.

103 *Secundo arguitur in fauorẽ eiuſdem modi dicendi.* Secundo arguitur; poteſt intellectus Chriſti actum ſupernaturalem elicere de potentia abſoluta ſine gratia intrinſeca ſupernaturali auxiliante: ergo hac potentia attenta, gratia intrinſeca ſupernaturalis auxilians neceſſaria non eſt, vt præmium ſupernaturale mereatur. Conſequentia ex dictis patet. Si namq; ſine gratia auxiliante eſt poſſibilis in Chriſto actu ſupernaturalis intellectus, etiam erit poſſibilis ſine gratia auxiliante actus ſupernaturalis in illius voluntate; & conſequenter erit ſine gratia auxiliante poſſibile in humanitate Chriſti meritum ſupernaturalis præmij. Antecedens autem probatur; poteſt enim Deus ſua vtens abſoluta potentia Chriſto Domino negare omnem gratiam auxiliantem intrinſecam, ipſique hoc decretum negandi omnem gratiam auxiliantem reuelare, in quo nullus refragari poteſt; at in tali caſu poſſet intellectus Chriſti aſſenſum ſupernaturalem huic reuelationi præſtare; cum reuelatio iſta credibilis ſit, & motiuum ſufficiens aſſenſus ſupernaturalis: ergo abſque gratia intrinſeca ſupernaturali auxiliante, poteſt intellectus Chriſti ſupernaturalem fidei aſſenſum elicere. Patet conſequentia; etenim in caſu ſuppoſito nulla gratia in intrinſecè auxiliante intellectus Chriſti eleuaretur; aliàs redderetur falſa reuelatio: ergo aſſenſus ille ſupernaturalis ſine gratia intrinſecè auxiliante ab intellectu Chriſti procederet.

104 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Nam licet reuelatio illa eſſet quantum eſt de ſe ſufficiens motiuum actus ſupernaturalis credendi, & alterius, præterquam illius, cui eſt omnis gratia intrinſeca neganda, poſſet terminare aſſenſum; ab intellectu tamen Chriſti Domini, cui in hypoteſi facta, Deus decreuit negare omnem gratiam auxiliantem intrinſecam, non poſſet huic reuelationi præſtari aſſenſus ſupernaturalis: & ratio eſt manifeſta, ad aſſenſum enim ſupernaturalem, præter motiuum credendi, quod obiectiuè tantum mouet, exiguntur vires in potentia, quæ operatur eſt aſſenſum; in eo autem caſu, vires in intellectu Chriſti non eſſent: virtus enim naturalis ſe ſola non ſufficit, & vt ſupponitur, gratia auxilians ſupernaturalis non adeſſet; & ideo aſſenſus ſupernaturalis repugnaret. Et Inſto euidenter; nam in ſententia Auctorum, quorum eſt argumentum, etſi non requiratur omninò indiſpenſabiliter gratia intrinſeca in potentijs, vt ſupernaturales actus eliciant; gratia tamen, ſaltem extrinſeca, omninò neceſſaria eſt, conſiſtens in aſſiſtentia omnipotentiæ extrinſeca, & indebita ad concurrendum cum illis, quam aſſiſten-

tiam extrinſecam potuit Deus non præſtare, cum libere illam præſtet. Supponamus ergo, Deum decreuiſſe negare intellectui, & voluntati Chriſti hanc extrinſecam aſſiſtentiam ad omnem actum ſupernaturalem; & hoc decretum Chriſto reuelare; nam totum hoc eſt poſſibile de potentia abſoluta. In hoc caſu, quamuis reuelatio eſſet quantum eſt de ſe credibilis, & ſufficiens motiuum credendi; non tamen poſſet Chriſtus ei præſtare ſupernaturalem aſſenſum, aliàs crederet ſine extrinſeca aſſiſtentia omnipotentiæ, quod implicat, vel extrinſeca aſſiſtentia omnipotentiæ daretur, contra reuelationis factæ veritatem, quod etiam implicatorium eſt; implicat enim falſum reuelationi diuinæ ſubeſſe. Pariter ergo Nos dicimus, non fore in caſu, quem argumentum ſupponit, poſſibilem ſupernaturalem aſſenſum intellectui animæ Chriſti, non ex defectu motiui, ſed ex defectu virium intellectus ad credendum, qui defectus infallibiliter eſſet cum diuina reuelatione connexus.

105 *Tertiò arguitur pro ſecundo modo dicendi.* Tertio arguitur in fauorem ſecundi modi dicendi; actus enim vndiq; naturales à Chriſto Domino eliciti, eſſent merita condigna præmij ſupernaturalis; ſed huiuſcemodi actus elicerentur ab humanitate Chriſti, ſine gratia ſupernaturali auxiliante: ergo gratia ſupernaturalis auxilians, non eſt omninò indiſpenſabiliter neceſſaria, vt Chriſtus medij actibus ab humanitate elicitis præmium ſupernaturale mereatur. Conſecutio euidens eſt, & non minus euidens minor; gratia enim ſupernaturalis auxilians, non poteſt ad actum requiri, niſi vt elicitiuè concurrens ad illum, vel vt eleuans potentiam, vt eliciat actum ſupernaturalem, ex cuius imperio actus naturalis procedat; actus autem vndique naturales, nec elicitiuè, nec imperatiuè, à gratia ſupernaturali petunt cauſari; & conſequenter ab humanitate Chriſti procederent, ſine concurſu ſupernaturalis gratiæ auxiliantis. In maiori ſupponimus, quod licet de facto Chriſtus non elicuerit actus vndique naturales, hoc eſt, deſtitutos omni ſupernaturali honeſtate, ſed omnes ſuos actus ex motiuo ſupernaturali, imo ex motiuo perfectiſſimæ charitatis exercuerit; potuit tamen, de potentia abſoluta, actus honeſtos virtutum acquiſitarum ex motiuo tantum naturali operari; quia in hoc modo operandi non apparet repugnantia eſſentialis. Et hoc præſuppoſito, aſſerit, actus in prædicta hypotheſi ſic elicitos à Chriſto, fore merita condigna ſupernaturalis præmij.

106 *Maior oſtenditur 1.* Quod ſuaderi poteſt primo; nam actus vndique naturales eliciti ab homine puro per gratiam adoptionis ſanctificato, ſunt condigna merita gloriæ, vt docent Capreolus, Soto, & Medina, locis vbi *ſupra* relatis; eo quod licet à gratia ſupernaturali auxiliante, nec elicitiuè, nec imperatiuè procedant; ſiunt tamen à ſubiecto Deo grato, & iuſtificato per gratiam habitualem; ſed actus vndique naturales eliciti ab humanitate Verbo hypoſtaticè vnita, procederent à ſubiecto perfectiſſimè grato, gratitudine perſonali: ergo eſſent condigna merita præmij ſupernaturalis.

107 *Secundò.* Secundo, nam humanitas Chriſti Domini conſtituitur per gratiam ſubſtantialem vnionis condigna viſionis beatificæ per modum hæreditatis licet præcedenter ad prædictam gratiam ſupponatur humanitas vndequaq; naturalis, hoc eſt nulla bonitate ſupernaturali exornata: ergo actus ab illa eliciti vndequaq; naturales pro priori ad valorem perſonalem, conſtituuntur ratione valoris à perſona Verbi ſumpti illos informantis moraliter, condigni eiuſdem gloriæ per modum præmij; & coronæ; & conſequenter ſunt condigna merita præmij ſupernaturalis.

108 *Tertiò.* Tertio; nam huiuſcemodi actus vndiquaque naturales, eſſent maioris valoris, quam actus ſupernaturales eliciti ab homine puro, & formati, ſeu informati per gratiam habitualem; cum iſtorum moralis æſtimabilitas ſit finita, & limitata; illi autem eſſent æſtimabilitatis infinitæ; ſed actus ſupernaturales formati per gratiam habitualem à puro homine eliciti, ſunt merita condigna gloriæ, quæ eſt ſupernaturale præmium: ergo actus vndique naturales eliciti ab humanitate Chriſti eſſent condigna merita præmij ſupernaturalis.

109 *Quartò.* Quartò; nam prædicti actus ratione dignitatis à perſona Verbi ſumptæ, eſſent valoris meritorij ſimpliciter infiniti, ſed meritum infinitum ſimpliciter, eſt condignum omnis præmij poſſibilis: ergo eſſent meritorij condignè ſupernaturalis præmij.

110 *Quintò.* Quintò: nam valor à perſona Verbi ſumptus eiuſdem rationis eſt in actu purè naturali ab humanitate elicito, & in actu ſupernaturali ab eadem procedente; cū forma vtriq; valorem præſtans eiuſdem rationis ſit: ſed actus ſupernaturalis ab humanitate eliciti, eſt meritum condignum ſupernaturalis præmij ratione dignitatis à perſona Verbi ſumptæ: ergo etiam actus vndique naturalis ab humanitate procedens, eſſet condignum meritum præmij ſupernaturalis.

111 *Sexto.* Sexto; nam ratio meriti in actu non conſequitur ad bonitatem illius, vt ad cauſam adæquatam, ſed etiam ad valorem perſonalem, & ad dignitatem ſumptam à perſona operante, vt *diſp.* 3. docuimus; aliàs actus Chriſti Domini non fuiſſent infinitè meritorij, cum non fuerint infinitæ bonitatis moralis: ergo quamuis actus vndiq; naturales ab humanitate eliciti, non gaudeant ſupernaturali bonitate, poterunt eſſe condigni præmij ſupernaturalis ratione valoris, & dignitatis à perſona Verbi ſumptæ; ſicut ratione valoris infiniti perſonalis, ſunt condigni infiniti præmij, quamuis ratione ſui, honeſtate infinita non gaudeant, ſed illorum bonitas moralis finita, & limitata ſit, vt *diſput. proximè allegata* docuimus.

112 *Denique probatur maior.* Denique id ipſum probatur: nam valor ſumptus à perſona Verbi, etiam in actibus naturalibus, ſupernaturalis eſt, cum illorum exigentiam excedat: ergo quamuis entitas phyſica, & omnis honeſtas moralis prædictorum actuum ſit naturalis, poterunt ſupernaturale præmium mereri ratione valoris perſonalis; ſicut præmium infinitum merentur, quamuis illorum entitas phyſica, & omnis honeſtas moralis, finita, & limitata ſit; quia valor à perſona Verbi ſumptus, eſt infinitus ſimpliciter in morali æſtimatione.

113 *Ad primam probationem maioris reſpondet Vincent.* Reſpondeo, negando maiorem. Ad primam probationem, Vincentius vbi *ſupra* cenſet, poſſe prætermitti maiorem, & conceſſa minori, negari conſequentiam. Eo quod in homine iuſtificato natura ipſa humana, quæ eſt principium bonarum operationum ſupponitur per gratiam, & charitatem habitualiter relata in finem ſupernaturalem, nempè, in Deum ſummè dilectum, quam habitualem relationem participant ipſa opera moraliter bona, etiam ſi illorum bonitas vndique ſit naturalis, & ratione huius relationis fiunt merita condigna gloriæ. Humanitas verò Chriſti, ſi omni ſupernaturali gratia creata deſtituta ſupponatur, non eſt aliqua ratione ad finem ſupernaturalem relata; & conſequenter illius operationes aliqua ratione nec finem ſupernaturalem reſpiciunt, nec ordinatione gaudent, quod neceſſarium erat, vt ſupernaturalis præmij meritoriæ eſſe poſſent.

114 *Reijcitur ſolutio Vincent. 1.* Sed contra iſtam ſolutionem obſtat primò; nam relatio habitualis ſubiecti ad finem, materialiter omninò ad operationes elicitas ab illo ſe habet; etſi operetur ex habitu; ſed humanitas relata ad finem ſupernaturalem per habitum charitatis, & gratiam iuſtificantem, non operatur ex habitu gratiæ, quando elicit operationes vndequaque naturales; aliàs ex influxo habitus, aliqua ſupernaturalitas in illas deriuaretur: ergo habitualis relatio humanitatis ad finem ſupernaturalem, omninò materialiter comparatur ad iſtas operationes; & conſequenter prædicta humanitatis ordinatio non eſt ſufficiens, vt meritoriæ reddantur præmij ſupernaturalis.

115 *Secundò.* Deinde; quia ex iſta ſolutione ſequeretur, opera in indiuiduo indifferentia, dato, quod elicerentur ab homine iuſtificato, fore meritoria præmij ſupernaturalis; conſequens eſt falſum, & à nemine admiſſum, quem viderim: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela; etenim prædicta opera eſſent habitualiter *ſubiectiuè* relata ad finem ſupernaturalem, & ad Deum ſuper omnia dilectum; ergo ſi relatio habitualis, & ſubiectiua, ſufficit, vt opera ab homine iuſto elicita, ſint meritoria apud Deum Auctorem ſupernaturalem; ſequeretur, quod eliceret opera in indiuiduo indifferentia, eſſent meritoria præmij ſupernaturalis.

116 *Tertiò.* Præterea reijcitur; nam etiam humanitas Chriſti, ex vi ſanctitatis perſonalis, eſt ad ſupernaturalem finem; licet non phyſicè, moraliter tamen relata, relatione habituali; cum ex vi prædictæ ſanctitatis ſit illi debita gloria, & debito morali, omnia dona ſupernaturalia humanitati debeantur: ergo ſi relatio habitualis hominis iuſti per gratiam ad finem ſupernaturalem communicatur operibus vndequaque naturalibus, & ratione illius conſtituuntur meritoria præmij ſupernaturalis, etiam illis communicabitur relatio habitualis, per gratiam vnionis competens humanitati; & conſequenter opera vndequaque naturalia elicita ab humanitate Chriſti, ex vi talis ordinationis erunt merita condigna ſupernaturalis præmij.

117 *Denique reijcitur,* Denique, traditum diſcrimen reijcitur; nam gratia habitualis, non influit phyſicè in opera naturalia homi-

nis

nit iuſtificati; Verbi autem ſubſiſtentia phyſicum influxum præſtat in opera naturalia ab humanitate elicita, influit namque in illa per modum principij *quod*: ergo potius hæc, quam illa dignificare poteſt moraliter operationes naturales, illaſque conſtituere ſupernaturalis præmij meritorias; vel è contra, ſi ſubſiſtentia Verbi influens vt principium *quod* in opera naturalia ab humanitate elicita, illa tamen non dignificat, nec meritoria præmij ſupernaturalis conſtituit, à fortiori gratia habitualis iuſtificans, nullatenus phyſicè influens in opera naturalia hominis iuſtificati, illa non dignificabit, nec meritoria præmij ſupernaturalis conſtituet. Iuxta quam doctrinam, ad primam probationem aſſumpti, nego maiorem: nec video quo modo admiſſa illorum Theologorum ſententia, & ſuppoſito, vt Vincentius ſupponit, quod humanitas Chriſti ſanctificetur formaliter per gratiam ſubſtantialem vnionis, poſſit cum conſequentia in doctrina negari operibus naturalibus ab humanitate elicitis, quod ſint merita condigna præmij ſupernaturalis.

118 *Ad ſecundam probationẽ.* Ad ſecundam probationem maioris, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam condignitas ad gloriam per modum hæreditatis, nihil petit in ſubiecto præſuppoſitum, niſi tantum potentiam obedientialem, ſeu non repugnantiam ad illam in ſe ſuſcipiendam; & ideo, quamuis humanitas, ratione ſui, bonitatem ſupernaturalem non habeat, dignificatur ad gloriam per modum hæreditatis per ſanctitatem Verbi illi communicatam; condignitas autem meriti, ſeu valor meritorius ſupponit in actu valorando, tùm libertatem, tùm etiam, bonitatem cum præmio proportionatam; tùm denique, relationem ad præmiatorem: & quia in actu vndique naturali, non eſt bonitas cum præmio ſupernaturali proportionata, nec relatio ad Deum præmiantem, vt eſt Auctor ſupernaturalis; fit conſequens, vt quamuis eliciatur ab humanitate Chriſti infinitè ſancta per gratiam ſubſtantialem vnionis, non tamen dignificetur dignitate meritoria præmij ſupernaturalis. Vndè ſicut iſta conſequentia non valet: *Humanitas Chriſti Domini, nec libertate, nec bonitate morali in ea præſuppoſita ante ſanctitatem perſonalem, dignificatur per illam ad gloriam per modum hæreditatis: ergo actus, nec liber, nec bonus bonitate morali ratione dignitatis perſonalis valoratur in ordine ad gloriam, vt præmium, & coronam*: antecedens enim eſt verum, & conſequens falſum; aliàs actus, nec liber, nec bonus bonitate morali eſſet condignum meritum gloriæ, vt *ſuperius* arguebamus: ita nec valet huiuſmodi conſequentia; *Sine ſupernaturali bonitate præſuppoſita ad gratiam vnionis, conſtituitur per illam humanitas condigna gloria per modum hæreditatis: ergo actus vndique naturalis, ſine honeſtate ſupernaturali præſuppoſita in ipſo ad dignitatem perſonalem redditur per illam condignum meritum gloriæ, vt coronæ*.

119 *Ad tertiam probationẽ.* Ad tertiam probationem, nego maiorem. Nam licet quantum eſt ex parte perſonæ Verbi dignificantis forent actus vndique naturales maioris valoris, quam actus ſupernaturales eliciti à puro homine, & dignificati per gratiam iuſtificantem; quia tamen actus adæquatè naturales ab humanitate eliciti carent bonitate cum præmio ſupernaturali proportionata, & relatione ad Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, non dat illis perſona Verbi operantis maiorem valorem meritorium, eo quo gaudent actus ſupernaturales hominis iuſtificati. Nec refert, quod tales actus ab humanitate eliciti, eſſent infiniti valoris, & actus hominis iuſti ſunt valoris meritorij finiti; nam infinitas illa valoris, eſt in ordine ad præmium naturale infinitum, & maius quid eſt in morali æſtimatione præmium finitum ſupernaturale, quam naturale infinitum. Nec etiam refert, prędictos actus in Chriſto fore infinitè æſtimabilitatis meritoriæ; nam huiuſcemodi infinitas eſt in ordine ad pręmium intra ordinem naturæ contentum; ideoque actus vndique naturales ratione talis dignitatis, & ęſtimabilitatis, non extenduntur ad pręmium ſupernaturale merendum.

120 *Ad quartam.* Et ex his ad quartam aſſumpti probationem reſpondeo, diſtinguendo maiorem: eſſent prędicti actus valoris meritorij ſimpliciter infiniti in linea meriti naturalis, concedo maiorem: eſſent valoris moralis meritorij infiniti ſimpliciter abſolutè, vel in omni linea, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet meritum infinitum ſimpliciter abſolutè, & in omni linea, extendatur ad omne præmium poſſibile; meritum tamen, quod licet infinitum ſit, non eſt infinitum ſimpliciter abſolutè, ſed cum addito determinante illius infinitatem ad peculiarem lineam, non extenditur ad omne pręmium abſolutè poſſibile, ſed tantum ad omne pręmium poſſibile in tali linea; & quia actus vndique naturales eliciti ab humanitate Chriſti, non eſſent in ratione meriti ſimpliciter abſolutè infiniti, ſed ſolum in ratione meriti naturalis; fit conſequens, vt non eſſent meritorij omnis præmij abſolutè, & in omni linea poſſibilis, ſed ſolum omnis præmij poſſibilis intra lineam naturalem.

Ad quintam, diſtinguo maiorem: dignitas perſonalis in actu naturali ab humanitate elicito, & in actu ſupernaturali ab eadem procedente, eſt eiuſdem rationis phyſicè, & entitatiuè, concedo maiorem: moraliter, & terminatiuè, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam licet perſona Verbi valorans actum naturalem, & ſupernaturalem eiuſdem rationis ſit; quia tamen in actibus non eſt eadem capacitas, hinc naſcitur, vt actus naturales valoret præcisè in ordine ad pręmium naturale, ſupernaturales vero dignificet, & valoret in ordine ad pręmium ſupernaturale, & actus nulla bonitate morali gaudentes, naturali, aut ſupernaturali, nullatenus valoratos in ordine ad pręmium conſtituat, etſi illos adorabiles reddat, & ſumma veneratione dignos efficiat, & ſicut ex eo, quod perſona Verbi operans eadem ſit, non ſequitur, quod ſi humanitas actus omni honeſtate morali carentes eliceret, vel actus omninò neceſſarios, eſſent tales actus eiuſdem valoris, cum actibus liberis, & honeſtis ab humanitate elicitis, eo quod eſſent eiuſdem valoris incapaces; ita & eadem ratione conſequentia contra Nos facta non tenet. 121 *Ad quintam.*

122 *Ad ſextã.* Ad ſextam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Nam licet fundamentum adæquatum, ad quod ratio meriti conſequitur, non ſit bonitas moralis actus, eſt tamen aliquid neceſſario in actu prærequiſitum vt rationem meritorij ſortiatur, & ſicut prærequiritur bonitas aliqua moralis in actu, vt meritorius ſit: ita præexigitur, in illo bonitas moralis, etſi non adæquans præmium, cum illo tamen proportionata, & ad Deum, vt præmiatorem ordinata, formali, aut virtuali ordinatione, & quia bonitas moralis naturalis cum præmio ſupernaturali proportionata non eſt, nec ad Deum, vt præmiatorem ſupernaturalem relata; bonitas autem ſupernaturalis finita, proportionem habet, etſi non æqualitatem cum præmio infinito ſupernaturali, & ad Deũ, vt ſupernaturalem remuneratorem refertur; fit conſequens, quod actus honeſtate ſupernaturali non gaudens, non poſſit ex dignitate perſonæ valorari in ordine ad præmium ſupernaturale; bene tamen actus honeſtus, honeſtate finita ſupernaturali in ordine ad præmium infinitum. Nam valor perſonalis, non dat, ſed ſupponit proportionem in actu, & proportione ſuppoſita præſtat illi infinitam meriti quantitatem, vel vt alijs terminis explicemus, non qualificat, ſed quantificat meritum; & infinitat, quando infinitus eſt, innata meriti quantitatem; ideo opus liberum, & honeſtum honeſtate vndique naturali, non conſtituit in ratione meriti infinitum ſimpliciter, ſed ſolum infinitum in ratione meriti naturalis.

Ad vltimam probationem aſſumpti, diſtinguo antecedens: valor perſonalis prædictorum actuum eſt ſupernaturalis entitatiuè, tranſeat antecedens: terminatiuè, nego antecedens, & conſequentiam: quia, vt eſſent condigni præmij ſupernaturalis, oportebat vt illorum valor à perſona Verbi ſumptus, non ſolum entitatiuè, ſed etiam terminatiuè ſupernaturalis, eſſet. Ratio autem cur, licet entitatiuè ſupernaturalis, non tamen ſit ſupernaturalis terminatiuè habetur ex dictis. Quia, nempè, vt dignitas perſonalis valoret actum in ordine ad aliquod præmium, debet in illo ſupponere bonitatem moralem cum præmio proportionatam, & ad remuneratorem aliqua ratione ordinatam; actus autem ſola honeſtate naturali gaudentes, non habent bonitatem proportionatam cum præmio ſupernaturali, nec ad Deum, vt illius remuneratorem relatam; & ideò non valorantur à perſona Verbi operante, vt ſint merita condigna præmij ſupernaturalis. 123 *Ad vltimum aſſumpti probationem.*

Sed oppones aduerſus iſtam reſolutionem primo; nam actus de ſe, non bonus bonitate hypoſtatica, ratione coniunctionis ad Verbum, ſit condignum meritum præmij pertinentis ad ordinem hypoſtaticum; vt conſtat in actibus elicitis ab humanitate Chriſti, quorum bonitas moralis, etſi ſupernaturalis ſit, non tamen pertinet ad 124 *Opponens primò.*

ordinem hypoſtaticum, & ex coniunctione ad Verbum, ſunt merita condigna quantum ad ſufficientiam Incarnationis Patris, aut Spiritus Sancti, vt cum communi ſententia docuimus *Tractatu primo diſputatione tertia*: ergo actus non honeſti honeſtate ſupernaturali, ſed tantum naturali ratione ſui, eſſe poterunt ex coniunctione ad Verbum meritorij de condigno præmij ſupernaturalis. Patet conſequentia; plus enim diſtat ordo hypoſtaticus ab ordine ſupernaturali, quam ordo ſupernaturalis ab ordine naturali; cum prima diſtantia infinita ſit, ſecunda vero finita: ergo ſi actus de ſe ſolum gaudens honeſtate ſupernaturali eſt capax, vt ex coniunctione ad Verbum fiat condignum meritum præmij hypoſtatici, etiam actus bonus ſola bonitate morali naturali erit capax, vt ex coniunctione ad Verbum fiat meritum condignum præmij ſupernaturalis.

125 *Opponet ſecundò.* Secundò; nam operationes Chriſti, vt *proximè* dicebamus, ſunt quantum ad ſufficientiam merita condigna Incarnationis Patris, aut Spiritus Sancti, etſi non quoad efficaciam; & tamen non fuerunt per voluntatem Chriſti ad Incarnationem Patris, aut Spiritus Sancti, vt ad præmium ordinatæ, nec ad Deum, vt talis præmij largitorem: ergo ordinatio actus meritorij ad præmium, & ad Auctorem illius ad ſufficientiam, meriti neceſſaria non eſt; & conſequenter, licet actus vndique naturales, non ſint ad præmium ſupernaturale ordinati, nec ad Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, poterunt eſſe condigni præmij ſupernaturalis ad minus quoad ſufficientiam.

126 *Opponet 3.* Tertiò; nam humanitas Chriſti non relata de ſe ad hæreditatem ſupernaturalem, ex vi gratiæ vnionis illam ſanctificantis ordinatur ad gloriam per modum hæreditatis, cum gloria, vt hæreditas, ſit ei debita ratione ſanctificationis per gratiam vnionis ſubſtantialem: ergo actus vndique naturalis non ordinatus de ſe ad finem ſupernaturalem, nec ad ſupernaturale præmium poterit à perſona Verbi, vt illum dignificante, & valorante ad ſupernaturale præmium, & ad finem ſupernaturalem referri; & conſequenter fieri meritum condignum præmij ſupernaturalis.

127 *Quartò.* Quartò, nam ſequitur ex noſtra reſolutione, non omnes operationes Chriſti fuiſſe æquales in valore meritorio à perſona Verbi ſumpto; conſequens eſt contra illa, quæ *Tractat. 1. diſputatione 3.* docuimus: ergo reſolutio tradita, non poteſt iuxta noſtra principia defendi. Patet ſequela; nam eo ipſo, quod actus naturales a Chriſto Domino eliciti, non ſint meritorij præmij ſupernaturalis, non adæquant in valore deſumpto à perſona Verbi actus ſupernaturales, qui ſunt merita condigna ſupernaturalis præmij: ergo eo ipſo, non omnes actus à Chriſto Domino eliciti, ſunt æquales inter ſe in valore perſonali.

128 *Denique opponet.* Denique opponens; nam actus honeſti, honeſtate ſolum naturali ſunt capaces obedientialiter, vt fiant merita condigna præmij ſupernaturalis: ergo eleuantur per valorem ſumptum à perſona Verbi, vt rationem meriti præmij ſupernaturalis obtineant. Conſequentia videtur bona; nam ideò humanitas per ſanctificationem perſonalem eleuatur, vt ſit condigna gloriæ per modum hæreditatis, quia de ſe, & ratione ſui eſt in potentia obedientiali ad iſtam eleuationem: ergo ſi actus vndique naturalis, eſt de ſe & ratione ſui in potentia obedientiali, vt eleuetur ad rationem meriti præmij ſupernaturalis, de facto ad prædictam rationem eleuatur per dignitatem ſumptam à perſona Verbi operantis. Antecedens autem probatur. Si namque actus honeſti, honeſtate naturali fiant ex motiuo charitatis, & ex illius imperio procedant; erunt merita condigna ſupernaturalis præmij: ergo ſunt de ſe in potentia obedientiali, vt eleuentur ad rationem meriti præmij ſupernaturalis, & vt fiant merita condigna illius.

129. *Reſpondetur ad primam inſtantiam.* Reſpondeo ad primam obiectionem, conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt: nam actus de ſe non bonus, bonitate hypoſtatica, poteſt de ſe habere proportionem habitudinis cum vnione hypoſtatica; & ideò eſt in potentia, vt ſi perſonæ Verbi coniungatur, & ab illa media humanitate procedat, valoretur, & dignificetur per gratiam ſubſtantialem vnionis, & fiat ratione illius meritum condignum præmij pertinentis ad ordinem hypoſtaticum. Actus autem non bonus, bonitate ſupernaturali, non poteſt cum ſupernaturali præmio proportionem habitudinis habere; ideòque non poteſt per ſuperuenientem valorem à perſona Verbi ſumptum, dignus præmij ſupernaturalis conſtitui; valor enim à perſona Verbi ſumptus, dictam proportionem cum præmio in actu valorando ſupponit.

Ad ſecundam obiectionem, conceſſa maiori, & minori, diſtinguo conſequens: ordinatio in præmium ex parte operantis, tranſeat conſequens: ordinatio in præmium, ſaltem virtualis ex parte operis, nego conſequentiam. 130 *Ad ſecundam.* Actus enim ſupernaturales Chriſti, licet ex parte operantis, non fuerint de facto ordinati ad Incarnationem Patris, vt præmium, & ideò illam non meruerins de facto; erant tamen ratione ſuæ bonitatis ſupernaturalis virtualiter ad illam ordinati, quatenus proportionem, & dignitatem habebant, vt ſi Chriſtus vellet illos ordinare ad Incarnationem Patris, vt præmium, eam mererentur de facto. Actus autem vndique naturales, non ſunt ratione ſuæ bonitatis proportionati cum præmio ſupernaturali, proportione habitudinis, vndè nec ex parte operantis, nec ex parte operis formalitèr, aut virtualitèr referuntur ad illud; ideoque non poſſunt eſſe merita condigna ſupernaturalis præmij.

131 *Ad tertiam.* Ad tertiam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Et ratio diſcriminis habetur ex dictis: quia, nempè, ſanctitas non ſupponit neceſſario in ſubiecto ſanctificando ſupernaturalem honeſtatem, ſed tantum non repugnantiam, ſeu capacitatem obedientialem ad illam in ſe recipiendam; & ideò quamuis non ſupponatur ad formam ſanctificantem relatum ad hæreditatem ſupernaturalem, poteſt per prædictam formam ordinari ad hæreditatem ſupernaturalem, & fieri dignum illius. Valor autem meritorius ſumptus à perſona merente ſupponit in actu valorando bonitatem moralem cum præmio conferendo proportionatam; & conſequenter ſupponit in illo ſupernaturalem honeſtatem, quando præmium conferendum ſupernaturale eſt; ideoque niſi talem bonitatem ſupponat, in qua includitur virtualis ordinatio ad præmium ſupernaturale, & ad Deum, vt ſupernaturalem remuneratorem, non poteſt per valorem perſonalem ad præmium ſupernaturale referri, nec fieri meritum condignum illius.

132 *Ad quartam.* Ad quartam obiectionem, diſtinguo conſequens: facta comparatione inter actiones Chriſti, quæ ſunt diuerſi ordinis, concedo conſequentiam: ſi comparatio fiat inter actiones Chriſti in eodem ordine exiſtentes, nego conſequentiam. Omnes enim operationes ab humanitate Chriſti elicitæ in eodem ordine exiſtentes, ſunt æquales inter ſe in valore perſonali, & omnes ſunt in rationem meriti ſimplicitèr infinitæ, & ad omne præmium poſſibile promerendum, quantum eſt de ſe ſufficientes, quia omnes ſunt capaces iſtius infinitatis, & hoc eſt, quod Nos docuimus *loco* in obiectione relato. Actus autem vndique naturales, non ſunt eiuſdem ordinis cum actibus ſupernaturalibus, nec capaces valoris meritorij ſupernaturalis præmij; & ideò illum non recipiunt à perſona Verbi operantis, nec cum actibus ſupernaturalibus in valore meritorio adæquantur. Nec ſequitur vnum infinitum eſſe in ratione infiniti, maius alio *quantitatiuè*, ſed ſolum *qualitatiuè* melius, hoc eſt, perfectius alio infinito, quod inconueniens non reputatur, ſed eſt neceſſario aſſerendum, nam infinitum aurum, etſi in ratione infiniti non eſſet *quantitatiuè* maius infinito argento, eſſet tamen illo *qualitatiuè* melius, cum illud in perfectione excederet.

133 *Si opponas.* Si opponas, actus honeſti naturales eliciti ab humanitate Chriſti, etſi ratione ſui intra ordinem naturæ contineantur, ex coniunctione tamen cum Verbo fiunt merita ordinis ſupernaturalis: ergo in ratione meriti ſunt eiuſdem ordinis cum actibus ſupernaturalibus ab humanitate elicitis; & conſequenter ſi inter merita eiuſdem ordinis ab humanitate Chriſti procedentia, non ſtat inæqualitas in valore perſonali, non poſſunt in hoc valore actus purè naturales ab actibus ſupernaturalibus excedi. Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur; nam ex coniunctione ad Verbum, & ex eo, quod ab illo vt *quod* efficiantur, fiunt merita ordinis hypoſtatici; ſed ordo hypoſtaticus ſupernaturalis eſt, & intra ordinem ſupernaturalem perfectiſſimus: ergo fiunt ex tali coniunctione actus naturales ab humanitate eliciti merita ordinis ſupernaturalis.

134 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo hoc vltimum conſequens, & primum antecedens: fiunt merita ordinis ſupernaturalis ſupernaturalitate extrinſeca entitatiua, tranſeat conſequens: ſupernaturalitate meritoria, & terminatiua,

us, nego conſequentiam. Et hoc ſecundum neceſſarium erat; vt actus honeſti naturales ex coniunctione cum Verbo conſtituerentur merita præmij ſupernaturalis, & eiuſdem ordinis in ratione meriti cum actibus ſupernaturalibus. Et ratio diſtinctionis traditæ habetur ex dictis. Quia, nempè, dignitas perſonalis conueniens actibus ab humanitate elicitis ratione perſonæ Verbi operantis; non dat illis qualitatem meriti, ſed ſolum quantitatem; vndè ſi actus præcedenter ad illam, non eſt meritum ſupernaturale terminatiuè, non fit ratione dignitatis perſonalis meritum terminatiuè ſupernaturale; ac proindè, non poteſt ratione illius ad ſupernaturale præmium extendi ſed ſolum in linea meriti præmij naturalis quantificari, & infinitari, dignuſque fieri omninis præmij naturalis poſſibilis.

135 Ad vltimam obiectionem. Ad vltimam obiectionem reſpondeo, diſtinguendo antecedens: ſunt capaces obedientialiter, vt fiant merita condigna præmij ſupernaturalis, recipiendo in ſe honeſtatem moralem ſupernaturalem, concedo antecedens: ſine illius receptione, nego antecedens, & conſequentiam. Nam dignitas moralis à perſona Verbi ſumpta, non eſt honeſtas moralis, vt vidimus *diſput. 3. num. 45. & 46.* vbi etiam explicuimus, in quo ſenſu ſit bona moraliter; & ideò, quamuis actus vndique naturales, ſint in potentia obedientiali, vt ad rationem meriti præmij ſupernaturalis eleuentur, non eleuantur per illam; benè tamen per actum ſupernaturalem illos imperantem; quia actus ſupernaturalis eſt in ſe bonus, bonitate ſupernaturali morali, & illius honeſtate actus imperatus veſtitur; & ideò per illum trahitur, & eleuatur ad rationem meriti præmij ſupernaturalis. Ex hoc tamen non colligitur, quod actus boni naturales per valorem perſonalem ad iſtam dignitatem eleuentur; nam valor iſte non dat actibus honeſtatem moralem ſupernaturalem; & aliàs illam non ſupponit in actibus vndique naturalibus ab humanitate elicitis; & ideòque illos non eleuat ad rationem meritoriam ſupernaturalem, nec merita præmij ſupernaturalis conſtituit. Nec eſt eadem ratio de humanitate in ordine ad condignitatem gloriæ, vt hæreditatis, illi conuenientem ratione ſanctitatis perſonalis, nulla præſuppoſita bonitate ſupernaturali in humanitate, vt conſtat ex dictis *num. 131.*

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

136 Primum corollariū. EX dictis in diſcurſu huius diſputationis, colligo primò: gratiam habitualem neceſſariam fuiſſe in anima Chriſti Domini, vt eſſet ſancta completè. Quod probo; nam ſanctitas conſiſtit in radice donorum ad ordinem gratiæ pertinentium, & præcipuè illorum, quæ inclinant, & dant facultatem proximam ad videndum, & amandum Deum; ſed ſine gratia habituali phyſicè animam Chriſti informante, non eſſet completè iſtorum donorum radix; cum tantum radicaret illa moraliter; non verò phyſicè ergo gratia habitualis, ratione cuius, illa phyſicè radicat, neceſſaria fuit, vt eſſet ſancta completè.

S. Tho. Quod inſinuaſſe videtur D. Tho. q. 29. *de Veritate art. 1. ad 10.* quod ita procedebat: *Habenti plenitudinem omnis boni, nihil ſuperaddi eſt neceſſe; ſed anima Chriſti omnis boni plenitudinem habuit ex hoc ipſo, quod Verbum fuit ſibi vnitum, in quo eſt theſaurus omnis boni: ergo non fuit neceſſarium, quod ſuperadderetur bonitas gratiæ.* Cui argumento ita reſpondet. *Ad decimum dicendum, quod anima Chriſti vnita erat plenitudo omnis boni ex ipſa perſonali Verbi vnione, non tamen formaliter, ſed perſonaliter; & ideò indigebat informari per gratiam.* Hæc D. Thom. Ex quibus conſtat ſentire, animam Chriſti Domini indiguiſſe gratia habituali phyſicè illam informante, vt eſſet completè bona; & conſequenter vt eſſet completè ſancta.

137 Si opponas. SI opponas, incompletè ſanctum, imperfectè ſanctum eſt; ſed ſi gratia habitualis foret neceſſaria in humanitate Chriſti, vt eſſet completè ſancta, neceſſario ſupponeretur, quod per gratiam ſubſtantialem vnionis, eſſet incompletè ſancta: ergo eſſet ſancta imperfectè per gratiam ſubſtantialem vnionis, quod inconueniens videtur; cum ex hoc ſequatur dicendum, gratiam vnionis eſſe ſanctitatem imperfectam.

Reſpondeo, imperfectionem iſtam in gratia vnionis, eſſe tantum negatiuam prouenientem ex ſumma diuinitatis perfectione, ratione cuius illi eſſentialiter repugnat informare phyſicè humanitatem, aut cum illa identificari, quorum alterum neceſſarium erat, vt humanitatem conſtitueret phyſicè radicantem dona ſupernaturalia; quia tamen radicatio iſta eſt moraliter debita humanitati, ratione diuinitatis illam infinitè ſanctificantis, defectus illius eſſet in humanitate priuatiuus, & priuatiua imperfectio; ideòque vt auferretur, & completè ſancta redderetur, oportuit ſanctificari per gratiam habitualem, & hæc fuit in humanitate ad prædictum effectum neceſſaria. 138 Reſpondetur.

Secundo colligo, in humanitate Chriſti præter gratiam habitualem, & virtutes ipſam conſequentes, non fuiſſe neceſſaria auxilia fluida phyſica ſufficientia; benè tamen gratiam auxiliantem efficacem, etiam de potentia abſoluta. Primum patet; nam habitus virtutum per ſe infuſarum intrinſecè inhærentes potentijs conſtituunt illas potentes proximè in ordine ad operationes ſupernaturales, vndè auxilia phyſica fluida ſufficientiam, ſolum in abſentia prædictorum habituum ſunt neceſſaria, vt potentiæ per illa eleuentur, & potentes proximè conſtituuntur ad ſupernaturaliter operandum; ſed humanitas Chriſti Domini fuit à primo conceptionis inſtanti gratia habituali, & virtutibus conſequentibus ipſam in ſummo gradu dotata, vt ex *infra* dicendis conſtabit, & fatentur omnes Theologi: ergo non indiguit auxilijs phyſicis ſufficientibus, vt illius potentiæ eleuarentur, & potentes proximè redderentur ad actus ordinis ſupernaturalis. 139 Secundū corollariū

Secundum probatur; vt enim *Tract. de Auxilijs* fusè à Thomiſtis oſtenditur, gratia efficax ab intrinſeco conſiſtens in qualitate fluida eſſentialiter cum operatione connexa; petitur ex vi ſubordinationis cauſæ ſecundæ ad primam in operando, quæ ſubordinatio intrinſeca non poteſt ſine dicta qualitate ſaluari plenè ſubijciente arbitrium creatum Deo, & dominium creaturæ dominio ſupremo Dei; ſed humanitas Chriſti quantacumque gratia ornata, & virtutibus munita, non vt cauſa prima, ſed vt cauſa ſecunda in ſupernaturales actus influebat; & conſequenter illos operabatur vt cauſæ primæ ſubordinata, & vt ſubiecta Dei ſupremo dominio: ergo præter gratiam habitualem immediatè animæ inhærentem, & præter virtutes infuſas reſidentes in potentijs, indigebat gratia ab intrinſeco efficaci conſiſtente in qualitate fluida eſſentialiter cum operatione connexa, ita vt ſine illa non poſſet in actu ſecundo operari etiam de potentia abſoluta. 140 Secundū pars corollarij probatur.

Tertiò colligitur; fuiſſe neceſſariam ad ſupernaturales operationes in anima Chriſti gratiam excitantem, quæ in illuſtratione intellectus conſiſtit; non autem illam, quæ in motiuus, ſeu affectionibus non liberis voluntatis eſt poſita. Ante cuius probationem animaduerto primò *ex Tract. de Auxilijs*, præter phyſicam qualitatem eſſentialiter connexam cum actu deliberato, & voluntatem creatam, à Deo vt primæ cauſæ ſubordinantem, concurrere ad illum gratiam excitantem moraliter. Secundo ſuppono, gratiam hanc excitantem conſiſtere, non ſolum in illuſtrationibus intellectus obiectiuè mouentibus voluntatem, illique ſuadentibus; ſed etiam in pia voluntatis affectione indeliberata circa idem obiectum, ea qua moraliter ſubiectiuè mouetur voluntas ad actum deliberatum eliciendum. De quo videndi ſunt Aluarez *lib. 8. de Auxilijs diſput. 75. num. 11.* & Magiſter Albeda *1. p. diſp. 58. ſectione 4.* 141 Tertium corollariū — Aluar. Albed.

His poſitis, prima pars noſtri corollarij ſtatuitur contra Suarez *in præſenti diſp. 18. ſect. 4. concluſ. 2.* & probatur; nam gratia excitans ſe tenens ex parte intellectus, conſiſtit in ſupernaturali illuſtratione, vel cogitatione ſupernaturali practica, per quam bonum proſequendum proponitur voluntati, illamque obiectiuè ad amorem boni, & odium mali mouente; ſed huiuſcemodi ſupernaturalis illuſtratio, & ſancta cogitatio practicè obiectiuè mouens voluntatem ad proſecutionem boni, fuit humanitati Chriſti neceſſaria, vt bonum proſequeretur; voluntas enim, non poteſt proſequi bonum, niſi practica cognitio boni proſequendi in intellectu præcedat, de quo t. 2. q. 9. ergo gratia excitans in illuſtratione intellectus conſiſtens, neceſſaria fuit in humanitate Chriſti ad ſupernaturales actus eliciendos. 142 Prima pars corollarij probatur.

Reſ-

143 *Reſpondetur Suarez.* Reſpondet Suarez, argumentum hoc conuincere in hominibus iuſtis viatoribus; ſecus autem in humanitate Chriſti, ſuppoſito, vt debemus ſupponere, fuiſſe a primo ſuæ conceptionis inſtanti beatam. Nam per viſionem beatificam, ita ſufficienter voluntas Chriſti excitatur ad bonum, vt ſupernaturali illuſtratione intellectus, eam ad bonum proſequendum excitante, & obiectiuè mouente non indiguerit; & conſequenter gratia excitans ex parte intellectus ſe tenens, & in prædicta illuſtratione conſiſtens, non fuit neceſſaria in humanitate Chriſti ad proſecutionem boni, nec vt illius voluntas actus ſupernaturales eliceret.

144 *Reijcitur primò.* Sed contra primo; nam licet Chriſtus, vt homo, fuerit à primo ſuæ conceptionis inſtanti beatus; fuit tamen ſimul viator, & comprehenſor: ergo licet ad actus comprehenſoris, illius voluntas ſufficienter excitaretur per beatificam viſionem; ad actus verò, quos vt viator elicuit, gratia illuſtrante intellectum, & mouente voluntatem, diſtincta a viſione beatifica indigebat.

145 *Secundò.* Secundò; nam licet anima Chriſti Domini fuerit ab initio vnionis cum Verbo beata, & per ſcientiam beatificam omnia cognouerit, quæ ad illius ſtatum pertinebant, nihilominus præter ſcientiam beatam, omnes Theologi fatentur ſcientiam per ſe infuſam à beatifica diſtinctam habuiſſe, vt omni ſcientia, cuius capax erat humanus Chriſti intellectus perficeretur: ergo pariter licet, viſio beatifica eſſet ſufficiens ad mouendum voluntatem Chriſti ad bonum; vt tamen omni ſupernaturali illuſtratione, cuius erat capax gauderet, concedenda eſt humanitati Chriſti, præter viſionem beatificam, gratia ſupernaturalis excitans in illuſtratione intellectus conſiſtens.

146 *Secunda pars corollarij, probatur. Minor probatur primò.* Quod autem non indiguerit gratia excitante ſe tenente ex parte voluntatis, & in pia affectione conſiſtente probatur. Nam hæc gratia non eſt actus voluntatis liber, ſed neceſſarius; at voluntas Chriſti Domini piam iſtam affectionem non liberam, ante actiones liberas, ſeu deliberatas, non elicuit: ergo non indiguit gratia excitante, quæ ex parte voluntatis ſe tenet. Minor, in qua eſt difficultas, oſtenditur primo. Nam pia affectio neceſſariè naſcitur in voluntate ex imperfecta obiecti propoſitione, quia, nempè, bonum creatum proponitur voluntati, ſine habitudine ad bonum contrariè oppoſitum, aut collatione cum illo, & ſine penetratione defectus plenitudinis bonitatis, vt ſuppono ex t. 1. q. 9. ſed cognitio iſta imperfecta non decuit humanitatem Chriſti: ergo piam affectionem ſupernaturalem elicere non liberam ſed neceſſariam, illius dignitatem non decuit.

147 *Probatur ſecundò.* Secundo probatur minor. Nam vel illam elicuiſſet prius tempore ad actum liberum, vel deliberatum circa idem obiectum, vel ſimul tempore, & cum ſola prioritate naturæ: non primum, alias non meruiſſet Chriſtus in primo ſuæ conceptionis inſtanti, cuius contrarium docetur ab omnibus Theologis cum D. Thom. *infra q. 34. art. 2. & 3.* nec ſecundum: tùm quia voluntas non poteſt ſimul circa idem obiectum moueri liberè, & neceſſariò. Tùm etiam, quia neceſſitas actus voluntatis erga obiectum limitatum, naſcitur ex iudicio neceſſario intellectus attingente ſolam bonitatem obiecti, non attento bono contrario, aut non conſiderato defectu plenitudinis bonitatis in bono limitato apprehenſo: ergo eo ipſo, quod adſit aduertentia ad bonum contrarium, aut ad defectum plenitudinis bonitatis in obiecto per intellectum propoſitum, eſſe nequit in voluntate erga tale obiectum actus neceſſarius; ſed vt ſit actus liber voluntate, neceſſaria eſt cognitio intellectus repræſentans defectum plenitudinis bonitatis in obiecto apprehenſo, vel illud conferens cum bono ſibi contrario: ergo ſimul tempore cum actu libero, non poteſt voluntas actum neceſſarium circa idem obiectum elicere; & conſequenter cum voluntas Chriſti Domini à primo inſtanti vnionis humanitatis cum Verbo actus liberos elicuerit, non potuit actus neceſſarios elicere erga obiecta liberè volita; ex quo vlterius infertur, gratia excitante ſe tenente ex parte voluntatis, non indiguiſſe ad actus ſupernaturales eliciendos.

148 *Opponens primò.* Si opponas primò; affectio ſubita voluntatis, neceſſariò in illa ſequitur ad illuſtrationem intellectus: ergo ſi in Chriſto admittimus gratiam illuſtrationis ſupernaturalis conſiſtentem in actu intellectus, non poſſumus conſequenter negare gratiam excitantem piæ affectionis ſupernaturalis ſe tenentem ex parte voluntatis.

Reſpondeo, verum eſſe antecedens, ſi ſit illuſtratio intellectus in iudicio imperfecto conſiſtens, non attingens defectum plenitudinis bonitatis, quæ inuenitur in omni obiecto creato, nec ad oppoſitum bonum attendens, & vtrumque inter ſe conferens; falſum autem ſi ſit perfecta obiecti cognitio illius defectum attendens, & cum bono oppoſito conferens; illuſtratio autem ſupernaturalis, quam in intellectu Chriſti conſtituimus, huius conditionis eſt; nam illuſtratio obiectiuè imperfecta dignitatem Chriſto non decuit: ideoque non cogimur gratiam excitantem conſiſtentem in pia affectione ſubita, & neceſſaria voluntatis, admittere in humanitate Chriſti. 149 *Reſpondetur.*

Opponens ſecundo; actus meritorij Chriſti Spiritui Sancto, vt mouenti, attribuuntur, Matth. 4. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu.* Marci 1. *Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum.* Lucæ 4. *Et agebatur à Spiritu in deſertum diebus quadraginta* ſed Spiritus Sanctus mouet liberum arbitrium creatum media illuſtratione intellectus, piaque voluntatis affectione, vt conſtat ex Concilio Arauſicano can. 7. illis verbis: *Siquis per naturæ vigorem ſalutari prædicationi conſentire poſſe affirmat abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur Spiritu:* vbi inſpiratio ſuperaddita illuſtrationi, affectum denotat voluntatis: ergo gratia excitans, non ſolum vt ſpectat ad intellectum, ſed etiam vt importat voluntatis affectionem, admittenda eſt in humanitate Chriſti, tanquam neceſſaria ad ſupernaturales, & meritorias operationes. 150 *Opponens ſecundò. Matth. 4. Marci. 1. Lucæ 4. Concil. Arauſic.*

Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: ita vt vtraque gratia ſemper neceſſaria ſit, nego minorem: ita vt vtraque regulariter præcedat actum deliberatum voluntatis, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nec oppoſitum deducitur ex Concilio Arauſicano. Tùm, quia nomine inſpirationis poteſt intelligi auxilium efficax actum bonum inferens in voluntate, quod fuiſſe in Chriſto neceſſarium, iam diximus. Tùm etiam, nam Concilium loquitur de hominibus iuſtis, in quibus vtraque gratia excitans eſt neceſſaria; ex quo tamen efficax argumentum ad Chriſtum non ſumitur ob rationem aſſignatam; quia, nempè, primus actus Chriſti Domini fuit meritorius, & conſequenter liber; cum quo non compatitur indigentia piæ affectionis non liberæ voluntatis ad eliciendum actum liberum, & meritorium; vt enim *proximè* dicebamus, non poteſt voluntas ſimul ad idem obiectum liberè, & neceſſariò moueri; benè tamen compatitur indigentia gratiæ excitantis, conſiſtentis in illuſtratione intellectus; hæc enim cum libertate primi actus à Chriſto Domino eliciti incompatibilitatem non habet. 151 *Reſpondetur.*

Obitèr tamen obſeruanda ſunt duo: primum eſt, quòd gratia illuſtrationis, etſi *entitatiuè* ſit gratia, non tamen eſt gratia *denominatiuè* reſpectu Chriſti, ideſt, beneficium nouum, & indebitum ipſi; debebatur enim humanitati ratione gratiæ vnionis ſubſtantialis: licet comparata cum humanitate ratione ſui, & cum Verbo, vt ſubſiſtente in humanitate, ratione humanitatis poſſit gratia nuncupari, vt de termino prædeſtinationis Chriſti, *infra in Tractat. propri* dicemus, fuiſſe gratiam ſubiecto prædeſtinato. 152 *Obſerua primò.*

Secundum eſt; quod ſi actus deliberatus voluntatis ad alium actum deliberatum mouens, ſub excitante gratia comprehenderetur, huiuſcemodi gratia neceſſaria fuit in humanitate Chriſti; mouebatur enim ex intentione finis ad electionem mediorum, qui eſt modus connaturalis operandi agentis intellectualis, & liberi; & conſequenter ſi intentio finis, vt mouens ad mediorum electionem ſub gratia Dei excitante comprehenditur, talis gratia excitans eſt in humanitate Chriſti admittenda. Nec obſtat vt rationem gratiæ ſortiatur, quod ſit actus liber exiſtens ſub dominio voluntatis Chriſti creatæ; nam etiam eſt donum Dei, & exiſtit ſub illius ſupremo dominio, vt *Tractat. 1. diſput. 5.* docuimus. 153 *Obſerua ſecundò.*

Denique infero, poſſe eundem numero actum charitatis ab habitu, & ab auxilio fluido, & facile tranſeunte indifferenter procedere, & voluntatem vtroque mediante ad illum eliciendum diuiſim eleuari. Quod probo; vt enim 2. *concluſ.* docuimus, actus ſupernaturalis à potentia mediante auxilio procedens, connaturaliter petit procedere medio habitu, ex quo intulimus gratiam habitualem neceſſariam fuiſſe in anima Chriſti Domini, vt connaturaliter actus ſupernaturales eliceret; ſed niſi 154 *Denique infertur.*

poſſet

poſſet idem numero actus charitatis ab habitu, & auxi-
lio procedere, actus medio auxilio elicitus non peteret
habitum, vt ſui principium connaturale, non enim poteſt
actus exigere vt principium connaturale ſui, illud à quo
ipſi repugnat procedere: ergo poteſt idem numero actus
charitatis ab habitu, & ab auxilio procedere indiferen-
ter, poteſtque voluntas mediante vtroque diuiſim ad eius
elicentiam eleuari.

155 *bjicitn,* Oppones, actus, qui in voluntate mediante auxilio
facile tranſeunte recipitur, non poteſt idem numero me-
diante habitu recipi: ergo actus voluntate mediante au-
xilio procedens, non poteſt idem numero medio habitu
procedere. Conſequentia patet; nam in communi Tho-
miſtarum ſententia, actus vitalis recipitur in ſubiecto
mediante principio vitali: ita vt principium *quo* elici-
tiuum actus, ſit etiam ſubiectum *quo* receptiuum illius:
ergo ſi non poteſt eadem dilectio numero recipi in volun-
tate mediante habitu, & mediante auxilio, non poteſt
indifferenter illis mediantibus elici. Antecedens autem
probatur; ſicut enim forma indiuiduatur à materia, ita
accidens à ſubiecto: ergo ſubiectum *quo* receptiuum
actus vitalis eſt principium *quo* indiuiduationis illius; &
conſequenter non poteſt idem numero actus vitalis recipi
in voluntate medijs principijs diſtinctis indiuidualiter;
ſed qualitas facilè tranſiens, pluſquam numero differt ab
habitu: ergo non poteſt idem numero charitatis actus re-
cipi in voluntate creata medio habitu, & mediante auxi-
lio, ſeu qualitate facile tranſeunte.

156 *ſponde- tur,* Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem,
concesso antecedenti, & prima conſequentia, & diſtin-
guo minorem: qualitas facilè tranſiens, pluſquam nume-
ro differt ab habitu in eſſe entis, concedo minorem: in ra-
tione principij indiuiduationis actus, nego minorem, &
conſequentiam. Sicut enim, licet habitus, & auxilium
differant ſpecie, poſſunt principiare diuiſim eundem ſpe-
cie actum: quia diſtinctio illa, etſi in eſſe entis formalis
ſit, eſt materialis in ratione principij talis actus, ita quam-
uis differant numero inter ſe, poſſunt diuiſim eundem
numero actum indiuiduare: quia diſtinctio hæc numeri-
ca, eſt ſolum in eſſe entis; non autem in ratione princi-
pij indiuiduationis actus. Vndè conſequenter eſt aſſeren-
dum, actum illum indiuiduari, non ab auxilio fluido de-
terminatè, nec ab habitu determinatè, ſed ab hoc, vel
illo diſiunctim ſub ratione indiuidui generici, vel vt eſt
indiuiduum rationis vtrique qualitati communis ſicut lo-
cus indiuiduationem ſumit non ab hac, vel illa ſuperficiè
determinatè, ſed ab aliqua in tali diſtantia vagè ſumpta,
& continuè ſuccedente. Et paternitas, qua vnus Pater
plures numero filios reſpicit, non ab hoc, vel illo deter-
minatè, ſed vagè ſumpto ſuam ſumit indiuiduationem,
in ſententia aſſerente, relationem non à ſubiecto, ſed
etiam à termino indiuiduari. Et ratio in præſenti eſſe
poteſt: nam indiuiduatio redolet conditionem gradus ſpe-
cifici, qui per illam contrahitur; ratio autem ſpecifica
huius actus charitatis non dependet eſſentialiter ab habi-
tu, vel auxilio determinatè ſecundum rationes differen-
tiales, quibus inter ſe diſtinguuntur, ſed ab aliquo illo-
rum vagè, & diſiunctim; & conſequenter indiuiduatio hu-
ius actus, non ſumitur ab hoc numero auxilio, nec ab hoc
numero habitu determinatè, ſed ab aliquo illorum diſiun-
ctim, & vagè, indiuiduante formaliter talem actum in-
diuiduatione generica, in qua conueniunt, & materia-
liter ad illius indiuiduationem ſe habente indiuiduo ra-
tionis ſpecificæ diſtinguentis qualitatem fluidam ab ha-
bitu permanenti. Sic diſcurrunt plures de actu charita-
tis viæ, & patriæ, aſſerentes, eundem numero actum
elicitum à viatore poſſe continuari in patria. Et etiam
illi, qui docent, eundem numero habitum Theologiæ,
imo & eundem numero actum Theologicum, qui elicitur
à viatore, poſſe in patria continuari.

157 *Inſtabit.* Sed inſtabit; ſi indiuiduatio actus charitatis, non ab
hoc auxilio determinatè, ſed ab hoc auxilio, vel ab hoc
habitu indifferenter procederet, maximè, quia ſecundum
rationem ſpecificam ad vtrumque comparatur, non ſe-
cundum id, in quo ſpecificè differunt, ſed ſecundum
id, in quo conueniunt genericè; at hæc ratio eſt nulla:
ergo doctrina traditæ ſolutionis eſt falſa. Probatur mi-
nor, actus intellectus elicitus à Petro, & actus à Pau-
lo elicitus inſpecti ſecundum rationem ſpecificam, pro-
cedunt ab illorum intellectibus, prout conueniunt ſpeci-
ficè; & tamen talium actuum indiuiduationes ſumuntur
ab intellectibus Petri, & Pauli, vt numericè differenti-
bus; aliàs idem actus numero, qui à Petro procedit, poſ-
ſet procedere à Paulo: ergo ex eo quod ratio ſpecifica
actus charitatis ſumatur ab eo, in quo habitus, & auxi-
lium conueniunt, non ſequitur indiuiduationem actus
charitatis eliciti medio auxilio, non ſumi ab illo ſecun-
dum quod indiuidualiter differt ab habitu.

158 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad
probationem, nego conſequentiam. Ratio autem di-
ſcriminis eſt: nam intellectus Petri, non poteſt in Paulo
recipi, ideoque actus à Petro elicitus mediante proprio
intellectu, non poteſt à Paulo mediante ſuo intellectu
procedere, nec in illo recipi: habitus vero ab intrinſeco
permanens, & qualitas fluida, & ab intrinſeco facilè tran-
ſiens poſſunt recipi in eodem ſubiecto vndè eadem nume-
ro voluntas, quandoque eleuatur per habitum, & quan-
doque per auxilium; & idcirco poſſunt prædictæ qualita-
tes, quamuis inter ſe ſpecie, & numero diſtinguantur,
diſiunctim ad eiuſdem actus indiuiduationem concurre-
re, & idem numero actus charitatis poteſt à voluntate
procedere, & in voluntate recipi illis mediantibus. Et
hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri in 3. *M. ſent.*
diſt. 13. §. 1.

DIS-

DISPVTATIO VIGESIMA QVARTA.

An fuerint in Chriſto virtutes per ſe acquiſitæ, illaſque habuerit à primo conceptionis inſtanti?

§. I.

Prima pars diſputationis reſoluitur.

1 *Fuiſſe in anima Chriſti virtutes per ſe infuſas, vt certam ſupponitur.* S. Tho:

FVISSE in anima Chriſti, ſiue in potentijs illius, omnes virtutes ſupernaturales, quæ vocantur per ſe infuſæ cum ſtatu beatifico, & cum vnione humanitati ad Verbum non repugnantes; eſt concors Theologorum conſenſus, vno, vel altero excepto, idque manifeſtè conuincit ratio Angelici Præceptoris *in 2. art.* eo quod huiuſmodi virtutes conſequuntur ad gratiam, ſicut proprietates ad eſſentiam, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 110. *art.* 9. *ad* 1. & conſequenter, vbicumque gratia fuerit, ſupernaturales virtutes eſſe debent; ſed in anima Chriſti Domini fuit gratia habitualis, vt vidimus *diſp* 21. ergo in illius potentijs fuerunt virtutes ſupernaturales, per ſe infuſæ.

2 *Confirmatur primò.*

Quod amplius confirmari poteſt primò: nam quidquid dignitatem eſt non pugnans cum vnione hypoſtatica, nec cum humanitatis beatitudine, concedendum eſt humanitati Chriſti; ſed virtutes per ſe infuſæ dignitatem important, & illarum aliquæ non repugnat cum vnione hypoſtatica, nec cum viſione beatifica: ergo ſunt in humanitate Chriſti conſtituendæ. Secundò, nam oportuit, quod humanitas Chriſti operaretur ſupernaturales actione ſuauitèr, & connaturalitèr: qua ratione *diſputationib. præcedent.* oſtendimus, fuiſſe habitualem gratiam in Chriſto, vt illius anima connaturaliter operaretur in ordine ſupernaturali; at, niſi illius potentiæ eſſent eleuatæ per forma habituales ſupernaturalis ordinis, non eliceret ſuauitèr, & connaturalitèr ſupernaturales operationes, cum gratia immediatè in anima reſidens illas eleuare non poſſit, ipſæque de ſe ad ſupernaturales actus inclinatæ non ſint: ergo, vt humanitas Chriſti medijs ſuis potentijs connaturalitèr operaretur in ordine ſupernaturali, neceſſarium fuit, illius potentias eleuari per formas habituales ſupernaturalis ordinis, quæ ſunt, & vocantur a Theologis virtutes per ſe infuſæ.

Secundò.

3 *Extitiſſe prædictas virtutes in anima Chriſti à primo ſuæ conceptionis inſtanti.*

Ex qua doctrina per manifeſtam illationem colligitur, fuiſſe prædictas virtutes in anima Chriſti Domini à primo ſuæ conceptionis inſtanti, fuiſſeque in ſumma intenſione de lege ordinaria poſſibili. Quod patet; nam proprietates ſemper comitantur eſſentiam, & in perfectione cum illa proportionata; ſed gratia habitualis, ad quam conſequuntur virtutes per ſe infuſæ, ſicut proprietates ad eſſentiam, fuit in anima Chriſti Domini à primo ſuæ conceptionis inſtanti, fuitque in illa cum ſumma intenſione de lege ordinaria poſſibili, vt *ſupra* oſtendimus: ergo virtutes per ſe infuſæ fuerunt in anima Chriſti Domini à primo ſuæ conceptionis inſtanti, & in ſumma intenſione de lege ordinaria poſſibili.

4 *Punctus difficultatis aperitur.*

His ita præmiſſis, difficultas noſtra de virtutibus per ſe acquiſitis procedit, de illiſque duo inquirimus. Primum eſt, an fuerit in anima Chriſti Domini? Secundum, an illas à primo ſuæ conceptionis inſtanti, vel per accidens infuſas, vel acquiſitas habuerit? Circa primum duæ verſantur Theologorum ſententiæ. Prima eſt negatiua, quam tenent Lorca *in præſenti diſput.* 38. *num.* 19. & alij, quos refert Vazquez *diſp* 41. *c.* 2. tribuiturq; Capreolo *in* 3. *diſt.* 35. *q. vnic. art.* 1. *concluſ* 4. & Richardo *ibidem art.* 10. *q.* 6. aſſerentibus, virtutes per ſe acquiſitas non remanere in beatis: ex quo manifeſtè colligitur, relegandas eſſe a Chriſto, qui a primo ſuæ conceptionis inſtantis beatus fuit.

Prima ſententia. *Lorca.* *Vazq.* *Capreo.* *Ricar.*

Communis tamen, & vera Theologorum ſententia affirmans eſt, quam tuentur Vincentius *relectione de Gratia Chriſti q.* 2. *fol.* 75. Medina *in præſenti art.* 2. Aluarez *in præſenti art.* 2. Nazarius *controuerſ. vnic. concluſ.* 2. Illuſtriſſimus Arauxo *dub.* 1 & Zippullus *dub.* 2. Tenent etiam ex PP. Societatis Suarez *diſput.* 19. *ſect.* 2. & Vazquez *diſp.* 42. *cap.* 2. & frequentèr Recentiores. Et licet D. Thom. nihil de his virtutibus expreſſum reliquerit; videtur tamen illius menti conformius illas humanitati Chriſti concedere. Tùm, quia 1. 2. *q.* 67. *art.* 1. virtutes morales docet remanere in beatis, & quòd loquatur de virtutibus acquiſitis manifeſtum videtur; loquitur namque de virtutibus à Philoſophis cognitis, qui nihil de ſupernaturalibus cognouerunt. Tum etiam; quia *infra q.* 9. *art.* 4. docet; in intellectu Chriſti fuiſſe ſcientiam naturalem, vt non ſolum in ordine ſupernaturali, ſed etiam in naturali perfectus eſſet: quæ ratio id ipſum de virtutibus naturalibus ſpectantibus ad voluntatem videtur conuincere, cum etiàm ſit congruum; voluntatem Chriſti in vtroque ordine eſſe perfectam. 5 *Secunda communis, & vera.* *Vincent.* *Medin.* *Aluar.* *Nazar.* *Araux.* *Zippul.* *Suar.* *Vazq.*

Quæ ſententia vt verior à Nobis eligitur, & hac vnica ratione probatur. Nam voluntas Chriſti non ſolum actus ſupernaturales, ſed etiam naturales honeſtos elicuit, cum importet honeſtatem moralem cum vnione hypoſtatica, & beatifica viſione non repugnantem, nec humanitati aſſumptæ indecentem; congruum autem ſit vt nulla honſtate morali ſtatus conditionis caruerit; ſed, vt illos actus promptè, facilè, & ſuauitèr, qualitèr decedebat; eliceret, neceſſariæ erant virtutes per ſe acquiſitæ naturalis ordinis, cum effectus formalis huiuſcemodi virtutum ſit promptum reddere ſubiectum ad illorum actuum elicentiam: ergo fuerunt in voluntate virtutes per ſe acquiſitæ. 6 *Prædicta ſententia pro conclaſione ſtatuitur. Probatur vnica ratione.*

Reſpondebis primò, negando maiorem; cum enim Chriſtus fuerit ſuppremum operans in genere virtutis, oportuit vt ſemper perfectiſſimè operarentur, quod eſt operari ex ſupernaturali motiuo; ac proindè non decuit, vt actus *ſaltitatiuè* naturales eliceret. Reſpondebis ſecundo, negando minorem; nam habitus ſupernaturalium virtutum præſtare poterant ſuauitatem, & facilitatem, nedum ad ſupernaturales actus, ſed etiam ad naturales circa idem obiectum. Vel tertiò reſpondebis, conceſſa etiam maiori, negando minorem; nam in Chriſto nulla erat difficultas vincenda circa actus honeſtos naturales, vtpotè, cum in illo ex vi vnionis hypoſtaticæ, non ſolum ligatus fuerit, ſed etiam extinctus fomes, & impoſſibilis reſiſtentia virium inferiorum ad rationem: ex qua naſcitur in nobis difficultas honeſtè operandi, ad quam vincendam neceſſariæ ſunt virtutes per ſe acquiſitæ. 7 *Reſpondebis primò.* *Secundò.* *Tertiò.*

Sed nulla ex his ſolutionibus argumenti eleuat vires. Et prima reijcitur primò: nam licet ex eo quod Chriſtus fuerit ſupremum operans, rectè inferatur, decuiſſe, vt ſemper operaretur ex ſupernaturali motiuo tanquam ex fine operantis; non tamen rectè colligitur, debuiſſe operari ſemper ex motiuo ſupernaturali, vt fine intrinſeco cuiuſcumque actus, vel operis ab humanitate eliciti; ſed vt actus naturalium virtutum eliceret, ſufficiebat operari ex motiuo naturali, vt fine intrinſeco operis, licet cum ſubordinatione ad motiuum ſupernaturale, vt ad finem operantis: ergo ex eo, quod Chriſtus fuerit ſupremum operans in linea virtutis operatiuæ, malè colligitur 8 *Prima ſolutio reijcitur primò.*

gitur, actus honeſtos naturales, quoad ſubſtantiam non elicuiſſe. *Secundò.* Secundò, nam ſequitur, Chriſtum nullum ſupernaturalem actum elicuiſſe, præter actum charitatis; conſequens eſt abſurdum. Tùm, quia actum obedientiæ elicuiſſe conſtat ex illo Pauli: *Factus obediens vſque ad mortem*. *Ad Philip. c. 2.* Tùm etiam, quia aliàs nullam, præter charitatem, habuiſſet ſupernaturalem virtutem: ergo tradita ſolutio non ſubſiſtit. Patet ſequela: nam inter omnes actus virtutum perfectiſſimus actus charitatis: ergo ſi ex eo quod Chriſtus eſt perfectiſſimum operans in linea virtutis, & actus naturales non ſunt ita perfecti, ſicut ſupernaturales, rectè colligitur, nunquam naturales actus, ſed ſupernaturales ſemper elicuiſſe, debet etiam inferi; nunquam actus ſupernaturales ab actu charitatis diſtinctos elicuiſſe.

9 *Tertiò.* Tertiò, nam ſicut Chriſtus eſt præſtantiſſimum operans in linea virtutis appetitiuæ: ita etiam in linea virtutis intellectiuæ; ſed ex hac ſecunda præſtantia non ſequitur, nunquam exercuiſſe actum ſcientiæ naturalis: ergo nec ex prima infertur omnes actus virtutum electiuarum fuiſſe ſupernaturales in Chriſto, nullumque actum honeſtum, *entitatiuè* naturalem habuiſſe. *Quartò. S.Tho.* Denique, nam D. Thom. *infra q. 9. art. 4.* probat fuiſſe in intellectu Chriſti ſcientiam acquiſitam, & naturalem, ne facultas abſtractiua ſpecierum competens intellectui agenti Chriſti redderetur fruſtranea; ſed ſi nunquam actus honeſtos naturales elicuiſſet etiam redderetur fruſtranea facultas naturalis voluntatis, quam habet ad operandum honeſtè, cum per actus ſupernaturalium virtutum huiuſcemodi facultas non reducatur ad actum: ergo vt hoc inconueniens vitetur, concedendi ſunt voluntati animæ Chriſti actus naturales honeſti.

10 *Secunda ſolutio impugnatur 1. Secundò.* Deindè ſecunda ſolutio reijcitur primò: nam habitus ſupernaturales non afficiunt voluntatem reduplicatiuè ſub conceptu naturalis potentiæ, ſed ſub conceptu potentiæ obedientialis actiuæ mediatè, & remotè; at facultas ad actus naturales honeſtos conuenit voluntati ſub ratione naturalis potentiæ reduplicatiuè: ergo non poteſt ab habitibus ſupernaturalium virtutum præſtari. Secundò, nam habitus non inclinant, niſi ad actus ſibi ſimiles, & idem obiectum formale, & materiale reſpicientes, vt *Tract. de Charitate* oſtendimus; ſed actus naturales honeſti tametſi idem materiale obiectum reſpiciant, atque habitus infuſi, non tamen idem obiectum formale: ergo habitus ſupernaturales facilitatem ad illos non præſtant.

11 *Vltima ſolutio reijcitur primò.* Denique vltima ſolutio reijcitur primò: nam virtutes, quæ ſunt ad alterum, non ſunt neceſſariæ in nobis propter reſiſtentiam appetitus, cum in voluntate reſideant, vt docet D. Thom. *1. 2. quæſt. 56. art. 6.* eo quod quamuis ad bonum proprium ſit noſtra voluntas ſufficiens, non verò ad bonum alienum, ad quod apparendum non eſt perfectè inclinata: ergo ex impoſſibilitate reſiſtentiæ appetitus inferioris in Chriſto, non ſequitur, quod his virtutibus non indiguerit ad difficultatem voluntatis vincendam, quæ illi conuenit, non ex reſiſtentia appetitus, ſed ex ſua indiuiduali ratione. *Secundò.* Secundò, nam in Adamo fuerunt virtutes per ſe acquiſitæ in ſtatu innocentiæ, & ſimiliter in B. Virgine; & tamen in illis non erat fomes peccati, nec poterat inferior appetitus ſuperiori reſiſtere: ergo ex eo quod in Chriſto fuerit extinctus fomes, & appetitus inferior, non potuerit reſiſtere appetitui ſuperiori, non ſequitur, ea difficultate caruiſſe, ad quam vincendam neceſſariæ fuerint virtutes acquiſitæ.

12 *Reſpondebis.* Si dicas, in B. Virgine fuiſſe fomitem quoad eſſentiam; ligatum tamen ab extrinſeca prouidentia Dei, negante appetitui inferiori concurſum, vt rationem præueniret, & aduerſus illam inſultaret: & ideò fuiſſe neceſſarias virtutes acquiſitas, vt promptè, & faciliter operaretur actus naturales honeſtos; in Chriſto autem fomitem quoad eſſentiam non fuiſſe; ac proindè nullam difficultatem in illius appetitu per habitus naturales vincendam remanſiſſe. *Contra.* In contrarium obſtat: nam iuxta D. Tho. *infra q. 27. art. 3.* licet per primam ſanctificationem non fuerit fomes quoad eſſentiam extinctus, ſed tantum ligatus in Virgine; tamen poſt conceptionem Chriſti totaliter fuit extinctus; & tamen poſt Chriſti Conceptionem virtutes acquiſitas habuiſſe nullus Theologorum negauit: ergo extinctio fomitis quoad eſſentiam in Chriſto, non arguit incapacitatem in illius appetitu ad virtutes acquiſitas.

13 Tertio reijcitur principalis ſolutio: ex ligamine, aut extinctione fomitis ſolum colligitur impoſſibilitas in illo reſiſtendi rationi; & in actum rationi contrarium prorumpendi; ſed cum hac impoſſibilitate compatitur neceſſitas virtutum acquiſitarum, vt dent facilitatem ad actus naturales honeſtos: ergo ex fomitis extinctione in humanitate Chriſti non excluderetur neceſſitas virtutum acquiſitarum. *Principalis ſolutio reijcitur tertiò.* Prob. Minor: intellectui animæ Chriſti ex ratione coniunctionis ad Verbum, fuit impoſſibilis error, tam ſpeculatiuus, quàm practicus, vt ſuppono ex veriori Theologorum ſententia, de qua *infra q. 15. art. 3.* vbi ſatis ab Angelico Doctore inſinuatur, illis verbis: *Vndè, ſicut in Chriſto non fuit fomes peccati; ita non fuit in eo ignorantia ſcientiæ oppoſita*. *S.Tho.* Et tamen cum impoſſibilitate iſta erroris in intellectu compatitur neceſſitas ſcientiæ acquiſitæ naturalis ad actum ſcientiæ promptè, & ſuauitèr eliciendum: ergo pariter cum impoſſibilitate appetitus ad actum virtuti oppoſitum, poterit ſtare neceſſitas virtutis per ſe acquiſitæ ad promptè, & facilitèr eliciendum actum naturalem honeſtum.

14 *Vltimò.* Denique reijcitur: nam appetitus Chriſti eſt quoad entitatem eiuſdem rationis cum noſtro; & conſequenter ſicut noſter appetitus non eſt ab intrinſeco ratione propriæ entitatis completè, & perfectè inclinatus ad actum honeſtum virtutis, ob quam rationem indiget habitibus virtuoſis, vt docet D.Tho. *1. 2. q. 56. art. 4.* ita appetitus ſenſitiuus Chriſti non eſt ratione propriæ entitatis completè, & perfectè inclinatus ad actum naturalem honeſtum: vndè, vt promptè, & faciliter illum eliciat, entitate aliqua ſuperaddita indiget; at huiuſmodi entitas illum perfectè, & completè ad actum honeſtum inclinans non eſt hypoſtatica vnio, cum operatiua non ſit, nec gratia habitualis, & virtutes ipſam conſequens, cum hæc, vtpotè ſupernaturalis, ſolum, ad ſupernaturales actus inclinent: ergo quamuis ſiuè hypoſtatica vnio, ſiuè gratia habitualis, & virtutes ipſam conſequentes; ſiuè omnia iſta collectiuè, extinguant fomitem in humanitate Chriſti; non tamen tribuunt illius apetitui ſenſitiuo perfectam, & completam inclinationem ad actus naturales honeſtos; & conſequenter, adhuc extincto fomite, remanet in Chriſto neceſſitas virtutum acquiſitarum ad promptè, & ſuauitèr eliciendos actus naturales honeſtos.

---

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

15 *Primum argumentum.* OBijcitur primò: Chriſtus enim eſt ſupremum operans in linea virtutis: ergo ſemper eſt operatus ex motiuo virtutis infuſæ, qui eſt perfectior modus operandi in materia cuiuſcumque virtutis: ergo non fuerunt in illo virtutes per ſe acquiſitæ; cum enim ſint propter actus, fruſtraneè ponerentur in Chriſto, in quo nullus illarum actus erat futurus. *Reſpondeo.* Reſpondeo ex dictis, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: vt ex fine intrinſeco, & operis reſpectu omnis actus, nego conſequentiam: vt ex fine operantis, concedo conſequentiam. Ex hoc autem, quod ſemper operatus fuerit ex motiuo ſupernaturali, vt ex fine operantis, non ſequitur, nullum actum ſubſtantialiter naturalem eliciuiſſe, ſed tantum, quod nullum exercuerit actum non ordinatum ad finem ſupernaturalem, & honeſtate ſupernaturali intrinſecè, aut extrinſecè non gaudentem: ſicut ex hoc, quòd ſemper operatus fuerit ex motiuo charitatis, qui eſt modus perfectiſſimus operandi, non ſequitur, non elicuiſſe actus aliarum virtutum, ſed tantum, quòd illarum actus ad finem charitatis fuerint à voluntate Chriſti ordinati, & ex illo honeſtatem charitatis extrinſecè, aut intrinſecè, accidentaliter tamen acceperint.

16 *Oppones primò.* Sed oppones primò: perfectius eſt operari actum ſupernaturalem, quoad ſubſtantiam circa materiam virtutum, quam actum ſubſtantialitèr naturalem, & ſupernaturalem ſolum extrinſecè, & accidentalitèr; ſed modus perfectiſſimus operandi eſt concedendus humanitati Chriſti: ergo ſemper fuit operata actus ſubſtantialiter ſupernaturales; & conſequentèr nunquam actus virtutum naturalium elicuit. *Secundò.* Secundò, quia Chriſtus eſt ſupremum operans, omnis illius actus fuit virtutis heroicæ, & nullum actum, non heroicæ virtutis elicuit; ſed plus diſtat in perfectione actus virtutis infuſæ ab actu virtutis acquiſitæ, quam actus virtutis heroicæ ab actu virtutis non heroicæ; cum inter

iſtos ſolum accidentale intercedat diſcrimen, inter illos verò eſſentiale: ergo Chriſtus, quia ſupremum operans eſt, nunquam elicuit actum virtutis acquiſitæ, ſed omnis illius actus fuit virtutis infuſæ.

17 *Reſpon. ad primam inſtantiã.* Reſpondeo ad primam inſtantiam, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam: quia cum actus ſubſtantialiter naturalis non incompatiatur cum actu ſupernaturali ſubſtantialiter, ſed poſſit illi ſubordinari, & ex illius motiuo, vt ex fine operantis procedere, conſequens fit, quòd quamuis Chriſtus, quia ſupremum operans eſt, ſemper actũ ſubſtantialiter ſupernaturalem elicuerit, non inferatur exindè, quod nunquam ſe exercuerit in actibus virtutum per ſe acquiſibiliũ, qui ſunt ſubſtantialiter naturales. Et ex his *Ad ſecundam.* ad ſecunda obiectionem reſpondeo, negãdo conſequentiã: nam actus heroicus, & non heroicus taliter diſtinguuntur, quòd non poſſunt eſſe ſimul: vndè eo ipſo, quod non heroicum eliceret, non operaretur actum heroicũ virtutis, quod inconueniens cenſetur; actus autem naturalis, etſi plus diſtet ab actu virtutis infuſæ, componitur tamen cum illo; ac proindè, ex eo quòd actum naturalem eliciat, non tollitur, quin ſupernaturalem actum operetur.

18 *Secundũ argumentum.* Secundò objiciunt: virtutes appetitu reſidentes ordinantur ad frænandas paſſiones appetitus ſenſitiui, cum verſentur circa paſſiones, tanquam circa propriam materiam, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 60. *art.* 2. ſed in Chriſto Domino nullæ fuerunt, imò nec eſſe potuerunt paſſiones à ratione exorbitantes; ergo tales virtutes non ſunt Chriſto concedendæ.

Reſpõdeo. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: per ſe primò, nego maiorem: ſecundariò, & ex ſuppoſitione, quòd tales paſſiones inſurgant, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam: nam virtutes iſtæ ordinantur per ſe primò ad affectionem rectam, & rationi conformem eliciendam, & ſecundariò ad reſiſtendum paſſionibus appetitus, ſi fortè inſurgant in illo contra rationem. Vnde, cum id, ad quod primò ordinantur, reperiatur in Chriſto; conſequens fit, quod etiam iſtæ virtutes reperiantur in illo: ſicut gratia, quia ad expellendum peccatum, non per ſe primò, ſed ſecundariò, & ex ſuppoſitione, quòd in ſubiecto ſit ordinatur, poteſt, vbi nec peccatum, nec potentia peccandi inuenitur, reperiri. Et quidem hoc argumentum, non ſolum virtutes acquiſitas appetitus ſenſitiui, etiam per ſe infuſas impugnat, cum etiam iſtæ virtutes verſentur erga paſſiones, & ad illas frænandas ordinentur.

19 *Vltimum argumentum.* Denique objiciunt: vbi nulla eſt difficultas vincenda, habitus virtutis neceſſarius non eſt, communiter docetur à Theologis cum D. Tho. 1. 2. q. 56. ar. 4. quo circa, vt docet D. Tho. in *eadem q. art.* 6 in voluntate ad bonum proprij ſuppoſiti, habitus virtuoſus non ponitur, quia ad illud perfectè, & abſque difficultate intrinſecè inclinatur. Deinque repugnat habitus, quia repugnat illi difficultas, vt cum communi Theologorum ſententia docuimus *Tract. de ſcientia Dei art.* 1. & *Tract. de Diuina voluntate art.* 1. ſed in appetitu Chriſti nulla erat difficultas per habitum ſuperanda erga obiecta virtutum acquiſitarum: ergo virtutes iſtas non habuit, nec habere potuit. Minor oſtenditur pri- *Minor probatur primò.* mò: difficultas appetitus ad proſequendum bonum rationi conforme, quod eſt obiectum virtutum acquiſitarum, naſcitur ex inſurgentia paſsionum in malum virtuti oppoſitum; ſed in appetitu Chriſti huiuſcemodi paſſiones inſurgere non potuerunt; aliàs potuiſſet peccare: ergo in illo

20 *Secundò.* nulla erat difficultas per habitum ſuperanda erga obiecta moralium virtutum. Secundò probatur: difficultas appetitus ad bonum rationi conſonum, naſcitur ex inclinatione eiuſdem ad bonum contra rationem; ſed in appetitu Chriſti huiuſcemodi inclinatio non datur, non ſolum per modum actus ſecundi, verum etiam, nec per modum actus primi: ergo nec difficultas ad bonum rationi conſonum per habitum ſuperanda. Prob. minor: nam iuxta D. Tho. *infra q.* 15. *art.* 2 in Chriſto non fuit fomes peccati ſecundũ eſſentiam fomitis, ſed fuit extinctus ex vi vnionis hypoſtaticæ, & gratiæ habitualis, atque virtutum ipſam conſequentium, ad differentiam B. Virginis, in qua iuxta D. Thom. *infra q.* 27. *art.* 3. per primam ſanctificationem non fuit extinctus, nec penitus ſublatus fomes, ſed tantum ligatus vſque ad conceptionem Chriſti, in qua fuit fomes extinctus; ſed eſſentia fomitis non conſiſtit in motu appetitus ſenſitiui inſurgentis contra rationem, vt falsò aliqui Recentiores docuerunt, ſed in inclinatione ſenſuali appetitus per modum actus primi in id quod rationi rectæ aduerſatur, vt *S. Thom.* docet D. T. *inf. q.* 15. *art.* 2. *in corp.* ergo in appetitu Chriſti non fuit relicta inclinatio habitualis, ſeu per modum actus primi in malum rationi diſſonum, & quod virtutis bono aduerſatur: cumque difficultas in bonum rationi conſonum naſcatur in appetitu ex inclinatione habituali, ſeu per modum actus primi in malum illi contrarium, nulla in appetitu Chriſti manere potuit difficultas per habitum naturalem vincenda erga obiecta virtutum acquiſitarum.

21 *Solutio quorundã Recentiorum.* Huic argumento quidam Recentiores reſpondent, ad indigentiam habitus ſufficere indifferentiam potentiæ, quam habuit appetitus animæ Chriſti ex ſubordinatione ad voluntatem; & ideò quamuis extincto fomite, nulla in eo difficultas circa obiectum rationi conſonum manſerit, capacem fuiſſe, indiguiſſeque virtutibus. Hæc tamen ſolutio in doctrina D. Thom. ſuſtineri non poteſt: nam iuxta D. Thom. 1. 2. *q.* 56. *art.* 6. voluntas noſtra in ordine ad bo- *Impugnatur* 1. num proprium habitu virtutis non indiget; & tamen eſt indifferens in ordine ad illud: ergo ſola indifferentia potentiæ non eſt ſufficiens ad indigentiam habitus. Secundò, *Secundò.* nam habitu exiſtente in potentia, tollitur id, ex quo indigentia habitus naſcebatur; ſed adhuc habitu in potentia conſtituto, potentiæ indifferentia perſeuerat: ergo ex parte ſolius indifferentiæ in operando non eſt neceſſarius habitus.

22 *Secunda reſponſio P. Vazq. Reijcitur.* Secunda ſolutio eſt Patris Vazquez vbi *ſupra cap.* 2. n. 4. aſſerentis, quod licet in Chriſto concupiſcentiæ non ſint ex peculiari Dei gratia aſſiſtente; quia tamen ſuapte natura eſſe poterant, eſt in illius appetitu difficultas, ad quam ſuperandam habitus requiritur. Sed nec iſta ſolutio eſt ſufficiens; procedit enim ex falſo principio, nimirum negationem concupiſcentiarum rationi aduerſantium in Chriſto proceſſiſſe ex ſola aſſiſtentia extrinſeca Dei; aliàs non extinctus, ſed ligatus tantum fuiſſe fomes in humanitate Chriſti, contra D. Thom. *infra q.* 15. *ar.* 2. Patet ſequela: in B. Virgine ante conceptionem Chriſti non fuit fomes penitus extinctus, ſed tantum ligatus, vt docet D. Thom. *infra q.* 27. *art.* 3. Et tamen motus inordinati appetitus, non potuerunt eſſe in illa ob extrinſecam diuinæ gratiæ aſſiſtentiam: ergo remotio motuum appetitus aduerſantium rationi orta ex prouidentia extrinſeca, ſeu ex extrinſeca gratiæ aſſiſtentia, ligat quidem fomitem, ſed non penitus auffert, vel extinguit.

23 *Tertia ſolutio.* Tertia ſolutio eſt aliorum, quos ſine nomine refert Vincentius vbi *ſup. pag.* 76. aſſerẽtium, verum quidem eſſe, fomitem nedum ligatum, verum etiam penitus extinctum in Chriſto fuiſſe, illiuſque deſtructionem in impoſſibilitate paſſionum rationi difformium conſiſtere, qua poſita, nulla remanet difficultas ad bonum inferiori appetitu: cæterum impoſſibilitatem iſtam à virtutibus acquiſitis præſtari; vndè non ſuperfluunt huiuſcemodi virtutes in Chriſto. Quæ doctrina videtur in Angelico Præceptore fundata *infra q.* 15. *artic.* 2. vbi fomitis extinctionem ad gratiam, & virtutes reducit, perfectè ſubjicientes appetitum rationi. Pro qua ratione refert Caietanum *in præſenti art.* 2. *in ſolut. ad* 3.

24 *Reijcitur primò.* Verum hæc ſolutio merito diſplicuit Vincentio, & reijcitur primò: nam eſt probabilis plurium Theologorum ſententia, de qua in 2. *diſputationis parte* affirmantium, virtutes acquiſitas non fuiſſe in Chriſto à primo conceptionis inſtanti; ſed à primo inſtanti conceptionis fuit extinctus fomes in humanitate Chriſti, vt omnes Theologi docent in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum ſit ad minus temerarium: ergo ad fomitis deſtructionem, ſeu non exiſtentiam illius in humanitate Chriſti, non fuerunt neceſſariæ virtutes per ſe acquiſitæ. Deindè, quia, vt re- *Secundò.* ctè argumentatur Vincentius, potuerunt huiuſmodi virtutes in humanitate Chriſti non eſſe, ſed fomitem fuiſſe Chriſto impoſſibilem, etiam de potentia abſoluta, eſt probabilior Theologorum ſententia *infra q.* 15. *art.* 2. ergo fomitis non exiſtentia, non prouenit à virtutibus acquiſitis.

25 *Nec ſanet D. Th. ſolutioni traditæ.* Nec ſanet ſolutioni traditæ D. Thom. *ibi* enim loquitur de virtutibus infuſis conſequentibus gratiam in humanitate Chriſti exiſtentem, quæ quia perfectione gratiæ ſtatus innocentiæ pollebat, virtutes ipſam conſequentes habuerunt vim ſubijciendi penitus appetitum rationi, imò ad virtutes infuſas, non vt ad cauſam neceſſariam pro non exiſtentia fomitis in Chriſto recurrit, ſed vt ad cauſam ſufficientem: vt enim *proximè* ex Vincentio argumentabamur, potuit Verbum humanitatem aſſumere in ſtatu puræ naturæ, hoc eſt, omni ſupernaturali dono accidentali creato deſtitutam, quo in caſu fomes non eſſet in illo, ſicut nec potentia peccandi. Falsò etiam Caietanus pro

ſolu-

Medin. ſolutione tradita adducitur, vt ipſum legenti conſtabit. Illam ſuſtinet Medina *art. 2. ad 1. argum. ex factis ſecundo loco.*

26 *Traditur vera ſolutio. Ad primā probationem.* Vndè, his reiectis ſolutionibus, vt omninò inſufficientibus, ad argumentum factum reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: ad primam probationem, nego maiorem: vt enim docet D. Tho. *in præſenti art. 2. ad 3.* temperantia tantò eſt perfectior in homine, quanto magis caret prauis concupiſcentijs: vndè ſi penitus careat illis, temperantiam perfectiſſima erit; ac proindè, vt neceſſaria ſit, inſurgentia paſſionum rationi repugnantium non petitur. Ad ſecundam probationem reſpondeo, notando, eſſentiam fomitis, non conſiſtere in ſola innata inclinatione appetitus, ſed in hac, vt expedita ad motus inordinatos, & rationi aduerſantes; quæ expeditio duo importat, nempè, appetitus entitatem, & negationem plenæ ſubiectionis ad rationem. Quod patet, quia aliàs fomes extitiſſet in Chriſto, cum in illo fuerit eſſentia appetitus ſenſitiui. Sequeretur etiam, fuiſſe fomitem in Adamo in ſtatu innocentiæ, & futurum in poſteris Adami, etiam ſi nunquam peccaſſet, contra Concilium *Concil. Trident.* Tridentinum *ſeſ. 5. decreto de peccato originali*, vbi docet, fomitem peccati eſſe in nobis effectum peccati originalis; non autem fuiſſet effectus originalis peccati, ſi abſque illo eſſet extiturus in illis. Hoc itaque poſito, ad ſecundam *Ad ſecundam.* probationem reſpondeo, diſtinguendo maiorem: naſcitur difficultas ad bonum ratione conforme ex inclinatione appetitus ad malum rationi diſſonum ſecundum intrinſecā appetitus entitatem, concedo maiorem: ex prædicta inclinatione ad malum expedita, vt ex cauſa neceſſaria, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam licet in Chriſto non manſerit inclinatio appetitus ſenſitiui, vt ad malum expedita, in qua fomitis eſſentiam conſiſtit; manſit tamen inclinatio appetitus ſenſitiui ad motus inordinatos ſecundum ſuam entitatem, & ex illa prout ſic naſcitur difficultas ad bonum rationi conſonum, ad quam ſuperandam habitus facilitans petitur: ſicut in voluntate Chriſti, etſi non manſerit peccandi potentia, manſit tamen intrinſeca difficultas ad bonum proximi appetendum, ad quam vincendam habitus iuſtitiæ requiritur.

27 *Replicabis primò.* Sed contra iſtam ſolutionem obijcies primò: ſequitur namque ex illa, fuiſſe fomitem extinctum in Beatiſſima Virgine per primam ſanctificationem: conſequens eſt contra D. Tho. *infra quæſt. 27. art. 3.* ergo ſolutio tradita vera non eſt. Probatur ſequela. vt enim in tradita ſolutione docemus, eſſentiam fomitis conſiſtit in inclinatione expedita appetitus ſenſitiui ad malum rationi diſſonum; ſed in B. Virgine, vt primò ſanctificata, huiuſmodi expeditio non manſit, aliàs nec ligatus fuiſſet fomes in illa: ergo eſſentia fomitis non manſit in B. Virgine; & conſequenter per primam ſanctificationem fuit fomes quoad eſſentiam *Secundò.* extinctus Secundò, inexpeditio, vel impotentiam appetitus ſenſitiui in humanitate Chriſti, iuxta D. Tho. *infra q. 15. art. 2. in corpore.* oritur ex plena ſubiectione appetitus ſenſitiui ad obediendum rationi præſtita à virtutibus conſequentibus gratiam; ſed hæc plena ſubiectio appetitus conſiſtit in perfecta inclinatione ad bonum rationi conſonum, quam præſtant iſtæ virtutes: ergo ratione virtutum infuſarum conſequentium gratiam habitualem humanitatis Chriſti fuit illius appetitus perfectè, & plenè inclinatus ad bonum rationi conſonum. At, poſita inclinatione vndequaque completa, & perfecta ad bonum, quod eſt obiectum virtutis habitus facilitatem præbens ad eius proſequutionem neceſſarius non eſt, cum iuxta D. Th. 1. 2. q. 56. art. 6. ideò ad bonum proprium voluntas noſtra habitu virtutis non egeat, quia ad illud ratione ſui eſt inclinata cōplerè: ergo præter ſupernaturales virtutes fomité auferētes, in Chriſto nō ſunt neceſſariæ virtutes per ſe acquiſitæ.

28 *Reſpondeo ad 1. obiectionem.* Reſpondeo ad primam obiectionem, negādo ſequelam: ad probationem, diſtinguo maiorem: expeditione actus primi, & potentiæ antecedentis, concedo maiorem: expeditione potentiæ conſequentis, ſeu per modum actus ſecundi, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam in B. Virgine non fuit fomes per primam ſanctificationem impeditum per modum actus primi, ſeu impedimento auferente ab appetitu illius potentiam antecedentem ad reſiſtendum rationi, ſed ſolum impedimento auferente actum ſecundum, & potentiam conſequentem conſiſtente in prouidentia extrinſeca Dei procurante aſſiſtentiam continuam gratiæ efficacis portioni ſuperiori ad ſibi ſubijciendum inferiorem appetitum, & negante appetitui ſenſitiuo concurſum neceſſarium ad motus contra rationem; & quia ex aſſiſtentia gratiæ ad rationem ſuperiorem; & negatione concurſus neceſſarij, vt appetitus reſiliat contra rationem, ſolum tollitur actualis reſiſtentia, & potentia conſequens ad reſiſtendum rationi: conſequens fit, vt ex vi primæ ſanctificationis ſolum fuerit fomes ligatus, non autem penitus extinctus: quia ad hoc neceſſarium erat, quod impediretur impedimento actus primi, & auferretur potentia antecedens proxima ad reſiſtendum rationi, in qua potentia expedita expedimento actus primi, fomitis eſſentia conſiſtit.

29 *Vrgebis primò.* Nec obſtat, D. Tho. *infra q. 27. art. 3.* docere fomitem fuiſſe ligatum in B. Virgine, vt primò ſanctificata propter abundantiam gratiæ, quam in ſanctificatione recepit, & perfectius per diuinam prouidentiam ſenſualitatem ab omni inordinato motu prohibentem; ligamen autem à gratia habituali proueniens inducere videtur impedimentum per modum actus primi ex quo ſequitur vlterius, non fuiſſe ſenſualitatem per modum actus primi expeditam ad reſiſtendum rationi. Non inquam, obſtat, *Reſpondetur.* nam ex abundantia gratiæ non fuit reddita impoſſibilis reſiſtentia in appetitu, ſed tantum fuit difficilis conſtituta; cum qua difficultate compatitur potentia abſolutè expedita per modum actus primi, in qua fomitis eſſentia conſiſtit: & ideò addidit D. Tho. *Perfectius per Diuinam prouidentiam ligari*: quia ratione illius redditur futura infallibiliter negatio motus in ſenſualitate, quo aduerſus rationem inſiliat.

30 *Vrgebis ſecundò.* Nec iterum obſtat, ſi dicas, ſequi ex ſolutione tradita in illis in quibus fomes quoad eſſentiam aufertur, non manere potentiam antecedenti peccandi: conſequens eſt contra communem Theologorum ſententiam *infra q. 27. art. 4.* ergo ſolutio tradita ſuſtinenda non eſt. Prob. ſequela: non manet in appetitu potentia antecedens ad reſiſtēdum rationi: ergo neceſſariò, & non liberè obedit; & conſequenter taliter rationi obtemperat quòd non poteſt non obtemperare: ergo talitèr, quod non poteſt peccare. Non, *Reſpondeo.* inquam, ſequitur hoc inconueniens: nam licet in illis, in quibus fomes extinguitur, nō poſſit appetitus potentia antecedenti agere contra rationem, hoc intelligendum eſt, quandiu ratio ſuperior non deliquerit contra Deum: & quia poteſt abſolutè ratio aduerſus Deum delinquere, poteſt ille, in quo fomes eſt extinctus peccare, & appetitum non obſiſtere rationi, liberum eſt abſolutè, quia ſolum eſt neceſſarium ex ſuppoſitione libera, non appetitus, ſed ſuppoſito operanti poſſumus hoc explicare ex doctrina D. Th. 1. 2. q. 89. art. 3. vbi docet, hominem in ſtatu innocentiæ nō potuiſſe venialiter peccare, & quo non obſtante, homo in illo ſtatu liberè abſtinebat à peccatis venialibus, quia non poſſe venialiter peccare, conueniebat homini in illo ſtatu ex ſuppoſitione libera, ſcilicet, quamdiu ratio ſubdebatur Deo, quod liberum illi erat: pariter ergo in præſenti.

31 *Vrgebis tertiò.* Nec denique obſtat, ſi opponas: voluntas viatoris non poteſt habitum ſupernaturalem neceſſitari neceſſitate antecedenti ad obtemperandum Deo; quo circa *infra q. 27. art. 4.* communiter docetur à Theologis, confirmatos in gratia, non eſſe ab intrinſeco impeccabiles, & B. Virginem, licet nunquam peccauerit; potuiſſe tamen potentia antecedenti peccare: ergo pariter, per nullum habitum poteſt appetitus ſenſitiuus ita ſubijci rationi, vt auferatur ab illo potentia antecedens ad motus inordinatos, & rationi diſſentaneos: ac per conſequens, gratia habitualis, & habitus ipſam conſequentes, quibus extinguitus fomes, non tollunt ab appetitu potentiam antecedentem ad reſiſtendum rationi. Non, inquam, obſtat ob rationem *infra Tract. de impeccabilitate Chriſti* expli- *Reſpondetur.* candam, dum de eſſentia fomitis tractemus.

32 *Ad ſecundā principalem obiectionē.* Ad ſecundam principalem obiectionem reſpondeo, notando, quod licet aliter potuerit extingui fomes in Chriſto, nimirum, per ſolam vnionem humanitatis ad Verbum, abſque aliquo dono ſupernaturali, quia in eo caſu, Chriſtus, vt homo, impeccabilis foret, & conſequenter illius appetitus impotens ad motus inordinatos; de facto tamen extinctus fuit, non ſolum per gratiam vnionis, ſed etiam per gratiam habitualem, & virtutes ad ipſam conſequentes, quæ quia pollebant perfectione iuſtitiæ originalis plenè ſubijciebant appetitum ſenſitiuum rationi, & ratione huius ſubiectionis, non poterat aduerſus illam inſurgere. Conceſſa igitur maiori, & minori, diſtinguendum eſt conſequens, & concedendum de perfecta, & completa inclinatione ad bonum rationi conſonum, vt

proſequendum per actus ſupernaturales ; negandum autem de perfecta, & completa inclinatione appetitus ſenſitiui ad prædictum bonum proſequendum per actus naturales : vt autem non eſſet locus habitibus acquiſitis, neceſſarium erat, quòd per virtutes infuſas completè inclinaretur appetitus ad obediendum rationi ex motiuo naturali, & ad proſequendum bonum rationi conforme per actus honeſtos naturales.

33 *Inſtabis.* Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione, per gratiam, & virtutes infuſas non fuiſſe adæquatè extinctum fomitem in humanitate Chriſti: conſequens eſt falſum, alias virtutes per ſe acquiſitæ neceſſariæ fuiſſent ad totalem fomitis deſtructionem : ergo doctrina hucuſque tradita vera non eſt. Probatur ſequela; adæquata fomitis deſtructio conſiſtit in plena ſubiectione ad rationem ; ſed per gratiam, & virtutes infuſas non plenè ſubiectus fuit appetitus ad rationem in Chriſto, cum non fuerit plenè, & adæquatè inclinatus ad obediendum illi : ergo nec fuit fomes adæquatè deſtructus.

34 *Reſpondeo.* Reſpondeo, negando ſequelam : ad probationem, diſtinguo maiorem : conſiſtit in plena ſubiectione poſitiua, nego maiorem : in plena ſubiectione, negatiua, concedo maiorem ; & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet per virtutes infuſas non fuerit inclinatus appetitus ſenſitiuus Chriſti ad obediendum rationi ex motiuo ſupernaturali, & naturali, ſed tantum ex motiuo ſupernaturali, & per actum ſupernaturalem ; & conſequenter non fuerit plenè ſubiectus *poſitiuè* : quia tamen ratione illarum manſit impotens ad reſiſtendum rationi, & ad motum innordinatum eliciendum, ideò fuit plenè ſubiectus rationi per prædictas virtutes *negatiuè*, & in hac plena ſubiectione negatiua conſiſtit adæquata fomitis deſtructio. Et quidem, ſi Verbum humanitatem in puris naturalibus aſſumpſiſſet fomes non maneret in illa, quamuis *poſitiuè* ad obediendum rationi inclinata non eſſet, vtpotè, carens omni virtute inclinante, ea ſolum ratione ; quia non poſſet aduerſus rationem inſurgere.

35 *Vrgebis.* Inſtabis ; ſubiectio negatiua appetitus præſtita à virtutibus infuſis ad non renſiſtendum rationi, fundatur in perfecta inclinatione ad obtemperandum illi, & proſequendum bonum per rationem amatum : ergo, ſi ratione illarum non fuit plenè inclinatus *poſitiuè* ad proſequendum bonum, non fuit plenè ſubiectus, etiam *negatiuè* ad non reſiſtendum rationi. Reſpondeo, negando conſequentiam : nam cum motus inordinatus appetitus, ex quocumque motiuo procedat, ſit incompatibilis, non ſolum cum proſequutione naturali boni rationi conformi, ſed etiam cum ſupernaturali, fit conſequens, quod, vt appetitus nequeat rationi reſiſtere per motus innordinatos, ſufficiat, eſſe perfectè, & completè inclinatum per virtutes infuſas ad obediendum rationi, ex ſupernaturali motiuo, & per actum ſupernaturalem.

§. III.

Circa ſecundam diſputationis partem referuntur ſententiæ, & verior eligitur.

36 Prima ſententia. *Medin.* *Herrera.* *Cabrer.* Secunda. *Nazar.* *Araujo.* *Zippul.* *Valen.* Tertia. *Medin.* *Vincent.* *Aluar.* *Syluius.* *Suar.* *Vazq.* CIrca ſecundum, quod examinandum propoſuimus, tres reperio Theologorum ſententias. Prima docet, omnes virtutes per ſe acquiſibiles habuiſſe Chriſtum Dominum à primo inſtanti ſuæ conceptionis per proprios ipſarum actus acquiſitas. Hanc tenent quidam, quos ſine nomine refert Medina *in præſenti* ; eamque ſequutus eſt ſapientiſſimus noſter Herrera Epiſcopus Tuienſis *in manuſcriptis ad 2. art. dub. vnic. concluſ. 5.* Cabrera *diſp. 2.* Secunda per extremum affirmat, non habuiſſe huiuſmodi virtutes à primo conceptionis inſtanti, ſed illas ſucceſſu temporis comparaſſe. Hanc tenent Nazarius *contr. vnic.* c. 4. Illuſtriſſimus Araujo *dub. 1.* Zippullus *dub. 3.* & ex PP. Societatis Valentia *art. 2. punct. 3.* Tertia & verior affirmat, fuiſſe Chriſto Domino per accidens infuſas à primo conceptionis inſtanti. Hanc tenent Medina *circa art. 2.* Vincentius *relectione de gratia Chriſti q. 1. fol. 70.* Aluarez *in præſenti diſp. 32.* & Syluius *circa art. 2.* Tenent etiam ex PP. Societatis Suarez *diſp. 19. ſect. 2.* Vazquez *diſp. 42. c. 2.* excipiens virtutem prudentiæ, quam aſſerit, ſucceſſu temporis per ſuos actus naturales comparaſſe. Eamque alij Recentiores frequentius ſequuntur.

37 *Prima ratio, qua vtitur P. Vazq.* Illam probat Vazquez primò : quia alias Chriſtus Dominus difficultatem habuiſſet in ordine ad bonum virtutis ; eſt autem inconueniens, difficultatem iſtam in voluntate Chriſti concedere : ergo concedendæ ſunt virtutes per ſe acquiſitæ in anima Chriſti Domini ab inſtanti conceptionis, per quas ſummam facilitatem, & promptitudinem ad bonum virtutis haberet. Hoc tamē fundamentum, *Reijcitur primò.* niſi aliundè iuuetur, non vrget : tum quia licet inconueniens ſit voluntatem Chriſti Domini habere poſitiuam difficultatem ortam, vel ex habitu vitioſo, vel ex paſſionibus appetitus aduerſantibus rationi ; quod tamen difficultatem tantum negatiuam habere, ortam ex carentia habituum præſtantium facilitatem, inconueniens debeat reputari, non probatur a prædicto Auctore ; ſed hoc erat neceſſarium oſtendere : ergo inſufficienter arguit. *Secundò.* Secundò, nam intellectus Chriſti Domini non habuit ab initio conceptionis ſcientias omnes naturales ; & conſequenter difficultatem habebat in ordine ad verum, quod eſt obiectum intellectus, quin hoc inconueniens reputet Vazquez : ergo nec inconueniens debet cenſere, quod voluntas Chriſti Domini difficultatem negatiuam habuerit in ordine ad bonum virtutis, niſi aliundè eius argumentum iuuetur. *Tertiò.* Deinque nam obiectum prudentiæ non eſt verum ſpeculatiuum, ſed practicum, quod eſt verum conforme rationi, & bonum, atque honeſtum moraliter ; & tamen inconueniens non reputat Vazquez : quod intellectus Chriſti ab initio conceptionis ſummam promptitudinem non habuerit in ordine ad obiectum prudentiæ, cum aſſerat, habitum prudentiæ promptitudinem iſtam præſtantem, fuiſſe ſucceſſu temporis acquiſitum : ergo, vt conſequenter loquatur non debet reputare inconueniens, quod voluntas Chriſti Domini aliquam difficultatem habuerit, & non ſummam promptitudinem in ordine ad bonum virtutis.

38 *Secundò probat P. Vazquez.* Secundò arguit Vazquez : nam ſi Chriſtus decurſu temporis, & longa actuum exercitatione comparaſſet iſtas virtutes, ſequeretur, illas aliquando in Chriſto in ſtatu imperfecto fuiſſe : conſequens eſt falſum, alias non ſemper habuiſſent ſtatum virtutis in Chriſto, ſed ſtatum continentiæ contra D. Th. *in præſenti art. 2 ad 3.* negantem continentiam in Chriſto, quæ iuxta Ariſtotelem *7. Ethic. c. 9.* nihil aliud eſt, quam virtus in ſtatu imperfecto, & inchoato : ergo, ne in hoc inconueniens incidamus, digneque ſentiamus de Chriſto, concedendæ ſunt illo virtutes per ſe acquiſitæ, per accidens illi in ſumma perfectionis infuſæ ab inſtanti conceptionis.

39 *Secunda ratio P. Vazq. reijcitur primò.* *S. Tho.* Sed nec vrget hoc argumentum : tùm, quia imperfectio virtutis, quæ ad rationem continentiæ requiritur, non conſiſtit in defectu intenſionis, ſed in paſſionum exuberantia perturbantium rationem ſuperiorem, vt clarè conſtat inſpicienti litteram D. Thom. *in præſenti art. 2. ad 3.* ibi : *Temperatus in hoc à continente differt, quod non patitur prauas concupiſcentias, quas continens patitur* ; at ex eo quod Chriſtus decurſu temporis, & longa actuum aſſuetudine comparaſſet virtutes acquiſitas ; ſolum ſequitur prima imperfectio : ergo non infertur, virtutes in ſtatu continentiæ fore extituras in Chriſto. *Secundò.* Tum etiam, quia ſtatus continentiæ non minus repugnat virtuti prudentiæ in Chriſto, quam virtutibus reſidentibus in illius voluntate ; ſed non repugnat, prudentiam ſucceſſu temporis actuum aſſuefactione à Chriſto Domino acquiri, imò de facto ſic fuit ab ipſo acquiſita in Auctoris contrarij ſententia : ex quo vlterius ſequitur, prius in ſtatu imperfecto, quam in perfecto fuiſſe acquiſitam, ſi efficax eſt illatio argumenti facti : ergo ex ſucceſſiua prudentiæ acquiſitione ſtatus continentiæ non ſequitur ; & conſequenter neque ex eo quod cæteras virtutes decurſu temporis, & longa operum aſſuetudine acquiſiſſet ; benè ab iſto Auctore colligitur, fore exituras in illo, in ſtatu continentiæ.

40 *Alterum ratio pro noſtra ſententia.* Tertiò alij arguunt pro noſtra ſententia : nam iuxta D. Tho. *infra q. 34. art. 1.* quia gratia habitualis ex vnionis gratiam deriuatur, & humanitas in primo ſuæ conceptionis inſtanti fuit diuino Verbo vnita, ideò in primo ſuæ formationis inſtanti fuit gratia habituali exornata ; ſed etiam virtutes acquiſitæ deriuantur ex ipſa gratia vnionis, eo modo quo gratia habitualis : ergo fuerunt per accidens Chriſto infuſæ à primo inſtanti ſuæ conceptionis.

nis. Probatur minor gratia: habitualis non ſequitur ad gratiam vnionis phyſica conſecutione, ſed tantum morali frequentius docetur à Theologis *in hac q. art. vltim.* quæ conſecutio conſiſtit in hoc, quod Chriſto debito morali debeatur ratione vnionis humanitatis ad Verbum; ſed etiam virtutes per ſe acquiſitæ debentur humanitati debito morali ratione vnionis ad Verbum: etenim ratione illius decens eſt, vt Chriſti humanitas, non ſolum in ordine ſupernaturali, ſed etiam in naturali, omnimodè perficiatur, quę perfectio à virtutibus acquiſitis exhibetur: ergo conſequuntur ad gratiam vnionis ad modum, quoad illam gratia habitualis conſequitur.

41 *Diſplicet primò.* Sed nec hoc argumentum eſt efficax, niſi aliquid illi addatur: tùm, quia etiam ſcientiæ naturales debentur humanitati ratione vnionis ad Verbum debito condecentiæ morali; decens enim eſt, vt humanitas Verbo vnita omni ſcientia, tam naturali, quàm ſupernaturali exornetur; & tamen non fuerunt per accidens Chriſto infuſæ à primò conceptionis inſtanti: ergo ex morali debito virtutum acquiſitarum, malè colligitur, fuiſſe à primò inſtanti conceptionis per accidens Chriſto infuſas. *Secundò.* Tùm etiam: nam gratia habitualis, etſi non ſit in rigore proprietas gratiæ vnionis, eo quod non ſequitur ad illam phyſica dimanatione ſequitur tamen ad illam per modum proprietatis; modus autem proprietatis eſt comitari ſemper formam, cuius eſt proprietas: ergo, vt argumentum factum efficaciter ſuaderet intentum, deberat non ſupponere, ſed probare, virtutes per ſe acquiſitas, etſi non dimanent ex gratia vnionis phyſica dimanatione, conſequi per modum proprietatum ad illam, licet non phyſica, ſed morali conſequutione. Cum ergo hoc non probetur, inefficacitèr ad intentum perſuadendum arguitur.

42 *Fundamentum P. Suarez aſſertur, & reijcitur primò.* Denique alij ſequuti Suarium vbi *ſupra* ſic arguunt: Adamo, quia erat conſtitutus caput morale noſtrum, fuerunt à primo ſuæ conceptionis inſtanti infuſæ per accidens omnes virtutes morales naturales; ſed Chriſtus Dominus fuit multo perfectius Caput noſtrum morale: ergo fuerunt illi infuſæ omnes virtutes morales a primo conceptionis inſtanti. *S.Tho.* Cæterum hoc argumentum deficit primò in maiori, quam incertam eſſe colligo ex Angelico Doctore *1. p. q.95. art.3.* vbi docens, in Adamo in ſtatu innocentiæ fuiſſe omnes virtutes morales, non docet fuiſſe in illo primo inſtanti ſuæ formationis: cum tamen *q.94. art.3.* docuiſſet, ſpecies omnium rerum fuiſſe Adamo in primo inſtanti ſuæ formationis infuſas. Deindè, non dixit, fuiſſe in illo omnes virtutes morales abſolutè, ſed fuiſſe in illo aliqualiter, quod in eo conſiſtere videtur, quod habuerit inferiorem appetitum ſubiectum rationi in omnibus: & quia virtutes ſunt perfectiones quædam, quibus ratio ordinatur in Deum, & vires inferiores diſponuntur ſecundum regulam rationis, hinc eſt, quod doceat D. Thomas, fuiſſe aliqualiter virtutes omnes morales in Adamo.

43 *Secundò.* Secundò, deficit in cauſali in maiori aſſumpta; Adamus enim non fuit caput noſtrum morale quoad meritum: vndè in illo homines non mererentur, quamuis in illo peccauerint: fuit ergo caput noſtrum morale quoad demeritum, & culpam, vt cum frequentiori Theologorum ſententia docuimus *Tractatu de Peccato originali*; ſed, vt eſſet caput noſtrum morale, quoad culpam non eſt cur requiratur infuſio omnium virtutum acquiſitarum in primo formationis inſtanti: ergo cauſalis in maiori aſſumpta eſt deficiens.

44 *Tertiò.* Denique, prætermiſſa maiori abſolutè, & negata cauſa illius, deficit argumenti conſequentia, & inſtatur maniſeſtè: vt enim docet D. Tho. *1 p. q. 94. art.3.* Adamo in primo inſtanti fuerunt infuſæ, per accidens ſpecies repræſentatiuæ omnium rerum; & tamen, vt idem D. Thomas, reuocata ſententia, quam *in 3 diſt.14 q.1. art.3. quæſtiunc.3. & de Veritate q.20. art 3. ad 1* tradiderat, *S.Tho.* docet *infra q.9. art.4.* quod ſpecies iſtæ omnium rerum non fuerunt infuſæ Chriſto à primo conceptionis inſtanti: ergo ex eo quod Adamo ab initio formationis fuerint virtutes omnes infuſæ, non rectè colligitur, idem aſſerendum de Chriſto. Et ratio differentiæ eſſe poteſt, nam Adamus fuit in ætate adulta formatus, in qua ſicut exercitium ſcientiæ naturalis, ita & naturalium virtutum vſum petebat; ac proindè, & virtutum infuſionem, vt promptè inclinaretur ad illius; Chriſtus autem, non in adulta, ſed infantili ætate productus, nec vſum ſcientiæ naturalis, nec naturalium virtutum petebat; & idcirco

ſicut nec ſcientiæ naturalis, ita nec naturalium virtutum infuſionem exigebat.

45 *Vna ratione ſuadetur noſtra ſententia.* Vndè, prætermiſſis his argumentandi modis, vnica ſuppetit ratio, qua noſtræ ſententiæ probabilitas oſtenditur; Chriſto enim debemus concedere id, quod dignius, & perfectius eſt; ſed habuiſſe à primo inſtanti conceptionis infuſas omnes virtutes, dignius, & perfectius eſt, quam illas decurſu temporis ſuis actibus comparaſſe: ergo aſſerere debemus, fuiſſe omnes virtutes morales per accidens Chriſto infuſas in primo conceptionis inſtanti. Maior eſt certa conſtatque ex D. Tho. *infra q.19. art.3.* vbi ex hoc principio probat, Chriſtum non meruiſſe gratiam habitualem, nec beatitudinem animæ, quia ad hoc requirebatur, quod illis aliquando caruiſſet; dignius autem, melius, & perfectius eſt, gratiam, & beatitudinem ſemper habere, quamuis per tempus carère, & per meritum comparare. Minor autem probatur ex doctrina D. Thom. *S.Tho.* vbi *proximè*: quando perfectionis carentia magis perfectioni ſubiecti præiudicat, quam per illius acquiſitionem accreſcat, melius eſt illam ab alio recipere, quam habere illam à ſe; ſed virtutum iſtarum carentia magis dignitati Chriſti præiudicat, quam accreſcat per illarum acquiſitionem; ergo habuiſſe illas à primo inſtanti conceptionis infuſas, melius, & perfectius eſt, quam decurſu temporis illas proprijs actibus acquirere.

46 *Minor probatur.* Minor, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, oſtenditur ex alia D. Thomæ doctrina *1.2. q.56. art.3. in corpor.* vbi hoc inter virtutes morales, & purè intellectuales ſtatuit diſcrimen, quod illæ ſunt virtutes ſimpliciter, quia non ſolum faciunt facultatem agendi, ſed etiam benè agendi, beneque vtendi habita facultate: ex quo naſcitur, quòd habentem ſimpliciter bonum reddunt. Virtutes autem purè intellectuales, ſolum faciunt facultatem agendi, non autem rectè vtendi facultate habita: vndè non reddunt habentem ſimpliciter bonum, nec ſunt virtutes ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid. Ex quo ſic probatur minor: ex carentia virtutum moralium acquiſitarum redderetur Chriſtus non bonus ſimpliciter, cum per illas conſtituatur bonus ſimpliciter; ſed Chriſtum eſſe non bonum ſimpliciter magis illius dignitati præiudicat, quam ei accreſcat ex illarum acquiſitione habita per proprios actus, ex qua tantum redditur bonus ſecundum quid, ſcilicet, ſecundum modum habendi illas virtutes à ſe: ergo virtutum iſtarum carentia magis præiudicat dignitati, & perfectioni Chriſti, quam accreſcat dignitatis ex illarum acquiſitione habita per proprios actus.

47 *Confirmatur.* Et augetur difficultas: illud enim melius eſt, cuius oppoſitum eſt peius, vel imperfectius; ſed carentia iſtarum virtutum per aliquod tempus peior eſt, quam carentia acquiſitionis illarum: ergo habere illas à primo inſtanti conceptionis infuſas, melius eſt, quam illas decurſu temporis per proprios actus acquirere. Probatur minor: carentia reddens ſubiectum non bonum ſimpliciter, peior eſt carentia conſtituente ſubiectum non bonum tantum ſecundum quid; ſed carentia virtutum acquiſitarum per aliquod tempus conſtituit ſubiectum non bonum ſimpliciter; carentia vero acquiſitionis illarum ſolum conſtituit non bonum ſecundum quid: ergo peior eſt carentia virtutum, quam acquiſitionis illarum carentia. Probatur minor: virtutes reddunt ſubiectum bonum ſimpliciter; acquiſitio verò illarum tantum conſtituit ſubiectum bonum ſecundum quid, ſcilicet, ſecundum modum habendi: ergo carentia virtutum conſtituit ſubiectum carens non bonum ſimpliciter; carentia verò acquiſitionis illarum non bonum ſecundum quid.

48 *Reſpondebis primò.* Reſpondebis primò: virtutes per ſe acquiſitas, non fuiſſe neceſſarias in Chriſto, per illas redderetur bonus ſimpliciter, cum ex vi gratiæ vnionis, & gratiæ habitualis, atque infuſarum virtutum, quamuis carèret virtutibus acquiſitis, bonus ſimpliciter foret: vndè ex illarum carentia non redditur non bonus ſimpliciter. *Secundò.* Vel ſecundò reſpondebis, hoc argumento ſuaderi illas ab initio habuiſſe; non autem, quòd fuerint infuſæ per accidens, eum potuerit illas in primo conceptionis inſtanti proprijs actibus acquirere.

49 *Prima ſolutio reijcitur primò.* Sed neutra ſolutio ſatisfacit. Et prima reijcitur primò: nam quamuis humanitas Chriſti ex vi gratiæ vnionis redderetur ſancta ſimpliciter ſanctitate ordinis hypoſtatici eminenter continente omnem aliam ſanctitatem; quia tamen gratia habitualis præſtat ſanctitatem ſupernaturalis ordinis, inconueniens reputat D. Tho. *infra q. 19. art. 3.* quod ea Chriſtus aliquando caruerit, & quòd gratiæ

habitualia carentia magis perfectioni Chriſti præiudicat, quam ex illius merito accreſcat: ergo quamuis per gratiam, & virtutes infuſas conſtituatur Chriſtus bonus ſimpliciter bonitate ordinis ſupernaturalis; quia tamen virtutes per ſe acquiſitæ illi præſtant bonitatem ad ordinem naturæ ſpectantem, inconueniens deputari, quod Chriſtus illis aliquando caruerit; & quod illarum carentia magis perfectioni Chriſti præiudicat, quam accreſcat perfectionis ex acquiſitione illarum.

50 *Secundò*. Secundò, nam virtutes per ſe acquiſitæ, etſi non conſtituant ſubiectum bonum ſimpliciter bonitate omnia ordinis; dant tamen bonitatem ſimpliciter in ordine naturali: ergo licet ex illarum carentia non reddatur ſubiectum non bonum ſimpliciter in omni ordine bonitatis; redditur tamen non bonum ſimpliciter bonitate ordinis naturalis; ſed non ſolum eſt inconueniens, Chriſtum aliquando fuiſſe non bonum ſimpliciter bonitate ordinis ſupernaturalis, ſed, etiam iſta bonitate ſuppoſita, maximum eſt inconueniens, quòd fuerit non bonus ſimpliciter bonitate morali ad ordinem naturæ ſpectante: ſicut, ſanctitate ordinis hypoſtatici in humanitate Chriſti ſuppoſita, inconueniens reputat D. Tho. quod Chriſti humanitas fuerit aliquando non ſancta ſanctitate ſupernaturalis ordinis: ergo, vt hoc inconueniens vitemus, conſtituendæ ſunt in Chriſto ab inſtanti conceptionis virtutes per ſe acquiſitæ, per quas bonus ſimpliciter in prædicto ordine conſtituatur, & carentia bonitatis ſimpliciter in ordine naturali excludatur.

51 *Secunda ſolutio impugnatur 1.* Deindè ſecunda ſolutio reijcitur primò: quia hoc fundamento aſſeritur, Chriſtum in primo conceptionis inſtanti ſe exercuiſſe in omnium virtutum actibus, quod neceſſarium erat, vt omnes virtutes acquireret. Tùm etiam; quia Auctores huius ſolutionis ſupponunt, Chriſtum in primo inſtanti actus ſcientiarum omnium naturalium eliciuiſſe,

Secundò omniumque rerum ſpecies, vel à phantaſmatibus abſtraxiſſe, vel aliter in ſe ipſo efficienter cauſaſſe, cuius contrarium communiter docetur à Theologis *infra q. 9. art. 1. ad 4.* Tùm deniq; nam humanitas Chriſti

Tertiò, non potuit ſine magno miraculo totam collectionem actuum naturalium requiſitam ad omnium virtutum acquiſitionem elicere; ſed hoc miraculum adſtruendum non eſt: tùm, quia non eſt fundamentum. Tùm etiam, quia elicientia collectionis actuum naturalium adſtruitur à contrarijs Auctoribus, vt defendant virtutes per ſe acquiſitas fuiſſe in Chriſto Domino ab initio conceptionis, & connaturaliter habitas; ad connaturalem autem acquiſitionem virtutum non conducit miraculoſa acquiſitio: ergo virtutes iſtæ non fuerunt à Chriſto proprijs actibus ab initio comparatæ.

52 *Reſpondebis.* Dices, quòd licet natura lapſa non poſſit ſimul omnium virtutum actus ſine miraculo elicere; integra tamen natura, qualis fuit humanitas Chriſti ſine miraculo poteſt totam actuum naturalium collectionem elicere. Sed contra:

Contra, natura in Adamo ante peccatum, non lapſa, ſed integra fuit; & tamen non potuit totam actuum naturalium collectionem, abſque miraculo elicere: ergo ſimultanea elicientia collectionis actuum naturalium, non ſolum eſt miraculoſa, & ſupra naturam lapſam, ſed etiam reſpectu naturæ integræ. Probo minorem: ſi potuiſſet natura in Adamo integra ſimul omnium virtutum actus abſque miraculo elicere, etiam potuiſſet in omnium ſcientiarum actus, & in abſtractionem omnium naturalium ſpecierum ſimul, conſequens eſt falſum; aliàs Adamus in primo ſuæ formationis inſtanti omnium rerum ſpecies proprijs actibus comparaſſet, quod eſt contra D. Th. 1. p. quæſt. 94. art. 3. ergo nedum reſpectu naturæ lapſæ, ſed etiam comparatiuè ad integram, ſupernaturalis, & miraculoſa eſt ſimultanea elicientia collectionis actuum naturalium.

§. IV.

Obiectionibus in contrarium occurritur.

53 *Primum argumentum.* CONTRA iſtam concluſionem obijcies primò: perfectius quid eſt habere virtutes acquiſitas à ſe, quam illas habere ab alio; ſed Chriſto debemus tribuere id, quod nobilius, & perfectius eſt: ergo non ab alio infuſas, ſed à ſe acquiſitas habuit virtutes per ſe acquiſibiles. Minor cum conſequentia tenet, maior autem probatur primò: quia illam docet expreſsè D. Th. *infra q. 19. art. 3. ab corpor.* & ex hoc principio deducit, Chriſtum per proprios actus gloriam corporis meruiſſe. Secundò, nam agere eſt perfectius, quam pati, ſed habere virtutes acquiſitas à ſe eſt agere: habere autem illas ab alio eſt paſſiuè comparari ad illas: ergo perfectius eſt habere virtutes acquiſitas à ſe, quam habere illas infuſas ab alio. *S. Thom.*

Reſpondeo ex D. Thom. *loco proximè alleg.* maiorem veram eſſe, ſi cætera paria ſint; ſecus autem, ſi paritas non ſeruetur, qualiter in præſenti contingit: nam habere virtutes comparatas à ſe importat carentiam illarum quoad ſubſtantiam per aliquod tempus: ex quo ſequitur, humanitatem Chriſti fuiſſe pro aliquo tempore non bonam ſimpliciter bonitate moralis ordinis naturalis, quod magis derogat dignitati, & perfectioni Chriſti quam illi accreſcat ex acquiſitione virtutum: & ideò melius fuit Chriſto habere infuſas ab intrinſeco, nunquam illis carendo, quam ea per proprios actus acquirere cum carentia illarum per aliquod tempus. 54 *Reſpondeo.*

Sed contra iſtam ſolutionem oppones primò: melius fuit Chriſto gloria corporis per aliquod tempus carere, illam obtinendo per merita, quam gloria corporis à principio ſine proprijs meritis ditari: ergo pariter, melius eſt Chriſto virtutes acquiſitas per proprios actus comparare, eis carendo per aliquod tempus quam illas non à ſe comparatas, ſed ab extrinſeco infuſas ſemper habere. 55 *Replicabis.*

Secundo: melius fuit Chriſto ſcientias acquiſitas per proprios actus comparare cum carentia illarum per aliquod tempus, quam ſine tali carentia illas à principio infuſas recipere: ergo pariter de acquiſitis virtutibus. *Secundò*

Tertiò: nam ſaltim ſequitur, melius fuiſſe Chriſto, & magis illius dignitatem concedens, omnes virtutes naturales proprijs actibus ab initio comparare, quam illas ab extrinſeco infuſas habere: ex quo vlterius ſequitur, eas ſic de facto obtinuiſſe; nam concedendum eſt Chriſto id, quod magis illius condecet dignitatem. Probatur ſequela: nam habere illas à principio à ſe ipſo eſt illas habere non purè paſſiuè, ſed etiam actiuè, quod perfectius, eſt quam paſſiuè tantum ſe habere, & aliàs exceſſus iſte per carentiam temporalem virtutum non reſarcitur: ergo eſt abſolutè melius, & conſequenter Chriſto concedendum. *Tertiò.*

Reſpondeo ad primam obiectionem, Chriſtum Dominum gloria corporis ideo caruiſſe, quia conducebat ad finem redemptionis, & illi concedi debet id, quod melius, & perfectius eſt, niſi oppoſitum ad finem redemptionis conducat: quæ ratio in virtutibus acquiſitis non militat; quia illarum carentia ad finem redemptionis non conducit. 56 *Reſpondeo ad 1. replicam.*

Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: & ratio diſcriminis eſt: nam ſcientiæ naturales non reddunt ſubiectum bonum ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid; ac proindè ex illarum carentia non conſtituitur non bonum ſimpliciter in aliquo ordine: ex quo vlterius fit, non magis derogari perfectioni Chriſti per carentiam ſcientiarum acquiſitarum ad tempus, quam illi accreſcat ex illarum connaturali acquiſitione, ſed magis ei ex acquiſitione ſcientiarum naturalium accreſcere, quam ei præiudicetur ex illarum carentia, cuius oppoſitum in virtutibus acquiſitis contingit, vt conſtat ex dictis. *Ad ſecundam.*

Ad tertiam reſpondeo, verum, eſſe, quòd eſſet melius Chriſto eas omnes virtutes proprijs actibus acquiſitas ab initio conceptionis habere, quam ab extrinſeco infuſas. Cæterum, quia ſic illas habere foret magnum miraculum, & melioritas ex ea acquiſitione prouenièns magna non eſſet, non adeſt ſufficiens fundamentum ad iſtam acquiſitionem ab initio conceptionis adſtruendam: ſicut adeſt, vt aſſeramus, eas ab initio infuſas habuiſſe: quia non ita miraculoſum eſt, & indecentia ex illarum carentia proueniens eſt magna, vt arguentes ponderauimus. 57 *Ad tertiam.*

Obijcies ſecundo: indè probat D. Thomas *infra q. 9. artic. 4.* non fuiſſe ſcientias naturales per accidens Chriſto infuſas, quia aliàs potentia ſpecierum acquiſitiua fuiſſet in illo fruſtranea, vtpotè, carens perfectione, & actu, ad quem per ſe ordinatur, ſcilicet, abſtractione, & acquiſitione ſpecierum; ſed idem inconueniens ſequitur ex eo quod ab initio habuerit infuſas per accidens virtutes per ſe acquiſibiles: ergo infuſio iſta aſſerenda non eſt. Probatur minor; voluntas humanitatis Chriſti habet vim naturalem acquiſitiuam virtutum; ſed ſi virtutes omnes habuiſſet ab initio infuſas, redderetur iſta potentia naturalis fruſtranea, cum nunquam reduceretur in actum acqui- 58 *Secundum argumentum.*

quirendi virtutes, quod eſt, aliquam potentiam fruſtrari: ergo ſequitur idem inconueniens ex infuſione virtutum, quod colligit D. Thomas ex infuſione ſcientiarum.

59 *Confirmatur primò.* Augetur difficultas primò: quia in Chriſto eſt potentia naturalis receptiua virtutum acquiſibilium, ponimus in illo huiuſmodi virtutes receptas, ne aliqua illius naturalis potentia irreducta ad actum remaneat; ſed etiam eſt in illo vis naturalis acquiſitiua virtutum: ergo conſtituendæ ſunt virtutes naturales in Chriſto, ab illo proprijs actibus acquiſitæ, vt idem inconueniens vitemus. *Secundò.* Confirmatur, & vrgetur ſecundo: nam perfectiones naturales ſunt Chriſto concedendæ cum omni connaturalitate, quam petunt; ſed virtutes per ſe acquiſibiles petunt connaturaliter ab intrinſeco acquiri: ergo ſic ſunt in Chriſto conſtituendæ, & non per accidens ab extrinſeco infuſæ.

60 *Reſpondet.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: ad illius probationem, diſtinguo maiorem: per ſe primò ad prædictum actum ordinata, & per actum diſtinctum ab actu virtuoſo, & honeſto, nego maiorem: non per ſe primo ordinata, & per actum indiſtinctum, concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam inconueniens in infuſione ſpecierum eſt, quod intellectus agens cuius actus adæquatus, & ad quem primariò, & per ſe ordinatur, à prædicto actu perpetuò fruſtratus maneret; in parte autem appetitiua non damus potentiam aliquam, quæ per ſe primò ad acquiſitionem virtutum acquiſibilium ordinetur, ſed eadem voluntatis potentia eſt volitiua primariò, & ex vi actus volendi eſt ſecundariò acquiſitiua virtutum, ſi in ſubiecto non exiſtant. Vndè, ex eo quòd in actualem virtutum acquiſitionem nunquam reducatur, non ſequitur, aliquam potentiam appetitiuam actu ſuo adæquato, & ad quem ordinatur primariò, perpetuò priuatam exiſtere, ſed tantum aliquo ſui actu ſecundariò, & inadæquato exercitio.

61 *Replicabis.* Sed dices: non datur in parte intellectiua potentia per ſe ordinata, vt ad actum adæquatum ad acquiſitionem habituum intellectualium, qui à ſpeciebus diſtinguuntur in probabiliori ſententia; ſed idem actus ſcientificus, qui per ſe primò eſt obiecti contemplatio, ſecundariò efficit habitum, ſi illum non inueniat productum: ergo ex eo quod habitus omnes intellectuales à ſpeciebus diſtincti, fuiſſent infuſi per accidens in anima Chriſti Domini à primo conceptionis inſtanti, non ſequitur potentiam intellectiuam perpetuò fore priuandam actu aliquo ſibi adæquato, & ad quem per ſe ordinatur; & tamen inconueniens reputat D. Thomas, quod potentia acquiſitiua ſcientiarum fruſtranea reddatur in Chriſto, & vt vitet hoc inconueniens, negat fuiſſe infuſas per accidens Chriſto Domino, omnes ſcientias naturales: ergo, vt idem inconueniens in voluntate vitemus, neganda eſt infuſio virtutum acquiſitarum à primo conceptionis inſtanti.

62 *Reſpondeo.* Reſpondeo, habitus intellectuales, etſi à ſpeciebus realiter diſtinguantur, vt tenet frequentior Metaphyſicorum ſententia, per ſe tamen ſpecies complentes intellectum in ratione potentiæ in actu primo ſupponere: vndè non poſſunt infundi ſine præinfuſione ſpecierum; & quia ex huiuſmodi infuſione ſequitur, intellectum agentem fuiſſe fruſtra Chriſto datum, fit vt ex infuſione ſcientiarum acquiſibilium, quæ à ſpeciebus realiter diſtinguuntur, ſequatur, non per immediatam, ſed per mediatam conſequentiam potentiam aliquam intellectiuam actu ſibi adæquato perpetuò priuandam atque ex conſequenti fruſtrandam in Chriſto: quæ ratio in habitibus virtutum non militat.

63 *Inſtabis.* Inſtabis: etiam virtutes appetitiuæ ſupponunt in intellectu ſpecies impreſſas obiectorum volibilium: ſicut enim nihil volitum, quin præcognitum: ita nihil proximè volibile, quin proximè cognoſcibile, quod ſine ſpecie impreſſa non poteſt ſubſiſtere, per quam obiectum proximè cognoſcibile conſtituitur, ergo ſicut ex non infuſione ſpecierum ab initio conceptionis in anima Chriſti Domini; ſequitur non fuiſſe infuſos habitus naturalium ſcientiarum: ita etiam, & pari efficacia colligitur, non fuiſſe voluntati Chriſti Domini infuſos habitus naturalium virtutum.

64 *Reſpondeo.* Reſpondeo: vt virtutes naturales extiterint ab initio in voluntate Chriſti, ſufficere, quod in illius intellectu ab illo inſtanti extiterint ſpecies ſupernaturales omnium rerum, per quas intelligibiles conſtituuntur, & voluntati ſufficienter repræſentantur, nedum vt volitiuæ ſupernaturaliter, ſed etiam vt naturaliter volitiuæ; Licet namque actus naturalis voluntatis non petat ſupernaturalem cognitionem pro regula; non tamen repugnat illi per ſupernaturalem cognitionem regulari, & ad obiectum ſupernaturaliter cognitum ferri; & ideò, vt voluntas Chriſti potens habitualiter in actus omnium virtutum conſtituatur, ſpecies naturales neceſſariæ non erant. Actus autem ſcientificus naturalis, non poteſt per ſpecies ſupernaturales regulari; & conſequenter proxima ad illum habilitas cum ſolis ſpeciebus ſupernaturalibus nequit exiſtere: vndè, vt habitus ſcientiarum naturalium exiſterent, neceſſaria eſt ſpecierum naturalium præexiſtentia. Ratio autem, cur actus voluntatis poteſt in obiectum per ſpeciem infuſam repræſentatum ferri; ſecus autem actus naturalis intellectus eſt, quia repræſentatio obiecti ad actum voluntatis, tantum vt conditio concurrit, ad actum verò intellectus repræſentatio per ſpeciem, non vt conditio, ſed vt principium efficiens, & ſpecificans concurrit: repugnat autem, actum naturalem à principio ſupernaturali effectiuè, ſpecificatiuè procedere; non verò, quod ab illo, vt à conditione dependeat; & idcirco actus voluntatis poteſt obiectum ſupernaturaliter, repræſentatum, & cognitum attingere; actus autem naturalis intellectus non poteſt media ſpecie impreſſa ſupernaturali ad ſuum obiectum terminari. Quam doctrinam *in ſolut. ad vltim. argum.* examinabimus.

Ad primam confirmationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: per ſe primò acquiſitiua, nego minorem: per ſe primo appetitiua, & ſecundariò acquiſitiua virtutum, concedo minorem, & nego conſequentiam, iuxta dicta *in ſolut. argum.* Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo maiorem: ſi ex omni connaturalitate ſeruata, maius inconueniens ſequatur, quam ex negatione omnimodæ connaturalitatis, nego maiorem: ſi tale inconueniens non inferatur, concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam, propter dicta inter probandam noſtram concluſionem, *& in ſolut. ad primum.* 65 *Ad primã confirmationem. Ad ſecũdam.*

Denique obijcies: prudentia per ſe acquiſibilis non fuit Chriſto per accidens ab initio conceptionis infuſa; ſed virtutes naturales ſine prudentia eſſe nequeunt: ergo non fuerunt per accidens Chriſto infuſæ à primo conceptionis inſtanti. Illatio eſt legitima: minor D. Thomæ expreſſa 1. 2. *q. 58. art. 4.* Maior autem probatur: non enim minus dependet prudentia à ſpeciebus impreſſis, quam ſcientiæ ſpeculatiuæ; ſed quia ſpecies impreſſæ non fuere per accidens Chriſto infuſæ, inferunt frequentius Theologi *infra q. 9. art. 4.* non fuiſſe per accidens Chriſto infuſos habitus naturalium ſcientiarum: ergo nec prudentiæ habitus fuit per accidens Chriſto Domino infuſus à primo conceptionis inſtanti. 66 *Vltimum argumentum. S. Thom. Theologi.*

Huic argumento Vincentius vbi *ſupra* reſpondet, negando maiorem: ad illius probationem occurrit primò, aſſerendo, quòd licet intellectui Chriſti Domini, non fuerint infuſæ ſpecies repræſentatiuæ omnium rerum, vt relinqueretur locus miniſterio intellectus agentis; fuiſſe tamen ab initio conceptionis inditas ſpecies intelligibiles circa proprias virtutum moralium materias, vt prudentia earum Regina in proprium poſſet actum prorrumpere. Secundò reſpondet, ex non infuſione ſpecierum ab initio conceptionis tantum inferri, non fuiſſe ab illo tunc prudentiam expeditam, vt in ſuos actus prorrumpere poſſet, non tamen quod non fuerit quoad ſuam entitatem infuſa. Tertiò alij ad maioris probationem reſpondent: ad exiſtentiam prudentiæ, & eius expeditionem ſufficere ſpecies intelligibiles per ſe infuſas, & ſupernaturales, quibus intellectus Chriſti fuit ab initio conceptionis dotatus, vt *in ſolut. ſecundi argum.* dicebamus de virtutibus moralibus. 67 *Prima ſolutio Vincentij. Secunda. Tertia ſolutio aliorum.*

Sed prima ſolutio difficilis Mihi redditur primò: quia materia omnium virtutum moralium æquè patet, ac materia ſpecierum intelligibilium: ergo, ſi Chriſtus ab initio conceptionis accepit ſpecies intelligibiles erga omnium virtutum materias, accepit ſpecies intelligibiles omnium rerum repræſentatiuas; & conſequenter non relinquitur locus officio intellectus agentis. Deindè, nam ex illa ſequitur, fuiſſe per accidens Chriſto infuſas omnes ſcientias ſpeculatiuas, ſi vnam tantum excipiamus: conſequens videtur, abſque fundamento aſſertum: ergo & ſolutio fundamento caret. Patet ſequela: nam per hoc, quod vna ex ſcientijs ſpeculatiuis non fuerit Chriſto ab initio conceptionis infuſa, etiam ſi aliæ infunderentur, relin- 68 *Prima ſolutio diſplicet primò. Secundò.*

quæreretur locus officio intellectus agentis in abſtractione ſpecierum ad eam ſcientiam ſpectantium : ergo omnes ſcientiæ naturales ſpeculatiuæ fuerunt per accidens Chriſto infuſæ, ſi vnam tantum excipiamus, iuxta traditæ ſolutionis doctrinam.

69 *Secunda ſolutio reijcitur primò.* Deindè contra ſecundam ſolutionem facit primò : nam iuxta illam virtutes morales naturales, non poſſunt in ſuos actus exire, abſque præuio actu naturalis prudentiæ : ergo, ſi prudentiæ habitus ab initio conceptionis Chriſti inexpeditus erat, vt in ſuum actum exiret, etiam virtutes morales fuerunt inexpeditæ, vt in proprios actus exirent ; ſed, hoc admiſſo, non eſt, cur fuerint ab initio conceptionis per accidens Chriſto infuſæ : ergo ſolutio tradita cum noſtra ſententia nequit componi. Probo minorem : defectus tantum negatiuus alicuius perfectionis non dedecet Chriſti dignitatem, vt omnibus eſt manifeſtum; eſt enim carentia perfectionis Chriſto non debitæ, eo autem ipſo, quòd perfectio ſit non debita illius carentia dignitatem Chriſti non dedecet ; ſed eo ipſo, quod virtutes morales non conſtituantur in Chriſto à primo conceptionis inſtanti ad ſuos actus expeditæ, defectus talium virtutum tantum erit negatiuus : ergo eo ipſo, reddetur illa carentia non dedecens Chriſti dignitatem. Patet minor: carentia perfectionis non debitæ eſt defectus tantum negatiuus; ſed eo ipſo, quod actus naturalium virtutum non ſint Chriſto in primo inſtanti poſſibiles, habitus talium virtutum non debentur in Chriſto pro illo inſtanti, cum habitus ſint propter actus ; ac proindè nequeunt deberi vbi actus ſunt impoſſibiles : ergo eo ipſo quod in expeditæ conſtituantur in Chriſto carentia talium virtutum eſt defectus tantum negatiuus.

70 *Secundò.* Secundò, quia non minus dependet habitus prudentiæ à ſpeciebus, quam habitus intellectuales ſpeculatiui ; ſed, iſti, nedum quoad expeditionem, ſed etiam quoad entitatem à ſpeciebus dependent, aliàs fuiſſent quoad ſuas entitates per accident Chriſto infuſi : ergo etiam virtus prudentiæ quoad ſuam entitatem à ſpeciebus dependet ; & conſequenter abſque prædictis ſpeciebus, non potuit in intellectu Chriſti ab initio conceptionis quoad ſuam entitatem exiſtere.

71 *Vltima ſolutio impugnatur 1.* Tandem vltima ſolutio reijcitur primò : quia ex illa ſequitur, habitus naturalium ſcientiarum fuiſſe animæ Chriſti infuſos à primo conceptionis inſtanti: conſequens non admittitur ab Auctoribus traditæ ſolutionis : ergo nec eorum ſolutio debet admitti. Patet ſequela : non alia ratione non fuere prædicti habitus ab initio conceptionis per accidens Chriſto infuſi, niſi quia dependent à ſpeciebus intelligibilibus naturalibus, quæ infoſæ non ſupponuntur; at hæc ratio nulla eſt, ſi tradita ſolutio admittatur, cum etiam naturalis prudentia à prædictis ſpeciebus dependeat, quo non obſtante, abſque præinfuſione ſpecierum naturalium infunditur : ergo ex tradita ſolutione colligitur, habitus naturalium ſcientiarum fuiſſe ab initio conceptionis per accidens Chriſto infuſos. *Secundò.* Secundò : nam per illas ſpecies redditur habitus expeditus ad operandum, quæ cum potentia, & cum habitu poſſunt in illorum actus influere ; ſed ſpecies ſupernaturales non poſſunt in actus prudentiæ naturalis influere : ergo per illas, non poteſt naturalis prudentia reddi ad operandum expedita. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur : non ſolum iudicium ſpeculatiuum, ſed etiam iudicium practicum dependet à ſpeciebus *effectiuè*, & *ſpecificatiuè* ; ſed, quia primum à ſpeciebus efficienter cauſatur, vel ſaltim ſpecificatur ab illis, non poſſunt ſpecies ſupernaturales ad illud eliciendum deſeruire: ergo nec iudicium practicum, quod eſt actus naturalis prudentiæ poteſt medijs ſpeciebus ſupernaturalibus elici. Per quod patet inter virtutes morales, & naturalem prudentiam diſcrimen, applicatis, quæ in *ſolut. 2. argum.* docuimus.

72 *Vera ſolutio.* *Vaz. q.* *S.Tho.* Quare reſpondendum exiſtimo, vel habitus naturalium ſcientiarum fuiſſe ab initio conceptionis per accident Chriſto infuſos, vel habitum naturalis prudentiæ non fuiſſe ab illo tunc per accidens Chriſto infuſum, ſed ſucceſſu temporis comparatum, quod docet Vazquez vbi *ſupra num. 5.* docere etiam tenentur, vt conſequenter loquantur, omnes, qui cum D. Thom. *infra q. 9. art. 4.* tenent, habitus ſcientiarum naturalium non fuiſſe per accidens Chriſto infuſos. Vndè conceſſa maiori, nego minorem, loquendo de prudentia naturali, quæ licet connaturaliter petatur ad exiſtentiam virtutum acquiſitarum; eſſentialiter tamen non petitur : & ſicut, quamuis huiuſcemodi virtutes connaturalitèr, petant per acquiſitionem haberi, hac connaturalitate prætermiſſa fuerunt infuſæ per accidens : ita etiam, quamuis ad ſui exiſtentiam omninò connaturalem expoſcant naturalis prudentiæ exiſtentiam, fuerunt, hac prætermiſſa connaturalitate, infuſæ ab initio conceptionis ſine habitu prudentiæ naturalis ſupplente illius regulationem habitu prudentiæ infuſæ.

73 *Vrgebis.* Sed contra iſtam reſolutionem inſurget quiſpiam, & grauitèr : ideò namque conſtituimus virtutes naturales morales ab initio conceptionis in humanitate Chriſti, quia cum habentem illas, bonum ſimpliciter reddant, ex illarum carentia redderetur Chriſti humanitas non bona ſimpliciter bonitate morali ordinis naturalis ; ſed idem inconueniens ſequitur ex negatione prudentiæ naturalis in Chriſto, cum etiam virtus prudentiæ, vtpotè, non purè intellectualis, virtus ſimpliciter ſit, imò, & Regina virtutum ; ac proindè bonum ſimpliciter reddat, atque adeò illius carentia non bonum conſtituat ſimpliciter : ergo vel fatendum eſt, fundamentum illud non vrgere, vel, vt conſequenter loquamur, conſtituenda eſt virtus naturalis prudentiæ in anima Chriſti Domini ab initio conceptionis.

74 *Reſpondeo primò.* Huic obiectioni reſponderi poteſt primò, admittendo ex carentia virtutis prudentiæ reddi ſubiectum, non bonum ſimpliciter rectitudini iudicij practici naturalis, ſicut ex carentia virtutum moralium acquiſitarum redditur, non bonum ſimpliciter bonitate morali ordinis naturalis ; quia tamen ex illius infuſione ſequitur aliud inconueniens in Chriſto, nempè, quod intellectus agens maneret perpetuò fruſtratus ab actu, ad quem per ſe primò ordinatur, quod in iudicio D. Thomæ præponderat carentiæ rectitudinis naturalis iudicij, & hoc inconueniens ex infuſione virtutum moralium, non ſequitur, vt conſtat ex dictis ; ſit conſequens, vt ea admiſſa infuſione huiuſcemodi virtutum, non ſequatur id ipſum de prudentia naturali aſſerendum.

75 *Secundò.* Vel ſecundò reſpondetur, aliud conſtituendo diſcrimen, nempè, defectum naturalis prudentiæ eſſe tantum negatiuum, eo quod bonitas habitus non debetur, niſi vbi adeſt poſſibilitas ad actum ; actus autem naturalis prudentiæ non erat poſſibilis Chriſto ab initio conceptionis, ex defectu naturalium ſpecierum : vndè bonitas habitualis virtutis prudentiæ non fuit debita pro tunc ; ac proindè illius carentia, non priuatiua, ſed tantum negatiua eſt cenſenda. Carentia autem cæterarum virtutum, non negatiua, ſed priuatiua foret, eo quod actus illarum fuerunt poſſibiles Chriſto ab initio conceptionis ; inconueniens autem eſt illi concedere carentiam priuatiuam alicuius perfectionis conſtituentis bonum ſimpliciter.

76 *Inſtabis.* Sed dices : virtutes morales in appetitu ſenſitiuo reſidentes non fuerunt expeditæ, vt in ſuos actus exirent: ergo ſi ob hanc inexpeditionem, actuumque impoſſibilitatem carentia prudentiæ naturalis eſt defectus tantum negatiuus; & ideò illam relegamus à Chriſto pro primo conceptionis inſtanti, ob eandem relegandæ erunt ab illo virtutes acquiſitæ morales reſidentes in appetitu ſenſitiuo. Maior probatur : non ſtat expeditio appetitus abſque expeditione phantaſiæ, ſeu imaginatiuæ, ipſius actus immediatè regulantis ; ſed in primo conceptionis inſtanti non fuit imaginatiua Chriſti ad ſuos actus expedita, cum illius actus dependeat à ſpeciebus materialibus, quas non habuit à principio conceptionis infuſas : ergo ab illo tunc non fuit imaginatiua Chriſti expedita, vt in ſuos actus exiret.

77 *Reſpondeo.* Reſpondeo, negari non poſſe in Chriſto ab initio conceptionis virtutes appetitus per ſe infuſas : & cum iſtæ non regularentur immediatè per iudicium prudentiale intellectus, ſed per actum imaginatiuæ, quæ eſt ratio participata, neceſſariò eſt aſſerendum, fuiſſe imaginatiuam Chriſti expeditam ad actus regulantes virtutes per ſe infuſas appetitus ; & conſequenter ad actum ſufficientem regulare virtutes per ſe acquiſitas ; vt enim conſtat ex dictis, idem actus intellectus, qui eſt connaturalis regula actus ſupernaturalis voluntatis, eſt etiam potens actum naturalem, tametſi permiſſiuè, & non connaturaliter regulare : vt autem imaginatiua Chriſti dicta expeditione gauderet, neceſſario iudico recurrendum ad infuſionem ſpecierum ſupernaturalium, medijs quibus actum ſupernaturalem regulantem virtutum actus eliceret.

§. Vlti-

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

78 *Primum corollarium.* EX DICTIS colligo primò contra Magiſtrum Medinam, virtutes per ſe acquiſibiles fuiſſe animæ Chriſti infuſas, cum omni intenſione de lege ordinaria poſſibili; ac proindè per exercitium actuum incrementum non ſuſcepiſſe: tùm, quia eadem eſt ratio de intenſione harum virtutum, atque de illarum ſubſtantia, vt debuerint ab initio conceptionis infundi, vt conſideranti conſtabit. *Probatur.* Tùm etiam; nam quia decuit, quod habitualis gratia à primo inſtanti conceptionis fuerit in anima Chriſti, decens etiam iudicatur à Theologis, quod ab illo tunc in anima Chriſti Domini extiterit cum omni intenſione de lege ordinaria poſſibili, vt cum D. Thoma *infra q.19. art.3. & q.34. art.1. & 3.* docent Theologi communiter: *Theologi.* ergo, ſi ob Chriſti decentiam fuerunt huiuſmodi virtutes infuſæ per accidens ab initio conceptionis, idem eſt de illarum incremento intenſiuo ferendum iudicium.

79 *Secundū.* Secundò contra eundem ſapientiſſimum Magiſtrum colligitur, non potuiſſe, etiam de potentia abſoluta, Chriſtum ſine his virtutibus cum facilitate, & promptitudine exercere illarum actus; aliud enim eſt poſſe actus prædictarum virtutum elici, ſine illarum concurſu; aliud verò promptè, & faciliter elici. Primum contingere poteſt, etiam de lege ordinaria; ſecundum autem nec de potentia abſoluta. *Probatur.* Quod patet; nam effectus formalis alicuius formæ adæquatus, non poteſt ſine illa, etiam de potentia abſoluta præſtari, ſed promptitudo, ſeu facilitas ad operandum honeſtè ex motiuo naturali eſt effectus formalis adæquatus virtutis per ſe acquiſibilis: ergo ſine illa non potuit Chriſtus, etiam de potentia abſoluta, elicere promptè, & faciliter actum honeſtum ex motiuo naturali.

80 *Tertium.* Tertiò colligitur ex iam dictis, fuiſſe in Chriſto magnificentiam, & liberalitatem, Iuſtitiam vindicatiuam, Eutropeliam, & Philotymiam. Primum docet D. Thom. *S. Thom.* *in præſenti art. 2. ad 3.* & patet illius ratione; quia liberalitas, & magnificentia verſantur erga diuitias, non ſolum illas diſtribuendo antecedenter poſſeſſas, prout, quomodo, & quando oportet, ſed etiam illas penitus contemnendo, quod fecit perfectiſſimè Chriſtus. *Exercuit Chriſtus liberalitatis actus.* Exercuit etiam altiorem liberalitatis actum modo ſibi conuenienti, faciendo erogari pauperibus quæ ſibi dabantur.

81 *Fuit in Chriſto Iuſtitia vindicatiua.* De iuſtitia vindicatiua, quòd fuerit in Chriſto, probatur: nam duplex eſt eius actus. Primus eſt petere a legitimo Iudice vltionem peccati: ſecundus eſt iniurias ſuas, vel Dei defendendo propulſare, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.108. art.1. & 2.* quorum neuter Chriſto repugnat, imò etiam vtrumque exercuit; primum, cum *Ioann. 8.* petiit adulteram lapidare, dicens; *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat.* *Ioan. 8. c.* In quo dicto Chriſtum obſeruaſſe iuſtitiam, docuit Auguſtinus *tract. 33. in Ioan.* *S. Auguſt.* de iuſtitia vindicatiua neceſſariò intelligendus. Secundum etiam exercuit, cum Iudæis Chriſto conuincientibus, quòd Dæmonium in ſe haberet; propriam propulſans iniuriam, reſpondit: *Ego Dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum: vos autem inhonoraſtis me.* *Ioan. 8. c. v. 49.* Vbi Theophilactus ait, Patrem ſuum honoraſſe, vlciſcendo. Quod etiam opere fecit, *Ioann. 2. cap.* cum facto ex funiculis flagello eiecit de Templo vendentes, & ementes. *Ioan. 2. c.*

82 *Fuit etiā Eutropelia.* Tertia pars corollarij probatur: nam licet non decuerint Chriſto ioci, ſiuè ludi, circa quæ, vt propriam materiam virtus Eutropeliæ verſatur, vt docet D. Thom. 2. 2. *q. 168. art. 2.* ob quam rationem iocos, & ludos efficaciter non elegit; abſolutè tamen electio efficax illorum Chriſto non repugnabat, & de facto habuit actum conditionatum quo iocos, & ludos ſub conditione elegit: hoc autem, vt ei conueniat virtus Eutropeliæ, eſt ſufficiens: *Probatur primò.* ergo habuit iſtam virtutem. Ratio autem, ob quam non elegit iocos efficaciter, eſt; quia de rebus magnis agentem, qualiter agebat Chriſtus, non decent. Ex quo obiter cum D. Thoma, & Caietano 2. 2. *q. 168. art. 2.* colligitur, *Caiet.* peccare Prædicatores illos qui prædicationi Euangelicæ ridicula, & iocos admiſcent.

83 *Secundò.* Secundò probari poteſt: nam ſicut materia liberalitatis ſunt pecuniæ, non ſolum vt diſtribuendæ, ſed etiam vt omnimodè contemnendæ, vt docuit D. Thom. *in præſenti art. 2. ad 3.* ita aſſeuerare poſſumus, materiam Eutropeliæ eſſe iocos, & ludos, nedum vt quando, & quomodò oportet exercendos, ſed etiam vt contemnendos; Chriſtus autem iocorum exercitium contempſit.

Fuit in Chriſto virtus Philotymia. Tandem vltima pars corollarij, probatur: nam paruos appetere honores, qui eſt actus Philotymiæ, de qua D. Thom. 1. 2. *quæſtione 60. art. 5. & 2. 2. quæſtione 129. art. 2. & quæſt. 130. art. 2. ad 2.* non repugnauit Chriſto ab intrinſeco; licet enim ſuis actibus ex dignitate perſonali magni honores deberentur; ex alijs autem capitibus poterant parui honores deberi; & conſequenter non repugnauit Chriſto paruos honores appetere: ergo nec actus Philotymiæ virtutis; & conſequenter nec ipſa Philotymiæ virtus.

84 *Quartum Non fuit in Chriſto pœnitentia.* Quarto colligitur, non fuiſſe in Chriſto ex moralibus virtutibus pęnitentiam, nec ex Theologicis fidem, nec ſpem. Primum docuit D. Thom. *infra quæſtione 84. art. 7. ad 4.* & frequentius docetur à Theologis *quæſtione 85. art. quarta,* vbi, Deo dante, fusè quæſtionem iſtam verſabimur, pro nunc breuiter oſtenditur, ſupponendo duo. Primum eſt; Pęnitentiam eſſe ſpecialem virtutem diſtinctam à Religione, à Iuſtitia vindicatiua, & omnibus alijs virtutibus; vt docet D. Thom. *S. Thom.* *infra quæſtione 85. art. ſecundo,* & cum ipſo communiter Theologi. Secundum eſt, actum primarium, & ſpecificatiuum Pęnitentiæ eſſe, vel dolorem peccati ex motiuo emendationis, vt inſinuat D. Thomas, vel intentionem operandi ad deletionem peccati proprij præteriti.

Probatur. Quibus poſitis probatur, habitum pęnitentiæ non fuiſſe in humanitate Chriſti; non enim poteſt habitus eſſe in ſubiecto, cui ab intrinſeco repugnat illius actus primarius, ſed humanitati Chriſti ratione vnionis ad Verbum ab intrinſeco repugnat actus pęnitentiæ primarius: ergo & habitus pęnitentiæ. Probatur minor: cui repugnat obiectum ſpecificans actum, & actus ipſe repugnat, ſed humanitati Chriſti ratione vnionis ad Verbum ab intrinſeco repugnat obiectum ſpecificans actū pęnitentię primarium, cum illius obiectum ſit peccatum ſubiecti pœnitentis, vt expiabile, vel vt emmendabile, quod humanitati Chriſti ex vi vnionis ad Verbum repugnat, vt contra Scotum docet communis ſententia *infra q. 15.* ergo repugnat illi actus pęnitentiæ primarius.

85 *Quòd in Chriſto non fuerit fides, probatur.* Quòd etiam in Chriſto non fuerit fides docet D. Thom. *in præſenti artic. 3.* & ſimili ratione probatur. Et enim obiectum primarium fidei eſt res diuina non viſa; ſed tale obiectum non habet locum in Chriſto, qui ab inſtanti conceptionis clare vidit Dei eſſentiam: ergo nec habitus fidei; non enim ſtare poteſt, habitum conuenire ſubiecto, cui primarium obiectum talis habitus repugnat. An autem poſſit ſimul idem obiectum clarè, & obſcurè videri, ſaltim de potentia abſoluta, *alibi* tractandum eſt, nempè, 2. 2. *q. 1. art. 4.*

86 *S. Thom.* Et ex eadem ratione probatur tertia pars corollarij, quam docet D. Th. *in præſenti art. 4.* 1. 2. *q. 65. art. 5. ad 3.* 2. 2. *q. 17. art. 5. ad 3. & q. 18. art. 2. ad 1. in 3. diſt. 26. q. 2. art. 5. quæſtiunc. 2. & q. 4. de virtut. art. 4.* vbi ſpem ab omnibus beatis excludit, *& plurib. alijs in locis.* Et ſuadetur: cui namque repugnat obiectum primarium habitus, & habitus ipſe repugnat; *In Chriſto non fuiſſe ſpem probatur.* ſed Chriſto ratione viſionis beatificæ repugnat obiectum primarium ſpei: ergo & virtus ipſa repugnat. Minor probatur: obiectum primarium ſpei eſt Deus, vt non poſſeſſus; ſed ex vi viſionis beatificæ poſſidetur Deus à Chriſto; & conſequenter tollitur non poſſeſſio: ergo cum viſione beatifica repugnat obiectum primarium ſpei. *Confirmatur.* Confirmatur: quia obiectum primarium fidei eſt res diuina non viſa, & Chriſtus clarè videt Deum, excluditur fides ab illo iuxtà omnium Theologorum ſententia; ſed obiectum primarium ſpei eſt, non quodlibet ſperabile; ſed res diuina non poſſeſſa, in ordine ad quam cætera attinguntur per ſpem, de quo 2. 2. *q. 17. art. 1.* & Chriſtus per viſionem beatificam perfectè poſſidet Deum: ergo eſt ab illo releganda virtus ſpei.

87 *Differentia inter fidem, & ſpem a D. Thom. aſſignata.* Vbi obiter eſt aduertenda differentia, quam ſtatuit D. Thom. *art. 4. in corp.* inter fidem, & ſpem, quòd, videlicet, quia Chriſtus clarè, & perfectè cognouit, non ſolum quæ ad Deum ſpectant, quæ ſunt prima credibilia, ſed etiam ſpectantia ad creaturas, quæ ſunt ſecundariò credenda, nec quoad primò credibilia, nec etiam quoad ſecundariò credenda fuit in Chriſto fidei actus; in ſpe,

ve-

Chriſtus ſperauit gloriam corporis.

verò oppoſitum oppoſita de cauſa contingit; nam licet Chriſtus perfectè poſsideat Deum, qui eſt obiectum primarium ſpei; non tamen alia extra Deum, & ideò circa illa, quæ nondum adeptus fuit, quandiu erat viator, & comprehenſor, vt gloriam corporis, ſuique nominis exaltationem, habuit Chriſtus actum ſpei.

88 *Vaz.q.* Circa quem actum diſputari poterat primò, an fuerit verus actus ſpei, vt à ſimplici deſiderio diſtinguitur. Vazquez *diſputat.* 43. *c.* 2. reſpondet affirmatiuè, eo quod gloria corporis erat Chriſto cum arduitate futura, cum eſſet obtinenda per dolores, & tormenta, & in vi auxilij exiſtentis in alterius poteſtate, in quo arduitas ad actum ſpei deſiderata conſiſtit, ergo actus, quo Chriſtus gloriam corporis expectauit, fuit verus ſpei actus à ſimplici deſiderio diſtinctus. Negatiuè tamen reſpondendum exiſtimo cum Vincentio *relectione de gratia Chriſti q.* 6. *pagin.* 65. & eſt communis Thomiſtarum ſententia: & probatur ex Diu. Th. 2.2. *quæſt.* 18. *art.* 2. *ad* 4. vbi docet, habentibus gloriam animæ, non eſſe gloriam corporis arduam ſufficienti modo, vt terminet actum ſpei, eo quod gloria animæ eſt ſufficiens gloriæ corporis cauſa: ergo ſentit Diu. Thomas arduitatem ad actum ſpei verum, & proprium exactam excludere cauſam ſufficientem intrinſecam boni futuri actum ſpei terminantis; at Chriſtus, vtpotè, gloria animæ dotatus, habebat in ſe ipſo ſufficientem cauſam gloriæ corporis futuræ: ergo non ſperauit illam per actum proprium ſpei à ſimplici deſiderio diſtinctum, etſi ad actum ſpei proximius videatur accedere, quam ſimile deſiderium Beatorum; vt inſinuat

Non tamen per actum elicitum à virtute ſpei.

S. Thom. Diu. Thom. *artic. citat. ad* 1. eo quod gloria corporis erat a Chriſto laboribus obtinenda; non autem ab alijs Beatis. Quia tamen labores illi fuerunt voluntariè ſuſcepti, & in ſe ipſo habebat gloriæ ſui corporis ſufficientem cauſam, ideò non fuit actus proprius ſpei à ſimplici deſiderio diſtinctus ille, quo gloriam corporis expectauit.

89 *Dubitatio proponitur. Suar.* Secundò dubitari poterat, an, dato, quod actus eſſet à ſimplici deſiderio diſtinctus ratione ſufficientis arduitatis obiectiuæ; eſſet eiuſdem rationis cum illo, per quem viatores gloriam corporis expectamus. Cui dubitationi affirmatiuè reſpondet Suarez *in commentar. art.* 4. vbi docet, actum iſtum in beatis elici à virtute ſpei, cuius actus adæquatus non eſt bonum diuinum non poſſeſſum ſperare, ſed etiam de diuino bono, vt iam poſſeſſo gaudere: vndè ſicut in viatoribus expectatio gloriæ corporis à virtute ſpei procedit ratione boni diuini, quod eſt primarium ſperatum, vt non adeptum, ſed conſequendum: ita in Beatis elicitur ab eadem ſpei virtute ratione boni diuini, non vt terminantis deſiderium, ſed vt terminantis gaudium.

90 *Actus ille non fuit eiuſdem rationis cum eo, quo viatores gloriam corporis ſperamus.* Non tamen eſt è communi, & vera Thomiſtarum ſententia recedendum, quæ docet, actum illum non elici à virtute ſpei Theologica; & conſequenter non eſſe eiuſdem rationis expectationem gloriæ corporis in Chriſto cum actu; per quem viatores gloriam corporis ſperamus. Quòd expreſsè docet Diu. Thom. *in præſenti art.* 4. *ad* 2. & ſuadetur ratione ab Angelico Doctore inſinuata: nam gloria corporis non eſt obiectum primarium ſpei virtutis Theologicæ, ſed obiectum ſecundarium: ergo non poteſt actum eius terminare, niſi in ordine ad primarium obiectum, nullus enim habitus poteſt erga ſecundarium obiectum, niſi in ordine ad primarium verſari; ſed Chriſtus non expectauit gloriam corporis in ordine ad obiectum primarium ſpei virtutis Theologicæ: ergo actus, quo gloriam ſui corporis expectauit, non fuit elicitus à virtute Theologica ſpei; & conſequenter non fuit eiuſdem rationis cum actu, quo viatores gloriam corporis expectamus. Hæc ſecunda conſequentia ex prima euidenter colligitur: nam actus differentes penès obiecta formalia neceſſariò differunt ſpecie; eo autem ipſo, quòd expectatio gloriæ corporis procedat in nobis à virtute ſpei Theologicæ, & ab illa non procedat in Chriſto, differunt iſti actus penès obiecta formalia, cum actus ab habitu elicitus erga illius obiectum verſetur; & conſequenter in nobis attingat obiectum ſpei, quod non attingit in Chriſto. Prima conſequentia ex præmiſſis colligitur, & minor ſubſumpta, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: etenim obiectum primarium ſpei eſt Deus, vt non poſſeſſus, ſed vt arduè poſſidendus, vt docet D. Thom.

S. Thom. Et Thomiſtæ. *in præſenti art.* 4. ſuſeque à Thomiſtis oſtenditur 2.2. *q.* 17. *art.* 1. At hoc obiectum non habuit locum in Chriſto perfectè Deum videnti, & poſſidenti; & conſequenter non potuit in ordine ad illud operari: ergo expectatio gloriæ corporis in Chriſto, non potuit elici ab illa in ordine ad obiectum primarium ſpei virtutis Theologicæ.

91 Præterquamquod, eſto admitteremus, fuiſſe elicitum à ſpe virtute Theologica, qualiter intendit Suarez, adhuc aſſerendum erat, non eſſe eiuſdem ſpeciei cum expectatione gloriæ corporis à viatoribus elicita. Quod patet: nam Deus vt terminans gaudium differt obiectiuè à ſe ipſo, vt terminante deſiderium, & ſpem; ſed à nobis prædictus actus procedit in ordine ad Deum, vt ſui deſiderium terminantem; in Chriſto autem, in ordine ad Deum, vt terminantem fruitionem, & gaudium: ergo differunt iſti actus in Chriſto, & in nobis viatoribus penès obiectum formale, & conſequenter, eſto admittamus, elici à virtute ſpei in Chriſto, adhuc ſpecie differret ab actu, quo viatores gloriam corporis expectamus.

92 *An actus ille in Chriſto ab habitu ſupernaturali proceſſerit.* Denique dubitari poterat, an actus ille ab habitu ſupernaturali proceſſerit. Et ratio dubij pro parte affirmatiua eſt; quia actus ab habitu non procedens, non elicitur perfectè: quo circa *art.* 1. neceſſitatem gratiæ habitualis in Chriſto ad connaturalem ſupernaturalium actuum elicientiam conſtituimus; ſed actus ille non eſt conſtituendus in Chriſto imperfectè, & inconnaturaliter elicitus: ergo admittendus eſt habitus, per quem connaturaliter eliciatur. Ratio autem dubij pro parte negatiua eſt: nam ſi iſte habitus conſtituatur, non videtur eſſe alius, quam ſpei virtutis Theologicæ; hanc autem non admittimus in Chriſto.

93 *Negat Caietanus & argumento contrario reſp. primò. Sed contra.* Quo argumento conuictus Caietanus *in Commentar. articul.* 4. negatiuæ adhæret ſententiæ, & fundamento partis affirmatiuæ, reſpondet, primò, maiorem non eſſe veram in actu, qui eiuſdem rationis non eſt; actus autem ſpei in Chriſto non eſt eiuſdem rationis omninò, cum actu ſpei gloriæ corporis in nobis; quia in nobis gloria corporis ardua eſt: ſecus in Chriſto, & ideò imperfectus in Chriſto non eſt, licet ab habitu non eliciatur. Sed contra: nam ex eo, quod actus ille in nobis, & in Chriſto diuerſæ rationis ſit, ſolum ſequitur, ad ſui perfectionem non petere informari habitu eiuſdem rationis; non autem, quod ad ſui perfectionem non petat, mediante habitu eliciti: ergo ſolutione tradita non ſoluitur argumentum, nec illius euacuatur difficultas.

94 *Secundò reſpondet.* Secundò, & melius reſpondet; maiorem argumenti non eſſe veram, quando principium elicitiuum actus, melius eſt ad illum eliciendum diſpoſitum, quam ſi eſſet habituatum; ſic autem eſt in præſenti: nam voluntas Chriſti fruens Deo, non in ſpe, ſed in re melius diſpoſita eſt ad expectandum ſecundario ſperata, inter quæ continetur gloria corporis, quantò excellentior eſt res, quam ſpes rei; & ideò habitum, ipſum formantem, & elicientem ad ſui perfectionem non petit.

95 *Redarguitur primò ex doctrina Caietani.* Cæterum ex hac ſolutione, licet rectè colligatur, deſiderium gloriæ corporis non elici ab habitu ſpei; non tamen infertur ex illa, quòd non eliciatur mediante aliquo habitu, imò oppoſitum colligitur, nam iuxta Caietanum fruitio de Deo viſo, eo modo ad deſiderium gloriæ corporis concurrit, quo actu, ſperandi beatitudinem animæ, quæ eſt obiectum primarium ſpei, concurrit ad actum ſperandi gloriam corporis in nobis; ſed ſpes beatitudinis animæ, non ita ad ſpem gloriæ corporis in viatoribus concurrit, quod excludat concurſum habitus ad talem actum, imò taliter concurrit, quod ab eodem habitu, à quo primariò ſpes beatitudinis animæ elicitur, ſecundariò procedat ſpectatio gloriæ corporis: ergo fruitio de Deo habito, & poſſeſſo in Chriſto taliter ad deſiderium gloriæ corporis concurrit, quod ab eodem habitu, à quo elicitur fruitio primariò, eliciatur ſecundariò deſiderium gloriæ corporis.

96 *Secundò redarguitur.* Secundò, quia vt docet Caietanus in *illa art.* ſpes gloriæ corporis, eſt actus *obiectiuè* Theologicus habens pro motiuo formali Deum, non vt poſſidendum, qualiter per ſpem attingitur, ſed Deum vt actu poſſeſſum, qualiter eſt obiectum fruitionis; ſed quia habet pro formali obiecto, aut motiuo deſiderium gloriæ corporis elicitum à viatoribus Deum, vt poſſidendum, elicitur ab habitu ſpei: ergo in Chriſto, & in Beatis elicitur ab habitu, à quo fruitio procedit.

97 Vndè dubitationi propoſitæ affirmatiuè reſpondendum exiſtimo, nempè, actum ſperandi gloriam corporis in Chri-

ſto,

ſto, & in Beatis procedere ab habitu eliciente fruitionem, quieſt habitus charitatis. Vt enim docet D. Thom. homo ſe ipſum diligit per charitatem: ergo per illam Deum ſibi abſentem deſiderat, & de Deo delectatur, quatenus præſenti, & poſſeſſo: in quo actu beatifica fruitio conſiſtit; & conſequenter ab eodem habitu ſecundariò elicietur deſiderium gloriæ corporis, habens pro motiuo formali Deum, quatenus poſſeſſum. Sed de his videantur, quæ docent Noſtri Thomiſtæ 1.2.q.67.*art.*4.*&* 5.*&* 2.2.*q.*18. *art.* 2.

Talis actus procedit à charitate.

Thomiſta

98 Quinto etiam ex dictis infertur, non eſſe admittendam in Chriſto virtutem piæ affectionis, etiam ſi talis virtus admittatur in voluntate viatoris ad actum piæ affectionis inclinans: cui namque repugnat actus ſpecificans habitum, & habitus ipſe repugnat; ſed actur dictam virtutem ſpecificans repugnat humanitati Chriſti ratione viſionis beatificæ: ergo & ipſa virtus repugnat. Maior habetur *ex dictis*; minor autem in hunc modum probatur: actus ſpecificans habitum virtutis non eſt conditionatus, & inefficax erga materiam illius, ſed abſolutus & efficax, alias eſſet in Angelis virtus temperantiæ admittenda, contra communem ſententiam; ſed quamuis Chriſto ratione viſionis beatificæ non repugnet pia ineſficax, & conditionata affectio ad credendum: illi tamen abſoluta, & efficax credendi affectio repugnat, ſicuti & actus credendi: ergo repugnat illi actus primariò ſpecificans virtutem piæ affectionis, quam nonnulli Theologi in noſtra voluntate conſtituunt.

Virtus piæ affectionis non eſt in Chriſto admittenda.

Denique ex dictis infertur, fidem humanam non eſſe in Chriſto admittendam: tùm, ratione obſcuritatis, qua ratione fidem diuinam relegamus à Chriſto. Tùm etiam, ratione incertitudinis, & propter erroris periculum, cui actus errori expoſitus, ſicuti & error repugnat. Et hæc de iſta diſputatione applicanda literæ Magiſtri *in tertio diſtinctione decimatertia* §. *ſecundo*. 99

Nec fides humana conſtituenda.

M. Sent.

DISPVTATIO VIGESIMA QVINTA.

Qualiter donum timoris fuerit in Chriſto.

§. I.

Referuntur ſententiæ, & ſtatuitur prima concluſio.

1 *Fuiſſe in anima Chriſti omnia Spiritus Sancti dona, probatur 1. Iſai. c. 11.*

FVISSE in anima Chriſti Domini omnia Spiritus Sancti dona, vt fidei veritatem ex communi Theologorum ſententiæ ſupponimus, conſtatque ex illo Iſaiæ *cap. 11. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Vbi fieri ſermonem de Chriſto, ſecundum humanitatem, eſt communis PP. & Scholaſticorum ſenſus. Cumq; *ibi* enumerentur quatuor Spiritus Sancti dona pertinentia ad intellectum, & tria ſpectantia voluntatem omnia hæc dona in Chriſto fuiſſe, eſt indubitata fide tenendum.

Abayl. Bernar. Caſtro. Sander.

Vndè ſententia Abaylardi, qui, vt ex Bernardo *epiſt.* 190. referunt Caſtro *de hereſibus hereſi* 9. verbo *Chriſtus*, & Sandarus *lib. 7. de viſibili Monarchia hereſ.* 196. aſſerit, non fuiſſe donum timoris in Chriſto, reijcienda eſt, vt hæretica, & vt talis fuit damnata ab Innocentio Secundo, vt conſtat ex epiſtola Innocentij ad Bernardum, quæ eſt 194.

Secundò. S. Thom.

Deindè id ipſum oſtenditur: nam dona Spiritus Sancti conſequuntur gratiam, & charitatem, vt docet D. Thomas 1. 2. *quæſtione* 68. *art.* 5. ſed in Chriſto fuit perfectiſſimè gratia habitualis, & charitas: ergo fuerunt in illo perfectiſſimè Spiritus Sancti dona.

2 Hoc ita præmiſſo, quia circa donum timoris ſpecialis difficultas verſatur, ideò in examen vocamus, qualiter ſit conſtituendum in Chriſto, an quoad habitum, an etiam quoad actum, & quoad quem, vel quoad quos actus reperiatur in illo. Et omiſſa ſententia Abaylardi abſolutè prædictum donum à Chriſto relegantis, quæ, vt vidimus, hæretica cenſetur ab omnibus,

Prima ſententia. Durand.

prima ſententia inter catholicos docet, fuiſſe tantum quoad habitum prædictum donum in Chriſto. Pro hac refertur Durandus *in 3. diſt.* 34. *q.* 3. *n.* 5. eo quod Beatis illud concedit ſolum quantum ad habitum: cæterum Durandus *ibi in ſolut. ad* 1. apertè fatetur, diuerſam eſſe rationem de Chriſto, & alijs Beatis: vndè, quamuis dona perficientia in vita actiua, ſcilicet, conſilium, fortitudo, pietas, & timor, ſolum quoad habitum in Beatis manere fateatur; in Chriſto autem, quia ſimul fuit viator, & comprehenſor quoad vtrumq; docet fuiſſe. Quia tamen ratio, qua donum timoris quoad actum à Beatis relegat Durandus, militat pari efficacia de Chriſto, ideò pro hac ſententia refertur.

3 *Secunda.*

Secunda ſententia docet, fuiſſe donum timoris in Chriſto quoad habitum, & quoad actum, non qui propriè timor ſit, nec caſtus, nec ſeruilis, ſed tantum ſimilitudinariè; vndè iuxta illam ſententiam aliter de dono timoris, & de timore eſt loquendum, nam primum in Chriſto reperitur cum proprietate; ſecus verò actus timoris.

Ægid. Turrian.

Hanc tenent Ægidius Luſitanus *tom.* 3. *de Beatitudine lib.* 5. *q.* 10. *art.* 2. §. 5. Turrianus 2. 2. *diſp.* 71. quos aliqui Recentiores ſequuntur.

4 *Tertia. Valent.*

Tertia eſt Valentiæ *in præſenti diſp* 2. *punct.* 4. aſſerentis, eſſe in Chriſto, & in Beatis donum timoris quoad actum, qui eſt propriè timor, & fuga culpæ, vt contrariæ bonitati, & Maieſtati diuinæ apprehenſæ, non quidem vt imminentis, aut futuræ, & difficilè vitabilis, ſed vt abſolutè poſſibilis naturæ ſecundum ſe, etſi de facto implicantis ratione vnionis humanitatis ad Verbum, & ratione beatitudinis.

Suar. Coninc. Bañez. Martin.

Quam ſententiam tenet etiam Suarez *in præſenti diſp.* 20. *ſect.* 2. Coninch 2. 2. *diſp.* 30. *dub.* 9. In illam etiam inclinare videtur Bañez 2. 2. *q.* 19. *in Commentari art.* 11, & Martinez 1. 2. *q.* 4. *artic.* 8. *dub.* 3. *ad vltimum. argum.* Veram ſententiam ſequentibus aſſertionibus explico.

5 *Prima concluſio. Caiet. Medin. Aluar. Cabrer. Lorca. Nazar. Araujo. Zippul. Vazq. Iſai. 11.*

PRIMA SIT. *In Chriſto fuit donum timoris quoad habitum, & quoad aliquem actum, qui eſt verus, & proprius timor.* Hanc tenent Caietanus, Medina, Aluarez, & Cabrera *in Comment. art.* 6. Lorca *diſput* 39. Nazarius *controu. vnic.* Illuſtriſſimus Araujo *dub. vnic.* & Zippullus *dub. vnic. n.* 13. Tenent etiam ex Patribus Societatis Vazquez *diſput.* 42. *cap.* 2. & alij, quos pro tertia ſententia retulimus; ex quibus nonnulli cenſent, noſtram concluſionem eſſe quoad omnem ſui partem de fide. Et quantum ad primam partem, ſuppoſito, vt fide certum, fuiſſe donum timoris in Chriſto, probatur ex verbis Iſaiæ *cap.* 11. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c.* Quibus dona omnia Spiritus Sancti fuiſſe in Chriſto permanenter, ſatis exprimitur, nam requieſcere permanentiam importat; ſed donum permanenter inhærens eſt habitus, vel potentia: cum ergo donum timoris propriè potentia non ſit, fatendum eſt, eſſe habitum, Chriſtoque quoad habitum conuenire.

6 *Fuiſſe in Chriſto aliquem actum timoris, probatur primò. Secundò.*

Quòd autem in eo fuerit, etiam quoad aliquem actum, probatur primò: nam habitus, cum ſit propter actum, otiosè conſtituitur, vbi omnis eius actus repugnat; ſed non eſt prædictus habitus otiosè conſtituendus in Chriſto: ergo admittendus eſt aliquis actus doni timoris in illo. Secundò, quia alias fides, pœnitentia, & ſpes eſſent in Chriſto conſtituendæ, quod neſcio, an ſit admiſſurus Durandus. Patet ſequela: quia prædictas virtutes non aliundè poſſumus à Chriſto excludere, niſi ob repugnantiam actuum, ad quos per ſe primò ordinantur, vel ratione beatitudinis animæ, vel ratione vnionis hypoſtaticæ; ſed hæc ratio omninò deficit, admiſſo habitu timoris in Chriſto, cum repugnantia omnis actus: ergo erunt in illo admittendæ prædictæ virtutes.

7 *Vltimò.*

Denique à priori, & vrgentius probatur: non ſtat conuenire habitum, cui omnis actus talis habitus repugnat: ergo, ſi habitus doni timoris reperitur in Chriſto, non repugnat illi omnis actus doni timoris; & conſequenter reperitur in illo quoad habitum, & quoad actum; ſolum enim ex repugnantia actus doni timoris excludit illum Durandus. Antecedens oſtenditur primò: cui repugnat omnis actus alicuius potentiæ, & ipſa potentia repugnat; quia potentia dat poſſe ad actum; ſed etiam habitus ſupernaturalis dat ſubiecto poſſe ad actum: ergo non ſtat conuenire, cui omnis illius actus repugnat. Secundò: habitus non poteſt communicari ſubiecto, quin illi præſtet proximam potentiam ad actum; ſed ſubiecto, cui ab intrinſeco repugnat actus ad quem habitus ordinatur, non poteſt poſſe proximum ad talem actum præſtare: ergo nec poteſt illi conuenire.

8 *Vltima pars concluſionis probatur Iſai. c. 11. Pſal. 18. Iob 28. S. Greg.*

Tandem vltima pars noſtræ concluſionis probatur: nam in locis Scripturæ, in quibus Chriſto, & Beatis attribuitur timor, non ſolum ſignificatur habitus timoris, ſed etiam actus, iuxta Sanctorum PP communem expoſitionem, vt in teſtimonio Iſaiæ *cap.* 11. *Et replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Et Pſalm. 18. *Timor Domini Sanctus permanet in ſæculum ſæculi.* Iob. 28. *Columnæ Cæli contremiſcunt*, ideſt, Angeli, Beati, vt interpretatur Gregorius *lib.* 7. *moral. cap.* 17. At teſtimonia Scripturæ intelligenda ſunt rigoroſa acceptione, niſi aliquod inconueniens ſequatur: ergo Chriſto concedendus eſt timor actualis, verus, & proprius.

Confirmatur.

Et augetur difficultas: nam ſi actum timoris rigoroſè acceptum à Chriſto relegamus, etiam timoris habitum ab illo excludere poſſumus in rigoro-

goroſa acceptione: conſequens non admitteret, alias nec quoad actum, nec quoad habitum erit timoris donum in Chriſto, quæ fuit ſententia Abaylardi ab Innocentio Secundo damnata: ergo fuit in Chriſto actus doni timoris, qui verè, & propriè ſit timor. Patet ſequela: nam in teſtimonijs Scripturæ attribuitur Chriſto timor actualis, & Auctores contrarij ea explicant de timore non ſtricto, ſed tantum ſimilitudinario. ergo etiam illa, in quibus Chriſto Domino attribuitur donum timoris, poſſunt ſimili interpretatione explicari de dono timoris non ſtricto, ſed de aliquo habente ſimilitudinem cum dono timoris.

9 *Iudicium de certitudine conclusionis.* Si inquiras, quanta certitudine gaudeat hæc prima concluſio? Reſpondeo, primam partem concluſionis, ſi de habitu, qui ab alijs ſpeciebus qualitatis diſtinguitur procedat, non eſſe immediatè de fide, nec concluſionem Theologicam, ſed ita certam, vt oppoſitum ſit temerarium. Quod patet ex ijs, quæ diximus *Tract. de Charitate art.* 4. vbi id ipſum de charitate iuſtorum docuimus: & probatio: nam in verbis Scripturæ ſolum explicatur permanentia doni timoris in Chriſto; ſed hæc eſt habitus, & potentiæ communis, nec poteſt euidenter probari prædictum donum permanens non eſſe potentiam, quæ eſt ſpecies qualitatis ab habitu condiſtincta: ergo nec eſt immediatè de fide, nec Theologica concluſio, quod in Chriſto fuerit habitus doni timoris, ſumpto habitu pro ſpecie qualitatis ab alijs huius generis ſpeciebus condiſtincta. Quia tamen communis Scholaſticorum conſenſus doni permanentiam in Chriſto, & in animabus iuſtorum habitus eſſe defendit, temerarium erit ab illorum ſententia recedere.

Valent. Suar. Vaz. q. Lorca. Aragon. Secundam, & tertiam noſtræ concluſionis partem eſſe de fide docent frequentius Theologi, ita Valentia, Suarez, & Vazquez vbi *ſupra* relati, Lorca 2.2.q.19. *art.* 12. vbi aſſerit conſtanter à Theologis tanquam de fide defendi. Idem docet Aragon. *in eand. art.* probatque ex adductis teſtimonijs, iuncta communi PP. interpretatione.

---

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

10 *Primò arguitur in fauorem Durandi.* SED in fauorem Durandi argumentari poſſumus primò ex illo 1. *Ioan. 4. cap. Perfecta charitas foras mittit timorem*: ſed in Chriſto Domino fuit perfectiſſima charitas: ergo in illo non fuit actus timoris. Reſpondeo, notando primò, duplicem inter alios eſſe timorem, ſeruilem vnum, & filialem alium, de quo Diu. *S. Thom.* Thom. 2.2.*quæſt.* 19. *art.* 4. *& ſeqq.* Primus eſt timor pœnæ; ſecundus culpæ, aut ſeparationis à Deo. Notando ſecundò, timorem ſeruilem dupliciter conſiderari poſſe. Primò, vt ſeruilem formaliter, quæ ſeruilitas conſiſtit in eo, quòd timeatur pœna ex amore ſui, vt vltimi finis, quod tunc contingit, quando taliter pœna timetur, & culpa propter pœnam, quòd ſi pœna non eſſet, culpa committeretur. Secundò conſiderari poteſt, non vt ſeruilis *reduplicatiuè*, ſed *ſpecificatiuè* tantum, & ſecundum ſubſtantiam, qualiter eſt timor pœnæ, ex amore ſui proueniens, non vt vltimi finis, ſed tanquam non vltimi.

11 *Reſpondet.* Quibus poſitis ad argumentum reſpondeo, loqui Ioannem de timore ſeruili, qui quoad ſeruitutem per quamcumque charitatem excluditur, eo quòd charitas Dei eſſe nequit cum amore ſui vt vltimi finis, in qua ſeruilitas timoris conſiſtit; quoad ſubſtantiam autem cum charitate componitur, compatitur enim cum illa, hominem ſe ipſum amare, & conſequenter ex amore ſui pœnam timere, ſed creſcente charitate minuitur, & adueniente perfecta charitate, penitus tollitur, vt docet *S. Thom.* D. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 6. *&* 10. quia quantò aliquis magis diligit Deum, tantò minus ad proprium attendit commodum, cui opponitur pœna: & in tantum poteſt Dei charitate abſorberi, vt nihil ad proprium attendens commodum, nihil ad pœnam illi contrarium attendat. *S. Aug.* Quæ ſolutio expreſſa eſt Auguſtini *tom.* 9. *Tract.* 9. *in* 4. *cap.* 1. *epiſt. Ioann.* vbi verba relata conferens cum illis Pſal. 18. *Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi*; *Pſal. 18.* poſt multa elegantia, & eruditione plena, ita concludit: *Audiuimus duas tibias conſonantes: ille de timore dicit, & ille de timore loquitur; ſed ille de timore, quo timet anima, ne damnetur: ille de timore, quo timet anima, ne deſeratur: ille eſt timor, quem charitas excludit: ille eſt timor permanens in ſæculum ſæculi.* Eſt etiam D. Thom. *S. Thom.* *locis citatis, & in præſenti art* 6. *ad* 3.

12 *Secundò arguitur.* Secundò arguitur: ſtat habitum, & potentiam decere ſubiecto cum indecentia actus primarij ſpecificantis habitum, vel potentiam reſpectu eiuſdem ſubiecti. ergo ſtare etiam poterit, repugnare actum ſpecificantem habitum, vel potentiam, ſubiecto, cui non repugnet habitus, vel potentia; & conſequenter ratio à priori, quam contra Durandum fecimus, inefficax eſt. Conſequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem duplici exemplo probatur; fuit enim in Chriſto potentia generatiua; & conſequenter fuit decens, & tamen actualis generatio non decuit. Virtus etiam Eutrapeliæ fuit in Chriſti humanitate, & ex conſequenti decuit; & tamen primarius illius actus, qui (non conditionata, ſed abſoluta, & efficax iocandi, vel ludendi voluntas eſt) non decuit Chriſto: ergo verum eſt antecedens.

13 *Reſpondeo.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: quia actum non decere prouenit ex eo, quod non compatitur cum altiorum finium intentione, v.c. actualis generatio cum virginitate ſeruanda, actualis iocorum electio abſoluta, & efficax cum serioſitate ſeruanda ab illo, qui de magnis tractat: hæc autem incompoſſibilitas in habitu non inuenitur: non enim vnus habitus virtuoſus cum altero opponitur: & ideò indecentia actus non tranſit ad habitum. Actus verò poſſibilitas ſpecificat habitum, ac proindè, illa ſublata, non poteſt habitus permanere.

14 *Tertiò arguitur. S. Aug.* Tertiò arguitur contra tertiam partem concluſionis ex Auguſtino *tom* 5 *libro* 14 *de Ciuitate Dei cap nono*, illis verbis: *Timor ille caſtus permanens in ſæculum ſæculi, ſi erit in futuro ſæculo, non erit timor exterrens à malo, quod accidere poteſt, ſed tenens in bono, quod amitti non poteſt; vbi enim adepti amor immutabilis eſt, profectò, ſi dici poteſt, mali cauendi timor ſecurus eſt: timoris quippè caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit, nolle peccare, & non ſolicitudine infirmitatis, nè fortè peccemus, ſed tranquillitate charitatis cauere peccatum, aut ſi nullius omninò generis timor eſſe ibi poterit: ita fortaſſe timor in ſæculum ſæculi dictus eſt permanens, quia id permanebit, quo timor ipſe perducit.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur: ſi aliquis timor, propriè dictus, eſſet in Chriſto, maximè timor caſtus: ſed hunc fuiſſe in Chriſto non eſt de fide. ergo fuiſſe in Chriſto timorem propriè acceptum de fide non eſt. Probatur minor: nam eadem ratio eſt, idemque ferendum iudicium de Chriſto, ac de Beatis quoad exiſtentiam timoris; ſed in Beatis timorem caſtum exiſtere in ſe ipſo formaliter non eſt de fide, cum Auguſtinus ſub dubio illius exiſtentiam in Beatis relinquat; inconueniens autem ſit, Auguſtinum in veritate fidei admittere dubitaſſe: ergo de fide non eſt, fuiſſe in Chriſto.

15 *Confirmatur. Gilbert.* Confirmatur ex Gilberto *ſerm.* 19. *in Cantica*, non longè à fine, illis verbis: *Eſt enim timor, quem foras mittit charitas, & eſt timor, quem mittit veritas, & eſt timor, quem intromittit, & charitas, & veritas. Primus caniue; ſecundus caſtus, ſed non permanens in ſæculum ſæculi: tertius, & caſtus, & permanens. Primus veretur pœnam: ſecundus offenſam, tertius totus libera quadam, & ſecura reuerentia eſt.* Et quibuſdam interpoſitis ait: *Cum ad veritatem poſt vitam fuerit homo introductus, huiuſmodi deeliquæ motus ceſſabit* (loquitur de timore offenſæ) *timori tertio faciens locum, qui prioribus quidem ſuccedat, ſed nulli cedat; permanet enim in ſæculum ſæculi. Primus ergo timor metuit, ne ſeueritatis offenſam luat, ſecundus, ne infirmitate offendat, tertius, quod metuat non habet. Quid enim metuat completa felicitas, & conſummata charitas?* Ex quibus verbis ſic arguo: in Patria, iuxta Gilbertum, nec remanet timor pœnæ, nec manet timor offenſæ, ſed ſolum manet timor, qui totus reuerentia eſt: at iſte timor propriè non eſt: ergo in Beatis non manet actus timoris, qui propriè timor ſit: & conſequenter nec in Chriſto. Patet minor: timor enim non habens, quod metuat, non eſt cum proprietate timor

tum timor, & metus ſint idem; ſed timor, qui in Patria manet, iuxta Gilbertum non habet, quod metuat: ergo non eſt timor propriè.

16 *Reſpondetur.* Ad argumentum reſpondeo, Auguſtinum *loco adducto in ſolut. primi argum.* apertè parere, verum actum timoris in Beatis permanere. Id ipſum docet *tom.5. lib.21. de Ciuitate Dei cap.24. tom.10. ſerm.124. de tempore, & tractat. 43. in Ioann.* illis verbis: *Venimus enim ad Dominum, vt videamus faciem ad faciem, ibi timor caſtus nos ſeruat; timor enim ille non perturbat.* Non autem poteſt explicari Auguſtinus de permanentia timoris caſti in effectu; nam diſtinguens inter ſeruilem, & filialem, ſeu caſtum timorem aſſerit, ſecundum, non primum permanere in Beatis: at in effectu manet vterque, nam etiam timor ſeruilis ad gratiam, & charitatem, quæ perpetuò manet diſponit: ergo iuxta Auguſtinum timor caſtus, non ſolum in effectu, ſed in ſe ipſo formaliter in Beatis perſeuerat. Vndè *loco in argum. relato*, manſiſſe dubium *S. Auguſt.* Auguſtinum fatetur D. Thomas 2. 2. *q. 19. art. 9.* ſed in- *S. Thom.* telligendum non de dubitatione poſitiua, ſed ſuſpenſiua; noluit enim in illo loco quæſtionem iſtam reſoluere, ſed *alibi* reſoluendam relinquere; & ideò loquitur ſub conditione, ſi manet timor in Beatis, non vt terrens à malo, quod accidere poteſt, ſed ſeruans in bono, quod admitti non poteſt. Si autem *ibi* nullius generis timor eſt, timor *in ſæculum ſæculi* dictus eſt permanens, quia id permanet, quo timor ipſe perducit; id autem quod *ibi* ſub conditione tantum reſoluit, ſuſpenſam abſolutam illius reſolutionem relinquens *locis* à Nobis *adductis* abſolutè determinauit.

S. Auguſt.

17 *Gilberti teſtimonium explicatur.* Ad confirmationem dicatur, Gilbertum *loco allegato* triplicem timorem diſtinguere, pœnæ, ſcilicet, offenſæ, & reuerentialem, iſtumque in Beatis perſeuerare apertè fatetur, & de illo intelligendum putat illud Pſalm. 18. *Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi.* Quod amplius explicans Gilbertus ſic ait: *Et quid eſt aliud ibi timere, niſi non tumere aduerſus Dominum maieſtatis? Quid eſt timor ille, niſi votiua ſubiectio, obedientia non coacta, vltrò impenſa reuerentia? Quomodo timor, qui offendere non timet? Non enim valet. Sed iterum, quomodò non timor, qui offendere non audet? Et timor ergo non videtur, quia nihil, vel peccati, vel periculi metuit, & timor manet, quia nihil audacter, vel temerè præſumit.* Negat ergo Gilbertus timorem perturbantem, & anxietatem cauſantem in Beatis; non autem timorem ſine anxietate, in bono securè tenentem, vel negat timorem mali non autem timorem reuerentialem habentem pro obiecto bonum, eminentiam, ſcilicet, diuinæ maieſtatis cum noſtra comparatam paruitate.

18 *In forma.* Et in forma reſpondetur, admiſſa maiori in ſenſu *ſuperius* explicando, negando minorem: ad illius probationem, diſtinguo maiorem: timor non habens, quod metuat, nec metu perturbante, nec metu in bono firmante, concedo maiorem: metu ſolum perturbante, vel anxietatem cauſante, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: non enim omnem metum negauit Gilbertus, cum conceſſerit timorem; timor autem, & metus ſynonima ſint, ſed tantum negat metum anxietatem cauſantem, & animum perturbantem.

19 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur: timor propriè acceptus eſt fuga mali apprehenſi, vt imminentis, & difficilè vitabilis, vt ex Ariſtotele docet D. Thom. *1. 2. q. 41. art. 2. q. 44. art. 3.* *S. Thom.* ſed Chriſto non fuit imminens malum pœnæ propter culpam propriam, quod eſt obiectum timoris ſeruilis, nec fuit imminens malum culpæ, aut ſeparationis à Deo, quod eſt obiectum timoris caſti, & filialis, cum non potuerit de potentia abſoluta peccare, & conſequenter, nec propter propriam culpam puniri: ergo non fuit in illo timor ſeruilis, nec caſtus, & conſequenter nullus in illo fuit actus propriam obtinens rationem timoris. Hoc argumento fuit conuictus Durandus, vt timorem à Beatis excluderet, quod cum pari, imò & maiori efficacia militet in Chriſto, videtur etiam ab illo omnes timoris actum relegare. Illo etiam ducti ſecundæ ſententiæ Auctores, etſi timorem reuerentialem fateantur in Chriſto; negant tamen proprietatem timoris attingere; & ideirco actum, qui ſit propriè timor à Chriſto relegandum exiſtimant. Sed antequam illius difficultati, quæ maxima eſt, occurramus, ſit ſecunda concluſio.

§. III.

Occaſione vltimi argumenti ſtatuitur ſecunda concluſio.

SECVNDA CONCLVSIO. *In Chriſto fuit actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, & ſeparationis à Deo, vt poſſibilis natura ſecundum ſe conſiderata, etſi impoſſibilis ratione beatitudinis, & vnionis hypoſtaticæ.* Hanc tenent Auctores tertiæ ſententiæ. Tenet etiam Caietanus *in præſenti art. 6.* & oſtenditur primò: nam eadem eſt ratio, quoad actum doni timoris, de Beatis, ac de Chriſto; ſed in Beatis manet actus prædictus: ergo etiam reperitur in Chriſto. Maior conſtat: nam ſicut Chriſto eſt impoſſibilis culpa, & pœna propter culpam propriam, ratione beatitudinis, & ratione vnionis hypoſtaticæ: ita beatis eſt impoſſibilis culpa, ratione beatitudinis: ergo, ſi, hoc non obſtante, manet in illis fuga mali culpæ, vt poſſibilis naturæ, eſto impoſſibilis ratione beatitudinis, ſit, etiam reperietur in Chriſto, cuius naturæ, ſecundum intrinſeca inſpectæ, manet poſſibilis culpa, eſto impoſſibilis ſit, & ratione beatitudinis, & ratione vnionis hypoſtaticæ. Minor autem oſtenditur primò ex Auguſtino *lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 9.* illis verbis: *Timoris caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit, nolle peccare, & non ſolicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, ſed tranquillitate charitatis vitare peccatum* ergo iuxta Auguſtinum timor caſtus conſiſtens in voluntate, ſeu fuga peccati, vt poſſibilis naturæ, & impoſſibilis autem, ratione beatitudinis, manet in Patria. 20 *Secunda concluſio.* *Caiet.* *Probatur concluſio 1. ex Patre Auguſtino, & Angelico Doctore.* *S. Aug.*

21 *S. Thom.* Secundò probatur: nam id expreſſè docet D. Thom. 2. 2. *q.19. art.11. in ſolut. ad 1. & in corp.* vbi de malo culpæ, quod eſt obiectum timoris caſti; loquens, ſic ait: *Hoc autem malum creaturæ rationali, ſecundum ſuam naturam conſiderata, poſſibile eſt propter naturalem liberi arbitrij flexibilitatem, ſed in Beatis ſit non poſſibile per gloriæ perfectionem. Fuga ergo huius mali, quod eſt Deo non ſubijci, vt poſſibilis naturæ, impoſſibilis autem beatitudini, erit in Patria:* ergo iuxta D. Thom. manet in Beatis actus doni timoris, non ſolum qui eſt proſecutiuus, ſed etiam, qui eſt fuga mali culpæ, vt poſſibilis naturæ.

22 *Secundo probatur concluſio rationibus.* Secundò probatur concluſio: nam fuga futuritionis culpæ apprehenſæ, vt poſſibilis naturæ, nullam imperfectionem Chriſto repugnantem dicit: ergo eſt conſtituenda in Chriſto. Tertiò: nam eſt poſſibilis Chriſto actus proſecutiuus, qui eſt primarius doni timoris, vt *ſeq. concluſ.* videbimus, & fatentur illi, contra quos noſtra concluſio procedit; ſed vbi eſt poſſibilis proſecutio alicuius obiecti, etiam eſt poſſibilis fuga mali oppoſiti, quatenus illi opponitur: ergo eſt Chriſto poſſibilis fuga peccati, vt oppoſiti obiecto ſpecificanti actum timoris proſecutiuum. *Tertiò.*

23 *Reſponſio. Sed impugnatur.* Dices his argumentis probari, quòd detur in Chriſto fuga mali culpæ apprehenſæ, vt poſſibilis naturæ, non autem, quod iſte actus ſit verus, & proprius timor. Sed contra primò: nam timor caſtus verè, & propriè timor eſt, vt fatentur Auctores, contra quos procedit noſtra concluſio; ſed iuxta Auguſtinum *loco vbi proximè*, timor caſtus iſtam voluntatem ſignificat: ergo iſta voluntas eſt verus, & proprius timor. Secundò, quia ſi non eſſet verus, & proprius timor, maximè, quia non procedit ex apprehenſione mali culpæ, vt imminentis; at hæc ratio licet probet, non eſſe timorem anxium, & perturbantem, non tamen probat non eſſe timorem ſecurum, quæ duplex timoris ſpecies traditur ab Auguſtino, vbi *proximè*, & à D. Th. 2. 2. *q.19. art. 11. ad 2.* ergo prædicta voluntas eſt verus, & proprius timor. *Secundò.*

24 *Tertiò.* Denique, quia non minus eſt de ratione timoris, prout à Philoſopho diffinitur, eſſe fugam mali, quam mali imminentis; ſed hoc non obſtante, aſſerunt præfati Auctores, timorem reuerentialem, qui eſt primarius actus doni timoris, eſſe verè, & propriè timorem, quamuis non ad malum fugiendo, ſed ad bonum proſequendo terminetur primariò: ergo pariter fuga mali culpæ, vt poſſibilis, quamuis non imminentis, erit verè, & propriè timor. Patet conſequentia; nam ſi actus proſecutiuus, & ad bonum

num terminatus primariò, verè, & propriè timor eſt, quamuis timor à Philoſopho diffinitus petat terminari ad malum: cui etiam, quamuis petat, terminari ad malum apprehenſum vt imminens, imminentia ablata, non remanebit vera, & propria ratio timoris.

35 Reſpondebis primò, Philoſophum diffiniſſe timorem, qui fuga eſt: vndè omnis timor fuga petit imminentiam mali, non verò diffiniſſe timorem abſtrahentem à proſecutione, & fuga: & ideò timor conſiſtens in actu proſecutiuo, terminari ad malum non petit. Vel ſecundò reſpondebis, etiam timorem reuerentialem terminari ad malum, quamuis non in recto; benè tamen in obliquo: terminatur enim ad eminentiam diuinam, prout eſt inflictiua permiſſiuè mali culpæ, & mali pœnæ poſitiuè; vndè iam ſaluatur, quòd terminetur ad malum.

Reſpondebis 1.

Secundò.

26 Vel denique reſpondebis ex doctrina Caietani, malum non timeri, niſi ſit executiuè poſſibile; potentia autem inflictiua mali, non ſolum vt executiuè ad malum infligendum parata, verum etiam vt potens abſolutè malum infligere abſque ordine, ad executionem, poteſt timeri.

Denique reſpondebis.

Sed nulla ex his ſolutionibus argumento facto ſatisfacit, & contra primam facit: nam Philoſophus nuſquam diffiniuit timorem in prædicta abſtractione, ſed ſolum timorem, qui fuga eſt, & hunc per reſpectum ad malum apprehenſum, vt incuſſum, & imminens, & tamen, hoc non obſtante, admittunt prædicti Theologi timorem proſecutiuum, cui diffinitio Philoſophi adaptari non poteſt: ergo pariter admitti à Theologis poterit timor fuga, qui verè, & propriè ſit timor, quamuis diffinitio à Philoſopho tradita illi adæquatè non competat.

27 *Contra primam ſolutionẽ facit,*

28 Deindè contra ſecundam facit: nam timor reuerentialis primariò, & in recto terminatus ad eminentiam diuinam, non terminatur ſecundariò, aut in obliquo ad malum, vt imminens abſolutè, ſed vt imminens naturæ ſecundum ſe; & tamen veram obtinet rationem timoris: ergo pariter per terminationem primariam ad malum, vt imminens naturæ ſecundum ſe, etſi non immineat abſolutè, erit verè, & propriè timor. Patet conſequentia: nam conuenit cum actu timoris proſecutio in imminentia mali obiectiua, & aliàs illum excedit in hoc, quòd primariò tendit ad malum: ergo ſi proſecutiuus ex terminatione ad malum in obliquo, verè, & propriè timor eſt ſine imminentia mali abſoluta, à fortiori actus ad prædictum malum terminatus primariò, verè, & propriè timor erit.

Contra ſecundam ſolutionem facit.

29 Denique tertia ſolutio reijcitur: quia, vt fatetur Caietanus, eminentia non timetur, niſi vt eſt inflictiua mali, & per ordinem ad illud, quod docet D. Thom. *in præſenti art.6. & 1. 2. q. 19. art.1. & 2.* ergo ſi eminentia potentia infligere malum, non ſolum poteſt timeri, prout parata ad mali executionem, ſed etiam prout ratione ſui potens tale malum infligere, malum ipſum, poterit etiam timeri, non ſolum prout exequendum, ſed etiam vt abſolutè, vel ſecundum ſe poſſibile: vndè ſicut Dei eminentia inſpecta ſecundum ſe, vt potens malum infligere, eſt ſufficiens timoris obiectum, quamuis apprehenſa à Chriſto, vt ſubſtat determinationi diuinæ voluntatis de malo non exequendo, inducat ſecuritatem: ita malum à diuina eminentia poſſibile, inſpectum ſecundum ſe, eſt ſufficiens timoris obiectum, quamuis conſideratum, vt numquam executioni applicandum inducat ſecuritatem.

Tertia ſolutio reijcitur.

S. Thom.

---

§. IV.

Argumenta contra concluſione diluuntur.

30 SED obijcies aduerſus iſtam concluſionem primò, D. Th. *q. 4. de Virtutibus art.4. ad 2.* vbi cum ſibi obijcit: *Spes eſt perfectior timore: iſte manet in Beatis: ergo etiam permanet ſpes.* Duplicem diſtinguens defectum, pœnæ, ſcilicet, quem reſpicit timor ſeruilis, & culpæ, qui à timore caſto in præſenti vita reſpicitur, ſic ait: *Neutro autem modo erit timor in Patria, ſublata poteſtate culpæ, & pœna: eſt autem tertius defectus naturalis, ſecundum quod quælibet creatura in infinitum diſtat à Deo, qui defectus nunquam tolletur: & hunc defectum reſpicit timor reuerentialis, qui erit in Patria, qui reuerentiam exhibebit ſuo Creatori ex conſideratione maieſtatis eius in propriam reſilienſ paruitatem, ſed obiectum ſpei, quod eſt beatitudinem eſſe futuram, tolletur ea ſuperueniente; & ideò ſpes non remanebit:* ergo iuxta D. Thomam, timor in Beatis non manebit quoad reſpectum ad defectum pœnæ, vel culpæ, ſed ſolum quoad reſpectum naturalis defectus infinitè diſtantis à Deo; conſequenter relegari debet à Chriſto, quoad reſpectum mali pœnæ, & culpæ, & ſolum admittendus per reſpectum ad naturalem propriæ naturæ defectum infinitè à Deo diſtantis.

Primò arguitur ex D. Th.

S. Thom.

31 Id ipſum docet D. Th. 2. 2. q. 19. *art. 11. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quòd ſpes importat quemdam defectum, ſcilicet, futuritionis beatitudinis, qui tollitur per eius præſentiam, ſed timor importat defectum naturalem creaturæ, ſecundum quod in infinitum diſtat à Deo, quòd etiam in Patria remanebit; & ideò timor non euacuabitur totaliter.* Sentit ergo D. T. defectum à timore reſpectum, & penès cuius reſpectum in beatis remanebit, & in Chriſto conſtituitur, non eſſe malum pœnæ, aut malum culpæ, ſed malum naturalis defectus infinitè à Deo diſtantis. S. Thom.

32 Reſpondeo, D. Th. in prioribus verbis non excludere à beatis timorem per reſpectum ad malum culpæ, vt poſſibile naturæ ſecundum ſe, ſed per reſpectum ad malum culpæ, vt omninò poſſibile; qualiter reſpicitur à timore caſto in via. Nec ex eo, quòd confugerit ad naturalem defectum infinitè à Deo diſtantem, infertur, excluſiſſe reſpectum ad malum culpæ, vt poſſibilis naturæ: etenim reſpectus timoris ad naturalem defectum, non eſt ad illum ſecundum ſe, ſed ad illum, vt comparabilem cum Maieſtate diuina, nam terminatur ad proprium defectum naturalem, reſiliendo in illum ex diuina Maieſtate, hoc eſt, fugiendo illius comparationem cum Deo, & non plenam ſubiectionem ad ipſum, vt docet D. Th. 2. 2. *q. 19. art. 9. in corp.* ibi: *Hoc autem facit timor filialis, & caſtus, in quantum per ipſum Deum reueremur, & refugimus nos ipſi ſubducere.* Et *art. 10. ad 3.* ibi: *Dicendum, quòd timor filialis non importat ſeparationem à Deo, ſed magis ſubiectionem ad ipſum, ſeparationem autem refugit à ſubiectione ipſius.* Nos autem Deo comparare, vel ipſi nos ſubducere peccatum eſt; & conſequenter, quando ait D. Th. timorem reſpicere naturalem defectum, & non excludit defectum culpæ, vt poſſibilis ratione naturalis defectus inſpecti ſecundum ſe, ſed vt omninò poſſibilis.

Explicatur mens D. Thom.

S. Thom.

33 Obijcies ſecundò, D. Th. *in præſenti art. 6. in corpore,* illis verbis: *Dicendum eſt, quòd in Chriſto fuit timor Dei, non quidem ſecundum quod reſpicit malum ſeparationis à Deo per culpam, nec etiam ſecundum quod reſpicit malum punitionis pro culpa, ſed ſecundum quod reſpicit ipſam diuinam eminentiam;* ſed ſi fuiſſet timoris donum in Chriſto quoad fugam ſeparationis à Deo, vel à Dei ſubiectione, non ſolum fuiſſet in illo penès reſpectum ad bonum, vel eminentiam diuinam, ſed etiam penès reſpectum ad malum: ergo iuxta D. Thomam non fuit timoris donum in Chriſto quoad fugam mali culpæ, vt poſſibilis naturæ.

Secundò arguitur ex D. Th.

34 Reſpondeo ex dictis ad primam obiectionem, D. Thomam ſolum excludere à Chriſto habitudinem timoris ad malum culpæ, vt vndequaque poſſibile, qualiter malum reſpicitur à timore caſto in via; non autem reſpectum timoris ad malum culpæ, vt poſſibile naturæ ſecundum ſe ex permiſſione diuina, vt ſecundum ſe poſſibili; niſi enim ſic accipiamus doctrinam huius articuli, contradicet D. Thom. ſibi ipſi 2. 2. *quæſt. 19. art. 11. verbis ſuperius adductis.*

Reſpondetur.

35 Sed obijcies, D. Th. *in ſolut. ad 1.* aſſerentem, ideò fuiſſe donum timoris in Chriſto, non autem virtutem ſpei: *Quia de ratione doni timoris non eſt illud malum, quod reſpicit timor, ſed eminentia illius boni, ſcilicet, diuini cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt; ſpes autem ſecundum quod virtus eſt, reſpicit, non ſolum actorem boni, ſed etiam ipſum bonum, in quantum eſt non habitum; & ideo Chriſto, qui iam habebat perfectum beatitudinis donum, non attribuitur virtus ſpei, ſed donum timoris:* ergo ſentit D. Th. ideò fuiſſe timoris donum in Chriſto; non autem virtutem ſpei, quia de eſſentia doni timoris non eſt ordo ad malum pœnæ, vel culpæ, ſed ſolum ad imminentiam diuinam; de eſſentia autem ſpei, eſt ordo, non ſolum ad omnipotentiam diuinam, cuius auxilio innititur, ſed etiam ad ipſum bonum diuinum poſſidendum, & nondum poſſeſſum; & conſequenter videtur apertè ſentire, non fuiſſe timoris donum in Chriſto quoad actum terminatum ad malum, etiam vt naturæ poſſibile.

Replicabit.

S. Thom.

36 Reſpondeo, ex iam dictis; malum quod reſpicit timor,

Reſpondetur.

poſſe conſiderari dupliciter. Primò, vt in ſe futurum, & difficile vitandum, vel vt exequendum, ſeu executiue, & omninò poſſibile: ſecundò, vt poſſibile non executiue, & omninò, ſed naturæ ſecundum ſe, & ex vi eminentiæ diuinæ conſideratæ abſolutè, & non prout ſubeſt decreto libero voluntatis diuinæ, de non infligendo, aut permittendo malo pœnæ, vel culpæ. Ordo ad malum, hoc ſecundo modo non eſt timoris dono eſſentialis: ordo autem ad malum, primo modo conſideratum, eſſentialitèr conuenit illi. Vndè, quandò D. Tho. ait, de eſſentia doni timoris, non eſſe illud malum, quod reſpicit timor, ſic intelligendum eſt, nempè, non eſſe de eſſentia doni timoris illud malum, quod reſpicit timor viæ, quod eſt malum culpæ, vt vndèquaq; poſſibile; non autem negat, eſſentialiter illi competere ordinem ad idem malum, vt naturæ ſecundum ſe poſſibile; hoc enim malum, ſaltim ſecundariò, aut de connotato reſpicere, conſtat ex eodem D. Th. aſſerente, eſſe de eſſentia doni timoris ordinem ad diuinam eminentiam, vt inflictiuam mali, qui ordo à malo, ſaltim ſecundariò, aut in obliquo nequit præſcindere. Spes autem reſpicit eſſentialiter in recto bonum diuinum, vt non poſſeſſum, & non ſolum diuinam omnipotentiam, vt auxiliatiuam ad illud adipiſcendum; & quia per poſſeſſionem perfectam tollitur non poſſeſſio boni diuini, ideò in Chriſto perfectè diuinum bonum poſſidente, non remanet locus ſpei.

37 *Inſtabis.* Inſtabis: ideò ait D. Thomas, non eſſe de eſſentia doni timoris malum, quod reſpicit timor, quia habitus virtutum, & donorum ſpecificantur à bono; at hæc ratio, nedum probat de malo, vt omninò poſſibili, ſed etiam de malo poſſibili ex aliquo capite: ergo ſentit, non eſſe timoris dono eſſentialem ordinem ad malum culpæ aliquo ex prædictis modis. Patet minor: nam habitus virtutis, aut doni, non ſolum ſpecificari nequit à malo, vt poſſibili omninò, ſed nec etiam à malo, vt poſſibili ex aliquo capite; cum ad vtrumque per modum fugæ ſe habeat; actus autem primarius habitus virtutis, proſecutio ſit, non fuga: ergo negat reſpectum eſſentialem ad malum culpæ, etiam vt ex aliquo capite tantum poſſibile.

38 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo hoc vltimum conſequens: reſpectum eſſentialem ad malum, vt obiectum primariò, & in recto attactum, concedo conſequentiam: vt in obliquo attactum, nego conſequentiam; ex hoc autem, quod ad malum, vt poſſibile dicat eſſentialem reſpectum in obliquo, ſequitur, vt illud poſſit per actum fugæ reſpicere. Vel ſecundo diſtinguatur conſequens: vt ad obiectum primarium, & adæquatum, concedo conſequentiam: vt ad obiectum inadæquatum primarium, nego conſequentiam, iuxta ea, quæ *concluſ. ſeq.* dicemus.

39 *Vltimi argumenti contra conclusionẽ prima ſolutio.* Denique oppones vltimum argumentum ſupra factum contra tertiam concluſionem, ad quod variè reſpondetur à Theologis. Quidam Recentiores illo conuicti reſpondent, non eſſe in Chriſto actum, qui ſit propriè timor reſpectu mali culpæ propriæ; benè tamen reſpectu mali culpæ aliorum, quod verè erat poſſibile, & arduum, difficileque vitabile; ac proinde Chriſtus Dominus circa illud, vt imminens alijs verum timoris actum exercere.

40 *Reijcitur primò.* Hæc tamen ſolutio inſufficiens eſt, & reijcitur primò: nam D. Thomas 2. 2. q. 19. *art. 11. in corp.* vt ſaluet timoris donum, illiuſque actum in beatis, recurrit ad malum ſeparationis à Deo, ſeu non ſubiectionis ad ipſum, vt poſſibile naturæ ſecundum ſe, eſto impoſſibile ſit ratione ſtatus beatifici: ergo ad idem malum recurrendum eſt in Chriſto. At malum ſeparationis à Deo, ſeu non ſubiectionis ad ipſum, quod alijs accidere poteſt, eſt vndequaque poſſibile: ergo malum erga quod admittit actum timoris in Chriſto, non eſt ſolum malum culpæ alijs poſſibile, ſed etiam malum culpæ propriæ, vt poſſibile naturæ ſecundum ſe.

41 *Secundò.* Secundò, nam timor, quem *ibi ſolut. ad* 1. admittit D. Th. in beatis, & conſequenter in Chriſto quemque admiſit Auguſtinus *loco vbi ſupra*, eſt timor ſine anxietate, & ſine ſolicitudine, ſed ex tranquilitate Charitatis procedens; at timor culpæ aliorum, vt abſolutè poſſibilis, fuit, aut potuit eſſe in Chriſto cum anxietate, & ſolicitudine ergo timor culpæ aliorum, vt abſolutè imminentis, non eſt, quem Auguſtinus, & D. Thomas admiſerunt in Chriſto.

42 *Tertiò.* Tertio, nam ſic comparatur timoris donum ad culpam alijs poſſibilem: ſicut ſpes ad bonum alijs ſperandum ſe habet; ſed impoſſibile reddito actu ſpei erga propriam beatitudinem, non ſperatur alijs bonum ſuæ beatitudinis per virtutem Theologicam ſpei, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 18. *art. 2. ad* 3. ergo pariter, reddito impoſſibili Chriſto actu timoris erga malum ſibi poſſibile, non poterit aliorum malum per timoris donum timere.

Quartò, nam iuxta hanc ſolutionem, etiam erit conſtituendus timor ſeruilis, quoad ſubſtantiam, in Chriſto: conſequens eſt contra D. Thom. *in præſenti art.* 6. & contra communem Theologorum ſententiam: ergo. Patet ſequela: timor quoad ſubſtantiam ſeruilis eſt, qui terminatur ad pœnam, vt poſſibilem, & arduam: ſicut timor filialis, eſt, qui terminatur ad culpam, aut ſeparationem à Deo: ergo ſi, vt ſaluetur timor filialis in Chriſto, ſufficit ponere in ipſo timorem culpæ, vt poſſibilis alijs, etiam vt in ipſo admittatur ſubſtantia doni ſeruilis, ſufficiet in ipſo agnoſcere fugam pœnæ alijs poſſibilis. 43 *Quartò.*

Denique tradita ſolutio reijcitur: ſequitur namque ex illa, eſſe admittendum in Deo timorem ſtrictè acceptum: conſequens abſurdum eſt, alias etiam admitti poſſet in Deo triſtitia cum proprietate: ergo. Patet ſequela: obiectum timoris ſtricti, iuxta iſtam ſolutionem, non eſt ſolum malum timenti poſſibile, ſed etiam malum poſſibile alijs: at Deus poteſt habere actum fugæ erga malum creaturis poſſibile: ergo eſt in illo poſſibilis timor propriè, & ſtrictè acceptus. 44 *Vltimò.*

Reſpondebis, ad rationem timoris non ſufficere mali poſſibilitatem, ſed inſuper arduitatem requiri; Deo autem nullum malum poteſt eſſe arduum, aut difficile vitabile, & idcirco non poteſt timor ſtrictè acceptus in diuina voluntate ſaluari. Sed contra; nam in obiecto timoris ad idem referuntur ratio mali, & ratio ardui; ſed iuxta ſolutionem traditam, ſufficit malum, quod eſt obiectum timoris, eſſe poſſibile alijs, nec requiritur, quòd accidere poſſit timenti: ergo etiam ſufficiet ad proprietatem timoris, quòd malum timorem terminans ſit ijs, quibus poteſt accidere arduum, quamuis à timente de facili poſſit vitari. 45 *Reſpondebis. Sed contra.*

Aliorum ſolutio eſt, apprehenſionem mali, vt abſolutè poſſibilis, aut futuri, & difficile vitabilis eſſentialiter requiri ad timorem phyloſophicum, ideſt, à Philoſophis agnitum, & diffinitum; ſecus verò ad timorem Theologicum, ideſt, quem Theologi ex Scriptura iuxta communem Patrum intelligentiam admittendum intulerunt: ad hunc enim ſufficit, eſſe fugam futuritionis mali apprehenſi, ſiuè vt imminentis, & difficile vitabilis, qualitèr contingit in via, ſiuè, vt tantum de potentia abſoluta poſſibilis, qualitèr in beatis, & in Chriſto reſpectu mali culpæ contingit. 46 *Aliorum ſolutio.*

Verum hæc ſolutio reijcienda venit primò: nam iuxta illam omnia fuga futuritionis mali, erit ſtrictè timor Theologicus: conſequens eſt contra D. Thomam *in præſenti art. 6 in corp.* ergo tradita ſolutio Angelico Doctori, & conſequentèr veritati, aduerſatur. Probatur minor ex illis verbis D. Th. *in corp. huius art. Timor reſpicit duo obiecta, quorum vnum eſt malum terribile; aliud eſt illud, cuius poteſtate malum poteſt inferri: ſicut aliquis timet Regem, in quantum habet occidendi poteſtatem; non autem timeretur ille, qui poteſt nocere, niſi haberet quandam eminentiam poteſtatis, cui de facili reſiſti non poſſit.* Ergo iuxta D. Th. non omnis fuga futuritionis mali, eſt timor ſtrictus in Theologica acceptione, ſed tantum fuga mali terribilis ex imminentia alicuius, cui de facili reſiſti non poſſit. 47 *Contra illam ſolut.* 1. S. Thom.

Secundò, quia non ſolum Philoſophi, ſed etiam Theologi diſtinguunt in ordine ad malum, odium, ſimplicem diſplicentiam, ſimplicem fugam, timorem, atque triſtitiam: ſicut in ordine ad bonum, amorem ſpecialiter ſumptum, ſimplex deſiderium, delectationem, ac ſpem: ergo, vt ſaluetur timor, etiam ſumptus Theologicè, non ſufficit, eſſe fugam futuritionis mali; nam licet per hoc, quòd ad negationem futuritionis mali terminetur, diſtinguatur ab odio, & triſtitia; non tamen diſtinguitur à ſimplici fuga, quæ deſiderio reſpondet. 48 *Secundò.*

Quare, his omiſſis ſolutionibus, ad tertium argumentum reſpondeo, veram eſſe maiorem de timore anxio habente ſolicitudinem, & à malo præcauente; falſam autem de timore ſecuro, quos duos timores diſtinguendos eſſe, docet Auguſtinus *loci vbi ſupra relatis*, & ex ipſo D. Th. 2. 2. q. 19. *art. 11. ad* 1. vbi cum obiecisset illud *Prouerb. 1. Abundantia perfruetur timore malorum ſublata*: quod intelligitur de homine ſapientia perfruente in beatitudine æternæ; *Sed omnis timor eſt alicuius mali*: *ergo nullus timor* 49 *Vera ſolutio.* S. Aug. S. Thom. Prouer. c. 1.

erit

eris in Patria: his verbis reſpõdet: *Dicendum, quòd in authoritate prædicta excluditur à beatis timor ſolicitudinem habens, de malo præcauens; non autem timor ſecurus, vt Auguſtinus dicit lib. 14. de Ciuit. Dei c. 9.* Sentit ergo D. Thom. non eſſe de ratione omnis timoris, ad malum, vt futurum, & arduum apprehenſum terminari, ſed tantum de ratione timoris anxij, & ſoliciti, à maloque præcauentis; ad rationem autem timoris non anxij, & tranquilli, ſufficere, quòd ſit fuga mali apprehenſi, non vt omninò poſſibilis, ſed vt poſſibilis naturæ ſecundum ſe, & ea vi eminentiæ diuinæ, non vt ſubeſt voluntatis decreto, ſed ſecundum ſe inſpectæ: ac proinde huiuſcemodi timorem non eſſe Chriſto negandum; nam licet ſeparatio à Deo per culpam, non fuerit illi poſſibilis omnimoda poſſibilitate, ideſt, omnibus attentis, quia illi repugnabat: tùm ratione viſionis beatificæ: tùm ratione vnionis hypoſtaticæ: tùm denique, ratione diuini decreti de nunquam permittenda culpa; illius tamen naturæ eſt ſecundum ſe poſſibilis, & eminentia diuina attenta ſecundum ſe, vt anteuertens decreta, & cum humana Chriſti natura ſecundum ſe comparata, potens eſt, culpam permittere, & ſeparatio per culpã ſub iſta conſideratione, terminat timorem caſtum in beatis, & in Chriſto.

50 *Objicies contra ſolutionem primò.* Sed aduerſus iſtam ſolutionem obijciet aliquis primò: timori, vt diſtincto ab alijs actibus erga malum per modum fugæ verſantibus, eſt eſſentiale terminari ad malum apprehenſum, vt futurum, & arduum: ergo erga malum apprehenſum tantum, vt poſſibile, timor propriè acceptus nequit verſari. Conſequentia euidens eſt; nequit enim proprietas alicuius actus ſubſiſtere, ſublato aliquo prædicato eſſentiali. Antecedens autem probatur: tum, ex diffinitione timoris a Philoſopho tradita, & à D. Th. admiſſa, quam in argumento facto retulimus. Tùm etiam; quia niſi malum apprehendatur, vt futurum, & arduum, non remanet per quod diſtinguatur à ſimplici fuga mali; ſed timor ſtrictè ſumptus è ſimplici fuga diſtinguitur: ergo apprehenſio mali, vt futuri, eſſentialis eſſe timori.

51 *Secundò.* Secundò, quia pœnitentia habet pro obiecto peccatum, vt expiabile, nequit habitus pœnitentiæ ſubſiſtere, niſi peccatum ſit, vndequaque & omnibus inſpectis poſſibile; ſed timor reſpicit pro obiecto malum ſeparationis à Deo: ergo nequit conuenire ſubiecto, in quo dicta ſeparatio non eſt vndequaque & omnibus inſpectis poſſibilis. Tertiò;

52 *Tertiò.* nam timor fuga eodem modo erga malum verſatur, quo actus proſecutiuus ſpei verſatur erga bonum; ſed ad actum proſecutiuum ſpei, ſtrictè ſumptæ, non ſufficit poſſibilitas boni de potentia abſoluta, ſed requiritur omnimoda poſſibilitas boni, & apprehenſio illius, vt futuri, & ardui: ergo ad actum fugæ, qui propriè, & ſtrictè ſit timor, non ſufficit poſſibilitas mali de potentia abſoluta, ſed requiritur omnimode mali poſſibilitas, & apprehenſio mali, vt futuri, & difficile vitabilis.

53 *Quartò.* Denique nam humanæ Chriſti naturæ acceptæ ſecundum ſe, non ſolum fuit poſſibilis culpa de potentia abſoluta, ſed etiam fuit ei poſſibilis pœna propter culpam propriam; & tamen non fuit in Chriſto timor ſtrictè acceptus erga pœnam prædicta ratione poſſibilem ergo nec erga culpam, vt poſſibilem naturæ ſecundum ſe, fuit in Chriſto ſtrictus timor. Maior negari non poteſt: conſequentia probatur e paritate rationis: minor autem ſic oſtenditur. Ti-

S. Thom. mor pœnæ, eſt timor ſeruilis, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 19. *art. 4. in corp.* ibi. *Obiectum timoris ſeruilis, eſt pœna*; ſed timor ſeruilis non admittitur in Chriſto, iuxta D. Tho. *q. cit. art. 11. in corp.* vbi timorem iſtum à beatis excludit: & in *præſenti art. 6. ad 3.* vbi illum à Chriſto relegat: ergo non fuit in Chriſto timor mali pœnæ, vt poſſibilis naturæ ſecundum ſe.

54 *Reſpondetur ad primam replicam.* Reſpondeo ad primam ex his obiectionibus, negando antecedens: ad primam probationem dicatur, diffinitionem Philoſophi intelligi de timore ſtrictiſſimè ſumpto, qui eſt timor cum anxietate, & à malo præcauente, & huic omnes particulæ dictæ diffinitionis conueniunt; non autem de timore abſtrahente à timore anxio, & à timore ſecuro, qui licet, non ſit ſtrictiſſimè timor, eſt tamen timor ſtrictè, & cum proprietate; huic namque non eſt neceſſum, quòd omnes particulæ diffinitionis à Philoſopho traditæ aptentur, ſed ſufficit, quòd aliquæ dictæ diffinitionis particulæ, illi poſſint conuenire, per quas ab alijs actibus erga malum verſantibus ſufficienter diſtinguatur. Et quidem Philo-

Ariſtot. ſophus *lib. 5. Ethicor. c. 4* iuſtitiam commutatiuam diffinitur per ordinem ad æqualitatem ſeruandam in datis, & acceptis, atque in commutationibus, quæ fiunt cum mutua translatione dominij, quo non obſtante, verior Theologorum ſententiæ, abſque dicta translatione dominij agnoſcit in Deo veram iuſtitiam commutatiuam reſpicientem æqualitatem rei ad rem, in præmiando obſequia à creaturis Deo exhibita. Pariter ergo in *præſenti*, quamuis timor, prout à Philoſopho diffinitur, omnes illas conditiones requirat poterunt nihilominus Theologi propriã rationem timoris in actu erga malum ſaluare, quamuis ei non conueniant omnes particulæ diffinitionis Philoſophi, ſed tantum aliquæ illarum, per quas ab alijs actibus erga malum per modum fugæ verſantibus ſufficienter diſtinguantur.

Ad ſecundam probationem, nego maiorem; nam ſimplex fuga mali, abſque vlla imminentia ſaluatur: timor autem iſte imminentiam, & difficultatem ex aliquo capite reſpicit; eſt enim vitatu difficile, ſaltim ex parte omnipotentiæ Dei, & per hoc ſufficienter à ſimplici fuga diſtinguitur.

Ad ſecundam obiectionem, conceſſa maiori, & minori, 55 *Ad ſecundam.*
nego conſequentiam; quia peccatum non eſt expiabile, nec ſatisfactibile, niſi vt in ſe ipſo, niſi vt præteritum: vndè cum pœnitentia peccatum inſpiciat, quatenus expiabile; ſit, vt non poſſit exiſtere, niſi peccatum ſit abſolutè poſſibile, quia non aliter eſſe poteſt poſſibilis illius actus, quod ad exiſtentiam habitus pœnitentiæ requiritur; malum autem, quod eſt timoris obiectum, timeri poteſt in ſe, & vt in ſua cauſa contentum. Et cum illius cauſa conſiderari poſſit dupliciter, vel vt vndequaque expedita, vel ſecundum ſe abſolutè; ſit, vt malum terminari poſſit timorem, vt in ſe abſolutè poſſibile, & vt poſſibile inadæquatè, & ex vno capite tantum.

Ad tertiam dicatur, veram eſſe maiorem de timore an- 56
xio, & præcauente à malo; ſic namque in modo reſpicien- *Ad tertiã*
di malum æquiparatur tendentiæ proſecutiuæ ſpei ad bonum; falſam autem de timore ſecuro; quas duas ſpecies, ſiue modos timoris diſtinguendos eſſe ex Auguſtino, & D. Thom. iam vidimus. Quòd ſi rationem petas, cur ſicut damus duplicem modum timoris, alterum cum anxietate, & alterum cum ſecuritate, quorum primus mali omnimodam poſſibilitatem expoſcit; ſecundus verò non ita, ſed poſſibilitatem ex vno capite tantum; ita etiam duplex modus ſperandi non detur, quorum vno ſperetur bonum vndequaque poſſibile, & arduum; altero verò bonum poſſibile ex vno capite tantum? Reſpõdeo primò, ſufficere pro ratione communem modum loquendi Theologorum, qui nomine ſpei nunquam intellexerunt, niſi proſecutionem boni poſſibilis, futuri, & ardui; cum tamen nomen timoris ad vtrumque modum fugiendi malum extenderint. Reſpondeo ſecundò, rationem diſcriminis eſſe; nam per ſpem non ſperatur omnipotentia ipſa, ſed bonum in vt omnipotentiæ poſſibile ingrediente omnipotentia *vt quo*, & bono in virtute illius obtinendo *vt quod*; per donum autem timoris, non ſolum malum, ſed etiam potentia inflictiua mali timetur: & ideò, etſi malum non ſit vndequaque poſſibile, poteſt dari timor ad potentiam inflictiuam mali ſine anxietate terminatus.

Ad vltimam obiectionem, conceſſa maiori, & minori, 57 *Ad vltimam.*
nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, quòd malum terminans timorem debet eſſe terribile, & vt tale æſtimari; Chriſtus autem, & idem de quolibet beato eſt dicendum, ratione perfectiſſimæ charitatis ad Deum, terribile æſtimat malum culpæ; malum verò pœnæ, ſeu proprium non ita, & idcirco nolitio mali pœnæ rationem timoris non obtinet; fugæ verò mali culpæ, verè & propriè timor eſt.

---

§. V.

Explicatur primarius actus timoris.

TERTIA CONCLVSIO. *Fuga mali culpæ non eſt primarius actus doni timoris, ſed ſubiectio reuerentialis ad Deum, ob diuinam eminentiam, non inſpectum abſolutè, ſed vt potentem inſligere malum poſitiuè, aut permiſſiuè.* 58 **Prima pars concluſionis probatur primò.**
Prima pars concluſionis eſt expreſſa Diui Thomæ in *præſenti artic. ſexto in corpore, & ſolutione ad primum*, ibi: **S. Thom.**
Dicendum, quòd habitus virtutum, & donorum, propriè, & per ſe reſpiciunt bonum; malum autem ex con-

ſequenti : pertinet enim ad rationem virtutis, vt opus bonum reddat ; & ideò de ratione doni timoris non eſt illud malum, quod reſpicit timor, ſed eminentia illius boni, ſcilicet, diuini, cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt. Ex quibus verbis tale argumentum conficitur : habitus, cuius primarium obiectum eſt bonum, non elicit fugam, ſed proſecutionem, cum fuga terminetur per ſe primò, non ad bonum, ſed ad malum ; ſed obiectum primarium habitus doni timoris eſt bonum, vt expreſſè docet *allegatis verbis* D. Thomas : ergo primarius illius actus non eſt pura fuga mali, quam *ſecunda concluſ.* explicuimus, ſed aliquis actus proſequutiuus.

59 Secundò probatur prima pars concluſionis ratione D. Th. nam habitus virtutis, aut doni reſpicit per ſe primò bonum : ergo non elicit primariò actum, qui ſit purè fuga. Conſequentia euidens eſt: nam actus primò elicitus ab aliquo habitu debet erga primum obiectum talis habitus verſari ; pura autem fuga non poteſt terminari ad bonum, ſed ad malum : ergo ſi primarium obiectum habitus virtutis, aut doni eſt bonum, primarius actus illius nequit eſſe purè fuga. Antecedens autem probatur : nam malum non fugitur, niſi ratione boni, cui opponitur, vt terminantis proſequutionem : ergo ratio formalis obiectiua fugiendi malum, eſt bonum, cui opponitur tale malum. Sed eo ipſo, quòd ratio formalis obiectiua fugiendi malum ſit bonum, habitus per ſe primò ſpecificatur à bono : ergo habitus virtutis, aut doni reſpicit primariò bonum. Probatur minor primò : quia non alia ratione potentia per ſe primò ſpecificatur à bono, niſi quia ratio obiectiua fugiendi malum eſt bonum : ergo eadem ratione idem eſt dicendum de habitu. Secundò ; nam habitus duo obiecta reſpiciens, quorum vnum eſt alteri ratio obiectiua terminandi, ab eo quod eſt ratio terminandi, ſpecificationem ſumit : ergo, ſi bonum eſt malo ratio terminandi actum, non poteſt excludi à primario obiecto ſpecificante habitum.

Secundò probatur ratione D. Th.

60 Deindè ſecunda pars concluſionis ſuadetur ex D. Tho. verbi *proximè relatis*, & 2. 2. *q.19. art.9. in corp.* ibi : *Ad hoc autem, quod aliquid ſit benè mobile ab aliquo mouente, primò requiritur, vt ſit ei ſubiectum non repugnans. hoc autem facit timor filialis, vel caſtus, in quantum per ipſum Deum reueremur* : ergo ſentit D. Th. primarium actum habitus doni timoris eſſe ſubiectionem reuerentialem ad Deum ob diuinam eminentiam. Secundò, nam dato, quòd pura fuga mali culpæ, vt poſſibilis naturæ ſecundum ſe non ſit primarius actus doni timoris, non reſtat alius actus primariò à prædicto habitu elicitus, niſi ſubiectio reuerentialis ad Deum : ergo iſte actus eſt primus doni timoris.

Secunda pars concluſionis probatur ex D. Th.

61 Quod verò à prædicto actu non reſpiciatur eminentia diuina abſolutè, ſed vt potens infligere malum, quod aſſerit vltima pars concluſionis, eſt D. Tho. expreſſum *in præſenti art.6. in corpore*, ibi: *Timor reſpicit duo obiecta, quorum vnum eſt malum terribile, aliud eſt ille, cuius poteſtate malum poteſt infligi : ſicut aliquis timet Regem, in quantum habet occidendi poteſtatem*. ergo expreſſè ſentit D. Th. Deum non eſſe obiectum doni timoris in conſideratione abſoluta, ſed quatenus poteſt nobis malum infligere. Et 2.2. q. 19. *a. 1. ad 2.* ibi: *Dicendum, quòd in Deo eſt conſiderare, & iuſtitiam, ſecundum quam peccantes punit, & miſericordiam, ſecundum quam nos liberat. Secundum ergo conſiderationem ipſius iuſtitiæ inſurgit in nobis timor* ; ſed iuſtitia punitiua eſſentialiter connotat malum, & cum illo connectitur : ergo diuina eminentia non eſt obiectum doni timoris in conſideratione abſoluta, ſed inſpecta penès ordinem ad malum, quod nobis poteſt infligere.

Tertia pars concluſionis ex eodem D. Thom. probatur.

62 Deindè ratione ſuadetur : nam ſubiectio ad Deum in abſoluta conſideratione eſt actus humilitatis reuereri Deũ abſolutè conſideratum, eſt actus religionis ; ergo, vt ſubiectio reuerentialis ad Deum ab habitu ab his virtutibus diſtincto eliciatur, debet ille actus Deum non abſolutè conſideratum inſpicere, ſed vt potentem infligere malum poſitiuè, aut permiſſiuè. Denique ſuadetur vltima pars concluſionis : nam eminentia diuina, vt potens infligere malum, poteſt ad actum mouere, qui aliquem ſpecificet habitum : at non ad actum ſpecificantem habitum humilitatis, nec habitum religionis, quia primus reſpicit Deum abſolutè vt ſuperiorem, & ſecundus ipſum reſpicit, prout eſt principium creationis, & gubernationis rerum abſolutè, & ratione ſupremæ excellentiæ : ergo mouet ad actum ſpecificantem habitum doni timoris.

Deindè probatur ratione.

Vltimò ſuadetur concluſio.

§. VI.

Occurritur argumentis.

63 SED contra primam partem concluſionis arguitur primò : pœnitentia eſt vera virtus, vt docet Diuus Thomas *infra quæſt.85. art. 1.* & tamen obiectum eius eſt malum culpæ præteritum, & primarius eius actus eſt dolor, ſeu fuga peccati à pœnitente commiſſi ex motiuo emendationis : ergo non eſt contra rationem habitus virtuoſi, & honeſti à malo ſpecificari, & tanquam primarium actum inſpicere fugam illius ; & conſequenter malè ex hoc principio intulimus, habitum doni timoris non reſpicere, vt obiectum primarium malum ſeparationis à Deo, & tanquam actum primarium fugam mali culpæ, vt poſſibilis.

Contra primam partem concluſionis argui tur 1.

64 Reſpondeo, obiectum formale pœnitentiæ non eſſe peccatum præteritum ſub ratione malitiæ, aut offenſæ, ſed ſub ratione emendabilis, & ſatisfactibilis, vt docet D. Th. *infra q.85. art.2. ad 2.* quæ ratio bona eſt, & amabilis, actuſque primarius pœnitentiæ non eſt deteſtatio, aut fuga peccati, ſed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, vt docet D. Thom. ibi *ſolut. ad primum*. Seu quod idem eſt voluntas, vel intentio ſatisfaciendi, quæ voluntas, nõ fuga, ſed proſequutio eſt ; vnde licet dolor de peccato præterito ex motiuo ſatisfaciendi pro offenſa, & emendationis illius, ſit actus à virtute pœnitentiæ elicitus, non tamen eſt actus pœnitentiæ primarius. Sed de his plura *loco proximè allegato*.

Reſpondetur. S. Thom.

65 Secundò contra eandem partem arguitur ex D. Th. 2. 2. *q.19. art.9. ad 2.* quod ita procedebat: *Virtutis Theologicæ proprium eſt, quod Deum habeat pro obiecto, ſed timor habet Deum pro obiecto, in quantum Deus timetur : ergo timor non eſt donum, ſed virtus Theologica.* Cui argumento his verbis reſpondet: *Dicendum, quòd proprium, & principale obiectum timoris eſt malum, quod quis refugit, & per hunc modum Deus non poteſt eſſe obiectum timoris ; eſt autem per hunc modum obiectum ſpei, & aliarum virtutum Theologicarum, &c.* Et *ſolut. ad 3.* ibi : *Timor autem principaliter reſpicit malum, cuius fugam importat : vndè eſt aliquid minus virtute Theologica.* Id ipſum docuerat 1. 2. *q.68. art.4. ad 4.* Ergo ſentit Diuus Thomas, primarium obiectum doni timoris non eſſe bonum, ſed malum ; & conſequenter primarium illius actum non eſſe proſequutionem, ſed fugam.

Secundò. S. Thom.

66 Huic D. Thomæ teſtimonio, quod abſque dubio eſt difficile, variè occurritur ab Auctoribus noſtræ ſententiæ. Vazquez *diſp.44. ſ.3. n.8.* reſpondet. D. Thomam *in allegatis locis*, non fuiſſe loquutum de habitu doni timoris, ſecundum omnem ſuum actum, ſed de actu peculiari, qui eſt timor, & fuga mali : & de iſto verum eſt, reſpicere principaliter malum, quod refugit. Cui interpretationi plures Recentiores adhærent.

Prima ſolutio Vazq.

67 Eſſe tamen omninò inſufficientem manifeſtè ex eo conuincitur ; quia D. Thomas *in ſolut.* intendebat ſaluare, habitum doni timoris non eſſe virtutem Theologicam, quia de ratione virtutis Theologicæ eſt Deum habere pro principali obiecto, hoc eſt, pro obiecto primariò ; timor autem non diuinam bonitatem, ſed malum, quod quis refugit, habet pro principali obiecto ; ſed non obſtat rationi virtutis Theologicæ, quod per actum ſecundarium, nõ Deum, ſed creatam bonitatem, aut malum aliquod habeat pro principali obiecto, vt conſtat in charitate, quæ virtus Theologica eſt ; & tamen per ſecundarium actum quo diligit proximum, reſpicit bonitatem creatam, tanquam principale obiectum, & per actum odij, qui etiam ſecundarius eſt, tanquam principale obiectum reſpicit malitiam peccati, aut rationem offenſæ diuinæ : ergo non loquitur D. Thomas de actu ſecundariò doni timoris, ſed de actu illius primariò, aliàs argumentum non ſolueret.

Reijcitur prima ſolutio.

68 Aliorum ſolutio eſt, loqui D. Th. de malo, non in ſe ipſo, ſed vt in ſua cauſa contento : & ſic verum eſt, eſſe obiectum principale doni timoris, nam illius obiectum eſt eminentia diuina, non abſolutè ſumpta, ſed vt potens infligere malum ; ac proindè, vt illud continens. Ita docent Recentiores Thomiſtæ.

Secunda ſolutio.

69 Cæterum iſta ſolutio eodem defectu, quo prima laborat ; nam ſic intellecta doctrina D. Thom. non ſolueret

ret

Secunda ſolutio impugnatur. ret argumentum. Quod probo; non enim eſt contra rationem virtutis Theologicæ habere pro principali obiecto bonitatem creatam, quatenus in diuina contentam: ergo nec obſtat rationi virtutis Theologicæ habere pro principali obiecto malum, vt in Dei eminentia contentũ; & conſequentèr, ex eo quod donum timoris ſic reſpiceret malum ſeparationis à Deo, vt obiectum principale, malè inferret D. Thomas, donum timoris non eſſe virtutem Theologicam. Secunda conſequentia ex prima euidenter colligitur, prima ex antecedenti; non enim minus opponitur rationi virtutis Theologicæ habere pro obiecto bonitatem creatam, quam habere pro obiecto malum: ergo ſi illi non aduerſatur habere pro obiecto principali bonitatem creatam, quatenus in diuina contentam, nec aduerſabitur illi habere pro principali obiecto malum, vt in Dei eminentia contentum.

Antecedens probatur. Antecedens autem oſtenditur primò: nam ſpes eſt virtus Theologica; & tamen illius formale obiectum eſt omnipotentia, vt auxiliatiua ad gloriæ conſequutionem: qua ratione eminenter in ſe continet auxilia creata, quibus peruenitur ad gloriam: non ergo eſt contra rationem virtutis Theologicæ habere pro primario obiecto bonitatem creatam, quatenus in diuina contentam. *Secundò.* Secundò, & à priori creatura namque, vt in Deo creatrix eſſentia eſt, vt ex Auguſtino communiter circumfertur, & cuilibet eſt manifeſtum: ergo bonitas creata, quatenus in diuina contenta, eſt bonitas increata: at de ratione virtutis Theologicæ tantum eſt ab increata perfectione, quatenus à creaturis diſtincte, ſpecificationem deſumere: ergo ei non aduerſatur habere pro obiecto principali, & ſpecificante bonitatem creatam, quatenus in diuina bonitate contentam, reduplicata, non bonitate contentam, ſed bonitate continente.

70 *Tertia ſolutio.* Tertiò alij reſpondent, ly *principalitèr* idem eſſe, atque eſſentialiter: vndè non excludit D. Thomas donum timoris à ratione virtutis Theologicæ, quia principalius, malum, quam diuinam eminentiam reſpiciat, ſed quia illud reſpicit eſſentialiter, & in obliquo; reſpicit enim eminentiam diuinam, non in abſoluta ſui conſideratione, ſed vt potentem malum inferre, ſeu infligere: in quo reſpectu eſſentialiter includitur ordo ad malum in obliquo, & hoc loquitur, aduerſari rationi virtutis Theologicæ.

71 *Traditæ ſolutio nõ ſatisfacit.* Sed nec iſtorum ſolutio argumento facto ſatisfacit; non enim minus opponitur ordo ad bonitatem creatam rationi virtutis Theologicæ, quam ille ordo ad malum aduerſatur, vt *proximè* dicebamus; ſed ordo eſſentialis ad bonitatem creatam in obliquo, non repugnat cum ratione virtutis Theologicæ: ſpes namque virtus Theologica eſt; & tamen illius obiectum eſt omnipotentia, vt auxilians, qua ratione eſſentialiter connotat auxiliorum bonitatem creatam; & conſequentèr à virtute ſpei eſſentialiter in obliquo talis bonitas reſpicitur: ergo ordo eſſentialis ad malum in obliquo, non repugnat cum ratione virtutis Theologicæ; & conſequenter, ex eo quòd donum timoris ſic reſpiciat malum, quod fugit, malè à Diuo Thoma excluditur à ratione virtutis Theologicæ.

72 *Si dicas.* Si dicas, omnipotentiam auxiliantem non eſſe obiectum formalè *quod*, ſed *quo* virtutis ſpei; Deum autem, vt potentem infligere malum eſſe obiectum *quod* primariũ habitus doni timoris, & non eſſe contra virtutem Theologicam, eſſentialiter in obliquo aliquid creatum reſpicere ex parte obiecti formalis *quo*; benè verò ex parte rationis formalis *qua*, & idcirco timorem, Theologicam virtutem non eſſe; ſpem verò eſſe virtutem Theologicam.

73 *In contrarium obſtat primò.* In contrarium obſtat primò, formalius rationem formalem *qua* ad virtutem comparari, quam ratio formalis *quo*: ergo, ſi reſpectus eſſentialis ad creaturam in obliquo ex parte rationis formalis *qua*, non obſtat rationi virtutis Theologicæ, pariter nec illi obſtabit, eſſentialiter in obliquo reſpicere aliquid creatum ex parte rationis formalis *qua*. *Secundò.* Secundò, nam ſpes reſpicit eſſentialiter Deum tanquam obiectum formale *quod*, non prout eſt bonus in ſe, ſed prout eſt bonus ſperanti, qui aliquid creatum eſt: ergo non ſolum ex parte rationis formalis *qua*, ſed etiam ex parte rationis *qua* reſpicit eſſentialiter in obliquo bonitatem creatam; & conſequenter reſpectus iſte eſſentialis ex parte rationis formalis *quo*, non pugnat cum ratione virtutis Theologicæ.

74 Quartò alij argumento facto reſpondent, timorem conſiderari dupliciter, nempè, ex ratione communi timoris, & prout eleuatum ad celſitudinem doni & ſub priore conceptu reſpicere eſſentialiter malum, tanquam principale obiectum; ſub ratione tamen doni non reſpicere eſſentialiter malum, vt obiectum principale, ſed diuinam eminentiam. Sicque componunt, quæ hîc docet D. Thom. & 2. 2. *loca in contrarium adducta*, & ſimul ſaluare intendunt; donum timoris non eſſe virtutem Theologicam, quia ad hoc requirebatur, quod nec etiam ſub ratione communi malum reſpiceret eſſentialiter, tanquam principale obiectum. Quæ doctrina ſumpta eſt ex Caietano *in præſenti art. 6. ad finem*. *Quarta ſolutio.* *S. Tho.* *Caiet.*

Sed nec iſta ſolutio ſatisfacit, non enim ſtat, donum timoris ex ratione eſſentialiter communi reſpicere malum, vt obiectum principale ſpecificans, & ex ratione differentiali doni reſpicere vt obiectum ſpecificans bonum: ergo ſi donum timoris ex ratione communi timoris reſpicit eſſentialiter malum, vt ſui ſpecificatiuum, non bonum, ſed malum reſpicit ex ratione differentiali. Antecedens, in quo eſt difficultas, oſtenditur primò, reſpiciens bonum ex ratione communi, vt ſui ſpecificatiuum, nequit ex differentiali, primariò malum reſpicere, & ſpecificari ab illo: ergo pariter è contra. Secundò, nam ratio differentialis debet ſub ratione generica contineri: ergo inſpectum à ratione differentiali contineri debet ſub inſpecto à ratione generica. 75 *Contra iſtam ſolutionem arguitur.*

Quare, his prætermiſſis, reſponderi poteſt primò, actum primarium doni timoris ex conceptu differentiali, eſſe proſecutionem, & fugam penès conceptus inadæquatos. Quod videtur innuere D. Thomas 2. 2. *q.* 19. *art.* 9. *in corpore*, illis verbis: *Hoc autem facit timor filialis vel caſtus, in quantum per ipſum Deum reueremur, & refugimus nos ipſi ſubducere.* Quibus clarè inſinuat, in eodem actu timoris caſti, & filialis inueniri rationem proſequutionis reſpectu eminentiæ diuinæ, & rationem fugæ reſpectu ſubductionis, ſeu non ſubiectionis, ad ipſam. Quia ergo ſub ratione inadæquata differentiali fugæ, eſſentialiter reſpicit malum ſubductionis à Deo, vt rationem *qua* obiectiuam, & primariam; ideò donum in prædictum actum inclinans, non eſt Theologica virtus, de cuius ratione eſt, vt ob ectum adæquatum primarium, *quo*, & *quod* actus eam ſpecificantis, ſit aliquid increatum. 76 *Vera ſolutio.* *S. Tho.*

Sed oppones aduerſus iſtam ſolutionem primò: eſto in actu doni timoris reperiri poſſit ratio fugæ, ſub qua malum principaliter reſpiceret, & ratio perſecutionis, ſecundum quam ad diuinam eminentiam compararetur primariò; ratio tamen fugæ eſt minus principalis in illo; & conſequentèr actus iſte, non principaliter, ſed minus principaliter reſpiceret malum: at D. Thomas docet, donum timoris principaliter reſpicere malum: ergo loquitur de actu, qui adæquatè fuga ſit. 77 *Opponis primò.*

Secundò, obiecta eſſentialiter diſtincta non poſſunt reſpici primariò ab vno, & eodem actu; ſed malum ſubductionis à Deo, & eminentia diuina ſunt obiecta eſſentialiter diſtincta: ergo non poſſunt reſpici ab vno, & eodem actu per conceptus differentiales inadæquatos. 78 *Secundò.*
Tertiò: quia Deus, & creatura habent bonitates eſſentialiter diſtinctas, non poteſt vnus, & idem actus vtramque bonitatem primariò reſpicere; ſed plus inter ſe diſtinguuntur eminentia diuinæ, & malum ſubductionis ab ipſa: ergo vnus, & idem actus nequit vtramque iſtam rationem primariò eſſentialiter reſpicere. 79 *Tertiò.* Quartò: ratio fugæ, & ratio perſequutionis ſunt differentiæ oppoſitæ in linea actus voluntatis: ergo non poſſunt in vna differentia vnius actus adunari. 80 *Quartò.*

Quintò: nam malum non poteſt per ſe primò adæquatè terminare habitudinem habitus virtuoſi, & honeſti, vt ex D. Thoma vidimus; ſed eadem ratio eſt determinationem inadæquata primaria: ergo nec poteſt illius habitudinem terminare inadæquatè primariò; & conſequenter actus ſpecificans habitum doni timoris non poteſt etiam inadæquatè, primariò reſpicere malum. 81 *Quintò.* Sextò; nam ſi actus primarius habitus doni timoris eſſentialitèr conſiſtit ex fuga, & proſequutione, ſuperfluit fuga ſimplex, quam 2. *contin ſ.* admiſimus in beatis, & in Chriſto. 82 *Sextò.* Denique nam iuxta D. Th. *in præſenti art. 6. ad* 2. *De ratione doni timoris non eſt illud malum, quod reſpicit timor, ſed eminentia illius boni, ſcilicet, diuini, cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt.* Verba ſunt D. Th. Ex quibus infert manſiſſe donum timoris in Chriſto: at ſi malum culpæ reſpiceretur à dono timoris eſſentiali- 83 *Vltimò.* *S. Tho.*

ter inadæquatè, falſa eſſet propoſitio D. Th. & illatio facta nulla, cum habitus nequeat manere, abſque obiecto adæquato primario: ergo malum non eſt obiectum primarium, etiam inadæquatum, habitus doni timoris, nec actus ſpecificantis illum,

84 *Ad primam inſtantiam reſpon.* Reſpondeo ad primam inſtantiam, *ly principaliter* idem eſſe, quòd primariò, & eſſentialiter, non autem ſumi in ſenſu comparatiuo ad aliam habitudinem ad bonum in eodem actu repertam. Ad ſecundam dicatur, veram eſſe maiorem de obiectis eſſentialitèr diſtinctis; & nullatenus ordinatis; falſam autem, ſi cum ordine reſpiciantur; ſicut ſubiectum, & terminus reſpiciuntur ab accidenti relatiuo, potentia, & ſignatum à ſigno, principium, & terminus ab actione, terminus à *quo*, & *ad quem* à motu, quia ordinatè reſpiciuntur: ſic autem in timoris actu contingit; non enim reſpicit eminentiam diuinam abſolutè, ſed cum ordine malum, quod infligere poteſt, nec malum abſolutè: ſed cum ordine ad eminentiam diuinam; & ideò quamuis eſſentialitèr diſtinguantur, poſſunt eiuſdem actus habitudinem terminare.

85 *Ad ſecundam,*

86 Nec ex eo quòd ordinatè reſpiciantur, ſequitur, reſpici cum ordine obiecti ſecundarij, & primarij; & conſequenter malum non reſpici à timoris dono primariò eſſentialitèr. Non enim quiuis ordo obiectorum ſufficit ad rationem primarij, & ſecundarij, vt conſtat in ſubiecto inhæſionis, & in termino terminante habitudinem relatiuam, quæ non reſpiciuntur à relatione, vt primarius, & ſecundarius terminus, ſed vtrumque primariò ſe habet; cum ordine tamen, eo quòd nec expreſſio habitudinis ad terminum poteſt concipi ſine exigentia habitudinis ad ſubiectum, nec iſta poteſt concipi, vt ab alijs accidentibus abſolutis diſtincta, ſine exigentia, & implicatione habitudinis ad terminum. Pariter dicimus *in præſenti*: quia habitudo doni timoris ad diuinam eminentiam, non poteſt intelligi ſine exigentia, & implicatione habitudinis fugæ reſpectu mali poſſibilis, nec reſpectus fugæ huius mali ſine exigentia, & implicatione habitudinis reuerentiæ ad Deũ ob eminentiam diuinam; ideo, licet hæc obiecta reſpiciantur ordinatè; non tamen comparantur, vt obiectum primarium, & ſecundarium, ſed vtrumque primariò ſe habet, etſi non omninò æqualiter,

87 *Ad tertiam.* Ad tertiam, diſtinguo minorem; illamque concedo in ordine coitatiuo: nego autem in ratione obiecti: Deus namque poteſt diligi ſine creatura dilecta, & creatura ſine dilecta bonitate diuina: vnde in ratione obiecti diligibilis ſunt adæquatè diſtincta; non autem poteſt diuina eminentia timeri ſine terminatione fugæ ad malum, quod poteſt infligere, nec poteſt hoc malum per actum iſtum, fugam terminare ſine diuina eminentia, vt terminante ſui reuerentiam; & ideò in ratione obiecti minus diſtant, quam bonitas increata, & creata in ratione diligibilis.

88 *Ad quartam.* Ad quartam, diſtinguo antecedens: ratio puræ fugæ, ratio puræ proſequutionis, concedo antecedens; ratio fugæ, & ratio proſequutionis, & ex conceptibus communibus, nego antecedens, & diſtinguo conſequens eodem modo: ſicut ratio menſuræ vltimæ, & ratio menſurati ſunt differentiæ eſſentialitèr diſtinctæ, incompatibileſque in eadem vltima differentia, quo non obſtante, ratio menſuræ, & menſurabilis in eadem vltima differentia coniunguntur in ſigno: & ſimiliter in vndequaque abſolutum, & *ad* prædicamenti relationis incompatibilia ſunt eſſentialiter; in tamen reſpectiuum, & *ad* in vltima differentia accidentis reſpectiui coincidunt.

89 *Ad quintam.* Ad quintam, nego minorem. Et ratio diſcriminis eſt; nam obiectum differentiæ non poteſt, ſaltim inadæquatè, non importare aliquid contentum, vt inferius ſubiecto rationis genericæ; non autem requiritur, quòd id quod adæquatè importat, ſic contineatur, vt conſtat in vltima differentia relationis, cuius adæquatus terminus non eſt ſubiectum, ſed ipſum ſimul cum termino; & tamen ratio accidentis in communi adæquatè reſpicit ſubiectum. Quia ergo de ratione habitus honeſti in communi eſt bonum, non poteſt habitus doni timoris non terminari ex conceptu ſui differentiali primariò, inadæquatè ſaltim ad bonum; non autem petit adæquatè ad bonum terminari.

90 *Ad ſextam.* Ad ſextam, nego antecedens: nam malum poteſt vtrumque modum fugæ terminare, & vtraque fuga elici ab habitu doni timoris; & idcirco non ſuperflui. Ad vltimam obiectionem dicatur, D. Thom. *in teſtimon. alleg.* loqui de malo culpæ, vt abſolutè poſſibili, qualiter eſt obiectum timoris filialis viæ, & ſic verum eſt, nec adæquatè, nec inadæquatè ingredi obiectum doni timoris, cum

Ad vltimam reſpond. 1.

quo benè ſtat malum culpæ, vt poſſibile naturæ ſecundum ſe, eſſentialiter comparari ad habitum doni timoris, & quod perſeueret in beatis, & in Chriſto; nam licet in illis malum culpæ non ſit omninò, hoc eſt, omnibus inſpectis poſſibile; eſt tamen poſſibile ex vno capite, ideſt, naturæ ſecundum ſe. Et ſic conciliatur benè doctrina Angelici Doctoris in *præſenti art.* 6. & 2. 2. *q.* 19. *art.* 9.

Vel ſecundò reſponderi poteſt ex doctrina D. Thom. *q.* 4. *de Virtutibus art.* 4. *ad* 2. vbi triplex malum diſtinguit, pœnæ, ſcilicet, culpæ, & naturalis defectus infinitè à Deo diſtantis, & aſſerit, quòd quia hoc malum nunquam tollitur; ideò timoris donum non amittitur in Patria. Qua ſuppoſita doctrina, ad auctoritatem in contrarium adductam reſpondeo, D. Th. nomine mali eſſentialiter, ſeu principaliter inſpecti à timore, non ſumere malum pœnæ, aut culpæ, ſed malum naturalis defectus, quod per donum timoris ſubijcitur Deo, ex conſideratione eminentiæ diuinæ: & hoc verum eſt reſpici principaliter ab habitu doni timoris: nam illius actus eſt ſubiectio reuerentialis ad Deum ob eminentiam ipſius, ad quam ſubiectionem naturalis defectus comparatus in recto, & Deus, atque eminentia diuina comparantur in obliquo: & idcirco habitus doni timoris excluditur à ratione virtutis Theologicæ. Quæ ſolutio meo videri eſt omnibus præferenda. 91 *Reſpond. 2.*

Duo tamen contra illam videntur obſtare. Primum, verba illa D. Thom. *Proprium, & principale obiectum timoris eſt malum, quod quis refugit*. Et paucis interpoſitis *Timor autem principaliter reſpicit malum, cuius fugam importat, &c.* Quibus manifeſtè indicatur, loqui D. Th. de malo pœnæ, aut culpæ, non de malo naturalis defectus; nam hoc malum non eſt quod quis per timorem refugit; benè tamen illud prius. Secundum eſt: nam iuxta D. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 1. ſic comparatur diuina eminentia, ſeu Dei iuſtitia ad timorem, ſicut omnipotentia ad ſpem; & conſequenter ſicut hæc in recto à ſpe reſpicitur, & eſt obiectum formale illius: ita eminentia, ſeu iuſtitia diuina in recto, & tanquam formale obiectum reſpicitur à dono timoris; ſed quod eſt formale obiectum, principalius ad habitum comparatur, quam obiectum materiale; ergo naturalis defectus non eſt principale obiectum timoris, ſed eminentia diuina. 92 *Inſtantia contra ſolutionem ex S. Thom.*

Hæc tamen parum vrgent. Ad primum reſpondeo, loqui D. Thom. de fugiendo per modum materiæ mali non per modum mali; licet autem naturalis defectus, non terminet fugam per modum mali fugiendi; terminat tamen illam per modum materiæ mali, quod quis refugit; eſt enim materia comparanda cum Deo, cuius comparationem fugimus per donum timoris. Vndè ſenſus D. Th. eſt: proprium, & principale obiectum timoris eſt malum, quod quis refugit comparare, ideſt, naturalis defectus, quem quis refugit comparare cum diuina maieſtate; & adhuc iſto modo intelligendum eſt, non *reduplicatiuè*, ſed *ſpecificatiuè*; non enim eſt naturalis defectus principale obiectum timoris ſub ratione doni, vt materia comparationis cum Deo, quæ malum culpæ eſt, ſed vt materia ſubiectionis reuerentialis ad ipſum. 93 *Reſp. ad primum.*

Ad ſecundum dicatur, obiectum doni timoris eſſe duplex: *quo*, videlicet, & *quod*: obiectum *quo* eſt eminentia diuina: obiectum *quod* eſt Deus, & naturalis defectus, Deus in obliquo, naturalis defectus in recto. Comparatio porrò D. Thomæ non eſt propriæ paruitatis cum eminentia diuina, quatenus obiectum *quo*, ſed cum Deo, prout ſe tenet ex parte rationis *quo*: & in hac comparatione principaliter ſe habet naturalis defectus, vtpotè, ingrediens in recto, & minus principaliter Deus, qui tantum ingreditur in obliquo: ſicut cultus Deo exhibitus, principalius comparatur ad virtutem religionis, quam Deus, cui exhibetur cultus, quia iſte in recto ſe habet; Deus vero tantum in obliquo. Cætera, quæ contra iſtam concluſionem poſſunt opponi facilem ex dictis ſolutionem accipiunt. 94 *Ad ſecundum.*

---

§. Vltimus,

Breuis difficultas reſoluitur,

DVBITARI poterat ſecundò, an in Chriſto fuerint Gratiæ gratis datæ. Sed res eſt facilis, quæ longa diſcenſione non indiget; cum enim perfectionem 95 *Gratia gratis datas fuer*

runt in animum Chriſti Domini Duplex obiectio diluitur. *S. Thom.*

nem dicant abſque imperfectione repugnante cum beatifica viſione, aut cum vnione hypoſtatica in Chriſto ſunt admittendæ. Ne referet, ſi opponas primò, Chriſto ratione diuinitatis omnia eſſe debita: ergo Gratiæ gratis datæ non ſunt admittendæ in illo Nam reſpondet D Thom. *art.7. ad 2.* eſſe debitas ratione diuinitatis: non tamen ratione humanitatis: vndè ed illam ratione ſui comparatæ, gratiæ gratis datæ retinent nuncupationem. Si opponat ſecundò, fidem repugnare Chriſto ratione obſcuritatis; ſed etiam de ratione gratiæ fidei eſt obſcuritas: ergo etiam repugnat Chriſto. Qua argumento conuictus Gregorius de Valentia *in præſenti punct.5.* negat, fuiſſe in Chriſto gratiam fidei. Sed fallitur, nam de ratione iſtius gratiæ non eſt obſcuritas rerum fidei, ſed certiſſima illarum cognitio, aut conſtantia in confeſſione veræ doctrinæ, quorum neutrum Chriſto repugnat.

Valent.

96 *Arguitur contra gratiam prophetiæ.*

Si denique opponas, prophetiam in Chriſto non fuiſſe; ergo non omnes gratiæ gratis datæ extiterunt in illo. Probatur antecedens primo: quia obſcuritas eſt de ratione prophetiæ; Chriſtus autem habuit plenam, & apertam omnium notitiam: ergo non fuit in illo donum prophetiæ. Secundò: nam beati annuntiantes nobis ea, quæ procul ſunt à noſtra cognitione, non ſunt, nec dicuntur prophetæ: ergo nec Chriſtus eſt dicendus Propheta, quia à primo conceptionis inſtanti fuit perfectè beatus. Tertiò; nam Chriſtus eſt Deus; Deus autem Propheta non eſt; & conſequenter nec Chriſtus. Quartò; nam Baptiſta appellatur plus quam Propheta: ergo potiori iure Chriſtus non debet dici Propheta, ſed plus quam Propheta. Quinto probatur ex illo Petri *epiſt.2 cap 1. Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Ex quibus verbis duo colligi videntur prophetiam à Chriſto excludentia. Primum eſt, caliginoſam, & obſcuram eſſe. Secundum, ſolum in huius ſæculi nocte duraturam; & conſequenter per diem cœleſtem beatitudinis excludi: ac proindè in Chriſto non fuiſſe, vtpotè, cui caliginoſa, & obſcura cognitio repugnauit, & ab initio ſuæ conceptionis fuit perfectè beatus.

2. Pet. c. 1.

97 *Reſpōdet. fuiſſe gratiā prophetiæ in Chriſto, & probatur.* *Abulen.* *S. Thom.* *Auguſt.* *Ambroſ.* *Cyrill.* *Origen.*

Reſpondeo, negando antecedens; Chriſtum enim fuiſſe verè, & propriè Prophetam tenent communiter Theologi cum Angelico Doctore *in præſenti*. Vndè audiendus non eſt Abulenſis *Numerorum cap. 11. q.64.* docens, non fuiſſe verè, & propriè Prophetam; oppoſitum enim, præter Theologos Scholaſticos cum D. Thoma *in præſenti*, docent ex PP. Auguſtinus *Tract.5. in Ioannem, & lib.16. contra Fauſtum cap.18.* Ambroſius *Sermon. 8. in Pſalm. 118.* Cyrilius *lib.8. contra Lucianum*. Iſidorus *libr.7.* Origen. *cap. de Filio Dei,* Hieronymus *in cap.1. Hieremiæ*, & alij; quos referunt Commentatores D. Thom. *in præſenti*; conſtatque ex illo Deuteronomij 18. *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris.* Quem locum de Chriſto intelligi, licet negent Iudæi, affirmant conſtanter Patres, & Auguſtinus *lib. 16. contra Fauſtum cap. 18.* D. Thomas *in præſenti art.8. in arg. ſed contra.* Et quod magis eſt Petrus *Actor.3.* prædictum teſtimonium, vt à Moyſe dictum refert de Chriſto: at intelligendum eſt in rigore; cum ex inde nullum inconueniens ſequatur: ergo.

Hieron. Commen. D. Thom. Deu. c. 18 S. Aug. S. Thom. Actor. 3.

98 *Ad primā aſſumpti probationē reſpōd.* *Ad ſecundam.*

Ad primam antecedentis probationem, nego antecedens cum D. Thom. *art 8. ad 1. & 2. argument.* nam licet Prophetia permittat obſcuritatem; illam tamen ab intrinſeco non petit, ſed quandoque obſcura eſt, & aliquando clara. Ad ſecundam conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia, vt docet D. Thom. *art.8. in corp.* non poteſt aliquis dici Propheta ex hoc, quod annuntiet ea, quæ ſunt alijs procul, cum quibus ipſe non eſt: vnde Propheta dicitur procul videns, ideſt, videns ea, quæ remota ſunt a ſenſibus, & cognitione illorum, cum quibus conuerſatur, de quo videndus eſt D. Thomas 2. 2. q. 171. *art.1.* Quia ergo beati in ſtatu viatorum non communicant nobiſcum; benè tamen Chriſtus, hinc fit beatos, etſi nobis aliquid annuntient, Prophetas propriè non eſſe; benè verò Chriſtus, qui ſimul erat viator, & comprehenſor.

99 *Ad tertiā.* *Ad quartum.*

Ad tertiam, nego conſequentiam, quia ex præmiſſis tantum colligitur, Chriſtum, in quantum Deum, non fuiſſe Prophetam; non verò, quod Propheta non fuerit ſecundum humanitatem. Ad quartam, concedo antecedens, & conſequentiam; exindè tamen non ſequitur, non fuiſſe propriè Prophetam, ſed tantum, quod fuerit excellentiſſimus omnium. Nec Ioannes idcirco aſſeritur plus quam Propheta, quia propriè Propheta non fuerit; ſed quia in hoc alios exceſſit, quod Chriſtum, quem cæteri Prophetæ vt futurum annuntiarunt: digito ipſe demonſtrauit.

100 *Ad vltimam.*

Ad vltimam probationem dicatur, ex illo teſtimonio non colligi, propheticam cognitionem caliginoſam eſſe, & obſcuram, ſed teſtimonia prophetica, quæ nobis obſcurè reuelantur, quæ Prophetæ clarè aliquando cognoſcunt, illiſque teſtimonijs nos attendimus per fidem in nocte præſentis ſæculi, & hæc euacuabitur in Patria. Prophetia etiam ceſſabit, non ratione obſcuritatis pugnantis cum viſione beatifica, ſed quia petit ſtatum viatoris. Ex quo ſequitur, Chriſtum modò non eſſe Prophetam, quia iam viator non eſt. Cur autem Propheta dici non poſſit, etſi non reſpectu noſtri; reſpectu tamen Beatorum, cum quibus in ſtatu communicat, cum aliquid illis reuelat, eſt *alibi* examinandum. Breuiter pro nunc reſpondetur, ideò non eſſe Prophetam; quia donum prophetiæ ordinatur ad vtilitatem aliorum, ea verò, quæ beatis ſunt vtilia, omnes cognoſcunt ex vi viſione beatificæ, vt ſuppono *ex 2. parte quæſtione 12. art.8.* reſpectu cuius cognitionis nihil procul eſſe dicitur. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 3. diſtinct. 34. §. 2.* ad illa verba: *In Chriſtu etiam hæc eadem fuiſſe, &c.*

M. Sent.

DIS-

DISPVTATIO VIGESIMA SEXTA.

An Gratia Chriſti fuerit ſub aliqua ratione ſimpliciter infinita?

§. I.

Relatis ſententijs, prima concluſio ſtatuitur.

1 *Gratiam Chriſti nõ fuiſſe ſimpliciter infinitam in eſſe entis nec in eſſe qualitatis ſupponitur.*

GRATIAM CHRISTI non fuiſſe ſimplicitèr infinitam, nec in ratione entis, nec in ratione qualitatis, vt indubitatum ſupponimus. Id namque infinitum dicitur in ratione entis, quod in ſe còntinet totius entis plenitudinem, & in ratione qualitatis, quod omnis qualitatis continet pèrfectionem; gratia autem Chriſti, nec totius entis, nec omnis qualitatis perfectionem continet; ergo non eſt infinita ſimpliciter, nec in ratione entis, nec in genere, ſeu ratione qualitatis. Cum quo tamen ſtat, vt rectè animaduertit Vincentius *de Gratia Chriſti q. 3. art. 2. pag. 204.* quòd ſi in ratione gratiæ in linea phyſica foret infinita, poſſet, & deberet dici entitas, & qualitas infinita: quia ad hoc tantum petitur, quod in aliquo genere, vel ſpecie, aut ratione ſub genere entis, & qualitatis contenta infinitatem ſimpliciter talem ſortiatur: ſicut miſericordia, etiam vt ab alijs attributis virtualiter diſtincta, dicitur entitas diuina infinita, quamuis inſpecta prout ſic non præcontineat formaliter omnem diuinæ *Vincent.* entitatis perfectionem. Et ratio à priori traditur à Vincentio vbi *ſupra*, quia in hac loquutione, *gratia eſt infinita entitas*, non fit ſenſus reduplicatiuus ſupra entitatis rationem.

2 *Nec fuit infinita ſimpliciter in ratione ſpecifica gratiæ.*

Ex quò per conſequentiam Mihi efficacem infertur, nec fuiſſe gratiam Chriſti ſimpliciter infinitam in ratione ſpecifica phyſica gratiæ: ſupponimus namque cum communi Theologorum ſententia, gratiam Chriſti eſſe eiuſdem ſpeciei phyſicè conſideratam cum gratia habituali noſtra. Ex quo ſic argumentamur: id eſt infinitum ſimpliciter in ratione ſpecifica gratiæ phyſicè conſiderata, quòd in ſe continet formaliter omnem huius ſpeciei perfectionem: at gratia habitualis Chriſti, non continet in ſe ipſa formaliter omnem perfectionem ad ſpeciem gratiæ ſpectantem; non enim continet formaliter in ſe ipſa perfectionem gratiæ noſtræ: ergo non eſt infinita ſimpliciter in ſpecie phyſica gratiæ.

3 *Explicatur difficultas, & prima ſententia refertur. Maior. Mald. Hurt. Meras.*

His breuiter præſuppoſitis, quod in examen vertimus eſt, an gratia Chriſti in ratione gratiæ aliquam infinitatem ſimpliciter talem habuerit? Qua in re variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima docet, fuiſſet intentionis actu, & cathegorematicè infinitæ. Hanc tenent Maior *in 3. diſtinct. 13. quæſt. 3.* Almainus *quæſt. 1.* aſſerens, fuiſſe Scholæ Pariſienſi communem, Maldonatus *Lucæ 2. verſu 40.* Hurtadus *in præſenti diſp. 48. ſect. 2.* & in eam inclinare videtur Meratius *diſp. 23. ſect. 4.* alijque Recentiores ſequuntur. Secunda docet, fuiſſe infinitam phyſicè in ratione gratiæ, non ab intenſione infinita, ſed à quodam modo ex vnione ad Verbum refuſo, qui infinitus eſt ſimpliciter, gratiamque in ratione gratiæ reddit phyſicè infinitam ſimpliciter. Hanc tenent quidam, quos ſine nomine refert Vincentius *de Gratia Chriſti q. 3. ar. 2. pag. 110.*

Secunda ſententia. *Vincent.*

4 Tertia. *Vazq. Lorca. Lugo.*

Tertia docet, nec phyſicè, nec moraliter fuiſſe infinitam ſimpliciter. Ita Vazquez *diſpu. 46. cap. 2. & 3.* Lorca *diſput. 32.* Lugo *diſp. 16. ſect. 6.* & frequentius Recentiores. Quarta docet, fuiſſe finitam phyſicè, infinitam vero moraliter. Hanc tenent Medina *in præſenti art. 11. concluſ. 3. & 4.* Vincentius vbi *ſupra concl. 6. pag. 212.* & Suarez *diſp. 22. ſect. 1. concl. 1. & 2.* Quam ſententiã diuerſimodè explicant; nam Suarez infinitatem iſtam explicat penès habitudinem ad ſubiectum, quatenus gratificandum: ait enim, ex coniunctione ad Verbum accepiſſe moralem quandam dignitatem, ratione cuius animam Chriſti infinitè gratam reddebat. Vincentius, non reſpectiuè ad ſubiectum, ſed penès habitudinem ad meritum infinitum explicat iſtam infinitatem, quatenus per illam principium infiniti meriti conſtituta fuit gratia Chriſti, & penès habitudinem ad infinitam æſtimationem, cuius digna fuit Chriſti gratia propter coniunctionem ad Verbum. Medina verò infinitatem iſtam conſtituit in gratia Chriſti penès habitudinem ad effectus, quos cauſat, quatenus ex coniunctione ad Verbum habuit eſſe principium gratificandi Angelos, & homines ſine termino: & penès habitudinem ad gratiam vnionis, ad quam fuit congrua, etſi conſequens diſpoſitio. Quas omnes infinitates morales explicat, & defendit Nazarius *in præſenti controuerſ. vnic.* alijſque Recentiores ex noſtris eidem adhærent ſententiæ.

Quarta ſententia diuerſimodè explicata. *Medin. Vincent. Suar. Vincent. Medin. Naza.*

5 *Prima concluſio.*

PRIMA CONCLVSIO. *Si non repugnaret qualitas infinitè intenſionis in actu, Gratia Chriſti hanc infinitatem habuiſſe.* Ita Medina, Vincentius, Nazarius, Suarez, & frequentes Recentiores Thomiſtæ, qui ex eo probant, Gratiam Chriſti non fuiſſe infinitè intenſam, quia qualitas infinitè intenſa repugnat. Et probatur primò: quia ſi Chriſtus ſuis meritis fuiſſet aſſequutus gratiam habitualem, & foret poſſibilis infinita intenſio in actu, illam ſuis meritis obtinuiſſet: ergo etiam, ſi abſque meritis proprijs gratiam habitualem obtinuerit, ſi foret poſſibilis infinita extenſio gratiæ, de facto ei fuiſſet infinitè intenſa infuſa. Patet conſequentia; aliàs melius fuiſſet Chriſto gratiam per merita, quam ſine meritis, obtinere, & huiuſmodi exceſſu ſine cauſa fuiſſet priuatus, quod dicendum non eſt. Antecedens autem probatur; nam illius merita infinitam intenſionem haberent, & condignitatem quoad ſufficientiam, & aliàs abſque fundamento pactum ex parte Dei, & ex parte Chriſti ordinatio ad illam promerendam negaretur; ergo illam ſuis meritis infinitè intenſam obtinuiſſet.

Probatur primò.

6 *Secundò.*

Secundo probatur; nam gratia infinitè intenſa, humanitatem Chriſti ob illius coniunctionem ad Verbum decebat, & aliàs eſſet poſſibilis: ergo de facto illius humanitati fuiſſet infuſa. Dices primò, non ſequi, fore infinitè intenſam gratiam habitualem in Chriſto, quia ad finem redemptionis neceſſaria non erat, vtpotè cum non ex illa, ſed ex gratia perſonali infinitas meritoria, & ſatisfactoria ſumatur. Sed contra; nam ſequitur ex hac ſolutione, non fuiſſe Chriſto habitualem gratiam infuſam: conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Patet ſequela: non erat ad finem redemptionis neceſſaria ſimpliciter, & aliàs decentia ex gratia perſonali ſumpta non arguit infuſionem illius: ergo non fuit in Chriſto gratia habitualis. Secundò, quia gratiæ habitualis infuſio in primò conceptionis inſtanti ad finem redemptionis neceſſaria non fuit; & tamen, quia humanitatem Chriſti ob Verbi dignitatem decebat, omnes Theologi fatentur, eam ab initio conceptionis habuiſſe: ergo ſi gratia infinitè intenſa fuit decens, etiam ſi ad finem redemptionis neceſſaria non fuiſſet, aſſerendum eſt, fuiſſe infinitæ intenſionis.

Reſpondebis primò. Contra primò. Contra ſecundò.

7 *Reſpondebis ſecundò.*

Reſpondebis ſecundò, non decuiſſe gratiam infinitè intenſam humanitatem Chriſti, quia cum Chriſtus per illam conſtituatur Caput Eccleſiæ, inter caput autem, & mem-

& membra debeat eſſe proportio, ne caput monſtruoſum ſit, oportuit, vt gratia illius habitualis infinitè intenſa non fuiſſet; quia inter finitam noſtram gratiam, & gratiam Chriſti infinitam proportio non eſſet.

8 *Sed contra primò.* Sed contra primò: nam licet inter infinitum, & finitum non ſit proportio quantitatiua; eſt tamen eſſentialis proportio, quando finitum, & infinitum ad eandem ſpeciem pertinent; ſed abſque fundamentum petitur maior proportio inter caput, & membra, quam eſſentialis proportio: hæc enim ſufficiat ad monſtruoſitatem vitandam: ergo ex defectu proportionis malè colligitur, non decere humanitatem Chriſti gratiam infinitè intenſam.

9 *Secundò.* Secundò, nam ſi ob aliquam rationem gratia infinitè intenſa redderet Chriſtum Caput Eccleſiæ monſtruoſum, & ideò ipſum non deceret, maximè, quia caput naturale infinitæ quantitatis monſtruoſum eſſet in corpore quantitatis finitæ: at hæc ratio nulla eſt: ergo & inſufficiens ſolutio. Probo minorem: caput naturale adæquans totius corporis, & membrorum illius quantitatem, foret abſque dubio monſtruoſum, cum debita membrorum corporis humani, & aliorum animalium proportio petat oppoſitum; & tamen gratia habitualis, per quam Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, totius corporis Eccleſiæ, & membrorum eius, intenſionem gratiæ adæquat, imo excedit in communi Theologorum ſententia, quin ex hoc monſtruoſitas aliqua in Chriſto Eccleſiæ Capite colligatur: ergo pariter, ex eo quod caput naturale infinitæ quantitatis in corpore quantitatis finitæ foret monſtruoſum, perperam in Chriſto Capite, ſimilis monſtruoſitas ex infinita gratiæ intenſione colligitur.

10 *Denique reſpondebis.* Denique reſpondebis; gratiam infinitè intenſam decenter potuiſſe humanitati Chriſti concedi, & decenter potuiſſe negari, & ſi negaretur, decenter negaretur, cum Deus nihil indecens poſſit efficere; ac proindè ex decentia infinitæ intenſionis, non rectè inferri, quòd ſi foret poſſibilis, eſſet humanitati Chriſti concedenda. *Contra primò.* Sed contra primò: nam eſto, Deo negante gratiam infinitam Chriſto decens foret talis negatio, cum Deus nihil priuatiuè indecens poſſit efficere; negari tamen non poteſt magis humanitatem Chriſti decere infinitam gratiæ intenſionem, ſuppoſito, quod poſſibilis eſſet: ergo aſſerendum eſt, fore humanitati infundendam.

11 *Secundò.* Secundò: nam etiam, Deo negante, vt potuit gratiam habitualem Chriſto, vel ad ſemper, vel in primo inſtanti conceptionis, talis negatio eſſet decens; & tamen, quia attenta dignitate Verbi terminantis humanitatem, decentior eſt gratiæ infuſio, omnes Theologi fatentur, de facto fuiſſe humanitati Chriſti in primo ſuæ formationis inſtanti conceſſam: ergo pariter, quamuis, ſuppoſita poſſibilitate infinitæ intenſionis in gratia, Deo illam negante, talis negatio eſſet decens, quia tamen decentior illius infuſio foret, aſſerendum eſt, fuiſſe infuſam.

---

§. II.

Obiectionibus occurritur.

12 *Contra concluſionem urgetur.* OPpones: quòd gratia habitualis Chriſti foret infinitæ intenſionis, poſſibilitate infinitæ intenſionis ſuppoſita, pendet ex libera voluntate Dei; & conſequenter haberi non poteſt, niſi aut ex reuelatione diuina, aut ex aliquo effectu, ad quem foret neceſſaria, aut ex decentia ad humanitatem Chriſti: at reuelatio diuina non extat, vt per ſe manifeſtum videtur nec datur effectus aliquis, ad quem neceſſaria fuerit; meriti namque & ſatisfactionis infinitas, quæ ſola poſſet infinitam gratiæ intenſionem exigere à gratia habituali non ſumitur, & decentia ad humanitatem inſufficienter illius exiſtentiam inducit: ergo, data poſſibilitate infinitæ intenſionis in gratia non ſequitur, gratiam habitualem Chriſti fuiſſe de facto infinitam. Minor pro tertia parte, in qua ſola eſt difficultas, oſtenditur primò; nam iuxta Auguſtinum *Minor pro tertia parte oſtenditur 1.* *lib. 3. de libero arbitrio cap. 5.* multa Deus decenter, & congruè facit, aut omittit, quæ, vel ſi non omitteret, vel non faceret, decentiſſimè, & congruentiſſimè ſe haberent: ergo ex maiori ad humanitatem decentia, non ſequitur, fore illius habitualem gratiam infinitæ intenſionis.

13 *Secundò.* Secundò, nam Deus eſto ſit neceſſitatus, quoad ſpecificationem ad decens; non tamen tenetur, ſemper ea, quæ decentiora, aut meliora ſunt, aut apparent, efficere: ergo quamuis infuſio infinitæ intenſionis gratiæ poſſibilis eſſet humanitati decentior, poſſet nihilominus illam humanitati Chriſti negare. *Tertiò.* Tertiò, nam fuit poſſibilis gratia intenſior ea, quam de facto habuit Chriſtus, illiuſque dignitatem decebat; & tamen non fuit illi de facto communicata: ergo. *Quartò.* Quartò, nam etiam eſſet decens dignitatem Chriſti omnia poſſibilia in Verbo, aut extra Verbum videre, eſſetque poſſibilis in probabili ſententia omnium poſſibilium cognitio; & tamen Chriſtus talem cognitionem non habuit: ergo idem, quòd prius.

14 *Quintò.* Quintò, nam etiam eſſet decens dignitatem Chriſti, vt illius intellectus per increatam cognitionem diuinam eſſentiam videret, idque poſſibile eſſe plures affirmant; & tamen de facto per ſcientiam increatam, Dei eſſentiam non cognouit: ergo non omne poſſibile decens Chriſti humanitatem fuit de facto illi conceſſum. *Vltimò.* Denique, nam Patrem, & Spiritum Sanctum carnem aſſumere non repugnat, potuitque ſub merito Chriſti cadere, ipſumque; decebat tale præmium ſuis meritis obtinere, quod de facto non contigit: ergo ex decentia infinitudinis gratiæ intenſiuæ, & ex data hypotheſi poſſibilitatis illius, non ſequitur de facto fuiſſe humanitati Chriſti conceſſam.

15 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo primò, negando minorem pro prima parte: ſi namque eſſet poſſibilis infinita intenſio gratiæ habitualis, congruentius, & cum maiori rigore explicarentur ex teſtimonia Scripturæ, quibus Chriſtus plenus aſſeritur gratiâ, illique ſpiritum ad menſuram datum non fuiſſe, gratia infinitè intenſa illius humanitati conceſſa, quam tali infinitate negata. Vndè, ex illis teſtimonijs ſufficiente illatione colligitur, fuiſſe infinitam intenſiuè gratiam Chriſti, ſi iſta infinitas non repugnat. Quod, ſi modò non colligitur, eſt, quia ita rigoroſam interpretationem non patiuntur, quia ſequitur inconueniens implicationis infinitudinis gratiæ intenſiuæ.

16 *Reſpondetur 2.* Vel ſecundo reſpondetur, negando tertiam partem minoris: ad primam probationem dicatur, duplicem eſſe decentiam, alteram honeſtatis in actu, & ad Deum operantem, deſumptam ex parte finium, quos Dei voluntas intendit: alteram deſumptam per comparationem ad ſubiectum, cui ſuas perfectiones communicat. Licet autem plura, quæ Deus decenter facit, decentius fortè poſſet omittere ob aliquos fines altiores, qui Deo ſoli ſunt noti; plura tamen Deus facit, quæ ſi facere omitteret, non ita decenter, hoc eſt ita conuenienter ad ſubiecta operaretur: ſi namque homini riſibilitatem negaret, vt potuit, non ita conuenienter ad hominis naturam ſe gereret, ſicut ad homini riſibilitate conceſſa. Et licet Deus non teneatur decentiora naturis rerum concedere, ſua vi ex abſoluta potentia; ſi tamen oppoſita voluntas, non conſtet, ſemper congruentèr ad naturas rerum operari opinamur.

17 *Ad ſecundã minoris probationem.* Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: de potentia abſoluta, concedo conſequentiam: lege Dei ordinaria attenta, nego conſequentiam. Et licet gratia non ſit proprietas phyſicè conſequuta ad vnionem; eſt tamen ad illam conſequuta moraliter: & ſicut, quamuis Deus poſſit illam humanitati Chriſti negare; illam tamen de facto conceſſit, quia Deus taliter erga Chriſtum ſe geſſit, vt omnia dona non repugnantia vnioni, nec beatificæ viſioni conceſſerit, iuxta communem Theologorum ſententiam, & hoc ob dignitatem Verbi terminantis humanitatem: ita, etſi gratia infinita, paſſio phyſica non ſit; quia tamen eſt donum cum nullo illorum repugnans, & humanitatem decens; rectè inferimus, de facto conceſſam fuiſſe, ſi hypotheſis non repugnat.

18 *Ad tertiam.* Ad tertiam, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam: nam qualibet de facto data, eſt intenſior gratia poſſibilis; vndè oportuit, vt terminum diuina voluntas præfigeret; noſtrum enim argumentum ſolum probat in perfectione decente, & cum termino poſſibili. *Ad quartam.* Ad quartam, nego ſecundam partem maioris: quia ſi poſſibilis eſſet omnium poſſibilium cognitio de facto Chriſtus omnia poſſibilia cognoſceret, aut in Verbo, aut extra *Ad quintam.* Verbum. Et eodem modo reſpondetur ad quintam, impla-

implicare omninò intellectum Chriſti creatum increata cognitione, Dei eſſentiam intueri. Imò, iuxta alios, iſta implicatio à poſteriori colligitur, ex eo quod de facto Deum per increatam cognitionem non viderit, vt docet communis PP. & Scholaſticorum conſenſus.

19 *Ad vltimam reſpondetur primò.* Ad vltimam reſponderi poteſt primò fortè, non decuiſſe Chriſtum, qui principaliter ex fine redemptionis fuit miſſus, Incarnationem Patris mereri. Quia eo ipſo, cum præmium infinitum foret, actio Chriſti hoc præmio remunerata adæquatè, nihil nobis promeruiſſet, & non decebat dignitatem Chriſti, vt Redemptoris, qui totus nobis veniebat, quod aliquo ex ſuis actibus, nihil ad noſtram redemptionem conducens obtineret.

20 *Secundò.* Vel ſecundò reſpondetur, id quod magis Chriſtum decet, Deum operatum fuiſſe niſi oppoſitum ſit reuelatum, qualiter, reſpectu Incarnationis Patris, aut Spiritus Sancti contingit; ſecus autem de infinita gratiæ intenſione, cuius negatio ex nullo teſtimonio Scripturæ colligitur. *Tertiò.* Vel tertiò dicatur, decentiam illam eſſe tantum extrinſecam; Nos autem loquimur de decentia formæ intrinſecæ; & ſic Deum ſe geſſiſſe cum Chriſto, vt de donis intrinſecè perficientibus nullum negauerit, niſi repugnat cum viſione beatifica, aut hypoſtatica vnione, aut illius dignitatem dedeceat, aſt concors PP. & Scholaſticorum conſenſus: non ſic de his, quorum maior, aut minor decentia, extrinſecè comparatur ad Chriſtum.

---

§. III.

Gratiam habitualem non fuiſſe in Chriſto infinitæ intenſionis, probatur.

21 *Secunda concluſio.* SEcunda Concluſio. *Gratia habitualis, non fuit intenſionis infinitæ cathegorematicè in Chriſto, quia repugnat intenſio cathegorematicè infinita, nec etiam fuit phyſicè infinita modaliter.* Ita Auctores tertiæ, & quartæ ſententiæ. *Primam partem concluſionis probat Vazquez.* Primam concluſionis partem probat Vazquez, in hunc modum. Si namque gratia infinitæ intenſionis non repugnaret in Chriſto, nec in pura creatura implicaret, cum potentia obedientialis eiuſdem rationis ſit in Chriſto, & in qualibet pura creatura; ſed implicat in pura creatura gratia infinitæ intenſionis: ergo implicat etiam in Chriſto. Probat minorem: implicat hominem gratum non poſſe in dies in gratia, & ſanctitate creſcere; ſed ſi in pura creatura daretur gratia infinita, non poſſet in ſanctitate creſcere: ergo implicat in pura creatura infinita intenſio gratiæ. Minor conſtat, eo quod, etſi infinito ſecundum multitudinem poſſit aliquid addi, & ob id non fiat maius, infinito aut intenſione, aut magnitudine, non poteſt additamentum fieri, quia huiuſcemodi infinita non habent extremum, ex parte cuius additamentum fiat. Maiorem autem probat: quia per gratiam adoptionis homo ſolo affectu coniungitur Deo; ſed implicat ita eſſe Deo per affectum coniunctum, quin poſſit benè operari; & conſequenter magis per affectum coniungi; negari namque non poteſt hominem benè operantem, magis Deo placere; & conſequenter magis Deo per affectum coniungi, quam ſi otioſus, ab omni opere bono ceſſaret: ergo implicat hominem adeò gratum exiſtere, quin poſſit magis, ac magis gratificari; & in gratia, & ſanctitate creſcere.

22 *Prædicta ratio reijcitur primò.* Hoc tamen argumentum, quod ſolum potuit prædicto Auctori placere, diſplicet communiter Theologis, non ſolum exteris, ſed etiam domeſticis. Et reijcitur primò: nam incrementum gratiæ habitualis non fit per bona opera in genere cauſæ formalis, vel phyſica efficientia, eſſentialique connexione efficientis, ſed ſolum in genere cauſæ meritoriæ, & efficientis moraliter; ſed cum cauſa meritoria, non eſt eſſentialiter annexum præmium: ergo cum incremento, & multiplicatione operum hominis iuſti, non eſt eſſentialiter annexum incrementum habitualis gratiæ: & conſequenter, ex eo quòd omnis homo iuſtificatus poſſit moralitèr benè operari, non ſequitur debere in habituali gratia creſcere magiſque coram Deo iuſtificari.

23 Deindè, nam Chriſtus de facto ſuis bonis operibus non fuit magis iuſtificatus coram Deo; non enim creuit in gratia, ſed ab initio illam habuit cum omni intenſione, de ordinaria lege poſſibili: ergo bonis operibus hominis iuſtificati, non eſt eſſentialiter incrementum gratiæ annexum; & conſequenter poſſet homo gratia adoptionis iuſtificatus, non creſcere in ſanctitate per opera in Deo facta. *Secundò.*

24 *Reſpondet Vazquez.* Reſpondet Vazquez vbi *ſupra cap. 2, num. 8.* conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Et rationem diſcriminis reddit; nam homo purus adoptionis gratia ſanctus, ſolo affectu coniungitur Deo, & in hac coniunctione affectiua illius ſanctitas conſiſtit: & quia per bona opera neceſſariò magis per affectum Deo coniungitur, cum non poſſint bona opera non placere magis Deo: conſequens fit, quod non poſſit non creſcere in ſanctitate; ſanctificatio autem Chriſti non fit per vnionem effectiuam, ſed per realem vnionem ad Deitatem. Vnio autem ſolum effectiua præſtita ab operibus bonis, cum inferioris ordinis ſit ad ſanctificationem per ipſam Deitatem, nihilum poteſt addere; & idcirco bona opera à Chriſto facta non augebant illius ſanctitatem.

25 *Reijcitur primò.* Hæc tamen ſolutio omninò inſufficiens eſt, & reijcitur primò: nam ex doctrina, cui fidit tantum colligitur bona opera à Chriſto facta non auxiſſe ſubſtantialem eius ſanctitatem præſtitam à Deitate; non autem, quod per illam ſanctificatio accidentalis præſtita ab habituali gratia non creuerit: at iuxta communem Theologorum ſententiam, nec in ſanctitate accidentali creuit humanitas Chriſti: ergo ſolutio tradita argumenti vires non tollit, ſed in ſuo robore illud relinquit. Minor cum conſequentia tenet; maiorem autem probo: nam ideò ſubſtantialem ſanctitatem non augent quia ſunt inferioris ordinis ad illam, ſed non ſunt inferioris ordinis ad ſanctificationem accidentalem: ergo ſi augent puri hominis ſanctitatem incrementum etiam præſtant ſanctitati accidentali Chriſti.

26 *Secundò.* Secundò, & explicatur magis hæc ratio: Chriſtus duplici ſanctitate fuit ſanctus, ſubſtantiali, & accidentali, & in neutra ſanctitate creuit, vt cum D. Thoma *in præſenti art. 12.* docent Theologi communiter: at ſi bona opera hominis puri in Deo, & in ſtatu iuſtificationis facta, neceſſariò illius ſanctitatem augerent, Chriſtus ſucceſſu temporis in ſanctitate accidentali creuiſſet: ergo opera bona hominis iuſtificati non neceſſariò illum magis ſanctum conſtituunt. *Minor prob. 1.* Probo minorem primò: nam reſpectu ſanctitatis accidẽtalis Chriſti non ſunt inferioris ordinis: at iuxta iſtum Auctorem, ideò ſanctitatem ſubſtantialem non augent, quia inferioris ordinis ſunt: ergo augebunt ſanctitatem Chriſti accidentalem, cum qua in ordine conueniunt, ſi ſemel neceſſariò puri hominis ſanctitatem augent.

27 *Secundò.* Secundò, nam quia maior gratiæ intenſio auget puri hominis ſanctitatem, illumque magis ſanctum conſtituit, ſi fieret habituali gratiæ Chriſti ſanctitatem illius accidentalem augeret Chriſtumque magis ſanctum conſtitueret, tametſi non abſolutè, & comparatiuè ad gratiam ſubſtantialem; benè tamen cum addito, nempe, in ſanctitate accidentali, & comparatiuè ad ſanctificationem gratiæ habitualis: ergo, ſi bona opera puræ creaturæ ſanctificatæ per gratiam habitualem, neceſſariò illum reddunt ſanctiorem, bona opera à Chriſto facta, illum ſanctiorem conſtituent ſanctitate accidentali.

Tertiò. Tertiò: nam licet ſanctitati ſubſtantiali humanitatis Chriſti repugnet augmentum; non autem repugnat illius ſanctitati accidentali: ergo ſi bona opera hominis iuſtificati, vel in genere cauſæ efficientis, vel in genere cauſæ formalis neceſſariò augent ſanctitatem illius, etiam Chriſto, vt ſancto ſanctitate accidentali incrementum neceſſariò præſtabunt. Patet conſequentia; nam eadem forma eundem præſtat effectum, niſi ſubiectum ſit incapax.

28 *Vltimò.* Denique, nam Chriſtus per gratiam habitualem, etſi non coniungatur Deo, ſolo effectu, quia ly *ſolum* excludit coniunctionem realem ab altera forma factam; affectu tamen coniungitur: ergo ſi bona opera adduntur neceſſariò maiorem coniunctionem affectiuam ad ſanctificandum ſufficientem, neceſſariò ſuperaddent maiorem ſanctitatem accidentalem. Patet conſequentia: nam gratia habitualis ſanctificat humanitatem Chriſti, quia illam coniungit affectiuè Deo, etſi non cum excluſione alterius coniunctionis realis: ergo maior affectiua coniunctio, etſi non cum excluſione, bonis operibus facta,

erit

erit maior ſanctificatio, ſi ſemel affectiue bonorum operum coniunctio eſſet ad ſanctificandum ſufficiens.

29 *Secundò ab alijs probatur.* Secundò alij ſic arguunt: ſi gratia habitualis fuiſſet in Chriſto infinita, etiam lumen gloriæ fuiſſet infinitè intenſum; & conſequenter viſio beatifica foret infinitæ intenſionis; ſed implicat viſio beatifica, quæ ſit intenſiuè infinita, alias per illam comprehenderetur Deus, cum cognoſceretur, quantum cognoſcibilis eſt, in quo Dei comprehenſio conſiſtit; implicat autem, Deum finita cognitione comprehendi: ergo implicat gratia habitualis infinita in intenſione.

30 *Hoc argumentũ nõ vrget.* Sed nec ratio iſta eſt ſufficiens: nam conceſſis, gratia, lumine, & viſione intenſionis infinitæ, non ſequitur, Deum fore comprehendendum; nam ad comprehenſionem obiecti requiritur, quòd cognitio adæquet obiecti cognoſcibilitatem; & conſequenter quòd illius immaterialitatem adæquet; viſio autem creata, tametſi infinitè intenſa ſit, Dei immaterialitatem non adæquat, cum Deus actus purus ſit, omnem potentialitatem excludens; viſio autem creata intenſionis infinitæ, non eſſet actus purus, nec immaterialitatis infinitæ per eſſentiam; ac proindè non eſſet comprehenſiua Dei.

31 *Si dicas.* S. Thom. Si dicas: viſio infinitæ intenſionis cognoſceret Deum, & in ipſo omnia poſſibilia; ſed ex cognitione omnium poſſibilium in Deo, ſequitur Dei comprehenſio iuxta D. Thom. *infra quæſtione decima artic. ſecundo*, ergo eſſet comprehenſiua Dei. Reſpondeo negando maiorem; nam abſque eo quod omnia poſſibilia in Dei omnipotencia cognoſceret, illius infinitas poſſet ſaluari, per attingentiam infinitæ multitudinis poſſibilium in aliqua linea, de quo *loco citato* fusè tractandum.

32 *Suadetur prima pars concluſionis 1.* His ergo rationibus, & alijs prætermiſſis, breuitèr ſuadenda eſt prima pars noſtræ concluſionis, primò, quia, implicante lumine gloriæ infinito in intenſione, non poteſt non implicare gratia habitualis intenſionis infinitæ; ſed lumen gloriæ infinitè intenſum implicat: ergo etiam implicat infinita intenſio gratiæ. Diſcurſus eſt legitimus, & maior certa videtur: nam proprietates conſequuntur eſſentiam, eique debentur in proportionata, imò, & æquali intenſione: quo circa gratiam, vt duo conſequuntur virtutes in eadem intenſione; lumen autem gloriæ eſt proprietas gratiæ conſummatæ: ergo implicat intenſio gradualis gratiæ, ſi repugnat proportionata luminis intenſio; ac proindè, ſi implicat contradictionem infinita intenſio luminis, non poteſt non implicare infinita intenſio gratiæ.

33 *Minor prob. 1.* Minor autem oſtenditur primò: nam adæquata cauſa, ad quam radicaliter conſequitur lumen gloriæ, non eſt gratia habitualis, ſed conflatum ex illa, & intellectuali natura; & conſequenter, vt lumen euaderet infinitum, vtriuſque partis cauſæ radicantis lumen infinitas eſſet neceſſaria; nam infinitas effectus ex limitatione cuiuſuis partis cauſæ, à qua dependet, impeditur; ſed implicat natura intellectualis infinita: ergo, & lumen gloriæ infinitum.

Secundò. Secundò, nam repugnante viſione infinitè intenſa, & lumen infinitæ intenſionis repugnat, cum lumen ſit propter viſionem ſibi proportionatam, & adæquatam; & conſequenter lumen infinitè intenſum propter infinitè intenſam viſionem; ſed implicat viſio infinitæ intenſionis, cum adæquata eius cauſa ſit intellectus, & lumen; intellectus autem infinitæ perfectionis repugnet: ergo implicat etiam lumen infinitè intenſum.

34 *Secundò prob. pri. pars concluſionis.* Secundò probatur: implicat habitualis gratia, cui ab intrinſeco repugnet, ſui augmentum promereri, ſed hoc repugnaret gratiæ infinitæ intenſionis: ergo implicat intenſio infinita gratiæ. Illatio eſt legitima, ſed præmiſſæ indigent probatione. Maior probatur: nam gratiæ habituali conuenit ab intrinſeco eſſe principium meriti incrementi ſui ipſius, ſicut viuentibus naturalibus conuenit ab intrinſeco proprium augmentum cauſare: ergo implicat habitualis gratia, cui ab intrinſeco repugnet ſui augmentum principiare: ſicut quia viuentia petunt habere ab intrinſeco ſui augmenti principium, licet poſſit viuens ab augmento aliquando ceſſare, vel ab extrinſeco impediri; non tamen poteſt ab intrinſeco, viuenti repugnare ſuum augmentum cauſare. Minor etiam diſcurſus facti probatur: gratiæ infinitæ intenſionis repugnaret ab intrinſeco augeri: ergo etiam repugnaret illi ab intrinſeco ſui augmentum promereri.

35 Reſpondebis primò, gratiæ conuenire, quod ſit ſui augmentatiua ex prædicato ſpecifico. Quod autem ſui augmentum promereatur, repugnare ex infinita intenſione, quæ extra illius eſſentiam eſt, & ex diuerſis principijs benè poſſe eidem gratiæ competere eſſe ſui augmentatiuam, & repugnantiam augmenti. *Prima ſolutio.* Vel ſecundo reſpondebis, negando, quòd gratiæ infinitæ intenſæ vlterior intenſio repugnet, & conſequentèr, quòd ſit prædicti augmenti principium. *Secunda ſolutio.*

Sed neutra ſolutio ſatisfacit, & prima reijcitur: nam intenſio gratiæ eſt eiuſdem rationis cum gratia, vndè quo magis aucta, eò magis in ſui augmentum inclinat: ergo quod conuenit gratiæ ratione ſuæ eſſentiæ, non poteſt illi repugnare ex quacumque magna intenſione. Deindè contra ſecundam facit: nam infinito in eo ordine, & genere, in quo eſt infinitum, repugnat additionem fieri, aliàs eſſet vnum infinitum altero maius in eo ordine, & genere, in quo eſt infinitum, quod implicat; ſicut, & vnam lineam altera maiorem eſſe, eo ipſo quòd in ratione lineæ infinita ſit: ergo gratiæ infinitæ intenſionis repugnat incrementum intenſiuum: & conſequenter repugnat, quod in ſui augmenti meritum inclinet. 36 *Neutra ſatisfacit.*

Denique, vt alia omittam *ad tertium librum Phyſicorum, & ad primam partem quæſtione 7.* vbi fusè ſolet tractari, an repugnet infinitum in actu, ſuadetur prima pars concluſionis ratione D. Thomæ *in præſenti art. 11.* nam ex potentia limitata, & finita non poteſt accidens infinitæ intenſionis educi; ſed gratia habitualis inhærens animæ Chriſti educitur de potentia obedientiali illius, quæ eſt actu limitata, & finita; ergo implicat, gratiam habitualem Chriſti eſſe intenſiuè actu, & cathagorematicè infinitam. Conſecutio eſt legitima: minor pro prima parte communis Theologorum ſententia cum D. Thom. 1. 2. q. 112. *artic.* 3. aſſerentium, gratiam non creari, ſed educi de potentia obedientiali animæ; & conſequenter idem eſt dicendum de gratia habituali Chriſti. Pro ſecunda etiam nota videtur: nam potentia obedientialis eſt ab illius eſſentia indiſtincta, quæ finita, & limitata eſt; & conſequenter obedientialis potentia, etiam erit cathegorematicè actu finita. 37 *Denique ſuadetur ratione D. Tho.*

Maior autem oſtenditur primò: quia namque potentia limitata eſt, non poteſt recipere accidens infinitum ſpecificè, ſed eadem ratio eſt de infinitate intenſiua: ergo non poteſt accidens infinitæ intenſionis ex potentia limitata educi. 38 *Maior prob. 1.* Secundò, nam accidens limitatur à ſubiecto, in quo recipitur; ſed ſi potentia finita poſſet accidens infinitum recipere, non limitaretur ab illa: ergo non poteſt ex potentia receptiua finita, accidens infinitum educi. *Secundò.* Tertiò, nam eo ipſo, quod potentia ſit finita, accidens ex illa eductum, non poteſt eſſe infinitum in eſſentia; ſed cum finitate eſſentiæ, non ſtat infinitas intenſiua: ergo. *Tertiò.* Probatur minor: intenſio accidentis eſt modus accidentalis in illius eſſentia, ſicut in ſubiecto immediato, & connaturali receptus; ſed formalitas recepta limitatur à ſubiecto, in quo recipitur, & ex quo educitur connaturaliter: ergo cum limitatione potentiæ non ſtat intenſiua infinitas.

Nec refert ſi dicas, hoc argumentum ad ſummum, intentum conuincere de gratia actu educta de potentia obedientiali; non tamen de gratia creata, & animæ Chriſti vnita. 39 *Si dicas. In contrariũ obſtat* Non, inquam refert, nam licet poſſit Deus gratiam creare, & ſubiecto gratificando vnire, quin actu educatur ex illo; non tamen poteſt facere, quod gratia, quantumcuque creata, non dicat ordinem ad ſubiectum, vt potens, & petens ex illius potentia obedientiali educi, cum iſte ordo eſſentialis gratiæ ſit; ſed gratia infinita creata non poteſt hunc ordinem dicere, cum repugnet eo ipſo quod infinita ſit, educi de potentia finita; & conſequenter quod ordinem educibilis dicat: ergo non ſolum repugnat gratia infinita intenſiuè per eductionem facta, ſed etiam à Deo creata.

40 *Suadetur ſecunda pars concluſ. 1.* Deindè ſecunda pars concluſionis probatur primò ex Vincentio vbi *ſupra pag. 216.* quia iſte modus phyſicè infinitus non videtur in alio poſſe conſiſtere, quam in eo quod gratia, mediante anima, in qua reſidet, ſit terminata ſupernaturaliter à Verbo: at ex hoc non poteſt modus aliquis phyſicè infinitus in gratia Chriſti conſtitui; ergo talis modus phyſicè infinitus non datur. Probatur minor: nam iſta terminatio immediatius conuenit animæ Chriſti, illaque mediante ad proprietates, & cætera accidentia, tam ordinis ſupernaturalis, quam naturalis extenditur; & tamen ex illa non communicatur animæ modus phyſicè infinitus, per quem in ratione ani-

mæ phyſicè infinita conſtituatur, & idem de intellectu, voluntate ſcientia naturali, & ſupernaturali, necnon & de alijs accidentibus eſt dicendum; non enim ex hac terminatione mediata, fuit intellectus Chriſti modaliter phyſicè infinitus in ratione intellectus, nec voluntas Chriſti in ratione voluntatis, nec ſcientia naturalis Chriſti in ratione ſcientiæ eſt phyſicè infinita modaliter: ergo pariter gratia habitualis Chriſti ex iſta terminatione mediata non conſtituitur phyſicè infinita modaliter in ratione propria gratiæ.

41 *Secundò probatur.* Secundò, nam vel iſte modus, phyſicè reſultaret per neceſſariam reſultantiam à Verbo, aut liberè ab illo procederet: neutrum poteſt dici: ergo. Minor pro prima parte conſtat: tùm, quia Deus nullum effectum phyſicum, neceſſario ad extra producit: tùm etiam, quia ex vnione ad Verbum nihil aliud neceſſario in humanitate reſultat, niſi eſſe terminatam ab illo, & quæ in genere veluti cauſæ formalis à Verbo communicantur: ergo modus ille nequit neceſſaria reſultantia à Diuino Verbo procedere. Pro ſecunda parte probatur: nam modus iſte taliter gratiæ Chriſti conceditur ex vnione ſui ad Verbum, quod repugnet gratiæ cuiuſuis puræ creaturæ: at ſi à Verbo per liberam actionem procederet, communicari poſſet gratiæ cuiuſuis puræ creaturæ, cum Deus eſſet cauſa libera illius, & ex parte gratiæ in pura creatura exiſtentis, nulla repugnantia inueniatur ad hunc modum recipiendum; ergo talis modus phyſicè infinitus gratiæ, non procedit liberè à Verbo.

42 *Denique probatur.* Denique id ipſum probatur; nam præfati Auctores negant infinitam gratiæ intenſionem; ſed nulla eſt ratio probans repugnantiam infinitæ intenſionis, quæ pari efficacia non militet contra phyſicam infinitatem modi, cum modus iſte in gratia, vt in connaturali reciperetur ſubiecto, & ex illa educeretur, vt ex potentia connaturali, & mediatè ex anima, ratione obedientialis potentiæ: ergo inconſequenter procedunt negantes infinitatem intenſiuam gratiæ, & concedentes illi phyſicam infinitatem modalem.

---

§. IV.

Argumentis occurritur.

43 *Arguitur 1.* SED oppones aduerſus primam partem concluſionis primò verba illa *Ioannis c. 3. Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad menſuram dat ei Deus Spiritum.* *Ioan. c. 3.* Quem locum verſans Auguſtinus *libr. ſecundo* *S. Auguſt.* *retractation. cap. 19.* ſic ait: *Alio loco, quod interpoſui teſtimonium; non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum, nondum intellexeram, de Chriſto verò proprium eſſe: alijs quippe hominibus, niſi ad menſuram daretur ſpiritus, non duplum peteret Eliſeus, quam fuerit in Elia.* Ex quibus Auguſtini verbis manifeſtum habetur, ſingulariter dici de Chriſto non datum ipſi ſpiritum, ſeu gratiam Spiritus Sancti, quod idem eſt, ad menſuram: ergo data fuit actu phyſicè infinita, nam datam eſſe gratiam habitualem Chriſto in eximia intenſione, non eſt, non eſſe datam ad menſuram, nam Baptiſtæ, & Chriſti Apoſtolis fuit gratia in eximia intenſione collata, & tamen non ſine menſura. Datam etiam fuiſſe in intenſione, quam Nos ſupremam cogitamus, nempè, ſupra totam, quæ cæteris ſanctis ineſt, non eſt, non fuiſſe datam ad menſuram, nam ſic fuiſſe Beatiſſimæ Virgini datam, quod illius gratia omnem ſanctorum gratiam collectiuè ſumptam excesſerit, piè à pluribus Theologis traditur; & tamen non fuit illi ſine menſura collata: ergo ſolum reſtat, quòd dicatur Chriſto non ad menſuram gratia habitualis data, quia fuit phyſicè intenſiuè infinita:

44 *Reſpondet Vazq.* Huic argumento Vazquez vbi *ſupra num. 19.* reſpondet, verba adducta ſingulariter de Chriſto intelligenda, ſed non ratione gratiæ habitualis, ſed ratione gratiæ vnionis, quæ infinitè ſimpliciter eius animam ſanctificat. Et non poſſum non mirari, ſubiungit præfatus Auctor, viros Theologos, & ſacrorum Dogmatum rigidos Cenſores, abſque vllo fundamento hunc locum de gratia habituali intellexiſſe.

Reijcitur. Sed quis non miretur Auctoris huius, alias docti, audaciam, ne dicam ingentem temeritatem, vt interpretationem, quam D. Thomas, qui pro decem millibus computari, tertio loco ad prædictum teſtimonium amplectitur, deducitque ex Auguſtino, & omnibus alijs præferendam exiſtimat *quæſt. 29. de Veritate art. 3. in corpore*, abſque fundamento aſſertam auſus fuerit affirmare. *S. Thom.*

Ad argumentum reſpondeo, verba adducta de Chriſto ſingulariter accipi, vel ratione doni, quod dedit illi Pater ab æterno, vel ratione diuinitatis, quæ donum infinitum eſt. Vndè Gloſſa Interlinealis ad illa verba. *Omnia dedit ei Pater in manus*, quæ ſunt rei vt probatiua eorum, quæ in argumento adducuntur, ſic ait: *Vt tantus ſit Filius, quantus Pater.* Quod ſolum de Chriſto, quatenus Deo, poteſt verificari, nam vt homo minutus eſt paulo minus ab Angelis. Vel ſecundo ratione doni, quod humanitati eſt conceſſum, nempè, doni ſubſtantialis, in quo gratia vnionis conſiſtit, quæ gratia eſt ſimpliciter infinita. Vnde Gloſſa Ordinaria ibi dicit: *Sicut Pater plenum, & perfectum genuit Verbum, ſic & plenum, & perfectum eſt vnitum humanæ naturæ.* Vel denique ratione gratiæ habitualis, non quia ſit ſimpliciter infinita intenſiuè, ſed extenſiuè, in quantum in Chriſto ſe extendit ad omnia, quæ gratiæ ſunt. Vndè Auguſtinus *Tract. 14. in Ioannem*, hæc verba exponens, ſic ait: *Menſura diuiſio quædam donorum eſt; alij enim datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſed Chriſtus, qui dat, non ad menſuram accepit.* 45 *Reſpondetur verba adducta multiplicitèr explicando.* *Glo. interlin.* *Gl. ordin.* *S. Auguſt.*

Et Chriſoſtomus *in Catena* Diui Thomæ: *Spiritum nunc hic actionem Spiritus Sancti dicit; vult enim oſtendere, quoniam omnes quidem nos in menſura ſpiritus actiones ſuſcipimus; Chriſtus autem omnem ſpiritus ſuſcepit actionem.* Dicitur ergo gratia habitualis non data Chriſto ad menſuram, ratione infinitatis extenſiuæ conſiſtentis in eo quod ad omnem gratiæ operationem in Chriſto Domino extenditur: & hoc ſingulariter conuenit Chriſto; nulli enim ſanctorum fuit gratia cum extenſione iſta communicata. Etſi Auguſtinus, Chriſoſtomus, & Angelicus Præceptor, interpretationem iſtam non redderent fundatam, quæ interpretatio Scripturæ, niſi à fidei regulis, facta, poterit fundamentum habere, niſi eam eſſe velimus, quam prædictus Auctor ſuo ipſius genio innixus voluerit adhibere? *S. Chriſoſ.*

Objicies ſecundo: ſtat infinitas intenſiua gratiæ habitualis cum limitatione potentiæ receptiuæ: ergo ex hac limitatione malè intulimus, implicare infinitudinem gratiæ intenſiuam. Antecedens probatur primò: ſtat ſupernaturalitas gratiæ cum naturalitate entitatiua potentiæ receptiuæ: ergo & infinitas gratiæ cum limitatione potentiæ recipientis. Secundò: potentia receptiua non petit continere perfectionem formæ, nec formaliter, nec eminenter, alias actus nunquam poſſet excedere perfectionem potentiæ receptiuæ, cuius contrarium conſtat in forma ſubſtantiali recepta in materia, quam in perfectione ſuperat: & in gratia habituali excedente perfectionem animæ, in qua recipitur, & ex cuius potentia obedientiali educitur: ergo ſtare poteſt infinitas intenſiua formæ cum limitatione potentiæ receptiuæ. 46 *Secundò arguitur. Antecedens probatur 1.*

Denique: quia non minus, imò magis, dependet viſio beatifica, v. g. ab intellectu, quam gratia habitualis ab anima, cum illa ſit dependentia in genere cauſæ efficientis: iſta verò in genere cauſæ materialis: ſed ſtare poteſt infinitas in viſione beatifica, ſi detur lumen gloriæ infinitum cum limitatione intellectus: ergo & gratiæ infinitas ſubſiſtere valet cum limitatione potentiæ obedientialis receptiuæ. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: creſcente lumine in perfectione intenſiua, abſque vllo incremento intellectus, creſcit intenſio viſionis: ergo ſi lumen infinitatem pertingat, quamuis intellectus limitatus ſit, & finitus, euadet beatifica viſio perfectionis intenſiuę infinitæ. 47 *Vltimo.*

Reſpondeo, negando antecedens; ad primam probationem doctiſſimus quidam ex noſtris reſpondet, negando antecedens; cenſet namque effectum ſupernaturalem ex quatuor cauſis intrinſecè ſupernaturalibus reſultare debere. Vndè cum potentia paſſiua, quæ in creatura reperitur ad gratiam, ſit cauſa phyſica materialis illius; conſequens ſit, quod debeat eſſe ſupernaturalis intrinſecè. 48 *Cuiuſdã ſolutio refertur.*

Hęc tamen ſententia communiter diſplicet; & conſequenter ſolutio in illa fundata Nobis placere non poteſt. Primò, quia ex illa ſequitur dari in nobis potentiam actiuam immediatè, & proximè reſpectu ſupernaturale 49 *Reijcitur primò.*

turale actum, v. g. viſionis, & dilectionis ſupernaturalis: conſequens à nullo Thomiſtarum admittitur: ergo. Patet ſequela: non alia ratione negatur à Diſcipulis D. Thomæ, potentia obedientialis actiua immediatè, & proximè, niſi quia omnis entitas nobis à natura congenita eſt naturalis; & conſequenter impotens proximè ad actiones ſupernaturales; ſed admiſſa potentia paſſiua ſupernaturali intrinſecè, hoc fundamentum euertitur: ergo dabitur in nobis potentia immediatè, & proximè actiua reſpectu actuum ſupernaturalium.

50 *Secundò arguitur.* Secundò, quia nihil magis conceptui ſupernaturalitatis opponitur, quam conſequi ab intraneis naturæ; cum de ratione entis ſupernaturalis ſit totius naturæ exigentiam excedere; id autem, quod naturam ab intrinſeco conſequitur, naturæ debitum eſt: at potentia obedientialis paſſiua, & receptiua gratiæ conſequitur ad noſtram naturam, imò & eſſentialiter cum illa connectitur; implicat enim natura creata intellectualis non exiſtens in potentia obedientiali ad gratiam: ergo potentia obedientialis paſſiua ſupernaturalis non eſt.

Tertiò, Denique, nam ſi eſſet ſupernaturalis intrinſecè, non obedientialis, ſed connaturalis eſſet potentia conſequens eſt falſum: ergo. Patet ſequela: illa eſt potentia connaturalis, quæ non ſolum non repugnat introductioni formæ; ſed etiam poſitiuè illam petit; ſed ſi potentia receptiua gratiæ eſſet ſupernaturalis intrinſecè, non ſolum non repugnaret introductioni gratiæ, ſed etiam illam exigeret poſitiuè, cum eſſet in eodem ordine cum gratia: potentia autem eiuſdem ordinis cum forma, illam poſitiue expoſcat: ergo potentia obedientialis paſſiua, receptiua gratiæ, non eſt ſupernaturalis intrinſecè.

51 *Reſpond. ad primã probationem antecedentis.* Vndè ad primam antecedentis probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt, nam de ratione potentiæ obedientialis eſt, quod ſupernaturalis non ſit, ob rationem tertiam, quã doctrinam præcedentis ſolutionis reijcimus: vndè tantum abeſt, quòd petatur ſupernaturalitas ad proportionem habitudinis inter potentiam obedientialem, & formam, quod potius dicta propoſitio tolleretur per ſupernaturalitatem potentiæ. Cæterum proportio in ratione finiti, & infiniti rationem obedientialis potentiæ non deſtruit: ac proindè ſicut potentia naturalitèr receptiua petit proportionari in ratione finiti, & infiniti cum forma receptibili: ita & potentia obedientialis cum forma, quam recipere poteſt.

52 *Ad ſecundam.* Et ex his ad ſecundam probationem, nego conſequentiam: quia inter potentiam obedientialem, & formam non requiritur æqualitas, & idcirco poteſt recipere, & cauſare materialitèr formam ipſa perfectiorem; requiritur tamen habitudinis proportio, quæ inter finitum, & infinitum non datur, aliàs poſſet, vt ſuperius arguebamus, forma infinita ſpecificè recipi in potentia finita.

53 *Ad tertiam.* Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem: ad probationem, nego conſequentiam: quia intellectus de ſe eſt in actualitate ſufficienti actiua ad omnem intenſionem viſionis, citra infinitam in actu: vndè non eſt neceſſum, quòd creſcat intellectus perfectio, ſed tantum, quod creſcat lumen, vt intenſiuè augeatur viſio beatifica, ad infinitam autem in actu intenſiuè, in actu non eſt: ſicut nec ad viſionem ſpecificè infinitam; & ideò, quantumcumque lumen infinitaretur, non poſſet ab illo, & intellectu viſio infinita procedere.

---

§. V.

Per gratiam Chriſti dici in ratione gratiæ infinitam, probatur.

54 *Tertia concluſio.* TERTIA CONCLVSIO. *Gratia Chriſti poteſt dici phyſicè in ratione Gratiæ infinita: hæc tamen infinitas non eſt ſimpliciter talis.* Primam partem concluſionis docet D. Tho. *in 3. diſt. 13. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. q. 29. de Veritate*, quæ eſt de Gratia Chriſti, & *Opuſ. 2. c. 215* & alijs locis. Probaturque primò: nam ſecundum Ioannem, gratia fuit data humanitati Chriſti non ad menſuram, vt dicitur Ioannis *cap. 3. verſ. 34.* quod non ſolum ad vnionis gratiam, ſed etiam ad gratiam habitualem referendum eſſe, docet D. Thomas *in allegatis locis*, hancque intelligentiã

Prima pars probatur ex D.Th.

alijs præferendam cenſet *q. 29. de Veritate art. 3.* cum tamen alijs hominibus ad menſuram detur gratia, vt conſtat ex illo Pauli ad Epheſios *cap. 4. Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*: ergo gratia habitualis Chriſti ſub aliqua ratione ſine menſura intelligitur; ſed quod eſt ſine menſura, infinitum eſt; nam omne finitum menſuram habet: ergo Gratia Chriſti fuit ſub aliqua ratione infinita. *Ad Epheſ. c. 4.*

55 *Secundò probatur ratione Angelici Doctoris.* Secundò probatur ratione D. Tho. ex *præallegatis locis* deſumpta, & ad hanc formam redacta; nam in gratia poteſt conſiderari, & quantitas intenſiua, & quantitas virtualis extenſiua, ſecundum quòd ad effectus gratiæ extenditur: ergo gratia infinita, vel intenſiuè, vel extenſiuè, erit infinita ſecundum rationem gratiæ; ſed Gratia Chriſti, licet non fuerit infinita intenſiuè vt *præcedenti ſectione* monſtrauimus eſt tamen infinita ſecundum quantitatem virtualem, extenſiuam, & phyſicam: ergo eſt phyſicè in ratione gratiæ infinita. Probatur minor: anima ſenſitiua, quæ ſe extenderet ad omnes actus ſentiendi, eſſet infinita extenſiuè in ratione ſenſitiuæ, ſecundum quantitatem extenſiuam, quia non eſſet limitata ad aliquem determinatum modum ſentiendi; ſed Gratia habitualis in Chriſto ſe extendit ad omnes effectus, & operationes gratiæ: vndè Chriſoſtomus ſuper illa verba Ioannis, ſic ait: *Spiritum autem hic actionem Spiritus Sancti dicit; vult enim oſtendere, quoniam omnes quidem nos in menſura Spiritus actiones ſuſcepimus; Chriſtus autem omnem Spiritus ſuſcepit actionem*: ergo Gratia Chriſti eſt infinita phyſicè in aliqua ratione gratiæ. *Chriſoſt.*

56 *Secunda pars probatur ex D.Th.* Deindè ſecunda pars concluſionis, oſtenditur primò ex D. Thoma *in præſenti*, vbi docet Gratiam Chriſti poſſe dici infinitam: ſicut dicitur infinita lux Solis; ſed lux Solis non eſt in ratione lucis ſimpliciter infinita, aliàs omnem lucis perfectionem contineret: ergo Gratia Chriſti in ratione gratiæ ſimpliciter infinita non eſt.

57 *Probatur ſecundò.* Secundo probatur: nam linea infinitæ longitudinis non tamen infinitæ extenſionis, non eſſet infinita in ratione quantitatis ſimpliciter: & ſimiliter ſuperficies extenſionis infinitæ, & profunditatis, aut longitudinis finitæ, ſimpliciter infinita non eſſet in ratione quantitatis, eo quòd nulla illarum omnem dimenſionem ad genus quantitatis pertinentem contineret; ſed Gratia Chriſti, eſto ſit extenſiuè infinita, intenſiuè tamen infinita non eſt, & intenſio ad rationem gratiæ pertinet: ergo non eſt in ratione gratiæ ſimpliciter phyſicè infinita.

---

§. VI.

Obiectionibus occurritur.

58 *Contra 2. partem argumentum.* SED oppones aduerſus iſtam partem primò: nam forma replens capacitatem receptiuam infinitam, eſt infinita ſimpliciter; ſed gratia habitualis Chriſti replet totam capacitatem humanitatis, vt docet D. Thom. *Opuſc. 2. cap. 215* ibi: *Sic igitur Gratia Chriſti habitualis, finita quidem eſt ſecundum eſſentiam, ſed infinitè, & non ſecundum menſuram dari dicitur, quia tantum datur, quantum natura creata poteſt eſſe capax*: capacitas autem receptiua gratiæ eſt ſyncathegorematicè infinita, vt docet D. Thom. *q. 29 de Veritate art. 3. ad 3* ibi: *Alia eſt potentia obedientiæ, ſecundum quòd poteſt recipere aliquid à Deo, & talis capacitas non poteſt impleri, &c.* ergo Gratia Chriſti in ratione gratiæ eſt ſimpliciter phyſicè. *S. Thom.*

Reſpond. Reſpondeo, diſtinguendo maiorẽ: ſi omni modo repleat, concedo maiorem; ſi tantum vno modo, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione primæ partis minoris, nego conſequentiam. Itaq; in creatura eſt capacitas ad extenſionẽ gratię, & eſt capacitas ad illius intenſionem. Primã replet habitualis Gratia Chriſti; & ideo eſt infinita extenſiuè; non autem replet ſecundam, & idcirco infinita intenſiuè nõ eſt, nec in ratione gratię infinita ſimpliciter; quia ad hoc requirebatur, quod ſub vtraq; conſideratione haberet infinitatẽ.

59 *Obijcies.* Sed dices: ſufficit Gratiam Chriſti eſſe infinitã ſecundũ quantitatẽ extenſiuã, vt ſit infinita ſimpliciter: ergo ſolutio eſt nulla. Probatur antecedens: quantitas infinitæ latitudinis eſſet infinita ſimpliciter in ratione ſuperficiei, quamuis infinitę longitudinis non eſſet: ergo pariter gratia infinita ſecundũ quantitatem extenſiuã virtutis, quamuis infinitè intenſa non ſit, erit infinita ſimpliciter in ratione gratiæ.

60 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Et ratio diſcriminis, eſt, nam longitudo non ſpectat ad rationem ſuperficiei, etſi ad genus quantitatis pertineat; & ideò finitudo longitudinis non tollit quantitati infinitę latitudinis, quod infinita ſimpliciter ſit in ratione ſuperficiei, ſed tantum in ratione quantitatis; perfectio autem intenſiua pertinet ad gratiam habitualem; & ideò limitatio in intenſione, tollit à gratia infinitę extenſionis infinitatem in ratione gratiæ ſimpliciter.

61 *Inſtabis.* Inſtabis: quòd offenſa peccati mortalis finitæ grauitatis ſit ex obiecto, non tollit, quòd ſit in ratione offenſæ ſimpliciter infinita ob infinitatem diuinæ maieſtatis offenſæ, vt vidimus *Tract. 1. de Incarnatione diſp. 1.* & tamen grauitas ex obiecto deſumpta, pertinet ad rationem offenſæ: ergo quod Gratia Chriſti ſit finita in intenſione ad rationem gratiæ ſpectante, non tollit, quo minus ſit infinita ſimpliciter ratione infinitatis extenſiuæ.

62 *Reſpondet.* Reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt, nam infinita grauitas ſumpta ex maieſtate offenſa, continet eminenter omnem aliam grauitatem, ſumptam ex alijs capitibus. Quando autem formalitas ex vno capite ſumpta, ſic continet illas, quæ ex alijs principijs ſumuntur, non obſtat limitatio iſtarum denominationi infiniti ſimpliciter; infinitas autem extenſiua Gratiæ Chriſti non continet eminenter intenſiuam perfectionem gratiæ; & ideò non ſufficit ad conſtituendam ſimpliciter in ratione gratiæ infinitam, ſi ſit finitæ intenſionis.

63 *Secundò arguitur.* Secundò obijcies: habituali gratiæ ex coniunctione ad Verbum, conuenit eſſe ſanctificatiuam ſine termino, hoc eſt, cauſatiuam gratiæ infinitorum hominum, ſi darentur, non ſolum meritoriè, & moraliter, ſed etiam per efficientiam phyſicam; ſed via effectiua ſyncathegorematicè infinita, non poteſt conuenire formæ, quæ non ſit ſimpliciter infinita: ergo gratia habitualis Chriſti eſt in ratione gratiæ ſimpliciter infinita phyſicè.

64 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: phyſica efficientia formali, nego maiorem: inſtrumentali, prætermitto maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam vt ſit inſtrumentaliter cauſatiua gratiæ ſanctificantis ſine termino, non eſt neceſſarium, quòd aliqua forma phyſica permanente afficiatur, ratione cuius actu omnem gratiam, quam cauſare poteſt, contineat, & per conſequens, nec quòd ſit actu infinita, ſed quòd ſit potens eleuari per motionem tranſeuntem, quando actu gratiam efficiat, vt conſtat in humanitate Chriſti, quam eſſe inſtrumentum phyſicum gratiæ ſanctificantis ſine termino; certius eſt, quàm quòd hæc cauſalitas phyſica habituali gratiæ conueniat; & tamen ob hoc non ponitur in Chriſti humanitate aliquid phyſicè infinitum ſimpliciter, per quod in ratione inſtrumenti, phyſicè cauſatiui gratiæ conſtituatur.

65 *Replicabis.* Sed dices: gratiæ habituali Chriſti conuenit ex coniunctione ad Verbum, eſſe in actu cauſatiuam inſtrumentaliter gratiæ ſanctificantis ſine termino: ergo eſt in actu phyſicè infinita ſimpliciter. Probatur antecedens: calor ex coniunctione ad ignem eſt in actu cauſatiuus phyſicè inſtrumentaliter ignis, & calor animalis ex coniunctione ad ipſum eſt in actu conſtitutus ad cauſandum inſtrumentaliter animal: ergo pariter gratia habitualis ex coniunctione ad Verbum eſt in actu conſtituta ad cauſandam phyſicè inſtrumentaliter gratiam ſanctificantem ſine termino.

66 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt: nam calor ſe ipſo phyſicè dimanat ab igne, illique ſubordinatur; & idcirco eſt potens ad producendum ignem in virtute ignis *intranſitiuè*, non *tranſitiuè*, id eſt, non per virtutem à calore diſtinctam, realiter deriuatam ab igne; ſed quia calor ſua entitate virtus eſt ignis, illique ſubordinatur, & idem de calore animalis dicatur; gratia autem habitualis non dimanat phyſicè à Verbo, nec ſe ipſa illi ſubordinatur, vt humanitatem terminantis, & idcirco non eſt ſe ipſa conſtituta phyſicè in actu ad inſtrumentaliter gratiam cauſandam: ſicut nec humanitas ſe ipſa ante actualem motionem eſt in actu conſtituta ad phyſicè influendum in gratiam ex eadem ratione.

67 *Alia ratio differentiæ aſſignatur.* Præterquamquòd poteſt etiam alia differentiæ ratio conſtitui, nempè, quòd calor eſt inſtrumentum ignis connaturale; ac proindè petit ante actualem motionem, eſſe intrinſecè ordinatum ad influendum in ignem inſtrumentaliter, & ex hac ordinatione virtuoſus ad illam efficientiam conſtituitur, per modum actus primi, gratia vero, inſtrumentum, non connaturale, ſed obedientiale eſt reſpectu gratiæ efficiendæ, & obedientiale inſtrumentum præuiam ordinationem intrinſecam, ad motionem actualem non petit.

---

§. VII.

Non eſſe gratiam Chriſti in ratione gratiæ ſimpliciter infinitam moraliter, probatur.

68 *Quarta concluſio, probatur 1. ex D. Thom.* QVARTA CONCLVSIO. *Gratia Chriſti habitualis non eſt in ratione gratiæ ſimpliciter infinita moraliter.* Hanc ſtatuo contra Auctores quartæ ſententiæ, illamque oſtendo primò ex D. Th. q. 29. *de Veritate art. 3. ad 4.* quod ita procedebat. *Meritum hominis Chriſti fuit infinitum; ſed cauſa meriti eſt gratia: ergo gratia Chriſti eſt infinita, quia à cauſa finita non poteſt egredi effectus infinitus.* Cui argumento ita reſpondet: *Meritum Chriſti non fuit infinitum ſecundum intenſionem actus; finitè enim diligebat, & cognoſcebat, ſed habuit quandam infinitatem ex circumſtantia perſonæ, quæ erat dignitatis infinitæ.* Et 8. *loco* ſic arguit: *Nullum finitum poteſt ſuper infinita; ſed gratia Chriſti poterat ſuper infinita: poterat enim ſuper ſalutem infinitorum hominum, & ſuper abolitionem infinitorum peccatorum: ergo gratia Chriſti erat infinita.* Cui argumento his verbis reſpondet: *Ad octauum dicendum, quod ex circumſtantia perſonæ habet anima Chriſti, quod poſſit ſuper infinita, ex quo meritum eius habet infinitatem, vt prius dictum eſt.* Et eodem modo, ſimili argumento reſpondet *in 3. diſt. 13. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 4.*

69 *Ex verbis D. Thom. duplex argumentum ſumitur.* Ex quibus verbis duplex argumentum conficitur. Primum eſt: ſi Diuus Thomas ſenſiſſet, gratiam Chriſti eſſe ſimpliciter infinitam moraliter, vt facto argumento occurreret, non recurriſſet ad dignitatem circumſtantiæ perſonæ, ſed ad gratiam habitualem, quæ licet ſit phyſicè finita ſimpliciter, eſt infinita in ratione gratiæ moraliter, cum infinitas meriti vtpotè tantum moralis, non phyſicam, ſed tantum moralem infinitatem petat in principio efficiente; ſed non ſic ſoluit D. Thomas argumentum, ſed ad circumſtantiam perſonæ recurrit, quæ eſt infinita ſimpliciter: ergo iuxta D. Th. gratia Chriſti habitualis non eſt in ratione gratiæ ſimpliciter infinita moraliter. Secundum ad hominem; Auctores namque contrarij ad hoc gratiam Chriſti ſimpliciter infinitam in genere moris conſtituunt, vt ſit cauſa meriti infiniti ſimpliciter; ſed ſecundum D. Thom. gratia habitualis non eſt, quæ dat merito Chriſti Domini infinitatem: ergo ad hoc munus non eſt conſtituenda moraliter infinita ſimpliciter; non enim requiritur infinitas in cauſa efficiente, niſi pro infinitate in effectu cauſando.

70 *Deindè ſuadetur concluſio.* Deindè ſuadetur concluſio: nam gratia Chriſti non eſt infinita ſimpliciter in ratione gratiæ moraliter, reſpectiuè ad ſubiectum in genere cauſæ formalis, nec reſpectiuè ad terminum, ſeu actum in genere cauſæ efficientis; ſed vt in ratione gratiæ eſſet infinita moraliter, aliquo ex prædictis modis deberet eſſe infinita: ergo in ratione gratiæ non eſt ſimpliciter infinita moraliter. Minor exindè conſtat; nam ſi quæ alia infinitas moralis in ratione gratiæ poſſet imaginari, præter eas, quas recenſuimus, maximè, æſtimabilitas infinita ex connaturali coniunctione ad Verbum conueniens, ratione cuius adorari poteſt Latria; hæc autem infinitas in ratione gratiæ non eſt, ſed humanitati, intellectui, & omnibus alijs, à Chriſto immediatè, vel mediatè aſſumptis communis.

71 *Maior prob. 1.* Maior autem quantum ad primam partem probatur primò: nam in ordine ad ſubiectum, & in genere cauſæ formalis, vel eſſet infinita ab ipſa ſanctitate Verbi formaliter, vel à modo reali intrinſeco ex Verbo in gratiam redundante: non primum, aliàs animæ Chriſti, non ſolum eſſe ſanctam ſed etiam eſſe ſanctificatiuam infinitè conueniret, cum forma eadem ſit, & ſolum ex parte ſubiecti detur diuerſitas: nec ſecundum, quia vt vidimus in *hoc tract. diſput. 21.* ad humanitatem non deriuatur modus moralis intrinſecus illam ſanctificans, & digni-

ficans

ficans, ſed diuina, & increata ſanctitas illam ſe ipſa ſanctificat, & vt docuimus *Tract. 1. de Incarnatione diſp. 3.* non à modo intrinſeco, ſed ab ipſa Verbi perſona valorantur Chriſti operationes: ergo pariter, ad gratiam non deriuatur modus moralis intrinſecus, ſed quidquid moralis habet, præſtatur immediatè à Verbo. *Secundò.* Secundò probatur: nam gratia non conſtituit Chriſtum infinitè acceptum ad gloriam per modum hæreditatis, nec terminum dilectionis Dei ſimpliciter infinitè: at hoc ſolum poſſet præſtare in genere cauſæ formalis: ergo reſpectiuè ad ſubiectum in genere cauſæ formalis, non eſt in ratione gratiæ ſimpliciter infinita infinitate morali.

72 *Reſpondet Vincent.* Reſpondet Vincentius, acceptationem ad gloriam per modum hæreditatis præſtari à gratia, prout qualitas phyſica eſt, vndè, & commenſuratur cum phyſica entitate illius, poſſe tamen dare alteram acceptationem, videlicet, meritoriam, quatenus principiat actus meritorios Chriſti, in quibus, quantum eſt de ſe, condignitas infinitæ gloriæ datur, etſi de facto gloria infinita non fuerit Chriſto collata, quia ex parte facti repugnat.

73 *Sed contra.* Sed contra, & ſimul probatur ſecunda pars maioris noſtri argumenti: gratia Chriſti, etſi principium ſit actus meritorij in Chriſto, quantum ad ſubſtantiam actus; non tamen eſt principium infinitæ dignitatis, qua gaudet: ergo non dat animæ Chriſti acceptationem meritoriam ad gloriam. Conſequentia euidens eſt; antecedens autem probatur primò, quia id docet D. Tho. locis vbi *proximè* relatis. Secundò, quia non eſt principium per modum formæ, nec principium effectiuum infinitæ illius dignitatis: ergo nullo modo eſt principium illius. Antecedens pro prima parte ex eo manifeſtum videtur; nam forma dignificans merita in genere cauſæ formalis, prius in eodem genere ſanctificat, & dignificat ſubiectum, & media ſanctificatione ſubiecti dignificat opera; ſed gratia habitualis non ſanctificat humanitatem Chriſti infinitè, vt oſtendimus, & admittit Vincentius: ergo non dignificat infinitè operationes Chriſti in genere cauſæ formalis.

74 *Arguitur ad homin.* Pro ſecunda parte oſtenditur primò ad hominem: ſi namq; gratia habitualis efficienter in prædictam dignitatem influeret, etiam virtutes reſidentes in potentijs, proximè in illam influerent: tùm, quia non eſt maior ratio, vt influat habitualis gratia, quam vt influant virtutes. Tùm etiam: quia influxus gratiæ, ſi detur erit per modum radicis: & conſequentèr debet aſſignari aliquod principium proximum, quod aliud eſſe non poteſt, quam virtutes reſidentes in Chriſto: at virtutes iſtæ non influunt efficienter dignitatem infinitam in actus meritorios Chriſti, vt fatetur Vincentius: ergo nec gratia habitualis. Secundò, quia vt vidimus *Tract. 1. de Incarn. diſput. 3.* dignitas moralis operationum Chriſti infinita, præſtatur à Deitate, vt à forma; & conſequenter cauſam efficientem non habet, etſi meritum Chriſti infinitum *concretiuè* cauſam efficientem habeat, nempè, illam, quæ ſubſtantiam actus efficit: ergo gratia habitualis Chriſti, non influit efficienter in dignitatem moralem infinitam operationem illius. Et ex his ſoluta manet fundamenta Vincentij.

§. Vltimus.

Obiectionibus occurritur.

ARGVIT PRIMO: nam opera Chriſti habuerũt Chriſti habuerunt infinitam dignitatem moralem: ergo & gratia habitualis, quæ erat principiũ illius; omnès enim perfectio effectus debet præhaberi in cauſa. Secundò; nam humanitas Chriſti habet dignitatem moralitèr infinitam ex vnione ad Verbum: ergo etiam habitualis gratia. Tertiò: quia gratia habitualis eſt capax infinitæ dignificationis moralis: ergo illam ex vnione ad Verbum recepit. Ac denique argumentari poſſumus in fauorem Vinc. ex D. Th. 3. *ad Annibaldum diſt. 13. q. vnic. art. 3. in corpore*, ibi: *Gratia Chriſti finita fuit ſecundum eſſentiam, ſed quatuor modis fuit infinita: vno modo quantum ad actum, quia concurrebat ad actum potentia infinita, cui erat vnita: alio modo quantum ad ea, in quæ poterat operari, quia non limitabatur: tertiò modo quantum ad rationem modi, quia diſponebat per modum congruentiæ ad vnionem infinitè diſtantium, quod nulla alia gratia creata facere poterat.* At iſtæ infinitates morales ſunt, & tales ſimpliciter: ergo gratia Chriſti habitualis fuit ſimpliciter infinita moraliter. 75 *Arguit 1.* *Secundò.* *Tertiò.* *Vltimò. S. Thom.*

76 *Reſpondetur ad primam obiectionem.* Reſpondeo ad primam, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, quia infinitas meritorum Chriſti, non à gratia habituali, ſed à gratia vnionis præſtabatur: vndè neceſſum non erat, in gratia habituali præcontineri. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, diſtinguo conſequens: infinitam dignificationem in ratione gratiæ, nego conſequentiam: in ratione æſtimabilitatis ſibi, & alijs Verbo adiunctis, communis, concedo conſequentiam. *Ad tertiam.* Et per hoc ad tertiam conſtat ſolutio: non enim eſt capax infinitudinis in ratione gratiæ ob rationes factas; benè tamen infinitæ æſtimabilitatis, quam habet ex coniunctione ad Verbum.

77 *Ad quartam.* Ad quartam dicatur, omnes illas infinitates conuenire gratiæ Chriſti: cæterum nullam illarum eſſe ſimpliciter talem, ſed ſecundum quid, & extrinſecam; non enim concurrit ad actus infinitos, dando infinitatem, ſed tantum, vt coniuncta principio illam communicanti: hæc autem coniunctio, ea trinſecam tantum infert infinitatem, nec ratione ſui ſe extendit infinitè in cauſando moraliter, ſed ratione gratiæ vnionis, nec diſpoſitio ex forma infinita, ad quam diſponit, infinitatur intrinſecè; ſicut nec actus ex obiecto infinito intrinſecam venatur infinitatem. Et quidem ſi ex hoc capite infinita eſſet ſimpliciter, etiam intellectus, & aliæ potentiæ, quæ humanitatem congruè diſponebant ad vnionem ad Verbum, infinita eſſent ſimpliciter.

78 *Corollarium ex dictis.* Ex dictis colligitur, ſententiam, quam ex Bonauentura refert Vincentius, docente, gratiam Chriſti fuiſſe infinitã ſimpliciter in ratione capitalis in ordine ad affectus, quos efficientèr cauſat; non autem vt erat ſingularis perſonæ, & in ordine ad ſubiectum, ſuſtinendam non eſſe; non enim ſtat infinitas formæ in genere cauſæ efficientis, abſque infinitate in genere cauſæ formalis, cum efficientia, in formali formæ cauſalitate fundetur. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri in 3. *diſt. 13. §. 1.* ad illa verba: *Gratia plenitudinem recepiſſe.* *M. Sent.*

DISPVTATIO VIGESIMA SEPTIMA.

An Chriſti gratia, & ſanctitas augeri potuerit?

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis referuntur ſententiæ.

1 *Suppenitur 1.* IN HAC Diſputatione tria, vt extra controuerſiam, & indubitata ſupponimus. Primum eſt, ſanctitatem à gratia vnionis humanitati præſtitam nullatenus augeri potuiſſe. Quod patet: tùm, quia ab illa infinitè fuit ſancta; infinito autem fieri additionem repugnat. Tùm etiam; quia cum gratia vnionis donum ſubſtantiale ſit, incapax eſt incrementi. Tùm denique quia ab initio fuit diuinitas, quæ iſtam ſanctitatem præſtat, ſufficientes vnita, vt ſuum quaſi effectum adæquatè eahiberet: ergo illum de facto præſtitit; & conſequenter nunquam potuit ſanctitatem perfectiorem præſtare.

2 *Suppenitur 2.* Secundum eſt, gratiam Chriſti habitualem de facto non fuiſſe auctam; nec potuiſſe de lege ordinaria Dei. Quod patet ratione Diu. Thom. *in præſenti art.* 12. gratia enim, cum ad terminum peruenit, non ſuſcipit incrementum: quocirca in beatis gratia intrinſecè non augetur, quia eſt in termino gratiam autem augeri, eſt proprium viatorum tendentium ad terminum non comprehenſorum, qui iam in termino ſunt: at gratia Chriſti eſt gratia comprehenſoris exiſtentis iam in termino; fuit namque ab initio ſuæ conceptionis beatus: ergo incrementum nunquam ſuſcepit, nec potuit de lege ordinaria Dei.

3 *Si opponas. Reſpondetur.* Si opponas id, quod dicitur *Lucæ cap.* 2. *Puer autem Ieſus proficiebat ſapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines*: ergo gratia Chriſti potuit augeri, & de facto fuit aucta. Reſpondeo ex D. Thoma *ar.* 12. *ad* 3. Chriſtum Dominum profeciſſe in ſapientia, & gratia, non ſecundum ipſos habitus ſapientiæ, & ſcientiæ augmentatos, ſed tantum ſecundum effectus, quia, ſcilicet, ætate creſcente opera perfectiora faciebat. Qua interpretatione ad prædictum teſtimonium vſi ſunt Damaſcenus *lib.* 3. *fidei cap.* 22. Bernardus *homil.* 2. *ſuper Miſſus eſt*, Bonauentura *Lucæ cap.* 2. Eutimius *ibidem*, Cyrillus *libr.* 1. *Theſauri cap.* 7. *&* 1. *in Ioannem cap.* 17. Hieronymus in illud *Eſaiæ* 7. *vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*: & alij plures.

S. Thom. Damaſ. Bernard. Bonau. Eutim. Cyril. Hieron.

4 *Sed dices.* Sed dices: eodem modo dicitur Chriſtum creuiſſe in gratia, quo in ætate, & in ſapientia; ſed verè in ætate creuit, & non ſolum in operibus ætati proportionatis: verè etiam in habitibus ſapientiæ profecit, quia, eſto ſcientia infuſa Chriſti non fuerit magis intenſa; decurſu tamen temporis habitus naturalis ſcientiæ acquiſiuit, iuxta D. Thom. *infra q.* 10. *art.* 4. ergo etiam in habitu gratiæ creuit. Reſpondeo, quòd licet eiſdem verbis de gratia, ac de ætate, & ſapientia prædictum teſtimonium loquatur, non tamen eodem ſenſu, eo quod incrementum ætatis, & profectus in habitibus ſapientiæ acquiſitis, non obſtant ſtatui comprehenſoris exiſtentis iam in termino: ſicut obſtat incrementum gratiæ.

S. Thom.

5 *Tertiò ſupponitur.* Tertium, quod ſupponimus eſt, non ita potuiſſe gratiam Chriſti habitualem augeri, vt ratione huius augmenti Chriſtus, in quantum homo, diceretur ſanctior abſolutè, ſed tantum ſecundum quid, & addito, ſcilicet, ſanctior ſanctitate accidentali. Quod patet; nam Chriſtus, vt homo, fuit à diuinitate ſanctus infinitè ſimpliciter: ergo, quamuis illius habitualis gratia augeretur intenſiuè, & ratione huius augmenti, diceretur ſanctior ſecundum quid; non tamen poſſet dici ſanctior abſolutè, & ſimpliciter: ſicuti quamuis opera Chriſti à perſonæ dignitate infinita ſimpliciter, ob exceſſum ex obiecto, vel alijs circumſtantijs magis meritoria ſecundum quid poſſint dici; non tamen magis meritoria, aut ſatisfactoria ſimpliciter, eo quod ex perſonæ dignitate omnia ſunt infinitè meritoria, & ſatisfactoria ſimpliciter.

6 *Dices.* Sed dices: quamuis Chriſtus, vt homo, ſit à diuinitate ſanctus infinitè ſimpliciter, ſuſcipit à gratia habituali, denominationem ſancti abſolutè: ergo pariter ab illa in gradu intenſiori diceretur abſolutè ſanctior quamuis infinitè ſanctus ſupponatur. *Reſpondeo.* Reſpondeo, prætermiſſo antecedenti, negando conſequentiam, eo quod denominatio ſancti comparatiua non eſt; benè tamen denominatio ſanctioris, aut magis ſancti.

7 *Explicatur difficultas.* His poſitis, quod in dubium vertimus, eſt, an gratia Chriſti habitualis potuerit intenſiuè creſcere de potentia abſoluta? Circa quod tres reperio Theologorum ſententias. Prima negans eſt, quam tuentur Scotus *in* 3. *diſt.* 13. §. *ad* 2. *quæſt.* Bonauentura *ibidem artic.* 1. *q.* 2. Ricardus *in ead. diſt. q.* 1. *artic.* 2. Durandus *q.* 1. & Clarius *in* 1. *diſt.* 17. *q.* 9. *num.* 8. Caietanus 2. 2. *q.* 24. *art* 7. *in præſenti art.* 12. *& ſupra art.* 9. *& quæſt.* 10. *art.* 4 quem ſequitur ex noſtris Thomiſtis Nazarius *in præſenti art.* 12. *controuerſ. vnic.*

Prima ſententia. Scot. Bonau. Ricard. Durand. Clarius. Caiet. Nazar.

8 *Secunda ſententia.* Secunda ſententia docet, ſi intenſio fiat per gradus ethereogeneos, & diuerſæ perfectionis, gratiam habere terminum augmenti intenſiui, vltra quem non poteſt creſcere de potentia abſoluta, & iſtum gradum attigiſſe habitualem gratiam in Chriſto; ac proindè nec de potentia abſoluta potuiſſe incrementum intenſiuum ſuſcipere. Si autem intenſio qualitatum fiat per gradus eiuſdem rationis non habere terminum intenſionis, ſed poſſe in infinitum extendi; ac proindè gratiæ Chriſti non repugnare vlteriorem intenſionem, attenta potentia abſoluta Dei. Hanc tenet Lorca *in præſenti diſp.* 43. quem ſequuntur aliqui Recentiores.

Lorca.

9 *Tertia ſententia.* Tertia ſententia abſolutè docet, gratiam Chriſti potuiſſe intenſiuè augeri de potentia abſoluta. Hanc tenent Capreolus *in* 3. *diſt.* 13. *quæſt. vnic. art.* 3 *& in* 1. *diſt.* 17. *q.* 2. *art.* 2. Medina *in præſenti q.* 3. *art.* 12. Bañez 2. 2. *q.* 24. *art.* 7. *dub.* 2. Aluarez *diſp.* 36. Illuſtriſſimus Araujo *dub.* 3. & Zippulus *dub. vnic.* §. 2. Tenent etiam ex PP. Societatis Valentia *diſputat.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 3. Suarez *diſput.* 22. *ſect.* 2. Vazquez *diſputat.* 47. *cap.* 1. Turrianus 2. 2. *diſputat.* 68. *dub.* 6. Coninch. *diſput.* 22. *dubitat.* 5. Meratius *Tractat. de Charitate diſp.* 41. *ſect.* 2. & frequentius Recentiores.

Capreo. Medin. Banez. Aluar. Araujo. Zippul. Valent. Suar. Vazq. Turrian. Coninch. Merat.

---

§. II.

Potuiſſe intenſiuè augeri, probatur.

10 *Prima concluſio. Prob.* 1. *ex D. Th.* PRO cuius explicatione ſit PRIMA CONCLVSIO: *Gratia Chriſti habitualis potuit eſſe maior intenſiuè de potentia abſoluta.* Et oſtenditur primò ex D. Th 2. 2. *q.* 24. *art.* 7. *in corpore*, illis verbis: *Ipſa charitas ſecundum rationem propriæ ſpeciei terminum augmenti non habet; eſt enim participatio quædam infinitæ charitatis, quæ eſt Spiritus Sanctus: ſimiliter etiam cauſa agens charitatem eſt infinitæ virtutis, ſcilicet, Deus; ſimiliter etiam ex parte ſubiecti terminus huic augmento præfigi non poteſt, quia ſemper charitate creſcente, ſuperexcreſcit habilitas ab huiuſmodi augmen-

argumentum. Et in 1. *diſt.* 17. *q.* 2. *art.* 4. Ibi: *Id, ad quod mouetur anima in augmento charitatis, eſt ſimilitudo diuinæ charitatis, ad quam, cum infinita ſit, in infinitum poteſt accedi plus, ac plus, & nunquam adæquabitur perfectè*. Id ipſum docet ad Annibaldum *in ead. diſt. q.* 2. *art.* 4. *in corp.* Sed eadem ratio eſt de gratia, ac de charitate, quoad termino augmenti carere, poſſeque in infinitum augeri: tùm, quia id docent omnes Theologi: tùm etiam, quia charitas conſequitur gratiam, vt proprietas eſſentiam; & conſequenter, ipſa creſcente, & gratia creſcere debet. Tùm denique, quia quo magis Deum diligimus (quod per charitatis augmentum præſtatur) eo magis nos Deus diligit; terminus autem dilectionis Dei eſt gratia habitualis; & conſequenter maioris dilectionis, maior & intenſior gratia: ergo gratia habitualis terminum augmenti non habet, ſed qualibet quantumcumque intenſa data, poteſt amplius, & amplius augeri; & conſequenter gratia Chriſti habitualis potuit incrementum intenſiuum ſuſcipere de potentia abſoluta.

11 *Prima ſolutio.* Reſpondebis primò, D. Th. loqui de augmento intenſiuo charitatis per gradus homogenos ſimiles, & eiuſdem rationis; ſic autem verum eſt charitatem termino ſui augmenti carere: non autem de intenſione per gradus diſſimiles, & diuerſæ rationis; ſic namque terminum augmenti habet vltra quem nequit augeri de potentia abſoluta. Ex quo ſolum ſequitur, gratiam Chriſti potuiſſe augeri de potentia abſoluta, ſi intenſio fiat per gradus omninò ſimiles, & eiuſdem rationis; non verò ſi fiat per gradus etherogeneos, & diuerſæ rationis.

12 *Dupliciter impugnatur.* Sed contra primò: nam D. Th. exindè probat, charitatem termino augmenti carere, quia non habet, vnde limitetur, ſcilicet, nec ex propria ſpecie, nec ex parte agentis, nec ex parte ſubiecti, ex quibus ſolum capitibus poteſt formæ augmentum limitatum competere: ergo ſentit, non habere terminum augmenti, ſiuè intenſio fiat per gradus ſimiles, ſiuè per gradus diſſimiles. Secundò, nam D. Th. abſolutè affirmat, charitatem poſſe in infinitum augeri: ergo ſentit, vel intenſionem fieri per gradus ſimiles, & eiuſdem rationis, ſi hoc neceſſarium ſit, vt termino augmenti careat, vel non repugnare, quòd in infinitum augeatur, quamuis intenſio per gradus diſſimiles fiat.

13 *Reſpondebis 2. ex Caietan.* Reſpondebis ſecundò ex Caietano 2. 2. *q.* 24. *art.* 7. D. Thomam loqui de charitate viatoris, ſic autem verum eſt poſſe in infinitum creſcere, & termino augmenti carere; non autem loqui de charitate abſolutè, & reſpectu omnis ſtatus, quem poteſt habere: cum enim ad ſtatum termini, ſcilicet, comprehenſoris, charitas peruenit, amplius augeri repugnat.

14 *Si in contrarium obijciatur 3.* *Reſpondet Caietanus.* Quod ſi in contrarium obijcias illa verba D. Thom. *Ipſa charitas ſecundum rationem propria ſpeciei terminum augmenti non habet*: ergo ſentit D. Th. charitati repugnare, ad vltimum terminum ſui augmenti pertingere, vltra quem ei augeri repugnet. Reſpondet Caietanus, ly *ſecundum rationem propria ſpeciei*, non eſſe accipiendum reduplicatiuè, ita, vt ex ratione ſuæ ſpeciei illi terminus augmenti repugnet, ſed ſpecificatiuè, & negatiuè, ideſt, ex ratione ſuæ ſpeciei terminum augmenti non petit, quamuis ex alio capite poſſit illi terminus augmenti competere: ſicut iſta propoſitio eſt vera: *Charitas ſecundum propriam ſpeciem non eſt connexa cum fide*, non quia connexio cum fide charitati repugnet, ſed quia ex conceptu ſpecifico illam poſitiue non petit, quamuis aliundè poſſit connexio cum fide charitati conuenire, ſcilicet, ex ſtatu viæ.

15 *Si opponatur 2.* *Reſpondet Caietanus 1.* Si opponatur ſecundò: quantitas intenſiua charitatis viæ, & charitatis Patriæ, eſt eiuſdem rationis: ergo ſi quantitas charitatis viæ terminum intenſionis non habet, nec illum habet quantitas charitatis in Patria. Reſpondet Caietanus primò, diſtinguendo duplicem charitatis intenſionem, vnam ſumptam ex obiecto, & alteram ex ſubiecto ſecundum maiorem habilitatem: & aſſerit, primam eſſe eiuſdem rationis in Patria, & in via; ſecundam verò eſſe diuerſæ rationis, & ſecundum neutram poſſe in Patria in infinitum augeri, quia iam in termino eſt, vltra quem non eſt dabile augmentum: ſicut quantitas pueritiæ, & quantitas virilitatis eiuſdem rationis eſt; & tamen quantitas in ſtatu pueritiæ poteſt in infinitum augeri, hoc eſt, intra illum ſtatum termino caret; in ſtatu autem virili amplius augeri repugnat. *Secundò.* Secundò reſpondet, negando antecedens; cum enim regula in ſtatu Patriæ, & viæ diuerſæ rationis ſit quantitas charitatis in vtroque ſtatu diuerſæ rationis eſt.

Quidquid tamen ſit de veritate huius doctrinæ, de qua 2. 2. *q.* 24. *art.* 6. & 8. tradita ſolutio breuiter reijcitur primò. 16 *Impugnatur Caietani ſolutio 1.* Ratio, qua D. Thom. probat, charitatem terminum augmenti non habere in ordine ad potentiam Dei abſolutam, æquè probat de charitate Patriæ, ac de charitate viæ: ergo vel dicendum eſt, pro vtroque ſtatu conuincere, vel pro nullo eſſe efficacem. Probatur antecedens: ratio, qua vtitur D. Tho. eſt, quia Deus efficiens charitatem eſt infinitæ virtutis, potentia receptiua illius limite caret, & charitas ex ſua ſpecie terminum augmenti non petit: at tria iſta illimitationis capita reperiuntur in charitate comprehenſoris: ergo ratio D. Thomæ vel probat de charitate Patriæ, vel non conuincit de charitate viæ.

17 *Secundò impugnatur.* *S. Thom.* Secundò ex D. Thoma *infra q.* 10. *art.* 4. *ad* 3. ibi: *Dicendum, quòd ſicut ſupra dictum gratia, quod non poteſt eſſe maior gratia, quam gratia Chriſti per reſpectum ad vnionem Verbi: idem etiam dicendum eſt de perfectione diuinæ viſionis, licet abſolutè conſiderando, poſſit eſſe aliquis gradus ſublimior ſecundum infinitatem diuinæ potentiæ*. Ex quibus verbis tale argumentum conficio: eadem ratio eſt quoad augmentum intenſiuum de charitate Patriæ, ac de viſione beatifica; ſed viſio beatifica terminum augmenti non habet reſpectu omnipotentiæ Dei, cum poſſit dari quacumque viſione data, aliquis gradus ſublimior, ſecundum omnipotentiæ infinitatem: ergo charitas in Patria terminum augmenti non habet, ſed quacumque data charitate, in infinitum poteſt augeri.

18 *Reſpondebis 1.* Reſpondebis primò, D. Th. non loqui de gradu ſublimiori luminis, aut viſionis, ſed de gradu ſublimiori abſolutè, & ſine aliqua additione: ſic autem verum eſt, dari gradum ſublimiorem viſione beatifica Chriſti, & qualibet alia viſione; nam quilibet gradus ſubſtantiæ ſublimior eſt abſolutè qualibet viſione beatifica.

19 *Secundò.* Vel ſecundò reſpondebis, loqui D. Thomam de ſublimiori gradu ſpecificè, non de ſublimiori gradu intenſiuè: & ſic verum eſt, eſſe poſſe ſublimiorem gradum viſione beatifica Chriſti, & qualibet alia viſionem, nam lumen gloriæ, & viſio beatifica poſſunt multiplicari ſpecificè ſine fine.

20 *Tertiò.* Vel tertiò reſpondebis, lumen gloriæ, quia eſt qualitas ſolum Patriæ cæleſtis, excipiendum eſſe à formis terminabilibus ad ſummum, & in Chriſto eſt in ſummo ſecundum legem ordinatam Dei, non ſecundum abſolutam potentiam: & idem de viſione beatifica eſt dicendum; ſecus autem de charitate, quæ non eſt qualitas propria Patriæ cæleſtis, ſed communis Patriæ, & viæ.

21 *Denique reſpondebis,* Vel denique reſpondebis ex Caietano *loc. alleg.* gradus diuinæ viſionis dupliciter creſcere poſſe, nimirum ex perfectiori, & ſublimiori lumine, vel ex perfectiori, & ſublimiori intellectu: vt ſi Angelus æquali lumine gloriæ illuſtretur cum homine, gradus viſionis Angelicæ ſublimior erit, non ex perfectiori lumine, ſed ex perfectiori intellectu æquali illuſtrato lumine: & ſi duo Angeli lumine æquali illuſtrentur, viſio Angeli perfectioris, ſublimioris gradus erit ex perfectiori intellectu. Gradus ergo viſionis beatificæ ſumpti ex perfectione intellectualis naturæ ſine fine creſcere poſſunt, & quoad iſtos terminum augmenti non habent; ſecus autem gradus ex lumine gloriæ ſumpti.

22 *Reijcitur prima ſolutio 1.* Sed nulla ex his ſolutionibus argumento ſatisfacit, & prima reijcitur primò: nam de illis gradibus loquitur D. Th. *in ſolutione argum.* de quibus in argumento; alias extra chorum pſalleret, nec ſolueret argumentum; ſed gradus, de quibus argumentum procedebat, non ſunt gradus abſolutè, & aliorum generum, ſed gradus viſionis beatificæ, vt argumento ſequenti euidenter conſtabit: ergo in ſolutione argumenti, non de gradibus diuerſorum generum loquitur, ſed de gradibus viſionis.

23 *Secundò;* Secundò, nam D. Thomas gradum ſublimiorem viſione beatifica Chriſti concedit poſſibilem de potentia abſoluta; non autem de lege ordinaria; gradus autem abſolutè ſublimior, ſi fortè ſublimior eſt gradu quilibet ſubſtantiæ viſione beatifica Chriſti, de quo inter Theologos non modicum diſſidium verſatur, de facto in rerum natura inuenitur: ergo non loquitur de gradu ſublimiori abſolutè, ſed de gradu viſionis beatificæ.

24 *Contra 2. ſolutionem facit 1.* Deindè ſecunda ſolutio reijcitur primò ex Caietano *loco allegato*, quia lumen gloriæ non eſt multiplicabile ſpecificè de potentia abſoluta, cum, quodcumque lumen aſſignetur, idem obiectum, & eodem modo reſpiciat, ac lumen; quod de facto datur; ſpecifica autem luminum glo-

ciæ diuerſitas cum reſpectu ad idem obiectum, & eodem modo tale obiectum reſpiciendi repugnet; ergo repugnans etiam de potentia abſoluta gradus viſionis beatificæ ſpecificè diuerſi; & conſequenter de illis D. Thomas non loquitur.

Secundò, nam ſi lumen gloriæ eſſet genus per ſpecies
25 Tertiò. differenter diuiſibile, lumen gloriæ Angelicum, & lumen humanum beatificum, de facto differrent ſpecificè, cum nullum aptius principium ad varianda lumina ſpecificè poſſet conſtitui, quam reſpectus diuerſarum potentiarum; & conſequenter diuerſorum obiectorum tales potentias ſpecificantium: at lumen Angelicum non diſtinguitur ſpecificè à lumine beatifico humano; tùm, quia ex hoc ſequeretur, gratiam habitualem Angelorum ſpecificè à noſtra differre, quod nullus Theologorum admiſit. Tùm etiam, quia alias gradus ſublimior viſione beatifica Chriſto de facto concederetur, & non ſolum de poſſibili, cum gradus viſionis Angelicæ eſſet diuerſæ ſpeciei; & conſequenter ſublimior gradu viſionis beatificæ Chriſti: ergo diuerſitas ſpecifica luminum nulla potentia eſt poſſibilis.

26 Denique, nam hoc admiſſo, non ſoluitur argumen-
Denique facit. tum. Quod probo; nam ſi, non obſtante limitatione luminis gloriæ ſumpti genericè, ſunt poſſibiles gradus ſpecificè differentes, perfectioreſque ſine fine: ergo non obſtante limitatione ſpecifica luminis beatifici humani, erunt poſſibilia lumina indiuidualiter differentia, inæqualiaque ſine fine in perfectione indiuiduali: ergo pariter non obſtabit limitatio ſpecifica, poſſibilitati graduali exceſſus ſine fine.

Deindè tertia ſolutio reijcitur primò: quia omninò vo-
27 luntariè aſſerimr, qualitatem Patriæ cœleſtis propriam,
Tertia ſolutio impugnatur. 1. termino augmenti carere, & qualitates communes Patriæ, & viæ per augmentum ſummum terminari. Secundò,
Secundò. nam charitas, prout eſt viæ, non habet augmenti terminum: ergo ſi qualitas Patriæ propria, terminum augmenti non habet, charitas cœleſtis Patriæ nequit terminum habere.

28 Denique, nam ſequeretur, qualitates proprias viæ poſ-
Tertiò. ſe ſine termino augeri, videlicet, fidem, & ſpem: ex quo vlterius fiet, gratiam habitualem poſſe augeri in infinitum, cum nullus Theologorum diuerſitatem admiſerit inter gratiam, & fidem quoad hoc, quod eſt penès ſummum terminari. Patet ſequela: qualitas, quæ eſt propria Patriæ, poteſt ſine termino augeri iuxta tertiam ſolutionem; ſed ſtatus viæ eſt accommodatior augmento: ergo qualitates propriæ viæ ſine termino augmentabiles erunt.

29 Tandem vltima ſolutio reijcienda venit primò; quia
Vltima dupliciter venit reijcienda. falſum eſt, quod ſupponit, nempè, inæqualitatem gradualem viſionum ſumi ex inæqualitate intellectuum, de quo 1. *part. quæſt. 12. art. 5. & 6.* ibi non ſolum à Diſcipulis D. Thomæ, verum ab illis, qui partialiter intellectum, & lumen in viſionem influere docent, oppoſita ſententia defenditur.

30 Deindè, nam illa ſententia admiſſa, adhuc argumen-
Tertiò. tum non ſoluitur. Quod probo: nam ratio, quare lumen gloriæ, & charitas terminantur vſque ad ſummum eſt, quia ſunt formæ ſpecificè limitatæ: at hæc ratio deficit, admiſſo viſionem beatificam non terminari per ſummum quoad gradus ex natura intellectuali deſumptos: ergo, hoc admiſſo, etiam admittendum eſt, termino augmenti carere penès gradus ex lumine gloriæ ſumptos. Probo minorem: viſio beatifica non minus eſt limitata in eſſentia ſpecifica, quam charitas, & lumen gloriæ; & tamen iuxta ſolutionem datam eſt ſine fine augmentabilis penès gradus eſt ſumptos ex inæqualitate intellectuum: ergo limitatio ſpecifica non obſtat illimitationi graduali penès gradus ſumptos ex inæqualitate intellectuum; & conſequenter obſtare non poterit illimitationi graduali penès gradus ſumptos ex inæqualitate luminis.

(✣)

---

§. III.

Vlterior noſtræ concluſionis probatio.

SECVNDO principaliter ſuadetur concluſio ex Diui 31
Secundò principaliter ſuadetur concluſio. Thomæ *in præſenti art. 12. ad 2.* quod ita procedebat: *Augmentum gratiæ fit per virtutem diuinam; ſed virtus diuina, cum ſit infinita, nullo termino coarctatur: ergo videtur, quod gratia Chriſti potuerit eſſe maior.* Cui argumento his verbis reſpõdet: *Ad ſecundum dicendum, quod virtus diuina, licet poſſit facere aliquid maius, & melius, quã*
S. Thom. *ſit habitualis gratia Chriſti; non tamen poſſet facere, quod ordinaretur ad aliquid maius, quam ſit vnio perſonalis ad Filium vnigenitum à Patre: cui vnioni ſufficienter correſpondet talis menſura gratiæ ſecundum diffinitionẽ diuinæ ſapientiæ.* Ergo ſentit D. Th. poſſe eſſe gratiam habitualem intenſiuè maiorem, quam ſit gratia habitualis Chriſti, etſi non poſſit eſſe, etiam per omnipotentiam Dei gratia ad maius bonum ordinata, quam ſit hypoſtatica vnio.

Reſpondebis ex Caietano *in præſenti circa ſolut. ad 2.* 32
Reſpondebis Caietanus. D. Tho. intelligendum eſſe, non de gratia maiori intenſiuè, quam gratia Chriſti habitualis, ſed de meliori entitate: & ſic verum eſt, Deum poſſe facere aliquid melius, quam ſit gratia Chriſti habitualis, imò quæcumque ſubſtantia eſt entitatiuè melior, hoc eſt, perfectior in linea entis.

Sed contra primò: nam in eodem ſenſu loquitur *hic* D. 33
Sed contra primò. Thom. de meliori poſſibili gratia habituali Chriſti, in quo *infra q. 10. ar. 4. ad 3.* de meliori viſione beatifica, vt con-
S. Thom. ſtat ex illis verbis: *Dicendum, quod ſicut ſupra dictũ eſt de gratia,* nempè, *in præſenti art. quod non poteſt eſſe maior per reſpectum ad vnionem Verbi, &c.* Sed ibi loquitur D. Tho. non de perfectiori entitate abſolutè, ſed de gradu perfectiori viſionis, vt fatetur Caietanus: ergo *hic* non loquitur de entitate abſolutè meliori, ſed de meliori gratia poſſibili, gratia habituali Chriſti.

Secundò, quia argumentum procedebat non de meliori 34
Secundò. entitate, ſed de perfectiori gratia, vt conſtabit intuenti: ergo D. Th. *in ſolut. argum.* non de meliori entitate abſolu-
Tertiò. tè, ſed de gratia perfectiori loquitur. Tertiò, nam, ſi D. Tho. ſentiret, gratiam ex ſe terminum augmenti habere, eſſeque ſummam in Chriſto, facilius argumento occurreret, aſſerendo, quod licet diuina virtus infinita ſit in ſe; quia tamen ex parte facti repugnat, quod gratia vltra proprios terminos creſcat, & gratia Chriſti eſt in ſummo, ideò non poteſt augeri, quam ad meliorem entitatem recurrens, quod extra rem argumenti videtur. Cum ergo non ſic argumento facto occurrat, ſignum manifeſtum eſt, Angelicum Doctorem ſenſiſſe, poſſe eſſe de potentia abſoluta gratiam intenſiuè maiorem gratiæ habituali Chriſti.

Denique nam D. Tho. loquitur de meliori poſſibili de 35
Denique. potentia abſoluta, non tamen de lege ordinaria: at entitas melior gratia Chriſti abſolutè de facto, iuxta Caietanum, exiſtit: ergo non loquitur de entitate entitatiuè meliori, ſed de gratia perfectiori. Et vrgetur contra Caietanum ad
S. Thom. hominem; ipſe namque ex eo quod D. Th. *infra q. 10. ar. 4. ad 3.* loquitur de gradu excedente viſionem Chriſti beatam, poſſibili tantum de potentia Dei abſoluta, & gradus entitatiuè melior de facto in rerum natura exiſtit, infert, non de gradu abſolutè meliori viſione *ibi* loqui D. Thom. Sed eadem ratio viget, vt *in præſenti*, non de entitate meliori, ſed de meliori gratia loquatur; ergo ſic accipiendus eſt.

Reſpondebis ſecundo, D. Thom. intelligendum eſſe, non
Reſpondebis 2. de gratia ſpecificè eadem, intenſiuèque perfectiori, ſed de gratia ſpecificè diuerſa, & perfectiori ſpecificè, hancque poſſibilem eſſe: cæterum ex hoc non inferri, gratiam Chriſti potuiſſe intenſiorem eſſe de potentia abſoluta.

Sed contra hanc ſolutionem obſtat primò frequentior 36
Obſtat 1. aduerſus tradit. ſolutionẽ Theologorum ſenten. in 1. 2. q. 112. aſſerentium, implicare contradictionem, gratiam habitualem ſpecificè diuerſam ab ea, qua de facto ſanctificamur. Secundo, nam
Secundò. ſententia oppoſita admiſſa, interpretatio adducta non poteſt contextui D. Thom. congruere, nam argumentum, quod ſoluit D. Thom. procedebat de gratia maiori gratia Chriſti per augmentum, vt conſtat ex maiori aſſumpta, ſcilicet, augmentum gratiæ fit per virtutem diuinam, ex qua aſſumpta pro minori infinitate diuinæ potẽtiæ infert, poſſe eſſe gratiam maiorem habituali gratiæ Chriſti;

in quo

in quo diſcurſu D. Thom. loqui de gratia maiori, gratia Chriſti per augmentum factibile virtute diuina, à nullo oculos non claudente negabitur: ergo, vt ad rem loquatur D. Thom. *in ſolut. argumenti*, non de gratia maiori *Probatur minor.* ſpecificè; hæc enim exceſsiua non fit per augmentum gratiæ, ſed per diſtinctæ gratiæ productionem, ſed de gratia maiori gradualitèr intenſiuè loqui debet, alias ſolutio D. Thomæ argumento facto accomodari non poterit.

37 *Tertiò.* Tertiò, nam ſi D. Thom. ſentiret, gratiam ſumptam ſpecificè per ſummum gradum gratiæ terminari, & gratiam Chriſti ad iſtum gradum pertingere, melius argumento occurreret, aſſerendo, quòd licet virtus Dei augmentatiua gratiæ infinita ſit; quia tamen ex parti facti repugnat, vltra ſummum terminum augeri: ideò non eſt poſſibilis gratia maior gratia Chriſti. Quæ ſolutio cuilibet mediocriter capaci occurrit in ſententia ſuppoſita: at D. Thom. non fuit vſus hac ſolutione, ſed illa, quam ex ipſo adduximus, aſſerens, eſſe quidem maiorem gratiam poſſibilem de potentia abſoluta; non tamen ſecundum menſuram per diuinam ſapientiam præfixam: ergo non de gratia ſpecificè, ſed gradualitèr meliori loquitur D. Thom. in ſolutione adducta.

38 *Deniquè principalitèr ſuadetur cõcluſio.* Tertiò principalitèr ſuadetur concluſio; dilectio Dei amicabilis non habet terminum, ſed quacunique data poteſt Deus hominem magis, ac magis diligere amicabilitèr: ergo gratia habitualis non debet terminum intenſionis vltra quem magis, ac magis à Deo intendi non poſſit; & conſequentèr gratia habitualis Chriſti potuit eſſe maior intenſiuè de potentia abſoluta. Secunda conſequentia ex prima euidentèr colligitur: Prima ex antecedenti: tùm, quia gratia habitualis eſt terminus dilectionis amicabilis Dei; & conſequenter dilectione creſcente, creſcit intenſiuè gratia. Tùm etiam, nam Deum diligere hominem, eſt illi velle bonum; & conſequentèr magis diligere, eſt velle illi maius bonum: ergo Deum hominem magis diligere amicabilitèr, eſt velè illi maius bonum, quod eſt obiectum dilectionis amicabilis; ſed hoc bonum eſt gratia habitualis, vel viſio beatifica: ergo, creſcente dilectione amicabili Dei, debet creſcere gratia habitualis, vel viſio beatifica, quæ cum creſcere non poſſit, abſque incremento gratiæ habitualis, implicabit dilectionem amicabilem eſſe maiorem abſque maiori gratia habituali; & conſequentèr ſi dilectio amicabilis Dei ad hominem ſine termino creſcere poteſt, etiam gratia habitualis eſt ſine termino augmentabilis.

39 Antecedens autem probatur primò; dilectio Dei ad hominem abſolutè non habet terminum; ſicut nec omnipotentia, nec beneficientia diuina: ergo pariter nec dilectio amicabilis. Secundò, inimicitia hominis ad Deum non concluditur aliquo termino; ſicut nec ſtatus peccati; non enim poteſt homo tantum peccare, quin poſſit magis, ac magis peccare, & conſequentèr quin poſſit magis, ac magis creſcere in inimicitia ad Deum, quam peccatum mortale eſſentialitèr conſequitur: ergo amicitia Dei ad hominem termino caret; & conſequentèr dilectio amicabilis; alias maiorem amplitudinem dabimus homini in peccando, & Deum odio habendo, quam Deo in diligendo amicabilitèr hominem, quod abſurdum videtur.

40 *Reſpõdebis primò.* Reſpondebis primò, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; nam vt dilectio amicabilis Dei termino careat, non eſt neceſſarium, quod gratia habitualis ſpecificè ſumpta ſit gradualitèr infinitè augmentabilis, ſed ſufficit, quod ſumpta genericè, ſit ſpecie multiplicabilis ſine termino per differentias ſpecificans in perfectione inæquales. Vel ſecundò reſpondebis, negando antecedens, ad primam probationem, negando conſequentiam; nam dilectio Dei abſolutè, non habet pro termino bonitatem aliquam determinatam ſpecificè, ſed ſumptam genericè, ſub quo genere latent infinitæ ſpecies bonitatis poſſibiles in perfectione inæquales, quas diuina dilectio poteſt homini communicare ſine termino; & conſequenter ſine termino creſcere: dilectio autem amicabilis Dei habet pro termino bonitatem determinatam ſpecificè limitatam quoad eſſentiam; & conſequentèr, etiam quoad accidentia: vndè non poteſt ſine termino creſcere; ſicut nec illius obiectum. Et ex his ad ſecundam probationem, negabis conſequentiam; nam ſtatus peccati, & inimicitiæ ad Deum conſurgit ex peccatis ſpecificè differentibus, & ſine termino poſſibilibus: & idcircò termino caret; amicitia autem Dei ad hominem conſiſtit in actu determinato ſpecificè, cuius obiectum eſt bonitas ſpecificè ſumpta termino augmenti concluſa; & ideo ſine termino augmentabilis non eſt.

Sed neutra ſolutio argumento facto ſatisfacit: non prima: tum, quia innititur falſæ doctrinæ de multiplicabilitate ſpecifica gratiæ, quæ meliori Theologorum parti ſemper diſplicuit. Tùm etiam, nam ſi genus gratiæ, non obſtante, quod limitatum ſit poteſt differentijs ſine termino inæqualis perfectionis determinari, ergo etiam ſpecies limitata poterit differentijs indiuidualibus in perfectione inæqualibus ſine termino actuari. Ex quo vlterius infertur, poſſe etiam gradibus inæqualibus ſine termino perfici; ſi namque limitatio ſpecifica non obſtat infinitati ſyncathegorematicæ differentiarum indiuidualium ſine termino cur obſtare poterit gradibus intenſiuis ſynchategorematicè infinitis. 41 *Prima ſolutio reijcitur primò. Secundò.*

Deindè ſecunda ſolutio reijcitur, quia petit manifeſtè principium; argumentum enim contendit non eſſe præfixum terminum intenſionis, gratiæ ab intrinſeco, eo quòd diuina dilectio amicabilis termino caret. Quod probatur: tùm à paritate dilectionis Dei abſolutæ, quæ nullis terminis coarctatur: tùm ab inconuenienti; non enim poteſt non apparere inconueniens, quod inimicitia hominis ad Deum terminum incrementi non habeat, & quod amicitia hominis ad Deum, non poſſit ſine termino creſcere: ergo aſſerere dilectionem Dei amicabilem non poſſe ſine termino augeri, quia gratia ſumpta ſpecificè, quæ eſt illius obiectum, termino augmenti concluditur, non eſt argumentum ſoluere, ſed principium petere. Quod amplius *concluſ. ſequenti* conſtabit. 42 *Secunda reijcitur.*

---

§. IV.

Obiectionibus in contrarium occurritur.

Contra iſtam concluſionem oppones primò D. Tho. *in 3. diſt. 13. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 2.* quod ita procedebat: *Omne finite poteſt aliquid maius intelligi, & Deus poteſt aliquid maius facere; ſed in littera dicitur, quòd Deus illi maiorem gratiam conferre non potuit, nec poteſt plenior intelligi: ergo eſt infinita.* Cui argumento his verbis reſpondet: *Dicendum, quòd verba illa intelligenda ſunt quantum ad rationem gratiæ, quia omne, quod pertinet ad perfectionem gratiæ collatum ei fuit: vndè multa alia poteſt Deus facere, ſed non pertinerent ad rationem gratiæ, ſicut poteſt homini multas alias perfectiones naturales, & eſſentiales addere, ſed hæc non eſſent de ratione hominis, & eſſet tunc alia ſpecies, & non homo. Vel dicendum, quod licet quantum eſt in ſe poſſet facere maiorem gratiam quantum ad eſſentiam, quam ſit Chriſti; tamen nulla maior poſſet eſſe, cuius capacitas creata ſit capax, nec poſſet facere aliquam capacitatem, quæ non eſſet creata.* Quibus verbis duplicem ſolutionem præbet argumento facto, & vtraque concluſioni noſtræ videtur contraria. Ex prima ſic arguitur, omne, quod pertinet ad perfectionem gratiæ collatum fuit humanitati Chriſti: vndè etſi alia multa poſſet Deus facere ad perfectionem tamen gratiæ non pertinerent, vt expreſſè docet D. Tho. at ſi gratia Chriſti poſſit intenſiuè augeri non fuiſſet illi collatum, quidquid pertinet ad perfectionem gratiæ, & poſſet Deus aliquid facere ad rationem gratiæ pertinens; cum maior illa intenſio ad rationem gratiæ attineret, & de facto humanitati Chriſti conceſſa non fuiſſet: ergo gratia Chriſti non potuit intenſiuè augeri de potentia abſoluta. Ex ſecunda ſolutione tale argumentum conficitur: licet Deus poſſet facere maiorem gratiam quantum ad eſſentiam, quam ſit gratia Chriſti; non tamen poteſt facere maiorem gratiam, cuius capacitas creata ſit capax; ſed implicat augmentum intenſiuum gratiæ, ad quod in natura creata non ſit capacitas obedientialis; cum augmentum intenſiuum, cuiuſcumque qualitatis eſſentialitèr reſpiciat ſubiectum, & illius capacitatem, vel vt actu in eo receptum, vel ſaltim in aptitudine: ergo implicat gratiam Chriſti vlteriorem intenſionem recipere. 43 *Arguitur primò ex D. Thom.*

Vt huic obiectioni reſpondeam, placuit verba D. Thomæ loco *proximè* allegato *in ſolut. ad 3.* referre, ibi; 44

Per-

Perfectia autem, ad quam gratia diſponit, eſt coniunctio ad Deum, & hac eſt multiplex, videlicet in enigmate, & per ſpeciem: vndè, quantumcumque creſcat gratia viatoris, non poteſt eſſe ſimilis gratia comprehenſoris ſecundum actum, quamuis virtute poſſit eſſe maior, & eadem ratione quantumcumque creſcat gratia pura creatura, non poteſt peruenire ad gratiam creatura aſſumpta in vnitatem perſona, qua ad vnionem diſponit quodammodo, niſi & ipſa aſſumeretur; & quia non eſt aliter modus poſſibilis creatura, quo Deo coniungatur, quam per vnitatem perſone: ideò dictum eſt ſupra (nempè ſolutione ad 1. vt notatur in margine) *quòd capacitas creata, non poteſt ampliorem gratiam recipere.* Hæc D. Thom. Ex quibus apertè conſtat *ſolut. ad* 2. loquutum fuiſſe de gratia habituali Chriſti, non ſecundum intenſionem, qualiter eſſe finitam in ſententia D. Thom. conſtat ex dictis *diſp. praced.* potuiſſeque eſſe maiorem, habetur ex prima noſtræ concluſionis probatione; ſed ſecundum rationem diſpoſitionis, qualiter fuiſſe infinitam extrinſecè ratione gratiæ perſonalis, ad quam diſpoſuit *diſp. praced. concl.* 4. *in ſolut. ad* 4. docuimus, & loquendo de illa vt ſic, verum eſt collatum ei fuiſſe quidquid pertinet ad rationem gratiæ; non enim poteſt in linea gratiæ ad maiorem vnionem diſponere, quam ſit vnio perſonalis ad Deum. Verum etiam eſt, quod licet Deus quantum eſt de ſe poſſit facere maiorem gratiam quantum ad eſſentiam; tamen nulla maior eſſe poteſt, videlicet, in ratione coniungentis nos Deo, cuius creatura
S. Thom. ſit capax, quia vt inquit D. Thom. *ad* 3. verbis *proximè* relatis non eſt altior modus poſſibilis creaturæ, quo coniungatur Deo, quam per vnitatem perſonæ.

46 Vbi obiter eſt aduertendum, non admittere abſolutè Angelicum præceptorem poſſibilem ex omnipotentia Dei gratiam quantum ad eſſentiam maiorem gratia habituali Chriſti, ſed tantum aſſerere, quòd licet admitteremus, Deum quantum eſt de ſe maiorem gratiam quantum ad eſſentiam efficere poſſe; tamen nullam eſſe poſſe maiorem in ratione coniunctionis ad Deum, cuius creatura ſit capax, & iuxta hanc interpretationem accipiendus eſt D.
S.Thom. Thom. ad Annibaldum *diſt.* 13. *q. vnic. art.* 4 *ad* 1. ibi. *Ideò gratia Chriſti augeri non potuit, quia tanta fuit eius gratia, vltra quam augmentum eſſe non potuit remanente natura humana, ſe natura creata, & Deus non poteſt facere aliquam capacitatem increatam.*

47 Sed opponet aduerſus hanc ſolutionem, D. Thom.
Oppones ex D.Th. *loc. proximè alleg. in ſolut. ad* 3. quod ita procedebat: *Ad nullum effectum finitum poteſt diuina potentia finiri, quin poſſit maiorem facere; ſed capacitas gratia in Chriſto, & ipſa gratia finita: ergo Deus poterat maiorem facere.* Quod argumentum, certum eſt, procedere de potentia abſoluta: nam de lege ordinata, vel ordinaria, finitur Dei potentia ad finitos, & limitatos effectus. Et reſpondet D. Thom. *ad* 3. *Dicendum, quod hoc, quod gratia Chriſti maior eſſe non poſſit, non eſt ex limitatione potentia dantis, ſed ex capacitate ſuſcipientis.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur, D. Thom. loquitur de gratia Chriſti ſecundum augmentum finitum intenſiuum, & docet, non potuiſſe eſſe maiorem gratiam, quam gratia Chriſti de potentia abſoluta: ergo ſentit, gratiam Chriſti habitualem non potuiſſe augeri de potentia Dei abſoluta: minor eſt certa. Maiorem autem
48 Maior prob. 1. oſtendo ſic primò: nam loquitur D. Thom. de gratia Chriſti, vt finita; cum enim ex eo quòd potentia infinita per nihil finitum poſſit limitari, & gratia Chriſti finita ſit, infert, potuiſſe Deum efficere gratiam, quæ maior ſit gratia Chriſti, nec maiorem, nec minorem negauit D. Thom. ſed illis conceſſis, aſſeruit, non poſſe maiorem fieri, non ex defectu potentiæ diuinæ, ſed ex incapacitate creaturæ; & conſequenter fatetur, gratiam Chriſti eſſe finitam, illaque prout eſt finita, non poſſe eſſe aliam maiorem ex incapacitate creaturæ: at gratia Chriſti, vt diſponens ad gratiam vnionis, infinita eſt, intenſiuè, aut finita: ergo loquitur de gratia Chriſti ſecundum augmentum poſſibile intenſiuum.
Secundò. Secundò nam loquitur de gratia Chriſti ſecundum quod, non repugnat maior gratiæ ex parte potentiæ facientis, ſed ex parte potentiæ receptiuæ creatæ; ſed gratia Chriſti, prout diſponente ad vnionem, repugnat gratia maior etiam ex parte omnipotentiæ facientis: ergo non loquitur de illa ſecundum quòd eſt diſpoſitio, ſed ſecundum augmentum intenſiuum.

49 Reſpondeo, negando maiorem; ad primam probationem dicatur, gratiam Chriſti, vt diſponentem ad gratiam perſonalem vnionis, eſſe finitam intrinſecè; extrinſecè autem infinitam, & de illa prout ſic loquebatur D. Thomas. Ad ſecundam maioris probationem, diſtinguo maiorem; originaliter, concedo maiorem; proximè, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam licet prima radix vndè oritur impoſſibilitas maioris gratiæ, non ſit ex parte potentiæ Dei, ſed creaturæ incapacitas; ſi namque non repugnaret creaturæ Deo coniungi in vnitatem naturæ, in quo maior gratia conſiſteret; Deus id efficere poſſet, proximè tamen etiam id prouenit ex parte potentiæ Dei, quæ non extenditur ad id, quod creaturæ repugnat, & contradictionem inuoluit. Vel ſecundò poteſt dici, D. Thomam non negare, quod proueniat ex parte omnipotentiæ Dei, ſed tantum, quod maioris gratiæ poſſibilitas, non proueniat ex limitatione potentiæ Dei, quod veriſſimum eſt.

Reſpondetur ad 1. probationem. *Ad ſecundam.* *Sec vndò reſpondetur.*

50 *Secundò obijcies ex eodem D.Thom.* Secundò obijcies, D. Thomam *q.* 29. *de Veritate art.* 3. *in corp.* vbi inquirens de gratia Chriſti, an ſit infinita: Reſpondet: *Eſſe finitam ſecundum eſſentiam; infinitam verò ſecundum rationem gratia, quia cum infinitis modis poſſit conſiderari perfectio alicuius quantum ad gratiam nullus eorum defuit Chriſto, ſe habuit omnem plenitudinem, ad quam ratio huius ſpeciei gratia poteſt ſe extendere;* ſed præmiſerat D. Thomas duplicem perfectionis quantitatem, dimenſiuam, ſcilicet, quæ attenditur ſecundum extenſionem, & virtualem, quæ ſecundum intenſionem conſideratur: ergo tribuit gratiæ Chriſti omnem perfectionem intenſiuam gratiæ habitualis poſſibilem; & conſequenter ſentit, non potuiſſe incrementum intenſiuum ſuſcipere de potentia abſoluta. Et confirmabis ex eodem D. Thoma *loc. alleg. ad* 2.
Confirmatur. illis verbis: *Dicendum, quod gratia Chriſti eſt finita ſecundum eſſentiam, ſed infinita ſecundum rationem gratia; poteſt enim Deus facere meliorem eſſentiam, quam ſit eſſentia gratia: non tamen aliquid melius in genere gratia, cum gratia Chriſti omnia includat, ad qua ratio gratia ſe poteſt extendere;* ſed ſi poſſet Deus gratiam habitualem Chriſti augere intenſiuè, non ſolum poſſet facere meliorem eſſentiam, ſed etiam meliorem gratiam; cum gratia intenſiuè maior, eſſet in ratione gratiæ melior:
S. Thom. ergo ſentit D. Thom. gratiam Chriſti intenſiuè augeri non potuiſſe de potentia abſoluta.

51 *Reſpondetur.* Reſpondeo, D. Thomam, quantitatem omnem virtualem, quæ cum quantitate perfectionis conuertitur, vocare intenſiuam, contrapoſitiuè ad quantitatem molis, quam vocat extenſiuam; non autem omnem talem quantitatem iudicat intenſiuam gradualitèr, intenſione ſumpta per maiorem radicationem *in* ſubiecto; ſed quantitas virtutis, quam intenſiuam appellat, contrapoſitiuè ad quantitatem molis dupliciter ſumi poteſt, & intenſiuè penès maiorem radicationem *in* ſubiecto, & extenſiuè penès ordinem ad effectus. Quod patet, nam quantitatem virtutis animæ ſenſitiuæ vocat in illo ſenſu intenſiuam; cum tamen intenſionis gradualis anima ſenſitiua ſit incapax: cum ergo aſſerit gratiam Chriſti eſſe infinitam ſecundum rationem gratiæ, loquitur de gratia ſecundum intenſionem quantitatis virtualis in ordine ad ſupernaturales effectus: quia, nempè, ad omnia opera non dicentia imperfectionem cum viſione beatifica, aut vnione hypoſtatica repugnantem ſe extendit gratia habitualis in Chriſto, vt *diſput. praced. in* 3. *concluſ.* explicuimus: non autem de illa ſecundum gradualem intenſionem, ſumpta per maiorem radicationem in ſubiecto: ſic enim gratiam Chriſti fuiſſe finita, præter ea, quibus *diſput. praced.* id probauimus, conſtat manifeſtè ex eodem D.
S. Thom. Thoma vbi *proximè ſolut. ad* 4. illis verbis: *Dicendum, quòd forma eſt principium actus ſecundum quod habet eſſe in actu, non autem eſt poſſibile, quòd à forma, cuius eſſentia eſt finita procedat actio infinita ſecundum intenſionem: vndè & meritum Chriſti non fuit infinitum ſecundum intenſionem eius; finitè enim diligebat, & cognoſcebat, &c.*

52 Ex quibus verbis illatione, meo iudicio, euidenti colligitur, Angelicum Doctorem ſenſiſſe, gratiam Chriſti habitualem non fuiſſe intenſiuè infinitam; nam ex eo quod gratia Chriſti fuit finitæ eſſentiæ, infert D. Thomas dilectionem, & cognitionem Chriſti, non fuiſſe ſecundum intenſionem infinitas, ſed nomine eſſentiæ finitæ, non ſolum intelligit limitationem eſſentiæ eſſentialem ex genere, & differentia deſumptam, verum etiam limitatio-

tationem eſſentiæ gradualem intenſiuam : ergo ſentit D. Thomas, gratiam Chriſti fuiſſe finitæ eſſentiæ, non ſolum eſſentialitèr, ſed etiam intenſiuè gradualitèr. Probo manifeſtè minorem: forma eſſentiæ finitæ eſſentialitèr, & gradualiter infinitæ, poteſt eſſe principium dilectionis gradualiter intenſiuè infinitæ, vt ex terminis patet: ergo, vt D. Thomas inferat ex finitudine eſſentiæ gratiæ habitualis Chriſti negationem infinitatis intenſiuæ in amore, & cognitione, quibus Deum cognoſcebat, & amabat, neceſſarium eſt, quod loquatur de finitudine eſſentiæ gratiæ, non ſolum eſſentiali, verum etiam graduali. Nec mirum, quod limitatio gradualis, limitatio eſſentiæ dicatur; cum augeri qualitatem gradualiter ſit ſecundum eſſentiam augeri, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 5. in corp. ad finem: vndè qualitas infinitæ intenſionis rectè appellari poſſet infinita ſecundum eſſentiam; & qualitas finitæ intenſionis, finita ſecundum eſſentiam, & eſſentiæ finitæ meritò dicitur.

S. Thom.

53 *Ad cōfirmationē reſpōdetur.* Et ex his ad confirmationem, diſtinguo minorem: poteſt Deus facere meliorem gratiam ſecundum intenſionem gradualem, concedo minorem: ſecundum quantitatem virtualem extenſiuam, nego minorem, & conſequentiam; quia ſolum hoc ſecundum negat D. Thomas, non primum.

54 *Replicabit ex D. Thom.* Sed contra iſtam ſolutionem inſurget ex D. Thoma *in præſenti art. 9. & 10.* vbi, vt ſaluet plenitudinem gratiæ habitualis in Chriſto, ſuiſſeq; illi propriam, præmittens primò plenitudinem in totalitate conſiſtere: ſecundò totalitatem in gratia dupliciter ſumi, ſeu attendi poſſe, nempè, ſecundum quantitatem intenſiuam, & ſecundum virtutem operatiuam. Reſpondet: *Gratiam fuiſſe plenam in Chriſto, & ſecundum virtutem quia in illo extendit ad omnes effectus gratiæ, & ſecundum intenſionem quia fuit in illo gratia ſecundum intenſionem in ſummo.* Ex qua doctrina ſic argumentator contra traditam ſolutionem: gratia habitualis fuit in Chriſto ſummo ſecundum quantitatem intenſiuam; & ideò fuit plena in illo ſub hac conſideratione; ſed quod eſt in ſummo, augeri non poteſt, etiam de potentia Dei abſoluta: ergo gratia habitualis Chriſti, non poteſt etiam de potentia abſoluta incrementum intenſiuum ſuſcipere.

55 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem, explicandoque D. Thomam: fuit in ſummo intenſionis de lege ordinaria poſſibili, concedo maiorem: in ſummo de potentia abſoluta, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Itaque quod eſt in ſummo, incapax augmenti eſt iuxta modum, quo eſt in ſummo, cæterum iſte modus eſt duplex, ſcilicet, in ſummo de lege ordinaria, & in ſummo de potentiæ abſoluta; gratia autem in Chriſto fuit in ſummo de lege ordinaria, non in ſummo de potentia abſoluta; & ideò non potuit de lege ordinaria augeri; potuit tamen de potentia abſoluta intenſiuum incrementum ſuſcipere.

56 *Inſtabis primò.* Sed contra iſtam ſolutionem inſtabis primò, eodem modo loquitur D. Thomas de ſummo intenſionis gratiæ Chriſti, atque de ſummo ſecundum quantitatem virtutis; ſed gratia Chriſti fuit in ſummo de potentia abſoluta ſecundum quantitatem virtutis: ergo etiam fuit in illo in ſummo de potentia abſoluta ſecundum quantitatem intenſiuam. *Secundò.* Secundò, nam probat D. Thomas fuiſſe in ſummo intenſionis ex ſumma approximatione ad Deum, qui eſt principium influens gratiam; ſed fuit in ſummo approximationis ad Deum, etiam de potentia abſolute: ergo etiam in ſummo intenſionis de potentia Dei abſoluta.

57 *Tertiò.* S. Thom. Tertiò, nam iuxta D. Thomam *art. 10. Ex parte ſubiecti dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plenè gratiam ſecundum ſuam conditionem, ſiuè ſecundum intenſionem prout in eo eſt intenſa gratia, vſque ad terminum præfixum ei à Deo.* Verba ſunt D. Thomæ quibus diſtinguit plenitudinem gratiæ intenſiuam ex parte ſubiecti à plenitudine intenſiua gratiæ ex parte ipſius gratiæ, conſiſtente in ſummo gratiæ quoad eſſentiam, & virtutem; ſed gratiam eſſe in Chriſto in ſummo intenſionis poſſibilis de lege ordinaria, ſolum eſt eſſe intenſam in illo vſque ad terminum præfixum ei à Deo: ergo eſſe iſto modo in ſummo, non arguit plenitudinem gratiæ ex parte gratiæ, ſed tantum ex parte ſubiecti; & conſequenter, vt ſaluetur in Chriſto plenitudo gratiæ ex parte ipſius gratiæ, quam D. Thom. intendit in *art. 9. & 10.* fatendum eſt, eſſe in illo gratiam in ſummo intenſionis de potentia abſoluta poſſibilis.

58 *Quartò.* Quartò, nam gratiam eſſe in ſummo intenſionis in Chriſto, docetur à D. Thoma, vt ſaluet eſſe in illo plenitudinem gratiæ intenſiuam, tam ex parte formæ, quam ex parte ſubiecti, ſed niſi ſit in ſummo poſſibili de potentia abſoluta, non ſaluatur iſta plenitudo: ergo explicatio à Nobis tradita ad mentem D. Thomæ non eſt. Probatur minor, tantum dicitur cum proprietate plenus aliquis, qui ſecundum illam capacitatem, qua aliquid in ſe continet, non poteſt amplius illius generis recipere, ſicut vas tunc cum proprietate dicitur aqua plenum, cum non poteſt plus aquæ in ſe recipere: ergo, vt Chriſtus propriè plenus gratia ſecundum intenſionem dicatur, requiritur habere tantam gratiæ intenſionem, quantam illius humanitas ſubſtantialitèr ſanctificata infinitè à Deitate capere poteſt. Sed humanitas, vt ſic ſanctificata, poteſt capere tantam gratiæ intenſionem, quantam Deus poteſt efficere; nam quamcumque deſignaueris, maiorem, ac maiorem ſine termino expoſcit: ergo, vt Chriſtus propriè plenus gratiæ dicatur, requiritur omnis intenſio gratiæ poſſibilis de potentia abſoluta; & conſequentèr, quod illius gratia habitualis ſit in ſummo intenſionis poſſibilis de potentia abſoluta.

59 *Quintò.* Denique, nam potentia ordinaria producendi gratiam in Chriſto, eſt omninò abſoluta; cum nulla ſit exigentia creata, quæ Dei potentiam limitet ad certum aliquem terminum, niſi ſola Dei voluntas; nam dignitas Redemptoris, cum infinita ſit, omniumque donorum poſſibilium capaciſſima, & digniſſima, nullum præſtituit limitem diuinæ potentiæ: ergo ſi gratia fuit in Chriſto in ſummo intenſionis de potentia ordinaria, fuit etiam in ſummo intenſionis de potentia abſoluta.

60 *Ad primā obiectionē reſpondetur.* Ad primam ex his obiectionibus reſpondeo, diſtinguendo maiorem: eodem modo in omnibus, nego maiorem: in aliquo, concedo maiorem: & prætermiſſa minori, nego conſequentiam; tenet ſimilitudo in ratione ſummi; differunt autem penès ſummum de potentia abſoluta, & ſummum de lege ordinaria; & ratio differentiæ eſt, nam in quantitate, ſecundum virtutem, dabilis eſt terminus in gratia, ſicut & in alijs quibuſcumque formis datur: non enim ad omnes operationes ſingulæ formæ extenduntur, ſed omnes habent tales operationes, vltra quas non poſſunt ſe extendere; & ideò gratia Chriſti iſtum terminum attingens, non potuit etiam de potentia abſoluta ſecundum quantitatem virtutis augeri; in quantitate verò intenſiua, non eſt dabilis terminus augmenti in gratia; & ideò ſecundum hanc quantitatem, non potuit eſſe in ſummo de potentia abſoluta, ſed tantum in ſummo de lege ordinaria poſſibili.

61 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam; nam in approximatione eſt dabile ſummum poſſibile de potentia abſoluta: ſecus autem in ſummo intenſionis, & vt obiectio facta concluderet, neceſſum erat, quod eſſet dabile ſummum intenſionis poſſibile de potentia abſoluta, ſicut eſt dabile ſummum approximationis. *Ad tertiā.* Ad tertiam obiectionem dicatur, plenitudinem gratiæ ex parte gratiæ, coincidere cum plenitudine gratiæ ex parte ſubiecti in Chriſto eo, quòd eſt in illo in ſummo ſecundum determinationem voluntatis diuinæ; nam inter gradus gratiæ, quos Deus impertiri decreuit, ſupremum Chriſto conceſſit, non ſic alijs ſanctis, & ideò licet in illis plenitudo gratiæ ſubiectiua non coincidat cū plenitudine gratiæ ex parte gratiæ; in Chriſto tamen coincidit, ſicut ſi daretur ſubiectum habens formam ſecundum omnem intenſionem, cuius naturalitèr eſſet capax, plenitudo ſubiectiua coincideret cum plenitudine formæ ex parte formæ: ſecus autem plenitudo ſubiectiua ſubiecti non habentis formam ſecundum omnem intenſionem, cuius talis forma eſſet naturalitèr capax; vnde ignis dicitur habere plenè calorem vtraque plenitudine, quia in illo habet calor intenſionem vt octo, cuius tantum naturalitèr calor eſt capax: ſecus autem alia ab igne, in quibus calor iſtum intenſionis gradum non attingit.

62 *Ad quartam.* Ad quartam, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem dicatur, duplicem eſſe poſſibilitatem, vnam de potentia abſoluta, & alteram de lege ordinaria, & ſimilitèr duplicem plenitudinem; id dicitur propriè plenum plenitudine de potentia abſoluta, quòd non poteſt plus formæ, etiam de potentia abſoluta recipere, & id dicitur cum proprietate plenum plenitudine de potentia ordinaria, quod non poteſt de lege ordinaria plus talis formæ recipere; licet autem Chriſtus plus intenſionis gratiæ potuerit de potentia abſoluta recipere, & idcircò ne-

queat

queat dici cum proprietate plenus gratia plenitudine de potentia abſoluta; non tamen poteſt plus intenſionis gratiæ recipere de lege ordinaria, & idcirco dicitur cum proprietate plenus gratia plenitudine de potentia ordinaria.

63 *Ad quintam.* Ad vltimam obiectionem dicatur, potentiam Dei abſolutam poſſe limitari, vel ab exigentia ſubiecti terminum illi præfigentis, vel à voluntate diuina, quando in exigentia ſubiecti determinatio non eſt, ſed ad terminum ſine fine ſe extendit, & ex quocumque capite limitetur, ſit ordinaria à potentia abſoluta diſtincta; licet autem in Chriſto limitatio potentiæ diuinæ ad tantam, & non maiorem gratiam, non proueniat ex parte exigentiæ ſubiecti, quæ ad gratiam ſine termino extenditur prouenit ex voluntate libera Dei; nam cum dignitas ſubiecti eſſet ad habitualem gratiam ſyncathegorematicè infinitam, & infinita gratia non eſt poſſibilis, Dei voluntas libera gradualem intenſionem gratiæ taxauit, & omnipotentia diuina abſolutè potens maiorem gratiam humanitati Chriſti concedere ex voluntate ſuppoſita, ad maiorem illi gratiam largiendam fuit reddita impotens.

64 *Vrgebis adhuc.* Sed dices, etiam reſpectu D. Petri v.c. eſt impotens Deus impotentia orta ex decreto libero voluntatis diuinæ ad plus gratiæ illi largiendum, quam de facto dedit; & tamen non dicitur habens intenſionem gratiæ poſſibilem de lege ordinaria: ergo, quod Deus, decreto libero taxante Chriſto gratiam ſuppoſito, non ſit potens intenſiorem gratiam concedere, non ſufficit, vt dicatur fuiſſe in Chriſto omnem gratiæ intenſionem de lege ordinaria poſſibilem.

65 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando conſequentiam; & ratio diſcriminis eſt; nam licet ſuppoſito decreto de tanta gratia D. Petro concedenda, non ſit poſſibilis maior gratia in illo; eſt tamen poſſibilis intenſior gratia in alijs; & idcircò non poteſt dici D. Petrus habens omnem gratiæ intenſionem poſſibilem de lege ordinaria: reſpectu autem Chriſti non ita, ſed maior gratia eſt impoſſibilis, non ſolum Chriſto, ſed etiam alijs; decreuit enim Deus illi gratiam omnium largiendarum maximam impertiri: vndè illius gratia rectè iure dicitur: maior omni gratia de lege ordinaria poſſibili.

66 *Arguitur primò.* Objicies tertiò, ſi in Chriſto non fuiſſet gratia habitualis in ſummo intenſionis poſſibilis de potentia abſoluta, nulla eſſet aſſignabilis ratio, cur ſucceſſu temporis non fuerit magis intenſa; hoc non admittemus: ergo fateri debemus gratiam habitualem fuiſſe in Chriſto in ſummo intenſionis poſſibilis de potentia abſoluta. Maior probatur: nam vel ideo ſucceſſu temporis non fuiſſet magis intenſa, quia non erat in ſtatu merendi; & hoc non, quia plurima nobis promeruit, vel quia non erat in ſtatu merendi ſibi; & hoc non, quia ſibi meruit gloriam corporis, nominiſque exaltationem, vel quia non decebat, quòd mereretur aliquid, quoad tempus careret; & nec iſta ratio conuincit, quia meruit gloriam corporis, qua ad tempus caruit: vel denique eſſet, quia gratia habitualis, & gloria commenſurantur: ac proindè ad augmentum gratiæ, & etiam gloria augeri debuiſſet; & hoc inconueniens non eſt quia maius commodum fuiſſet Chriſto gloriam intenſiorem ſuis meritis obtinere, quam carere in perpetuum gloria commenſurata cum dignitate ſubſtantiali ſanctitatis animæ, & cum ſuis actibus infinitè meritorijs: ergo niſi dicamus gratiam Chriſti habitualem fuiſſe in ſummo de potentia abſoluta, non eſt dabilis ratio ſufficiens, cur de facto ſucceſſu temporis non creuerit.

67 *Reſpondetur.* Reſpondeo ſufficientem rationem eſſe, cur Chriſtus Dominus non meruit ſuis actibus augmentum gratiæ, & beatitudinis eſſentialis, quam tradit D. Thom. *in præſenti art. 12.* nempè, eſſe gratiam Chriſti habitualem in *S. Tho.* termino, ſiue ſtatus termini repugnet eſſentialitèr cum merito augmenti beatitudinis eſſentialis, & gratiæ, vt *Vazquez.* voluit Vazquez 1.2 *diſput. 216. cap. 4.* ſiuè tantum ex natura rei tale meritum excludat, vt docuit Monteſinos 2. *Monteſ.* *tom. in 1.2. diſp. 35. q. 5. num. 77.* ſiuè ex diuina ordinatione congruente rerum naturis, vt alij voluere; & congruit namque cum rerum naturis, vt res in termino exiſtens inuariabilis ſit. Nec obſtat, alijs Chriſtum meruiſſe: hoc enim Chriſtus fecit, quatenus erat viator. Nec etiam obſtat ſibi gloriam corporis meruiſſe: nam in ordine ad beatitudinem corporis, non in termino erat, ſed in via; reſpectu autem beatitudinis animæ in termino ab initio fuit.

Sufficiens etiam ratio eſt, quam tradit D. Thomas *infra q. 19. art. 3. in corpore*, nempè, melius fuiſſe Chriſto 68
gratiam cum omni intenſione ſibi a Deo conferenda ab *S. Tho.*
initio conceptionis habuiſſe, quam gratia, ſiuè intenſione gratiæ ad tempus carendo illam obtinere per merita. Nec obſtat ratio in contrarium ab exemplo gloriæ corporis, quam *loc. citat.* objicit D. Thomas, & ſoluit, eo quod gloria corporis minus eſt, quam dignitas merendi, quæ prouenit a charitate; gratia autem habitualis, & augmentum intenſionum illius melius quid eſt, quam dignitas meritoria, quæ à charitate præſtatur, vndè melius fuit Chriſto gloria corporis carere, vt illam obtineret per merita, quam à principio ſine meritis obtinere; ſecus autem de gratia, & intenſione illius oppoſita de cauſa eſt dicendum. Nec iterum obſtat, quod vltimo loco objicitur; Deus namque dedit ſine meritis Chriſto omnem gratiæ, & gloriæ intenſionem ob dignitatem ſanctitatis ſubſtantialis, quam conferret propter merita, ſi intuitu illorum gratiæ, & beatitudinis intenſionem ei conferre decreuiſſet: vnde ex tali modo collationis gratiæ, & gloriæ nullum fuit paſſus incommodum.

Quartò objiciunt Recentiores, intenſio virtutum infu- 69
ſarum per gradus diſſimiles ſine termino in infinitum, non *Quartum*
eſt poſſibilis: ergo nec intenſio gratiæ habitualis; conſe- *argumentum.*
quentia euidens eſt, maximè in noſtris principijs, iuxta quæ virtutes infuſæ, vt paſſiones conſequuntur gratiam habitualem. Antecedens autem probant: virtus per ſe infuſa ſuaptè natura deſtinatur ad actus morales, & liberos; & conſequenter intenſio virtutis ad intenſionem actus moralis, & liberi; ſed repugnat intenſio infinita virtutis per gradus diſſimiles ad intenſionem actus moralis, & liberi: ergo abſolutè repugnat infinita intenſio virtutis infuſæ, per gradus diſſimiles; & conſequenter non eſt per tales gradus intenſibilis ſine termino infinitè.

Probatur minor repugnat intenſio infinita auxiliorum 70
gratiæ per gradus diſſimiles ordinata ad actum liberum; *Probatur*
ſed cum poſſibilitate intenſionis infinitæ virtutis infuſæ *minor.*
per gradus diſſimiles, non ſtat repugnantia ſimilis intenſionis auxiliorum gratiæ, cum hæc virtuti reſpondeant, & ad illam iuuandam ordinentur; & conſequenter cuilibet gradui gratiæ poſſibili virtutis infuſæ correſpondere debeat ſimilis auxiliorum gratiæ gradus, ſaltem in eſſe poſſibili: ergo repugnat intenſio infinita virtutis infuſæ per gradus diſſimiles ordinata ad actum honeſtum, & liberum. Maior probatur, nam potentia phyſica, vel moralis ad reſiſtendum auxilijs diuinæ gratiæ eſt finita: ergo in tantum poteſt creſcere auxiliorum gratiæ intenſio, vt omninò ſuperet illam, tollatque eius libertatem; ſed incrementum intenſiuum auxiliorum gratiæ Dei, non poteſt eſſe maius intenſione infinita: ergo intenſio infinita auxiliorum gratiæ per gradus diſſimiles tollit libertatem ab actu; & conſequenter repugnat infinita intenſio auxiliorum per gradus diſſimiles deſtinata ad actum moralem, & liberum.

Hoc tamen argumentum, ſpecioſè quidem, ſubtiliter- 71
que compoſitum, ſolidum non eſt, nec vrget, & inſtatur *Hoc argumentum inſtatur primò.*
manifeſtè in intenſione per gradus ſimiles, quam ſine termino fatentur poſſibilem. Si namque vis reſiſtitiua voluntatis, quia finita, & limitata eſt, poteſt vinci per auxilia gratiæ intenſa; & conſequenter tolli libertas; poterit ſuperari, non ſolum per auxilia gratiæ intenſa per gradus diſſimiles, ſed etiam per gradus ſimiles: ergo auxilia gratiæ per ſimiles gradus intenſa libertatem poſſunt tollere ab actu; ſed non minus repugnat gradus ſimiles auxiliorum ordinatos ad actum honeſtum, & liberum libertatem actus tollere, quam quod illam tollant gradus diſſimiles ad actum liberum deſtinati: ergo ſi hoc argumentum probat terminum incrementi intenſiui auxiliorum gratiæ, & virtutum infuſarum per gradus diſſimiles, conuincit etiam terminum incrementi intenſiui facti per gradus homogeneos, & ſimiles.

Reſpondet, eſſe diſparem rationem; nam licet verum 72
ſit poſſe auxilia gratiæ adeò per ſimiles gradus intendi, *Reſpondit*
vt libertatem actus impediant, vel tollant: quod autem *aſſignando*
gradus iſti compleant vim auxiliorum libertatem actus *diſcrimen.*
impeditiuam conuenit illis per accidens; nam ex ſe potuerunt cum minori intenſione auxiliorum gratiæ componi, cum qua libertatem non tollerent ab actu. gradui verò diſſimili non per accidens, ſed per ſe conuenit vim gratiæ libertatis ablatiuam integrare; repugnat enim gradui intenſiori diſſimili componi cum minori intenſione: non autem inconuenit, quod gradus de ſe ordinatus ad actum

libe-

liberum, & honeſtum, per accidens libertatem impediat: quod verò gradus per ſe ordinato ad actum moralem, & liberum repugnet in liberum actum influere, inconueniens maximum, & impoſſibile eſt.

73 *Reijcitur ſolutio 1.* Diſplicet tamen hæc ſolutio, ratioque diſcriminis, nam contra rationem voluntatis, vt liberæ in actu primo, non ſolum eſt quod ei repugnet ad actum liberum concurrere, ſed etiam quod de facto in actum neceſſarium influat: ergo contra rationem gradualis perfectionis ad actum liberum deſtinatæ, non ſolum erit, quod ei influxus in actum liberum repugnet, ſed etiam quod de facto libertatem actus tollat, & in actum neceſſarium influat; & conſequenter ſi ex repugnantia influxus in actum liberum illata ex incremento intenſiuo gratiæ per gradus diſſimiles, huiuſmodi intenſio negatur, ex impedimento actualis libertatis actus illato ex incremento intenſiuo ſine termino per gradus homogeneos, & ſimiles, neganda eſt poſſibilitas huiuſcemodi augmenti.

74 *Inſtatur 2. argument.* Secundò, efficacia argumenti facti alia inſtantia manifeſtè probatur; auctor enim argumenti fatetur poſſibiles ſpecies gratiæ habitualis ſine fine; & conſequenter fateri, etiam tenetur, virtutes infuſas ad actus liberos deſtinatas ſine fine poſſibiles, & ſpecificè differentes, & vlterius admittere debet ſpecificam differentiam auxiliorum gratiæ ſine fine poſſibilem; hæc enim virtutibus, & virtutes gratiæ habituali correſpondent. Ex quibus, quæ à prædicto Auctore nequeunt in ſuis principijs negari, ſic oſtenditur facti argumenti imbecillitas. Si poteſt gratia auxilians adeò gradualiter intenſiuè creſcere, vt reſiſtentiam voluntatis ſupperet, poterit etiam adeò creſcere gradualiter ſpecificè, vt reſiſtentiam voluntatis vincat, & libertatem actus, ad quem deſtinatur, tollat: hoc ſecundum non admittet, alias non poſſet gratia auxilians ſpecificè multiplicari ſine termino: ergo nec primum admittere debet. Maior patet; non enim minus creſcit vigor gratiæ ex gradibus ſpecificis, quam ex gradibus intenſiuis; ob incrementum vigoris ex graduali intenſione poteſt ad gradum aliquem deuenire, libertatem impedientem: ergo pariter ob incrementum vigoris ex gradibus ſpecificis ſuperabit voluntatis reſiſtentiam, & libertatem impediet.

75 *Reſpondet ad argumentum.* Ad argumentum ergo reſpondeo, negando antecedens: ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, nego maiorem, loquendo de intenſione auxiliorum ſyncathegorematicè infinita, nam cathegorematicè infinitam repugnare conſtat ex dictis diſputatione præcedenti. Ad maioris probationem dicatur potentiam reſiſtiuam voluntatis, vt liberæ, ad diuinæ gratiæ auxilia eſſe finitam cathegorematicè in actu; infinitam tamen ſyncathegorematicè: vndè auxilia gratiæ mouentia voluntatem, vt liberam, ſi ſint obiectiuè, & per modum actus primi mouentia, non poſſunt vim reſiſtiuam in ſenſu, non ſolum diuiſo, ſed nec etiam in ſenſu compoſito, auferre, eò quòd cum ſemper talia auxilia moueant medio iudicio libero, & indifferenti, & alias non ſint eſſentialiter cum actu, ad quem mouent, connexa, non poſſunt facultatem reſiſtendi per modum actus primi reſiſtentia cum eiſdem auxilijs componibili auferre. Auxilia autem mouentia efficaciter, eſto infallibiliter cum actu, ad quem mouent, connexa, licet non relinquant vim reſiſtendi in ſenſu compoſito; relinquunt tamen vim oppoſitum faciendi in ſenſu diuiſo, eò quòd mouent voluntatem, vt agat non ſolum ſubſtantia actus, ſed etiam modum libertatis illius, & medio iudicio indifferenti: implicat autem, quòd voluntas noſtra medio iudicio indifferenti, actum neceſſarium eliciat, ſicuti è contra, quod medio iudicio neceſſario in actum liberum influat, vt docetur à noſtris Thomiſtis in *tract. de auxilijs*.

76 Si autem auxilia gratiæ moraliter excitantia, vt ſunt affectiones indeliberatæ voluntatis, & illuſtrationes ſubitæ intellectus cum iudicio neceſſario voluntatem regulante concurrant, actum neceſſarium cauſabunt: cæterum hoc non ex illarum intenſione proueniet; quæcumque enim quantumuis magna intenſio horum auxiliorum poteſt voluntatem ad actum, mediante iudicio indifferente mouere; & conſequenter illius libertatem illæſam conſeruare. Et quidem contrarij Auctores eodem modò ſentiunt de auxilijs gratiæ excitantibus; & moraliter ad voluntatis actum concurrentibus, ac de tentationibus ad malum pulſantibus; tentatio autem, ſiue ab exteriori principio, ſiue ab appetitu ſenſitiuo procedebat, quantumcumque creſcat, non poteſt libertatem voluntatis auferre, niſi totaliter rationem abſorueat, vt contingit in amentibus, in quibus paſſio appetitus, non ſolum obnubilat, ſed penitus rationem abſorbet, vt expreſsè docet D. Thomas 1. 2. q. 10. *art.* 3. *ad* 2. S. Thom. ergo pariter auxilia gratiæ excitantia, & moraliter mouentia, niſi auferant indifferentiam iudicij, libertatem actus impedire non poſſunt. Eo autem ipſo quod indifferentiam iudicij tollant, non ſunt ad actum liberum virtutis deſtinata, ſed ad actum neceſſarium; ac proindè intenſio quantumuis magna gratiæ ad actum liberum deſtinatæ libertatem actus impedire non poteſt.

77 *Vltimum argumentum.* Denique obijciunt, actus virtutis infuſæ, non poteſt creſcere ſine termino intenſiuè per gradus diſſimiles: ergo virtus infuſa, non poteſt per gradus diſſimiles ſine termino augeri; & conſequenter nec gratia habitualis. Secunda conſequentia ex prima euidenter colligitur: commenſuratur enim augmentum intenſiuum virtutum infuſarum cum augmento intenſiuo gratiæ. Prima ex antecedenti infertur; nam virtus nequit intendi abſque poſſibilitate ſimilis intenſionis actus, ad quem ordinatur. Antecedens autem ſuadetur, actus virtutis naturalis reſpiciens obiectum formale actus ſupernaturalis (quod ſupponunt eſſe poſſibile) non poteſt per gradus diſſimiles ſine termino intendi: ergo nec actus ſupernaturalis. Conſequentia patet, nam intenſio poſſibilis actus ſupernaturalis non excedit intenſionem poſſibilem actus naturalis reſpicientis idem motiuum. Tùm, quia experimento conſtat, non alia intenſione fieri à nobis actus ſupernaturales, ac naturales. Tùm etiam, quia Angeli intenſione inæquali ſe diſpoſuerunt ad gratiam, & gloriam, iuxta inæqualem conatum naturæ, quo naturales actus intendunt. Tùm denique, quia habitus ſupernaturales eleuant naturam ad actus vitales ſupernaturales iuxta potentiam obedientialem actiuam intrinſecam ipſi naturæ; potentia autem obedientialis actiua ad actus vitales ſupernaturales eſſentialiter ſupponit potentiam actiuam naturalem ad actus naturales; & conſequenter poſſibilitas intenſionis actus ſupernaturalis, poſſibilitatem ſimilis intenſionis actus naturalis ſupponit: ergo ſi eſt impoſſibilis intenſio actus naturalis ſine fine per gradus diſſimiles, etiam eſt impoſſibilis intenſio actus ſupernaturalis per gradus diſſimiles ſine fine.

78 *Antecedens probatur.* Antecedens autem probatur, virtus naturæ ad intenſionem actus eſt finita, & limitata: demus ergo terminari ad intenſionem gradualem *vt octo*: tunc ſic arguitur: implicat gradus intenſionis *vt nonum* diſſimilis componens cum alijs gradibus vnum, & eundem actum: ergo intenſio actus naturalis per gradus diſſimiles non eſt ſine fine poſſibilis. Antecedens, in quo ſolo eſt poſita difficultas, probatur; implicat vnum actum componi ex gradibus, quorum vnus naturalis ſit, & alius ſupernaturalis; ſed gradus diſſimilis intenſionis *vt nonum* ſupernaturalis eſt: gradus autem ſuppoſiti in actu, ſunt naturales: ergo ex illis non poteſt vnus actus integrari. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; gradus ille talis conditionis eſt, vt ab intrinſeco ſuperet exigentiam virtutis naturalis actiuæ, cum eo ipſo quod diſſimilis ſit, eſſentialiter ſupponat octo gradus intenſionis, ad quos exigentiam actiuitatis naturalis terminari ſupponimus; ſed quod ab intrinſeco naturæ exigentiam ſuperat, eſt ſupernaturale quoad ſubſtantiam: ergo gradus nonus diſſimilis intenſionis, ſupernaturalis eſt quoad ſubſtantiam.

79 *Inſtatur argumentum.* Reſpondeo, hoc argumentum, meo iudicio inſtari euidenter in poſſibilitate actuum ſupernaturalium ſpecificè differentium ſine fine, quam ab arguentibus negari non poſſe, vidimus inter ſoluendum argumentum præcedens. Qua poſſibilitate ſuppoſita, ſic inſto argumentum factum. Actus ſupernaturales ſpecificè differentes, & conſequenter inæqualis perfectionis, ſunt ſine fine poſſibiles; & tamen iuxta principia, quibus argumentum factum innititur actus naturales erga motiuum ſupernaturale non ſunt poſſibiles ſine fine penès gradus ſpecificos: ergo ſtat poſſibilitas ſine fine actuum ſupernaturalium abſque ſimili poſſibilitate actuum naturalium idem reſpicientium motiuum; & conſequenter ſtare etiam poterit gradualis intenſio actuum ſupernaturalium per gradus diſſimiles ſine fine abſque poſſibilitate ſimili actuum naturalis virtutis. Minorem, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, ſic probo: eo ipſo quod virtus naturalis actiua ſit limitata, & finita quoad gradualem actuum intenſionem, neceſſario eſt limitata quoad gradus actuum diſtinctos ſpecificè, cum par, imo vrgentior ratio ſit ad limitationem virtutis

tutis naturalis ad gradus ſpecificos, atque ad gradus intenſionis; ſed eo ipſo quod limitata ſit quoad gradus ſpecificè diſtinctos, ſequitur non eſſe poſſibiles actus naturales ſpecificè differentes ſine fine, ſi argumentum aliquid probat: ergo fateri tenentur, non eſſe poſſibiles gradus actuum naturalium ſpecificè diſtinctos ſine fine. Probo manifeſtè minorem: impoſſibilitas gradus diſſimilis naturalis ſupra gradualem intenſionem terminantem activitatem naturæ, colligitur ab arguente, eo quod gradus ille ſupperat exigentiam naturæ ab intrinſeco, quia eſt ſupra terminum à virtute naturali petitum, ſed etiam gradus ſpecificè diſtinctus perfectior gradu ſpecifico, ad quem ſe extendit exigentia naturæ, extendit ab intrinſeco terminum à naturali activitate exactum, & conſequentèr ſupperat exigentiam naturæ: ergo eſt ſupernaturalis: ac proindè repugnat gradualis ſpecifica actuum naturalium differentia ſine fine poſſibilis, iuxta argumenti facti principia.

81 *Reſpondetur 1. ad argumentum.* Deindè reſpondeo primò, prætermiſſa illa ſententia de poſſibilitate actus naturalis circa motiuum formale actum ſupernaturalium, quod falſum eſſe oſtendimus *Tract. de Viſione Dei art. 1.* & permiſſo antecedenti, negando conſequentiam: ad cuius primam probationé, nego ſuppoſitum; connatus enim actuum ſupernaturalium ſub experimento non cadit. Ad ſecundam dicatur, commenſurationem illam in Angelis non eſſe ex natura rei, nec ex ſubordinatione eſſentiali, ſed ex libera voluntate diuina, quia ſic Deus voluit dare, ſcilicet, Angelis inæqualibus gratiam habitualem inæqualem; & conſequentèr etiam inæqualem diſpoſitionem. Ad tertiam, nego antecedens; nam licet potentia obedientialis ad actus ſupernaturales vitales, ſupponat potentiam actiuam naturalem: non tamen commenſuratur cum illa aliàs vbi potentia actiua naturalis eſſentialitèr eſſet diuerſa etiam potentia obedientialis eſſet eſſentialitèr diſtincta, cuius falſitas conſtat in Angelis, & hominibus, quorum potentiæ naturales eſſentialitèr diſtinguuntur; & tamen in potentia actiua obedientiali ſpecificè athomæ conueniunt. Et quidem ſi ad poſſibilitatem intenſionis actus ſupernaturalis eſſet eſſentialitèr, requiſita poſſibilitas ſimilis intenſionis in actu naturali, etiam ad poſſibilitatem affectus efficacis ſupernaturalis, exacta eſſet eſſentialiter poſſibilitas affectus efficacis naturalis erga idem obiectum, ſeu motiuum formale, quod contrarij non admittunt, ſed tantum poſſibilitatem effectus inefficacis naturalis erga motiuum formale ſupernaturalis actus.

82 *Reſpondetur 2.* Reſpondeo ſecundò, negando antecedens: ad illius probationem, nego antecedens: ad cuius probationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem dicatur, quod, vt aliquid ſit ſupernaturale, non ſufficit exceſſus ad exigentiam huius, vel illius naturæ, ſed requiritur exceſſus ad exigentiam totius naturæ; licet autem domus virtutem naturalem hominis v. g. vel alicuius ſpeciei Angelicæ per octo, vel decem gradus terminari; & conſequentèr vndecimum gradum exigentiam illorum excedere: non tamen excedit alterius naturæ quam Deus poteſt creare exigentiam; poteſt enim Deus alteram naturam perfectionem creare cui connaturalis ſit ille gradus, & ideò talis gradus ſupernaturalis non eſt, ſicut naturæ integritas purè naturalis, quam eſſe poſſibilem docent communitèr Theologi 1. 2. q. 109. ſupernaturalis non eſt, quia, quamuis ſupperet exigentiam hominis, non tamen excedit exigentiam Angeli.

§. V.

Probatur gratiam ab intrinſeco termino augmenti carere.

83 *Secunda concluſio.* SEcunda Concluſio. *Gratia habitualis ex natura rei ab intrinſeca terminum augmenti non habet, ſed ſolùm ex libera voluntate diuina; & conſequentèr, attenta gratia natura, poteſt eſſe intenſiuè maior in Christo.* Ita Auctores omnes pro tertia ſententia adducti. *Probatur 1.* Probatur primò, nam quantum ad hoc eadem eſt ratio de gratia, ac de charitate, vt compertum eſt apud Theologos; ſed charitas non habet terminum augmenti ex natura rei ab intrinſeco: ergo nec gratia. Minor in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur ex D. Tho. 2. 2. q. 24. *art. 7. verbis conc. praeced. relatis*: vbi D. Thomas loquitur de charitate, non ſolum in ordine ad potentiam abſolutam, ſed etiam ſecundum propriam naturam ſequentis conſideratione probatur. Etenim formam aliquam habere ex natura rei terminum augmenti præfixum, vel prouenit ex eſſentia ſpecifica formæ, vel ex parte cauſæ efficientis, vel ex parte cauſæ materialis, ſed ex nullo ex his capitibus eſt præfixum charitati terminus augmenti intenſiui, vt docet D. Thom. *loc. allegat.* ergo ſentit charitatem non habere terminum augmenti præfixum, attenta propria natura. *S. Thom.*

Secundò probatur concluſio ratione D. Tho. vbi *proximè*; nam determinatum augmentum, ſolum poteſt alicui formæ ab intrinſeco competere, vel ratione ſuæ eſſentiæ, vt contingit in coloribus inter medijs eſſentialitèr petentibus tantam, vel tantam intenſionem, quam ſi excedant, in extremum declinant, vel ratione cauſæ efficientis, vt contingit in viuentibus, quorum quantitas eſt verſus maximum intrinſecè terminata; quia ſequitur virtutem actiuam ab intrinſeco determinatam: vel ratione potentiæ receptiuæ, quæ incrementi ſine termino receptiua non ſit; at ex nullo ex his capitibus conuenit gratiæ habituali terminum augmenti habere: ergo ex natura ſua terminum augmenti non habet. Maior cum conſequentia tenet: minor autem probatur ratione, qua D. Thomas id de charitate monſtrauit. Nam in primis ex parte cauſæ efficientis terminum augmenti non petit: cum ſit virtus infinita Dei, quæ terminum in agendo non habet. Deindè, nec terminatur ex parte potentiæ receptiuæ. Quod probatur; nam potentia, quam reſpicit gratia, eſt potentia obedientialis; ſed hæc non habet terminum in recipiendo: tùm, quia vt docet D. Thom. q. 29. *de Veritate art. 3. ad 3. Potentia obedientialis ad Deum non poteſt impleri.* Tùm etiam, quia conſiſtit in capacitate ad omne, quod ex parte efficientis non implicat in forma, quam recipere poteſt: ergo gratia habitualis ex parte potentiæ receptiuæ terminum augmenti non habet. Denique, terminum augmenti non petit ex conceptu ſuo ſpecifico: nam gratia ex propria eſſentia eſt formalis participatio naturæ diuinæ: at natura diuina eſt participabilis ſine termino: ergo gratia ex ſua eſſentia permittit ſine termino augmentum. 84 *Secundò.* *S. Thom.*

Confirmatur, & vrgetur primò, quando forma talis conditionis eſt, vt potentia ex receptione illius augeatur ad incrementum formæ, nec potentia præfixit terminum formæ, nec ipſa ab intrinſeco terminum augmenti petit; ſed gratia huius conditionis eſt, vt habilitas ad ipſam creſcat ex incremento gratiæ: ergo nec potentia receptiua præfixit terminum augmento gratiæ, nec illum ab intrinſeco petit. Maior eſt D. Thomæ *loco ex 2. 2. allegat.* conſtatque ex frequentiori Philoſophorum doctrina 2. *Phyſicor.* docentium, non viuentia non terminari ab intrinſeco per maximum augmenti extenſiui, eo quod ad aduertendum nouæ formæ noua aduenit pars virtutis, virtuſque augmentatiua, vel quaſi augmentatiua, quam habent, augetur ad augmentum formæ: ergo ad ipſum à fortiori eſt dicendum de potentia receptiua. Minor etiam traditur à D. Thom. vbi *proximè*, & probatur; nam creſcente magis gratia, redditur ſubiectum virtuoſius ad actus feruentiores elicendos, quibus augmentum gratiæ meretetur, & ad illius receptionem diſponitur: ergo ad incrementum gratiæ creſcit, & augetur habilitas ad maioris gratiæ receptionem. 85 *Confirmatur 1.* *S. Thom. Phil.*

Cofirmatur, & vrgetur ſecundò; ſi namque gratia ab intrinſeco ex ratione ſuæ ſpeciei terminum augmenti peteret, maximè, quia habet limitatam eſſentiam; at hæc ratio eſt nulla: ergo gratia ab intrinſeco ex ratione ſuæ ſpeciei terminum augmenti non exigit. Maior eſt oppoſitæ ſententiæ fundamentum; minorem autem probo. Et enim quantitatis eſſentia finita, & limitata eſt; & tamen non petit ab intrinſeco terminum augmenti extenſiui, vt tenet communis Philoſophorum ſententia: ergo limitatio eſſentiæ non obſtat augmento extenſiuo ſine fine; & conſequentèr nec augmento ſine fine intenſiuo. 86 *Confirmatur 2.*

§. VI.

Duplici argumento occurritur.

CONTRA iſtam concluſionem obijcies primo, D. Thom. *in præſenti art.* 12. docentem, gratiam Chriſti non potuiſſe augeri, nec ex parte ſubiecti, quia erat in

87 *Argumentum 1. ex D.T.* termino, vtpotè, à primo ſuæ conceptionis inſtanti beatus, nec ex parte gratiæ, quia pertingit ad ſummum gratiæ gradum; ſed loquitur D. Thomas de impoſſibilitate augmenti ex parte gratiæ, attenta gratiæ natura: ergo ſentit, gratiam ex natura rei terminum augmenti habere, & gratiam Chriſti, attenta gratiæ natura, non potuiſſe eſſe intenſiuè maiorem. Minor oſtenditur primò, ex illis verbis Angelici Doctoris *in corpore articuli*: *Sicut aliarum*

Minor prob. 1. S. Thom. *formarum eſt ex diuina ſapientia determinata propria menſura, ita & gratiæ*; ſed determinatio propriæ menſuræ in formis naturalibus, de quibus loquitur D. Thomas, non eſt omninò ab extrinſeca voluntate Dei, ſed etiam ex propriæ naturæ exigentia: ergo impoſſibilitas augmenti ex parte gratiæ eſt iuxta naturam, vel ex natura intrinſeca gratiæ. Secundò probatur minor, ex illis verbis: *Ex parte formæ excluditur poſſibilitas augmenti, quando ali-*

Secundò. S. Thom. *quod ſubiectum attingit ad vltimam perfectionem, quam poteſt talis forma habere in natura: ſicut ſi dicimus, quòd calor ignis non poteſt augeri, quia non poteſt eſſe perfectior gradus caloris, quam ille, ad quem pertingit ignis*; ſed gradus caloris, ad quem pertingit ignis eſt, ſummus quem poteſt calor ab intrinſeco habere, & maior repugnat calori ab intrinſeco: ergo loquitur de impoſſibilitate maioris augmenti gratiæ ab intrinſeco. Tertiò probatur minor; nam menſura præfixa formæ per comparationem ad pro-

Tertiò. prium finem, eſt menſura intrinſeca, quam tranſcendere repugnat, attenta formæ natura, cum comparatio ad finem intrinſeca formæ ſit, vt conſtat in menſura præfixa grauitati ex comparatione ad infimum locum, quo exemplo vtitur D. Thomas; hæc namque grauitatis menſura intrinſeca eſt, quam nequit naturaliter traſcendere; ſed menſura, de qua loquitur D. Thom. conuenit gratiæ per comparationem ad proprium finem, nempè, coniunctionem ad Deum, vt conſtat *ex corpore articuli*: ergo loquitur de menſura, & termino augmenti, quem gratia, attenta propria naturæ, nequit excedere.

Reſpondeo, negando minorem, ad primam probationem dicatur, ly *ſicut*, non ſemper dicere paritatem in

88 omnibus, ſed ſufficit, quod in aliquo ſimilitudo ſerua-

Reſpondetur ad 1. probationem minoris. tur, & in præſenti tenere quoad terminum eſſe præfixum ex voluntate diuina, non autem quantum ad hoc, quod eſt terminum ab intrinſeco peti. Vel ſecundò dicatur, non omnibus naturalibus formis terminum augmenti verſus maximum conuenire ab intrinſeco; quantitas namque non viuentium non habet terminum magnitudinis ab intrinſeco, & his formis aſſimilat D. Thomas terminum gratiæ præfixum; non autem formis naturalibus viuentium. Ad ſecundam probationem admiſſa doctrina maioris, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam formam

Ad ſecundam. non poſſe eſſe maiorem in natura, vel poteſt prouenire ex principijs intrinſecis formæ, vel ab extrinſeca voluntate diuina, & cum ſubiectum ad gradum formæ peruenit, vltra quem non eſt poſſibilis maior, non ſolum in hoc determinato ſubiecto, ſed etiam abſolutè in natura: tunc forma augmentabilis non eſt, non ſolum ex parte ſubiecti, ſed etiam ex parte formæ, ſiue impoſſibilitas oriatur ab intrinſeco, ſiue tantum ab extrinſeco; paritas autem caloris tenet, quoad non poſſe ex parte formæ augeri, non verò quoad non poſſe ab intrinſeco augeri, nec neceſſarium eſt, quod in omnibus teneat, vt ad primam probationem dicebamus. Ad vltimam probationem minoris, diſtinguo maiorem: ſi ſit finis, ad quem

Ad vltimam. ex natura rei ab intrinſeco talis forma ordinetur, concedo maiorem: ſi tantum ab extrinſeco ordinetur ad illum, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris: nego conſequentiam: nam gratia habitualis non ordinatur ex natura rei ab intrinſeco ad vnionem perſonalem ad Deum, ſed tantum ab extrinſeca voluntate diuina, quando autem forma finem, ad quem ordinatur, non reſpicit ab intrinſeco, non taxatur ei menſura ex coniunctione cum ipſo, quam forma tranſcendere nequeat ſecundum intrinſeca inſpecta, ſed tantum ſecundum extrinſecam voluntatem, talem formam ad prædictum finem ordinantis. Nec oportet, quòd exemplum de grauitate terræ, quo vtitur D. Thom. in omnibus ſeruet paritatem, vt *proximè* dicebamus.

Sed dices, gratia habitualis ab intrinſeco ordinatur ad coniunctionem cum Deo; ſed in linea coniunctionis cum Deo continetur vnio perſonalis: ergo ab in- 89 *Replicabis.*

trinſeco ordinatur ad illam.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ad coniunctionem affectiuam, & beatificalem viſionem, concedo maio- *Reſpondetur.*

rem: ad coniunctionem phyſicam, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam vnio in perſona ad Deum non affectiua, nec intentionalis eſt, ſed vnio realis, & phyſica: hæc autem extra exigentiam intrinſecam gratiæ habitualis eſt: aliàs, quamuis Adamus non peccaſſet, haberemus ſufficiens fundamentum Incarnationis Verbi futuræ: etſi ex vi alterius decreti contra D. Thomam, & frequentiorem Theologorum ſententiam, vt *ſupra diſputatio* 8. *numer.* 3. *& ſeq.* vidimus, cum ſtaret gratia habitualis Incarnationem Verbi ab intrinſeco expoſcens.

Sed inſtabis primo ex D. Thomas *in præſenti art.* 12. vbi ex eo quod finis eſt vnio creaturæ rationalis ad Deum, 90 *Sed inſtabis.*

& non poteſt eſſe maior vnio; quam illa, quæ eſt in perſona, infert gratiam Chriſti attingere ad ſupremum gratiæ gradum, quia menſura formæ præfigitur per comparationem ad finem; et ſi vnio ad Deum abſtrahens à phyſica, & affectiua, non eſſet finis inſpectus à gratia ab intrinſeco, diſcurſus D. Thomæ nullius eſſet efficaciæ; nam menſura non præfigitur formæ per comparationem ad finem, ad quem ab extrinſeco ordinatur, ſed per comparationem ad finem intrinſecum: ergo vnio creaturæ rationalis ad Deum in comparatione prædicta eſt finis intrinſecus gratiæ habitualis. Secundò, ſi vnio perſonalis ad Deum eſſet finis gratiæ habitualis tantum extrinſecus, ſequeretur Incarnationem Verbi, non ſolum eſſe ſupra ordinem naturæ, verum etiam ſupra ordinem gratiæ, & cuiuſuis gratiæ exigentiam; conſequens eſt falſum: ergo vnio perſonalis ad Deum eſt finis intrinſecus gratiæ habitualis, & non ſolum extrinſecus. Sequela nota videtur; nam finis, quem forma tantum ab extrinſeco reſpicit, eſt ſupra exigentiam intrinſecam formæ: ergo ſi gratia habitualis non ab intrinſeco, ſed tantum ab extrinſeca voluntate diuina ordinatur ad Incarnationem, excedit Incarnatio, non ſolum totius naturæ, ſed etiam gratiæ exigentiam. Falſitas autem conſequentis probatur; quia namque gratia ſuperat omnem naturæ exigentiam, non poteſt cadere ſub merito, etiam congruo operum naturæ: ergo ſi Incarnatio excedit omnem exigentiam gratiæ, non poterunt opera gratiæ, etiam de congruo Incarnationem mereri, cuius falſitatem oſtendimus *ſupra diſput.* 13. *à num.* 4.

Reſpondeo ad primam inſtantiam, negando minorem; 91

nam licet per comparationem ad finem tantum ab ex- *Ad primã inſtantiã reſpondetur.*

trinſeco inſpectum, non poſſit menſura intrinſeca alicui formæ præfigi; poteſt tamen ab extrinſeco, & hoc ſolum intendebat Diu. Thomas. Ad ſecundam, diſtinguo conſequens: ſupra ordinem gratiæ quantum ad exigentiam phyſicam ſubiectiuam, concedo ſequelam: quantum ad exigentiam obiectiuam, & moralem, nego ſequelam: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nec obſtat diſtinctioni traditæ minoris probatio; gratia namque excedit, non ſolum ſubiectiuam, ſed etiam obiectiuam exigentiam naturæ, quia nullus actus viribus naturæ elicitus poteſt cum gratia obiectiuè connecti: & ideò eſt ſupra meritum, non ſolum condignum, ſed etiam congruum naturæ. Incarnatio autem, etſi excedat exigentiam ſubiectiuam gratiæ, hoc eſt, quod gratia non petat ab intrinſeco cum vnione perſonali ad Deum in eadem natura ſubiectiuè coniungi: non tamen excedit exigentiam obiectiuam gratiæ; poteſt enim gratia actum fidei ad Myſterium Incarnationis terminatum, cum illo qua connexum elicere; & ideò Incarnatio ſupra meritum congruum operum gratiæ non eſt.

Secundò principaliter obijcies, D. Thomam 3. *ad Annibaldum diſt.* 13. *q. vnic. art.* 4. *ibi*: *Quod autem obijcitur, quòd omni finito poſſibilis eſt additio: dicendum, quod* 92

Secundo arguitur ex eodem D. Tho. *loquendo definite, & de additione mathematicè, id eſt, ſecundum imaginationem, verum eſt; ſed loquendo naturaliter, non verum eſt; nam omnium natura conſtantium terminus eſt, & ratio magnitudinis, & augmenti: & ideò gratia Chriſti augeri non potuit, quia tanta fuit eius capacitas, vltra quam augmentatam eſſe non potuit, remanente natura creata, & Deus non poteſt facere aliquam capacitatem increatam.* Sed loquitur Diuus Thomas impoſſibilitate vlterioris augmenti ab intrinſeco: ergo ſentit, gratiam Chriſti, non potuiſſe magis augeri, attenta gratiæ natura. Probatur minor, terminus augmenti conuenit omnibus natura conſtantibus ab intrinſeco; ſed ex hoc colligit D. Thomas, terminum augmenti conuenire gratiæ: ergo ſentit, illi conuenire ab intrinſeco. Reſpondeo, negando minorem; non enim omni enti naturali conuenit terminus augmenti ab intrinſeco, ſed ſolum viuentibus, vt frequentius docent Philoſophi 1. *Phyſicor.* vndè neceſſarium non eſt, quod gratiæ præfigatur terminus augmenti ab intrinſeco ex vi diſcurſus D. Tho. ſed ſufficit, quòd ei conueniat, vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco.

Reſpondetur. Phil.

93 *Oppones.* Sed oppones, gratiæ conuenit augmentum ab intrinſeco, ſicut conuenit viuentibus; concurrit enim meritoriè ad ſui augmentum cauſandum; ſed viuentibus præfigitur ab intrinſeco terminus augmenti, quia ab intrinſeco augentur: ergo etiam conuenit gratiæ terminus augmenti ab intrinſeco. *Reſpondetur.* Reſpondeo viuentibus conuenire terminum augmenti ab intrinſeco, quia augentur per intus ſumptionem, & per virtutem actiuam in parte determinata reſidentem: quo circa per aduentum nouæ partialis formæ non aduenit noua pars virtutis: ſicut in non viuentibus contingit, quorum vis (impropriè augmentatiua) in determinata parte non reſidet; & ideò creſcit per aduentum nouæ formæ. Licet autem gratia meritoriè augeat ſe ipſam; virtus tamen meritoria imitatur, non virtutem augmentatiuam viuentium, ſed virtutem non viuentium; creſcit enim per aduentum nouæ intenſionis in gratia: & ideò ſicut non viuentia terminum augmenti ab intrinſeco non habent, ſed illis ab extrinſeco præfigitur: ita de gratia eſt dicendum.

94 *Inſtabis ex D. Th.* Sed inſtabis ex D. Thoma *loco vbi proximè ad 2. argu.* quod ita procedebat: *Per gratiam augetur capacitas gratiæ, ſicut per ſcientiam capacitas ſcientiæ; ſed ſecundum Phyloſophorum intellectus non corrumpitur, ſed melioratur ab excellenti intelligibili: ergo quanto maiorem habebat gratiam, tanto erat capax amplioris, & ſic eius gratia poterit augeri.* Cui argumento ita reſpondet: *Ad ſecundum, quod obijcitur de augmento capacitatis, dicendum, quòd verum eſt hoc citra terminum, & finem augmenti; ſed in coniunctione cum fine, & termino, per gratiam non augetur capacitas gratiæ:* ergo augeri per gratiam capacitatem ſuſceptiuam, & meritoriam gratiæ, non ſemper conuenit gratiæ, ſed quandiu non eſt in termino, & conſequenter non eſt ob illam rationem non viuentibus comparanda, quoad carentiam termini augmenti ab intrinſeco, ſed potius cum viuentibus computanda: & ſic dicendum, terminum augmenti ab intrinſeco habere. *Reſpondetur.* Reſpondeo, D. Thomam intelligendum eſſe de capacitate, ab extrinſeco, & intrinſecè expedita ad nouum augmentum merendum, & ſuſcipiendum: & ſic veriſſimum eſt non augeri ſemper capacitatem ſuſceptiuam gratiæ per gratiam, ſed citra terminum tantum; nam cum peruenitur ad terminum, deſinit, expeditio extrinſeca per voluntatem diuinam de maiori augmento non conferendo.

§. VII.

Cætera argumenta diluuntur.

95 *Tertio arguit Durandus.* TErtio arguit Durandus, omnis natura, quæ eſt de paruo in magnum deducibilis, ſi non habet terminum in maximo, nec in minimo terminum habet, vt conſtat in magnitudine molis, in qua ſicut non eſt dare terminum verſus maximum, quantum eſt ex parte quantitatis: ita nec datur in minimo; ſed in omni forma recipiente magis, & minus datur terminus in minimo ex ipſa naturæ formæ; ergo in omni tali forma datur terminus in maximo, nec poſſibilis eſt proceſſus in infinitum. Minorem probat tripliciter. Primò; nam ſi per motum diminutionis, & remiſſionis nunquam deueniretur ad vltimum gradum, in quo forma poſſet ſaluari, actio calidi remittentis frigidum poſſet in infinitum procedere; hoc autem eſt inconueniens, aliàs calidum poſſet in infinitum agere, & calorem non introducere, ſemper remanente frigiditate in ſubiecto: ergo omnis forma, ſuſcipiens magis, & minus habet terminum in minimo. Secundo; quia ſecundum Philoſophum in 8. *Phyſicor.* nullus motus alterationis poteſt eſſe infinitus; ſed motus diminutionis, & remiſſionis eſt motus alterationis: ergo nequit eſſe infinitus. Foret autem infinitus, ſi qualitas remiſſibilis terminum non haberet verſus minimum: ergo habet. Tertiò, inter terminos ſignatos finitæ inter ſe diſtantes, impoſſibile eſt in infinitum procedere; ſed albedo, & nigredo, vel calor, & frigus, & idem eſt de quauis alia qualitate dicendum, accepta ſecundum gradum ſignatum, ſunt termini finite diſtantes: ergo inter iſtos terminos non poteſt motus in infinitum procedere. *Ariſt.*

96 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo primò, maiorem, argumenti eſſe falſam, vt conſtat in numero, termino verſus maximum carente, cum non detur tantus numerus, quo maior eſſe non poſſit; & tamen verſus minimum, terminum habet, cum non poſſit vltra vnitatem procedi. Deindè, maiori conceſſa, nego minorem: imo in qualitatibus incipientibus per motum, minimum gradum non dari, docent frequentius Philoſophi cum Magiſtro Soto *lib. 1. Phyſicor. quæſt. 4 art. 3. concluſ. 5.* Et patet; nam in motu non datur minima pars: ergo nec in qualitate incipiente per motum dari poteſt qualitas minima. Ad primam minoris probationem, diſtinguo conſequens: poſſet in infinitum procedere per partes proportionales, concedo ſequelam: per aliquotas, & determinatas, nego ſequelam: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nec ſequitur, calidum nunquam calorem in ſubiecto introducere: ſicut nec ex eo quod in motu non detur minima pars, ſequitur, mobile nunquam moueri. *Philoſ. M. Soto.* *Ad primã minoris probationem reſpond.*

97 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam probationem dicatur, motum alterationis virtute naturæ factum non poſſe in infinitum verſus maximum procedere, ſi virtus ſit actu, & in potentia finita, nec verſus minimum ſecundum partes aliquotas, & determinatæ quantitatis; benè tamen ſecundum partes proportionales: ex quo non ſequitur infinitas actu in motu: & ſicut nec ex eo quod continuum componatur ex infinitis partibus proportionalibus, ſequitur, quod actu ſit infinitæ magnitudinis; alteratio autem virtute diuina facta, cum hæc infinita ſit, poteſt ſine fine verſus maximum protendi.

98 *Ad tertiã.* Ad tertiam probationem dicatur: ſi de proceſſu verſus minimum loquamur, nullam eſſe repugnantiam, quòd motus inter terminos finitè diſtantes in infinitum procedat ſecundum partes proportionales, quia infinitas harum partium, nec motum, nec terminum motus infinitat: ſi autem de proceſſu verſus maximum loquamur, nullam eſſe repugnatiam, quod motus inter terminos finitè diſtantes procedat in infinitum, non cathegorematicè, ſed ſyncathegorematicè; quando terminus producitur, etſi actu finitus ſit, eſt ſyncathegorematicè infinitus. Et inſtatur argumentum Durandi; calor enim extenſionis vt tres, poteſt ſine termino per motum augmentatiuum extendi; & tamen finitè diſtat a frigore extenſo vt tria: ergo paritèr calor intenſiſſimus, etſi finitè diſtet à frigiditate, vt vnum, poterit ſine termino creſcere.

99 *Quartò arguit Durandus.* Quarto arguit Durandus: natura generis magis requirit pluralitatem gradum ſpecificorum, quam natura formæ ſpecificæ pluralitatem graduum intenſionis, cum nulla natura generis ſit ſine pluralitate ſpecierum actu, vel poſſibili; multæ autem formæ ſpecificæ dantur, quæ nec habent, nec poſſunt habere aliquam latitudinem graduum; ſed intra naturam generis, non poteſt in infinitum procedi in gradibus ſpecificis, ſed eſt dare ſupremum, & infimum: vt in genere animalia ſupremus gradus, quo altior eſſe non poteſt, eſt humana natura; infimus verò eſt aliqua alia ſpecies ſit nobis ignota; & vniuerſalitèr in omni genere ſub ſe habente veram contrarietatem,

catie-

extrema contrarietatis, quæ maximè diſtant, claudunt inter ſe tanquam ſupremum, & infimum, omnes ſpecies ſub illo genere poſſibiles, vt in genere coloris, album, & nigrum: ergo omnes gradus poſſibiles in aliqua forma ſpecifica clauduntur inter ſupremum, & infimum; & conſequenter in eis nequit eſſe proceſſus in infinitum.

100 *Reſpondetur.* Reſpondeo negando minorem; poſſunt enim dari ſub quolibet genere infinitæ ſpecies verſus maximum, & infimum: vndè in genere animalis poſſunt eſſe ſpecies perfectiores homine ſine fine, & ſpecies homine imperfectiores, etſi tales ſpecies à nobis cognitæ non ſint. Nec requiritur ad propriam contrarietatem, quod extrema illius ſummè diſtent poſitiuè, ſed ſufficit diſtantia negatiuè ſumma, hoc eſt, qua maior alia non ſit; licet autem ſub genere coloris ſint poſſibiles ſpecies ſine fine, & licet ſint albedine perfectiores; & conſequenter magis à nigredine in perfectione diſtantes; non tamen eſt neceſſum, quòd plus à nigredine diſtent diſtantia medij pertranſibilis ab vno in aliud extremum. Et diſtantia hoc modo negatiuè ſumma ſufficit ad ſtrictam contrarietatem quæ inter albedinem, & nigredinem verſatur.

101 *Quintum principale argumentum.* Quinto arguitur: ad formam determinatam ſequuntur determinata accidentia, vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 7. *art.* 3. ex quo principio probat, non poſſe dari corpus infinitæ magnitudinis, quia quantitas ſequitur ad formam ſubſtantialem corporis, quæ finita, & limitata eſt; ſed gratia habitualis eſt forma finita, limitata, & determinata: ergo omne accidens gratiæ debet eſſe determinatum, limitatum, & finitum; ſed intenſio eſt accidens gratiæ habitualis; ergo debet eſſe finita, & conſequenter gratia ex natura ſua terminum intenſionis expoſcit.

102 *Reſpondetur.* Reſpondeo, hoc argumentum inſtari manifeſtè in quantitate, quæ forma finita, & limitata eſt; & tamen terminum augmenti ex natura ſua non habet. Inſtatur etiam in forma ignis, & aliorum non viuentium, quæ finitæ & limitatæ ſunt; & tamen in veriori ſententia, de qua t. *Phyſicor.* terminum augmenti ab intrinſeco non habent: ergo ex limitatione formæ quoad eſſentiam, malè infertur, ab intrinſeco poſtulare terminum augmenti intenſiui, cum eadem ratio ſit de termino augmenti extenſiui, imo de hoc argumento loquebatur D. Thomas

S. Thom. *loc. in argum. relato*. Et in forma reſpondetur, diſtinguendo maiorem: ſequuntur accidentia determinata in actu, determinatione oppoſita infinitudini cathegorematicæ, concedo maiorem; determinata in potentia determinatione oppoſita infinitudini ſyncathegorematicæ, nego maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens diſtinctione maioris. Nec D. Thomas aliud *in alleg. loc.* intendebat, quam quòd poſſet dari infinitum in actu ſecundum magnitudine.

103 *Obyeies.* Sed dices: ex doctrina D. Thomæ adducta inferunt frequentèr Thomiſtæ, viuentia habere terminum intrinſecum magnitudinis, quia, nempè, forma viuentium eſt determinata ab intrinſeco, & intrinſecè; & conſequenter etiam accidentia illius, inter quæ quantitas conſtituitur, debent eſſe intrinſecè determinata; ſed etiam eſſentia gratiæ eſt finita, limitata, & intrinſecè determinata: ergo ex tradita doctrina, adiuncta communi Thomiſtarum intelligentia, colligitur, quantitatem virtualem gratiæ, ſeu intenſionem illius, eſſe intrinſecè, & ab intrinſeco determinatam; & conſequentèr non poſſe ex natura ſua intenſiuè ſine termino creſcere.

104 *Reſpondetur.* Reſpondeo, in viuentibus illationem factam tenere, eo quod augmentum illorum fit per virtutem reſidentem in determinata parte; & idcirco per aduentum nouæ formæ non aduenit noua pars virtutis: ex quo prouenit, quòd potentia augmentatiua finita, & limitata ſit, non ſolum in actu, verum etiam in potentia, ex cuius limitatione rectè infertur, quantitatem, quæ eſt effectus illius, terminum augmenti habere, prout eſt quantitas viuentium. In gratia autem, licet ſit finita in actu; non eſt finita in potentia, eo quod augmentum gratiæ intenſiuum non fit virtute alicuius potentiæ in determinata parte reſidentis, & quæ non augeatur ad quodlibet gratiæ augmentum; & ideò ex limitatione gratiæ, non ſequitur terminum augmenti ab intrinſeco habere.

105 *Inſtabis.* Inſtabis: gratia eſt finita eſſentialiter in eſſentia, non ſolum finitudine oppoſita infinitati cathegorematicæ, ſed etiam ſyncathegorematicæ, cum in prædicatis eſſentialibus non poſſit additionem recipere; ſed ex limitatione formæ in eſſentia eſſentiali infert D. Thomas *loc. alleg.* limitationem in magnitudine: ergo gratia non ſolum eſt limitatæ intenſionis in actu, ſed etiam limitatæ intenſionis in potentia. Conſequentia patet: nam ſi ex limitatione formæ infert limitationem in magnitudine, limitatio magnitudinis illata debet eſſe iuxta limitationem formę inferentis: ergo ſi limitatio formæ, ex qua infertur magnitudinis limitatio, eſt non ſolum cathegorematica, ſed etiam ſynchategorematica, limitatio magnitudinis debet eſſe eodem modo. Minor autem probatur: infert D. Tho. limitationem magnitudinis, & quantitatis ex limitatione formæ, ad quam ſequitur; ſed non infert illam ex limitatione formæ quoad partes entitatiuas radicantes partes quantitatis; aliàs ſumeret antecedens æquè difficile, ac conſequens cum eadem ſit difficultas de infinitudine partium ſubſtantiæ, ac de infinitudine partium quantitatis: ergo infert finitudinem quantitatis ſequutæ ad formam ex finitudine formæ eſſentiali.

106 *Reſpondetur.* Reſpondeo, ex limitatione formæ eſſentiali inferri finitudinem cathegorematicam magnitudinis; non autem finitudinem ſyncathegorematicam. Et ratio eſt, quia ex limitatione eſſentiali formæ, ſequitur habere virtutem effectiuam quantitatis actu finitam; & conſequenter non potentem efficere quantitatem actu infinitam; aliàs effectus virtutem effectiuam excederet; ſtat autem cum limitatione formę eſſentiali, infinitas in potentia virtutis actiuæ, aut potentiæ receptiuæ. Quod contingit, quando virtus creſcit ex aduentu nouæ perfectionis; & ideò cum limitatione formæ eſſentiali ſtat infinitas ſyncathegorematica augmenti extenſiui, aut intenſiui.

107 *Vltimum argumentum.* Denique arguitur: potentia receptiua gratiæ eſt finita: ergo non poteſt ad gratiam ſine termino recipiendam extendi. Conſequentia patet; nam forma limitatur, non ſolum à virtute actiua, ſed etiam à potentia receptiua. Antecedens autem probatur dupliciter ex D. Thom. *q.* 29. *de Veritate art.* 3. *ad* 6. ibi: *Dicendum, quod capacitas animæ Chriſti eſt finita*; loquitur autem de capacitate obedientiali ad gratiam: ergo ſentit, potentiam receptiuam gratiæ finitam, & limitatam eſſe. Secundò, nam potentia receptiua gratiæ conſequitur eſſentiam finitam, vel cum illa identificatur: ergo nequit eſſe infinita.

108 *Reſpondetur ad 1. probationem.* Reſpondeo negando antecedens: ad primam probationem dicatur, loqui D. Thomam de finitudine in actu; & ſic verum eſt, potentiam receptiuam gratiæ eſſe finitam; non autem negat, eſſe in potentia, & ſyncathegorematicè infinitam, imo id expreſſè docet *art. citat. ad* 3. ibi: *Alia eſt potentia obedientiæ, ſecundum quod poteſt recipere aliquid à Deo, & talis capacitas non poteſt impleri; ſi autem non eſſet ſyncathegorematicè infinita poſſet impleri obedientialis capacitas.* Sentit ergo Diuus Thomas, potentiam obedientialem eſſe ſynchategorematicè infinitam. S. Thom.

109 Quod expreſſius docuit Angelicus Doctor 1. *ad Annibaldum diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 4. illis verbis: *Ad* 1. *de capacitate animæ dicendum, quod capacitas animæ poteſt conſiderari, vel in actu, & ſic eſt finita, vel in potentia, & ſic poteſt creſcere in infinitum.* Et hæc infinitas in potentia receptiua ſufficit, vt forma recipienda terminum augmenti ex illa non habeat. Ad ſecundam probationem dicatur, ex limitatione eſſentiæ tantum colligi in potentia ſequuta ad illam, vel cum ipſa identificata, finitudinem cathegorematicam, & in actu; non verò ſynchategorematicam, & in potentia. S. Thom. *Ad ſecundam.*

110 *Oppones primò.* Sed oppones primò: ex potentia infinita ſyncathegorematicè non finitur, aut limitatur forma: quo circa ex virtute actiua Dei effectus limitari non poſſunt, quia eſt actiua in infinitum ſyncathegorematicè; ſed ſecundum D. Thomam *in præſenti art.* 11. gratia Chriſti eſt finita, quia recipitur in capacitate finita: ergo capacitas obedientialis ad gratiam eſt finita ſyncathegorematicè. S. Thom. Secundò: potentia obedientialis eſt finita ſyncathegorematicè ſecundum gradus ſpecificos formarum, quas recipere poteſt; non enim poteſt capacitas obedientialis hominis omnes formas ſupernaturales ſpecificè differentes recipere, nec capacitas obedientiæ, quæ in Sacramentis inuenitur, poteſt recipere gratiam habitualem: ergo etiam eſt finita ſyncathegorematicè in ordine ad gradus intenſiuos gratiæ. *Secundò.*

111 *Ad primā inſtantiā reſpondetur.* Reſpondeo ad primam Inſtantiam, diſtinguendo maiorem: non limitatur ſyncathegorematicè, concedo maiorem: cathegorematicè, nego maiorem, quando potentia eſt cathegorematicè finita: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam.

112 Ad ſecundam dicatur, potentiam obedientialem con-

ſiſtere in non repugnantia ad recipiendum, quidquid non implicat ea parte facti in forma, quam recipere poteſt, & à qua ſpecificatur. Si ergo forma, à qua ſpecificatur ſub ſe contineet gradus ſpecificè differentes ſine fine, erit infinita ſyncathegorematice per reſpectum ad gradus ſpecificos. Si autem tali formæ infinitas potentialis graduum ſpecificè differentium repugnet, potentia obedientialis illius formæ receptiua nō erit ſyncathegorematicè infinita penès gradus ſpecificos; hæc tamen limitatio à forma recipienda ſumetur. *Ad ſecundam.*

§. Vltimus.

Tria inferuntur ex dictis.

113 *Primò infertur.* EX dictis in diſcurſu diſputationis colligo primò, gratiam Chriſti fuiſſe plenam, & plenitudinem gratiæ Chriſto eſſe propriam. Primum patet; nam habuit omnem gratiæ intenſionem poſſibilem de lege ordinaria; ſed hoc ſufficit ad gratiæ plenitudinem: ergo. Secundum probatur; nam Chriſto conuenit plenitudo gratiæ ex parte ſubiecti, & etiam plenitudo gratiæ ea parte ipſius gratiæ, vt vidimus in *ſolut.3. argum. contra 1. conclu.* ſed alijs, ſanctis, quantumuis ſanctitatis eximiæ, non fuit data plenitudo gratiæ ex parte gratiæ ſed tantum ex parte ſubiecti: ergo plenitudo gratiæ eſt propria Chriſti. Tunc aliquis dicitur plenus gratia ex parte ipſius gratiæ, cum habet omnem perfectionem intenſiuam, aut extenſiuam gratiæ poſſibilem ſecundum ordinariam potentiam. Et tunc dicitur plenus gratia ex parte ſubiecti; cum quis habet plenè gratiam ſecundum ſuam conditionem, vel intenſiuè vſque ad terminum præfixum ei à Deo, vel ſecundum virtutem, ſeu extenſionem ad omnia, quæ ad ſuum officium, vel ſtatum pertinent; ſed nulli ſanctorum data eſt omnis perfectio gratiæ poſſibilis de potentia ordinaria: ergo nulli ſanctorum data eſt plenitudo gratiæ ex parte ipſius gratiæ.

114 *Secundò.* Secundò colligitur, falſam eſſe Bonauenturæ, Ricardi, & aliorum antiquorum ſententiam, aſſerentium, gratiam ea parte ſui, termino intenſiui augmenti carere; habere tamen terminum ex parte ſubiecti. Cuius ſententiæ falſitas patet; nam gratiæ, & cuiuis alteri formæ accidentali eſſentialis eſt reſpectus ad ſubiectum: ergo non ſtat, terminum augmenti habere ex parte ſubiecti, & illo carere ex ſe.

115 *Tertiò. Vincen.* Tertiò colligitur falſiſſimam eſſe quorundam Theologorum ſententiam, quot ſine nomine refert Vincentius *relectione de Gratia Chriſti quæſt.3. art.1. fol.188.* aſſerentes, potuiſſe gratiam Chriſti intenſiuum incrementum ſuſcipere, attenta omnipotentia Dei; non verò inſpecta Dei ſuprema ſapientia. Quod eſſe omninò falſum rectè *ibi* demonſtrat Vincentius. Et breuiter oſtenditur primò; nam quod repugnat à Deo fieri, attenta ſuprema ſapientia, non niſi inſipienter fieret; ſed repugnat omnipotentiæ Dei aliquid operari inſipientèr: ergo quod repugnat fieri, attenta ſapientia Dei, repugnat etiam fieri, illius potentia inſpecta. Secundò, nam omnipotentia Dei eſt à ſapientia indiſtincta, vel illi ſub ordinata virtualitèr eſſentiali ſubordinatione: ergo implicat, terminum omnipotentiæ excedere diuinæ ſapientiæ obiectum, Deique ſapientiæ aduerſari. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri in *3. diſt.13. §.1. & in 1. diſt.17.* vbi D. Thomas diſputat de Charitate an poſſit ſine termino augeri. *In lit.*

TRACTATVS SEXTVS

De Gratia Chriſti Capitali.

Articulus primus.

DE Quo D. Thomas quæſt.29. de Veritate art.4. & 5. In 3. Sentent. diſt.13. q.2. art.1. & 2. ad Annibaldum in eadem diſt. q. vnic. & in præſenti q. 8. quam in octo Articulos diuidit. *Docens in primò, Chriſtum vt hominem eſſe Caput Eccleſiæ. Quod probat in argumento* ſed contra, *ex illo Pauli ad Ephesios 1.* Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam. *Quæ verba de Chriſto vt homine ſunt accipienda, de quo Paulus Epheſis loquebatur. Et in corpore articuli ex ſimilitudine capitis humani, ad cuius inſtar Chriſtus dicitur Caput Eccleſiæ: ſicut Eccleſia dicitur vnum corpus ad ſimilitudinem humani corporis; caput enim in hom ine tria habet, nempè, anterioritatem ordinis, quod intellige ſecundum ſicut; eſt enim pri ma pars incipiendo à ſuperiori: perfectionem; quia in capite vigent omnes ſenſus; non a utem in alijs partibus, & virtutem, quia virtus, & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in ſuis actibus, eſt à capite, propter vim ſenſitiuam, & motiuam ibi dominantem:* Quod Caietano interprete, eſt accipiendum, non de primo principio ſimplicitèr inter membra humani corporis, ſed de comprincipio primi ſimplicitèr, ſcilicet, cordis; *ſed hæc omnia Chriſto, vt homini conueniunt ſpiritualitèr in ordine ad membra Eccleſiæ: gratia enim illius eſt prior, & altior ſecundum propinquitatem ad Deum. Eſt etiam perfectior: fuit enim in illo plenitudo omnium gratiarum. Habet etiam virtutem influendi gratiam in omnia membra Eccleſiæ: ergo conuenientèr dicitur Eccleſiæ Caput:* Notat autem D. Thomas ſolut. ad 2. differentiam inter caput naturale, & caput ſpirituale, quòd capitis naturalis aliud caput non datur; Chriſti autem vt hominis Caput eſt Deus: cum autem ratio capitis ſolum per ſimilitudinem de Chriſto dicatur, non eſt neceſſarium, quòd in omnibus attendatur; aliàs non ſimilitudo, ſed rei veritas eſſet. Et ſolutione ad 3. cordi comparat Spiritum Sanctum, quia inuiſibilitèr Eccleſiam viuificat.

Articulus ſecundus.

In ſecundo articulo docet; Chriſtum non ſolum ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus, eſſe caput hominum ſecundum animam, & ſecundum corpus, etſi tam ex parte Chriſti, quam ex parte hominum, principalius anima, & minus principaliter corpus ſe habeat. Et probat; humanitas namque ratione coniunctionis ad Verbum, non ſolum ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus ratione animæ, habet influere gratiam, & gloriam in homines, ſecundum animam principalitèr, & ſecundum corpus, prout hoc miniſtrat animæ in via, & prout in beatitudine gloria animæ redundat in corpus: ergo Chriſtus ſecundum animam, & corpus eſt caput hominum, non ſolum ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus. Nec obſtat, quod Chriſtus ex hominibus traxerit corporis materiam, nam vitam corporis immortalem omnes homines trahunt ab ipſo, vt notat D. Thomas ſolut. ad 3.

Articulus tertius.

In tertiò articulo docet, eſſe caput omnium hominum, qui ſunt fuerunt, & erunt præterquam hominum damnatorum; omnes enim Chriſto vniuntur, vel per gloriam, vel per charitatem, vel per fidem in actu, vel in potentia; illi enim, qui actu infideles ſunt, poſſunt ad fidem conuerti: vndè, licet non ſint intra Eccleſiam actu; ſunt tamen de Eccleſia in potentia, fundata principalitèr in virtute Chriſti, quæ eſt ad ſalutem totius generis humani ſufficiens, & ſecundario in arbitrij libertate, qua gaudet omnis homo viator; qui verò damnati ſunt, nec actu, nec in potentia, in Eccleſia continentur; & ideò Chriſtus illorum caput non eſt.

Articulus quartus.

In quarto reſoluit, eſſe caput Angelorum, eo quod vnius corporis vnum eſt caput; ex hominibus autem, & Angelis vnum Eccleſiæ corpus conſurgit, ordinantur enim ad vnum finem; & conſequentèr Chriſtus, vt homo non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum eſt caput, illique capitis proprietates reſpectu etiam Angelorum conueniunt; nam perfectius illis participat dona gratiæ, & de illius influentia recipiunt. In ſolutione ad 1. *notat, Chriſtum ratione animæ conuenire cum Angelis in gradu intellectiuo generico: & hoc ſufficere, vt Angelorum ſit caput.* In ſolut. ad 2. *docet, diffinitionem, quæ dicitur:* Eccleſia eſt congregatio fidelium, *eſſe de Eccleſia pro ſtatu viæ; non autem ſecundum omnem ſtatum.*

Articulus quintus.

In articulo quinto docet D. Thomas, gratiam perſonalem in Chriſto eſſe eandem realitèr cum gratia capitis; differre autem ſecundum rationem. Quod probat; cum enim vnumquodque agat, ſecundum quod eſt ens in actu, oportet, quòd idem ſit actus, quo aliquid eſt actu, & quo agit: ſicut idem eſt calor, quo ignis eſt calidus, & quo calefacit: fuit autem in

Chriſto gratia ſecundum maximam eminentiam ; *& ideò ex eminentia gratiæ , quam accepit , competit ipſi , quòd gratia illa ad alios deriuetur , quod pertinet ad rationem capitis* ; *& ideo eadem eſt ſecundum eſſentiam gratia perſonalis , qua anima Chriſti eſt iuſtificata , & gratia eius , ſecundum quam eſt Caput Eccleſiæ:* Quæ ratio , vt ad formam reducatur , ſub maiori ſubſumendum eſt ; ſed gratia Chriſti dicitur perſonalis , prout illam in actu conſtituit , & illius animam ſanctificat , & capitalis , prout redundat in alios : ergo eſt eadem ſecundum eſſentiam. In calce articuli , *diſtinguit D. Thomas , gratiam vnionis à gratia capitis.* Et ſolut. ad 2. *docet , actum ſanctificandi animam Chriſti formalitèr , & actum ſanctificandi alios efficientèr non diuerſificare habitum , quia ſunt ſubordinati , & vnus eſt ratio alterius.*

Articulus ſextus. *In ſexto articulo docet , rationem capitis ſecundum interiorem gratiæ influxum eſſe propriam Chriſto , cuius humanitas ex hoc , quòd eſt diuinitati coniuncta , habet virtutem iuſtificandi ; quoad exteriorem autem gubernationem alijs à Chriſto competere ; cum duplici tamen differentia. Prima quoad vniuerſitatem ſtatuum , locorum , & temporum ; ſic enim conuenit Chriſto : ſecus autem alijs. Secunda quoad modum ; quia Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ propria virtute , & auctoritate ; alij verò dicuntur capita , ſecundum quod gerunt vicem illius.* In ſolut. ad 3. notat ex Parente Auguſtino tract. 47. in Ioannem , differentiam inter hæc omnia oſtium , fundamentum , & paſtor. Quòd primum , quia principalem auctoritatem importat , & hæc ſoli Chriſto conuenit , non dicitur de Miniſtris Eccleſiæ , ſed ſibi illud reſeruauit ; per alia verò nomina poteſt importari auctoritas principalis , vel ſecundaria ; & ideò de alijs à Chriſto dicuntur , cum ſubordinatione tamen ad illum.

Articulus ſeptimus. *In articulo ſeptimo , ſuppoſita diſtinctione capitis ſecundum interiorem influxum , & ſecundum gubernationem exteriorem , docet , Diabolum eſſe omnium malorum caput , non primo , ſed ſecundo modo ; omnes enim , qui peccant , ad ſuum finem adducit , qui eſt auerſio à Deo , in qua omnia peccata mortalia conueniunt , etſi inter ſe differant ſecundum conuerſionem ad diuerſa bona commutabilia. Explicans autem , quo modo omnes à Diabolo inducantur ad malum.* In ſolut. ad 2. arg. *ait , hoc non ſemper fieri per exteriorem ſuggeſtionem , ſed vel ſuggerendo , vel omnibus ſignum ſuæ malæ voluntatis proponendo , ſuum , ſcilicet , primum peccatum , quod omnibus propoſitum eſt ad ſequendum , quidamque per ipſius ſuggeſtionem ; alij autem propria ſponte imitantur.*

Articulus vltimus. *In vltimo articulo , memoratis tribus capitis conditionibus , ſcilicet , anterioritate , influxu , & perfectione , docet D. Thomas , Anti-Chriſtum eſſe caput omnium malorum , non quoad primam , & ſecundam conditionem ; non enim illius peccatum omnia hominum peccata antecedit , nec in omnia hominum peccata habet Anti-Chriſtus influxum ; quoad tertiam autem conditionem eſſe omnium malorum caput propter illius malitiæ perfectionem.*

Vndè ſuper illud 2. ad Theſalonicenſes : Oſtendens ſe tanquam ſi Deus *: dicit Gloſſa :* Sicut in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit : ita in Anti-Chriſto omnis malitiæ plenitudo. *Quod explicans D. Thomas ait , non ita , quòd humanitas eius ſit aſſumpta à Diabolo in vnitatem perſonæ , ſed quia Diabolus ſuam malitiam eminentius ei influet , ſuggerendo , quam omnibus aliis. Notat autem D. Thom.* ſolut. ad 1. & 2. *non colligi ex hac doctrina , eſſe duo capita malorum prima ; Anti-Chriſtus enim membrorum erit Diaboli : ex quo infertur , eſſe caput Diabolo ſubordinatum.*

DISPVTATIO VIGESIMA OCTAVA.

An Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ, & per quam gratiam in ratione Capitis conſtituatur?

§. I.

Prima pars diſputationis reſoluitur.

1 *Theologorum ſenſus explicatur.* DVO SVNT, quæ in controuerſiam in præſenti diſputatione vocamus. Primum eſt, an Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ? Secundum, quæ ſit gratia, per quam in ratione capitis conſtituatur? Circa primum concors eſt omnium Theologorum ſententia affirmatiuum, Chriſtum non ſolum vt Deum, verum etiam ſecundum humanitatem, eſſe totius Eccleſiæ Caput. Ante cuius probationem aduerte, ly *ſecundum humanitatem*, ſumi poſſe reduplicatiuè, & ſpecificatiuè. Primo modo falſum eſt, Chriſtum, in quantum hominem, eſſe Caput Eccleſiæ. Quod enim conuenit Chriſto, vt homini: ly *vt*, reduplicatiuè ſumpto conuenit omni homini; nam reduplicatiua propoſitio cauſalem, & cauſalis vniuerſalem includit: vndè, quia hæc eſt vera: *Homo in quantum rationalis eſt riſibilis*; benè ex illa infertur, omne rationale eſſe riſibile; ſed non omni homini conuenit eſſe caput Eccleſiæ: ergo nec Chriſto, vt homini, humanitate reduplicata. Vndè communis Theologorum ſententia, non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè ſumit particulam *vt*, vel *in quantum*, cum docet, Chriſtum, in quantum hominem, eſſe Caput Eccleſiæ, ita vt humanitas non ſit cauſa quare Chriſtus Caput ſit, ſed ſubiectum *quo* gratiæ, per quam in ratione capitis conſtituitur.

2 *Oſtenditur 1. ex Paulo.* Hoc ita præmiſſo, probatur ſententia, quæ veriſſima eſt, primò ex Paulo ad Epheſios 1. illis verbis: *Ipſum*, id eſt, Chriſtum; *dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*, id eſt, vt ibi explicat D. Thomas, ipſum dedit Deus Pater Caput ſuper omnem Eccleſiam, ſcilicet, tam Militantem, quam Triumphantem. Vbi Paulum loqui de Chriſto, etiam ſecundum humanitatem, conſtat primò ex communi Patrum, & Scholaſticorum ſenſu. Secundo, verba præcedentia, nempè, & *omnia ſubiecit ſub pedibus eius*, de Chriſto nedum vt Deum, verum etiam vt homine intelliguntur, vt eleganter explicat Angelicus Doctor *ibi lect.* 8. his verbis. *Per pedes intelligitur infima pars corporis; per caput verò ſuprema. Licet autem in Chriſto diuinitas, & humanitas non habeant rationem partis; tamen diuinitas, quæ eſt ſupremum in Chriſto, intelligitur per Caput, Corinthior. 11. Caput Chriſti Deus. Humanitas verò, quæ infima eſt, intelligitur per pedes. Pſalm. 131. Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.* Eſt ergo ſenſus, quòd omnia creata, non ſolum ſubiecit Pater Chriſto, in quantum eſt Deus, cui ab æterno omnia ſubiecta ſunt, ſed etiam humanitati eius; ſed de Chriſto ſecundum eandem rationem verba ſubſequentia loquuntur, vt denotat relatiuum *ipſum*: ergo de Chriſto, etiam ſecundum humanitatem, loquitur Paulus, cum docet, eſſe Caput Eccleſiæ. Tertio, id ipſum conſtat; nam de eodem, de quo in eodem capite paulò ante docuerat, ſuſcitatum eſſe à mortuis, conſtitutum ad dexteram in cæleſtibus, & ſupra omnem principatum, loquitur Paulus, cum docet, Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ; ſed illa verificantur de Chriſto ſecundum humanitatem ergo etiam eſſe Caput Eccleſiæ id ipſum docet Paulus *ad Coloſſenſ. 1. & 2.* & *alibi* paſſim. *Coloſ. 1. & 2.* *S. Thom.*

3 *Secundò probatur.* Deindè probatur; nam Eccleſia eſt corpus per analogiam ad corpus naturale, vt conſtat ex Paulo 1. Corinth. 12. & ad Roman. 12. illis verbis: *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto*: ergo Chriſtus erit Caput Eccleſiæ per analogiam ad caput naturale. Tùm, quia corpori, caput debet aſſignari, ne corpus monſtroſum ſit; & nullum aptius, quam Chriſtus. Tum etiam, quia non minus verificantur de Chriſto, quæ Capitis propria ſunt, quam de Eccleſia, quæ ſunt corporis. *1. Corin. 12.* *Ad Roman. 12.*

4 *Denique probatur ratione D. Thom.* Denique probatur ratione D. Thom. *in præſenti art. 1.* nam Caput Eccleſiæ myſticum dicitur per ſimilitudinem, & analogiam ad caput humani corporis; ſed Chriſto, vt homini, conuenit hæc ſimilitudo, proportio, vel analogia: ergo Chriſtus, vt homo, eſt Caput Eccleſiæ myſticum, & morale. Minor probatur: caput hominis tria habet, in quibus alijs partibus corporis præeminet, nempè, prioritatem; eſt enim prima pars hominis incipiendo à ſuperiori, perfectionem, quia in capite vigent omnes ſenſus interiores, & exteriores; in cæteris autem membris eſt ſolus tactus, & virtutem, ſeu cauſalitatem; motus enim cæterorum membrorum à capite gubernantur propter vim ſenſitiuam, & motiuam in capite dominantem; ſed hæc tria competunt ſpiritualiter Chriſto; primo enim gratia illius eſt prior, etſi non tempore; benè tamen intentione Dei, vel ſaltim eſt exemplaritèr prior, eſt enim omnis gratiæ noſtræ exemplar, ſecundum illud *Roman. 8. Quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis Filij Dei*. Habet etiam perfectionem, cum ſit in Chriſto plenitudo omnium gratiarum, iuxta illud Ioannis *capit. primò Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*. Ac denique habet virtutem influendi gratiam in omnia Eccleſiæ membra, iuxta illud Ioannis *capit. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus*. ergo Chriſto, vt homini, conuenit ſimilitudo ad caput hominis naturale in tribus, per quæ in ratione capitis conſtituitur, & ab alijs membris diſtinguitur. Et ad maiorem breuitatem reddacta in hunc modum proponitur. Caput dicitur ex prioritate, perfectione, & cauſalitate; ſed Chriſto reſpectu Eccleſiæ hæc tria competunt ſecundum humanitatem: ergo Chriſtus, in quantum homo, eſt Caput Eccleſiæ. *Rom. 8. c.* *Ioan. c. 1.*

5 *D. Thom. ſumpſit argumentum ex Paulo.* Quam rationem ſumpſit Angelicus præceptor ex Paulo *ad Coloſſenſ. primò* illis verbis: *Et ipſe*, nempè, Chriſtus, *eſt Caput corporis Eccleſiæ*. Et rationem reddit Paulus: *Qui eſt principium, primogenitus ex mortuis*: ac ſi apertius diceret, quia eſt principium. Ecce primam capitis proprietatem, ſcilicet, proprietatem: *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare*. Ecce ſecundam proprietatem capitis, id eſt, perfectionem: *Et per eum reconciliare omnia in ipſum*. Ecce tertiam proprietatem, virtutem, ſcilicet, & influxum in cætera membra Eccleſiæ. Vbi, vt clare conſtat, ratio, qua Paulus probat, Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ, eſt ipſiſſima D. Thomæ ratio *in præſenti*.

§. II.

§. II.

Duplici argumento occurritur, & explicatur, an Chriſtus ſit membrum Eccleſiæ?

6 *Primò arguitur.* OPPONES PRIMO: ſi Chriſtus eſſet Caput Eccleſiæ, etiam eſſet Eccleſiæ membrum; ſed Eccleſiæ membrum non eſt, nec dici cum congruitate poteſt, vt docet D. Thomas *in* 3. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 6. ergo nec Caput Eccleſiæ. Probatur ſequela: caput corporis humani eſt membrum eiuſdem corporis: ergo ſi Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ per analogiam, & ſimilitudinem ad caput corporis humani etiam eſt membrum Eccleſiæ per eandem analogiam. Patet conſequentia; nam de quo verificatur, eſſe caput cum proprietate, prædicatur, quod ſit membrum propriè: ergò de quo prædicatur, eſſe analogicè, aut ſimilitudinariè caput, prædicatur etiam, eſſe analogicè membrum.

7 *Quidam abſolutè docent, Chriſtum eſſe Eccleſiæ membrũ. Altiſiod. Turrecremat.* Huic argumento quidam Theologi reſpondent, concedendo ſequelam, nec vllum inconueniens id reputant, imo id eſſe concedendum ſuadent ex illis verbis Pauli 1. Corinth. 12. *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*, ideſt, Chriſto, qui caput, & membrum eſt, vt explicat D. Thomas *ibidem lect.* 3. ita Altiſiodorenſis *lib.* 3. *ſummæ tract.* 1. *cap.* 4. *q.* 6. Turrecremata *lib.* 1. *ſumma Eccleſiæ cap.* 47. notanter, Eccleſiam capi poſſe dupliciter. Primò pro tota congregatione fidelium, capite excepto. Secundò pro eadem congregatione cum capite. Si priori modo accipiatur, aſſerunt, Chriſtum ſic eſſe caput, quòd Eccleſiæ membrum non eſt; ſi verò poſteriori modo ſumatur, eſt Caput Eccleſiæ, & membrum; ſic enim eſt pars illius: eſſe autem Eccleſiæ membrum, nil aliud eſſe videtur, quam eſſe partem illius. Quæ doctrina videtur à D. Thoma tradita *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 4. vbi docet,
S. Thom. Chriſtum poſſe dici membrum Eccleſiæ, quatenus Eccleſia conſtat ex Sponſa, & Sponſo Chriſto; non autem membrum Eccleſiæ, quatenus Sponſa eſt; quia ſic condiuiditur Chriſto, nec illum vt ſui partem includit.

8 *Alij docent, nullo modo id dici poſſe. Alexand. Bonauen. Richard. Palud. Vazquez.* Alij per extremum docent, Chriſtum nullo modo poſſe dici Eccleſiæ membrum, eo quòd membrum dependentiam à commembris importat; Chriſtus autem nullum influxum recipit ab Eccleſia, nec dependentiam habet ab illa. Ita Alexander 3. *part. quæſt.* 12. *membr.* 2. *artic.* 1. Bonauentura *in* 3. *diſt.* 13. *art.* 2. *q.* 2. Richardus *in eadem art.* Durandus *q.* 2. Paludanus *q.* 1. *art.* 3. quos refert, & ſequitur Vazquez *in præſenti diſp.* 48. *c.* 2.

9 *Quadam diſtinctione, vera ſolutio D. T. præmittitur.* Vera tamen reſolutio eſt, Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ ſecundum diuinitatem, & etiam ſecundum humanitatem: vnde Eccleſia poteſt ſumi dupliciter, vel prout includit Chriſtum, vt Deum, vt ſui caput, vel prout ſolum Chriſtum, vt hominem. Chriſtus ergo, vt homo, eſt membrum Eccleſiæ vt habentis caput Deum; non autem eſt membrum Eccleſiæ, vt habentis Caput Chriſtum, vt hominem. Ita expreſsè D. Thomas *in* 3. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *artic.* 1. *ad* 6. illis verbis. *Vnde non poteſt dici commembrum, ſecundum quòd Caput Eccleſiæ dicitur ipſe ſecundum humanitatem; poteſt autem dici membrum ſecundum humanitatem, ſecundum quod ipſe eſt Caput Eccleſiæ ſecundum diuinitatem: & ſic dicit Apoſtolus* 1. *Corinth.* 12. *Vos eſtis corpus eius, & membra de membro.* Et ratio eſt, quam ibi tradit D. Thomas, quia, nempè, membrum dicit dependentiam ab alijs commembris, vel ſaltim à capite; Chriſtus autem, vt homo, nihil recipit ab alijs Eccleſiæ commembris; benè tamen à Deo, & ideò non poteſt dici membrum Eccleſiæ, vt habet pro capite Chriſtum, vt hominem; benè tamen, vt habet pro capite Chriſtum, vt Deum.

10 *Si oppo-nas.* Si dicas, Chriſtum, vt hominem, à ſe ipſo, vt homine, aliquid recipiſſe, exaltationem, ſcilicet nominis, & corporis glorificationem: ergo poteſt eſſe, vt homo, membrum Eccleſiæ, vt habentis pro Capite Chriſtum, vt hominem. *Reſpondeo.* Reſpondeo, negando conſequentiam: nam quòd quis recipit à ſe ipſo, non dicitur per veram dependentiam recipere: & ideò ad rationem membri non ſufficit; aliàs poſſet dici, Chriſtum, vt hominem, eſſe membrum ſui vt hominis, quod falſum eſt, & à nemine admiſſum, niſi in ſenſu, in quo, quæ dicuntur de Eccleſia, de Chriſto Capite prædicantur.

Et ex his ad argumentum reſpondeo, Chriſtum, vt hominem, eſſe membrum Eccleſiæ, vt habentis pro Capite Chriſtum, vt Deum; non autem, vt habet pro capite Chriſtum ſecundùm humanitatem. Et ſi hoc ſecundum argumentum contendat, nego ſequelam: ad illius probationem, concesſo antecedenti, nego conſequentiam: nam de quo aliquo aliquid cum proprietate prædicatur, omnia illius prædicata enuntiatur, iuxta regulam Logicorum. *Quando quidpiam de quopiam prædicatur, &c.* ſecus autem ſi prædicatio ſit analoga; & per methaphoram. Et ratio eſt nam huiuſmodi prædicatio in imitatione fundatur: & quia poteſt imitatio fieri in vno prædicato, & non in alio, poteſt ſecundum vnum, & non ſecundum aliud prædicari. Et ſic in præſenti contingit: Chriſtus enim imitatur Caput corporis humani in tribus proprietatibus, quæ ad excellentiam capitis attinent, nempè, in prioritate, perfectione, & virtute; non autem in dependentia, quam caput naturale à ſibi commembris habet, & per quam in ratione membri conſtituitur; & ideò Caput poteſt dici Eccleſiæ, non autem membrum Eccleſiæ. 11 *Traditur vera ſolutio.*

Nec obſtat; quod oppoſiti Auctores obijciunt ex Paulo 1. Corinth. 12. illis verbis: *Vos eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro.* Nam, vel ly *de membro* idem eſt, quod ex parte, ideſt, non ſoli vos, ſed alij etiam ſunt membra Chriſti, vt explicat Caietanus, & D. Th. *ibidem lect.* 3. Vel eſtis membra de membro, ideſt, dependentia à me, qui ſum membrum Chriſti, in quantum per me, Chriſto acquiſiti eſtis, vt 2. *lec.* explicat D. Thom. Vel tandem, ſi ly *de membro* referatur ad Chriſtum, non eſt quia Chriſtus, vt homo, ſit membrum Eccleſiæ, vt habentis pro capite Chriſtum, vt hominem, ſed quatenus habet pro capite Chriſtum, vt Deum, vt ex D. Thoma 3. *Sent.* explicuimus. Et ſic accipienda eſt prima explicatio, quam ad illa verba adhibet Angelicus Doctor *lect.* 3. 12 *Obiectioni ex Paulo occurritur.*

Nec D. Thomas *in* 4. *Sent.* oppoſitum docet, cum dicit, Chriſtum, vt hominem, eſſe membrum Eccleſiæ, prout Eccleſia conſtat ex corpore, & capite, nam loquitur de membro largè, & nimis impropriè, in quantum habet officium diſtinctum ab omnibus alijs. Non autem eſt membrum propriè, quia non habet dependentiam ab alijs commembris, nec à capite Eccleſiæ ſic ſumptæ, quod requirebatur, vt membrum diceretur Eccleſiæ ea proprietate, qua dicitur caput. 13 *Non docet oppoſitum D. Thom.*

Obijcies ſecundò: vel Chriſtus eſt propriè Caput Eccleſiæ, vel tantum impropriè: neutrum poteſt dici: ergo. Minor pro prima parte patet: nam dicitur caput per analogiam ad caput hominis naturale, vt docet D. Thom. *art.* 1. quod autem per analogiam dicitur, non propriè, ſed metaphoricè dicitur tale, vt conſtat in nominibus Vitis, Leonis, & Paſtoris, quibus ſæpè Chriſtus in Scriptura nominatur: quæ, quia per analogiam de Chriſto dicuntur, non propriè, ſed impropriè de illo enuntiantur: ergo non propriè dicitur caput Eccleſiæ. Pro ſecunda verò parte probatur: nam dicitur caput Eccleſiæ ratione prioritatis, eminentiæ, & influxus; ſed hæc omnia cum proprietate competunt Chriſto: ergo & ratio capitis ei conuenit cum proprietate. 14 *Secundò arguitur.*

Huic argumento Magiſter Zippullus *art.* 1. *dub. unic. concl.* 1. *&* 2. reſpondet; ly *Caput Eccleſiæ* ſumi poſſe dupliciter; vel vt complexum, & in viduarum dictionum, vel vt compoſitæ figuræ, & in vi vnius dictionis. Si priori modo ſumatur, inquit, non propriè, ſed impropriè eſſe caput Eccleſiæ. Sumpto verò poſteriori modo, cum proprietate dicitur Caput Eccleſiæ. Primam probat: nam ſumptum ly *Caput Eccleſiæ* in viduarum dictionum, non habet aliam ſignificationem à ſignificatione partium; ſed ly *Caput*, quod eſt vna pars, propriè tantum ſignificat caput naturale, quod ſolum impropriè poteſt dici de Chriſto: ergo ſumptum complexiuè, & in viduarum dictionum, non propriè, ſed impropriè de Chriſto enuntiatur. Quod amplius confirmat; nam Chriſtum eſſe propriè Caput, ſupponit Eccleſiam habere caput propriè; ſed hoc implicat, cum Eccleſia, non propriè, ſed impropriè ſit corpus; & conſequentèr nequeat habere caput propriè: ergo. 15 *Zippulli ſolutio, & ſententia.* *Primam partem probat.* *Confirm.*

Secundam partem probat; nam ſumendo ly *Caput Eccleſiæ* in vi vnius dictionis, nihil aliud importat, quam primum, perfectius, ac influens in alia Eccleſiæ membra; ſed hæc tria cum proprietate competunt Chriſto: ergo 16 *Secundò partem ſuadet.*

Chri-

Chriſtus propriè eſt Caput Eccleſię, ſumpto hoc nomine in vt vnius dictionis.

Confirmat. Quod amplius confirmas: nam quod in Eccleſia propriè, & non ſecundum metaphoram eſt primum, perfectius, ac influens in alia eius membra, eſt propriè, & non ſecundum metaphoram Caput Eccleſiæ: ſed Chriſtus propriè, & non ſecundum metaphoram eſt primum, perfectius, & influens in alia Eccleſiæ membra: ergo propriè, & non ſecundum metaphoram eſt Caput Eccleſiæ in aliquo ſenſu: cumque non in primo, ſcilicet, in vt duarum dictionum, erit ſaltem in ſecundo, nempè, in vt vnius dictionis.

17 *Secunda pars ſententiæ iſtius Auctoris reijcitur primò.* Hæc tamen ſententia quoad ſecundam partem eſt falſa, & reijcitur primò: nam Chriſtus, etiam dicitur vitis Eccleſiæ, iuxta illud *Ioannis 15. verſ. 5. Ego ſum vitis, vos palmites.* Dicitur etiam Paſtor Eccleſiæ, iuxta illud *Ioannis 10. verſ. 14. Ego ſum Paſtor bonus.* Dicitur etiam Leo de Tribu Iuda, iuxta illud *Apocalypſis 5. verſ. 5. Vicit Leo de Tribu Iuda.* Flos etiam Eccleſiæ dicitur, ſecundum illud *Cantic. 2. verſ. 1. Ego flos campi, & lilium conuallium;* & tamen nullum ex his nominibus propriè prædicatur de Chriſto, nec in vt duarum dictionum, nec in vt vnius dictionis, nec aliquis oppoſitum docuit: ergo pariter ly *Caput Eccleſiæ*, nec in vt duarum dictionum, nec in vt vnius dictionis propriè prædicatur de Chriſto.

Io. 15. verſ. 5. Ioan. 10. verſ. 14. Apoc. 5. verſ. Cant. 2. verſ. 1.

18 *Secundò.* Secundò, quia nomen analogum, analogia proportionalitatis metaphoricæ, etiam cum addito illud determinante ad ſtandum pro minus principali ſignificato, non ſignificat illud propriè, ſed ex vi talis additi fit, vt transferatur de propria ad impropria ſignificationem, & ſuppoſitionem, vt conſtat in exemplis adductis; nam per ly *de Tribu Iuda*, non trahitur nomen *Leo* ad ſtandum propriè pro Chriſto, ſed transfertur ad ſtandum pro eo, quod impropriè ſignificat, vt Summuliſtis eſt manifeſtum; ſed ly *caput* eſt nomen analogum ad caput corporale, & ſpirituale: & hoc ſecundum eſt, quod impropriè ſignificat: ergo per additum *Eccleſiæ* non redditur ly *caput* propriè ſignificans Chriſtum, ſed trahitur, vt ſupponat pro eo, quod impropriè ſignificat. Quod, ni fallor, vocant Summuliſtæ alienare.

19 *Tertiò.* Tertiò, nam eo modo dicitur Chriſtus Caput Eccleſiæ quo Eccleſia dicitur corpus Chriſti, cum caput, & corpus, ſe inuicem correſpondeant; ſed Eccleſia in nullo ſenſu propriè dicitur corpus Chriſti, nec hoc nomine accepto in vi duarum dictionum, nec accepto in vt vnius dictionis, vt hic Auctor fateri videtur in confirmatione ſuæ primæ aſſertionis, & per ſe manifeſtum videtur, nec ab aliquo hucuſque oppoſitum eſt affirmatum: ergo Chriſtus in nullo proprio ſenſu poteſt dici caput Eccleſiæ, quomodocumque hoc nomen capiatur, ſed tantum analogicè, & metaphoricè.

20 *Chriſtus non dicitur propriè caput.* Ad argumentum ergo reſpondeo, concedendo maiorem, & negando ſecundam partem minoris: ad cuius probationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Et inſto in ſimili; non enim benè ſequitur, *Chriſtus dicitur Leo ratione fortitudinis; ſed fortitudo eſt proprietas communis Chriſto: ergo eſſe Leonem eſt proprietas communis Chriſto*: cum maior, & minor ſint veræ, & conſequens falſum. Et ratiò eſt; nam licet fundamentum analogiæ ſit fortitudo, in qua Chriſtus aſſimilatur Leoni; res tamen ſignificata per nomen *Leo*, non eſt fortitudo, ſed natura Leonis, quæ metaphoricè, & non propriè dicitur de Chriſto. Idem dicimus in noſtro caſu; eſſe primum, eminens, & virtuoſum ad influendum, eſt id, in quo Chriſtus aſſimilatur capiti naturali, & fundamentum analogiæ inter illud, & Chriſtum in ratione capitis; non eſt res ſignificata per ly *Caput*, ſed res hoc nomine ſignificata eſt primum eminens, & influens corporeum, quod propriè dicitur de capite naturali, impropriè autem, & metaphoricè de ſpirituali capite prędicatur.

21 *Ly Caput Eccleſiæ non eſt terminus incomplexus, nec ſumitur in vi vnius dictionis.* Et ex his ad argumentum contrarij Auctoris reſpondeo, negando maiorem, vel negando ſuppoſitum maioris, quod, ſcilicet, caput Eccleſiæ in vi vnius dictionis ſumatur, nec ab aliquo ly *Caput Eccleſiæ* impoſitum eſt, vt ſignificet per modum ſimplicis termini; quod tamen neceſſum erat, vt in vi vnius dictionis ſumeretur, vt conſtat in ly *equiferus*, quod, quia in vi vnius dictionis ſignificat, ſuam habet propriam impoſitionem diſtinctam ab illa, qua ly *equus*, & ly *ferus*, ex quibus componitur, fuerunt impoſita. Vnde, licet, hæ partes à ſua propria ſignificatione caderent, ly *equiferus* ſuam ſignificationem non amitteret, cuius contrarium in ly *Caput Eccleſiæ* contingit; nam ſi ly *caput*, non ſignificaret caput naturale, & ly *Eccleſia* non ſignificaret congregationem fidelium, ly *Caput Eccleſiæ* ſuam ſignificationem amitteret. Non ergo ly *Caput Eccleſiæ* in vi vnius dictionis ſignificat, ſed in vt duarum dictionum, nec per modum termini complexi.

Quod amplius confirmari poteſt; nam ly *Corpus Chriſti*, quod Eccleſia dicitur, non ſignificat in vi vnius dictionis, nec ly *Leo de Tribu Iuda*, nec ly *vitis*, aut *palmes Eccleſiæ*: ergo pariter nec ly *Corpus Eccleſiæ*. *Confirmatur.*

Ad confirmationem, nego maiorem: vt enim paulò antè dicebam primitas, eminentia, & perfectio non ſignificantur propriè per ly *Caput*, etiam determinatum ab illo termino *Eccleſiæ*, ſed ſunt fundamenta ad analogiam, quæ inter Chriſtum, & caput naturale in ratione capitis reperitur: vndè ex eo quod illa tria propriè dicantur de Chriſto, non ſequitur, propriè de illo enuntiari, quod ſit Caput Eccleſiæ. 22 *Ad confirmationem reſpondet.*

§. III.

Cum argumenta diluuntur, & explicatur, an Chriſtus ſecundum Corpus ſit Caput Eccleſiæ.

TERTIO obijcies: humanitas conſtat ex corpore, & anima; ſed Chriſtus non eſt Caput Eccleſiæ ſecundum corpus proprium, ſed tantum ſecundum animam: ergo Chriſtus non eſt caput Eccleſiæ ſecundum humanitatem. Probatur minor: Chriſtus eſt caput Eccleſiæ per gratiam habitualem, vt docet D. Thom. *in præſenti art. 5.* ſed gratia habitualis adęquatè ſubiectatur in anima, & nullatenus in corpore, nec in humanitate, vt conſtata ex anima, & corpore: tùm, quia aliàs diſſoluta vnione inter animam, & corpus deſtrueretur habitualis gratia. Tum etiam, quia eſt accidens ſpirituale; & conſequenter ſoli ſpirituali ſubiecto poteſt inhærere: ergo Chriſtus, non ſecundum corpus, ſed tantum ſecundum animam, eſt caput Eccleſiæ. 23 *Tertiò arguitur.*

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: vt enim docet Caietanus *in præſenti art. 2.* Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, non ſolum ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus, etſi per ſe primò ſecundum animam. Et ſic intelligendam exiſtimat mentem D. Thom. *in art. 2.* vbi docet, Chriſtum eſſe caput hominum ſecundum corpora, & ſecundum animas. Quorum ad animas per ſe primò, & minus principaliter quantum ad corpora, quod, ſcilicet, ly *quantum ad corpora* referatur, non ſolum ad corpora aliorum, ſed etiam ad corpus proprium. Et hanc eſſe mentem D. Thom. deducit ex *ſolut. ad 3.* quod cum intenderet, Chriſtum non eſſe caput Eccleſiæ ſecundum corpus, quia traxit ex alijs originem; caput autem debet eſſe primum; & conſequenter non acceptum à membris; reſpondet, quod licet Chriſtus traxerit materiam corporalem ab alijs; vitam tamen immortalem omnes homines trahunt ex ipſo; ſed argumentum, non de corporibus aliorum, ſed de corpore Chriſti procedebat: ergo D. Thomas docens, Chriſtum eſſe caput hominum quoad animas, & quoad corpora, non ſolum loquitur de corpore, & anima in membris, ſed etiam de corpore, & anima proprijs ipſius Chriſti: ita vt ſenſus ſit, Chriſtum quantum ad corpus, & animam eſſe caput hominum ſecundum animas, & ſecundum corpora. 24 *Chriſtus non ſolùm ſecundùm animam, ſed etiam ſecundùm corpus dicitur caput Eccleſiæ. Probatur ex D. Th.*

Et ratio eſt; nam homines ſunt membra Chriſti ſecundum corpora, & animas, quia ſecundum vtraque perficiuntur à Chriſto, & recipiunt influentiam illius; ſed etiam ex parte Chriſti, nedum anima, verum etiam Chriſti corpus in homines dona gratiæ influit; ſua enim paſſione, & actibus, nedum ſpiritualibus, verum etiam corporalibus à corpore exercitis, nos redemit: ergo ſecundum vtrumque eſt caput Eccleſiæ, non quidem *diuiſiuè*, vt aliqui falsò exiſtimant, ſed *complexiuè*, nec æquè primò, ſed ſecundum animam primo, & ſecundo ſecundum corpus. Primum patet: nam influunt anima, & corpus eo modo, quo verbo copulantur; non autem *diuiſiuè* inter ſe, ſed inter ſe vnita copulantur Chriſto: ergo non *diuiſiuè*, ſed *complexiuè*, influunt; & conſequenter eſt 25 *Ratione probatur.*

caput

caput ſecundum corpus, & animam, ſumpta complexiuè; eſt enim caput eo modo, quo influit. Secundum ex eodem principio probatur; nam ad influxum, & conſequenter ad rationem capitis, comparantur corpus, & anima Chriſti eo modo, quo Verbo copulantur; ſed corpus coniungitur Verbo mediante anima; fuit enim, anima mediante, aſſumptum, vt docuit Diuus Thomas *ſupra quæſtione 6. art. 1.* ergo ad influxum in homines præſtandum, & conſequenter ad rationem capitis per ſe primò comparatur anima, & corpus ſecundariò, & illa mediante. (S. Thom.)

36 *Probatio minoris non obſtat.* (S. Thom.) Nec contra hæc obſtat probatio minoris: vt enim docet D. Th. *quæſt. præced. art. 2. ad 1. Gratia ſufficit homini quantum ad omnia, quibus ordinatur ad beatitudinem; horum tamen quædam perficit gratia immediatè per ſeipſam; quædam autem, mediantibus virtutibus, quæ ex gratia procedunt.* Hæc D. Thomas. Ex quibus ad præſens inſtitutum colligo, quod, vt gratia habitualis ſit in Chriſto gratia capitis, ſufficit, quod medijs virtutibus ab illa demanantibus, & medijs auxilijs ipſi debitis, corpus, vel illius potentias informet, etſi ratione ſui immediatè tantum ſubiectetur in anima, & illi ſoli præſtet ſuum effectum phyſicum formalem.

27 *Replicabis.* Sed oppones primo: ſecundum idem eſt Chriſtus Caput hominum modò, & fuit, dum viueret in hac vita mortali; ſecundum quod fuit caput in triduo, ſed in triduo non fuit caput ſecundum humanitatem, ſed ſecundum animam, cum in triduo non eſſet humanitas, diſſoluta tunc vnione animæ ad corpus, ex quibus, vt coniunctis, reſultat humanitas: ergo nec modò, nec dum erat viator, eſt, nec fuit caput hominum ſecundum humanitatem.

28 *Secundò.* Secundò; gratia habitualis animæ Chriſti in triduo non radicabat ea, quibus corpus Chriſti tunc temporis noſtram operabitur ſalutem: ergo tunc erat gratia capitalis, prout præciſè animam afficiebat. Sed eodem modo eſt gratia capitis nunc, ac erat in triduo mortis: ergo nunc ſolum eſt gratia capitis per comparationem ad animam; & conſequenter ſolum ſecundum animam, & non ſecundum corpus, ſiuè ſecundum humanitatem, prout ab anima diſtinctam, Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ.

29 *Reſpondetur ad 1. replicam.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ſecundum idem adæquatè, nego maiorem: inadæquatè, concedo maiorem; & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam licet ratio formalis, per quam Chriſtus in ratione capitis conſtituitur, eadem ſit in omnibus iſtis ſtatibus, nempè, gratia habitualis Verbo coniuncta, & inſtitutio libera Dei; ſubſtractum tamen eius idem adæquatè non eſt. Sed modò, & in ſtatu viæ, quia anima eſt corpori vnita, ex quorum coniunctione reſultat humanitas, quæ operabatur actus ſatisfactorios, & meritorios, humanitas eſt id quod pro ſubſtracto Chriſtus eſt, & erat caput; in triduo autem non humanitas, quæ tunc non remanſit, ſed anima fuit ſubſtractum, quo Chriſtus erat Caput Eccleſiæ; ac proindè non ſecundum idem adæquatè, ſed inadæquatè tantum Chriſtus in triduo, & in ſtatu viæ fuit Caput Eccleſiæ.

30 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam dicatur, quod licet non radicaret prædicta dona actualiter ex defectu vnionis corporis cum anima in triduo; ea tamen radicata exigebat. Vel ſecundò poteſt dici; gratiam habitualem eſſe gratiam capitis adæquatè, quando anima eſt corpori vnita, & tunc ſe ipſa, vel mediantibus donis in ea radicatis, ad omnes actus capitis concurrere; in triduo autem adæquatam gratiam capitalem non eſſe, ſed principalem, eo quòd animam actuabat, ſecundum quam principaliter Chriſtus in triduo fuit caput, adæquatam verò ex gratia habituali animam actuante, & donis efficientibus corpus, illudque eleuantibus ad influendum in homines, eſſe conflatam.

31 *Denique arguitur impugnando rationem D. Thom.* Denique obijcies, prioritas, eminentia, & influxus competit cordi reſpectu cæterorum membrorum integrantium corpus humanum; eſt enim cor principium, quod in corpore viuente mouetur, viuit, & ſuo motu alios vitales motus initiat; & conſequenter eminentius eſt in viuendo, cum ſit alijs viuendi principium; & tamen Chriſtus ex prioritate, eminentia, & influxu non dicitur cor Eccleſiæ: ergo nec ex his conditionibus conuenientibus humano capiti, & Chriſto reſpectiuè ad ſua membra debet dici Eccleſiæ Caput.

32 *Reſpondetur ex D. Th.* Reſpondeo ex D. Th. *in præſenti art. 1. ad 3. & q. 29. de Veritate art. 3. ad 7.* Chriſtum ſecundum humanitatem ideo non dici cor Eccleſiæ, ſed caput; quia capitis eminentia, & influxus non occulta, ſed manifeſta ſunt; cordis autem influxus eſt latens: & ideò Chriſtus ratione diuinitatis, vel Spiritus Sancti poteſt dici Eccleſiæ cor, quia prout ſic, non habet eminentiam viſibilem, ſed ſecundum humanitatem viſibilem aptius dicitur caput, quam cor.

33 *Contra ſolutionem arguitur.* Sed contra: Chriſtus ſecundum humanitatem, etſi diſconueniat à corde penè eminentiam viſibilem; conuenit tamen cum illo, in independentia à membris, & in hoc diſconuenientiam habet cum capite humano: ergo non eſt, cur propter diſconuenientiam à corde, & conuenientiam cum capite in eminentia viſibili, caput, & non cor Eccleſiæ dicatur: & non potius propter conuenientiam cum corde in non accipiendo motum e membris, & diſconuenientiam cum capite in hac proprietate, non debeat magis dici cor Eccleſiæ, quam caput. Conſequentia videtur tenere à paritate rationis, & antecedens probatur; nam caput naturale accipit motum à corde, cor à capite motum non accipit, nec ab alijs membris corporis; ſed Chriſtus ſecundum humanitatem nihil accepit à membris Eccleſiæ: ergo in hoc conuenientiam habet cum corde, & diſconuenientiam à capite.

34 *Reſpondetur.* Huic obiectioni reſponderi poteſt, quòd licet Chriſtus ſecundum humanitatem ab Eccleſiæ membris nihil recipiat, & in hoc æquiparetur cordi, & diſquiparetur capiti; accipit tamen aliquid, imo & omnem perfectionem, quam habet, ab Eccleſiæ corde: vt enim D. Thomas *locis vbi proximè* docet, cor Eccleſiæ Spiritus Sanctus eſt, à quo Chriſtus ſecundum humanitatem omnem ſui perfectionem recepit.

§. IV.

Circa ſecundam partem referuntur ſententiæ, & prima concluſio ſtatuitur.

35 *Prima ſententia. Vazq. Merat.* CIRCA ſecundum quod examinandum in hac diſputatione propoſuimus, plures ſunt Theologorum ſententiæ. Prima docet, ſolam gratiam vnionis Chriſtum in ratione capitis conſtituere. Hanc tenet Vazquez *diſp. 49. cap 4.* quem aliqui Recentiores ſequuntur. Meratius *diſp. 29. ſect. 5.* eidem ſententiæ adhæret.

36 *Secunda ſententia. Medin. Nazar. Araujo. Zippul.* Secunda docet, ſolam gratiam habitualem eſſe in Chriſto gratiam capitis. Hanc tenent Medina, Nazarius, Illuſtriſſimus Araujo, & Zippullus *in hac q. art. 5.* & eſt apud noſtros Thomiſtas frequentior. Cui etiam adhærere tenentur, quotquot ſoli gratiæ habituali attribuunt vim ſanctificandi formaliter. Cum enim gratia capitis in ſanctitate conſiſtat cum ordine ad influxum in membra, negata gratiæ vnionis vi ſanctificandi humanitatem Chriſti formaliter, negata etiam conſequenter videtur ratione gratiæ capitis, & ſoli habituali gratiæ conceſſa.

37 *Tertia ſententia. Vincent. Lorca. Suar.* Tertia ſententia docet, gratiam habitualem eſſe in Chriſto gratiam capitis per modum principij proximi; per modum verò radicalis principij eſſe gratiam vnionis. Hanc tenet Vincentius *relect. de Gratia Chriſti q. 6. in princip.* Lorca *diſp. 46. n. 6.* Tenet etiam Suarez *diſp. 23. ſect. 2.* vbi docet tam gratiam vnionis, quam gratiam habitualem poſſe dici gratiam capitis, vnamquamque in ſuo ordine; potiſſimè tamen vnionis gratiæ rationem gratiæ capitis attribuendam exiſtimat. Addit tamen, nomine gratiæ habitualis, non ſolius animæ iuſtitiam, ſed etiam habitus, & dona perficientia potentias intelligi, & ex his omnibus gratiam capitis per modum principij proximè influentia integrari. A qua ſententia non diſſentit meo iudicio Vazquez pro ſecunda relatus, cum doceat, gratiam habitualem non omninò incongruè dici poſſe gratiam capitis, quatenus eſt principium eliciens alicuius operis meritorij. Lugo *diſp. 17. dubitat. vlt.* eandem ſententiam tenet. (Vazq. Lugo.)

38 *Quarta ſententia. Granad.* Quarta ſententia docet, nec ſolam gratiam habitualem, nec ſolam gratiam vnionis eſſe gratiam capitis, ſed ex habituali gratia, vt principio eliciente ſubſtantiam actus meritorij, & ex gratia vnionis, vt cauſante dignitatem infinitam meritoriam, gratiam capitis conflari. Hanc tenet Granadus *contrprincipe. de Incarnat. tract. 7. diſp. 6. concluſ. 4.* pro illa referens Valentiam, & alios.

Pio

39 *Prima concluſio.* Pro veritatis explicatione ſit prima concluſio. *Gratia habitualis eſt in Chriſto gratia capitis: & hæc à gratia perſonali ratione diſtinguitur.* Ita Auctores omnes pro prima, tertia, & quarta ſententia adducti. Ea expreſsè *S. Thom.* D. Thomas *Ioannis 3. lect. 6. q. 29. de Veritate art. 5. in 3. diſt. 13. q. 2. art. 1. in corpor. & q. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. in 4. diſt. 5. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 3. & in hac q. art. 5.* Et probatur prima pars cõcluſionis: nam forma dans Chriſto, vt homini, radicale poſſe ad influendum in membra Eccleſiæ gratia capitalis eſt; ſed gratia habitualis dat Chriſto, vt homini, radicale poſſe ad influendum in membra Eccleſiæ: ergo eſt gratia capitalis. *Prima pars concluſionis probatur.* Illatio eſt legitima, maior videtur certa; nil enim aliud ad rationem gratiæ capitis eſt neceſſarium, niſi quod caput primo conſtituat potens ad influxum in membra Eccleſiæ præſtandum. Minor autem probatur: Chriſtus namque influit in membra Eccleſiæ per meritum, & ſatisfactionem; ſed gratia habitualis dat Chriſto, vt homini, poſſe radicaliter mereri, vt *q. præced. art. 1.* vidimus: ergo dat illi poſſe radicalitèr influere in membra Eccleſiæ.

40 *Confirmatur.* Confirmatur: gratia habitualis Chriſti eſt prior gratia cæterorum hominum: tùm, quia magis accedit ad Deum. Tùm, quia eſt finis, & exemplar gratiæ alijs hominibus datæ: ſicut prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar, & finis noſtræ prædeſtinationis. Eſt etiam eminentior gratia hominum, & Angelorum; fuit enim cum plenitudine in Chriſto, vt vidimus *præced. quæſt.* & per illam Chriſtus influit in Eccleſiæ membra; ſed prioritas, eminentia, & influxus ad rationem capitis ſufficiunt: ergo gratia Chriſti habitualis eſt gratia capitis.

41 *Secunda pars concluſionis, probatur.* Deinde ſecunda pars concluſionis probatur, nempè, gratiam capitis ſola ratione à gratia perſonali differre; dicitur enim perſonalis, quatenus humanitatem Chriſti ſanctificat; capitis verò dicitur, quatenus dat poſſe ad influendum in alios; ſed eadem eſt forma, per quam ſubiectum aliquod in actu conſtituitur, & redditur potens agere cum ſola diſtinctione rationis, vt conſtat in calore ignis, per quem abſque reali diſtinctione, ignis calidus in ſe conſtituitur, & redditur potens calefacere: ergo gratia capitis ſola ratione à gratia Chriſti perſonali diſtinguitur.

---

§. V.

Triplici obiectioni contra primam partem concluſionis occurritur.

42 *Arguitur.* SED obijcies aduerſus primam partem concluſionis primò: gratia capitis eſt illa, qua propriè, & primo caput in eſſe capitis conſtituitur; ſed gratia habitualis non conſtituit primò Chriſtum in ratione capitis: ergo gratia capitis non eſt. Maior ex eo conſtat, quia alias non ſolà gratia habitualis, ſed etiam habitus, & omnia auxilia, quibus Chriſtus influentes in membra Eccleſiæ conſtituitur gratia, aut gratiæ capitis eſſent. Minor autem probatur: nam gratia aliam ſupponens priorem, ad quam conſequatur, cuiuſque proprietas ſit, non poteſt primò conſtituere caput in ratione capitis; ſed gratia habitualis ſupponit gratiam vnionis, & ad illam, vt proprietas ad eſſentiam, conſequitur: ergo non poteſt primò Chriſtum, vt hominem, in ratione capiti conſtituere.

43 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: primò in omni ordine, nego maiorem: primò in aliquo ordine, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam gratia habitualis, etſi vnionis gratiam ſupponat; ac proindè non ſit in omni ordine prima; eſt tamen prima in ſuo ordine, nempè, ſupernaturali, non hypoſtatico: quæ primitas ſicut ſufficit, vt verè, & propriè conceptum naturæ ſortiatur: ita etiam ſufficit, vt gratia capitis ſit. Nec ſequitur, habitus ſupernaturales, & cætera gratiæ dona rationem gratiæ capitalis ſortiri; nam huiuſcemodi dona in nullo ordine prima ſunt, ſed ex ſuo conceptu gratiam habitualem pro ſua radice, & connaturali natura ſupponunt: ſicut nec, ex eo quod gratia habitualis, non obſtante ſuppoſitione gratiæ ſubſtantialis in Chriſto, ſit in ordine ſupernaturali natura, ſequitur, habitus, & auxilia rationem naturæ in ordine ſupernaturali obtinere.

44 *Arguitur 2.* Obijcies ſecundo: illa eſt gratia capitis, per quam Chriſtus conſtituitur potens in alia membra influere gratiam, & dona ſupernaturalia; ſed ad hoc non redditur potens per gratiam habitualem: ergo gratia habitualis gratia capitis non eſt. *Minor prob. 1.* Minor probatur primò: Chriſtus influit gratiam in homines per meritum proprium, quatenus ad alijs promerendum ordinatum; ſed gratia habitualis non eſt principium huius ordinationis, cum ſit eiuſdem ſpeciei in Chriſto, & in nobis; gratiam autem noſtra huius ordinationis principium eſſe non poteſt, ſed eſt ad præmium proprium ſubiecti illigata: ergo nec gratia Chriſti poteſt huius ordinationis eſſe in principium.

45 *Secundò.* Secundò: nam Chriſtus influit gratiam in homines per meritum proprium, quatenus eſt infinitum; ſed gratia habitualis non poteſt eſſe principium meriti Chriſti, quatenus eſt infinitum, cum nec moraliter infinita ſit, vt *diſp. præced.* docuimus, quod tamen neceſſarium erat, vt principium infiniti meriti eſſet: ergo gratia habitualis non conſtituit Chriſtum, vt hominem, potentem influere gratiam in homines.

46 *Reſpondetur ad 1. prob.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: ad primam probationem diſtinguo maiorem: ly *quatenus* dicente conditionem, concedo, maiorem: rationem formalem, nego maiorem: & permiſſa minori, nego conſequentiam: nam eſto gratia habitualis non ſit principium ordinationis meriti ad influxum in alios, ſed à libera Chriſti voluntate dicta ordinatio proueniat; quia tamen ordinatio, non ratio formalis, ſed conditio tantum eſt, non licet colligere, gratiam non principiantem dictam ordinationem non conſtituere Chriſtum potentem ad influendum in alios.

47 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam probationem Vincent. vbi *ſupra ſol. 763.* reſpondet, & gratiam Chriſti, etſi phyſicè finita ſit, & eiuſdem rationis cum noſtra; eſſe tamen moralitèr infinitam, & ratione huius infinitatis moralis meritum efficere, quatenus eſt infinitum. Sed quia *præced. diſp.* infinitatem moralem gratiæ habitualis reſecamus: ideò non poſſumus huic acquieſcere ſolutioni.

48 *Non obſtat, quod gratia habitualis infinita non ſit.* Vndè ad ſecundam probationem minoris, conceſſa maiori, reſpondeo, diſtinguendo minorem: non poteſt habitualis gratia eſſe principium meriti vt infiniti pro formali dante infinitatem, concedo minorem: pro ſubſtracto illius infinitatis, nego minorem, & conſequentiam; nam valor operum Chriſti, non in abſtracto, ſed in concreto in gratiam hominum influit, quod concretum conſtat ea ſubſtantia operationum Chriſti, & ea diuina eſſentia ſumpta vt forma morali. Vndè, vt gratia, iſtius concreti ſit cauſa; & conſequentèr præmij illi correſpondentis, ſufficit, quod licet formam infinitatem non cauſet, ſit principium vt *quo* liberum ſubſtracti, nempè, ſubſtantiæ actus infinitatem recipientis: ſicut ſufficit, vt Chriſtus dicatur liberè nobis gratiam mereri, quod liberè cauſet concretum meriti, cauſando ſubſtantiam actus, etſi formale concreti, ſcilicet, formam infinitatem, ſua libera efficientia non cauſet.

49 *Replicabis.* Sed dices: forma infinitans eſt id, ratione cuius meritum Chriſti continet aliorum gratiam: ergo ſi gratia habitualis Chriſti, non eſt principium meriti, quatenus eſt infinitum, non eſt principium influentes in homines gratiam. Conſequentia videtur bona; antecedens autem probatur: nam actus Chriſti in ſubſtantia eiuſdem rationis ſunt cum actibus puræ creaturæ, & ſolum ab illis differunt ratione infinitatis valoris ſumptæ à perſona operante; ſed actus puræ creaturæ quantumuis habituali gratia informati, non continent gratiam aliorum in genere cauſæ meritoriæ moralis: ergo actus meritorij Chriſti illam continent ratione infinitatis, & formæ dantis infinitatem.

50 *Reſpondeo.* Reſpondeo, valorem actus, & formam valorantem, non in abſtracto, ſed in concreto eſſe cauſam moralitèr influentem in præmium. Vndè, vt gratia habitualis Chriſti ſit principium influens in gratiam aliorum hominum, quam Chriſtus ſuis meritis cauſat, ſufficit, quòd cauſet concretum reſultans ex valore, & ex ſubſtantia actus ſicut ſufficit, vt Chriſtus liberè gratiam mereatur hominibus, quod concretum illud cauſet, etſi formam valorantem, nec valorem ſumptum in abſtracto cauſet: & ſicut homo cauſat hominem; quamuis non efficiat formam, imo nec materiam, ex quibus homo componitur.

51 *Tertiò arguitur.* Tertio obijcies: gratia habitualis Chriſti, & gratia noſtra ſunt eiuſdem ſpeciei quoad phyſicam, & moralem enti-

entitatem, vt *diſp. præced.* docuimus ſed gratia noſtra non eſt ad caput conſtituendum ſufficiens; aliàs purus homo poſſet eſſe aliorum caput quoad influxum interiorem gratiæ per meritum condignum illius: ergo gratia habitualis non eſt, quæ Chriſtum Dominum in ratione capitis conſtituit. Patet conſequentia: eadem forma inuariata eundem præſtat effectum: ergo ſi gratia noſtra eſt eiuſdem rationis cum gratia habituali Chriſti, & puro homini nequit rationem Capitis Eccleſiæ tribuere, nec id poterit Chriſto, vt homini, præſtare.

52 *Reſpōdeo.* Reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam: ad cuius probationem dicatur, verum eſſe antecedens, quando effectus præſtatur à forma ſecundum ſola intrinſeca prædicata; ſecus autem, quando à forma non prouenit ratione tantum prædicatorum eſſentialium, ſed ſimul ex aliquo adiuncto, qualiter in præſenti contingit; nam gratia habitualis eatenus eſt gratia capitis, Chriſtumque caput conſtituit, quatenus influit in alios per meritum, & ſatisfactionem dignitatis infinitæ. Ad quod duo concurrunt, nempè, gratia habitualis, vt principium phyſicæ entitatis actus, & perſona Verbi vt infinitè valorans: vndè gratia habitualis non conſtituit Chriſtum Dominum in ratione capitis, ratione ſuæ entitatis præcisè, ſed vt Verbo Dei coniuncta. Quod expreſsè docuit D. Th.

S. Thom. loquendo de humanitate in *hac q. art. 6. in corpore*: ibi: *Interior influxus gratiæ non eſt ab aliquo, niſi à ſolo Chriſto, cuius humanitas ex hoc, quod eſt diuinitati coniuncta, habet virtutem iuſtificandi.*

---

§. VI.

Vltimo argumento occurritur.

53 *Vltimo argumentur.* DENIQVE obijcies: ſi Verbum humanitatem aſſumeret ſine gratia habituali, & medijs auxilijs fluidis, ſupernaturales actus eliceret, quibus nobis mereretur gratiam, & diuinæ gratiæ auxilia, quod eſſe poſſibile *diſputat. præced.* docuimus, Chriſtus eſſet membrorum Eccleſiæ Caput; ſed tunc non conſtitueretur in ratione capitis per aliquam formam creatam à gratia vnionis diſtinctam: ergo modò per gratiam habitualem in ratione capitis non conſtituitur. Conſequentia eſt bona: tunc namque per auxilia fluida ſupernaturalia eliceret actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, & meritum infinitum ſumptum in concreto efficeret, quod modò à gratia habituali radicaliter præſtatur: ergo ſi hoc non obſtante, hæc auxilia in illo caſu Chriſtum, in ratione capitis non conſtituerent, quamuis gratia habitualis ad ſubſtantiam actuum ſupernaturalium, & ad meritum infinitum ſumptum in concreto concurrat, Chriſtum in ratione capitis non conſtituet.

54 *Minor oſtenditur.* Minor autem, in qua eſt difficultas, oſtenditur primo: auxilia, quæ modò cum gratia habituali ad actus Chriſti meritorios concurrunt, non ſunt gratia capitis, nec Chriſtum in ratione Capitis Eccleſiæ conſtituunt: & hoc non alia ratione, niſi quia non ſunt prima, & radicalia, ſed tantum proxima efficiendi principia; ſed etiam in illo caſu radicalia principia non eſſent, ſed tantum modo proxima: ergo in illo caſu gratia capitis non eſſent, nec Chriſtum in ratione capitis conſtituerent.

55 *Secundò.* Secundo probatur, ſupponendo probabilem multorum ſententiam aſſerentium, Chriſtum per actus vndequaque naturales poſſe ſupernaturale præmium mereri; & conſequenter per illos, quamuis nullum actum ſupernaturalem eliceret, poſſet Chriſtus hominibus gratiam de condigno mereri, illos à peccatis redimere, caputque Eccleſiæ, omni gratia creata ſupernaturali ſecluſa, conſtitui. Qua doctrina ſuppoſita, quæ ſine dubio eſt probabilis, ita oſtenditur minor argumenti facti: eodem modo in hoc caſu influerent vires naturales humanitatis Chriſti in actus, quibus gratiam mereretur hominibus, quo, in caſu principalis argumenti influerent gratiæ auxilia, & modò influit habitualis gratia, nempè, in ſubſtantiam actus meritorij, & in meritum in concreto: non autem in meriti infinitatem; ſed in hoc ſecundo caſu vires humanitatis Chriſti naturales non conſtituerent Chriſtum in ratione capitis, nec gratia capitalis eſſent: ergo nec in primo caſu ſupernaturalia auxilia, nec modo gratia habitualis Chriſtum in ratione capitis Eccleſiæ conſtituunt, nec ſunt gratia, aut gratiæ capitis.

Huic argumento Recentiores quidam ex noſtris reſpondent, tunc caſus Chriſtum fore Caput Eccleſiæ diuerſo modo, atque nunc; nam gratia vnionis, quæ modo præſuppoſitiuè tantum ad caput conſtituendum ingreditur, tunc ingrederetur formaliter ad conſtituendum caput quoad operum dignificationem, & quoad phyſicum influxum in membra ratione diuinæ eleuantis humanitatem ad influxum phyſicum præſtandum. 56 *Recentiorum ſolutio.*

Verum hæc ſolutio ex ipſorum doctrina reijcitur primò; nam hi Auctores probant, gratiam vnionis nec adæquatè, nec inadæquatè eſſe gratiam capitis modò, quia ad gratiam capitis requiritur phyſicus influxus in membra; gratia autem vnionis phyſicum influxum non habet: nec enim inſtrumentaliter phyſicè ad noſtram gratiam cauſandam concurrit, quia inſtrumentalis concurſus diuinitati vnitæ, in qua gratia vnionis conſiſtit, repugnat; nec concurrit principaliter, quia ad hoc neceſſarium erat, quòd humanitati vniretur vt forma, quod diuinitati repugnat; at hæc ratio pari efficacia militat in caſu in argumento ſuppoſito; cum nec tunc vniretur humanitati vt forma, nec inſtrumentaliter phyſicè ad noſtram gratiam cauſandam concurrere poſſet: ergo vel in illo caſu gratia capitis non eſſet, vel ratio, qua ſuadent, modò gratiam capitis non eſſe omnino inefficax eſt. 57 *Reijcitur primo ad hominem.*

Secundò reijcitur: nam ratio, qua ducuntur, vt aſſerant tunc gratiam vnionis gratiam capitis eſſe, probat etiam modò, rationem gratiæ capitis obtinere: ergo vel negare debent, tunc futuram gratiam capitis, vel tenentur affirmare modò eſſe gratiam capitis. Probo antecedens: ideò aſſerunt, tunc gratiam capitis futuram, quia etſi phyſicum influxum non daret; concurreret tamen ad dignificationẽ moralem meritorum Chriſti; ſed etiam modo ad moralem operum dignificationem concurrit, cum nihil ſit, quod impediat moralem gratiæ vnionis in merita Chriſti influxum: ergo ratio, qua ſuadent, tunc futuram gratiam capitis, probat, modò gratiam capitis eſſe. 58 *Secundò.*

Dices, modo non concurrere ad dignitatem meritorum præſtandam, quia à gratia habituali præſtatur: tunc autem, cum gratia habitualis non eſſet, ſed tantum auxilia phyſica, vel moralia ad opera ſupernaturalia eleuantia, hæc dignificatio à gratia vnionis proueniret. 59 *Reſpōdebis.*

Sed contra primò: nam gratia habitualis præſtat modò operibus Chriſti dignitatem infinitam in iſtorum Auctorum ſententia ratione modi moralis moraliter infiniti, ex gratia vnionis in habitualem gratiam deriuati: at etiam poſſet in ſupernaturalia auxilia modus iſte moralis ex vnionis gratia refundi: ergo poſſent auxilia ſupernaturalia ratione huiuſmodi operibus Chriſti Domini infinitam dignitatem præſtare, & de facto darent huiuſmodi dignitatem. Et tamen, hoc non obſtante, gratia vnionis dignificaret opera Chriſti, & ob hanc cauſam gratia capitalis eſſet, vt præfati Auctores fatentur: ergo paritèr, quamuis gratia habitualis modo præſtet operibus Chriſti dignificationem moralem, ad eandem etiam gratia vnionis præſtabit influxum; & conſequenter gratia capitis erit. 60 *Sed contra 2.*

Secundò: nam vel gratia habitualis dignificationem meritorum moralem præſtat in genere cauſæ efficientis per influxum radicalem, vel in genere cauſæ formalis. Si primum, etiam gratia vnionis radicaliter moraliter vt radix prior, ad iſtam dignificationem concurret, cum radicet moralem infinitatem gratiæ, radicantem moralem operum dignitatem. Si ſecundum, etiam gratia vnionis formaliter ad dignitatem operum præſtandam concurret: ergo gratia vnionis modò ad operum dignificationem præſtat moralem influxum, & conſequenter eſt gratia capitis, ſi in caſu argumenti gratia capitis eſſet dicenda. Minor pro prima parte manet probata; pro ſecunda verò probatur: ideò gratia habitualis dignificat formaliter opera, quia immediatè formaliter præſtat dignitatem, & ſanctitatẽ principio, vel ſubiecto operanti; ſed etiam gratia vnionis dignificat, & ſanctificat formaliter principium, vel ſubiectum operans: ergo ſecundariò, & mediatè dignificat formaliter opera. 61 *Contra.*

Reiecta ergo hac ſolutione, ad argumentum reſpondeo, conceſſa maiori de capite non ita perfecto: ſicut modo Chriſtus eſt, eo quòd ad rationem capitis perfectam influxus per formam permanentem requiritur; tunc autem, non per formam permanentem, ſed per auxilia fluida, & tranſeuntia in ratione potentis ad influendum conſtitueretur. Conceſſa, inquam, in iuſto ſenſu maiori, nego minorem: ad primam probationem dicatur; auxilia 62 *Vera ſolutio.* *Ad primam probationem.*

modo

modo potentia Chriſti operatiuas ad actus ſupernaturales elicientia, idcirco modò gratiam capitis non eſſe; quia priorem gratiam ſupponunt, nempè, gratiam habitualem, quæ eſt in ordine ſupernaturali natura; in caſu autem argumenti, aliam formam ſupernaturalem caput conſtituentem non ſupponerent: & ideo, quamuis nihil radicarent, gratia capitis dici poſſent.

63 *Recentiorum ſolutio.* Ad ſecundam probationem nonnulli Recentiores reſpondent, caſu, in quo Chriſtus, vt homo, nullum ſupernaturalem actum haberet, ſed nudam humanitatem, fore fundamentaliter caput Eccleſiæ; quia ex vi gratiæ vnionis illi eſſet gratia habitualis debita, per quam in alios influeretur, & caput conſtitueretur; non autem fore caput Eccleſiæ formaliter, quia non haberet formam, per quam in alios influeret.

64 *Vertur* [*is prædi*]*cta ſolutione in*[*ſufficien*]*tiam.* Quæ quidem ſolutio, ſi neget, in illo caſu Chriſtum poſſe alijs gratiam, & gloriam mereri, veriſſima eſt, eo quòd ad ratione capitis influxus meritorius requiritur, quem Chriſtus, tunc non haberet. Si verò admittatur, Chriſtum eo in caſu poſſe alijs ſupernaturalia dona mereri, reijcitur: nam Chriſtus, vt homo, eſt caput, eo quòd influit in membra; ſed etiam in illo caſu influxum meritorium haberet; ergo etiam tunc eſſe caput, ſaltem quoad duas capitis proprietates, nempè, prioritatem, & influxum, quamuis aliam, nempe, eminentiam, ſeu plenitudinem non haberet. Niſi dicamus, etiam humanitatem Chriſti omnes alias in perfectione indiuiduali excedere; & conſequentèr ſecundam capitis conditionem non deeſſe, ſaltem comparatiuè ad cæteros homines.

65 *Ad ſecundam probationem reſpondetur.* Vndè admiſſa illa ſententia, & admiſſa maiori, nego minorem; etenim in iſto caſu per humanitatem, quæ eſt principium *quo* phyſicum radicale operum quoad ſubſtantiam, Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ; non quidem per humanitatem ſecundum ſua prædicata intrinſeca tantum inſpectam, ſed vt diuinitati coniunctam, ex qua coniunctione haberet in meritum infinitum *coneretiuè* ſumptum influere.

---

§. VII.

Gratiam ſubſtantialem vnionis non eſſe gratiam capitis, probatur.

66 *Secunda concluſio aliquibus prob.* SECVNDA CONCLVSIO. *Gratia vnionis non eſt gratia capitis; vndè gratia capitalis adæquatè in electa gratia habituali conſiſtit, adiuncto actu libero voluntatis diuinæ.* Primam partem concluſionis probant dicti Recentiores, ex eo quod de ratione capitis eſt, quòd influat phyſicè, inſtrumentalitèr ſaltim, in membra; ſed gratia vnionis non influit inſtrumentalitèr phyſicè in membra: nam diuinitati vnitæ, & Verbi perſonalitati, in quibus gratia vnionis conſiſtit, inſtrumentalis concurſus repugnat: ergo gratia vnionis gratia capitis non eſt.

67 *Secundò.* Secundò id probant: nam omne opus procedens à gratia capitali ſecundum eius inclinationem eſt meritorium comparatiue ad membra, ſed non omnis operatio procedens à Verbo humanitati vnito eſt meritoria de ſe; digeſtio enim cibi à Verbo humanitati vnito procedit; & tamen meritoria non eſt; ergo Verbum humanitati vnitum, in quo gratia vnionis conſiſtit, gratia capitis non eſt.

68 *Hæc argumenta nō vrgent. Primum reijcitur.* Hæc tamen duo argumenta non vrgent. Et primum reijcitur primò: quia ad rationem gratiæ capitis abſque fundamento exigitur concurſus phyſicus inſtrumentalis in membra; cur enim concurſus meritorius non erit ad caput conſtituendum ſufficiens? ergo ex eo quòd gratia vnionis phyſicè inſtrumentalitèr in membra Eccleſiæ non influat, malè concluditur à ratione gratiæ capitis: *Secundò. D. Thom.* Secundò, quia, vt docet D. Thomas *q. 29. de Veritate art. 4. ad 3. & in præſenti articul. 3. ad 3.* Chriſtus, vt homo, eſt caput Patrum veteris Teſtamenti, qui tempore ipſum præceſſerunt; & tamen reſpectu illorum phyſicum influxum inſtrumentalem non habuit, ſed tantum modo moralem: ergo de ratione gratiæ capitis phyſicus influxus inſtrumentalis non eſt. *Tertiò.* Tertiò, nam Adamus fuit caput noſtrum in ordine ad culpam abſque phyſico influxu in eius deriuationem, per influxum ſolum moralem: ergo ſolus moralis meritorius influxus ſufficit, vt Chriſtus ſit caput morale noſtrum; & conſequentèr ex negatione phyſici influxus, non bene colligitur, in gratia phyſicè non influente, quòd gratia capitalis non ſit.

69 *Secundum argumentum impugnatur.* Deindè ſecundum argumentum reijcitur; nam ex eo quod diuinitas naturæ irrationali vnita illam non ſanctificaret formaliter ob illius incapacitatem, non ſequitur, vnitam naturæ rationali non reddere formaliter ſanctam: ergo pariter, ex eo quod hypoſtaſis Verbi digeſtioni, & alijs actibus naturalibus vnita, non conſtituat illos, quantum eſt de ſe, meritorios, non ſequitur, vnitam actibus liberis, & proportionatis ad merendum, non reddere meritorios formaliter, vel effectiuè; & conſequentèr ex illo principio non ſequitur, gratiam capitis non eſſe. Patet hæc conſequentia, vt enim gratia capitis ſit, ſufficit, quod vnita cum actibus capacibus meriti illos meritorios efficiat: ergo ſi ſtat illos meritorios efficere, quamuis actus neceſſarios meritorios non reddat, ex hoc, quod iſtos actus non conſtituat meritorios, non ſequitur, gratiam capitis non eſſe.

70 *Prima pars concluſionis probatur auctoritatibus D. Thom.* Vndè, his omiſſis, probanda eſt prima pars concluſionis primò ex D. Thoma *in 4. diſt. 5. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quod gratia capitis in Chriſto diſtinguitur à gratia vnionis, quamuis ex ipſa vnione per quandam conſequentiam plenitudo omnis gratiæ, & capitis, & ſingularis perſonæ in illa anima fuerit.* Et expreſſius *in 3. diſt. 13. q. 3. art. 2. quæſtiun. 1.* in qua inquirens: *Verum gratiam vnionis ſit idem, quod gratia capitis,* ita reſpondet: *Dicendum ad primam quæſtionem, quod ſi gratia vnionis dicatur gratia habitualis quodammodo diſponens ad vnionem: ſic eadem eſt per eſſentiam gratia vnionis, capitis, & ſingularis illius hominis, ſolum ratione differens. Et paucis interpoſitis ita proſequitur: Si vero gratia dicatur voluntas Dei gratuita, ſic iterum ſi aſſat, quòd eſt vna; alijs autem modo accipiendo gratiam vnionis, conſtat, quòd per eſſentiam differt, niſi quatenus intelligitur caput, vt Deus.* Ex quibus verbis tale argumentum conficio: gratia vnionis ſumi poteſt tripliciter iuxta D. Thom. Primò pro gratia habituali, quæ vocatur gratia vnionis, quia diſponit concomitanter ad illam. Secundò pro voluntate diuina, quæ vnionem fecit Deitatis, & Humanitatis. Tertiò pro Diuinitate vnita humanitati, quæ prout ſic illam ſanctificat. Sumpta primò, & ſecundo modo, idem eſt, quod gratia capitis; ſumpta verò tertio modo, inquit D. Th. differt gratia vnionis eſſentialiter à gratia, per quam, vt homo, in ratione capitis conſtituitur: ergo manifeſtè ſentit, gratiam vnionis ſumptam pro hypoſtaſi Verbi, & Diuinitate humanitati vnitis, gratiam capitis non eſſe niſi ſecundum quod Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, vt Deus. Patet conſequentia: quia namque gratia habitualis eſt gratia capitis in Chriſto, vt homine non differt eſſentialiter, ſed ratione tantum, gratia habitualis à gratia capitis: ergo pariter, ſi gratia vnionis ſumpta pro diuinitate vnita, eſſet gratia, qua Chriſtus, vt homo, in ratione capitis conſtituitur, non eſſentialitèr, ſed tantum ratione, gratia vnionis ita ſumpta à gratia capitis differret; ſed docet D. Thomas, gratiam vnionis ſic ſumptam eſſentialiter differre à gratia, per quam Chriſtus, vt homo, conſtituitur Caput Eccleſiæ: ergo gratia vnionis in tertia acceptione, qualiter ſumitur in præſenti, non eſt gratia capitis Chriſti, vt eſt homo.

71 *S. Thom.* Id ipſum docuit D. Th. *in hac q. art. 5. ad 3.* ibi: *Dicendum, quòd gratia perſonalis, & gratia capitis ordinantur ad aliquem actum; gratia autem vnionis non ordinatur ad actum: & ideo gratia perſonalis, & gratia capitis conueniunt in eſſentia habitus; non autem gratia vnionis:* ergo ſentit D. Th. gratiam vnionis non eſſe gratiam capitis in Chriſto, prout eſt Caput Eccleſiæ ſecundum humanitatem. Nec video, quomodo contrarium huius in doctrina D. Thomæ poſſit ſuſtineri.

72 *Aliquorū ratio proponitur.* Ratio autem pro prima parte concluſionis ab illis: qui negant humanitatem Chriſti ſanctificari formaliter per gratiam vnionis, exindè deſumitur; redditur enim Chriſtus, vt homo, influens in Eccleſiæ membra per illam formam, per quam in ſe ſanctus conſtituitur; at non per gratiam vnionis, ſed ſolum per gratiam habitualem, redditur in ſe ſanctus, vt homo formaliter: ergo non per gratiam vnionis, ſed ſolum per gratiam habitualem conſtituitur influens in membra; & conſequenter non per gratiam vnionis, ſed ſolum per gratia habitualem in ratione capitis conſtituitur.

Hæc tamen ratio deficit primò in ſententia, quam ſup- 73

Hac ratio ex dupli- ci capite deficit.

ponit, cuius falſitatem oſtendimus *diſput.* 21. Secundò, nam adhuc illa ſententia ſuppoſita, negari ab illius defenſoribus non poteſt, in Chriſti meritis eſſe perſonalem dignitatem, ratione cuius conſtituuntur in ratione condignæ ſatisfactionis, & meriti condigni influentia quoad ſufficientiam in omnia Eccleſiæ membra, & inſuper quòd illa condignitas ex dignitate perſonali; & conſequenter ex gratia vnionis ſumatur: ergo adæquatum principium meriti Chriſti, prout influentis in membra, gratia habitualis non eſt, ſed conflatum ex gratia habituali, & ex gratia perſonali, aut vnionis. Reſtat ergo illis Auctoribus rationem reddere, cur gratia vnionis gratia capitis non ſit, quamuis humanitatem Chriſti non ſanctificet formaliter, eum hoc non obſtante, influat in membra moraliter, dando meritis dignitatem. Qua ratione Recentiores quidam diſcipuli Scoti, etſi negent ſanctificari humanitatem Chriſti per gratiam vnionis formaliter, nihilominus tuentur, eſſe gratiam capitis in Chriſto.

74 *Probatur ratione apud Thomiſtas communi.* Hac igitur ratione, vt inefficaci reiecta, probatur prima pars concluſionis ratione, quæ communis eſt apud noſtros Thomiſtas: etenim gratia capitis in Chriſto, vt homine, illa eſt, per quam in quantum homo influit efficienter, ſaltem moraliter gratiam in Eccleſiæ membra, ſed Chriſtus, vt homo per gratiam vnionis hanc moralem efficientiam non habet: ergo gratia vnionis non eſt gratia capitis in Chriſto, prout homo eſt. Minor, in qua eſt difficultas, probatur: per illam formam influit Chriſtus, vt homo efficienter moraliter gratiam, quæ eſt principium *quo* merendi; ſed gratia vnionis non eſt humanitati Chriſti principium merendi *quo*: ergo per illam non influit efficienter moraliter. Minor probatur, id eſt Chriſto vt homini principium merendi *quo*, quod eſt humanitati principium vt *quo* eliciendi actus ſupernaturales; & efficiendi opera meritoria; ſed gratia vnionis non eſt humanitati principium *quo* operandi, cum non informet phyſicè humanitatem, nec identificetur cum illa, quorum aliquod erat neceſſarium, vt per illam poſſe humanitas actus meritorios efficere, vt *ſuperius* monſtrauimus: ergo gratia vnionis non eſt humanitati Chriſti, nec Chriſto, vt homini principium *quo* merendi.

75 *Eadem ratione probatur ſecunda pars concluſionis.* Et ex his probata manet ſecunda pars concluſionis; ſola enim gratia, quæ eſt prima in aliquo ordine, eſſe poteſt gratia capitis; in Chriſto autem ſolum gratia vnionis, & gratia habitualis ſunt in ſuis ordinibus primæ: ac proindè, ſolum aliqua illarum poteſt eſſe gratia capitis. Cum ergo gratia vnionis gratia capitis non ſit, relinquitur manifeſtum, ſolam gratiam habitualem eſſe in Chriſto gratiam capitis.

76 *In obliquo ingredi gratiā vnionis, probatur 1.* Diximus autem in concluſione adæquatè in recto in habituali gratia conſiſtere rationem gratiæ capitis; in obliquo enim gratiam vnionis requiri conſtat primò: quia aliàs pura creatura poſſet eſſe Caput Eccleſiæ quoad meritum condignum gratiæ, & condignam ſatisfactionem pro peccato humani generis, cuius contrarium docet D. Thomas *in præſenti art.* 6. Patet ſequela: totum, quod in recto importat gratia habitualis in Chriſto, poteſt puræ creaturæ communicari: ergo ſi illa ſola abſque aliquo connotato, vt neceſſario ingrediente, eſt in Chriſto gratia capitis, pura creatura eſſe poterit Caput Eccleſiæ quoad meritum gratiæ condignum: & condignam pro culpa ſatisfactionem.

77 *Secundò,* Secundò; nam gratia habitualis eſt gratia capitis, quatenus Chriſtum, vt hominem, conſtituit potentem ad condignè pro nobis ſatisfaciendum; ſed hoc non præſtat ſine gratia vnionis, vt opera infinitante: ergo iſtam de connotato importat, prout gratia capitis eſt. Quòd verò requiratur diuina voluntas, vt Chriſtum caput conſtituat, quod

Requiri Dei voluntatē, probatur.

aſſerit altima pars concluſionis probatur; omnia enim dona, quæ humanitatem Chriſti perficiunt potuerunt in illo eſſe, quin eſſet Caput Eccleſiæ, nempè, ſi Deus ſtatuiſſet, vt pro hominibus non mereretur, nec illos à peccatis redimeret: ergo, vt eſſet Caput Eccleſiæ præter gratiam habitualem, & præter gratiam vnionis, neceſſaria fuit Dei voluntas ipſum conſtituentis caput.

§. VIII.

Argumentis in contrarium occurritur.

78 *Primum argumentum.* SED contra primam partem concluſionis objiciet aliquis primò, D. Tho. *in hac q. art. 6. in corpore* illis verbis: *Interior autem influxus gratiæ non eſt ab aliquo, niſi à ſolo Chriſto, cuius humanitas ex hoc, quod eſt diuinitati coniuncta habet virtutem iuſtificandi*: ergo non ratione gratiæ habitualis, ſed ratione gratiæ vnionis, quæ in coniunctione ad Verbum conſiſtit, conuenit humanitati virtus ad alios iuſtificandos. Sed Chriſtus, in quantum homo, eatenus eſt caput Eccleſiæ, quatenus eſt potens homines iuſtificare per ſatisfactionem, & meritum: ergo iuxta D. Thomam non gratia habitualis, ſed gratia vnionis eſt in Chriſto gratia capitis.

79 *Reſpondetur.* Reſpondeo, humanitati conuenire vim alios iuſtificandi ex coniunctione ad Verbum, non tanquam ex ratione formali eleuanti ad influendum, ſed tanquam ex conditione, neceſſarioque connotato, ſine quo gratia habitualis Chriſti non poterit ad omnes iuſtificandos per meritum condignum extendi. Ex quo non infertur, coniunctionem ad Verbum, ſeu vnionis gratiam in iſta coniunctione conſiſtentem, eſſe gratiam capitis in Chriſto; nam ad hoc requirebatur, quod eſſet humanitati principium *quo* effectiuum merendi, vt dicebamus noſtram ſententiam fundantes.

80 *Secundū argumentum.* Objicies ſecundò: gratia vnionis eſt prior, eminens, & influens in membra Eccleſiæ: ergo eſt propriè gratia capitis. Conſequentia euidens eſt: nam hæc tria ſufficiunt ad gratiam capitis. Antecedens pro prima, & ſecunda parte à nemine poteſt negari; eſt enim finis habitualis gratiæ; & conſequenter eſt prior. Eſt etiam omni habituali gratia infinitè perfectior; & conſequenter eſt eminens. Pro tertia verò, in qua ſola eſſe poteſt difficultas, oſtenditur ratione D. Thomæ *in præſenti art.* 5. etenim per eandem formam, per quam aliquod ſubiectum conſtituitur actu in ſe ipſo, redditur potens ad influendum in alios; ex quo principio colligit D. Thomas, gratiam capitis à gratia perſonali tantum ratione differre, quia, nempè, forma abſque reali diſtinctione conſtituit ſubiectum in actu, & potens ad influendum; ſed Chriſtus, quatenus homo, conſtituitur per gratiam vnionis actu ſe ipſo, cum per illam ſanctificetur formaliter, vt *diſput.* 21. docuimus: ergo per eandem gratiam cum ſola diſtinctione rationis conſtituitur potens ad influendum in alios.

81 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando tertiam partem antecedentis: ad illius probationem dicatur, veram eſſe maiorem, quando forma operatiua eſt; ſecus verò quando non eſt operatiua; gratia autem vnionis operatiua non eſt; & idcirco non conſtituit humanitatem Chriſti potentem ad influendum in alios, quod requirebatur, vt gratia capitis eſſet.

82 *Replicabis.* Sed dices: operari ſequitur ad eſſe in actu; ſed gratia vnionis dat humanitati eſſe in actu: ergo dat etiam, poſſe radicaliter operari. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ad eſſe in actu per formam ſubiecto identificatam, vel ſubiectum informantem, concedo maiorem: per formam tantum terminantem, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: quia gratia vnionis, etſi humanitatem ſanctam in actu conſtituat; quia tamen, nec cum illa identificatur, nec illam phyſicè informat: ideò non præſtat humanitati eſſe radicaliter operatiuam.

Reſpondeo.

83 *Inſtabis.* Inſtabis: etſi non det humanitati, eſſe operatiuam radicaliter phyſicè; dat tamen illi eſſe operatiuam radicaliter moraliter, vt diximus *diſput.* 22. ſed non eſt cur non ſufficit ad rationem gratiæ capitis influxus radicalis moralis: ergo ſufficienter influit; vt gratia capitis ſit.

84 *Reſpondetur.* Reſpondeo, influxum radicalem moralem, quem gratiæ vnionis *ſupra* conceſſimus, conſiſtere in morali exigentia donorum gratiæ, medijs quibus, operationes ſupernaturales connaturaliter humanitas Chriſti elicitur; ſuppoſita tamen donorum exiſtentia, non concurrit gratia vnionis ad opera ſupernaturalia elicienda, eo modo, quo gratia ad opera ſupernaturalia concurrit: vndè ille influxus radicalis moralis omninò antecedenter, & remotè ſe habet reſpectu elicientiæ actuum ſupernaturalium; &

ad-

idcirco non ſufficit, vt Chriſtus, quatenus homo, conſtituatur in ratione capitis per gratiam vnionis.

85 *...iſſimum argumentum.* Denique obijcies: gratia habitualis conſtituit Chriſtum, vt hominem in ratione capitis, quia influit in ſubſtantiam operationum, quibus ſatisfecit pro nobis, & nobis promeruit gratiam; ſed gratia vnionis dat operationibus Chriſti infinitam dignitatem valoris: ergo etiam eſt gratia capitis. Patet conſequentia: nam ad merendum nobis gratiam, & ſatisfaciendum pro nobis principalius ſe habet dignitas meritoria, & ſatisfactoria infinita operationum Chriſti, quam ſubſtantia earundem operationum: ergo ſi forma influens in ſubſtantiam illorum, Chriſtum caput conſtituit, à fortiori in ratione capitis ipſum conſtituet forma dans operibus dignitatem.

86 *...quorū ſolutio.* Hoc eſt præcipuum oppoſitæ ſententiæ argumentum, cui docti Recentiores occurrunt, negando conſequentiam, & rationem reddunt, nimirum, quia gratia capitis debet eſſe principium *quo* agendi; gratia autem vnionis, etſi dignificet operationes Chriſti, principium *quo* agendi non eſt: & idcircò non eſt gratia capitalis.

87 *...jicitur.* Sed contra iſtam ſolutionem obſtat primò, præfatos Recentiores admittere, gratiam vnionis in abſentia gratiæ habitualis futuram gratiam capitis formaliter: at tunc principium *quo* agendi non eſſet: ergo ex eo quod nunc principium *quo* agendi non ſit, male ab ipſis infertur gratiam capitale & non eſſe. *...cundò.* Secundò, quia licet non ſit principium *quo* agendi; aſt tamen principium *quo* dignificandi operationes Chriſti; ſed non aſſignant rationem, cur principium agens gratia capitis dicatur, & ſit, & id ipſum de principio dignificante non ſit affirmandum: ergo argumentum non ſoluunt.

88 *...ſolu...* Vnde, hac omiſſa ſolutione, ad argumentum reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam. Ratio autem differentiæ duplex eſſe poteſt. Prima, quia caput, non per influxum formalem, ſed per effectiuum in ratione capitis conſtituitur; gratia autem habitualis conſtituit Chriſtum, vt hominem, efficienter influentem in actus meritorios: & idcirco illum in ratione capitis conſtituit, & gratia capitis eſt. Gratia vero vnionis, quæ eſt Deitas humanitati coniuncta, non efficientèr, ſed formalitèr dat operibus dignitatem, & valorem; & ideò gratia capitis non eſt, nec Chriſtum in ratione capitis in Eccleſia conſtituit.

89 *...cunda ...io diſcriminis.* Secunda ratio diſcriminis eſt; nam gratia capitis eſt, quæ Chriſto, vt homini dat influentiam: gratiam autem humanitati tribuit influxum elicitiuum in ſubſtantiam operationum, quibus Chriſtus nobis promeruit; nam Chriſtus, vt homo, elicitiuè ſatisfaciebat, & merebatur mediante gratia habituali, vt eleuante, vireſque humanitati præbente ad prædictorum actuum elicentiam: & ideò Chriſtum in ratione capitis conſtituit, & gratia capitis eſt. Gratia autem vnionis non dat humanitati, vt operationes dignificet; Chriſtus enim, vt homo, non *dignificatiuè*, ſed *elicitiuè* ſatisfecit pro nobis, nobiſque meruit, ſed ipſa vnionis gratia immediatè humanitatem ſanctificans, mediatè ſeipſa cum influxu humanitatis, non dignificatiuo, ſed tantum elicitiuo operationes dignificat: & idcirco Chriſtum in ratione capitis non conſtituit, nec gratia capitis eſt.

90 *Oppones ...* Sed oppones aduerſus iſtam ſolutionem primo: etſi gratia vnionis, non efficientèr, ſed formaliter operationes Chriſti dignificet, & non ſit humanitati ratio ad dignificandum prædictas operationes, ſed illas ſe ipſa valoratas, & dignificatas reddat; in membra tamen Eccleſiæ influit efficientèr moralitèr, & humanitati Chriſti illam efficientiam præbet: ſed ad rationem capitis ſufficit influxus effectiuus in membra, etſi in operationes effectiuus non ſit, ſed formalis: ergo nulla ex rationibus aſſignatis diſcriminis impedit, quominus per gratiam vnionis Chriſtus vt homo conſtituatur caput Eccleſiæ, & ipſa, gratia capitis ſit. Illatio eſt legitima, minor videtur certa; non enim apparet vnde influxus effectiuus in operationes, ad rationem capitis ſit neceſſarius, & non ſufficiat influxus effectiuus moralis in membra. Maior autem probatur: meritum Chriſti influit efficientèr moralitèr in membra Eccleſiæ, quatenus eſt infinitum, & humanitas ratione illius efficientèr moraliter influit merendo hominibus gratiam: ſed gratiam vnionis meritum infinitum conſtituit; & conſequentèr humanitatem infinitè merentem: ergo efficientèr influit in Eccleſiæ membra, & humanitati iſtam efficientiam præbet, & moralitèr efficientem conſtituitur.

Secundo obijcies, nam eſt probabilis multorum Thomiſtarum ſententia, aſſerentium, meritum Chriſti non per deitatem ipſam formaliter, ſed per modum moralitèr infinitum ex deitate vnita in opera deriuatum reddi infinitæ dignitatis moralis: ergo ſaltem in iſta ſententia influit gratia vnionis dignitatem infinitam in genere cauſæ efficientis; & conſequentèr eſt gratia capitis, non minus, quam gratia habitualis, quæ efficientèr influit in ſubſtantiam operationum. 91 *Secundò.*

Reſpondeo ad primam inſtantiam, permiſſa maiori, diſtinguendo minorem; ſufficit ad rationem capitis influxus effectiuus in membra immediatè, nego minorem: mediante influxu effectiuo in operationes influentes efficienter in membra, concedo minorem; & nego conſequentiam: nam licet per gratiam vnionis dignificantem formalitèr opera conſtituatur humanitas influens efficientèr in membra Eccleſiæ immediatè; non tamen conſtituitur influens efficientèr in ipſas operationes, & hoc requirebatur, vt per gratiam vnionis conſtitueretur Chriſtus, vt homo, caput Eccleſiæ, & ipſa eſſet gratia capitis. Et ratio eſt, quia nullus Theologorum aſſeruit, merita, quibus caput influit in membra, ipſum in ratione capitis conſtituere, & gratiam capitis eſſe, & tamen conſtituunt caput efficientèr moralitèr immediatè influens in membra: ergo ad rationem gratiæ capitis non ſufficit, quod det capiti influxum effectiuum immediatum in membra; ſed immediatum in merita debet præſtare, & mediatum influxum effectiuum in membra. 92 *Reſpondetur ad primam inſtantiam.*

Ad ſecundam reſpondeo primò, admiſſa illa ſententia, diſtinguendo conſequens: influit gratia vnionis efficientèr, dando iſtam efficientiam humanitati, nego conſequentiam, efficientèr ſe ipſa, concedo conſequentiam: hoc autem ad rationem gratiæ capitis reſpectu Chriſti vt hominis, non eſt ſufficiens: nam gratia capitis reſpectu Chriſti, vt hominis eſt illa, quæ Chriſtum, vt hominem, influentem conſtituit; licet autem modus ille infinitans Chriſti operationes, efficientèr à gratia vnionis procedat, non prouenit efficientèr ab humanitate, nec gratia vnionis humanitatem Chriſti efficientem modum illum conſtituit: & idcirco non eſt gratia capitis reſpectu Chriſti, quatenus homo eſt. 93 *Ad ſecundam.*

Sed dices: modus ille reſultat in operibus Chriſti ad illorum poſitionem; ſed humanitas influit efficienter in opera, ergo influit efficientèr in modum illum moralitèr infinitum. Patet conſequentia: quia namque relatio, poſito fundamento conſequitur, cauſa efficiens fundamentum, efficientèr influit in relationem: ergo ſi modus ille conſequitur ad opera Chriſti iura poſita humanitas efficiens vt *quo* operationes Chriſti meritorias, ſecundariò efficientèr influit in modum infinitatem moraliter illius operationes. 94 *Replicabis.*

Et confirmabis: nam gratia vnionis non eſt principium *quod* illius modi, ſed tantum principium *quo*, aliàs eodem modo efficeretur à Patre modus ille dignificans, quo à Verbo Diuino, cum opera efficientèr vt *quod* ab vna perſona cauſata, à tribus perſonis proueniant: ergo debet dari aliquod principium *quod*. At non eſt aliud aſſignabile, quam humanitas, ſeu Chriſtus, vt homo, illum modum cauſans vt *quod*: ergo gratia vnionis dat humanitati prædicti modi efficientiam. 95 *Confirmatur.*

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ſequitur ad opera Chriſti effectiuè, nego maiorem: ſequitur in operibus Chriſti ex vi Deitatis, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam, quam non conuincit probatio, nam relatio ad fundamentum ſequitur reſultantia effectiua: & ideò efficiens primario fundamentum, ſecundario efficit relationem. Ratio autem, cur ad ſubſtantiam operationum Chriſti, non ſequatur efficientèr modus ille, eſt, quia aliàs infinitus non eſſet contra id, quod ſupponitur, cum à cauſa efficiente finita, effectus infinitus procedere nequeat. 96 *Reſpondetur.*

Ad confirmationem dicatur, efficiens *quod* talis modi eſſe Verbum, non Chriſtum, vt hominem. Nec ſequitur, eſſe effectum toti Trinitati communem; nam hæc doctrina eſt vera de effectibus per rigoroſam efficientia effectis: non verò de effectis efficientia dimanatiua; modus autem ille hoc ſecundo modo à Verbo procedit, non primo: & idcirco neceſſum non eſt quòd ſit toti Trinitati communis. 97 *Ad confirmationem reſpondetur.*

Sed inſtabis aduerſus iſtam ſolutionem primò, omne id, quod per reſultantiam producitur, ſequitur ad ali- 98 *Inſtabis primò.*

quem terminum per veram productionem effectum : ergo , ſi ille modus per reſultantiam , aut dimanationem producitur ; debet aliquis terminus ad quem ſequitur, conſtitui , effectus per veram efficientiam ; ſed omnis terminus per veram efficientiam effectus eſt toti Trinitati communis : ergo modus ille erit toti Trinitati communis :

99 *Secundò.* Inſtabis ſecundò : gratia vnionis humanitati dat eſſe morale formaliter , vel eſſe ſanctam infinitè moralitèr : ergo dabit etiam humanitati , eſſe principium *quod* talis modi moralis ; & conſequenter erit principium *quo* reſultantiæ talis modi reſpectu Chriſti humanitatis , ſeu reſpectu Chriſti , vt hominis.

100 *Reſpondetur ad 1. replicã.* Reſpondeo ad primam inſtantiam , conceſſo antecedenti , & prima conſequentia, & minori ſubſumpta , diſtinguendo conſequens : eſt toti Trinitati communis per efficientiam mediatam concedo conſequentiam : per immediatam efficientiam dimanatiuam , nego conſequentiam . Itaq; ille modus ſequitur ad Deitatem , vt in perſona Verbi diuinitati vnitam , vel ad Verbi ſubſiſtentiam , vt vnitam humanitati per reſultantiam , vel dimanationem , poſito opere dignificando per voluntatem Chriſti creatam . Et quia ad vnionem Deitatis ad humanitatem tota Trinitas præſtitit effectiuum influxum ; conſequens fit , quod mediatè ad illum modum tota Trinitas efficienter concurrat ; immediatè verò , & dimanatiuè a ſolo Verbo procedit , quod ſolum eſt humanitati vnitum : & iſte modus concurrendi eſt , quem negauimus eſſe toti Trinitati communem .

101 *Ad ſecundam reſpondetur.* Ad ſecundam , conceſſo antecedenti , nego conſequentiam ; ratio autem , cur humanitati non præbeat modum illum efficienter cauſare , duplex aſſignari , poteſt. Prima eſt , quia Chriſtus , quatenus homo , ſatisfecit pro hominibus , non *dignificatiuè* , ſed *elicitiuè* , vt communitèr docetur à Theologis . Si autem humanitas , non ſolum operationes meritorias eliceret , ſed etiam ratione gratiæ vnionis illis dignitatem præberet , ſatisfeciſſet Chriſtus, vt homo , etiam *dignificatiuè* ; cum *elicitiuè* idcirco ſatisfaciat , vt homo ; quia media humanitate , vt per habitualem gratiam eleuata , illas elicit ; & conſequentèr ſi per humanitatem vt gratia vnionis ſanctificatam , illis dignificaſſet , ſatisfeciſſet *dignificatiuè* , vt homo . Vndè , vt hoc vitemus , aſſerendum eſt , modum dignificantem non effici ab humanitate , vt ſanctificata per gratiam vnionis , ſed conſequi ad gratiam vnionis abſque concurſu effectiuo humanitatis . Secunda ratio eſſe poteſt; nam infinitas effectus petit cauſam efficientem , quæ ex nullo capite finita ſit . Cum ergo humanitas limitata ſit , & finita , non poteſt , etiam per gratiam vnionis, cauſa efficiens conſtitui modi infiniti operationes Chriſti dignificantis.

102 *Secundò.* Secundò ad illam ſecundam obiectionem propoſitam *numer.* 91. prædicta ſententia admiſſa , admiſſo etiam , à gratia vnionis vt *quo* , & ab humanitate vt *quod* cauſari dignitatem operationum Chriſti , reſponderi poteſt : ideò gratiam capitis non eſſe , quia caput , non per dimanatiuum influxum , ſed per concurſum propriè effectiuum conſtituitur ; dignitas autem operationum Chriſti , non per veram efficientiam , ſed per reſultantiam , & dimanationem fit , ſuppoſita entitate libera operationum Chriſti : & idcirco , quantumuis gratia vnionis humanitatem conſtituat vt *quod* , prædictum modum cauſantem , gratia capitis non eſt , nec Chriſtum caput conſtituit ; benè tamen gratia habitualis , quæ humanitatem eleuat ad influxum propriè effectiuum in ſubſtantiam operationum .

103 *Tertiò.* Vel deniq; reſponderi poteſt tertio , prædicta ſententia admiſſa; gratiam vnionis eſſe verè gratiam capitis, non reſpectu Chriſti , vt caput vndequaq; homogeneum , ſed vt caput aliqualitèr æthereogeneum eſt reſpectu corporis Eccleſiæ . D. Thomas autem ideo negauit , gratiam vnionis eſſe gratiam capitis , quia loquebatur de Chriſto , prout eſt caput vndequaq; homogeneum . Ratio autem , cur gratia vnionis non eſt gratia capitis reſpectu Chriſti ſub hac conſideratione , illa eſt , nam caput homogeneum petit per formam eiuſdem ordinis cum membris conſtitui ; ſi namque petit naturam eiuſdem ordinis cum natura membrorum , vt caput homogeneum ſit , à fortiori poſtulabit , quòd forma ipſum in ratione capitis conſtituens ſit eiuſdem ordinis cum forma membrorum conſtitutiua . Quia ergo gratia vnionis non eſt eiuſdem ordinis cum gratia membrorum ; benè tamen gratia habitualis : idcirco D. Thomas agens de Chriſto , vt capite Eccleſiæ homogeneo , gratiam vnionis excludit à ratione gratiæ capitis .

Sed dices : iuxta hanc ſolutionem Chriſtus per gratiam vnionis eſt Caput Eccleſiæ , vt homo , ſed non caput æthereogeneum , & diuerſæ rationis : ergo eſt caput homogeneum . Probatur minor : caput æthereogeneum eſt , quod habet naturam diuerſæ rationis à natura membrorum : quo circa Chriſtus , vt Deus , eſt caput æthereogeneum Eccleſiæ , quia naturam diuerſæ rationis habet ; ſed Chriſtus , quatenus homo , eſt eiuſdem naturæ nobiſcum: ergo etiam , vt per gratiam vnionis eſt caput , non eſt caput æthereogeneum , ſed homogeneum . 104 *Replicabis.*

Reſpondeo , diſtinguendo minorem : non eſt caput æthereogeneum adæquatè , concedo minorem : inadæquatè , nego minorem , & diſtinguo conſequens eodem modo . Itaq; caput homogeneum dicitur per conuenientiam cum membris , & æthereogeneum per diſconuenientiam cum illis . Cum autem ad conſtituendum caput ingrediatur , & natura ſubſtantialis , & forma dans influxum in membra , tunc eſt caput adæquatè æthereogeneum , cum & forma dans influxum , & natura ſubſtantialis diuerſæ rationis ſunt à natura membrorum , & ab illa forma , quam a capite recipiunt : & ideò Deus eſt caput Eccleſiæ adæquatè æthereogeneum , quia natura , & forma per quam influit , diuerſæ rationis ſunt ab omni eo , quod in membris reperitur . Tunc autem eſt adæquatè homogeneum , quando , & in natura , & in forma dante virtutem eſt cum membris conuenientia : vndè Chriſtus , quatenus homo , ſanctificatus per gratiam habitualem eſt caput Eccleſiæ homogeneum adæquatè : quia in vtroque conuenit cum membris ; quando verò eſt conuenientia in natura , & diſconuenientia in forma , quæ dat influxum , tunc eſt caput quodammodo homogeneum , & quodammodo æthereogeneum : & ſic Chriſtus , vt homo , prout ſanctificatus per gratiam ſubſtantialem vnionis , eſt caput Eccleſiæ non adæquatè homogeneum , nec æthereogeneum adæquatè , ſed partim homogeneum , & partim æthereogeneum . 105 *Reſpondeo.*

Nec ſequitur , dari triplex caput Eccleſiæ , nempè, Deus , Chriſtus , vt homo , ſanctificatus per gratiã habitualem , & idem Chriſtus , vt homo , ſanctificatus per gratiam ſubſtantialem vnionis . Nam licet forma conſtituens capitis diuerſa ſit in Chriſto ſecundum vtramque ſanctificationem ; quia tamen ſuppoſitum vnum eſt , & natura etiam eſt vna , non eſt triplex caput , ſed tantum vnum caput vocandum . Nec eſt eadem ratio de Chriſto , quatenus Deo , & Chriſto , quatenus homine ; nam licet ſit vnum ſuppoſitum , eſt tamen duplex natura , quæ eſt ſubiectum *quo* denominationis capitis , & ſuppoſitum , quamuis vnum realitèr ſit ; gerit tamen vices duorum . 106 *Non ſequitur eſſe triplex caput Eccleſiæ.*

---

§. Vltimus.

Ex dictis infertur , qualitèr gratia capitis poſſit communicari .

EX dictis in diſcurſu diſputationis colligitur , dignitatem capitis Eccleſiæ per influxum ſatisfactorium , & meritorium de condigno vniuerſalem , ita eſſe Chriſto propriam , vt de potentia abſoluta non poſſit puræ creaturæ competere ; ſecus verò dignitatem capitis per meritum de congruo vniuerſale , & particulare condignum . 107

Primam partem huius corollarij docet D. Thom. in *hac quæſt. art.* 6. & probatur , nam eſſe caput Eccleſiæ per influxum ſatisfactorium , & meritorium vniuerſalem , requirit dignitatem ſimplicitèr infinitam , meritoriam , & ſatisfactoriam ſolum enim ſatisfactio ſimplicitèr infinita poteſt ab offenſa infinita condignè hominem redimere , & ſolum meritum infinitum ſimplicitèr poteſt vniuerſalem influxum meritorium condignum habere . Vndè , vt docet D. Tho. vtrumq; conuenit Chriſto ex hoc , quòd illius humanitas eſt diuinitati coniuncta ; ſed actus puræ creaturæ non poſſunt de potentia abſoluta dignitatem ſimplicitèr infinitam habere , nec condignè pro offen- 108 *Prima pars corollarij probatur ex D. Th. et ratione.*

fenſa mortali ſatisfacere : ergo dignitas capiti Eccleſiæ per influxum condignè ſatisfactorium pro offenſa, & meritorium de condigno vniuerſalem, ita eſt propria Chriſto, vt non poſſit, etiam de potentia abſoluta, puræ creaturæ competere.

109 *Secunda pars probatur.* Secunda pars corollarij probatur : nam meritum congruum gratiæ omnibus Eccleſiæ membris, infinitam actus dignitatem non petit : ergo poteſt pura creatura de potentia abſoluta omnibus mereri omnia dona gratiæ de condigno ; & conſequentèr eſſe caput Eccleſiæ influxum de congruo vniuerſalem.

110 *Tertia par probatur ex D. Thom.* Tertia pars eiuſdem corollarij colligitur ex dictis à Nobis *tract. 1. de Incarnat. diſput. 2. §. 8.* nempè, poſſe puram creaturam alijs primam gratiam de condigno promereri. Quam doctrinam manifeſtè ex D. Thom. deduximus *3. part. quæſt. 64. articul. 4. in corp. & in ſolut. ad 3.* Et modò id deducimus ex eodem D. Thom. *in 4. diſtin. 5. quæſt. 1. articul. 3. quæſtiunc. 2. in corp.* vbi docet, potuiſſe puræ creaturæ communicari poteſtatem excellentiæ, cooperando meritoriè ad effectus Sacramentorum. Vbi loqui D. Thom. de merito condigno, & non de congruo, exindè manifeſtè colligitur ; nam per meritum de congruo ad effectus Sacramentorum cooperari, de facto fuit creaturæ alicui conceſſum, nempè, B. Virgini in pia, & probabili multorum Theologorum ſententia : at D. Thom. loquitur de poteſtate excellentiæ per meritum nulli de facto conceſſum : ergo loquitur de merito condigno.

111 *Prima, & vltima pars ex D. Th. deducitur.* Et *ſolution. ad 2.* primam, & vltimam partem noſtri corollarij expreſsè docuit, his verbis : *Ad ſecundum dicendum, quòd ad hoc, quod homo purus cooperaretur Deo in interiori emundatione modo prædicto, non oporteret, quod haberet efficaciam infinitam in merendo, quamuis Chriſtus quodam modo habuerit efficaciam infinitam in merendo, quia non cooperaretur reſpectu omnium, nec ita plenè ſicut Chriſtus.* Ergo ſecùs D. Thom. non poſſe puram creaturam caput Eccleſiæ vniuerſale conſtitui reſpectu omnium merito condigno merendo : quia ad hoc requiritur efficacia infinita in merito, quæ puræ creaturæ repugnat ; poſſe tamen eſſe aliquorum caput per meritum condignum reſpectu illorum : quia ad hoc infinitas meritoria neceſſaria non eſt, quod docemus in prima, & vltima parte corollarij. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 3. diſtin. 13. §. 1.* ab illa verba : *In alijs ergo, non in ſe proficiebat ſapientia, & gratia, &c.* *M. Sept.*

DISPVTATIO VIGESIMA NONA.

An Chriſtus, in quantum homo, ſit Caput omnium hominum, & Angelorum?

§. I.

Circa prima diſputationis partem aliqua præmittuntur.

1 *Primo ſupponitur.* CIRCA primam partem diſputationis, vt extra cõtrouerſia ſupponimus primò; omnes homines poſt Chriſtum eſſe illius membra, ſaltim in potentia; dum tamen viuunt in hac vita mortali. Quod patet: nam in ſtatu viæ omnes homines, quantumuis obſtinati, poſſunt ſaluari, & iuſtificari; ſed in ſtatu gloriæ, & in ſtatu iuſtificationis ſunt in actu membra Chriſti, vt ex mox dicendis conſtabit: ergo, quandiu degunt in hac vita mortali, & retinent ſtatum viæ, omnes homines, quantumcumque ſcelerati, ſunt membra Chriſti in potentia.

2 *Secundo ſupponitur. Origen.* Secundò ſupponimus, nec actu, nec in potentia Chriſtum eſſe caput damnatorum. Cuius contrarium tenuit Origines *liber 6. Periarch. & homil. 1. in Leuitic. & homil. 24. in Numeros*, docens, omnes damnatos fore in fine mundi conuertendos, & ex Chriſti meritis beatificandos: ex qua doctrina per euidentem conſequentiam infertur, eſſe membra Chriſti in potentia; nam in ſtatu conuerſionis, & in ſtatu beatitudinis, quos illis eſſe poſſibiles, cenſuit Origines, eſſent membra Chriſti in actu. Eadem ſententia tribuitur à quibuſdam Durando; ex alio tamen principio, videlicet, quia iuxta Durandum manet in damnatis fides, quæ cum ad membrum Chriſti conſtituendum ſufficiat, videtur ſenſiſſe, eſſe membra Chriſti in actu: *Durand.* cæterum Durandus *in tertiò diſtinctione 13. q. 2. n. 7.* expreſsè docet oppoſitum.

3 *Probatur ratione.* Et facili ratione probatur: vt enim dicendi conſtabit, ad eſſe membrum Chriſti actualitèr, & conſequentèr vt Chriſtus actu ſit alicuius hominis caput, requiritur ſaltim, quod ipſi vniatur per fidem; ſed damnati nec actu habent fidem, nec illam poſſunt habere, vt ſuppono ex communi Theologorum ſententia, eo quod fides eſt virtus pertinens tantum ad ſtatum viæ, extra quem damnati exiſtunt: & inſuper, quia ſunt incapaces omnis virtuoſi affectus; & conſequenter piæ affectionis imperantis actum fidei: ergo nec actu, nec in potentia damnati ſunt membra Chriſti, nec Chriſtus eſt caput illorum.

4 *Obiectio proponitur, & diluitur.* Si opponas: hæretici, poſtquam mortui, ab Eccleſia puniuntur; ſed iuxta Paulum ad Eccleſiam de his, quæ foris ſunt non pertinet iudicare, id eſt, de his, qui extra Eccleſiam ſunt: ergo hæreticus damnatus eſt pars, & membrum Eccleſiæ; & conſequentèr Chriſti, qui eſt totius Eccleſiæ Caput. Reſpondeo, vt hæretici damnati ab Eccleſia iudicentur, & damnentur, ſufficere, ad Eccleſiam pertinuiſſe, quando contra Eccleſiam delinquerunt, etſi poſtquam mortui ſunt, ad Eccleſiam non pertineant.

5 *Tertio ſupponitur. Ad Epheſ. 1.* Tertiò, vt indubitatum ſupponimus, homines in ſtatu gloriæ eſſe actu membra Chriſti, imo & membra perfectiſſima. Conſtat primò ex Paulo *ad Epheſ. 1.* ibi: *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, id eſt, Militantem; & Triumphantem, vt explicat D. Th. & gloſſa Ordinaria *ibidem*. Secundò, nam vnio ad Chriſtum per fidem ſufficit, ad rationem membri Chriſti, vt *poſtea* videbimus, & vnio per gratiam viæ: ergo vnio ad Chriſtum per gratiam conſummatam, & gloriam, quæ vnio perfectiſſima eſt, nunquam diſſoluenda per culpam, membrum Chriſti perfectiſſimum conſtituet.

6 *Obiectio diluitur.* Si opponas, ad rationem membri requiſi, quod à capite dependeat, & recipiat influxum illius; ſed homines iam glorioſi non dependent à Chriſto, nec recipiunt influxum illius, cum Chriſtus in ſtatu gloriæ nihil illis promereatur: ergo non ſunt membra Chriſti. Reſpondeo, negando minorem; nam gloria fuit hominibus data intuitu meritorum Chriſti, & etiam propter illa conſeruatur; Chriſtus enim ſuis meritis meruit hominibus gloriam, & illius perpetuam conſeruationem, & ad hoc ſua merita dixerit, quod ſufficit, vt ab illo dependeant, & illorum caput ſit.

Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione, Chriſtum, vt comprehenſorem, non eſſe caput hominum beatorum, ſed ſolum prout fuit viator: conſequens videtur falſum: ergo. Patet ſequela: eſt caput, quatenus influit; ſed non influit, vt comprehenſor, ſed ſolum, prout fuit viator, ſiquidem eatenus tantum influit, quatenus meritoriè hominum gloriam cauſauit: ergo non eſt caput hominum beatorum Chriſtus, quatenus beatus, ſed quatenus fuit viator. 7 *Replicabis.*

Reſpondeo primò, ſi ad rationem capitis ſufficiat influxus finalis, & exemplaris, negando ſequelam; nam Chriſtus, quatenus glorioſus, ſinis eſt, & exemplar glorificationis hominum. Vel ſecundo reſponderi poteſt, negando etiam ſequelam; nam ad rationem capitis ſufficit influxus effectiuus inſtrumentalis: ſicut autem gratia Chriſti cauſauit inſtrumentalitèr phyſicè gratiam hominum viatorum, de quo *infra q. 13.* ita aſſeuerare poſſumus, gratiam Chriſti conſummatam phyſicè inſtrumentalitèr influere in gratiam conſumatam beatorum. 8 *Reſpondetur tripliciter.*

Vel deniq; reſponderi poteſt, concedendo ſequelam, nec in hoc aliquod inconueniens reperio. Nec ſequitur, Chriſtum modò beatorum caput non eſſe, cum viator nunc non ſit; nam vt modò ſit Caput Eccleſiæ, etſi non duplicatiuè, vt beatus, ſufficit, quod ſecundum humanitatem modò exiſtentem, aliquando influxerit in hominum beatitudinem.

Deniq; exploratum eſt apud omnes catholicos, Chriſtum eſſe caput actu hominum exiſtentium in gratia, quamuis illam ſint amiſſuri, ſiuè prædeſtinati ſint, ſiuè reprobi. Contrarium huius docuere Pelagiani, qui, vt refert Auguſtinus *lib. de Hæreſib. c. 88.* dicebant, ſolos illos, qui nullum habebant peccatum, ad Eccleſiam pertinere; & conſequentèr ſolum illorum Chriſtum eſſe caput. In eodem etiam errore fuiſſe Donatiſtas, docet Auguſt. *lib. 3. contra epiſt. Parmenij c. 2. in fine*, illiſque adhæſiſſe Nouatianus, Catharos, & Anabatiſtas, refert Bañez. *2. 2. q. 1. art. 1. dub. 1.* Alij etſi omnis peccati carentiam in membris Chriſti, & Eccleſiæ non petant; dicunt tamen, ſolos prædeſtinatos ad Eccleſiam pertinere; & conſequentèr Chriſtum non eſſe caput iſtorum, qui prædeſtinati non ſunt. Ita Calbinus relatus à Bellarmino *tom. 1. contro. 4. lib. 3. c. 2.* Ioannes Hus, & Ioannes Vuicleph relati à Mag. Bañez vbi *ſupra*. 9 *Definitum eſt, Chriſtum eſſe caput actu hominum exiſtentium in gratia. S. Aug. Banez. Bellar.*

Noſtra tamen ſappoſitio eſt omnium catholicorum, eſtque diffinita *in Concil. Conſtantienſi ſeſ. 15. tom. 2. Conciliorum*. Et probatur primo ex Paulo *ad Roman. c. 8* illis verbis. *Quicumq; Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei*. Sed omnes iuſti ſpiritu Dei aguntur, ergo omnes ſunt filij Dei: ergo etiam Eccleſiæ filij; & conſequenter illius, & Chriſti membra. Secundò ex Tridentino *ſeſ. 6. de iuſtif. cap. 7.* ibi: *Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, &c.* ergo omnis iuſtificatus ex vi iuſtificationis inſeritur Chriſto; Sed Chriſto inſeri eſt eſſe membrum illius: ergo omnis iuſtificatus, ſiuè prædeſtinatus ſit, ſiuè reprobus, eſt membrum Eccle- 10 *Probatur 1. ex Paulo. Concil. Conſtant. Ad Rom. c. 8. Secundò ex Trid.*

ſiæ;

ſiæ, & Chriſti. Denique; nam exiſtens in gratia eſt Chriſto vnitus per fidem, & charitatem, & recipit vitam ſpiritualem à Chriſto, ſed nihil aliud ad rationem membri requiritur: ergo Chriſtus eſt caput omnium exiſtentium in gratia ſiuè prædeſtinati ſint, ſiue reprobi.

---

§. II.

Prima pars diſputationis reſoluitur.

11 *Prima ſententia.* *Turrec.* *Cano.* His ita præſuppoſitis, quod examen deſiderat, eſt, an Chriſtus ſit Caput omnium, & tantum fidelium? Qua in re, prima ſententia inter catholicos tenet, non eſſe omnium fidelium caput in actu, ſed tantum fidelium iuſtorum. Ita Turrecremata *lib. 1. ſua ſumma cap. 8. ad 7. & cap. 12. ad 6.* & Mag. Cano *lib. 4. de loc. cap. vlt. ad 9.* docentes, peccatores fideles eſſe quidem partes Eccleſiæ, non autem Eccleſiæ membra; & conſequenter nec Chriſti. *Secunda ſententia.* Secunda ſententia docet, Chriſtum, quantum eſt de ſe, non ſolum eſſe caput fidelium, ſed etiam infidelium baptizatorum. Hanc tenent nonnulli Recentiores *in manuſcriptis ad art. 3.* *Tertia ſententia.* Tertia, & vera ſententia docet, Chriſtum eſſe actu caput omnium, & tantum fidelium. Ita Theologi frequenter. Pro cuius explicatione ſit:

12 *Prima concluſio.* *Caiet.* *Medin.* *Probatur 1. ex D. T.* Prima Concluſio. *Chriſtus, in quantum homo, eſt actu caput fidelium, etiam in peccato mortali exiſtentium, non perfectè, & ſimpliciter, ſed imperfectè, & ſecundum quid.* ita Caietanus, & Medina *in hac quaeſt. art. 3.* & frequentius alij Theologi, tam extra, quam intra Scholam D. Thomæ. Et prima pars concluſionis oſtenditur primò ex D. Thom. *art. 3. in corp.* vbi diſtinguens quinque gradus hominum, quorum Chriſtus eſt caput tres primos computat inter actu Chriſto vnitos, & conſequenter inter actualia membra, nam per vnionem cum Chriſtus efficimur membrorum illius; ſed tertius gradus eſt illorum, qui per fidem tantum vniuntur: ergo habentes tantum fidem, actu ſunt membra Chriſti; & conſequenter Chriſtus eſt illorum caput actu.

13 *Secundò probatur.* Secundò, nam Chriſtus eſt actu caput omnium actu ad Eccleſiam pertinentium; ſed omnes fideles ſunt actu partes Eccleſiæ, ſiuè in peccato ſint, ſiuè in gratia: ergo Chriſtus actu eſt caput omnium fidelium, etiam in peccato mortali exiſtentium. illatio eſt legitima, maior videtur certa: nam Chriſtus eſt totius Eccleſiæ caput: ergo actu eſt caput omnium ad Eccleſiam actu attinentium. Minor verò eſt communis Theologorum ſententia 2. 2. *q. 1. art. 1.* & probatur: nam *Matth. cap. 25.* comparatur *Matth. c. 25.* Eccleſia decem Virginibus, quarum quinque fatuæ erant, & ſine oleo charitatis; quinque verò erant pru- *Matth. 3.* dentes. *Matthæi 3.* comparatur areæ, in qua ſimul cum tritico paleæ comburendæ inueniuntur. Et *cap. 13.* comparatur ſagenæ miſſæ in mare, in qua piſces boni, & mali congregantur: ergo ad Eccleſiam pertinent non ſolum iuſti fideles, ſed etiam fideles actu in peccato exiſtentes.

14 *Aliquorū probationes.* Ratione ſolet à dictis Theologis minor argumenti ſuaderi, eo quod, ſi ſoli exiſtentes in gratia pertinerent ad Eccleſiam, ſequitur, Eccleſiam non eſſe certam, nec viſibilem, quod eſt de fide. Patet ſequela: quia nemo ſcit, an odio, an amore dignus ſit, ideſt, an in gratia, vel in peccato exiſtat: ergo, ſi ſtatus gratiæ, ad Eccleſiam eſt neceſſarius, non erit certa, & viſibilis. Secundò quia ſequeretur nullam iuriſdictionem Eccleſiaſticam eſſe certam: conſequens eſt falſum: ergo. Patet ſequela: nullus ad Eccleſiam non pertinens eſt capax Eccleſiaſticæ iuriſdictionis; ſed ſi ſtatus in gratia eſſet neceſſarius, vt aliquis eſſet membrum Eccleſiæ, non eſſet certum Innocentium v. c. ad Eccleſiam pertinere, cum nulli certum ſit, nec citra reuelationem eſſe poſſit, ipſum eſſe in ſtatu gratiæ, & idem de quouis alio miniſtro Eccleſiæ eſt dicendum: ergo nulla Eccleſiaſtica iuriſdictio eſſet certa. Denique nam ſequeretur, nullum poſſe propter delicta ſua ab Eccleſiaſtica poteſtate puniri: conſequens eſt falſum: ergo. Patet ſequela: nam de his, qui foris, ideſt, qui extra Eccleſiam ſunt, Eccleſiaſtica poteſtas iudicare non poteſt; ſed de nullo certum eſſet, ad Eccleſiam pertinere: ergo nullus poſſet ab Eccleſiaſtica poteſtate puniri.

Iſtæ tamen probationes efficaces eſſe non poſſunt; cum inſtentur manifeſtè in communi Theologorum ſententia, aſſerentes, ſolos fideles ad Eccleſiam pertinere; 15 *Dicta rationes inſtantur.* & conſequenter partem, ſeu membrum Eccleſiæ per interiorem fidem ſupernaturalem conſtitui. Quia doctrina præſuppoſita, inconuenientia adducta inſtantiam manifeſtam accipiunt: etenim fides ſupernaturalis interna, non poteſt certo conſtare; & tamen ex hoc, quòd ad eſſe membrum, vel partem Eccleſiæ fides interna exigatur, non ſequitur, Eccleſiam certam, aut viſibilem non eſſe. Nec ſequitur, certam non eſſe Eccleſiaſticam iuriſdictionem. Nec denique ſequitur, neminem poſſe per Eccleſiaſticam poteſtatem puniri: ergo pariter, ex eo quod ſtatus gratiæ ad eſſe membrum, & partem Eccleſiæ exigatur, & conſtare certo non poſſit, non ſequitur, Eccleſiam non eſſe certam, nec ignotam eſſe Eccleſiaſticam iuriſdictionem: nec denique, quod nullus poſſit per Eccleſiaſticam poteſtatem puniri.

Quare, his rationibus omiſſis, minor argumenti ſuadetur primò: nam Eccleſia communiter à Theologis ex Nicolao Pontifice diffinitur, quod eſt *collectio fidelium*; ſed per fidem, licet informem, homo conſtituitur actu ſub huiuſmodi collectione: ergo efficitur pars Eccleſiæ. Secundò; nam homo actu intra Eccleſiam conſtituitur per id, quo vnitur actu cum alijs Eccleſiæ partibus in aliquo credito, vel amato; ſed per fidem actu vnitus cum alijs Eccleſiæ partibus in vno credito: ergo actu intra Eccleſiam conſtituitur. 16 *Minor argumenti ſuadetur dupliciter.*

17 *Reſpondebis. M. Cano.* Reſpondebis ex Mag. Cano vbi *ſupra*, maiorem argumenti eſſe veram de pertinentibus actu ad Eccleſiam, vt membris illius; horum enim actualiter Chriſtus eſt Caput; falſam vero de pertinentibus actu ad Eccleſiam, non vt membris, ſed tantum vt partibus; horum enim Chriſtus non eſt actu caput, ſed tantum in potentia. Peccatores autem fideles pertinent ad Eccleſiam, vt partes, quod citra iniuriam fidei negari non poteſt; non verò pertinent ad Eccleſiam, vt membra; quia non participant vitam ſpiritualem per gratiam, ſed ſunt per peccatum mortui; de ratione autem membri eſt, quòd viuat vita totius: & inſuper, quia ſunt membra Diaboli; & conſequenter membra Eccleſiæ eſſe nequeunt, nec Chriſti.

18 *Contra primò. S. Thom.* Sed contra primò ex D. Thom. *art. 3. ad 2.* vbi comparat fideles exiſtentes in peccato mortali membri mortificatis humani corporis, quæ aliqualiter mouentur ab homine; ſed membra mortificata ſunt actu membra corporis, licet imperfecta: ergo fideles exiſtentes in peccato mortali actu ſunt membra corporis myſtici Eccleſiæ, licet imperfecta. 19 *Secundò.* Secundò, quia, vt fatetur ſapientiſſimus iſte Magiſter, actu ſunt Eccleſiæ partes, & actu influxum Chriſti capitis participant; habent enim fidem ex meritis Chriſti: ergo quidquid ſit, an ſint dicenda membra, vel non, quod videtur quæſtio de nomine, & medica, aut phyloſophica, Chriſtus actu eſt caput illorum.

20 *Tertiò.* Tertiò, nam ad rationem membri imperfecti, & ſecundum quid talis, ſufficit, quod participet aliqualiter, & imperfectè vitam ſupernaturalem, licet ad rationem membri perfecti, vita ſupernaturalis perfecta exigatur; ſed fideles exiſtentes in peccato mortali viuunt vita ſupernaturali per fidem informem, quæ eſt vita ſupernaturalis imperfecta: ergo ſunt actu membra, licet imperfecta, Chriſtuſque eſt illorum caput actu, licet imperfectè.

21 Nec obſtat, eſſe membra Ciuitatis Babylonicæ, cuius caput eſt Diabolus nam ſecundum diuerſas rationes benè poteſt aliquis duarum ciuitatum eſſe ciuis, maximè ſi ad vnam ſimpliciter, & perfectè pertineat, & ad alteram imperfectè, & ſecundum quid, qualiter in præſenti contingit; nam fidelis peccator ratione culpæ eſt membrum Diaboli, & hoc habet ſimpliciter; ratione vero fidei membrum eſt Chriſti imperfectè, & ſecundum quid. Quod Magiſter iſte etiam fateri tenetur, cum doceat, eſſe partem Ciuitatis Eccleſiæ, etſi non ſit membrum illius: ſicut ergo in eius ſententia poteſt eſſe pars Eccleſiæ, & pars Ciuitatis Babylonicæ ſecundum diuerſas rationes: ita in noſtra ſententia poteſt eſſe membrum vtriuſque.

22 *Secunda pars con-* Secunda pars concluſionis eſt expreſſa D. Thomæ *in 3. diſt. 13. q. 2. art. 2. quaeſtiunc. 2. in corp.* & *in hac q. art. 3. ad 2.* Et oſtenditur primò: nam ad rationem membri perfecti, perfecta vnio ad Chriſtum requiritur, & participatio

cluſionis probatur ſimpliciter. ſlo vitæ ſpiritualis perfecta; ſed fidelis exiſtens in peccato mortali non vnitur ad Chriſtum perfectè, nec perfectè ab illo vitam ſpiritualem participat: ergo non eſt membrum Chriſti perfectè. Secundò, quia non ſtat, eſſe membrum Chriſti perfectè, & ſimpliciter, & eſſe membrum ſimpliciter Diaboli; ſed fidelis exiſtens in peccato mortali eſt Diaboli membrum ſimpliciter ergo non eſt ſimpliciter & perfectè membrum Chriſti.

---

§. III.

Argumentis in contrarium occurritur.

23 *Primum argumentum.* SEd contra primam partem concluſionis arguitur primò: Adamus ante Euæ formationem erat fidelis; & tamen non erat membrum Chriſti: ergo non omnes fideles ſunt in actu membra Chriſti. Minor probatur: quod non eſt membrum Eccleſiæ, nequit eſſe membrum Chriſti; ſed Adamus pro tunc temporis non erat membrum Eccleſiæ, cum tunc Eccleſia non eſſet, cum conſiſtat in congregatione, aut collectione fidelium; tunc autem collectio iſta non eſſet, ſed tantum vnus fidelis: ergo pro tunc temporis membrum Chriſti non erat.

24 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo, hoc argumentum probare, non omnes iuſtos eſſe actu membra Chriſti; nam Adamus ante formationem Euæ, non ſolum erat fidelis, ſed etiam erat in gratia. Conceſſa ergo maiori, nego minorem: ad illius probationem reſpondetur primò: ad rationem membri Chriſti ſufficere, eſſe membrum Eccleſiæ, vt conſtitutæ ex viatoribus, & beatis. Licet autem ante formationem Euæ non eſſet viatorum Eccleſia; & conſequenter nec Adamus eſſet membrum illius; erat tamen tunc Eccleſia conflacta ex Angelis beatis, & ex Adamo viatore, cuius membrum erat Adamus; ac proindè & membrum Chriſti.

25 *Secundò.* Vel ſecundo reſpondetur, membrum in ſui completa ratione importare proportionem ad commembra eiuſdem corporis, quatenus ab eis recipit, aut illis ſubſeruit, aut ſubminiſtrat, incompletè autem, & quoad intrinſeca acceptum, hanc proportionem non dicere, nec alia commembra habere, ſed tantum perfectionem abſolutam à capite dependentem. Adamus ergo ante formationem Euæ non erat membrum Eccleſiæ ſecundum completam membrationem ex defectu commembrorum; erat tamen membrum ſecundum incompletam: & hoc ſufficiebat, actu eſſet membrum Chriſti.

26 *Secundū argumentum.* Secundo arguitur: Cathecumeni non baptizati ſunt fideles; & tamen membra Chriſti non ſunt: ergo. Minor probatur: quod ad Eccleſiam non pertinet, membrum Chriſti eſſe non poteſt; ſed Cathecumeni non pertinent ad Eccleſiam: tum quia non ſunt baptizati; baptiſmus autem eſt ianua, per quam ingredimur in Eccleſiam. Tùm etiam, quia non poſſunt ab Eccleſia puniri; poſſent autem, ſi ad Eccleſiam pertinerent: ergo non ſunt membra Chriſti.

27 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando minorem: ad illius probationem dicatur: vt aliquis membrum ſit, & dicatur, ſufficere, quod ad Eccleſiam pertineat ſecundum interiorem conditionem Eccleſiæ, vel ſecundum animam, aut formam Eccleſiæ, quæ eſt fides formata, aut informis licet non pertineat ad illam ſecundum conditionem viſibilem, exterioremque profeſſionem, quæ vocatur corpus Eccleſiæ. Cathecumeni autem, etſi non pertineant ad Eccleſiam, hoc ſecundo modo ſumptam; pertinent tamen ad illam ſecundum interiorem conditionem, aut ſecundum animam, vel formam Eccleſiæ per fidem formatam, ſi ante baptiſmum Deum ex toto corde dilexerint, aut ſecundum fidem informem, ſi ante receptionem baptiſmi perfectam non habuerint charitatem, ſed tantum fidem: & ideò membra Chriſti eſſe poſſunt viua, & perfecta ratione fidei, & dilectionis diſponentium vltimo ad gratiam, vel imperfecta, & mortificata, ſi habuerint tantum fidem. Nec diſtinctionem iſtam oppugnāt probationem minoris; baptiſmus namque; eſt ianua ad Eccleſiam neceſſaria ſecundum conditionem viſibilem; non autem ſecundum interiorem conditionem, nec Eccleſia iudicare poteſt, niſi de his, qui ad ipſam ſecundum exteriorem profeſſionem pertinent.

Ex hac doctrina, vt plura alia argumenta obitèr diluamus, colligitur primò, excommunicatum fidelem eſſe 28 membrum Chriſti, & aliquando viuum, ſi nimirum *Obitèr colligitur primò.* charitatem habeat poſtquam excommunicationem contraxit, quidquid ſit, an ad Eccleſiam ſecundum viſibilem conditionem pertineat. De quo non eſt vna Theologorum ſententia, negante Bellarmino cum alijs, quos refert vbi *ſupra cap.6.* alijs affirmantibus cum Mag. Bañez *Bilarm. M.Banez.* vbi *ſupra ſol. ad 8.* alijs media via incedentibus. Cum enim Eccleſia viſibilis per exteriorem fidei profeſſionem, & ſub vno capite viſibili, & Sacramentorum communicationem conſtituatur, docent, excommunicatos pertinere ad Eccleſiam viſibilem quoad externam profeſſionem, & capiti ſubiectionem; non verò quoad communicationem Sacramentorum. Quidquid tamen ſit de hoc, excommunicati fideles ſunt membra Chriſti, eo quòd ad Eccleſiam pertinent ſecundum conditionem internam, nempè, ſecundum fidem.

Secundò infertur, ſchiſmaticos eſſe membra Chriſti, ſi ſchiſma ſolum charitati opponatur; ſecus autem, ſi 29 opponatur fidei. Pro quo aduertendum eſt ex D. Thoma *Secundò colligitur S. Thom.* 2.2. *q.39. art.1. ad 3.* omnem hæreticum eſſe ſchiſmaticum, ſed non èconuerſo, omnis ſchiſmaticus hæreticus eſt ſchiſma enim, vt *ibi* docet D. Thomas, a ſciſſura animorum eſt appellatum: vnde peccatum ſchiſmatis directè, & per ſe opponitur vnitati; eſt autem duplex vnitas in Eccleſia, vna per fidem, altera per charitatem: hæreſis eſt ſchiſma oppoſitum primæ vnitati; ſchiſma autem charitati oppoſitum, non primæ vnitati, ſed ſecundæ contradicit: ac proinde poteſt eſſe ſchiſmaticus per hoc, quod renuat obedire Summo Pontifici, & alijs Eccleſiæ Prælatis; fidem tamen retinens, & credens omnia, quæ Eccleſia credenda proponit, quamuis, vt *ibi* notat D. Thom. peccatum ſchiſmatis ſemper diſponat ad hæreſim. Aſſerimus ergo ſchiſmaticum ex oppoſitione ad vnitatem charitatis eſſe membrum Chriſti. Quod patet: nam retinet fidem, quæ eſt forma ad membrum Chriſti conſtituendum ſufficiens. Nec obſtat, ab Eccleſia eſſe ſciſſum, nec ad illam pertinere; nam eſt ab Eccleſia præciſſus ſecundum conditionem viſibilem, & ſecundum vnitatem interiorem perfectam, quæ præſtatur à charitate non autem ſecundum vnitatem interiorem imperfectam, quam præſtat fides: & hoc ſufficit, vt ſi membrum Chriſti imperfectum.

Tertiò arguitur: homo exiſtens in peccato mortali, 30 etiam ſi fidelis ſit, non pertinet ad Eccleſiam, nec eſt pars, *Tertium argumentum.* aut membrum illius; ſed, qui non eſt pars Eccleſiæ, membrum Chriſti eſſe non poteſt: ergo fidelis in peccato mortali exiſtens membrum Chriſti non eſt. Minor cum *Aſſumptū probatur 1.* conſequentia tenet; maior autem oſtenditur primò: nam in Symbolo Apoſtolorum Eccleſia dicitur Sancta: *Credo Sanctam Eccleſiam.* Sed, ſi in ſe peccatores contineret, *Symbol. Apoſt.* ſancta dici non poſſet, ſed potius ſcelerata, aut Synagoga Satanæ, cum in ſe includeret peccatores, qui ſunt partes Ciuitatis Babylonicæ, & Diaboli membra: ergo.

Secundò probatur: nam Eccleſia dicitur tota pulchra, 31 & ſine macula, iuxta illud *Cant. cap 4. verſ.7. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Sed, ſi pec- *Secundò. Can 4.* catores in ſe contineret, tota pulchra eſſe non poſſet: ergo peccatores ad Eccleſiam non pertinent.

Tertiò: qui non ſunt filij Eccleſiæ, non ſunt partes, 32 nec membra illius; ſed peccatores non ſunt filij Eccle- *Tertiò.* ſiæ: non enim ſunt filij Sponſi, nempè, Dei, quia, vt dicitur *Roman.8. Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij* *Rom.8.* *Dei*; peccatores autem non aguntur ſpiritu Dei: ergo nec ſunt membra Eccleſiæ.

Quarto probatur ex Auguſt. *lib.2. contra Petilianum cap. vltim. lib.2. contra Creſcium cap.21. lib. de vnita-* 33 *te Eccleſiæ cap.12. lib.4 de baptiſmo contra Donatiſtas* *Quartò.* *cap 3. & lib 7. cap.49. 50. & 51.* vbi docet, malos non *S. Aug.* pertinere ad Eccleſiam. Id ipſum docent Cyprianus *Cipria.* *in epiſt.* ad Magnum Hieronym. *ad Epheſ.10.* expli- *Hieron.* cans illud: *Sine macula, & ruga.* Magiſt. Sentent. in *M. Sent.* *4. diſtinct 8.* & Hugo de Sancto Victore *lib.2. de Sacram.* *Hugo.* *part.2.*

Quinto probatur: nam iuxta Auguſtinum, amor Dei 34 vſque ad contemptum ſui conſtituit Ciuitatem Ieruſa- *Quintò.* lem: ſicut amor ſui vſque ad contemptum Dei conſtituit Ciuitatem Babylonis; ſed fideles in peccato mortali exiſtentes non diligunt Deum vſque ad contemptum ſui, ſed ſe ipſos vſque ad contemptum Dei: ergo non ſunt Ci-

ueri & conſequenter nec partes, nec membra Ciuitatis Ieruſalem, quæ eſt Eccleſia.

35 *Vltimò.* *Eccl. c. 33.*

Denique; nam membra eiuſdem corporis nequeunt ſibi viciſſim eſſe contraria: at contra bonum, malum eſt, contra vitam mors, & contra virum iuſtum peccator, vt Sapiens ait *Eccleſiaſtes c. 33.* ergo peccator Eccleſiaſtici corporis membrum eſſe non poteſt.

36 *Reſpondetur explicando iſſum, in quo Dei Eccleſia dicitur Sancta.*

Reſpondeo, negando maiorem: ad illius primam probationem dicetur, Eccleſiam dici, & eſſe Sanctam: tum, quia omnia ipſam conſtituentia, formaliter, ſancta ſunt; nam fides, vel informis, vel formata, exterior fidei profeſſio, Sacramentorum communicatio, & ad vnum caput ſubiectio, ſancta ſunt, etiam ſi homines, ex quibus componitur, non omnes ſancti ſint, ſed aliqui, imo & plurimi peccatores. Tum etiam, quia Deo ſacrata eſt, & ad Deum ordinata; quod autem Deo ſacratur, ſanctum appellari conſueuit. Tum denique, ſancta dicitur à principaliori parte, nempè, à Sanctis, ex quibus principaliter Eccleſia componitur.

37 *Nonnulli cenſent, etiã poſſe ſceleratam nuncupari.* *Canus.* *Cant. 1.* *S. Aug.* *Bañez.* *Conc. Conſtant.*

An autem poſſit etiam ſcelerata nuncupari propter magnos, ſceleratoſque peccatores, ex quibus, vt ex partibus, ad minus conſtituitur Eccleſia? Non eſt vnus Theologorum ſenſus. Canus *vbi ſupra ad 11.* id non recuſat concedere, vt ſicut Eccleſia ſancta dicitur ratione bonorum: ita & ſcelerata, aut reprehenſibilis ratione malorum dicatur. Vnde illud *Canticorum 1. Nigra ſum, ſed formoſa.* Auguſtinus *lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 32.* ſic interpretatur, vt Eccleſiam nigram in malis, & in bonis formoſam intelliges. Id ipſum non renuit concedere Bañez *vbi ſupra ad 10. arg.* Negant autem, Synagogam Satanæ poſſe appellari; eſt enim propoſitio damnata in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. 8.* eo quod ſonat, Sathanam eſſe inſtitutorem Eccleſiæ.

38 *Nõ poteſt Eccleſia propter malos ſcelerata dici, & ratio diſſimilitudinis aſſignatur.*

Sed certè, etſi aliquando propter malos redarguatur Eccleſia; hanc tamen propoſitionem: *Eccleſia eſt ſcelerata*, non auderem concedere, eo quod ſonare videtur, ipſam de ſe, & per ſe malitiæ aliqua vitiari. Nec eſt eadem ratio, ac altera, in qua ſancta nuncupatur; quia ſancti ſunt præcipua pars Eccleſiæ, & per ſe intenta ex vi inſtitutionis illius; mali autem permittuntur, non per ſe intenduntur à Eccleſiæ inſtitutione. Nec obſtat illud *Cant. 1. Nigra ſum, ſed formoſa*; non enim nigra idem eſt, quod ſcelerata, ſed nigra dicitur Eccleſia propter perſequutiones, quas patitur a filijs tenebrarum, quod interpretatur cedar, vt *ibi* explicat D. Thom. Vel nigra ſecundum opinionem malè videntium, & ſecundum apparentiam: & formoſa ſecundum veritatem, & ſecundum fidem rectè credentium, vt explicat Rupertus citatus à Gloſſa ordinaria.

39 *Eccleſia dicitur tota pulchra pro ſtatu beatitudinis.* *S. Aug.* *S. Thom.* *Ad Ephe.*

Ad ſecundam probationem dicetur, Eccleſiam totam pulchram appellari, non pro ſtatu vitæ præſentis, ſed pro ſtatu beatitudinis, qualiter Gloſſa Interlinealis, & Auguſtinus *lib. 2. retractation. cap. 18. & lib. de perfectione iuſtitiæ circa finem*, & D. Thomas *in præſenti artic. 3. ad 2.* explicant illud Pauli ad Epheſios 5. *Non habentem maculam, aut rugam*: nimirum accipiendum eſſe de Eccleſia, non pro ſtatu viæ, ſed pro ſtatu Patriæ & æternæ beatitudinis.

40 *Vel quia ex vi baptiſmi omne peccatum deletur.*

Vel ſecundo reſpondetur, Eccleſiam ex vi baptiſmi totam reddi pulchram, quia ex vi illius omne peccatum deletur, omniſque peccati pœna remittitur: & hoc ſignificari, cum Eccleſia tota pulchra vocatur; non verò, quod in partibus, ex quibus coaleſcit, nullum peccatum admittat.

41 *Vel propter Sanctos, qui à peccati mortali ſũt liberi.*

Vel tertio reſponderi poteſt, quod ſicut Eccleſia Sancta dicitur propter Sanctos; ita & tota pulchra propter illos nuncupatur: non quia peccata venialia non habeant, ſed quia carent grauibus, & damnabilibus. Ita D. Thom. *ibi*.

Vel ratione Chriſti.

Vel denique reſpondetur: quòd ſicut Eccleſia Sancta dicitur propter Sanctos, ſeu ſignatur propter electos; ita & tota pulchra ob capitis Chriſti omnigenam plenitudinem, nullum malum admittentem, voce. i.

42 *Filius dicitur tripliciter.* *Deut. 32.* *Ad Gal. 4.* *1. Ioan. 3.*

Ad tertiam reſpondetur, Filium Dei tripliciter dici. Primò ratione creationis, *Deuteronom. 32. Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui fecit, & creauit te?* Secundò ratione doctrinæ ad Galat. 4. *Filioli mei: quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Vbi Paulus filios vocat eos, quos Euangelium docuerat, videlicet, filios doctrinæ. Tertiò ratione generationis, & imitationis per gratiam 1. *Ioa. 3. In hoc ſunt manifeſti filij Dei, & filij Diaboli: omnis, qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo.*

43 *Explicatur, quã filiatio ſufficit ad rationem membri Eccleſiæ.* *Eſai. 1.* *Cant. 2.* *S. Thom.*

Prima filiatio ad eſſe Eccleſiæ partem non ſufficit, aliàs Gentiles eſſent partes Eccleſiæ. Tertia ad eſſe membrum viuum, & perfectum requiritur; non verò ad eſſe membrum mortificatum, & imperfectum, ſed ad hoc ſufficit filiatio in doctrina, id eſt, credere fide diuina, quæ docet Eccleſia: cum quo peccatum mortale comparatur. Vndè *Eſaiæ 1.* dicitur: *Filios enutriui, & exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me.* Et *Canticorum 2. Sicut lilium inter ſpinas: ſic amica mea inter filias*, id eſt, vt *ibi* explicat D. Thom. *Quia non ſolum ab his, qui extra Eccleſiam ſunt, mala patitur, verum etiam ab illis, qui generati per baptiſmum in filiationem Dei veniſſe videntur.* Iuxta quam interpretationem filiæ pungentes Eccleſiam vocantur mali Chriſtiani.

44 *Duplex acceptio Eccleſiæ ex Hieronymo.* *Hiere. Eccleſ. c. 3.*

Ad quartam probationem dicatur, PP. vel loqui de membris Eccleſiæ viuis: & ſic verum eſt, ſolos iuſtos ad Eccleſiam pertinere: vel malorum nomine infideles intelligere. Vel denique loqui de Eccleſia, non vt eſt congregatio fidelium, qualiter omnes, ſiuè iuſtos, ſiuè peccatores amplectitur, ſed prout eſt congregatio iuſtorum. Quas duas Eccleſiæ acceptiones tradidit Hieronymus in *Comment. epiſt. ad Galatas*, iuxta illud *Eccleſiaſt. c. 3. Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum.* Iuxta quas interpretationes accipiendi ſunt Patres *in argumento relati*, prout contextus poſtulauerit.

45 *Eccleſia vt eſt congregatio fidelium, non per dilectionẽ, ſed per fidẽ conſtituitur.*

Ad quintam dicatur, doctrinam Auguſtini intelligendã eſſe de Ciuitate Ieruſalem, quatenus viua, & formata. Et ita verum eſt, charitate ædificari, & ad illam non pertinere in mortali culpa exiſtentes; Eccleſia autem, vt eſt congregatio fidelium, non per Dei dilectionem, ſed per Dei fidem conſtituitur, & per dilectionem perficitur.

46 *Membra Eccleſiæ poſſunt ſibi contrariari; ſecus membra corporis naturalis, & cur.*

Ad vltimam probationem reſpondeo, veram eſſe maiorem de membris corporis naturalis: cum enim membra ſint naturalia agentia, iuxta pondus & inclinationem naturæ omnia in eundem finem inclinant; falſam autem de membris corporis politici: ad hæc namque ſufficit, quod in aliquo vno conueniant, etſi in alijs diſſideant. Sic ciues alicuius ciuitatis in vno conuenientes regimine, & ſub vno capite conſtituti, multoties inuicem contrariantur. Vt ergo ratio membri Eccleſiæ ſaluetur in peccatoribus, ſufficit conuenientia, quam habent per fidem in vno credito, etſi inter ſe charitate diſſideant, & in effectu inuicem contrarientur.

47 *Denique arguitur*

Denique arguitur: nam ad rationem membri corporis viui non ſufficit eſſe partem illius, ſed inſuper requiritur, quod viuat vita totius; ſed peccatores fideles non viuunt vita, qua viuit Eccleſia: ergo non ſunt membra illius, & conſequenter nec Chriſti, niſi tantum in potentia. Illatio eſt legitima, minor videtur certa: nam vita Eccleſiæ eſt per gratiam habitualem, qua carent peccatores fideles; & ideò per peccatum ſunt mortui; cum peccatum mortale mors animæ dicatur, & ſit. Maior autem probatur: nam capilli, vngues, ſanguis, & humores, ex quibus humanum corpus componitur, etſi ſint partes illius, & informentur ab anima, vt frequenter à Thomiſtis docetur; non tamen ſunt, nec vocantur humani corporis membra: at hoc non alia ratione, niſi quia non viuunt vita ſenſitiua, qua totum ex illis compoſitum viuit: ergo ad rationem membri requiritur, quod viuat vita totius.

48 *Confirmatur.* *S. Thom.*

Et confirmatur ex D. Tho. *in 3. diſt. 13. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. in corp.* ibi: *Homines autem fideles peccatores pertinent quidem aliquo modo ad vnitatem Eccleſiæ, in quantum continuantur ei per fidem, quæ eſt vnitas materialis; non tamen poſſunt dici membra propriè, niſi ſicut membrum mortuum, ſcilicet, æquiuocè.* Sed quod æquiuocè eſt membrum, verè membrum non eſt: ergo peccatores fideles non ſunt verè membra Chriſti.

49 *Eſſe admittatur, peccatores non eſſe actu membra Eccleſiæ, poteſt Chriſtus dici Caput illorũ in actu.*

Ad hoc argumentum reſponderi poteſt primò, admiſſo, peccatores fideles non eſſe actu membra Eccleſiæ, nec Chriſti, negando, Chriſtum non eſſe caput illorum in actu, eo quod ad rationem capitis reſpectu alicuius ſufficit, quòd actualiter vniatur in corpore, tanquam pars eiuſdem corporis, & à capite influxum recipiat. Totum autem hoc conuenit fideli exiſtenti in peccato mortali; vnitur enim cum Chriſto, eſt vera Eccleſiæ pars à Chriſto influxum recipiens; fidem enim, licet informem, ex Chriſti meritis habet; & ideo Chriſtus reſpectu illius actualiter eſt caput, quamuis Eccleſiæ membrum actualiter non ſit, niſi æquiuocè, vt docet D. Thomas *loc. in contrarium adducto.*

50

Si opponas: caput Eccleſiæ myſtici dicitur Chriſtus

per

per analogiam, & ſimilitudinem ad caput corporis naturalis; ſed caput naturale non dicitur caput reſpectu capillorum, vnguium, dentium, & aliarum partium corporis, quæ illius membra non ſunt, quia licet partes ſint, non ſunt membra: ergo, ſi fideles exiſtentes in peccato mortali non ſunt membra corporis Eccleſiæ, ſed tantum ſunt illius partes, Chriſtus non eſt illorum caput in actu. *Obycies.*

51 *Chriſtus influit actu in peccatores fideles; ideo que eſt actu caput illorum.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando cauſalem minoris; ſed ideo caput naturale non dicitur caput reſpectu prædictarum partium, quia ſolum dicitur caput reſpectiue ad illa, quæ capitis influxum participant; partes autem memoratæ non participant influxum capitis naturalis, eo quod, vt docet D. Thom. *in 3. diſt. 13. q. 2. art. 3. ad 5.* hæc eſt differentia inter cor, & caput; quod cor eſt primum principium virium vitalium; caput autem eſt eſt principium virium animalium, quæ ad ſenſum; & ad motum pertinent. Capilli autem, vngues, & dentes, viuunt vita vegetatiue, cum creſcant, & ab intrinſeco augeantur; non vero vita ſenſitiua: non enim ſentiunt, & ideò, licet dependeant è corde, non participant ſuos motus à capite: & ob hanc cauſam caput naturale, non dicitur prædictarum partium caput, cuius oppoſitum in noſtro caſu oppoſita de cauſa contingit, nam fides, eſto informis ſit, quam habent peccatores fideles, eſt accepta à Chriſti meritis: & ideò, quamuis membra Eccleſiæ non ſint reſpiciunt Chriſtum, vt caput.

52 *Fidelis in peccato mortali exiſtens eſt membrum imperfectum Eccleſiæ.* Secundò reſponderi poteſt, veram eſſe maiorem de membris perfectis; hæc enim petunt viuere vita totius; falſam autem de imperfectis, ad quæ ſufficit gradus vitæ vegetatiuæ, & ſi totum vita ſenſitiua viuet. Vnde communis doctrina negans, vngues, capillos, & dentes eſſe membra humani corporis, intelligenda eſt de membro ſecundum perfectam rationem. Quia ergo fidelis peccator, licet vita ſpirituali perfecta non viuat, quæ præſtatur à gratia, qua caret per peccatum mortale; viuit tamen per fidem, quaſi vita vegetatiua in hoc ordine conſequens eſt, quod ſit membrum imperfectum Chriſti, & Eccleſiæ.

53 *Ad rationem mẽbri imperfecti ſufficit actu viuere vita imperfecta, & vita perfecta in potentia.* Vel tertio reſpondetur, ad rationem membri perfecti requiri vitam totius à membro actu participari; ad rationem verò membri imperfecti ſufficere viuere in actu vita imperfecta, & in potentia vita perfecta totius. Vnde manus arida nondum emortua membrum imperfectum eſt, quia de facto viuit vita vegetatiua, & ſenſitiua in potentia. Fidelis autem exiſtens in peccato mortali de facto imperfectè viuit in ordine ſupernaturali per fidem, & in potentia viuit vita ſpirituali perfecta, ad quam remotè diſponit fides informis: & ideo membrum eſt imperfectum Eccleſiæ, & Chriſti. Capilli verò, vngues, dentes, & aliæ huius generis humani corporis partes viuunt in actu vita vegetatiua, quæ imperfecta vita eſt; non tamen ſunt in potentia ad viuendum vita perfecta totius, quæ eſt vita ſenſitiua: & ideò membra, etiam imperfecta non ſunt, ſed tantum humani corporis partes.

54 *Explicatur D. Th.* Ad confirmationem iuxta primam ſolutionem dicatur, D. Thomam non negaſſe Chriſtum eſſe fidelium peccatorum caput, ſed quod ipſi eſſent membra Eccleſiæ, quod iuxta primum modum dicendi cum primo non incompatitur. Suſtinendo autem ſecundam, & tertiam ſolutionem: Mag. Bañez vbi *ſupra* reſpondet, D. Thomam ſententiam, quam *ibi* docuit, *in præſenti art.* retractaſſe. Vel reſponderi poteſt, *æquiuocè* non in toto rigore ſumpſiſſe, ſed prout idem eſt, quod imperfectè, vt ſibi D. Thomas *hic*, & *ibi* non contradicat.

---

§. IV.

Chriſtum caput infidelium actu non eſſe, probatur.

55 *Secunda concluſio. S. Thom. Anton. Palud. Syluest. Cano. Soto, Suar.* SEcunda Concluſio. *Chriſtus non eſt caput actu infidelium, ſiuè baptizati ſint, ſiuè non, ſiuè occulti ſint, ſiuè publici.* Ita expreſſè D. Thomas *in 3. diſt. 13. q. 2. art. 2. quæſt. 2. in corp. & in præſenti art. 3.* Antoninus 3 *p. tit. 22. §. 3.* Paludanus *lib. de poteſtate Eccleſiæ.* Syluester *verb. Papa.* Cano *lib. 4. de locis cap. 2.* Soto *in 4. diſt. 22. q. 2. art. 2.* & Suarez *2. 2. tract. 1. diſp. 9. num. 21.*

Et quidem de infidelibus non baptizatis indubitatum eſt apud omnes, non pertinere ad Eccleſiam, tanquam partes illius; & conſequentèr Chriſtum illorum caput non eſſe; carent enim interiori Eccleſiæ conditione, videlicet, fide, & exteriori, ac viſibili, ſcilicet, baptiſmo fideique exteriori profeſſione. Et de illis potiſſimè intelligitur illud Pauli 1. *Corinth. 5. Quid mihi de his, qui foris ſunt?* Sunt ergo extra Eccleſiam adæquatè; ac proinde Chriſtus illorum caput actu non eſt. 56 *De non baptizatis, probatur. 1. Cor. 5.*

Deinde ſecunda pars concluſionis de hæreticis baptizatis oſtenditur primò ex Cypriano *lib. 1. Epiſt. 3. ad Cornelium propè initium Epiſt.* vbi de Nouatino loquens ſic ait: *Non tantum mea, ſed & plurimorum Coepiſcoporum ſententia condemnatum, & reiectum, & à te illi eſſe ab Eccleſia prohibitum, & cum veniſſet ſtipatus caterua, & factione deſperatorum vigore plena, quo Epiſcopum agere oportet, pulſum de Eccleſia eſſe, de qua iam pridem cum ſuis ſimilibus Dei maieſtate, & Chriſti Domini iudicis noſtri ſeueritate depulſus eſt.* Id ipſum *in medio Epiſt.* de Felice quodã Pſeudo Epiſcopo docet, nimirum propter hæreſim extra Eccleſiam conſtitutum. Et *Epiſt. 6. ad Magnum* eandem doctrinam proſequitur. Et in *Epiſt. ad Antonianum* in eadem perſiſtit ſententia. Quæ in cauſa fuit, vt Cyprianus hæreticorum baptiſmum negaret. Gregorius etiam *lib. 12. Moral. cap. 15. & lib. 16. cap. 21.* ait, nomine tenus eſſe Chriſtianos. Quod etiam docet Auguſtinus *lib. 7. de Baptiſmo cap. 10. & de vnitate Eccleſiæ cap. 4.* & alij PP. cum de hæreticis loquuntur, eos dicunt eſſe foris. Ita Sixtus Papa *Epiſt. 1. Decretali.* Fælix 1. *epiſt. 1.* Irænæus *lib. 3. cap. 3.* & Tertulianus *contra Marcionem.* Ex quibus tale argumentum conficitur: Chriſtus non eſt caput actu illorum, qui ſunt actu extra Eccleſiam; ſed hæretici ſunt actu extra Eccleſiam: ergo Chriſtus non eſt actu illorum caput, ſed ſolum in potentia, quatenus poſſunt conuerti, & per fidem ad Eccleſiam redire. 57 *De infidelibus baptizatis, probatur 1. ex Cypriano & alijs Eccleſiæ PP. Gregor. S. Aug. Sixtus Papa. Fælix 1. Irenæus. Tertul.*

Secundo probatur nam: fides eſt Eccleſiæ fundamentum, *Ad Epheſ. 2. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum,* ideſt, ſuper illorum fidem, vt plures PP. interpretantur, *Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* ideſt ſuper hanc fidei confeſſionem. *Ad Coloſſenſes 1. Si tamen in fide eius fundati eſtis:* ergo carens fide ad Eccleſiam actu non pertinet, quæ ſine ſuo fundamento ſubſiſtere nequit; ſed Chriſtus non eſt actu caput non pertinentium actu ad Eccleſiam: ergo non eſt actu caput hæreticorum, etiam ſi verè baptiſmi Sacramentum ſuſceperint. 58 *Secundò probatur, nam fides eſt fundamentum Eccleſiæ. Ad Epheſ. 2. Matt. 16. Ad Coloſ. 1.*

Denique probatur: carens fide, eſto baptizatus ſit, non eſt actu pars Eccleſiæ; ſed Chriſtus ſolum eſt actu caput illorum, qui actu pertinent ad Eccleſiam, vel vt partes, vel vt membra: ergo non eſt actu caput infidelis baptizati. Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: omnis pars Eccleſiæ pertinet ad Eccleſiæ vnitatem, & ſub Eccleſia vt vna continetur; cum Eccleſia vna ſit; ſed infidelis, quamuis ſit baptizatus, non pertinet ad vnitatem Eccleſiæ: ergo non continetur actu ſub illa. Probatur minor ex D. Tho. *in 3. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. in corpore;* nam vnitas Eccleſiæ eſt triplex: vna materialis, quæ ſumitur à fide per conuenientiam in vno tertio credito: altera formalis, quæ præſtatur à charitate per conuenientiam in vno Deo ſuper omnia dilecto. Et tandem tertia vnitas ſumitur à Spiritu Sancto omnia replente, & complente; ſed infidelis, quantumuis ſit baptizatus, ad nullam ex his vnitatibus pertinet, cum careat fide; & conſequenter charitate, ac proindè Spiritum Sanctum viuificantem non habeat: ergo ad vnitatem Eccleſiæ non pertinet. 59 *Carens fide, eſto baptizatus ſit, non eſt actu pars Eccleſiæ. S. Thom.*

Et ex his tertia pars concluſionis, probatur: Chriſtus enim non eſt actu caput non pertinentium actu ad Eccleſiam, quæ eſt Chriſti corpus; ſed hæretici, etiam occulti, actu ad Eccleſiam non pertinent: ergo Chriſtus illorum caput non eſt. Maior cum conſequentia tenet; minor autem oſtenditur primo ex Auguſtino *tom. 10. ſermone 15. de verbis Domini cap. 19.* illis verbis: *Sed nec ille dicendus eſt eſſe in Eccleſia, qui cum membris Chriſti corporali tantum commixtione ficto corde miſcetur; Sanctus enim Spiritus diſciplinæ fugiet fictum.* Sed hæreticus occultus corporali tantum commixtione, & ficto corde partibus Eccleſiæ coniungitur: ergo intra Eccleſiam non eſt. 60 *Hæreticũ occultum non eſſe actu partẽ Eccleſiæ probatur ex Auguſtino.*

Secundo ex eodem Auguſtino *lib. de vnitate Eccleſiæ contra Petilianum cap. 4.* ibi: *Quicumque de ipſo capite à Scripturis Sanctis diſſentiunt, etiam ſi in omnibus locis inueniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in* Eccle- 61 *Secundò ex eodem Auguſtino probatur.*

Eccleſia. Et expreſſius *cap. vltim.* illis verbis: *Tunc enim quiſque infructuoſus, & nondum à radice præciſus eſt, cum mala cupiditate, agit quidem illa opera, de quibus dictum eſt: quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt; ſed cum pro ipſis operibus, etiam veritati, quæ apertiſſimè redarguitur, reſiſtere cœperit, tunc præciditur. Et multi tales ſunt in Sacramentorum communione cum Eccleſia; & tamen iam non ſunt in Eccleſia, alioquin ſi tunc quiſque præciditur, cum viſibiliter excommunicatur: conſequens erit, vt tunc rurſus inſeratur, cum viſibiliter communioni reſtituitur. Quod ſi ergo ſiliùs accedat, atque adverſus veritatem, & Eccleſiam cor iniquiſſimum gerat, quamuis peragatur in eo illa ſolemnitas, nunquid reconciliatur? Nunquid inſeritur? Abſit.* Sentit ergo manifeſtè Auguſtinus, hæreticum, etſi occultum, ipſa hæreſi ab Eccleſia præcidi; & conſequenter actu illius partem non eſſe.

Tertio probatur: nam vera Eccleſia eſt congregatio verè
62 fidelium; ſed hæreticus occultus verè fidelis non eſt: ergo actu ad Eccleſiam non pertinet. Quarto, nam forma Eccleſiæ fides eſt; vel informis, vel formata, vtpotè, ſine qua vnitas Eccleſiæ ſubſiſtere nequit, vt ex dictis *ſupra* conſtat: ergo carens fide, et ſi occultè, ſub Eccleſia contineri non poteſt. Denique probatur: quia non viuens vita ſupernaturali pars corporis vita ſupernaturali viuentis eſſe non poteſt. vndè membrum mortuum pars corporis viui verè non eſt, etſi pars talis corporis appareat; ſed hæreticus occultus vita ſupernaturali non viuit, cum primum initium vitæ ſupernaturalis ſit fides: ergo eſto exterius pars corporis Eccleſiaſtici appareat; re tamen ipſa pars Eccleſiæ non eſt: ſicut manus mortua non eſt verè pars corporis humani, etſi pars illius exterius eſſe videatur.

Tertiò probatur, quia vera Eccleſia eſt congregatio verè fidelium. Quartò.

---

§. V.

Contraria ſententia cum ſuis fundamentis proponitur.

63 CONTRARIAM noſtræ concluſionis ſententiam docuere Caietanus *tom. 1. Opuſculor. tract. 1. cap. 22. & tract. 2. cap. 25.* & Caſtro *lib. 2. de iuſta hæreticor. punit. cap. 24.* aſſerentes, hæreticos baptizatos actu eſſe membra Eccleſiæ. Et Petrus Soto *1. p. ſuæ defenſionis cap. de Eccleſia*. Driedo *lib. 4. de dogmatibus cap. 2* & pluribus alijs relatis, Bellarminus vbi *ſupra cap. 10.* aſſerentes, hæreticum occultum eſſe actu Eccleſiæ membrum; & conſequenter ſub Chriſto capite contineri.

Caietan. Caſtro. Soto. Driedo. Bellar.

64 In quorum fauorem arguitur primo fundamento Caietani: caracter baptiſmalis ſufficit ad conſtituendum membrum Chriſti, & Eccleſiæ non viuum, perfectum, & ſimpliciter membrum, ſed imperfectum, & ſecundum quid; ſed hæretici baptizati retineant caracterem baptiſmi: ergo ſunt membra Chriſti, & Eccleſiæ, imperfecta, & ſecundum quid. Minor cum conſequentia tenet; maior autem oſtenditur primo ex Innocentio III. *in cap. Veniens de presbytero non baptizato*, aſſerente, non ſolum per Sacramentum fidei, ſed etiam per fidem Sacramenti, nos effici membra Chriſti: ergo ex vi Sacramenti baptiſmi, vt imprimentis caracterem, ſine fide ſubſequuta efficimur membra Chriſti.

Primum argumentum eſt, quia ſufficit caracter baptiſmalis, & probatur primò Innoc. III.

65 Secundò: nam retinens caracterem punitur ab Eccleſia propter infidelitatem; ſed puniri ab Eccleſia non poſſet, niſi ea vi caracteris eſſet membrum Chriſti, & Eccleſiæ, nam ad Eccleſiam de his, qui extra ipſam ſunt, non pertinet iudicare, teſte Paulo *Ad Epheſios 5.* ergo.

Secundò.

66 Tertio: quod alicui cauſæ, vt propriæ effectus tribuitur, intelligitur illi attributum ſecundum id, quod eſt proprium ipſius; ſed effici membrum Chriſti attribuitur, vt proprius effectus, baptiſmo: ergo conuenit baptiſmo ſecundum baptiſmi proprium, quo differt à cæteris. At id, quo baptiſmus differt à cæteris non eſt charitatis infuſio, vel fides: tum, quia ab illo hæc ſeparantur: tum quia alijs Sacramentis conueniunt; ſed impreſſio caracteris fidei, quæ ſoli baptiſmo, & ſemper baptiſmo conuenit, ſi habeat eſſentiam baptiſmi: ergo ſolus caracter baptiſmi, fide, aut non conſeruata, aut non ſubſequuta efficit membrum Chriſti imperfectum.

Tertiò.

67 Quarto probatur: recipiens influxum ſupernaturalem à Chriſto eſt membrum Chriſti, & Eccleſiæ; ſed ratione caracteris influxum ſupernaturalem recipit à Chriſto hæreticus: tum, quia caracter conſeruatur à Chriſto: tum etiam, quia licet non recipiat influxum, quo interius viuat; recipit tamen ſupernaturalem influxum ad agendum exterius, nimirum, poteſtatem ordinis, aut iuriſdictionis exercendo: ergo ratione ſolius caracteris baptiſmi, quis efficitur membrum Chriſti. Denique nam intra rationem membri imperfecti dari poteſt latitudo: ergo non ſola fides faciet membrum ſecundum quid Chriſti, ſed etiam caracter baptiſmi.

Quartò. Vltimò.

Reſpondeo, negando maiorem: ad primam probatio- 68
nem quidam Recentiores reſpondent; Innocentium, non ex propria, ſed ex aliorum loqui ſententia, nam ait: *Porrò è contra videri poſſet; nam cum quis, non ſolum per Sacramentum fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti efficiatur procul dubio membrum Chriſti, &c.* Vndè non ex propria ſententia, aſſerendo, ſed ea aliorum mente referendo, & rationem dubitandi adducendo præfata retulit verba ad probandum, presbyterum non baptizatum iterum ordinandum non eſſe, cuius contrarium reſoluit Innocentius *loc. citato*, nimirum, iterum eſſe ordinandum.

Reſpondetur.

Vel ſecundo reſpondetur, per Sacramentum Baptiſmi
69 nos effici membra Chriſti: ſicut & per ipſum regeneramur in gratia; non autem ex hoc licet inferre, caracterem, fide non ſubſequuta, efficere membrum Chriſti: ſicut nec inferre licet per ipſum iuſtificari, & in gratia regenerari. Vel tertio reſponderi poteſt, per Sacramentum baptiſmi, ſi fides non ſubſequatur, nos effici membra Chriſti, non vera, ſed apparentia; quia recipientes baptiſmum habent Chriſtianitatis ſignum, & fidelium apparentiam.

Explicatur Innoc. Tertiò reſpondetur.

70 Ad ſecundam, conceſſa maiori, nego minorem; nam vt aliquis ab Eccleſia puniatur, ſufficit debitum pertinendi ad Eccleſiam: & contra illam eſt, illius ſubditum deliquiſſe, quorum vtrumque conuenit hæretico baptizato.

Vt quis ab Eccleſia puniatur, ſufficit debitum pertinendi ad Eccleſiam.

Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem: nam licet baptiſmo competat efficere membrum Eccleſiæ: non tamen illius eſt proprium, loquendo de membro Eccleſiæ ſecundum interiorem formam illius, cum ſine baptiſmo ſaluetur, vt de Cathecumenis diximus, qui antequam baptiſmum ſuſcipiant, membra ſunt Eccleſiæ, & Chriſti. Si vero loquamur de membro Chriſti, & Eccleſiæ ſecun-
71 dum conditionem viſibilem, ſic verum eſt, conuenire vt proprium baptiſmo: ex quo ſolum ſequitur, hæreticum baptizatum apparere membrum Chriſti, non autem eſſe verè membrum illius.

conuenient ratione baptiſmi. Explicatur qualiter ſit propriũ baptiſmi efficere mẽbrum Eccleſiæ.

Ad quartam diſtinguo maiorem: ſi influxus vitalis ſit, & vniens Chriſto, & Eccleſiæ in aliquo vno, concedo maiorem: per quemlibet Chriſti influxum, nego maiorem, & permiſſa minori, nego conſequentiam; nam ratione caracteris non viuimus, nec cum alijs partibus Eccleſiæ in aliquo vno credito, vel amato vnimur, & ideo ratione il-
72 lius non efficimur partes Eccleſiæ.

Nõ ſufficit quilibet influxus Chriſti.

Vel ſecundò, permiſſa maiori, nego minorem; nam licet caracteris infuſio ſit effectus meritorum Chriſti, conſeruatio tamen illius in hæretico effectus per ſe intentus
73 meritorum Chriſti non eſt, quia Chriſtus ſua merita ad hoc non direxit, ſed, quia indelebilis eſt in hæretico perſeuerat: ſicut ſolet dici de hæreticis damnatis. Et quidem ſi ratio iſta aliquid probat; conuincit etiam hæreticos damnatos eſſe membra Chriſti, & Eccleſiæ, quod licet Caietanus admittat; eſt tamen expreſſè contra D. Thom. *in præſenti art. 3.* & contra communem Theologorum ſententiam. Ad vltimam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; datur enim latitudo penès plura, vel pauciora minus grauia, aut grauiora peccata; ſemper tamen fide ſeruata ob rationem aſſignatam.

Cõſeruatio caracteris in hæretico nõ eſt effectus per ſe intentus meritorũ Chriſti. S. Thom. Ad vlt. probationẽ reſpõd.

Secundo arguitur ex *Matth. cap. 13.* vbi in eodem agro, triticum, paleæ, & zizania inueniuntur: quæ iuxta Auguſtinum *lib. qq. Euang. in Matth. c. 11. tom. 4.* bonos catholicos, & hæreticos ſignificant: ergo in Eccleſia Chriſti
74 actu continentur hæretici; & conſequenter actu ſunt ipſius membra.

Secũdò arguitur, ex parabola zizania.

Reſpondeo, negando conſequentiam, imo Auguſtini teſtimonium noſtram confirmat ſententiam; ſic enim ait: *Sed quæritur, vtrum hæretici ſint, an malè viuentes catholici? Sed quod dicit, eos in medio tritici ſeminatos, qua-*
75 *ſi videntur illi ſignificari, qui vnius communionis ſunt; veruntamen quoniam agrum ipſum, non Eccleſiam, ſed hunc mundum interpretatus eſt, benè intelliguntur hæretici,*

Reſpõdet. Aug. noſtræ fauere ſententiæ.

in parabola explicatione. *tici, quia in hoc mundo permiſcentur bonis.* Sentit ergo manifeſtè Auguſtinus, quod ſi nomine *agri* intelligeretur Eccleſia, & non mundus, nomine *zizania*, non hæretici, ſed malè viuentes catholici forent intelligendi; ac proindè hæretici iuxta illius mentem ad Eccleſiam non pertinent. Vndè Cyprianus, qui *lib. 3. epiſt. 3. & lib. 4. epiſt. 2.* nomine *agri* intellexit Eccleſiam, nomine *zizaniæ*, non hæreticos, ſed Chriſtianos malè viuentes intellexit. *Cyprian.*

76 *Tertio arguitur contra tertiam partem concluſionis.* Tertio arguitur contra tertiam partem concluſionis: Pontifex in occultam hæreſim lapſus, adhuc eſt Eccleſiæ membrum; ſed Chriſtus eſt actu caput omnium membrorum Eccleſiæ: ergo eſt actu caput Pontificis in occultam hæreſim lapſi; & conſequenter etiam aliorum. Minor cum vtraque conſequentia tenet; maior autem probatur: Pontifex in occultam hæreſim lapſus, non ipſo facto à Pontificatu deponitur, ſed Eccleſiæ caput poſt hæreſim perſeuerat, vt docent Caietanus *tom. 1. Opuſc. tract. 1. cap. 19.* Soto *in 4. diſtinct. 22. quæſt. 2. art. 2.* Cano *lib. 4. de locis cap. vltimo ad 12.* Corduba *lib. 4. quæſt. 11.* Suarez *tract. de fide diſput. 10. ſectione 6. num. 3.* Et iam communiter Theologi contra Turrecrematam, Anconam, Driedonem, Paludanum, & alios antiquos, quos vbi *proximè* refert Suarez, oppoſitum aſſerentes; ſed non ſtat, eſſe caput Eccleſiæ, & non eſſe membrum illius; cum caput ſit præcipuum corporis membrum: ergo Pontifex in occultam hæreſim lapſus, eſt Eccleſiaſtici corporis membrum. *Caiet., Soto, Cordub., Suar.*

77 *Pontifex in occultam hæreſim lapſus nō eſt membrum Eccleſiæ ſecundum conditionem inuiſibilem.* Ad hoc argumentum reſpondeo communi ſolutione, nimirum Eccleſiam ſpectari poſſe dupliciter; quoad conditionem exteriorem, & viſibilem, quæ vocatur materia, vel corpus Eccleſiæ, & quoad conditionem interiorem, atque inuiſibilem, quæ vocatur forma, vel anima Eccleſiæ: & vt Papa ſit caput Eccleſiæ quantum ad iuriſdictionem, ſufficere, quod vt pars, vel membrum Eccleſiæ ſecundum conditionem exteriorem, & viſibilem, quod eſt eſſe membrum æquiuocè; non autem requiri, quod ſit membrum Chriſti, & Eccleſiæ ſecundum formam, & inuiſibilem conditionem. Iuxta quam doctrinam diſtinguendæ ſunt præmiſſæ, & conſequens facti argumenti, quod inſtat, nam Auctores aſſerentes, Papam hæreticum non deponi ipſo facto à Pontificia dignitate, non ſolum id verum iudicant de hæreſi occulta, ſed etiam de hæreſi publica, & tamen Bellarminus, hæreticum publicum extra Eccleſiam eſſe fatetur. Scio, Bellarminum in oppoſita eſſe ſententia, verum eſſe falſam, docetur frequentius à Theologis; eo quod non extat ius aliquod diuinum, aut humanum, illum ipſo facto à Pontificia dignitate deponens. Et inſuper, quia nunquam extaret caſus, quo ab Eccleſia Pontifex deponeretur; non enim ob occultam hæreſim, quæ non poteſt probari, nec ob publicam, cum per illam ipſo facto depositus.

78 *Opponet primo.* Sed opponet aduerſus iſtam ſolutionem primò: Pontifex hæreticus, eſt verum caput Eccleſiæ, & non æquiuocè caput: ergo verè, & non æquiuocè, eſt membrum Eccleſiæ.

79 *Secundo.* Secundo, eſt caput Eccleſiæ nedum quoad exteriorem gubernationem, ſed etiam quoad interiorum influxum; Deus enim, illo mediante, indulgentias impartitur, & Sacramenta adminiſtrat: ergo non ſolum eſt membrum Eccleſiæ quoad exteriorem, & viſibilem conditionem, ſed etiam quoad interiorem.

80 *Tertiò,* Tertio, catechumeni, fidem habentes, etſi non pertineant ad Eccleſiam ſecundum conditionem viſibilem, quia ſecundum interiorem, & inuiſibilem pertinent, ſunt Eccleſiæ membra verè, & non tantum æquiuocè: ergo, quamuis Papa hæreticus non pertineat ad Eccleſiam ſecundum conditionem internam, & inuiſibilem, quia ſub illa continetur ſecundum conditionem viſibilem, & externam, erit verè, & non æquiuocè membrum Eccleſiæ, & ipſius capitis Chriſti.

81 *Aſſignatur ratio, cur Pōtif. in hæreſim lapſus perſeueret caput Eccl.* Reſpondeo ad primam inſtantiam, concesso antecedenti, negando conſequentiam; quia caput conſtituitur per iuriſdictionem, & influxum in alios: membrum per terminationem influxus vitalis in ſe. Quia ergò retinet ſupra Eccleſiam iuriſdictionem; hæc enim non dependet à fide, verām rationem capitis retinet; quia tamen non verè participat influxum vitalem, nec viuit vita ſupernaturali, ſed tantum apparet viuere ratione baptiſmi, & characteris ſignificantis fidem, non eſt verè, ſed æquiuocè membrum.

82 *Per membrū æquiuocè tale* Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; per membra enim mortua, quæ æquiuocè tantum ſunt membra, poteſt homo agere in alios, vt docet D. Th. *in tertia diſtinctione 13. quæſtione ſecunda artic. ſecunda quæſtiuncula ſecunda,* & ſic Deus per membra adæquatè mortua in ordine ſupernaturali, quæ æquiuocè tantum ſunt membra Eccleſiæ & Chriſti poteſt ſupernaturaliter agere, & in alios influere. *poteſt Deus agere in alios.*

Aſſignatur differentia inter conditionē Eccleſiæ viſibilem, & inuiſibilem. Ad tertiam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam conditio interior eſt forma dans vitam: exterior verò Eccleſiæ conditio eſt materia, vitam, & formationem ab interiori forma recipiens, eſtque pars minus præcipua in Eccleſiæ conſtitutione: & ideò comprehenſum ſub Eccleſia ſecundum conditionem internam, verè, & non æquiuocè eſt membrum; quod autem ſolum ſub exteriori conditione Eccleſiæ, vt non formata, & vitali continetur, non verè, ſed æquiuocè eſt membrum Eccleſiæ. 83

84 *Bellarminus intendit, præcipuū, quod in Eccleſia inuenitur, eſſe conditionem viſibilem.* Sed contra iſtam doctrinam Bellarminus longiſſimum texit diſcurſum, intendens probare, præcipuum, quod in Eccleſia inuenitur, eſſe conditionem viſibilem. Et in ſumma ad hoc reducitur, quod ex oppoſito fieret, Eccleſiam non eſſe viſibilem, nec conſtare certò, vbi vera Eccleſia reſideat: conſequens eſt contra fidem: ergo. Probatur ſequela: indè namque Lutherani coguntur viſibilitatem Eccleſiæ negare, & aſſerere, non conſtare, vbi vera Eccleſia reſideat, quia illam per interiorē ſanctitatem, tāquam per formā conſtituunt, de qua nobis non poteſt certò conſtare; ſed etiam de fide interna, non poteſt nobis omninò certò conſtare: ergo ſi per fidem internam, & non per internam profeſſionem, potiſſimum, conſtituitur Eccleſia, non erit Eccleſia viſibilis, nec nobis certò conſtabit, vbi vera Eccleſia reſideat.

88 *Fundamentum Bellarmini nō vrget.* Verum hæc obiectio non vrget: ad illam reſpondeo, negando ſequelam: ad illius probationem, nego cauſalem maioris; nam viſibilitas Eccleſiæ non eſt per euidentiam veritatis, ſed per euidentiam credibilitatis. Eſt autem euidenter credibile, Romanam Eccleſiam veram Eccleſiam eſſe, tameſi de illius fide nobis euidenter non conſtet. Quam euidentiam credibilitatis cauſant exteriora ſigna, quibus Romana gaudet Eccleſia. Et quia Eccleſia Lutheranorum talibus ſignis non gaudet; ideo coguntur viſibilem Eccleſiam negare. Sed de his plura 2. 2. *quæſtione 1. artic. 10.* Modò obiectionem inſtare ſufficiat: eſt enim Eccleſia noſtra, etiam vt ſancta, viſibilis; & tamen, vt ſic interna ſanctitate potiſſimum conſtituitur: ergo interna conſtitutio viſibilitati Eccleſiæ non obſtat. S. Thom.

---

§. VI.

Secunda pars diſputationis reſoluitur.

89 *Chriſtum ſecundū diuinitatem eſſe caput Angelorū certū eſt, & probatur.* CIRCA ſecundum, quod examinandum in hac diſputatione propoſuimus, duo ſunt certa apud Theologos. Primum eſt, Chriſtum, ſaltem ſecundum diuinitatem, eſſe caput Angelorum. Quod patet primò ex teſtimonijs Scripturæ poſtea adducendis, in quibus Chriſtus Angelorum caput dicitur, quæ ſaltem de Chriſto ratione diuinitatis ſunt neceſſario accipienda.

90 *Secundò;* Secundò; nam Chriſtus, vt Deus habet prioritatem, influxum, & exceſſum infinitum in Angelos: at hæc tria ad rationem capitis ſunt ſufficientia: ergo eſt Angelorum caput ſecundum diuinitatem. Nec refert, non eſſe eiuſdem naturæ cum Angelis; quia hoc tantum petitur ad rationem capitis homogenei, & eiuſdem rationis: non verò ad caput diuerſæ rationis, & æthereogeneum, ad quod ſufficit analoga conuenientia in gradu intellectualitatis, vt notauit D. Thom. *q. 29. de Veritate art. 4. in corpore.*

91 *Secundū eſt certū, eſſe etiam caput, vt hominem, ſecundū dignitatē, & influxū imperij & gubernationis & probatur.* Secundum eſt, Chriſtum, in quantum hominem, eſſe caput Angelorum ſecundum dignitatem, & influxum imperij, & exterioris gubernationis. Quod eſſe fide certum, docet Lorca vbi *ſupra*, conſtatque ex *Matth. cap. 4.* vbi dicitur: *Quod Angeli miniſtrabant ei;* & *Pſalm. 8. Omnia ſubiecit ſub pedibus eius:* ergo Angelos etiam ſubiecit. Eſſe autem ibi ſermonem de Chriſto, vt homine, conſtat ex eo quod loquitur Pſalmiſta de eo, quem Deus ſuſcitauit à mortuis; Chriſtus autem non vt Deus, ſed vt homo à mortuis ſuſcitatus eſt. Ac denique ad *Hebreos 1:* dicitur de Angelis, quod ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi; ſed mittuntur à Chriſto, vt homine,

ne, vt probat D. Tho. *infra q.56. art.6.* ex eo quod Chriſtus eſt Supremus Gubernator Eccleſiæ, & conſequenter ad illum pertinet imperare alijs in ordine ad Eccleſiæ bonum: ergo Chriſtus, vt homo, imperat Angelis, & conſequenter eſt illorum caput ſecundum dignitatem imperij, & gubernationis.

92 *Punctus difficultatis proponitur.* Primaſententia. Difficultas ergo conſiſtit in eo, an, ſcilicet, Chriſtus, in quantum homo, ſit caput Angelorum quoad interiorem influxum, & quoad alias conditiones capitis, quas *ſupra* enumerauimus. Prima ſententia negat, Chriſtum, in quantum hominem, eſſe caput Angelorum ſecundum influxum, & ſecundum conuenientiam in natura, ſed ſolum ſecundum dignitatem, & perfectionem. Hanc tenent Altiſidiorenſis *lib. 3. ſumma tract. 1. cap.4. q.2.* Bonauentura *in 3. diſt. 13. art.2. q.3. in corp.* Driedo *de captiuitate, & redemptione generis humani tract.2. cap.2. p.3. artic.5. poſt 4. propoſitionem,* Gabriel *in 3. diſt. 13. q. vnic. art.3. dub.2.* & Mag. Soto *in 4. diſt.49. q.4. art.2. ad vltim. argum. contra 2. conclus.* *Altiſ. Bonau. Driedo. Gabriel. Mag. Soto.* *Ducitur illius Auctores 1.* Ducti primo, quia caput conuenire debet in natura cum membris; ſed Chriſtus, in quantum homo, non conuenit in natura cum Angelis; eſt enim natura ſpecificè ab illis diuerſæ: ergo Chriſtus, in quantum homo, caput Angelorum non eſt.

93 *Secundò.* S. Thom. Exod.c.4. Secundò, nam Chriſtus illorum tantum eſt caput, in quantum homo, quorum vt ſic Sponſus eſt; ſed non eſt in quantum homo Sponſus Angelorum, vt docet D. Thom. *in 4. diſt.49. q.4. art.4.* conſtatque, nam illorum Sponſus eſt, quos per ſanguinem ſibi ſponſauit, vt figuratur *Exodi cap. 4.* illis verbis: *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Chriſtus autem ſuo ſanguine ſibi Angelos non deſponſauit; cum Angelos non redemerit: ergo Chriſtus, in quantum homo, Angelorum caput non eſt.

94 *Tertiò.* Denique, nam Chriſtus, in quantum homo, non influit in Angelos gratiam, nec gloriam, nec in via influxit in illos fidem, cum decretum de Angelorum eſſe, gratia, & gloria, Incarnationis decretum præceſſerit, ſed ſolum eſt caput illorum, in quos gratiam, fidem, & gloriam ſuis meritis cauſat: ergo in quantum homo Angelorum caput non eſt.

95 Secunda ſententia. S. Thom. Secunda tamen, & vera ſententia docet, Chriſtum, vt hominem, eſſe caput Angelorum, non ſolum ratione imperij, ſed etiam ratione influxus, & quoad recenſitas capitis conditiones. Hanc tenet D. Thomas *in 3. diſt. 13. q. 2 art.2. quæſtiunc.1. in 4. diſt.49. q.4 art.4. ad vltim q.29. de Veritate art.4. ad 5. & in hac q.4.* Eandem ſententiam amplectuntur communiter Theologi. Alexander *3 p q.12. membr.2. art.2. §.1.* Richardus *in 3. diſt. 13. art.2. q 2.* Durandus *q.2, num.7.* Paludanus *q.1. art.3.* Turrecremata *in ſumm. Eccleſiæ lib.1. cap.51.* Caietanus Medina, Aluarez, Nazarius, Illuſtriſſimus Arauio, Zeppulus, Lorca, & cæteri Diſcipuli D. Thom. *in præſenti ad art. 4.* Suarez *diſp. 23. ſect.1. concl.2.* Vazquez *diſput.48. cap.3.* & cæteri Societatis Recentiores. De qua opinione inquit Vazquez *loc. allegat. num.16.* etſi ſecundum fidem certa non ſit, iam tamen nemini licet dubitare. Quidquid tamen ſit de ſententiæ certitudine, à Nobis pro concluſione ſtatuitur, & oſtenditur primò. *Alex. Richar. Durand. Palud. Turrecre. Caietan. Medin. Aluar. Nazar. Arauio. Zippul. Lorca. Suar. Vazq.*

96 *Statuitur concluſio.* Pro cuius explicatione ſit noſtra concluſio: *Chriſtus, in quantum homo, eſt caput Angelorum, ea ratione, qua dicitur caput Eccleſiæ, licet non ita perfectè, ſicut eſt hominum caput.* Vtraque pars concluſionis eſt expreſſa D. Tho. *locis cit.* Primamque adeo certam exiſtimat Lorca, vt ſine temeritate negari non poſſit, & Vazquez, vt de illa iam amplius dubitare non liceat. Cæterum, cum Auctor iſte fateatur, omnia teſtimonia Scripturæ, in quibus Chriſtus caput Angelorum aſſeritur, à PP. explicari de Chriſto, ſecundum diuinitatem, quam interpretationem attribuit Auguſtino, Chriſoſtomo, Theophylato, & alijs Eccleſiæ PP. quomodo iam nemini dubitare licebit de ſententia iſta his Patribus iuxta Vazquum contraria? Et quomodo oppoſitam prædictorum PP. ſententiam defendere non licebit.

97 *Prima pars concluſionis oſtenditur 1. ex Paulo.* Quidquid tamen de hoc ſit, prima pars concluſionis, oſtenditur primo ex Paulo *Ad Coloſſenſ. cap. 2.* illis verbis: *Quia in ipſo,* ſcilicet Chriſto, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* Vbi ſermonem eſſe de Chriſto, vt homine, conſtat ex illis verbis: *Inhabitat omnis plenitudo diuinitatis;* non enim, niſi impropriè, poteſt de Chriſto, vt Deo, dici, quod in ipſo inhabitet plenitudo diuinitatis; inhabitatio namque conuenientiam non identitatem denotat; in Chriſto autem, vt Deo, eſt plenitudo diuinitatis per omnimodam identitatem; ſed de ipſo, in quo plenitudo diuinitatis inhabitat, aſſerit Paulus eſſe Angelorum caput: ergo Chriſtus, in quantum homo, eſt, non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum caput.

Dices, Theodoretum, Chriſoſtomum, & Theophylatum de Chriſto, vt Deo, prædicta verba accepiſſe, ita vt Chriſtus, ſecundum humanitatem, ſit caput hominum; Angelorum autem ſecundum diuinitatem: ac proinde ex hoc teſtimonio non colligitur efficaciter, Chriſtum, in quantum hominem, eſſe caput Angelorum. 98 *Reſpondebis.*

Sed contra primò: nam Patres relati, etſi de Chriſto, ſecundum diuinitatem, teſtimonium Pauli accipiant, non loquuntur excluſiuè ita, vt aliam intelligentiam ſecundum humanitatem excludant: ergo illorum auctoritas nobis obſtare non poteſt. 99 *Sed contra primò.*

Secundò, & confirmatur magis hoc ipſum: nam Theodoretus dictum teſtimonium explicat de Chriſto, ſecundum diuinitatem, & de capite ſecundum præſidentiam, & imperium: Verba Theodoreti ſunt: *Qui eſt noſtrum quidem caput, quod attinet ad humanitatem; Angelis autem, & Archangelis præeſt, ac imperat, quod attinet ad diuinitatem: hic enim poſuit caput pro eo, quod eſt imperium, aut magiſtratus.* Et tamen ſecundum diuinitatem de fide eſt, eſſe caput Angelorum, non ſolum ratione imperij, aut exterioris gubernationis, ſed etiam ratione influxus; cum de fide ſit, Chriſtum, in quantum Deum, eſſe authorem gratiæ, & gloriæ Angelorum: ergo pariter, ex eo, quod de Chriſto, ſecundum diuinitatem prædictum teſtimonium acceperit, non ſequitur, excluſiſſe à ratione capitis Angelorum, Chriſtum ſecundum humanitatem. Tertiò: poſſunt prædicti Patres intelligi, quod loquantur ſecundum accommodationem quandam: at ſic intellecti, ſubſiſtit D. Thom. interpretatio, quam communiter Scholaſtici amplectuntur: ergo ſic ſunt accipiendi. Denique, nam ex iſta ſolutione tantum colligitur, concluſionem noſtram ad fidem non pertinere, quod libenter fatemur: non verò, quod ex dicto teſtimonio probabiliter non deducatur: & hoc ſolum eſt, quod intendemus. 100 *Secundò.* 101 *Tertiò.* 102 *Vltimò.*

Secundò eadem pars concluſionis probatur ratione D. Thom. *in præſenti:* nam vnius corporis vnum caput eſſe oportet, vt ex Naturalibus, & Politicis conſtat; vnum enim Regnum ſub vno Rege, vna Ciuitas ſub vno Gubernatore, & vnum corpus naturale ſub vno naturali capite conſtituitur; ſed Eccleſia, prout ex Angelis, & hominibus conſtat, eſt vnum corpus myſticum, vnaque ſpiritualis Ciuitas Chriſtuſque eſt caput hominum ſecundum humanitatem: ergo etiam Angelorum caput eſt. 103 *Secundò eadē pars concluſionis probatur ratione D. Th.*

Minor, in qua eſt difficultas, oſtenditur primò ex parabola de paſtore, & ouibus *Lucæ cap. 15.* in qua aſſeritur, vnum eſſe ouile, ad quod pertinent nonaginta nouem oues, in quibus ſignificatur Angelorum multitudo, & ouis perdita, quam quærebat, ſcilicet, genus humanum. Secundò probatur ex Auguſtino *concion. 3. ſuper Pſalmum 36. & quæſt. 47. Veteris, & noui Teſtamenti,* vbi ex omnibus, & Angelis vnam ciuitatem ſub vno Rege conſtitutam, & vnam Prouinciam ſub vno Imperatore conſtitutam eſſe docet. Id ipſum docuit Bernardus *ſermon. 27. in Cantic.* vbi ſic de Chriſto loquitur: *Ad Sponſam veniebat, & abſque Sponſa non veniebat. An duo erant? Abſit. Sed ſicut ex diuerſis ouium gregibus vnum voluit facere ouile, vt ſit vnum ouile & vnus paſtor; ita cum haberet Sponſam inhærentem ſibi à principio multitudinem Angelorum placuit ei, & de hominibus conuocare Eccleſiam, atque vnire illi, quæ de Cœlo eſt, vt ſit vna Sponſa, & Sponſus vnus.* 104 *Eccleſiā prout ex hominibus, & Angelis conſtat, eſſe vnū corpus, probatur 1.* *Secundò probatur ex Auguſ. S. Bern.*

Tertiò probatur ratione: nam forma conſtitutiua Eccleſiæ, ſcilicet, lumen in Patria, & fides in via, vna eſt in Angelis, & hominibus; nam licet in ordine ad actus naturales ſpecificè Angeli, & homines differant; in ordine verò ad actus ſupernaturales conueniunt ſpecificè athomè, vt fusè docuimus *Tractatu de viſione Dei art. 1. & Tractatu de Beatitudine.* Sed, vbi eſt vna forma conſtituens, vnum eſt conſtitutum: ergo vna eſt Eccleſia prout ex Angelis, & hominibus conſtat. 105 *3. probatur.*

Denique probatur: nam Chriſto, vt homini, competunt reſpectu Angelorum tres capitis proprietates; & enim Angelis prior, vtpotè, propinquior Deo; eſt Angelis eminentior, etſi non in ordine naturæ; benè tamen in ordine gratiæ, habetque influxum interiorem Angelos, vt ex ſolu- 106 *Vltimò.*

tione 3. fundamenti conſtabit. Sed Chriſtus, in quantum homo, dicitur Eccleſiæ Caput propter iſtas conditiones: ergo eſt Caput Angelorum eo modo, quo eſt Caput Eccleſiæ.

107 *Si reſpondetur.* *Caiet.* Si dicas, deeſſe Chriſto, in quantum homini, conuenientiam in natura cum Angelis: & conuenientiam iſtam in natura cum membris eſſe conditionem ad rationem capitis ſuppoſitam, quia in illa cum membris conuenit, vt notauit Caietanus *in præſenti art. 4.* & ideo Angelorum caput non eſſet.

108 *In contrarium obſtat 1.* In contrarium obſtat primò: nam ſequitur ex hac ſolutione, Chriſtum, in quantum Deum, Angelorum caput non eſſe, quod contrarij Auctores admittere non audebunt. Patet ſequela: nam Chriſtus, in quantum Deus, plus diſtat à natura Angelorum, quam ſecundum humanitatem, cum diſtet in infinitum, ſolumque analogicè conueniat cum illis: ergo ſi ratione non conuenientiæ in natura non eſt caput Angelorum ſecundum humanitatem, nec etiam in quantum Deus, erit caput Angelorum.

109 *Obſtat 2.* Secundo: nam ad rationem capitis ſufficit conuenientia generica inter caput, & membra in ſe ipſis, & conuenientia ſpecifica illorum, quatenus ordinantur ad finem; membra enim corporis in ſe ipſis ſpecie partialiter differunt, & tantum conueniunt in vnica forma totius; ſed Chriſtus, vt homo, & Angeli in ſe ipſis conueniunt genericè, & in ordine ad finem, nempè, ſupernaturalem beatitudinem ſpecificè athomè; gratia enim, & gloria Angelorum ſunt eiuſdem ſpeciei cum gratia, & gloria hominum: ergo ex defectu conuenientiæ, non eſt negandum, Chriſtum, vt hominem, eſſe caput Angelorum.

110 *Secunda pars concluſionis ſuadetur ampliùs.* Et ex his ſecunda pars concluſionis ſuadetur primo; quia Chriſtus, vt homo, non eſt ita perfectè conformis in natura cum Angelis, ac cum hominibus; ſed conuenientia in natura eſt conditio ad rationem capitis præſuppoſita: ergo ex hac parte non eſt ita perfectè caput Angelorum, ac hominum. Deindè influxus, in Angelos, non eſt ita perfectus: ſicut influxus in homines, eo quod, vt plures volunt, non influxit in Angelos gratiam, nec fidem, nec gloriam, ſed tantum gaudia accidentalia: vel ſi Angelis gratiam, & cætera dona meruit; non tamen ex fine illis hæc dona merendi venit: hominibus autem gratiam, & gloriam promeruit, & hic fuit præcipuus Incarnationis finis: ergo etiam quoad rationem influxus non eſt ita perfectè caput Angelorum, ac hominum.

111 *Si opponas. Reſpondeo.* Si dicas, ſequi ex priori ratione, Chriſtum, in quantum Deum, non ita perfectè eſſe caput Eccleſiæ, ac vt homo, cum non ita perfectè conueniat cum illa in Deitate: ſicut in humanitate. Reſpondeo, ex hac parte verum eſſe, quod excedit vt homo: cæterum exceſſus iſte reſarcitur ex alijs, nempè, ex perfectiori modo influendi ratione diuinitatis, ſcilicet, authoritatiuè, quam ratione humanitatis, ſecundum quam influit, tantum miniſterialitèr.

§. Vltimus.

Fundamentis in contrarium occurritur.

112 *Ad primum fundamentũ reſpondetur, omiſſo Durando.* AD PRIMVM fundamentum, Durandus, & Paludanus reſpondent, conuenientiam in natura cum membris ad rationem capitis non requiri, cum Chriſtus, in quantum Deus, caput ſit hominum, & Angelorum: cum quibus tamen in natura non conuenit. Sed melius reſpondetur ex dictis, & doctrina D. Thomæ, ad rationem capitis conuenientiam requiri: ad caput æthereogeneum analogam: ad homogeneum vniuocam, genericam, vel ſpecificam. Licet autem Chriſtus, in quantum homo, non conueniat cum Angelis ſpecificè athomè in eſſe naturæ; conuenit tamen cum illis ſecundum partem principalem, ſcilicet, animam, conuenientia generica in eſſe naturæ, & ſpecifica athoma in ordine ad gratiam, & hoc ad rationem capitis homogenei ſufficere.

113 *Ad ſecundum.* Ad ſecundum fundamentum dicatur, veram eſſe maiorem de membris, quorum, ſecundum quod homo caput eſt, ſecundum perfectam conuenientiam in natura; falſam autem, ſi vniuerſalitèr de omni membro intelligatur. Ratio autem, cur caput ſit Angelorum, & non Angelorum Sponſus, eſt; nam inter Sponſum, & Sponſam requiritur athoma conuenientia, in natura; inter membra autem, & caput tanta conuenientia non petitur. Quia ergo inter Angelos, & Chriſtum, vt hominem, tanta conuenientia non eſt: ideo Chriſtus, in quantum homo, non eſt Angelorum Sponſus. Doctrina eſt D. Thomæ in 4. *diſt. 49. q. 4. art. 4. ad 5.*

114 *Ratio diſcriminis aſsignatur.* Quod ſi rationem huius diſcriminis petas, ea eſt: nam ratio capitis myſtici dicitur ex analogia ad caput corporis humani, inter quod, & membra corporis, ſecundum ſe inſpectis, ſpecifica conuenientia non datur ſed ſpecie partialitèr differunt, & ex illis indiuiduum vnius ſpeciei conſtituitur: & ideò abſque conuenientia athoma cum membris ſaluatur ratio capitis corporis myſtici. Inter Sponſum autem, & Sponſam, ex quorum analogia Sponſus myſticus dicitur, athoma conuenientia inuenitur: & ideò, ſine conuenientia ſpecifica athoma in natura, non ſaluatur ratio Sponſi, & Sponſæ in matrimonio myſtico, & ſpirituali. Eſt tamen aduertendum, quod licet Chriſtus, vt homo, non dicatur Sponſus Angelorum, ita propriè, ac dicitur caput illorum ob diſcrimen aſſignatum; aliqualiter tamen dicitur illorum Sponſus, quia id docuit Bernard. *ſerm. 27. in Cantic.* nec diſſentit D. Thomas *loco proximè allegato*, vbi ita concludit: *S. Bern.* *S. Thom.* *Et ideo conuenientia, quæ eſt inter Deum, & Angelos, magis ſufficit ad rationem capitis, quam ad rationem Sponſi.* Quibus verbis ſatis inſinuat ad vtrumque aliqua ratione ſufficere.

115 *Prima ſolutio eſt, meruiſſe Angelis gaudia accidentalia.* Ad tertium argumentum variè reſpondetur à Theologis. Vazquez *diſp. 49. cap. 2.* reſpondet, conceſſa maiori, negando minorem; nam licet Chriſtus, in quantum homo, non meruit Angelis beatis gloriam, nec viatoribus fidem, nec gratiam; meruit tamen gaudia accidentalia, & illuminationes aliquas extra Verbum; & hoc, vt ſit caput illorum ſufficere. Quæ ſolutio habet fundamentum in D. Thoma *quæſt. 29. de Veritate artic. 4. ad 5. & art. 7. ad 5. in 3. diſtinct. 13. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. & in hac 3 p. q. 56. art. 6.* *S. Thom.* Quibus locis docere videtur, Chriſtum non meruiſſe Angelis gratiam, nec gloriam eſſentialem: & ideò hanc ſententiam tuentur frequentius Thomiſtæ, etſi in ordine ad meritum gaudij accidentalis, & illuminationis aliqui illorum diſſentiant, aſſerentes, non meruiſſe Angelis gaudia accidentia immediatè, ſed tantum mediatè.

116 *Secunda ſolutio eſt, cauſaſſe finalitèr, & exemplaritèr gratiam, & gloriam.* Secunda ſolutio eſt, Chriſtum cauſaſſe finalitèr, & exemplaritèr gratiam, & gloriam in Angelis, etſi non in genere cauſæ efficientis: & hoc vt ſit caput illorum, ſufficere. Ita Lorca vbi *ſupra num. 11.* contendens, influxum gloriæ accidentalis in ſufficientem eſſe, vt Angeli ſint membra Chriſti, & Eccleſiæ, eo quod membrum non conſtituitur, niſi per ipſam corporis formam, ſed gloria accidentalis forma Eccleſiæ non eſt, nec etiam illuminatio, ſed gloria eſſentialis eſt forma Eccleſiæ Militantis: ergo influxus gloriæ accidentalis, aut illuminationis Chriſti in Angelos, Beatos, non ſufficit, vt ſit caput illorum.

117 *Defenditur ſententia Caiet. & ex D. T. prob. 1. Caiet. Suar. Ioan. 1.* Tertiò alij ad argumentum reſpondent, negando maiorem; meruit namque Chriſtus Angelis gratiam, & fidem in via, & gloriam Patriæ eſſentialem. Ita Caietanus *q. præſ. art. 11.* quem aliqui Recentiores Thomiſtæ ſequuntur, & plerisque relatis Suarez *infra diſp. 42. ſect. 1.* Cui ſententiæ vt probabiliori ſubſcribo. Tum, quia eſt Diui Thomæ expreſſa ſuper illud Ioannis 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Satiſque illam inſinuat in diſcurſus huius quæſtionis, nam poſtquam *art. 1.* docuerat, Chriſtum influere in Eccleſiæ membra gratiam, in *art. 4.* abſque vllo diſcrimine inter homines, & Angelos, niſi quoad conuenientiam in natura, docet, eſſe membra Eccleſiæ: ex quo colligi apertè videtur, ſenſiſſe, in illos gratiam habitualem influere. Et *q. 29. de Veritate art. 4. ad 5.* vbi docens, humanitatem Chriſti aliter ſe habere ad homines, quam ad Angelos, alietatem iſtam in duobus tantum conſtituit. Primò in conformitate in natura. Secundò, quia ad influxum in homines ſe habet, vt ad finem intentum; non autem ad influxum in Angelos, ſed iſtum conſequentèr ad Incarnationem ſe habere. Si autem D. T. ſentiret, non meruiſſe Angelis gloriam, nec gratiam, hoc diſcrimen, quod præcipuum erat, non præteriiſſet.

118 *Secundo probatur.* Tùm etiam, quia, vt *Tract. 1. de Incarnatione Diſput. 8.* docuimus, Chriſtus etiam vt merens, & ſatisfaciens pro hominibus, fuit omnium creaturarum finis; & conſequentèr prius exiſtens in decreto Dei intentiuo: ergo decretum Chriſti, vt merentis, decretum de Angelorum

crea-

creatione, & glorificatione præceſſit: ergo merita Chriſti fuerant ante decretum de Angelorum creatione, & glorificatione præuiſa; & conſequenter potuerunt concurſum meritorium in Angelorum gratiam, & gloriam exercere, cum ad meritum non requiratur præexiſtentia executiua, ſed ſufficiat præexiſtentia in cognitione præmiantis; ſed quod Angelis gloriam, & gratiam meruerit, cedit in Chriſti dignitatem: ergo receperunt de facto ex illius meritis gratiam, & gloriam.

119 *Denique probatur.* Tùm denique alijs omiſſis; nam ex hoc ſequitur, vel Angelos redemiſſe, vel pro illis mortuum fuiſſe, quibus potiſſimè Auctores contrarij mouentur. Primum patet: nam redemptio, peccatum ſupponit, quod in Angelis beatis non præceſſit: ergo etſi illis gratiam meruerit; illos tamen non redemit. Secundum probatur primò; nam Chriſtus ſibi meruit gloriam corporis, ſuique nominis exaltationem, & Angelis gaudia accidentalia meruit; & tamen nec pro ſe, nec pro gloria accidentali Angelorum dicitur mortuus. Secundò, nam Chriſtum eſſe mortuum propter Angelos, denotat illorum gloriam fuiſſe præcipuum Incarnationis finem; gloria autem Angelorum non fuit præcipuus finis mortis, aut Incarnationis Chriſti, vt docuit D. Thom. *loco proximè citato.*

120 *Ad argumentum reſpõdet.* Sed de his plura *infra quæſt. 19. articul. 4.* modò ad argumentum reſpondeo, negando maiorem, iuxta traditam doctrinam. Nec D. Thomas locis in contrarium adductis oppoſitum docuit, ſed ſolum negauit, vel meruiſſe Angelis gloriam, tanquam ad hoc vt ad præcipuum finem ordinatum. Vel loquutus fuit de merito Chriſti vt in re, & in executione exiſtentis: & ſic verum eſt, non meruiſſe Angelis gloriam eſſentialem; ſed tantum accidentalem; non autem negauit, meritum Chriſti, vt in decreto intentiuo præuiſi, ad Angelorum gloriam, & gratiam extendi. Et hanc eſſe illius mentem clarè conſtabit legenti D. Thom. *quæſt. 29. de Veritate art. 7. ad 5.* vbi pro contraria ſententia allegatur.

121 *Aliter adſ argumentum diluitur.* Quia tamen oppoſita ſententia eſt in via D. Thom. probabilis, & communis: ſecundo reſpondeo, prætermiſſa maiori, negando minorem; ſufficit enim influxus gloriæ accidentalis in Angelos, vt illorum caput ſit. Nec fundamentum Lorcæ in oppoſitum vrget; licet enim conſtituens mẽbrum Eccleſiæ gloria accidentalis non ſit, ſed Eccleſiam Triumphantem gloria eſſentialis conſtituat, & militans conſtituatur per fidem; non tamen eſt neceſſarium, quod forma conſtituens membrum habeatur ex Chriſti meritis, ſed ſufficit, ex illis haberi, aut formam conſtituentem, aut illius perfectionem; gloria autem accidentalis perfectio eſt gloriæ eſſentialis.

122 *Si opponas* Si dicas, exindè Nos *ſupra* intuliſſe, hæreticum baptizatum membrum Eccleſiæ non eſſe, quia etſi caracterem ex Chriſti meritis habeat; non tamen habet ex illis vitam ſupernaturalem, nec charitatis, nec fidei: ergo ad eſſe membrum requiritur aliquid ex his propter Chriſti merita accipere.

Reſpondeo Reſpondeo, hæreticum baptizatum ideo Chriſti membrum non eſſe, quia non eſt vnitus cum Chriſto, & alijs Eccleſiæ partibus in aliquo vno credito, vel amato. Et quia influxus, quem ex Chriſti meritis habet, iſtam vnitatem non præſtat; in Angelis autem, etſi gloria non habeatur ex influxu meritorum Chriſti; ſupponitur tamen in illis, & alias vitalem influxum recipiunt: & ideò ſunt Chriſti membra.

123 *Chriſtus ſua Paſſione meruit Angelis.* Ex dictis infero primò, parum conſequenter locutum Suarez concedendo Chriſti meritis influxum in gloriam eſſentialem, & gratiam Angelorum, & negando iſtum influxum Morti, & Paſſioni Chriſti: nam, vt Suarez fatetur, meritum Chriſti, vt præuiſum, influxit in gloriam, & gratiam Angelorum; ſed etiam mors Chriſti fuit ante decretũ gloriæ Angelorum præuiſa: ergo meruit gloriam Angelis, maximè, cum ex hoc non ſequatur, vel Angelos redemiſſe, vel pro illis mortuum fuiſſe, vt conſtat ex dictis.

124 Secundò infertur, Chriſtum, vt hominem, fuiſſe caput primorum parentum, etiam pro ſtatu innocentiæ. Tùm, quia meruit, vt præuiſus, gratiam ſtatus innocentiæ. Tùm etiam: nam ſtatus ille, & ſtatus naturæ lapſæ ſub vna continetur Eccleſia; vnius autem corporis myſtici, vnum caput eſſe oportet, vt docet D. Th. *in præſenti art. 4.* *Chriſtus vt homo, fuit caput primorum parentum etiam pro ſtatu innocentiæ.*

125 *Diabolus eſt aliqua ratione caput omniũ malorum. Iob c. 41.* Tertio infertur, Diabolum eſſe omnium malorum aliqua ratione caput. Quod docet D. Tho. *in hac q. art. 7.* & probat: nam caput alicuius multitudinis contingit dupliciter, vel ſecundum interiorem influxum, & exteriorem gubernationem, vel tantum ſecundum exteriorem gubernationem; Diabolus autem, etſi in malos interiorem influxum non habet; exteriorem tamen obtinet gubernationẽ: quocirca *Iob cap. 41.* dicitur: *Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*: quatenus illos inducit, vt auertantur à Deo, qui eſt finis à Diabolo intentus: eſt ergo aliqua ratione malorum omnium Diabolus caput. Vbi notanda ſunt duo. Primum eſt, nomine *Diaboli* Principem Dęmoniorum intelligi. Secundum eſt, non requiri, quod omnes malos in ſingulari ad peccandum inducat, vt illorum caput quoad gubernationem eſſe dicatur, ſed ſufficere, quod vel illos inducat, vel quod ipſi propria ſponte ſe Diaboli imitationi ſubijciant, vt notauit D. Tho. *in ſolut. ad 2.*

126 *AntiChriſtus etiam eſt omniũ perditorũ caput.* Quarto infertur, Anti-Chriſtum etiam eſſe aliqua ratione omnium perditorum caput. Quod docet D. Thom. *in hac q. artic. 8.* & probatur, quia, vt notauimus, tria ſunt de ratione capitis, ordo ſcilicet, influentia, & perfectio; ſed Anti Chriſtus, etſi ordine non præcedat omnes malos, nec in omnes influentiam ſit habiturus, nec interiorem, nec exteriorem, cum peccatores ipſum tempore antecedentes ad peccandum non induxerit; omnes tamen in malitia ſuperabit: vndè ſuper illud 2. *ad Theſſalonicenſ. 2. Oſtendens ſe tanquam ſit Deus*, Gloſſa Ordinaria ſic ait. *Sicut in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit: ita in Antichriſto omnis malitiæ plenitudo.* Eſt ergo aliqua ratione Anti-Chriſtus omnium perditorum caput. Quia tamen vnius corporis duo capita eſſe nequeunt, & Diabolus eſt omnium malorum caput, notat D. Tho. *in ſolut. ad 1.* Diabolum, & Anti-Chriſtum, non duo, ſed vnum caput eſſe. Quod intelligendum eſt, non de vnitate ſimplicitatis, ſed ordinis, quia, ſcilicet, Anti-Chriſtus eſt caput Dæmonij ſubordinatum. Quod patet: nam *ſolut. ad 2.* fatetur, eſſe Diaboli membrum: ergo non eſt vnum caput cum Dæmone vnitate ſimplicitatis. *2. ad Theſſalon. 2. Gl. Ordin.*

127 *Si opponas,* Si dicas: B. Virgo omnes iuſtos excedit in ſanctitate; & tamen Eccleſiæ caput non dicitur: ergo quamuis Anti-Chriſtus omnium ſuperet malitiam: non ideò malorum caput dicitur.

128 *Reſpõdeo.* Reſpondeo, negando conſequentiam; quia caput Eccleſiæ ſecundum PP. doctrinam, non ſolum dicit perfectionem, & exceſſum, ſed etiam dicit influxum meritorium de condigno, quem B. Virgo in Eccleſiæ membra non habuit: ideò non caput, ſed collum Eccleſiæ dicitur, quia eſt coniunctior Chriſto capiti. Caput autem in malitia, iuxta modum loquendi PP. & Scholaſticorum, dicitur, vel propter influxum: & ſic dicitur de Dæmone, vel tantum propter exceſſum: & ſic de Anti-Chriſto dicitur.

129 *An Anti-Chriſtus ſit etiam Dæmonũ caput vtrumque probabile.* An autem Anti-Chriſtus, non ſolum malorum hominum, ſed etiam Dęmonum caput dicatur? Dubitant Commentatores. Negat Caietanus. Alij Recentiores affirmant, & vtrumque reputo probabile. Videatur Nazarius *controu. 2. huic art. 8.* Illuſtriſſimus Arauio *in præſenti dub. 2.* Denique infertur, Adamum, etſi ſit caput omnium deſcendentium quoad contractionem originalis peccati; non tamen eſt ſimpliciter caput omnium malorum, vt peccantium perſonaliter. Tùm, quia vt docet D. Thom. *2. 2. q. 163. art. 3.* peccatum Adami non excedit omnium peccata in malitia. Tùm etiam, quia ſuo peccato non intendit homines à Deo auertere, vt peccarent perſonaliter; quod tamen requirebatur, vt eſſet malorum caput quoad exteriorem gubernationem, vt peccantium perſonaliter. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri vbi *Diſputatio præcedens.*

130 *Adamus nõ eſt caput omniũ vt peccantium perſonalitèr. M. Sent.*

DISPVTATIO TRIGESIMA.

Qualiter gratia habitualis comparetur ad gratiam vnionis?

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis, referuntur ſententiæ.

1 *Occaſio diſputandi, & ſenſus diſputationis explicatur.*

ANSAM HVIC Diſputationi præbuit nobis D. Th. *in præſenti q. 8. art. 5. ad 3.* illis verbis: *Quamuis perſonalis gratia poſſit dici quodammodo gratia vnionis, prout facit congruitatem quandam ad vnionem.* Quibus verbis Angelicus Doctor inſinuare videtur, gratiam Chriſti habitualem præceſſiſſe gratiam vnionis, vt diſpoſitionem congruam ad illam. Vt ergo mentem D. Th. explicemus; præſentem excitamus quæſtionem, inquirentes, qualiter gratia habitualis in anima Chriſti Domini reſpectu gratiæ vnionis ſe habuerit? An vt diſpoſitio antecedens? An vt diſpoſitio conſequens, qualiterque ad illam fuerit conſecuta? An conſecutione phyſica? An conſecutione tantum morali?

2 *Non præceſſit vt diſpoſitio ad vnionem neceſſitans. Gabriel.*

Et imprimis, vt omninò certum, & indubitatum ſupponimus gratiam habitualem, non fuiſſe gratia vnionis priorem, tanquam diſpoſitionem præuiam neceſſario illam inducentem, ad modum quo vltimæ diſpoſitiones ad aliquã formam illam neceſſario inferunt contra quoſdam Antiquiores, quos refert Gabriel *in 3. diſt. 2. q. vnic. art. 2.* oppoſitum aſſerentes noſtra autem ſuppoſitio communis eſt apud Theologos, & facile ratione probatur; nam gratia habitualis Chriſti eſt eiuſdem rationis cum noſtra, vt cõmunis tenet ſententia; ſed gratia habitualis in nobis non diſponit ad vnionem: ergo animã Chriſti Domini non diſpoſuit ad vnionem hypoſtaticam illam neceſſario inducendo. Patet conſequentia; ſi namq; calor vt ucto taliter ad formam ignis diſponit, quod eam neceſſario infert, in quocũque ſit ſubiecto neceſſario prædictam formam inducit: ergo ſi gratia habitualis in nobis vnionem perſonalem non infert, nec illam neceſſario inducit in anima Chriſti Domini.

3 *Si dicatur*

Si forte dicatur, conuinci ratione facta, quod gratia habitualis ſe ſola, & ratione ſui non inferat neceſſario vnionem perſonalem cum Verbo; non autem quod illam neceſſario non inducat ratione alicuius formæ ſuperioris gratiam ad hoc eleuantis: in contrarium obſtat primo; nam ſubiectum

Obſtat 1.

eſſe ad aliquam formam diſpoſitum, prouenit à diſpoſitione in genere cauſæ formalis, vt autem fusè oſtendimus *diſput. 17. §. 4.* forma non poteſt effectum formalem præſtare per potentiam obedientialem; & conſequenter, nec per formam, aut ratione formæ eleuantis, ſed illum neceſſario præſtat per virtutem ſibi innatam, ſibique connaturalem, quo circa, vt *ibi* monſtrauimus, perſonalitas creata, non poteſt de potentia abſoluta alienam terminare naturam, quia ad id præſtandum vires naturales non habet: ergo ſi gratia habitualis ratione ſui non diſpoſuit animam Chriſti ad vnionem perſonalem cum Verbo, non potuit illam diſponere ratione formæ ſuperioris ipſam ad hoc eleuantis.

4 *Obſtat 2.*

Secundo obſtat, quod ſi gratia habitualis eleuatur ad diſponendum, non diſponit ratione ſui, ſed ratione formæ eleuantis: ergo non ipſa, ſed forma ſuperior eleuans, eſt, quæ neceſſario vnionem perſonalem inducit. Tertiò; nam

Tertiò.

gratia habitualis eſt in frequentiori ſententia perfectior omni alio dono ad ordinem gratiæ ſpectante ſola vnione hypoſtatica excepta: ergo ſi ratione ſui non diſponit præuiè ad vnionem perſonalem humanitatis cum Verbo, illam neceſſario inducendo, non poteſt dictum effectum præſtare, ratione formæ ſuperioris eleuantis.

5 *Si inſtetur.*

Si ſecundo dicatur, rationem factam inſtari in eadem gratia habituali, quæ in nobis radicat phyſicè fidem, & ſpem; ſecus autem in Chriſto, & in Chriſto phyſicè radicat iuſtitiam ſatisfactiuam ad æqualitatem Deo, quam in nobis non radicat: ergo ex eo quod gratia habitualis eiuſdem rationis ſit in Chriſto, & in nobis, in nobiſque non diſponat ad vnionem perſonalem cum Verbo, nec illam neceſſario ex ſe inferat, non ſequitur, quod in humanitate Chriſti non inducat neceſſario prædictam vnionem, ad illamque diſpoſitiuè antecedenter neceſſitet; in con-

In contrarium obſtat.

trarium obſtat; quod enim gratia habitualis in nobis radicet fidem, & ſpem, quas non radicat in Chriſto, & è contra, in Chriſto radicet iuſtitiam ſatisfactiuam ad æqualitatem Deo, quam non radicat in nobis, naſcitur ex capacitate, vel incapacitate ſubiectiua, quia, nempè, in nobis datur ad fidem, & ſpem capacitas, Chriſtus autem incapax illarum eſt, idemque de iuſtitia eſt dicendum; ſed in humanitate Chriſti pro priori ad vnionem perſonalem, nihil eſt, per quod diſcriminetur à nobis; cum omnis exceſſus, quo humanitas Chriſti ſupra nos eleuatur à perſona verbi proueniat, quæ pro tunc non intelligitur: ergo quod gratia habitualis ad vnionem cum Verbo diſponat, non poteſt ad illius ſubiectum reduci, ſed naſcitur ex intrinſecis illius; & conſequenter debet illi in omni ſubiecto competere; quod enim gratiæ conuenit ratione ſui in omni ſubiecto illi conuenit; ac proindè ſi in nobis non diſponit ad vnionem perſonalem cum Verbo, nec humanitatem Chriſti ad vnionem cum Verbo antecedenter diſpoſuit illam neceſſario inducendo.

6 *Confirmatur.*

Explicatur, & vrgetur: in humanitate Chriſti non eſt capacitas naturalis, ſed ſolum obedientialis, vt aſſumatur à Verbo, illique hypoſtaticè vniatur; ſed in nobis etiam eſt obedientialis capacitas ad vnionem cum Verbo perſonalem: ergo ex parte ſubiecti nulla differentia inuenitur in humanitate Chriſti cum noſtra comparata naturas & conſequenter quod in humanitate Chriſti gratia habitualis neceſſitet ad vnionem, non prouenit ex ſubiecto, ſed ex ipſius gratiæ natura: ex quo vlterius ſequitur, quod in nobis eandem neceſſitatem inducat; quod enim ratione ſui conuenit gratiæ, illi conuenit in omni ſub-

Quidam euaſio præcluditur.

iecto. Nec refert, quod in nobis naturæ ſit propriæ perſonalitati coniuncta, & per illam impedita, vt aſſumatur à Verbo, illique hypoſtaticè vniatur, quod impedi-

Reijcitur 1.

mentum in humanitate Chriſti pro priori ad vnionem cum Verbo non adeſt. Non inquam refert primo; nam impedimentum auferibile per formam, non tollit à ſubiecto capacitatem ad illam, quo circa peccatum, quamuis ſit impedimentum ad gratiam iuſtificantem, quia tamen per gratiam eſt auferibile, non tollit potentiam obedientialem, quæ in nobis datur ad illam; ſed perſonalitas creata eſt auferibilis per vnionem cum perſona diuina: ergo quamuis impediat, non tollit capacitatem obedientialem à natura, cui vnita inuenitur, vt à perſona diuina aſſumatur; & conſequenter in humanitate noſtra cum propria perſonalitate coniuncta, datur prędicta capacitas.

7 *Secundò.*

Secundo; non enim ſtat gratiam habitualem habere vim diſpoſitiuam efficacem ad vnionem perſonalem cum Verbo, & non habere vim ad excludendam perſonalitatem propriam incompoſſibilem cum perſona diuina, vt eandem naturam terminante: ergo ſi gratia habitualis in anima iuſti exiſtens, non excludit perſonalitatem propriam à natura per ipſam ſanctificata, non habet vim efficacem diſpoſitiuam ad vnionem perſonalem cum Verbo. Conſequentia eſt bona. Antecedens autem probatur;

quia

quia namque actus dilectionis Dei efficacis, in ſententia probabili, phyſicè diſponit ad gratiam diſpoſitione antecedenti efficacitèr illam inducente, etiam habet vim efficaciter expulſiuam peccati, quod cum gratia iuſtificante habet incompatibilitatem, & quia calor vt octo vltimò diſponit ad formam ignis illam neceſſario inducendo, etiam neceſſario excludit formam oppoſitam formæ ignis, necum illa ſtare poteſt; ergo ſi gratiæ habitualis eſt diſpoſitio, vnionem perſonalem cum Deo neceſſario inducens, etiam neceſſario excludit perſonalitatem propriam à natura per illam ſanctificata, & è contra, ſi perſonalitatem propriam, non excludit neceſſario, nec habet vim efficacem diſpoſitiuam ad vnionem perſonalem cum Verbo.

8 *Aliorum fundament. tum excluditur.* Mitto aliorum fundamentum exindè probantium; gratiam habitualem non poſse ad vnionem perſonalem cum Verbo neceſſitando diſponere, quia vnio perſonalis cum Verbo eſt ſuperioris ordinis ad illam. Mitto inquam hoc fundamentum; non enim minùs eſt de ratione formæ ordinis ſuperioris eſſe ſupra exigentiam moralem, quam ſupra exigentiam phyſicam formæ ordinis inferioris; ſed vnio hypoſtatica non eſt ſupra exigentiam moralem actuum ſupernaturalium, vt enim *Diſp.* 13. docuimus, Antiqui Patres Incarnationem Verbi meruerunt de facto merito congruo, illamque potuiſſe de potentia abſoluta mereri, eſt communis Theologorum ſententia: ergo quamuis vnio perſonalis cum Deo ſit perfectior infinitè donis ad ordinem gratiæ attinentibus; non tamen eſt dicenda ſuperioris ordinis ad illa, ſed intra eundem ordinem illis ſuperior, vel ſuperioritas ordinis, talis non eſt, vt excludat connexionem cum donis ordinis gratiæ; & conſequenter non benè ex hoc principio deducitur, gratiam habitualem non poſſe præuiè diſponendo illam neceſſario inferre.

9 *Secundò ſupponitur, non connecti connexione eſſentiali, probatur 2.* Secundò, vt certum ſupponimus, gratiam habitualem non conſequi ad gratiam vnionis conſecutione eſſentiali, hoc eſt, ratione connexionis eſſentialis cum illa, in quo nullus quem viderim diſſentit. Et probatur primò; vt enim ex dicendis conſtabit, gratia habitualis non conſequitur ad gratiam vnionis conſecutione phyſica; ſed tantum morali, quia, ſcilicet, eſt debita humanitati Chriſti ratione dignitatis moralis, quam habet per gratiam vnionis; ſed conſecutio moralis eſſentialem connexionem non petit, ergo non conſequitur ad gratiam vnionis conſecutione eſſentiali. *Secundò,* Secundò; nam etiam ſi phyſicè conſequeretur ad ſummum poſſet ſe habere, vt proprietas illius; ſed proprietates realitèr ab eſſentia diſtinctæ, non connectuntur cum eſſentia, eſſentiali connexione, ſed tantum connaturali: ergo inter gratiam ſubſtantialem vnionis, & gratiam habitualem, non eſt connexio eſſentialis. Minor, præterquamquod eſt communis Methaphyſicorum, & Phyloſophorum ſententia, breuitèr hac ratione ſuadetur; poſſunt enim proprietates exiſtere ſine eſſentia, vt conſtat in Sacramento Euchariſtiæ, in quo proprietates Panis, ſine illius ſubſtantia exiſtunt, & quantitas, quæ eſt paſſio corporis exiſtit, ſine ſubſtantia corporea: ergo à fortiori poteſt eſſentia exiſtere, ſine ſuis proprietatibus; magis enim dependent proprietates ab eſſentia, quam eſſentia à proprietatibus; ſed quæ inter ſe connectuntur eſſentialiter non poſſunt, etiam de potentia abſoluta exiſtere ſeparata, nec vnum exiſtere, ſine alio, vt omnibus eſt inconfeſſo: ergo inter eſſentiam, & ſuas proprietates eſſentialis connexio non datur.

10 *Tertiò ſupponitur. Probatur 1.* Tertiò, vt exploratum, ſuppono, gratiam habitualem non conſequi ad gratiam vnionis efficienter phyſicè, vera, & propria efficientia: quod probo primò; vt enim à maiori, meliorique Theologorum parte docetur 1. 2. q. 112. gratia habitualis non poteſt de potentia abſoluta principaliter phyſicè ab aliqua creatura cauſari: ergo humanitas ratione gratiæ vnionis, non cauſat in ſe efficienter phyſicè principaliter illam; & conſequenter non conſequitur ad gratiam vnionis efficienter phyſicè, vera, & propria efficientia. *Secundò.* Secundò probatur; humanitas namque, vel efficeret in ſe gratiam habitualem ratione modi vnionis, vel ratione perſonalitatis Verbi, aut ratione diuinitatis, vel alicuius attributi diuini, nullo ex his poteſt conſtitui cauſa efficiens phyſica gratiæ: ergo non cauſatur ab illa phyſicè efficienter gratia. Conſequentia tenet. Maior continet omnia principia, ex quibus poterat prædicta efficientia conuenire humanitati. Minor autem per ſingulas partes probatur; non enim ratione vnionis, hæc namque effectiua non eſt ſed tantum vnitiua humanitatis ad Verbum, ſicut vnio gratiæ habitualis cum anima, & vnio animæ cum corpore principia effectiua non ſunt, ſed tantum rationem nexus, & vnionis ſortiuntur. Nec ratione perſonalitatis Verbi; hæc namque ratione ſui, quatenus à natura diſtincta, & à prædicatis abſolutis Dei, nec Deo, nec humanitati ratio efficiendi eſſe poteſt, ſed ſolum complementum naturæ in ordine ad efficiendum. Nec denique ratione naturæ, aut alicuius attributi diuini; quod patet; vt enim humanitas ratione naturæ, aut ratione omnipotentiæ conſtitueretur cauſa efficiens phyſica gratiæ, neceſſarium erat, quod vniretur humanitati per informationem phyſicam; vel quod identificaretur cum illa, vt ex *infra* dicendis conſtabit; ſed vtrumque perfectionibus diuinis repugnat: ergo non potuit humanitas, aliqua Dei perfectione, vt ſibi vnita in ratione cauſæ phyſicæ efficientis in ſe ipſa gratiam habitualem conſtitui.

11 *Denique ſupponitur certum. Probatur.* Denique, vt omninò certum, exploratumque ſuppono gratiam habitualem non ineſſe humanitati ex influxu effectiuo ſpeciali Verbi Diuini, vt humanitati vniti: quod patet ex communi Theologorum axiomate, quo aſſeritur, opera ad extra eſſe toti Trinitati communia, indiuiſeque à tribus perſonis procedere; ſed gratia humanitati infuſa eſt opus Dei ad extra: ergo indiuiſè efficienter à tota Trinitate proceſſit: & non à Verbo humanitati vnito ſpecialiter. Et quidem non alia ratione alia opera, quæ Deus ad extra producit à tota Trinitate efficiuntur, niſi quia principia, quibus Deus ad extra operatur, nempè, omnipotentia, intellectus, & voluntas ſunt communia tribus perſonis, & indiuiſa in illis; ſed gratia habitualis humanitati infuſa procedit efficienter à Verbo; non ratione perſonalitatis propriæ; hæc namque operatiua non eſt, ſed ratione omnipotentiæ alijs perſonis communis: ergo non procedit efficienter à Verbo aliqua efficientia ſpeciali, quæ non ſit alijs perſonis communis.

12 *Prima ſententia.* His poſitis, in quibus nullum, aut ferè nullum difficultatem eſſe poteſt, quod in examen vertitur eſt. An gratia habitualis præuiè ad gratiam ſubſtantialem vnionis ſe habuerit? An verò omninò conſequentèr ad illam, & quo genere conſecutionis? Quia in re prima ſententia docet, antecedenter ſe habuiſſe, vt diſpoſitionem omninò neceſſariam ad illam; & conſequentèr vt diſpoſitionem phyſicam. *Alexand.* Pro hac refertur Alexander Alenſis 3. *p. ſua ſumma q.* 8. *membr.* 2. *art.* 1. *q.* 11. *membro vltim.* & *q.* 12. *membr.* 1. *Secunda ſententia.* Secunda ſententia docet, anteceſſiſſe vt diſpoſitionem, non neceſſariam, ſed congruam, quod idem eſt ac fuiſſe diſpoſitionem moralem. *Bonau.* Hæc tribuitur Bonauenturæ *in* 3. *diſt.* 2. *art.* 3. *q.* 2. *Palud.* Paludano *q.* 2. *art.* 3. *Gabr.* Carteſiano *quæſt.* 5. Gabriel *q. vnic.* & *Marſil.* Marſilio *quæſt.* 10. *art.* 1. *ad primum dubium*, quos ſequitur P. Granados *Granad.* *controu.* 1. *de Incarnat. tract.* 4. *diſp. vltim. ſect.* 2. *nu.* 9. *S. Thom.* In eaque fuiſſe D. Thom. *in* 3. *diſt.* 2. *q.* 2. *art.* 2. & *diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 1. *ad* 4. quam in ſumma retractauit ſentiunt cum Caietano aliqui Recentiores Thomiſtæ. *Tertia & vera ſententia.* Tertia, & vera ſententia docet, gratiam habitualem non fuiſſe gratia vnionis priorem, nec per modum phyſicæ *Caie. q.* 2. *a.* 10. & *q.* 6. *art.* 6. diſpoſitionis, nec diſpoſitionis moralis, ſed omninò conſequentèr ad gratiam vnionis ſe habuiſſe. *Medin.* Ita Medina *ſupra q.* 6. *art.* 6. *Nazar.* Nazarius *q.* 6. *art.* 6. *controu. vnic.* *Araujo.* Illuſtriſſimus Araujo *dub. vnic.* & frequenter alij Recentiores Thomiſtæ. *Scot.* Referuntur pro illa Scotus *in* 3. *diſt.* 2. *q.* 2. *Durand.* & Durandus *q.* 3. *Faber.* Faber *diſp.* 9. *cap.* 5. *Radda.* Radda *in præſenti controu.* 4. *art.* 6. *Caſtillo.* & Caſtillo *diſp.* 9. *q.* 1. *nu.* 11. *Suar.* Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 2. *Vazq.* Vazquez *diſp.* 40. *cap.* 1. & frequenter Recentiores ex eadem familia. An autem conſecutio gratiæ habitualis ſit phyſice, vel moralis? Aliqui rem non attingunt, alij inter ſe diuiduntur, quos dabimus noſtram explicante ſententiam.

(∴)

§. II.

Gratiam habitualem non ſe habuiſſe antecedenter ad gratiam vnionis, auctoritate, probatur, & variæ expenduntur rationes.

13 *Prima concluſio.* PRima Concluſio. *Gratia habitualis non fuit diſpoſitio prauia, nec phyſica, nec moralis ad gratiam ſubſtantialem vnionis.* Ita auctores tertiæ ſententiæ. Hæc concluſio quoad vtramque partem ſuadetur primo: quia *Probatur 1. ex auctoritate D. Th.* eſt expreſſa D Tho. *ſupra q.2. art.10. & q.6. art.6.* quibus locis docet Angelicus Doctor humanitatem non fuiſſe Verbo vnitam mediante gratia habituali; at ſi gratia habitualis præceſſiſſet, vt neceſſaria, vel congrua diſpoſitio gratiam vnionis, humanitas illa mediante fuiſſet Verbo diuino vnita, ſicut quia materia per diſpoſitiones præparatur ad formam, verum eſt formam vniri materiæ medijs diſpoſitionibus; & ſicut quia homo per proprios actus ad iuſtificationem diſponitur, verum eſt dicere medijs illis iuſtificari: ergo iuxta D. Thom. gratia habitualis non fuit diſpoſitio phyſica, nec moralis, neceſſaria, nec congrua gratiam ſubſtantialem vnionis.

14 *Reſpondet Granados.* Reſpondet Granados, D. Thomam ſolum intendere gratiam habitualem non eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad vnionem, aut quæ abſolutè ſit prior tempore, vel natura, quam vnio; non autem negare fuiſſe diſpoſitionem congruam ad vnionem; cum alijs locis id docuerit, ne cogamur cum Caietano aſſerere, D. Thomam ſententiam retractaſſe, qui recurſus neceſſarius non eſt; cum poſſint dicta Angelici Præceptoris tradita diſtinctione rectè conciliari. *Sed cõtra primo.* Sed contra primo: nam D. Thomas *ſupra q. 2. art. 10.* ſuppoſita diſtinctione duplicis elevationis humanæ naturæ ad Deum, vna, ſcilicet, per operationem ipſum cognoſcendo, & amando; alia per eſſe perſonale, quæ eſt humanitati Chriſti ſingularis, hæc verba ſubiunxit: *Manifeſtum eſt autem, quod ad perfectionem operationis oportet, quod potentia ſit perfecta per habitum, ſed quod natura habeat eſſe in ſuppoſito ſuo, non fit mediante aliquo habitu.* Ex quo infert, non interueniſſe gratiam habitualem, ita vt illa mediante facta fuerit vnio humanitatis ad Verbum. Vbi, vt clarè conſtat, inde probat D. Tho. non fuiſſe humanitatem Chriſti Verbo vnitam media gratia habituali: quia quod natura habeat eſſe in ſuppoſito ſuo, non fit mediante aliquo habitu; ſed quod natura habeat eſſe in proprio ſuppoſito, non ſolum non fit medio habitu, vt neceſſaria diſpoſitione, ſed etiam non fit medio habitu, vt diſpoſitione congrua ergo iuxta D. Tho. gratia habitualis, neque vt diſpoſitio neceſſaria, neque vt diſpoſitio congrua, præceſſit vnionem.

15 *Secundò.* Contra ſecundo; nam quod gratia habitualis ſit diſpoſitio congrua ad vnionem, vel eſt eſſe ſolum diſpoſitionem concomitantem vnionem, vel eſt verè illam præcedere, præcedentia *à quo, & cauſalitatis*: ſi primum, eſt noſtra, & communis ſententia: ſi verò aſſeratur ſecundum, erit abſolutè verum fuiſſe factam vnionem media gratia habituali, ſicut verum eſt de quocumque effectu dicere, quod fiat mediante omni cauſa, à qua in fieri dependet; & conſequenter propoſitio D. Thom. aſſerentis abſolutè, vnionem humanitatis ad Verbum non fuiſſe factam media gratia habituali, erit abſolutè falſa, quod non credam admiſſurum Patrem Granadum deuotiſſimum in corde Angelici Doctoris diſcipulum.

16 *Tertiò.* Contra tertio; actus namque peccatoris, quibus ad iuſtificationem diſponitur, non eſſe diſpoſitiones à gratia iuſtificante exactas; & conſequenter, nec ad illam neceſſarias, eſt plurium Theologorum ſententia, & extra Scholam Diui Thomæ frequentior; & tamen quia moraliter, & congruè ad iuſtificationem diſponunt, nullus Theologorum docuit adulti iuſtificationem fieri, ſine propria ipſius diſpoſitione: ergo ſi vnio humanitatis ad Verbum facta fuiſſet media gratia habituali, vt diſpoſitione congrua, quamuis ad illam neceſſaria non fuerit, non deberet, nec poſſet Diuus Thomas verè aſſerere, vnionem non fuiſſe factam media gratia habituali.

17 *Si reſpondeas.* Nec ſufficit reſpondere, quod licet actus, quibus adultus ad iuſtificationem diſponitur, non ſint neceſſarij ad iuſtificationem neceſſitate orta ex indigentia, vel exigentia intrinſeca gratiæ iuſtificantis; ſunt tamen neceſſarij ex lege Dei ſtatuentis non iuſtificare hominem, niſi per proprios actus diſpoſitum, iuxta illud Zachariæ *cap. 1. verſu. 3.* & Malachiæ *cap. 3. verſu. 7. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*; & ideo falſum erit, abſolutè negare iuſtificationem adulti fieri propria ipſius diſpoſitione mediante. *Zachar. Malac.*

18 *In contrarium obſtat.* Non tamen refert aliquid, ſic reſpondere, nam etiam ſuppoſito, quod humanitas fuerit vnita Verbo media gratia habituali, quamuis non fuerit diſpoſitio, neceſſaria attenta exigentia vnionis; erat tamen neceſſaria diſpoſitio neceſſitate orta ex decreto, quo Deus ſic, & non aliter Verbo humanitatem vnire decreuit; ergo erit falſum aſſerere, non fuiſſe vnitam media gratia habituali. Quid enim ad veritatem, aut falſitatem dictarum propoſitionum poteſt conducere, quod neceſſitas in vno caſu ortum ducat ex decreto, & in alio ex lege Dei? Certè nihil. Et conſequenter ſi neceſſitas diſpoſitionis per proprios adulti actus orta ex lege ſic ſtatuente, obſtat veritati propoſitionis negantis iuſtificationem adulti fieri media, propria diſpoſitione, etiam neceſſitas orta ex decreto Dei ſtatuentis, non vnire humanitatem Verbo, niſi gratia habituali ornatam obſtabit veritati propoſitionis D. Thomæ, qua negat Verbo fuiſſe humanitatem vnitam media gratia habituali. Quomodo autem accipiendus, & intelligendus ſit Diuus Thomas locis vbi videtur oppoſitæ ſententiæ fauere, ex infra dicendis conſtabit.

19 *Fundamentum P. Vazq.* Licet autem ſententia, quam propugnamus communis ſit apud Theologos, in ratione tamen aſſignanda, non conueniunt. P. Vazquez *diſp. 40. cap. 2. n. 7.* reiectis alijs rationibus ſic arguit pro noſtra ſententia; nam gratia habitualis in Chriſto, non poteſt intelligi data, niſi intuitu vnionis hypoſtaticæ tamquam aliquid conſequens vnionem; nam ſi intelligeretur antecedenter donari, intelligeretur donata ex ſolo affectu adoptionis; ſed ex tali affectu donata non fuit, alias Chriſtum, vt hominem Filium Dei adoptiuum conſtituiſſet: ergo fuit intuitu vnionis donata, vt aliquid conſequens ipſam; & conſequenter non præceſſit vnionem, vt diſpoſitio, nec neceſſaria, nec congrua.

20 *Reijcitur.* Hæc tamen ratio, quæ ſola potuit prædicto Auctori placere, diſplicuit alijs, & nobis. Primo; quia vt gratia Filium Dei adoptiuum conſtituat, non ſufficit præciſio filiationis naturalis, ſed eſt neceſſaria realis naturalis filiationis carentia, & pro inſtanti reali exiſtens, ſed vt gratia habitualis, vel phyſicè, vel moraliter ad vnionem humanitatis diſponat, non eſt neceſſarium, quod tempore illam præcedat, ſed ſolum præcedentia naturæ, & cauſalitatis; & conſequenter neceſſaria non eſt realis naturalis filiationis carentia exiſtens pro inſtanti reali, ſed ſufficit præſcindere ab illa pro aliquo priori naturæ: ergo ex eo quod gratia habitualis diſpoſitiue præcedat gratiam vnionis, non ſequitur, humanitatem adoptiuam conſtituere, nec illi ex effectu adoptionis à Deo communicari.

21 *Secundò.* Secundo; nam dato, quod præcedentia gratiæ habitualis in genere cauſæ diſpoſitiuæ, ſine dependentia ab vnione in alio genere cauſæ filiationem adoptiuam, & effectum adoptionis argueret, & inferret, nullum tamen horum infertur ex prioritate diſpoſitiua cum dependentia ab vnione in alio genere cauſæ; ſed ex eo quod gratia habitualis diſpoſitiuè præcedat, non ſequitur, non dependere ab vnione in alio genere cauſæ; nam ſaltem dependet ab illa in genere cauſæ finalis; diſpoſitiones namque ordinantur ad formam, vt finem, & propter formam amantur: ergo ex tali præcedentia, non ſequitur, præſtare filiationem adoptiuam, nec ex affectu adoptionis infundi. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur; nam eo ipſo quod gratia, vt præuiè diſponens ad vnionem dependeat ab illa, vt fine, amatur ratione illius ergo eo ipſo non datur ex affectu adoptionis, ſed ex affectu filiationis naturalis ab vnione prouenientis.

22 *Tertiò reijcitur argumento facto ad hominem.* Denique nam licet neceſſum ſit, quod Deus gratiam infundens, hominem, vt Filium diligat in reali durationis menſura, non tamen eſt neceſſarium, quod pro omni ſigno, & priori cauſalitatis pro quo infundit gratiam homini, illum diligat, vt filium, quod non videtur poſſe à Patre Vazquez negari, qui 1.2. *diſp. 121. cap. 3. & 4.* docet cum frequentiori Thomiſtarum ſententia, actum contritionis vltimo diſponentem ad gratiam iuſtificantem, ab illa efficienter procedere, & illam, vt priorem ex parte

Dei

Dei gratiam infundentis ſupponere ; & conſequenter docere tenetur pro illo priori gratiam non iuſtificare. Ex quo vlterius tenetur aſſerere, nec pro illo priori Deum hominem, vt filium diligere : ergo ex eo quod gratia habitualis ad gratiam vnionis diſponat, illamque prioritate naturæ præcedat, non ſequitur, gratiam pro illo priori filium adoptiuum conſtituere, nec Deum illa infundentem, humanitatem affectu alicuius filiationis diligere.

23 *Radda argumentum proponit.* Radda vbi *ſupra* inter alia, quibus ad noſtram concluſionem mouetur, ſic arguit ; ſi namque gratia habitualis præcedit, vt diſpoſitio gratiam vnionis, etiam actus liberi ſupernaturales ab humanitate eliciti, vnionem humanitatis cum Verbo præcederent diſpoſitiuè ; at hoc admitti non poteſt ; aliàs Chriſtus de condigno vnionem humanitatis meruiſſet de facto ; cum actus ſupernaturales procedentes à gratia iuſtificante merita condigna ſint : ergo nec eſt admittendum, gratiam habitualem diſpoſitiuè præcedere vnionem humanitatis cum Verbo.

Prædictum argumentum non vrget. Hoc tamen argumentum prorſus inefficax eſt ; nam eſto ex præcedentia gratiæ habitualis ſequatur, quod actus ab ea eliciti, & formati, poſſint etiam vnionem præcedere ; non tamen ſequitur de facto Chriſtum ſuis actibus vnionem de condigno meruiſſe ; nam licet actus gratia habituali formati, ſint merita condigna gloriæ, cuius gratia ſemen eſt, non tamen ſunt, nec poſſunt eſſe merita condigna vnionis hypoſtaticæ ex defectu æqualitatis cum illa. Benè ſcio Scoti Diſcipulos non agnoſcere aliam condignitatem in merito, niſi deſumptam ab acceptatione extrinſeca Dei, vndè ſi actus media gratia eliciti, à Deo, vt condigni vnioni acceptarentur, eſſent merita condigna illius. Cæterum iſtum condignitatis modum (ſi forte condignitatis nomen meretur) non recuſabunt contrarij Auctores admittere ; & conſequenter parum, aut nihil argumento facto vrgentur.

24 *Secundò arguit idem Auctor.* Secundo arguit idem Auctor, argumento ex ſubtili Doctore deſumpto. Etenim perſonalitas Verbi vnita fuit humanitati Chriſti pro eodem ſigno, pro quo illi vniretur perſonalitas propria, ſi ſuæ relinqueretur naturæ ; ſed ſi propriæ perſonalitati fuiſſet vnita, nulla in humanitate præceſſiſſet diſpoſitio ; nam inter naturam, & propriam ſubſiſtentiam eſt immediata habitudo, nullumq; inter illa accidens medium conſtituit : ergo inter humanam naturam, & Verbi perſonalitatem gratia habitualis non mediat ; & conſequenter gratia habitualis non diſponit præuiè ad vnionem.

Reijcitur 1. Hoc tamen argumentum, etſi ad rem proximius accedat ; non tamen omninò conuincit. Tùm, quia ad ſummum probat ; gratiam habitualem non fuiſſe diſpoſitionem phyſicam ad vnionem humanitatis cum Verbo ; noſtra autem, & communis ſententia, quam prædictus Auctor conabatur ſuadere, non ſolum loquitur de diſpoſitione phyſica, ſed etiam de diſpoſitione morali : ergo argumentum, quo vtitur, non eſt vndequaque ſufficiens. Aſſumptum probo ; nam licet ſubſiſtentia diuina, prout phyſicè humanitatem terminans in eodem ſigno vniatur humanitati, in quo erat illi vnienda perſonalitas propria, ſi adeſſet ; non tamen eſt neceſſarium, quod in eodem ſigno vniatur, vt moraliter ſanctificans : ergo ex identitate ſigni, ad ſummum infertur excluſio diſpoſitionis phyſicæ ad vnionem humanitatis cum Verbo, non tamen conuincitur excluſio diſpoſitionis moralis.

25 *Secundò.* Deindè, quia nec excluſionem gratiæ habitualis, vt phyſicè diſponentis conuincit. Quod probo : nam identitas ſigni perſonalitatis diuinæ, & perſonalitatis humanæ ſi adeſſet, quam in probatione aſſumit pro medio, vel intelligitur de ſigno *in quo* menſuræ durationis, vel de ſigno *à quo* naturæ, & cauſalitatis ; primum non ſufficit ad intentum probandum ; ſecundum non ſupponi, ſed probari debebat : ergo argumentum, vt à prædicto Auctore formatum, non concludit, nec intentum conuincit.

Minor pro prima parte patet. Nam in eodem ſigno durationis, hoc eſt, in eodem inſtanti reali, poſſunt dari, aut exerceri plura ſigna, & prioritates naturæ : ergo ex eo quod perſonalitas Verbi vniatur humanitati in eodem inſtanti reali, in quo vnienda erat perſonalitas propria, ſi adeſſet, non ſequitur, quod vniatur in eodem ſigno naturæ ; & conſequenter non ſequitur, ex eo quod perſonalitas propria vnienda eſſet humanitati, ſine præuia diſpoſitione, quod etiam perſonalitas Verbi omnem præuiam diſpoſitionem excludat. Pro ſecunda parte probatur ; nam identitas ſigni naturæ, aut cauſalitatis, eſt identitas independentiæ, & excluſionis cauſarum, in quocumque genere cauſæ, hoc eſt, quod ſi perſonalitas propria vnienda erat independentèr à cauſa diſpoſitiua, etiam perſonalitas Verbi, vt vnita humanitati cauſam diſpoſitiuam non debeat ; ſed hoc non debet ſupponi, ſed probari : ergo ratio ſacta, id non probans, ſed ſupponens inefficax eſt.

26 *Denique arguunt quidam Recentiores Thomiſtæ.* Denique, nonnulli Recentiores Diſcipuli Diui Thomæ, ſic arguunt pro noſtra ſententia ; vnio namque humanitatis cum Verbo, non accidentalis, ſed ſubſtantialis eſt : at ſi fieret media gratia habituali, non ſubſtantialis, ſed accidentalis eſſet, cum gratia habitualis ſit qualitas de prædicamento accidentis : ergo non fuit facta media gratia habituali ; & conſequenter gratia habitualis non fuit præuia diſpoſitio ad vnionem humanitatis cum Verbo.

Contra concurſum diſpoſitiuum non vrgent. Hæc tamen ratio, etſi probet, non mediaſſe gratiam habitualem inter humanitatem, & Verbum, vt vinculum, ſeu nexum vtriuſque ; nullum enim accidens poteſt eſſe de eſſentia compoſiti ſubſtantialis ; nexus autem extremorum eſt eſſentialis compoſito ; & conſequenter accidens prædicamentale non poteſt, vt nexus in compoſito ſubſtantiali ſe habere ; non tamen probat, quod ad vnionem humanitatis cum Verbo non ſe habuerit per modum præuiæ diſpoſitionis : quod patet ; nam ex vnione formæ ſubſtantialis ſecundum gradum determinatum, & materiæ compoſitum ſubſtantiale reſultat ; aliàs homo compoſitum ſubſtantiale non eſſet ; & tamen vt materia vniatur formæ ſecundum gradum determinatum diſpoſitiones præuias requirere, eſt communis Thomiſtarum ſententia cum Angelico Doctore 1. *p. q.* 76. *art.* 6. ergo vnioni ſubſtantiali non obſtat, quod ad illam præuiè accidentia diſponant ; & conſequenter ex eo quod habitualis gratia eſſet præuia diſpoſitio ad vnionem humanitatis cum Verbo, non ſequeretur ſubſtantialem vnionem non eſſe, nec quod humanitas eſſet vnita Verbo Dei accidentalitèr.

---

§. III.

Aliis rationibus noſtra concluſio probatur.

27 *Prima pars concluſionis probatur.* VNDE his argumentis omiſſis, probatur prima pars concluſionis ; nam illa inter quæ eſt immediata habitudo, non indigent præuia diſpoſitione, vt vniantur inter ſe ; ſed inter humanitatem, & ſubſiſtentiam Verbi eſt habitudo immediata : ergo vt vniatur humanitas Verbo, præuia diſpoſitione non indiget ; & conſequenter gratia habitualis non mediat inter humanitatem, & Verbum, vt diſpoſitio ad vnionem neceſſaria. Conſequentia patet. Maior conſtat ; ideo namque vt docet D. Thom. 1. *part. quaſt.* 76. *articul.* 6. *ad* 1. *&* 2. *Contra Gentes capit.* 71. vt materia vniatur formæ ſecundum gradum communem, & diſpoſitione præuia non indiget, quia ad formam ſecundum illum gradum comparatur immediatè : & ratio eſt clara ; ſi namque inter extrema eſt habitudo, & comparatio immediata, non poſſunt medio indigere ; alias cum illo medio eſſet immediata comparatio ; non autem extremorum inter ſe. Minor, in qua ſola eſſe poteſt difficultas, probatur ratione D. Thom. *ſupra quaſt.* 2. *articul.* 10. nam inter naturam, & perſonalitatem terminantem naturam, non cadit aliquod medium ; & conſequenter inter illa eſt immediata habitudo ; ſed humanitas comparatur ad Verbum, vt natura perſonabilis per illius ſubſiſtentiam : ergo inter humanitatem, & Verbum eſt immediata habitudo. *S. Thom.*

28 *Reſpondebis.* Reſpondebis ad probationem minoris, veram eſſe maiorem, loquendo de natura cum propria perſonalitate comparata ; cum enim ad perſonalitatem propriam ſit determinata ab intrinſeco, dicit ad illam immediatam habitudinem ; ideoque vt ei vniatur diſpoſitione præuia non indiget : falſam autem loquendo de natura comparata cum perſonalitate aliena, & diuina ; ad hanc enim ab intrinſeco determinata non eſt, nec illam ab intrinſeco petit ; ac proinde ceſſat ratio excludendi neceſſitatem diſpoſitionis præuiè illam diſponentis, ad vnionem quaſi præparantis. Imo adeſt ratio in oppoſitum, nempè, quod natura ad alienam perſonalitatem determinata non eſt,

ac

ac proinde vt ad illam determinentur indiget diſpoſitione.

29 *Sed contra 1.* Sed contra primò, nam perſonalitas diuina, vt humanitati vniatur, non indiget præuia diſpoſitione ex conceptu ſupernaturalis, nec ex conceptu perſonalitatis, nec ex conceptu perſonalitatis diuinæ: ergo ſi vt vniatur humanitas propriæ perſonalitati præuia diſpoſitione non indiget, nec vt vniatur perſonalitati diuinæ eſt talis diſpoſitio neceſſaria. Conſequentia tenet. Antecedens pro prima parte conſtat; ſi namq; perſonalitas diuina ex conceptu ſupernaturalis præuia diſpoſitione ad ſui vnionem indigeret, omnis forma ſupernaturalis præuiam diſpoſitionem exigeret; quod enim conuenit diuinæ perſonalitati ex prædicto conceptu, neceſſum eſt, quod conueniat omni enti ſupernaturali, ſicut quod conuenit poſitiuè hominis ex conceptu animalis, omni animali eſt commune; ſed non omnis forma ſupernaturalis præuiam petit diſpoſitionem; aliàs daretur proceſſus in infinitum, qui in cauſis ſubordinatis non poteſt admitti: ergo perſonalitas diuina ex conceptu ſupernaturalis, non petit præuiam diſpoſitionem. Pro ſecunda parte etiam conſtat ex eadem ratione, quod enim conuenit perſonalitati diuinæ ex conceptu perſonalitatis, eſt omni perſonalitati commune; ſed exigere præuiam diſpoſitionem non eſt commune omni perſonalitati; nam perſonalitas propria, diſpoſitione præuia non indiget: ergo exigentia præuiæ diſpoſitionis non conuenit perſonalitati Diuinæ ex conceptu perſonalitatis, ſeu quia perſonalitas eſt.

30 *Tertia pars antecedentis probatur.* Deniq; pro tertia parte probatur antecedens ratione D. Thom. *vbi proximè*; nam perſonalitas Diuina vnitur humanitati, quia continet eminentèr omnem perfectionem perſonalitatis creatæ, & illius vices gerendo; ſed perſonalitas propria terminaret humanitatem, illamque ſubſiſtentem conſtitueret ſine aliqua præuia diſpoſitione humanitatem præparante ad vnionem: ergo diuina perſonalitas, quia diuina eſt, non exigit præuiam diſpoſitionem in humanitate, vt illam terminet, perſonatamque, & ſubſiſtentem conſtituat.

31 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & vrgetur primò; quia namq; perſonalitas Verbi vnitur humanitati vice ſubſiſtentiæ propriæ, omnia, quæ perſonalitas propria, vt humanitati vnita præcederet, etiam perſonalitas Verbi, vt vnita humanitati præcedit, v.g. accidentia, & omnem operationem: ergo etiam, quia vice ſubſiſtentiæ propriæ vnitur humanitati, omnem dependentiam, quam propria perſonalitas excluderet in ſui vnione cum humanitate, excludit perſonalitas Verbi à ſui vnione cum humanitate, & conſequenter ſi propria perſonalitas vniretur humanitati ſine indigentia præuiæ diſpoſitionis, ſine eadem indigentia vnitur humanitati perſonalitas diuina.

32 *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur ſecundo; vt enim vidimus *Diſput. 16. num. 64.* ſi humanitas non dependeret naturalitèr à propria perſonalitate, non poſſet per potentiam obedientialem à diuina terminari; ideoque eſt in potentia obedientiali, vt terminetur per ſubſiſtentiam diuinam, quia ratione potentiæ naturalis eſt per propriam terminabilis, ab illaque naturaliter dependet; ex quo naſcitur, vt perſonalitas diuina, quia eminentèr continet perſonalitatem creatam, poſſit vices eius gerens cum humanitate vniri: ergo perſonalitas diuina non terminat dependentiam humanitatis, diſtinctam à dependentia, qua à propria perſonalitate dependet; ſed dependentia à propria perſonalitate eſt dependentia immediata per excluſionem indigentiæ alicuius præuiæ diſpoſitionis: ergo etiam comparata cum perſonalitate diuina eſt ab omni præuia diſpoſitione independens, omnemque indigentiam præuiæ diſpoſitionis excludens.

33 *Secundò impugnatur ſolutio.* Secundò contra eandem ſolutionem facit; ſi namq; ad vnionem cum Verbo indigeret humanitas præuia diſpoſitione; eo quod non eſt ad illam determinata, indigeret diſpoſitione determinante ad illam; indigentia namque orta ex indeterminatione, debet eſſe alicuius determinantis; ſed gratia habitualis non determinat ad vnionem perſonalem cum Verbo, ſed omninò indifferens ſubiectum per reſpectum ad talem vnionem relinquit, vt conſtat in gratia noſtra, quæ eiuſdem rationis eſt cum gratia habituali Chriſti, nuſque nullatenus ad vnionem determinat: ergo quamuis humanitas non ſit ab intrinſeco determinata ad vnionem cum Verbo, nulla tamen indiget præuia diſpoſitione ad illam.

34 *Denique reijcitur.* Denique reijcitur, magis enim diſtans, & remota eſt natura irrationalis ab vnione ſubſtantiali cum Deo, quam natura rationalis, cum in hac detur aliqua congruitas, vt poſſit aſſumi à Deo in vnitatem perſonæ; in illa autem etſi detur capacitas, vt aſſumatur à Deo in vnitatem ſuppoſiti, vt cum frequentiori ſententia docuimus *Tract. 4 Diſp. 18.* nulla tamen ſit in illa, vt aſſumatur congruitas; & tamen, vt aſſumeretur, gratia habitualis diſponens, neceſſaria non eſſet, cum natura irrationalis capacitatem ad gratiam habitualem non habeat: ergo ex eo quod humanitas non ſit de ſe determinata ad vnionem perſonalem cum Verbo, non ſequitur gratia habituali, vt diſpoſitione præuia ad prædictam vnionem indigere.

35 *Reſponſio.* Reſpondebis forte, negando conſequentiam, & rationem diſcriminis dabis; nam irrationalis natura non eſt capax ſanctificationis per gratiam, & capax ſupponitur vnionis ſubſtantialis cum illo, ideoque gratia habituali vt diſponente non indiget; natura autem rationalis eſt capax gratiæ habitualis, & inſuper vnionis perſonalis cum Deo; & quia inter naturam rationalem, & vnionem ſubſtantialem cum Deo gratia medium locum tenet, & non niſi per medium pertingitur ad extremum; ſit conſequens, vt in natura rationali mediet neceſſario gratia ante vnionem perſonalem, eſto in natura irrationali ob illius incapacitatem non mediet. Et quidem gratiam iuſtificantem de ſe exigere in adulto proprios actus, vt præuiè diſponentes ad ipſam, eſt plurium Theologorum ſententia; & tamen in paruulis talem diſpoſitionem non exigit, quia ſunt illius incapaces. Et in natura rationali vnio ſubſtantialis cum Deo gratiam habitualem ab intrinſeco petit, vt diſpoſitionem conſequentem, vt poſtea videbimus, quam tamen vt conſequentem non petit in natura irrationali, quia capax gratiæ non eſt: poterit ergo gratiam habitualem vt præuiè diſponentem exigere in natura rationali, quamuis in irrationali talem diſpoſitionem non petat.

36 *Sed contra.* Sed contra; nam iuxta hanc ſolutionem indigentia diſpoſitionis præuiæ ad vnionem perſonalem non naſcitur ex indeterminatione humanitatis ad prædictam vnionem, vt anterior ſolutio aſſerebat; ſed ex parte perſonalitatis diuinæ. Ex iſto autem principio non poſſe præuiam exigi diſpoſitionem, manet monſtratum, nec quod gratia habitualis media ſit inter naturam rationalem, & vnionem ſubſtantialem cum Deo, probat, quod debeat tanquam diſpoſitio præcedere; eſt enim media in eſſendo, non autem ordine cauſalitatis, & quod ſic eſt medium non eſt neceſſarium præcedere ad vnionem cum extremo; aliàs vt natura humana terminaretur à Verbo, deberet prius cum Angelica coniungi; nam Angelica natura media eſt in eſſendo inter naturam humanam, & Deum; exempla autem in confirmationem ſolutionis adducta ad ſummum iuuare poſſunt, ſi indigentia præuiæ diſpoſitionis ex parte perſonalitatis Verbi oriretur.

37 *Secunda pars concluſionis probatur ex D. Th.* Deindè ſecunda pars concluſionis, qua aſſerimus; non præceſſiſſe gratiam habitualem vnionem humanitatis cum verbo moraliter, vt diſpoſitionem congruam, probatur auctoritate, & ratione Angelici Præceptoris *ſupra q. 6. art. 6. in corpore*, illis verbis: *Gratia ergo non poteſt intelligi, vt medium in aſſumptione humanæ naturæ; ſiuè loquamur de gratia vnionis, ſiuè de gratia habituali; gratia enim vnionis eſt ipſum eſſe perſonale, quod gratis diuinitus datur humanæ naturæ in perſona Verbi, quod quidem eſt terminus aſſumptionis. Gratia autem habitualis pertinens ad ſpiritualem ſanctitatem illius hominis, eſt effectus quidem conſequens vnionem, ſecundum illud Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, ſicut vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Per quod datur intelligi, quod ex hoc ipſo, quod ille homo eſt vnigenitus à Patre habet, quod per vnionem habet plenitudinem gratiæ, & veritatis.* Hæc D. Thom. ex quibus aperte conſtat, Angelicum Doctorem ſenſiſſe; gratiam habitualem non præcedere, vt medium etiam congruentiæ, ſiuè vt congruam diſpoſitionem ante vnionem perſonalem humanitatis cum Verbo, quia eſt effectus conſequens vnionem, quod probat inducta Ioannis auctoritate.

38 *Probatur 2. ratione D. Th.* Deinde probatur ratione D. Thomæ *art. cit. & in argumento ſed contra*; nam eſſe ſubſtantiale prius eſt, quam eſſe accidentale, & illud præſupponitur; ſed vnio humanitatis ad Verbum eſt ſecundum ſubſiſtentiam, quæ eſt aliquid ſubſtantiale; gratia autem habitualis eſt de prædicamento accidentis, præſtatque eſſe accidentale: ergo vnio humanitatis cum Verbo habitualem gratiam præceſſit: & conſequenter gratia habitualis non fuit diſpoſitio

tio

tio congrua ad vnionem. Quæ ratio amplius explicatur; nam in quacumque natura ſubſtantiali creata, prius eſt, quod in ſe ſubſtantialiter exiſtat, quam quod ſubſiſtit accidentibus; ſed humanitas Chriſti exiſtit per exiſtentiam Verbi, & ex vnione ad illam: ergo prius fuit humanitas Verbo vnita, quam gratia habituali exornata; & conſequentèr hæc non præceſſit, vt congruè ad illam diſponens.

Explicatur.

Confirmatur ex D. Thom. 1. p. q. 76. art. 6. in corp. illis verbis: *Sed ſi anima intellectiua vnitur corpori, vt forma ſubſtantialis, ſicut iam ſupra dictum eſt, impoſſibile eſt, quod aliqua diſpoſitio accidentalis cadat media inter corpus, & animam, vel inter quamcumque formam ſubſtantialem, & materiam ſuam. Et huius ratio eſt, quia cum materia ſit in potentia ad omnes actus ordine quodam; oportet, quod id, quod eſt primum ſimpliciter in actibus, primo in materia intelligatur; primum autem inter omnes actus eſſe: impoſſibile eſt ergo intelligere materiam prius eſſe calidam, vel quantam, quam eſſe in actu: eſſe autem in actu habet per formam ſubſtantialem, quæ facit eſſe ſimpliciter, vt iam dictum eſt. Vnde impoſſibile eſt, quod quæcumque diſpoſitiones accidentales præexiſtant in materia ante formam ſubſtantialem, & per conſequens, nec ante animam.* Hæc D. Thom. Ex quibus in hunc modum arguitur: quia eſſe, hoc eſt, exiſtentia ſubſtantialis, quæ eſt primus inter omnes actus, qui à materia reſpiciuntur, præſtatur à forma ſubſtantiali, infert D. Thomas eſſe impoſſibile, quod diſpoſitiones accidentales præintelligantur exiſtere ante formam ſubſtantialem; ſed Verbum, vt humanitati vnitum præſtat humanitati Chriſti eſſe in actu; non enim exiſtit per exiſtentiam creatam, ſed ſolum per exiſtentiam increatam, & diuinam, vt conſtat ex D. Thom. *infra q. 17.* ergo impoſſibile eſt, quod gratia habitualis, quæ dat eſſe accidentale, præintelligatur in humanitate ad vnionem cum Verbo; & conſequentèr non fuit diſpoſitio congrua ad illam.

Confirmatur 1.

39 Confirmatur, & vrgetur ſecundo, & tacita obiectio præoccupatur, ſolutione præcluditur ex eodem D. Thom. *art. citat. ad 2. & expreſſius q. vnic. de anima art. 9. ad 5.* illis verbis: *Ad 5. dicendum quod diſpoſitiones accidentales, quæ faciunt materiam propriam ad aliquam formam, non ſunt media totaliter inter formam, & materiam, ſed inter formam ſecundum quod dat vltimam perfectionem, & materiam, ſecundum quod iam eſt perfecta, perfectione inferioris gradus. Materia enim ſecundum ſe ipſam eſt prima reſpectu infimi gradus perfectionis, quia materia ſecundum ſe ipſam eſt in potentia ad eſſe ſubſtantiale corporeum, nec ad hoc requirit aliquam diſpoſitionem, ſed hac perfectione præſuppoſita in materia requiruntur diſpoſitiones ad vlteriorem perfectionem. Tamen ſciendum eſt, quod potentiæ animæ ſunt accidentia propria animæ, quæ non ſunt ſine ea: vnde non habent rationem diſpoſitionis ad animam ſecundum quod ſunt eius potentiæ, &c.* Hæc D. Thom. Ex quibus aperte conſtat ſentire, ideo ad formam ſubſtantialem diſpoſitiones accidentales præcedere, quia conſtat diuerſis gradibus, & materiam, vt actuatam per vnum ſuſcipere accidentia, quibus ad alium diſponitur; reſpectu autem vnius, & eiuſdem gradus, mutuam præcedentiam non admittere, nec quod accidentia, quæ vnum gradum conſequuntur, poſſint præuiè diſponere ad illum, quo circa potentia, v. c. intellectiua diſpoſitio præuia reſpectu animæ rationalis non eſt, quia gradum vltimum, & differentialem conſequitur, nempè, gradum intelligendi: at in perſonalitate Verbi, vt vnibilis humanitati hæc gradualis differentia non datur; & aliàs vt conſtituens humanitatem exiſtentem, & ſubſiſtentem ad habitualem gratiam ſupponitur: ergo non poteſt eſſe habitualis gratia poſterior; & conſequentèr non poteſt habitualis gratia inter humanitatem, & Verbum mediare, vt diſpoſitio congrua ad vnionem.

Confirmatur 2. D. Thom.

40 Quæ ratio non ſolum probat in ſententia D. Thom. aſſerentis, humanitatem Chriſti non habere propriam exiſtentiam, ſed exiſtere per diuinam, ſed etiam in omni ſententia: negari enim non poteſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi, cum ſecundum fidem certum ſit in Chriſto, nec duas perſonas, nec duo ſuppoſita dari, vt conſtat ex his, quæ *Tract. 2.* docuimus; ſed humanitas vt ſubſiſtens, gratiam habitualem præcedit, & ad illam præſupponitur: ergo non præceſſit vnionem humanitatis cum Verbo; & conſequentèr non fuit præuia diſpoſitio ad illam, Probatur minor; nam ſubiectum connaturale gratiæ non eſt rationalis natura in abſtracto, ſed in concreto, & vt in ſuppoſito exiſtens, ſcilicet, perſona rationalis naturæ, ſed ad gratiam ſupponitur ſubiectum connaturale illius; non minus quam ad alia accidentia: ergo ſupponitur natura, vt ſubſiſtens, cumque in Chriſto duplex ſubſiſtentia non detur, ſed vnica, & illa ſit increata, præſupponitur ad gratiam humanitas vnita ſubſiſtentiæ diuinæ; & conſequentèr non præceſſit vnionem, vt congrua diſpoſitio ad illam.

Ratio facta vrget in omni ſententia.

Secundo principaliter probatur ſecunda pars concluſionis ratione D. Thom. *art. citato in corpor.* vbi probat D. Thom. humanitatem non fuiſſe aſſumptam à Verbo media gratia habituali: *quia eſt effectus conſequens vnionem:* Quæ ratio, vt ſit à præcedenti diſtincta, accipiendus eſt D. Thomas de conſecutione morali, & ſic poteſt formari; non ſtat mutua cauſalitas inter duo in eodem genere cauſæ; ſed ſi gratia habitualis præuiè ad vnionem diſponeret, tanquam diſpoſitio congrua, daretur inter illam, & vnionem mutua cauſalitas in eodem genere cauſæ: ergo non præceſſit, vt diſpoſitio congrua ad vnionem. Conſequentia tenet. Maior eſt communis ſententia, & minor probatur; eatenus namque gratia habitualis eſt effectus conſequens gratiam vnionis, quatenus Deus humanitatem gratia habituali exornauit intuitu gratiæ vnionis, & ratione dignitatis, quam præſtat humanitati; ſed ſi gratia habitualis præcederet, vt diſpoſitio congrua ad vnionem, fuiſſet humanitas Verbo vnita intuitu gratiæ habitualis, & ratione dignitatis, quam humanitati præſtat: ergo ſi vt diſpoſitio congrua præcederet, daretur inter vnionem humanitatis cum Verbo, & gratiam habitualem mutua cauſalitas in eodem genere cauſæ. 41

Secundo probatur alia ratione D. Th.

Confirmatur, & tacita euaſio præcluditur; ſi actus contritionis ſupponeret gratiam habitualem ſub conceptu iuſtificantis, & vt præſtantem animæ ſanctitatis effectum, non poſſet ad illam diſponere, nec phyſicè, nec moraliter; ſed gratia habitualis ſupponit gratiam vnionis, vt dignificantem humanitatem: ergo non præcedit illam, vt diſpoſitio congrua, & moralis. Conſequentia eſt bona. Maior certa; omnes enim Auctores docentes, actum contritionis procedere efficienter à gratia habituali, & eſſe diſpoſitionem phyſicam, vel moralem ad illam conſtanter affirmant, non procedere actum contritionis à gratia habituali, vt iuſtificante animam, ſed vt illam auxiliante, vel ſub alia conſideratione: ergo ſentiunt, quod ſi gratia, vt iuſtificante procederet, illamque prout ſic ſupponeret, non poſſet eandem gratiam præcedere per modum diſpoſitionis, nec phyſicè, nec moralis. Minor autem probatur; nam Deus contulit humanitati Chriſti gratiam habitualem ratione ſummæ dignitatis, quam à gratia vnionis habet ideoque illam plenitudine gratiæ dotauit: ergo gratia habitualis ſupponit gratiam vnionis, vt dignificantem humanitatem. 42

Confirmatur 1.

Confirmatur, & vrgetur ſecundo; ſi actus contritionis ſupponeret gratiam iuſtificantem, vt receptam in anima receptione connaturali, & ab illa vt ſic procederet, non poſſet præcedere gratiam, vt diſpoſitio phyſica, aut moralis; ſed gratia habitualis ſupponit Verbum, vt humanitatem terminans, & vnionem Verbi cum humanitate, vt in illa receptam receptione connaturali, & ab illa vt ſic procedit, tanquam à cauſa morali: ergo non præceſſit vnionem, vt diſpoſitio phyſica, nec vt diſpoſitio moralis. Conſequentia probatione non indiget. Maior conſtat; Auctores namque tenentes, actum contritionis procedere à gratia habituali, & ſimul ad illam diſponere, vt mutuam iſtam dependentiam, & prioritatem tueantur, aſſerunt gratiam ſupponi ad actum contritionis, vel vt informantem animam, non autem vt receptam in illa, vel vt receptam quoad eſſentialia receptione exacta, non verò quoad illa, quæ petit vt connaturaliter recipiatur: ergo ſentiunt non ſtare, quod actus contritionis ſupponat gratiam, vt connaturaliter receptam in anima, & quod ab illa ſic ſumpta efficiatur, & ſimul ad gratiam diſponat. Minor autem probatur; nam vnio humanitatis cum Verbo, nec vt recepta, quoad eſſentialia receptionis, nec vt connaturaliter recepta, dependet à gratia habituali; aliàs fuiſſet diſpoſitio neceſſaria ad illam, cuius contrarium *ſupra* docuimus, & monſtrauimus: ergo ſupponitur ad gratiam habitualem vnio, vt recepta, non ſolum quoad eſſentialia, ſed etiam quoad connaturalia. 43

Confirmatur 2.

Patet conſequentia; nam ex defectu formæ non requiſitæ

finalis, cumque non ſit finis conſequendus per proprietates, erit finis per illas perficiendus, & proprietates erunt medium ad eſſentiam, non vt conſequendam, ſed vt perficiendam; & conſequenter duplex medium eſt admittendum: vnum ordinatum ad conſequendum finem: & aliud ordinatum ad finis iam adepti perfectionem; & hoc ſecundo modo accipiendus eſt D. Thomas cum *in* 3. *Sent.* docuit, gratiam habitualem fuiſſe medium congruitatis ad vnionem, quia, nempè, humanitatem Verbo vnitam exornauit, & ad hoc fuit ordinata.

51 *Replicabis primò.* S. Thom. Sed oppones contra iſtam interpretationem primo, verba illa D. Thom. corporis articuli ante ſecundam quæſtiunculam: *Sed ſicut aduentum formæ in materiam præcedunt ordine fiendi diſponentia formaliter; & materialiter, quibus materia redditur idonea ad ſuſceptionem formæ; ita etiam in humana natura inueniuntur quædam ſuperaddita, quibus redditur decens, vt aſſumatur à Diuina perſona, vt ſcientia, & virtutes, & huiuſmodi. Vnde iſta poſſunt quodammodo dici media congruentiæ* ſed diſponentia materiam, quibus apte redditur ad receptionem formæ præcedunt ordine naturæ in genere cauſæ materialis formæ introductionem: ergo ſcientiæ, virtutes, & gratia, quibus humanitas decens redditur, vt aſſumeretur præcedunt illius aſſumptionem; & conſequenter ſunt diſpoſitiones congruæ præuiæ ad vnionem humanitatis cum Verbo. Secundo oppones, verba D. Thom. ex ſcripto *ad Annibaldum loco vbi proximè in*

Replicabis ſecundò. *corpore*, ibi: *Loquendo tamen de modo congruentiæ animam mediante gratia, & corpus mediante ſpiritu aſſumpſit; quia congruum erat carnem viuificatam, & animam ſua imagine inſignitam, & gratia repletam aſſumere*: ergo iuxta D. Thom. ſicut corpus fuit aſſumptum mediante anima, ita anima fuit aſſumpta mediante gratia; ſed anima reſpectu corporis fuit medium non conſequens vnionem corporis cum Verbo, ſed illam præcedens: ergo gratia habitualis fuit medium non conſequens vnionem humanitatis cum Verbo; ſed antecedens illam.

52 *Ad 1. inſtantiam reſpondetur.* Reſpondeo ad primam inſtantiam, ly *ſicut*, non dicere omnimodam ſimilitudinem, ſed aliquam tantum. Vnde ſufficit ſimilitudo in diſponendo cū diſcrimine in modo diſponendi penès præuiè; & conſequenter diſponere, & ſic explicatis verbis Angelici Præceptoris, & conceſſa minori neganda eſt conſequentia. Quod autem ſic accipiendus, & explicandus ſit D. Thomas, patet primo: nam iuxta hanc explicationem concordantur eius dicta. Secundo quia id expreſſe docet *quæſtiuncula citata ad* 3. *argumentum*, illis verbis. *Cum aſſumi per ſe natura conueniat; omnia autem accidentia præter rationem naturæ ſint; ideò non poterit humana natura ſecundum id, quod aſſumptibilis eſt, eleuari per aliquod accidens additum ad hoc, vt aſſumptibilior fiat*; at ſi per gratiam, vt præcedentem propriam naturę redderetur humanitas congrua, vt aſſumeretur per illam fieret aſſumptibilior, vt enim docet D. Tho. *quæſtione ex commentariy relata art.* 1. *& in hac* 3. *p. ſupra quæſt* 6. *art.* 1. caro aſſumptibilis redditur per animam, quia præcedit vt medium congruentiæ (non enim eſt medium neceſſitatis, vt caro aſſumatur) ergo cum docet, quod ſicut diſponentia præcedunt materialiter formam, ita in humana natura inueniuntur quædam ſuperaddita, quibus redditur decens; non æquiparat in præcedentia, ſed ſolum in diſponendo, cuius ſignum eſt, quod concurſum diſpoſitiuum accidentium reſpectu formæ explicat verbo *præcedenti*, ibi: *Aduentum formæ in materia præcedunt ordine fiendi diſponentia, &c.* loquendo autem de diſponētibus humanam naturam, tali verbo non vtitur, ſed ſic concludit: *Ita etiam in humana natura inueniuntur quædam ſuperaddita, quibus redditur decens vt aſſumatur*. Quo modo diuerſo loquendi manifeſtè indicatur, non intendi à D. Tho. ſimilitudinem in præcedentia, ſed ſolum in diſponendo. Et quidem ſi gratia præcederet, ſcientiæ etiam, & virtutes, & quod magis eſt omnes actus, quos Chriſtus in inſtanti conceptionis exercuit, fuiſſent diſpoſitiones præuiæ ad vnionem, quod neſcio, an Auctores contrariæ ſententiæ ſint admiſſuri. Quod autem ſequatur patet; nam omnia illa decent humanitatem aſſumptam, & illis omnibus exornatur: ergo ſi gratia, quia decens, & quia exornans humanitatem præſupponitur ordine naturę ad vnionem, etiam omnia enumerata præcedent. Nec obſtant illa ver-

Thom. ba D. Thom. *Quibus decens redditur, vt aſſumatur à diuina perſona*, quibus videtur innuere ante iſta dicta accidentia in humanitate, vt aſſumatur à Verbo. Nam interpretanda ſunt, non de aſſumptione, vt in fieri, & ſubſtantialiter ſumpta, ſed de aſſumptione, vt perfecta, perfectionibus ſibi debitis.

53 *Ad ſecundam.* Et ex his ad ſecundam inſtantiam conſtat ſolutio, diſtinguendo conſequens ly *ſicut*, dicente ſimilitudinem in diſponendo, aut in ratione medij concedo conſequentiam: dicente omnimodam ſimilitudinem, etiam in modo mediandi, & diſponendi, nego conſequentiam: & conceſſa minori, nego ſecundam conſequentiam; vt enim ſecunda conſequentia benè inferretur deberet ſeruari in omnibus ſimilitudo, quod non intendi ab Angelico Doctore, patet ex dictis; aliàs ſicut caro aſſumptibilis redditur per animam, per quam viuificatur: ita humanitas per gratiam conſtitueretur aſſumptibilis, vel ſaltim magis aſſumptibilis, quorum vtrumque menti D. Thomæ aduerſatur, vt *numero præcedenti* vidimus.

---

§. V.

Cætera argumenta diluuntur.

54 *Tertium argumentum.* TErtio obijcitur; vt enim docet D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 5. *Omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet quod diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra naturam eius*; ſed perſonalitas Verbi excedit omnem naturam creatam, & creabilem: ergo vt humanitas illi vniatur debet aliqua diſpoſitione, quæ ſupra illam diſponi, cumque nulla alia aptior diſpoſitio ſit, quam gratia habitualis, aſſerendum eſt, fuiſſe diſpoſitionem præuiam ad vnionem humanitatis cum Verbo. Qua ratione vſus eſt D. Th. *art. cit.* ad probandum neceſſarium eſſe lumen gloriæ, vt intellectus Beati diſponatur ad vnionem cum diuina eſſentia, vt gerente munus ſpeciei. Et 1. 2. *q.* 112. *art.* 2. eadem ratione probat requiri ex parte noſtra aliquam diſpoſitionem, qua præparemur ad gratiam iuſtificantem: quia, nempè gratia iuſtificans noſtram naturam excedit, ſed non minus perſonalitas Verbi excedit omnem naturam creatam, quam diuina eſſentia, vt ſpecies, mentes Beatorum excedit, & quam gratia habitualis excedit noſtram naturam: ergo debuit in humanitate gratia habitualis, vt diſpoſitio præcedere, vt ſubſiſtentiæ Verbi vniretur.

55 *Reſpondetur.* Reſpondeo diſtinguendo, & explicando maiorem: ſi id ad quod eleuatur, ſit forma per modum naturæ, vel per modum comprincipij actionis excedentis naturam, concedo maiorem: ex concepto communi excedentis naturam, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam perſonalitas Verbi non eſt forma, quæ natura ſit in ordine ſupernaturali, nec comprincipium actionis excedentis facultatem humanitatis, ſed vnitur illi, vt complementum ſubſtantiale ad exiſtendum loco ſubſiſtentiæ propriæ, & vices eius ſupplendo in terminando dependentiam humanitatis; & ideò licet excedat facultatem, & exigentiam naturæ, non exigit diſpoſitionē, quę humanitas præuiè ad illam præparetur: gratiam autem habitualis eſt in ordine ſupernaturali natura, vnde ſicut formæ naturales, quæ naturam conſtituunt, præuiam diſpoſitionem materiam præparantem requirunt: ita gratia habitualis, quæ in ordine ſupernaturali obtinet rationem naturæ, diſpoſitiones in ſubiecto requirit. Diuina autem eſſentia, vt gerens munus ſpeciei vnitur, vt comprincipium viſionis intellectibus Beatorum, & quia viſio, illorum excedit naturam; & conſequenter non ſunt ex ſe ſufficientes ad illius elicientiam, neceſſum eſt per aliquam formam eleuari, per quam ſufficientes conſtituantur, & hęc eſt diſpoſitio ad vnionem cum diuina eſſentia, vt ſpecie: nam ſicut ſpecies creatę pręſupponunt in intellectu virtutem ad intellectionem obiectorum, quorum ſunt ſpecies: ita diuina eſſentia, vt gerens munus ſpeciei pręſupponit virtutem in intellectu Beati, qua poſſit videre Deum, & hęc virtus, quę pręſtat poſſe ad viſionem, eſt diſpoſitio ad vnionem cum diuina eſſentia, vt gerente munus, & rationem ſpeciei.

56 *Solutio iſta eſt de* Quę ſolutio eſt D. Thom. *in* 3. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 2. *artic.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ſolut. ad* 1. ibi: *Dicendum quod fruitio operationem quandam dicit, vnde per fruitionem*

mente D. Thom. *tionem anima vnitur Deo, ſicut operans operationis obiecto, hoc autem ad rationem perfectæ operationis pertinet, vt à potentia mediante habitu eleuatur; & ideò oportet, quod vnio fruitionis mediante habitu gratuito fiat, vnio autem in perſona eſt ad vnum eſſe perſonale; habitus autem non poteſt eſſe principium perſonæ ſubſiſtentis, ſed eſt ad eſſe conſequens, & ideò gratia non eſt medium in vnione perſonali, ſicut vnionem formaliter cauſans.* Hæc D. Th. Ex quibus apertè conſtat, non petit diſpoſitionem excedentem naturam præcedere omnem eleuationem ad id quod excedit naturam. Et quidem ex oppoſito fieret, dari proceſſum in infinitum inter diſpoſitiones, & formas; cum forma primo eleuans, etiam ſupernaturalis oporteat eſſe; & conſequenter ad illam diſpoſitio deberet præcedere, & eadem ratio militaret in alijs. Et ſi paritas vnionis cum diuina eſſentia, vt ſpecie, aliquid probaret, conuinceret, nec de potentia abſoluta poſſe perſonalitatem Verbi terminare humanitatem ſine gratia habituali: nam vt intellectus Beati cum diuina eſſentia vniatur, neceſſarium eſt, ita indiſpenſabiliter intellectum aliquo intrinſecè eleuante diſponi, vt implicet oppoſitum fieri in communi Thomiſtarum doctrina.

57 *Quartum argumentum. Antecedens probatur 1.* Quartò arguitur, ſtat benè gratiam habitualem conſequi ad gratiam vnionis, & præuiè ad vnionem diſponere: ergo minus benè probat D. Thomas gratiam habitualem non mediare inter humanitatem, & Verbum, vel non eſſe diſpoſitionem præuiam ad vnionem. Antecedens probatur primò: nam quod actus contritionis procedat à gratia habituali in genere cauſæ efficientis, eſt ſententia inter Diſcipulos Diui Thomæ frequentior 1. 2. q. 113. *art.* 8. at proinde actus contritionis conſequitur ad gratiam habitualem tamquam effectus illius, & tamen eſt diſpoſitio præuia phyſica, vel moralis ad gratiam habitualem: ergo pariter quamuis gratia habitualis ſubſequatur ad gratiam vnionis tanquam effectus illius, ſtabit, quod illam vt diſpoſitio præcedat.

58 *Secundò probatur antecedens.* Secundò idem antecedens probatur: nam diſpoſitiones accidentales præſupponunt formam ſubſtantialem; ac proinde conſequuntur ad ſubſtantialem formam tanquam effectus illius; & tamen præuiè ad formam ſubſtantialem diſponunt præparando materiam ad illius receptionem: ergo licet gratia habitualis conſequatur in humanitate Chriſti ad vnionem, poterit eſſe diſpoſitio præuia ad illam. Conſequentia tenet à paritate rationis. Maior eſt doctrina Diui Thomæ *quæſt. vnica de anima art. 9. 1. p. q. 76, art. 6 in hac 3. p. ſupra q. 6. art. 6. & alibi paſſim:* & patet; tum enim in doctrina D. Thom. accidentia non poſſint recipi immediatè in materia ſubſtantiali, neceſſario præſupponunt formam ſubſtantialem, & mediante illa in materia recipiuntur. Minor etiam traditur à D. Thom. *locis citatis*, eſtque frequens Philoſophorum ſententia aſſerentium, formam ſubſtantialem non recipi in materia, niſi, vt accidentalibus diſpoſitionibus præparata, & diſpoſita.

59 *Confirmatur 1.* Confirmatur primò; non enim repugnat mutua inter duo cauſalitas in diuerſo genere cauſæ; ſed gratia habitualis conſequitur gratiam vnionis, vt effectus illius in genere cauſæ, vel quaſi cauſæ efficientis: ergo compatitur cum hoc, quod illam præcedat, non tempore, ſed natura, non præcedentia abſoluta, & omnimoda independentia, ſed præcedentia in genere cauſæ diſpoſitiuæ cum dependentia ab eadem in alio genere cauſæ.

60 *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur ſecundò; vt enim docet D. Thom. *ſupra quæſt. 6. art. 2.* Verbum aſſumpſit animam mediante intellectu; & conſequenter intellectus fuit congrua diſpoſitio præuia, vt anima aſſumeretur, & tamen intellectus eſt accidens; & conſequitur exiſtentiam ſubſtantialem; & ſubſiſtentiam ſupponit: ergo quod gratia habitualis ſit accidens, & vnionem humanitatis cum Verbo ſupponat, ad illamque conſequatur, tanquam eius effectus, non tollit, quod vnionem præcedat, ad illamq; ſupponatur tanquam congrua diſpoſitio.

61 *Reſpondetur.* Ad hoc argumentum reſpondeo, negando antecedens; cum enim gratia habitualis ſupponat gratiam vnionis, vt ſanctificantem humanitatem; fuit enim humanitati Chriſti conceſſa ex affectu filiationis naturalis conuenientis Chriſto, vt homini, & ex complacentia in humanitate, vt ſancta ſanctitate ſubſtantiali, iuxta illud Ioann. 1. *Ioan. 1.* *Vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis.* Quæ verba in prædicto ſenſu explicat Diuus Thom. ita vt gratia habitualis fuerit Chriſto vt homini data, quia vnigenitus à patre, & quia filius naturalis; ſit conſequens, vt gratiam vnionis, vt ſanctificantem humanitatem ſupponat, cum quo non ſtat, quod illam vt diſpoſitio præcedat, ſicut nec ſtaret, quod actus contritionis gratiam habitualem, vt diſpoſitio præcederet, ſi ad illam, vt iuſtificantem conſequeretur, & ab ea, vt iuſtificante procederet, vt ſupra arguebamus.

Et ex his ad primam antecedentis probationem, diſtinguo maiorem: quod actus contritionis efficienter procedat à gratia, vt iuſtificante, eſt ſententia in via Diui Thomæ probabilis, & ſimul quod ad illam diſponat, nego maiorem: à gratia ſub conceptu, & munere auxiliantis, vel ſub alia ratione diſtincta à ratione ſanctificantis, concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Theologi namque docentes, actum contritionis procedere efficienter à gratia habituali, & ſimul ad illam, vt præuiam diſpoſitionem diſponere, nunquam concedunt procedere à gratia, vt iuſtificante animam, ſed ſub alia ratione, nempe, ſub conceptu auxiliantis, vel vt ſe tenet ex parte agentis, vel vt informante ſubiectum; non autem vt in illo recepta, vel ſit vt recepta, non vt recepta connaturaliter, ſed ſolum ſecundum eſſentialia receptionis, vt ſimul defendant, actum contritionis ad eandem gratiam diſponere, manifeſtè ſentientes, non ſtare, quod actus contritionis præuiè diſponat ad gratiam, & ſimul quod ab illa, vt iuſtificante, & vt perfectè animæ communicata efficienter procedat. Ex quo vt ſupra arguebamus robur accipit noſtra ſententia, & ratio, qua illam ex Angelico Doctore confirmauimus, probantes, non poſſe gratiam habitualem præuiè ad gratiam vnionis diſponere, quia conſequitur, vt effectus illius; hæc namque conſecutio non eſt ad gratiam vnionis, vt imperfectè, aut in fieri humanitati communicatam, ſed ad illam in ſtatu perfecto, & vt humanitatem ſanctificante, *vt proximè* dicebamus; fuit enim gratia habitualis data Chriſto, vt homini ex affectu filij naturalis, & ex complacentia in humanitate, vt ſancta ſanctitate ſubſtantiali, quod non præſtatur humanitati niſi à perſonalitate Verbi, vt perfectè illi communicata; & conſequenter ad gratiam vnionis, vt in ſtatu perfecto gratia habitualis conſequitur, cum quo non ſtat, quod ad eandem præuiè diſponat. 62 *Ad primam antecedentis probationem reſp.*

Ad ſecundam antecedentis probationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Ratio autem differentiæ habetur ex dictis, vt enim ex D. Thom. vidimus, ideo accidentia conſequuntur, & præcedunt formam ſubſtantialem in materia, quia conſtat diuerſis gradibus virtualiter diſtinctis, & materia, vt per formam ſubſtantialem actuata ſecundum primum gradum, ſubijcitur accidentibus, quibus ad vlteriores gradus diſponitur; hæc autem graduum diſtinctio in gratia ſubſtantiali vnionis non datur, nec in ſubſiſtentia Verbi, vt nihil humanitati; & ideo gratia habitualis conſequens gratiam vnionis, adæquatè ad illam conſequitur, cum quo non ſtat, quod illam aliqua ratione præcedat. Imò vt ſupra argumentabamur exemplo formæ ſubſtantialis, noſtra confirmatur ſententia, & manifeſtè probatur; vt enim conſtat ex doctrina D. Thom. ſupra adducta, quia potentiæ rationales conſequuntur ad animam ſecundum vltimum gradum non diſponunt præuiè ad illam, ſed ſolum concomitanter, at gratia habitualis conſequitur ad gratiam vnionis, prout gratia vnionis eſt ſecundum vltimam differentiam; vel quaſi differentiam illius: ergo non fuit præuia diſpoſitio ad vnionem. 63 *Ad ſecundam reſpond.*

Sed dices, calor, vt octo, ſequitur ad formam ignis ſecundum vltimum gradum; cum ſit propria paſſio ignis, & paſſiones ſequantur ad eſſentiam ſpeciei ſecundum vltimam differentiam illius; & tamen ad formam ignis, antecedenter diſponit, vt plures Diſcipuli D. Th. docent in *libris de Generatione*: ergo quod gratia habitualis ſequatur ad gratiam ſubſtantialem vnionis ſecundum vltimam differentiam, & non impedit, quod ad illam præuiè, & antecedenter diſpoſuerit. 64 *Replicatur.*

Reſpondeo primò, conceſſa maiori, negando minorem; nec video qualiter prædicta ſententia poſſit componi cum Angelici Præceptoris doctrina *ſupra adducta*. Si namque, vt docet D. Tho. potentiæ rationales non diſponunt præuiè, & antecedenter animam, quia conſequuntur ad illam ſecundum vltimum gradum, per euidentem conſequentiam infertur, nullam proprietatem conſecutam ad vltimum gradum formæ poſſe præuiè ad eundem gradum diſponere; & conſequenter calor, vt octo, ſecutus ad formam ignis ſecundum vltimum gradum, non ante- 65 *Reſpondetur.*

antecedenter, ſed ſolum concomitanter ad formam ignis diſponit. Nec obſtat, quod à pluribus Thomiſtis dicta ſententia doceatur; nam licet nedum plurium, ſed etiam vnius Thomiſtæ auctoritas apud me magni ſit ponderis, cum de mente Diui Thomæ non conſtat, ſequenda tamen non eſt quando aperte Diuus Thomas in oppoſitum inclinat qualiter in præſenti contingere, manifeſtum apparet vt vidimus.

66 *Reſpōderi poteſt 2.* Quod, ſiquis voluerit ſententiam illam defendere, & cum doctrina, quam in præſenti tuemur componere, poterit obiectioni factæ occurrere, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam: & rationem diſcriminis aſſignabit ſumptam ex doctrina Thomiſtarum illi ſententiæ adhærentium; docent enim ſententiam illam tenentes, formam ſubſtantialem ſecundum vltimum gradum conſiderari dupliciter: primo, vt receptam in materiam ſecundum ea, quæ eſſentialia ſunt receptioni: ſecundo, vt connaturaliter in materia recepta, & ſub prima conſideratione antecedere vltimas diſpoſitiones, eoquod non ſunt eſſentialiter neceſſariæ, vt forma recipiatur, vt tamen connaturaliter recepta ad diſpoſitiones ſub ſequitur, ſunt enim tales diſpoſitiones neceſſariæ, vt forma connaturaliter in materia recipiatur, quæ diſtinctio, & doctrina in noſtro caſu non tenet. Nam perſonalitas Verbi, vt vniatur humanitati, non dependet à gratia habituali dependentia eſſentiali, vt ſupponitur, nec dependentia connaturali, vt enim ſupra dicebamus, ſubſiſtentia Verbi vnitur humanitati vice ſubſiſtentiæ propriæ, terminandoque eandem dependentiam, qua humanitas dependeret à ſubſiſtentia ſibi connaturali; vt autem humanitas propriæ ſubſiſtentiæ vniretur connaturaliter, a nullo accidenti dependeret; & conſequenter vt Diuino Verbo vniatur, ab illoque ſuſtentetur, à nullo accidente dependet, nec ſecundum eſſentialia vnionis, nec ſecundum connaturalem modum illius.

67 *Ad primā confirmationem.* Ad primam confirmationem dicatur, mutuam cauſalitatem in diuerſo genere cauſæ, poſſe inter duo intercedere, cum cauſæ non petunt eundem modum exiſtendi ad cauſandum. Secus autem ſi eundem modum exiſtendi poſtulant, vnde quamuis cauſa vniuerſalis, & cauſa particularis efficiens, non ſint eiuſdem generis infimi cauſæ, repugnat omnino duo inter ſe ſic comparari, vt ad inuicem cauſentur, vno ſe habente, vt cauſa vniuerſali, & alio, vt cauſa particulari: quia nempe, vterque modus cauſandi præexiſtentiam ad effectum expoſcit. Et licet cauſa efficiens principalis, & cauſa inſtrumentalis in genere cauſæ efficientis ſpecifice differant, quia tamen vtraque vt phyſice exiſtens cauſat, implicat quod inſtrumentum ſuam cauſam efficientem inſtrumentaliter cauſet, & è contra omnino repugnat, quod aliquid efficienter principaliter cauſet id, à quo, vt ab inſtrumento efficienti dependet. Quia ergo vt gratia vnionis cauſet moraliter gratiam habitualem, vt exiſtens præſupponitur, & gratia habitualis, vt concurſum moralem diſpoſitiuum in gratiam vnionis præſtarat, etiam deberet concipi, vt ad illam præexiſtens; fit conſequens, quod quamuis in ratione cauſæ moralis non conueniant ſpecifice athome, non poſſit inter illas mutua hæc moralis cauſalitas intercedere; ac proinde eſtenſo, vt oſtendimus gratiam vnionis fuiſſe cauſam gratiæ habitualis in humanitate Chriſti, efficaci illatione colligitur hanc, illam non præceſſiſſe, vt diſpoſitionem moralem.

68 *Ad 2. cōfirm. reſpond.* Ad ſecundam confirmationem dicatur. D. Tho. nomine mentis, ſeu Spiritus, non accipere intellectum, qui eſt potentia proxime intellectiua realiter diſtincta ab anima, ſed gradum radicaliter intellectiuum virtualiter diſtinctum à gradu ſenſitiuo, & vegetatiuo, vtque his inferioribus gradibus medium virtualiter congruentiæ aſſumptibilitatis; redduntur enim congruæ aſſumptibiles à Verbo, eo quod ſunt gradui intellectiuo coniuncti, vnde in bruto & planta illæ congruitatem vt a Verbo aſſumantur non habet. Senſus ergo doctrinæ D. Thom. eſt, animam ſenſitiuam fuiſſe aſſumptam, mediante anima, vt radicaliter intellectiua, quia ex gradu intellectiuo fuit redditus gradus ſenſitiuus congruenter aſſumptibilis à Verbo. Quæ explicatio eſt Caietani in commentario articuli in argumento relati, & ſatis apertè à D. Tho. inſinuatur in eodem articulo ad primum; ac proinde ex doctrina D. Tho. nihil contra rationem probatiuam noſtræ concluſionis infertur, nec colligitur, quod accidens aliquod, vnionem, humanitatis ad Verbum, vt [illegible] congrua præcedat.

Sed dices, Verbum aſſumpſit humanitatem perfectam omni perfectione ſibi debita, & connaturali; ſed intellectus ſumptus pro potentia proximè intellectiua, eſt perfectio debita humanitatis, & præcipua inter omnes perfectiones accidentales, quæ humanitati debentur: ergo Verbum aſſumpſit humanitatem, vt præditam intellectus & conſequenter humanitas pro priori ad aſſumptionem à Verbo fuit per intellectum perfecta: aliàs pro illo priori imperfecta intelligeretur. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: aſſumpſit humanitatem perfectam omni perfectione ipſi debita eo ordine, quo humanitati debentur, concedo maiorem: hoc ordine non ſeruato, nego maiorem, & diſtinguo minorem: intellectus eſt perfectio debita humanitati pro priori ad aſſumptionem à Verbo, nego minorem: eſt perfectio debita humanitati in inſtanti *in quo* aſſumptionis pro ſigno poſteriori ad illam, concedo minorem, & diſtinguo conſequens diſtinctione minoris. Solum enim ſequitur Verbum aſſumpſiſſe humanitatem prædictam intellectu in inſtanti *in quo* aſſumptionis; non autem quod intellectus in illa aſſumptionem præcedat. Nec ſequitur, humanitatem pró priori ad aſſumptionem ſuppoſitam fuiſſe imperfectam; cum enim intellectus non debeatur pro illo priori, carentia illius pro tunc, imperfectio priuatiua non eſt; ac proinde non eſt ſufficiens, vt humanitas ex illa, imperfecta conſtituatur. Et quidem cum ſubſiſtentia Verbi ſuppleat vices ſubſiſtentiæ creatæ, & compleat dependentiam, qua humanitas à propria ſubſiſtentia dependet, non ſupponit vt humanitati vniatur, id quod non ſupponeret perſonalitas propria: at ſic eſt, quod intellectus non præcederet perſonalitatem propriam humanitatis: ergo nec præcedit in illa ante ſubſiſtentiam Verbi pro aliquo ſigno naturæ.

69 *Inſtabis.* ... *Reſpondetur.*

70 *Vrgebis contra ſolutionem primæ cōfirmationis.* Vna tamen ſupereſt obiectio ex noſtra doctrina ſumpta contra ſolutionem datam ad primam confirmationem; vt enim *Tract. 2. diſp. 13.* docuimus, inter gratiam Antiquorum Patrum, & Incarnationem Verbi intercefit mutua cauſalitas in genere cauſæ moralis meritoriæ, ita vt gratia fuit Antiquis Patribus data intuitu meritorum Chriſti de condigno; & Incarnatio Verbi fuerit executa intuitu meritorum Sanctorum Patrum ex congruo: ergo potuit gratia habitualis dari humanitati Chriſti ob condignitatem gratiæ ſubſtantialis vnionis, & hæc ob illam: vel propter illius congruitatem, non obſtante, quod hæc mutua cauſalitas ſit in eodem genere cauſæ moralis.

71 *Reſpōdet primò.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam merita Chriſti cauſarunt gratiam Antiquorum Patrum, præuiſa, vt futura in vi decreti intentiui, quod in genere cauſæ finalis fuit prius decreto intentiuo, & executiuo gratiæ Antiquis Patribus datæ, & merita Antiquorum Patrum cauſauerunt meritorie de congruo Incarnationem, viſa, vt præexiſtentia ad illam, vt executam, inter quos modos naturæ cauſalitatis, nulla repugnantiam inuenitur; non enim vnum ad aliud, vt præexiſtens ſupponitur, & è cōuerſo, ſed vnum cauſat, vt præexiſtens, aliud vero cauſat, vt futurum. Quæ doctrina, & diſtinctio in modo cauſandi inter gratiam vnionis; vt de facto fuit data, & gratiam habitualem intercedere non potuit; nam gratia vnionis de facto gratiæ habituali præextitit in executione, vnde vt fuiſſet data intuitu congruentiæ præſtitæ per gratiam habitualem oportebat, vt hæc cauſaret, præuiſa, vt futura in vi decreti intentiui, quod accidere non potuit; nam quod in ordine intentionis præcedit, eſt finis; gratia autem habitualis non fuit finis gratię vnionis, nec potuit reſpectu illius rationem finis ſortiri, ob ea, quę *Tract. 1. diſp. 8.* docuimus, & ideo non potuit inter gratiam vnionis, & gratiam habitualem mutua hęc cauſalitas interuenire.

72 *Reſpondetur 2.* Secundo reſponderi poteſt, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: potuit id contingere de potentia abſoluta, & non ſeruato modo connaturali cauſandi, tranſeat conſequens: de potentia ordinaria, & modo cauſandi debito, connaturali ſeruato nego conſequentiam; vt enim *diſp. 13.* docuimus, modus cauſandi debitus connaturaliter cauſæ moralis, eſt quod cauſet, viſa, vt præexiſtens; cauſare autem præuiſa, vt futura præmio anticipate dato, & illius effectu ante illum executo, modus connaturalis non eſt, ſed permiſſus, & [illegible] in ordine gratiæ acciderunt diuina [illegible], fuiſſe facta iuxta modū cor[illegible] reuelatum, vel ex reuela[illegible] natur[illegible], & ad aſſerendum, [illegible] vrge[illegible]

uenit Verbo in ſe ipſo, ſed vt vnito humanitati vnione ſe habente, non ve ratione formali, ſed tantum vt conditione, & non conuenit Verbo ratione humanitatis, ſed potius humanitati conuenit ratione Verbi. Idemque dicendum eſt, de radicatione phyſica gratiæ, quod, nempe, conuenit Verbo, vt vnito humanitati; ly *vt* dicente conditionem ad prædictam conuenientiam. Vnde neceſſarium non eſt, quod Verbo ratione humanitatis conueniat, ſed ratione ſui, non abſolutè, & in ſe, ſed vt ſubſiſtenti in humanitate.

80 *Contra.* Sed contra; nam efficientia ad extra, quia conuenit diuinis perſonis, ratione naturæ, perfectionumque abſolutarum, taliter illis conuenit, quod implicet efficientia alicuius effectus, quæ non ſit tribus perſonis communis; ſed radicatio ad extra, ſi conueniret Verbo eſſet ratione naturæ: ergo non poſſet non eſſe communis tribus perſonis; & conſequenter; ſi verbum vnitum humanitati radicaret phyſicè gratiam, & dona ad ordinem gratiæ ſpectantia, talis radicatio è tribus perſonis eſſet. Nec eſt eadem ratio de radicatione morali: hæc enim non conuenit Verbo vt *quod*, quatenus in ſe ipſo ſubſiſtit, ſed humanitati, aut Chriſto, quatenus homini ratione Deitatis, vt ſanctificantis humanitatem, & quia ſanctificatio prouenit à Deitate, vt vnita mediè perſonalitate Verbi; fit conſequens, vt non ſit communis tribus perſonis, nec radicationem phyſicam prouenientem ab humanitate ratione Deitatis, vt principij *quo* radicalis, ideo negamus, quia ſequeretur fore Trinitatis communem, ſed quia repugnat Deitati eſſe formam phyſicam humanitatis, vt mox explicabimus.

81 *Contraria ſententia.* His poſitis, reſtat modo difficultas de humanitate Verbo hypoſtaticè vnita. An gratia habitualis dimanet phyſicè ab illa, non ratione ſui, ſed ratione alicuius prædicati, ex his, quæ in Christo inueniuntur, & ad quæ humanitas fuit per aſſumptione euecta? Affirmant quidam, quos ſine nomine refert Vincentius *vbi loc. de Gratia Christi q. 2. pag 160.* refertur pro hac ſententia, Cabrera *ſupra q. 2. art. 10. diſp. 1. num. 7.* illam tenet Granadus *controu. 3. de Incarnatione tract. 6. diſp. 3.* pro ea referens Caietanum *q. præcedenti artic. 13.* Durandum *in 3. diſt. 2. q. 3.* Toletum *annotatione 47. in caput primum Ioannis*, & Medinam *q. 7. art. 13. dub. 1.* docentes, gratiam habitualem eſſe proprietatem vnionis hypoſtaticæ; quod enim abſolutè eſt proprietas, ad id, cuius eſt proprietas dimanatiuè conſequitur, illamque Salmanticæ publicè defenſatam vidi, & Magiſtro Curiels attributam.

Vincent. Cabrer. Gran ad. Cater. Durand. Tolet. Medin.

82 *Concluſio Caiet.* Contra iſtam ſententiam, noſtra concluſio procedit, quam præter Auctores relatos *ſupra*, expreſsè tenet Caietanus *ſupra quæſtione 2. artic. 12.* vbi docet, gratiam poſſe dici Chriſto naturalem, quia ab illius natura diuina in humanitate cauſatur; non tamen poſſe dici naturalem in modo cauſandi; non enim neceſſario, & naturaliter, ſed libere cauſatur ab illa, niſi ad ſummum virtualiter, & conditionaliter, hoc eſt, quod ſi diuinæ naturæ competeret ad extra vterque modus cauſandi, nempè, libere, & neceſſario hoc ſecundo modo cauſaretur à diuinitate gratia in humana natura. Quare immeritò Pater Granadus, Caietanum pro contraria ſententia refert Medina etiam expreſsè dictæ ſententiæ aduerſatur *ſupra quæſtione ſecunda artic. 12.* vbi docet, gratiam libere a diuina natura in humanitate cauſari, quod ſtare nequit cum hoc, quod dimanatiuè phyſicè ab illa procedat, etſi poſſit dici Chriſto naturalis, quia cauſetur in Chriſto ab vna ex naturis, ex quibus Chriſtus componitur, nempè, e natura diuina, & hoc eſt, quod docuit *quæſt. 7. art. 3.*

Caietanus, & Medina noſtram concluſionem tenent.

83 *Probatur concluſio.* Verum quidquid ſit de hoc, noſtra concluſio probatur; vt enim *num. 74.* tanquam certum ſuppoſuimus, gratia habitualis non dimanat ab humana Chriſti natura inſpecta ratione ſui; ſed nullum eſt prædicatum in Chriſto, per quod humanitas conſtituatur radix gratiæ, & ratione cuius gratia ab humanitate dimanet: ergo non conſequitur ad illam dimanatiuè in vi ſolius actionis, qua fuit à diuino Verbo aſſumpta, ſed per nouam, & diſtinctam actionem fuit ipſi gratia habitualis infuſa. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; nam præter humanitatem, tria reperiuntur in Chriſto, nempè, modus ſubſtantialis vnionis, ſubſiſtentia Verbi, & diuinitas, ſed nullum iſtorum poteſt conſtituere humanitatem radicem phyſicam gratiæ habitualis; nam modus vnionis ſolum habet vnire humanitatem Verbo perſonalitas Verbi principium *quo* radicaliter operatiuum non eſt; & conſequenter, nec vt *quo* radicatiuum gratiæ; quæ radicaliter operatiua eſt; diuinitas autem ſolum mediatè humanitati vnitur, nec poteſt illam informare phyſicè, aut cum illa identificari, quorum aliquid neceſſarium erat, vt humanitas per illa radix gratiæ conſtitueretur: ergo gratia habitualis, non dimanat phyſicè ab humanitate, vt Diuino Verbo vnita, & ad eſſe Verbi perſonale in vi aſſumptionis euecta.

84 *Reſpondet Granadus.* Huic argumento Pater Granadus *Diſput. allegata num. 8.* reſpondet, illud mirabile compoſitum ex perſona Verbi, & humanitate, eſſe in actu primo ad eliciendos actus vitales ſupernaturales; & quia nec humanitas ratione ſui, nec Verbum, quatenus Verbum, habet eam vim, vt per emanationem producat habitus infuſos: ideo modus vnionis hypoſtaticæ eſt, qui phyſicè illos producit, & in hoc ſenſu vnio hypoſtatica eſt, velut actus primus, ſeu prima radix, à qua tales actus dependent.

85 *Si ei obijciatur 1.* Quod ſi illi opponatur primo, in alijs compoſitis vnio non eſt principium radicaliter operatiuum, vt conſtat in vnione animæ rationalis cum corpore, quæ operatiua radicaliter non eſt, nec principium e quo animæ proprietates dimanant: ergo idem eſt de vnione hypoſtatica dicendum. *Reſpõdet.* Reſpondet *num. 6.* negando conſequentiam; nam alia compoſita conſtant forma proportionata ad radicandas proprietates illorum; & ideo non vnio, ſed illorum formæ, proprietates radicant; hoc autem mirabile compoſitum ex Verbo, & humanitate, eſt longè alterius rationis; conſtat enim ex extremis, quæ non ſunt proportionata accidentibus ſupernaturalibus, quæ in illo debent reperiri; ideoque ſolum ſupereſt nexus, vel vnio extremorum, cui vt principio phyſico radicali proprietates attribuatur.

86 *Si ei obijciatur 2.* Si opponatur ſecundo; quod vnio non eſt natura, nec naturam aliquam, vt forma conſtituit: ergo gratia habitualis non dimanat phyſicè ab illa. *Reſpõdet.* Reſpondet *num. 12.* conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; ſufficit enim ad prædictam emanationem, quod mediante vnione conſtituatur vnum compoſitum, illudque nouum, & omnino mirabile, cui proinde debeantur nouæ proprietates, quales alijs compoſitis non debetur.

87 *Reijcitur 1.* Ita diſcurrit P. Granadus in ſuæ ſententiæ defenſione, & quidem rectè, ſi probaret præmiſſas. Nam ex eo quod compoſitum ex Verbo, & humanitate reſultans, ſit ratione ſui radicaliter phyſicè operatiuum ſupernaturalium operationum, & humanitas, & Verbum non præſtent huic compoſito vim phyſicam radicalem, rectè infertur, fore ab vnione præſtandam, cæterum vt argumentum probatiuum eſſet, oportebat, probare maiorem factis diſcurſus, quod, nempè, compoſitum iſtud mirabile ratione ſui præcedenter ad gratiam habitualem, eſſet radicaliter phyſicè operatiuum in ordine ſupernaturali, quod à nobis, & ab Auctoribus noſtræ ſententiæ negetur, & efficaci argumento ſuadetur ſumpto ex eo quod in prædicto compoſito, etſi vndequaque mirabili, nulla entitas reperitur, quæ poſſit eſſe principium quo radicale phyſicum operationum ſupernaturalium; & conſequenter compoſitum, etſi ineffabile, nequit eſſe ratione ſui, & vt dona omnia accidentalia præcedit radicaliter phyſicè operatiuum, vt *quod* in ordine ſupernaturali. Et quidem eodem argumento poſſet Pater Granadus probare, vnionem humanitatis cum Verbo eſſe principium, non ſolum radicale, ſed etiam proximum operandi in ordine ſupernaturali in hunc modum arguendo. Compoſitum, ex humanitate, & Verbo reſultans, eſt operatiuum proximè ſupernaturaliter; ſed id non habet ratione humanitatis, nec ratione Verbi: ergo illi conuenit ratione vnionis; & conſequenter eſt operatiua proximè vt *quo* in ordine ſupernaturali. Qui diſcurſus conuincit ſuppoſita veritate maioris; quia tamen maior non probatur, nec poteſt, ratio probatiua non eſt, quæ vltra bonitatem conſequentiæ petit veritatem præmiſſarum: ergo pariter argumentum Patris Granado, etſi bona conſequentia ſit, probatiuum tamen non eſt, & ſolutiones, quæ in illo diſcurſu fundantur ſunt nullæ.

88 *Probatur vnionem non eſſe radicem, primò.* Deinde reijcitur; vnio namque non eſt operatiua vt *quo* radicaliter; ergo ratione illius non eſt humanitas radix gratiæ habitualis, nec ad humanitatem ratione vnionis dimanatiuè conſequitur. Conſequentia eſt euidens; nam principium *quo* radicans principium operatiuum, eſt operatiuum vt *quo* radicaliter: ergo ſi vnio hypoſtatica non eſt vt *quo* radicaliter operatiua, nequit eſſe principium *quo* radicale gratiæ, & donorum ad ordinem gratiæ ſpectantium. Antecedens autem oſtenditur primo; ſi namque vnio

hypoſtatica eſſet principium *quo* radicale operandi, maximè, quia longè ſuperat perfectionem gratiæ habitualis, quæ eſt operatiua radicaliter vt *qua* (ſic arguit Granadus vbi *ſupra num.6.*) at hæc ratio eſt nulla: inſtatur namque in ſubſiſtentia Verbi, quæ infinitè excedit gratiam habitualem; & tamen in ſententia illius Auctoris non eſt vt *quo* radicaliter operatiua, nec ab illa gratia dimanat. Inſtatur etiam comparatione facta cum lumine gloriæ, quod etiam ab vnione excedit, quin ex hoc inferatur, quod ſi lumen gloriæ eſt principium *quo* proximum viſionis beatificæ, vnio etiam ſit proximum principium viſionis: ergo vnio ſubſtantialis humanitatis cum Verbo non eſt principium *quo* radicale operandi, nec principium dimanationis gratiæ habitualis.

89 *Secundò probatur.* Secundo probatur; nam vnio non eſt in ordine ſupernaturali natura; ſed ſi eſſet radicaliter vt *quo* operatiua, eſſet natura in ordine ſupernaturali; ergo non eſt operatiua vt *quo* radicaliter, & conſequenter non eſt principium à *quo* gratia habitualis, & dona ipſam conſequentia dimanant. Maiorem concedit Granadus vbi *ſupra num.11.* & conſtat. Tùm, quia nullus Theologorum id docuit. Tùm etiam, quia aliàs vnione à ſe diſtincta indigeret, ſicut gratiam habitualem, quæ natura eſt, modo vnionis ab illa realiter diſtincto indigere, vt vniatur proprio ſubiecto docent omnes, qui modum vnionis realiter à materia, & forma diſtinctum admittunt. Tum denique nam modus, quo gratia vnitur proprio ſubiecto, natura in ordine ſupernaturali non eſt, nec modus, quo anima rationalis vnitur materiæ, eſt in ordine naturali natura: ergo modus vnionis, quo humanitas Verbo vnitur, non eſt natura ſupernaturalis ordinis.

90 Minor autem probatur primo; non enim alia ratione gratia habitualis eſt natura in ordine ſupernaturali, niſi quia eſt radix ſupernaturaliter operandi: ergo ſi vnio eſt radix operandi ſupernaturaliter, eſt in ordine ſupernaturali natura. Secundo; nam eſſentia naturæ conſiſtit in radice motus: ergo eſſentia naturæ ordinis ſupernaturalis conſiſtet in radice motuum ſupernaturalium; & conſequenter ſi vnio eſt principium radicale ſupernaturaliter operandi, erit in ordine ſupernaturali natura. Tertio; nam conceptus naturæ diuinæ conſiſtit in radice increata videndi, & amandi Deum: ſed ſi vnio hypoſtatica eſſet radicaliter operatiua in ordine ſupernaturali, eſſet formalis participatio huiuſcemodi conceptus; ergo eſſet formalis participatio naturæ diuinæ ſub concepto naturæ; & conſequenter eſſet natura diuina participata, & in ordine ſupernaturali natura.

91 *Si reſpondeatur.* Si forte dicatur, non ſequi, quod ſit in ordine ſupernaturali natura, ex eo quod ſit radix gratiæ habitualis in humanitate Chriſti, quia vt conceptum naturæ in ordine ſupernaturali obtineret, oportebat, radicare immediatè facultates proximè operatiuas in ordine ſupernaturali. Tùm, quia gratia habitualis ideo eſt in ordine ſupernaturali natura, quia immediatè prædictas facultates radicat. Tùm etiam, quia natura diuina, cuius formalis participatio eſſet debet, vt ſit natura ordinis ſupernaturalis, in radice virtuali, non mediata, ſed immediata intellectus, & voluntatis conſiſtit; vnio autem non radicat immediatè facultates proximè operatiuas ſupernaturalis ordinis, ſed mediatè, quatenus immediatè radicat gratiam habitualem, in qua prædictæ facultates immediatè radicantur; & ideo quamuis ſit operatiua radicaliter, vt *quo* non infertur eſſe in ordine ſupernaturali naturam.

92 *Contra 1.* In contrarium obſtat primo; naturam diffiniri à Philoſopho, quod eſt *prima radix motus*: ſed radix mediata facultatum ſupernaturalium, quæ ſunt proxima principia operandi, perfectiori modo obtinet rationem primę radicis operationis, quam radix immediata prædictarum facultatum, cum hæc illam præſupponat, ad illam autē nulla alia præſupponatur: ergo ſi radix immediata facultatum ſupernaturalis ordinis obtinet conceptum naturæ, à fortiori radix immediata gratiæ habitualis, & mediata facultatum ſupernaturalis ordinis, quæ immediatè radicantur in gratia, rationem naturæ in ordine ſupernaturali obtinebit; & conſequenter vnio hypoſtatica ſi radicat phyſicè immediatè gratiam habitualem, & mediatè dona, ipſam conſequentia, erit in ordine ſupernaturali natura.

93 *Contra 2.* Secundo; non enim minus eſt de ratione formæ ſanctificantis radicare moraliter dona ſupernaturalia, quam de ratione naturæ ordinis ſupernaturalis illa phyſice radicare, vt vidimus *Diſp.20.* de ſanctificatione humanitatis tractantes; ſed ad rationem formæ ſanctificantis, ſufficit radicatio moralis mediata facultatum ſupernaturalium; vnde humanitas ſanctificatur à Verbo ſanctitate formali ſubſtantiali, quamuis non radicet moraliter immediatè dona ſupernaturalia, quæ ſunt proxima principia operandi, ſed ſolum gratiam habitualem immediatè radicando, & cætera dona mediatè: ergo ſi vnio hypoſtatica radicat immediatè phyſicè gratiam habitualem, erit in ordine ſupernaturali natura, quamuis mediatè ſolum comparetur in ratione radicis cum principijs proximè elicitiuis operationum ſupernaturalium.

Nec obſtat, naturam diuinam conſiſtere in radice immediata facultatum intelligendi, & amandi; non enim eſt neceſſarium, quod in forma participante, eodem modo inueniatur perfectio participata, quo inuenitur in illo, cuius eſt participatio. Et quidem natura diuina radicat intellectum, & voluntatem per ſummam identitatem cum illis; & tamen gratia habitualis eſt natura diuina participata, etiam ſi non identificetur cum donis, quorum eſt radix. Maneat ergo vnionem hypoſtaticam non eſſe principium *quo* radicaliter operatiuum in ordine ſupernaturali; ac per conſequens non poſſe gratiam habitualem dimanare ab humanitate ratione vnionis hypoſtaticę, vt principij *qua* prædictæ dimanationis. 94

§. VII.

Secunda ſolutio principalis argumenti reijcitur.

SEcunda ſolutio principalis argumenti eſt, humanitatem eleuari à diuinitate ſibi vnita, vt ſit radix gratiæ, & donorum ipſam conſequentium, & ad humanitatem ratione diuinitatis conſequi prædicta dona per phyſicam dimanationem, ita vt diuinitas concurrat per modum principij *quo* radicalis, & humanitas, vel Chriſtus, vt homo ſit principium *quod* radicale dimanationis gratiæ, ad modum quo virtutes per ſe infuſæ, conſequuntur ad gratiam habitualem, & ab illa phyſicè dimanant in frequentiori Thomiſtarum ſententia. Gratia ſe habente, vt principio *quo* prædictæ dimanationis, & operatiuo radicaliter; anima autem vt principium *quod* radicaliter operatiuum, & vt *quod* radicatiuum, non ratione ſui, ſed ratione gratiæ habitualis. Ita quendam in publicis diſputationibus Salmanticæ audiui, vt dum mente Magiſtri Curielis. 95 *Secunda ſolutio.*

Contra quam doctrinam obijciunt quidam Recentiores primo; nam principium dimanationis alicuius proprietatis, debet eſſe ſubiectum receptiuum illius, vt conſtat in anima rationali, in qua recipiuntur voluntas, & intellectus; quia eſt principium dimanationis illorum; ſed diuinitas non recipit in ſe ipſa gratiam habitualem, nec dona illam conſequentia: ergo non conſequuntur dimanatiuè ad illam. Secundo; nam diuinitas non vnitur humanitati immediatè, ſed mediante ſubſiſtentia Verbi, cui vt diſtinctæ à diuina natura, & ſecundum conceptum ſuperadditum ad illam, humanitas immediatè vnitur, vt contra Durandum monſtrauimus *Tract. 3. Diſp. 13. §. 1.* ſed perſonalitas, vel ſubſiſtentia Verbi immediatè humanitati vnita, non eleuat illam, vt ſit radix phyſica gratiæ, & donorum ipſam conſequentium, vt Auctores ſolutionis fatentur, & docent communiter Theologi, eo quod perſonalitas ex proprio conceptu, non eſt principium *quo* operatiuum proximè, vel radicaliter, ſed ſolum complet naturam ad exiſtendum, & operandum: ergo Deitas mediatè humanitati vnita, non eſt illi principium *quo* radicale operatiuum, nec radicatiuum; & conſequenter gratia, & dona ſupernaturalia non dimanant phyſicè ab humanitate Chriſti, ratione diuinitatis. 96 *Contra hanc ſolutionem obijciunt aliqui.* 97 *Secundò.*

Tertio alij ſic arguunt diuinitas namque non poteſt ad extra aliquid neceſſario operari, ſed omne, quod ad illa effectiuè cauſatur liberè omnino procedit; ſed principium aliquam proprietatem radicans non liberè, ſed neceſſario influit in proprietatem radicatam; cum hæc neceſſario conſequatur ratione connexionis neceſſariæ, quæ inter ipſam, & principium inuenitur, vt conſtat diſcurrendo per omnia, quæ proprietatis rationem ſortiuntur: ergo diuinitas non eſt principium dimanationis 98 *Tertiò obijciunt alij.*

gratiæ

gratiæ habitualis in humanitate Chriſti, nec ab illa ratione diuinitatis neceſſario phyſicè dimanat gratia habitualis.

99 *Denique ab alijs obijcitur.* Denique ab alijs contra prædictam ſolutionem, & doctrinam arguitur; ſequitur namque ex illa gratiam habitualem dimanare à tota Trinitate, non ſolum à Verbo humanitati hypoſtaticè vnito; conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Falſitas conſequentis conſtat; ſolum enim, quod per Incarnationem fuit humanitati vnitum, poteſt eſſe forma, & principium, ratione cuius humanitas eleuetur, & in ratione radicis conſtituatur; ſed ſolum Verbum fuit humanitati per Incarnationem vnitus; aliàs tres perſonæ fuiſſent Incarnatæ, quod eſt contra fidem: ergo tres perſonæ non ſunt principium dimanationis gratiæ, ſed ſolum Verbum illam eleuat, vt ſit radix gratiæ habitualis, ſuppoſito, quod humanitas ſit radix phyſica illius, non ratione vnionis, aut alterius perfectionis creatæ, ſed ratione perfectionis, aut formalitatis diuinæ. Sequela autem probatur; omnis efficientia, vel influxus ad extra conueniens diuinitati, eſt communis tribus perſonis, vt commune Theologorum axioma teſtatur, ſed radicatio phyſica gratiæ eſt efficientia, vel influxus ad extra: ergo ſi diuinitas eſt principium radicale phyſicum, illius, eſt neceſſario toti Trinitati, & non ſoli Verbo attribuenda.

100 *Confirmatur.* Quod amplius confirmare poſſumus, nam ſequitur ex traditæ ſolutionis doctrina dari in humanitate Chriſti gratiam infinitæ intenſionis; conſequens eſt contra dicta *diſp.* 30 §. 3. & communi Theologorum ſententiæ aduerſatur: ergo ſolutio tradita eſt falſa. Sequela probatur; vt enim ſupra aſſerebamus, cauſa infinita ſi neceſſario operatur, infert infinitum effectum, eo quod naturaliter influens, ſecundum vltimum potentiæ influit; cauſa autem infinita, eſt infinitæ virtutis; ſed diuinitas eſt in ratione entis, & in ratione cauſæ infinita, & infinitæ virtutis, & eliàs ſi radicat gratiam in humanitate, non liberè, ſed neceſſario radicat, vt conſtat ex dictis: ergo infert in humanitate gratiam infinitæ intenſionis.

101 *Primum argumentum inſtatur.* Hæc tamen argumenta non vrgent: non primum, quod inſtatur in gratia habituali, quam eſſe principium *quo* radicale facultatum ſupernaturalium, haſque ab illa phyſicè dimanare, ſicut proprietates ab eſſentia docent communiter Diſcipuli D. Tho. 1. 2. q. 110. *art.* 3 & 4 & tamen virtutes per ſe infuſæ ſupernaturales non recipiuntur in gratia, cum hæc immediatè in anima recipiatur; virtutes autem immediatè in ſuis potentijs, quas eleuant ad operandum in ordine ſupernaturali: ergo ex eo quod gratia habitualis non recipiatur in Deitate, non ſequitur, non conſequi ad illam, vt humanitati vnitam; illamque ſanctificantem, vt ad principium phyſicè dimanationis, nec voluntas, & intellectus ideo recipiuntur in anima, quia eſt principium *quo* dimanationis illorum, ſed quia eſt principium *quod*, & medijs prædictis potentijs vt *quod* immediatè operatur; diuinitas autem humanitati vnita non comparatur ad gratiam habitualem, in ſententia, quam impugnamus, vt principium *quod*, ſed vt principium *quo* dimanationis gratiæ. Ex quo ad ſummum poteſt colligi, quod ſit ſubiectum *quo* illius, quod contrarij Auctores non recuſabunt; ſi namque in illorum ſententia deitas humanitati vnita eſt principium *quo* dimanationis gratiæ habitualis in humanitate Chriſti, non inficiabuntur concedere gratiam habitualem recipi in anima Chriſti Domini mediante diuinitate; & conſequenter eſſe ſubiectum *quo* receptiuum illius.

102 *Secundũ rejicitur & inſtatur.* Nec magis vrget ſecundum, cui facile Auctores contrarij occurrent, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam. Quod enim perſonalitas Verbi, etſi vniatur humanitati immediatè, illam tamen non eleuet, vt ſit radix gratiæ habitualis, prouenit ex eo quod perſonalitas ex proprio conceptu, non eſt forma operatiua, nec proximè, nec radicaliter; & ideo non poteſt humanitati eſſe ratio radicandi gratiam habitualem, nec forma ratione cuius ab humanitate dimanet. Quæ ratio diuinitate non militat; eſt enim principium *quo* radicale operatiuum ad intra, & humanitati vnita poterit illam, vt principium *quo* radicale eleuare, quamuis non immediatè, ſed ſolum mediatè vnita, niſi aliunde repugnantia oſtendatur. Et inſtabunt argumentum in ſimili, de ſanctificatione loquendo; hæc enim conſequentia non valet: *Diuinitas vnitur humanitati, media ſubſiſtentia Verbi; ſed ſubſiſtentia Verbi non ſanctificat ratione ſui humanitatem, Chriſti formaliter: ergo nec Deitas eſt ſanctificans formaliter humanitatem ſanctificatur.* Sicut ergo iſta conſequentia non tenet; eo quod perſonalitas ratione ſui, forma ſanctificatiua non eſt, benè tamen Diuinitas; ita argumentum factum non vrget ob rationem aſſignatam.

103 *Ad tertiũ reſpond.* Ad tertium reſpondere poterunt veram eſſe maiorem de his, quæ Diuinitas vt *quod* ad extra operatur, & vt *quo* per comparationem ad perſonas Diuinas, prout eſt illis principium *quo* radicale operandi ad extra; cum enim perſonæ operentur per intellectum, & voluntatem, & nullum bonum creatum poſſit neceſſitare voluntatem Diuinam; fit conſequens, vt omnino liberè operentur ad extra, & quos diuinitas prout illas in actu primo operatiuas ad extra conſtituit, non poſſit eſſe ratio operandi neceſſario, ſed liberè: falſam autem de his ad quæ diuinitas concurrit vt *quo* per comparationem ad humanitatẽ, illam eleuando ad operandum, vel radicandum aliquid ad quod vires naturales non habet. Tunc enim poteſt diuinitas ſuppoſita vnione ſua libera, non liberè, ſed neceſſario concurrere. Qua diſtinctione, conceſſa, & negata maiori, negatur conſequentia. Et quidem ſi ſemel admittitur, poſſe Diuinitatem ſe ipſa per modum formæ eleuare voluntatem ad actum amoris liberum, negari conſequenter non poteſt, quod poſſit ſe ipſa per modum formæ eleuare intellectum ad beatificam viſionem, & voluntatem ad amorem viſione beatifica regulatum, ad quos actus ſuppoſita vnione Diuinitatis vt forma liberè cauſata à Deo, non liberè, ſed neceſſario concurret diuinitas per modum principij *quo*. Cum ergo Auctores contrarij defendant, vt poſſibilem vnionem Deitatis per modum formæ eleuantis intellectum, & voluntatem creatam, non poſſunt argumento facto vrgeri, ſed aliundè eſt probandum implicare prædictam vnionem.

104 *Quartum argumentum diluitur.* Et ex his ad quartum argumentum occurrent negando ſequelam; & ad probationem aſſerendo, veram eſſe maiorem de efficientia ad extra conueniente diuinitati vt *quod*, vel vt *quo*, comparatiuè ad perſonas vt *quod* operantes; omnis namque influxus ad extra, iſto modo à diuinitate proueniens eſt neceſſario communis tribus perſonis: falſam vero de influxu ad extra proueniente à diuinitate vt *quo* reſpectu influentis creati, quod ratione ſui per modum principij *quo* eleuat ad talem influxum; radicatio autem gratiæ habitualis, in ſententia nobis contraria eſt à diuinitate vt *quo* per reſpectum ad humanitatem, quam eleuat vt ſit radix gratiæ, ideoque neceſſarium nõ eſt, quod à tota Trinitate proueniat. Ratio autem doctrinæ traditæ eſt; nam ſecundus modus influendi ad extra ſupponit vnionem diuinitatis, & vt formæ cum eo, cui eſt ratio, & principium *quo* influendi, licet autem diuinitas perfectio abſoluta ſit, & tribus perſonis communis, poteſt humanitati vniri non abſolutè ſumpta, ſed vt modificata per ſubſiſtentia Verbi, & vt eſt illi propria, ſicut in noſtra, & communi ſententia vnitur, vt forma ſanctificans, quin ex hoc colligitur, humanitatem à tribus perſonis ſanctificari. Et in ſententia Diſcipulis D. Tho. communi, exiſtentia diuina, quamuis abſoluta ſit, quia non abſolutè ſumpta, ſed vt modificata proprietate perſonali Verbi humanitati vnitur; illamque exiſtentem conſtituit, non ſequitur exiſtentem conſtitui à tribus perſonis. Ita ſimiliter in ſententia, quam impugnamus; quia diuinitas vnitur humanitati vt forma, poteſt vniri, non abſolutè ſumpta, ſed vt appropriata Verbo: & quia radicatio gratiæ in hac vnione fundatur, hinc fit, quod poſſit à diuinitate præſtari per modum principij *quo*, abſque eo quod à tota Trinitate præſtetur, & ſit tribus perſonis communis.

105 *Confirmatio nõ cõuincit.* Nec denique confirmatio conuincit; poteſt enim reſponderi, negando ſequelam: ad illius probationem, conceſſa maiori, negando minorem; licet enim diuinitas in ſe ipſa, & prout hunc Deum, & perſonas potentes operari conſtituit, ſit infinitæ virtutis, & in ratione cauſæ infinitas & conſequenter, ſi vt ſic, neceſſarios ad extra influeret, omne, quod poteſt produceret, & infinitos effectus; quia tamen humanitati vnitur modo finito, prout ſic vnita, cauſa infinita non eſt, nec potens in infinitum effectũ; ideoque non ſequitur gratiam infinitè intenſam in humanitate radicare. Et quidem ſubſiſtentia Verbi, licet infinita ſit, non reddit humanitatem infinitè ſubſiſtentem, quia finito modo illi vnitur, vt vidimus *Tract.* 1. *Diſp.* 3. *n.* 35. & diuina eſſentia, vt ſpecies, eſto in ſe infinita ſit, prout tamen vnita cum intellectu beati, nec in ratione repræſentantia, nec in ratione efficientis, eſt infinita, nec infinitam infert viſionem, eo quod modo finito illi vnitur.

Pariter in præſenti potuerunt contrarij Auctores aſſerere, quod licet diuina natura ſit in ſe infinita, & infinitæ virtutis, prout tamen humanitati vnita finito modo infinita in ratione cauſæ non eſt, nec gratiam actu infinitam in humanitate Chriſti radicat.

106 *Aliter impugnatur ſolutio.* Vnde his argumentis omiſſis, aliter ſolutio tradita eſt reijcienda, & probandum, non poſſe humanitatem ratione diuinitatis ſibi hypoſtaticè vnitæ per modum principij *quo* radicare gratiam habitualem, & virtutes ipſam conſequentes, in quo tota difficultas conſiſtit, & in hunc modum ſuadetur; vt enim diuinitas eſſet humanitati principium *quo*, ratione cuius radicaret gratiam habitualem, & dona ipſam conſequentia, deberet illi vniri, vt principium *quo* radicaliter operatiuum ſed non poteſt diuinitas iſto modo humanitati vniri: ergo humanitas ratione diuinitatis per modum principij *quo*, non poteſt radicare gratiam habitualem. Conſequentia tenet. Maior eſt certa; non enim alia ratione anima eſt corporis principium radicale viuendi niſi quia radicat potentias vitales proximè operatiuas. Et gratia habitualis, non alia ratione eſt principium *quo* radicaliter operatiuum, niſi quia ratione illius dimanant ab anima, & radicantur in illa facultates proximè operatiuæ in ordine ſupernaturali, ergo ſi diuinitas eſt humanitati principium *quo*, & ratio radicandi gratiam habitualem, & dona ipſam conſequentia, eſt illi principium *quo* radicaliter operatiuum, & vt tale animæ vnitur.

107 *Minor oſtenditur primò.* Minor autem oſtenditur primo: vt enim docet D. Th. 2. *Contra Gentes cap. 59. Id, quo aliquid operatur, oportet eſſe formam eius; nihil enim agit, niſi ſecundum quod eſt in actu; vnde & Ariſtoteles probat, animam eſſe formam, per hoc, quod animal per animam viuit, & ſentit*; ſed vt docet idem D. Thom. *lib. 1. Contra Gentes cap. 27. & lib. 3. cap. 51. Manifeſtum eſt, quod eſſentia diuina poteſt comparare ad intellectum creatum, vt ſpecies intelligibilis, qua intelligit; non tamen poteſt eſſe forma alterius rei ſecundum eſſe naturale; ſequeretur enim quod ſimul cum aliquo vnita, conſtitueret vnam naturam, quod eſſe non poteſt, cum eſſentia diuina in ſe perfecta ſit in ſui natura. Species autem intelligibilis vnita intellectui, non conſtituit aliquam naturam, ſed perficit ipſum ad intelligendum, quod perfectioni diuinæ eſſentiæ non repugnat*: ergo non poteſt iuxta principia D. Thom. diuinitas eſſe principium *quo* humanitas operaretur; & conſequenter non poteſt humanitati vniri, vt principium *quo* radicaliter operatiuum.

S. Thom.

108 *Secundò probatur.* Secundo probatur; cum enim operari, conſequatur ad eſſe exiſtentiæ tanquam ad conditionem ex parte operantis, & ad eſſe eſſentiæ tanquam ad rationem formalem, oportet, vt id quod vnitur alicui tanquam principium *quo* agendi, præconcipiatur eidem vnitum ſecundum eſſe eſſentiæ aliquam vnam eſſentiam cum ipſo conſtituens, vel ſubſtantialem, vel accidentalem; ſed non poteſt vnum conſtituere eſſentiam, niſi vniatur, vt formæ phyſicè informante: ergo omne, quod alicui vnitur, vt principium *quo* operatiuum, debet cum ipſo, vt phyſica forma vniri, vnam eſſentiam, & naturam conſtituendo; hoc autem diuinæ eſſentiæ repugnat; dicit namque incompletionem in linea eſſentiæ, & naturæ, quæ nulli Dei perfectioni conuenire poteſt; & conſequenter omninò repugnans eſt, quod Deus alicui, vt forma phyſica vniatur.

109 *Denique probatur minor.* Denique probatur minor; implicat intellectum diuinum vniri cum intellectu creato vt principium *quo* proximum operatiuum, dando illi virtutem proximam operandi, idemque de voluntate diuina, reſpectu voluntatis creatæ eſt dicendum: ergo etiam implicat diuinam naturam humanitati vniri, vt principium *quo* radicale operandi. Conſequentia videtur euidens à paritate rationis; non enim poteſt aliqua implicatio aſſignari, vt vniatur intellectus diuinus cum intellectu creato, vt principium *quo* proximè operatiuum, quæ pari efficacia non militat in vnione diuinæ eſſentiæ, vt principij *quo* radicalis. Antecedens autem præter ea, quibus minorem monſtrauimus, quæ pari efficacia militant in principio *quo* proximo, & in principio *quo* radicali, probatur; ſi namque non implicaret vnio intellectus diuini cum intellectu creato per modum principij proximi, de facto fuiſſet vnitus intellectui animæ Chriſti, & voluntas diuina fuiſſet, etiam vnita de facto voluntati Chriſti humanæ per modum principij *quo* proximè operatiui; ſed hoc eſt falſum; nullus enim Theologorum id docuit: ergo implicat talis vnio. Minor cum conſequentia tenent. Sequela autem probatur; quia namque non implicat vnio diuinæ eſſentiæ cum humanitate, vt principium *quo* radicale, de facto fuit ſic vnita in ſententia, quam impugnamus: ergo ſi non implicat, quod intellectus, & voluntas diuina vniantur intellectui, & voluntati humanitatis Chriſti, vt principia proxima operandi, ſic fuerunt de facto vnita.

110 *Reſpondebis.* Reſpondebis, negando antecedens; nec ſequitur, quod de facto vnitus fuerit intellectus diuinus cum intellectu creato humanitatis Chriſti, nec voluntas diuinæ cum illius voluntate, nec eſt eadem ratio, ac de vnione diuinitatis vt principium *quo* radicale, quæ de facto cum humanitate interceſſit. Diſparitas autem eſt; nam de facto fuerunt prædictę potentię eleuatę per qualitates creatas ad elicientiam viſionis, & amoris beatifici, cum quo non ſtat ſimul, intellectu, & voluntate diuina eleuari; vnius enim operationis, non poteſt duplex principium proximum eſſentialiter diſtinctum ſimul concurrens cõſtitui quę ratio in eleuatione animæ Chriſti per diuinitatem, non militat; nam etſi per gratiam habitualem, & ſimul per diuinitatem fuerit eleuata ad radicandum dona ſupernaturalia; non tamen ratione vtriuſque illa immediatè radicat, ſed per gratiam immediatè, & per diuinitatem mediatè, quatenus media diuinitate radicatur gratia habitualis, & hac mediante, dona ſupernaturalia radicantur in anima Chriſti; non autem repugnat reſpectu eiuſdem proprietatis duplex radix, vna mediata, & alia immediata, & primæ ſubordinata: ſicut de facto à nobis duplex radix moralis, vna immediata, & alia mediata prædictorum donorum conſtituitur.

111 *Contra.* Sed contra: nam ſemel conceſſa poſſibilitate vnionis intellectus diuini cum intellectu creato, non eſt cur intellectus animæ Chriſti de facto eleuatus fuerit per qualitatem creatam, & non per intellectum diuinum; cum hæc ſit maior perfectio, & conſequenter adſtruenda in anima Chriſti, niſi oppoſitum ſit reuelatum: ergo admiſſo quod non implicet vnio intellectus diuini cum intellectu creato per modum principij *quo* proximi, aſſerendum eſt ita de facto eueniſſe, idemque de voluntate diuina reſpectu voluntatis Chriſti creatæ eſt dicendum; & conſequenter ſi vtraque eleuatio, ſcilicet, per dona creata, & per increatas perfectiones, non poteſt ſimul concurrere, neganda eſt eleuatio facta per dona creata, & adſtruenda eleuatio facta per dona increata.

112 *Reſpondebis.* Dices; quod licet vtraque eleuatio ſit poſſibilis de potentia abſoluta, de facto aſſerendum eſt fuiſſe factam per qualitates creatas, & non per dona increata, eo quod circa ea, quæ de facto in humanitate Chriſti acciderunt, diſcurrendum eſt iuxta modum connaturalem intra ordinem, gratiæ, niſi oppoſitum ſit reuelatum; licet autem eleuatio per dona increata perfectior ſit ea, quæ per dona creata fit; hæc tamen eſt reſpectu actuum ſupernaturalium connaturalis, & ab illis connaturaliter intra ordinem gratiæ exacta; & ideo aſſerendum eſt, intellectum, & voluntatem humanitatis Chriſti fuiſſe de facto eleuata ad elicientiam viſionis, & amoris beatifici, per qualitates creatas, & non per intellectum, & voluntatem diuinam a quibus eleuari potuerunt.

113 *Contra.* Sed contra; nam eſto verum ſit, viſionem, & amorem beatificum connaturalius elici per qualitates creatas, vt eleuantes potentias, quam per intellectum, & voluntatem diuinam (quod tamen certum non eſt ſuppoſita non repugnantia eleuationis factæ perfectionibus diuinis) adhuc tamen non colligitur, fuiſſe factam prædictam eleuationem per qualitates creatas, ſi non implicat potentias creatas eleuari ad operandum per diuinas perfectiones; ergo admiſſo, quod huiuſcemodi eleuatio non implicet, aſſerendum eſt, ita de facto eueniſſe, & quod intellectus, & voluntas humanitatis Chriſti fuerunt de facto eleuatæ ad viſionem, & amorem per diuinas perfectiones, non autem per qualitates creatas. Probatur antecedens; nam eſto operationibus eliciendis connaturalior ſit eleuatio facta per dona creata, diuinitati tamen vnitæ humanitati per modum radicis phyſicæ, connaturalior eſt radicatio intellectus, & voluntatis diuinę, vt eleuantium intellectum, & voluntatem humanitatis, quam radicatio qualitatum ſupernaturalium, nempè, luminis, & charitatis; ſed magis attendi debet connaturalitas debita radici increatę, quam illa, quę operationibus creatis debetur ergo ſuppoſita non implicatione vnionis perfectio-

ctinnum diuinarum cum potentijs animæ Chriſti, adſtruenda eſt eleuatio intellectus, & voluntatis Chriſti facta perfectionibus increatis, & neganda illa, quæ fit per qualitates creatas, ſi vtraque ſimul intercedere non poteſt. Conſequentia eſt bona: minor videtur certa; ſi namque vna ex illis connaturalibus eſt omittenda, non debet eſſe, quæ dignior, ſed quæ minus digna eſt; dignior autem eſt connaturalitas radicis increatæ quam connaturalitas viſionis, & dilectionis: ergo ſi vtraque non poteſt ſeruari, hæc ſecunda eſt omittenda, & prima, quæ eſt dignior ſeruanda. Maior autem probatur; nam cum radice increata vnita modo finito maiorem proportionem habent proprietates increatæ ſimili modo vnitæ, quam proprietates creatæ, ſed quod magis proportionatum eſt cum radice, eſt illi magis connaturale: ergo diuinitati vnitæ humanitati per modum radicis phyſicæ, connaturalior eſt radicatio intellectus diuini, vt vniti cum intellectu Chriſti creato, & voluntatis diuinæ vt vnitæ voluntati humanitatis, quam radicatio qualitatum ſupernaturalium, eleuantium prædictas potentias.

114 *Confirmatur.* Confirmatur, & vrgetur; nam ſemel conceſſo, poſſe intellectum diuinum ſeipſo per modum formæ eleuare intellectum Chriſti creatum ad elicientiam viſionis, neceſſario eſt aſſerendum, illum de facto eleuare ad prædictam elicientiam; ſed hoc non concedunt Auctores, quos impugnamus: ergo tenentur aſſerere, prædictam eleuationem implicare. Minor cum conſequentia tenet. Maiorem autem probo; nam forma ſufficienti modo alicui ſubiecto vnita, neceſſario illi præſtat effectum ſibi poſſibilem in genere cauſæ formalis; ſed intellectus diuinus eſt vnitus cum intellectu Chriſti creato modo ſufficienti, vt ipſum eleuatum in actu primo ad operandum conſtituat, & ad elicientiam viſionis: ergo ſi eſt de ſe potens huiuſcemodi effectum præſtare in genere cauſæ formalis, neceſſario illum præſtat de facto; & conſequenter intellectus Chriſti creatus de facto eleuatur per intellectum diuinum ad elicientiam viſionis, idemque de voluntate diuina eſt dicendum reſpectu voluntatis Chriſti creatæ. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; nam intellectus diuinus eſt vnitus mediate cum intellectu Chriſti creato, nempe, media ſubſiſtentia Verbi; ſed vnio mediata eſt ſufficiens ad eleuationem præſtandam; vt conſtat in Deitate, quæ ſolum mediate cum humanitate vnita ipſam eleuat ad radicandum: ergo intellectus diuinus eſt de facto ſufficienti modo vnitus cum intellectu Chriſti creato, vt ipſum eleuet ad operandum, & potentem proximè ad viſionem eliciendam conſtituat.

Reſpondebis negando maiorem: ad probationem diſtinguendo

115 *Reſpondebis.* maiorem, illamque concedendo ſi in ſubiecto ſit expeditio ad effectum formæ recipiendum: negando autem ſi ſubiectum impeditum ſupponatur, qualiter in præſenti contingit; ſupponitur enim intellectus Chriſti eleuatus per lumen gloriæ creatum ad elicientiam viſionis, cum quo non ſtat ſimul eleuari per intellectum diuinum ad illius elicientiam; ac proinde ſupponitur intellectus Chriſti impeditus ad ſimul recipiendam prædictam eleuationem ab intellectu Diuino, ideoque quamuis vnitus ſit ſufficienter cum intellectu Chriſti creato, vt illum eleuatum conſtituat, & de ſe ſit ad eleuandum ſufficiens; de facto tamen non eleuat propter impedimentum ex parte intellectus creati ſuppoſitum, vt ab intellectu diuino dictum effectum recipiat.

116 *Reijcitur primò.* Si mihi argumenti in diſputationibus publicis Salmanticæ occurrebatur. Eſt tamen inſufficiens ſolutio, & reijcitur primo; impedimentum namque auferibile per aliquam formam, non poteſt illi obſtare, vt vnita ſubiecto illi præſtet effectum formalem, quem de ſe præſtare poteſt; vnde quamuis peccatum mortale ſit impedimentum ad effectum ſanctificationis præſtabilem à gratia habituali, quia tamen eſt impedimentum auferibile per gratiam, non poteſt peccatum mortale obſtare, vt ſemel animæ vnita illi præſtet ſanctificationis effectum. Et ſimiliter licet peccatum ſit incompatibile cum Verbo, vt ſanctificante humanitatem, non tamen impedire poteſt, vt Verbum ſemel humanitati vnitum illam infinite ſanctificet, quia impedimentum peccati eſt per vnionem Verbi auferibile; alias poſſet peccatum ſimul cum vnione humanitatis ad Verbum in humanitate exiſtere, aſſerendo, humanitatem, tunc caſus non ſanctificari à Verbo, cui hypoſtatice vnita ſupponitur, quia non eſt capax ſanctificationis à Verbo ob impedimentum peccati, ſed ſuppoſita incompatibilitate ſimultaneæ eleuationis per intellectum diuinum, & per lumen gloriæ creatum, impedimentum præſtitum à lumine gloriæ eſt auferibile per intellectum diuinum ſufficienti modo vnitum: ergo obſtare neutiquam poteſt, vt intellectus diuinus ſufficienti modo vnitus cum intellectu Chriſti creato, illum eleuatum conſtituat ad elicientiam viſionis, idemque, & eadem ratione eſt dicendum de voluntate diuina reſpectu voluntatis Chriſti creatæ.

Secundo, & explicatur magis hoc ipſum; quia namque perſonalitas propria humanitatis, eſt auferibilis per diuinam perſonalitatem, non poteſt perſonalitas propria impedire, quod perſonalitas diuina humanitati vnita illam ſubſiſtentem, & perſonatam conſtituat: ſed lumen gloriæ creatum eſt auferribile per intellectum diuinum vnitum intellectui Chriſti creato: ergo nequit ab ipſo impediri, vt intellectum creatum eleuet ad viſionem beatificam eliciendam, ſuppoſito, quod poſſit per modum formæ eleuationem præſtare. 117 *Secundò.*

Quod amplius vrgetur; ſequitur namque ea doctrina traditæ ſolutionis poſſe defendi perſonalitatem propriam, conſeruari in humanitate Chriſti, & ſi illam ſubſiſtentem non reddat, nec cum illa perſonam creatam conſtituat; conſequens eſt falſum, & à nullo Theologorum admiſſum; omnes enim veterum tuentur, fuiſſe humanitatem Chriſti per ſubſiſtentiam Verbi ad propriam perſonalitatem in ſe habendam impeditam: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela; nam ea ſola ratione excluditur ab humanitate Chriſti propria perſonalitas, quia fuit à perſonalitate Verbi præuenta, & ab illa impedita, ſed ſi doctrina ſolutionis eſt vera, poteſt conſequenter ad illam defendi, fuiſſe perſonalitatem creatam impeditam per diuinam, non vt coritatme humanitati vnita maneret, ſed tantum vt ab illa ſic vnita tribueretur humanitati proprius effectus formalis illam ſubſiſtentem, & perſonatam conſtituens; ergo ea doctrina ſolutionis traditæ, ſequitur poſſe tute, & catholicè defendi perſeuerantiam perſonalitatis propriæ in humanitate Chriſti. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; vt enim in ſolutione tradita aſſeritur, lumen gloriæ eleuans intellectũ Chriſti creatum ad elicientiam viſionis, impedit intellectum diuinum, non ab vnione cum intellectu creato, ſed ſolum ne illi præſtet effectum eleuationis, ipſumque potentem ad viſionis elicientiam conſtituat: ergo ſtat vnam formam per alteram impediri ad tribuendum ſuum effectum formalem, quin ab illa impediatur ad vnionem cum ſubiecto; & conſequenter potuit perſonalitas creata per diuinam impediri, vt humanitati tribueret proprium effectum formalem, non impedita per illam ad vnionem ſui cum humanitate Chriſti. 118 *Confirmatur 1.*

Confirmatur, & vrgetur ſecundo; nam ſuppoſita vnione intellectus diuini cum intellectu creato ſimul cum exiſtentia luminis gloriæ in eodem intellectu, abſque fundamento aſſeritur à lumine gloriæ impediri, vt præſtet eleuationis effectum; ſed ſolutio tradita prædictam vnionem ſupponit: ergo abſque vllo fundamento negat eleuationem intellectus Chriſti creati præſtitam ab intellectu diuino. Probatur maior; non enim eſt maior ratio, vt intellectus diuinus à lumine gloriæ impediatur ad eleuationem præſtandam, vtriuſque coexiſtentia ſuppoſita, quam vt lumen gloriæ impediatur ab intellectu diuino; imo fortior ratio adeſt, vt ſecundum aſſeratur, eo quod intellectus diuinus lumen creatum excedit: ergo præſuppoſita vnione, intellectus diuini cum intellectu creato abſque fundamento aſſeritur impediri à lumine gloriæ creato, vt intellectum animæ Chriſti eleuatum conſtituat ad elicientiam viſionis. 119 *Confirmatur 2.*

Denique vrgetur; non enim poteſt abſque miraculo fieri (ſi forte factibile eſt) quod lumen gloriæ exiſtat in intellectu, & quod illum non conſtituat eleuatum ad viſionem, hoc eſt proxime potentem ad elicientiam illius: ergo pariter non poteſt ſine miraculo fieri quod intellectus diuinus ſufficienti modo vnitus cum intellectu creato, non præſtet illi eleuationis effectum, ſuppoſito quod ſit ad illum eleuandum ſufficiens, ſed miraculum hoc ſine fundamento adſtruitur, & multiplicatur in Myſterio Incarnationis: ergo dato, poſſe intellectum diuinum ſe ipſo per modum formæ eleuare intellectum creatum ad elicientiam viſionis, vt in doctrina ſolutionis ſupponitur, ſine fundamento negatur, illum de facto eleuare. 120 *Confirmatur 3.*

§. VIII.

§. VIII.

Argumentis contrariæ ſententiæ occurritur.

121 *Arguitur primo teſtimonijs D. Th.* CONTRA iſtam concluſionem arguit Granadus primo ex D. Thom. *ſupra q. 2. art. 12.* illis verbis: *Gratia igitur Chriſti, ſiuè vnionis, ſiuè habitualis, non poteſt dici naturalis, quaſi cauſata ex principijs humanæ naturæ in Chriſto, quamuis poſſit dici naturalis, quaſi proueniens in naturam humanam Chriſti cauſante diuina natura ipſius. Dicitur autem naturalis vtraque gratia in Chriſto in quantũ eam à natiuitate habuit.* Quã doctrinã probat D. Thom. in argumento ſed contra ex Auguſtino *in Enchiridio cap. 40.* vbi ait: *In humanæ naturæ ſuſceptione fit quodammodo ipſa gratia illi homini naturalis, quæ nullum poſſit admittere peccatum*: ergo ex mente D. Thomæ, & Parentis Auguſtini, gratia habitualis conſequitur naturalẽ dimanatione ad naturam diuinam in natura Chriſti humana. *Et q. 6. art. 6. in corpore*, vbi de gratia habituali loquens, ſic habet. *Et effectus quidem conſequens vnionem, ſecundum illud Ioannis 1. Vidimus gloriam eius, ſicut vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis*: & explicans modum conſecutionis *q. 7. art. 13. in corpore*, loquens de gratia habituali, reſidente in anima Chriſti, ſic habet: *Vndè gratia habitualis Chriſti intelligitur, vt conſequens hanc vnionem, ſicut ſplendor Solem.* Et ſolutione ad ſecundum de eadem gratia loquens, ſic ait: *Vndè gratia habitualis non intelligitur, vt præcedens vnionem, ſed conſequens eam, ſicut quædam proprietas naturalis. Vndè, & Auguſtinus dicit in Enchiridio, quod gratia eſt quodammodo Chriſto homini naturalis.* Quam doctrinam tradiderat D. Thomas *in 3. Sent. diſtinct. 4. q. 3. art. 2. quæſtiunc. prima in corpore*, illis verbis: *Gratia autem habitualis, poteſt etiam dici Chriſto naturalis dupliciter. Vno modo, quia admodum proprietatum naturalium ſe habet, quæ ſuum ſubiectum inſeparabiliter conſequuntur. Alio modo, quia ex altera ſuarum naturarum cauſatur, ſcilicet, ex diuina natura, non autem ex humana*; ſed ſplendor, non liberè, ſed neceſſario ſequitur Solem, & proprietas naturalis alicuius naturæ naturaliter ad eſſentiam conſequitur per dimanationem naturalem ab illa: ergo iuxta D. Thomam, & iuxta Auguſtinum, vt à D. Thoma intellectum, gratia habitualis neceſſario, & naturaliter à gratia vnionis dimanat.

122 *Primum teſtimonium oppoſita ſententia nõ fauet.* Reſpondeo, primum teſtimonium nullatenus noſtræ ſententiæ aduerſari, nec oppoſitæ fauere; ſolum enim docet D. Thom. poſſe gratiam habitualem dici Chriſto naturalem propter duo. Primo; quia in humanitate cauſatur à natura diuina, ex qua, & humana Chriſtus componitur. Secundo; quia illam Chriſtus à natiuitate habuit, ex quo non colligitur, dimanaſſe neceſſario à diuina Chriſti natura; & quidem ſi D. Thom. ſentiret ad diuinitatem humanitati vnitam, vel ad vnionem humanitatis cum Verbo, naturaliter conſequi gratiam habitualem, vel ab aliquo iſtorum dimanatiuè procedere, abſolutè, & non cum limitationibus aſſeruiſſet, gratiam habitualem eſſe Chriſto naturalem, non autem abſolutè locutus, ſed cum limitatione aſſerendo, *poteſt dici naturalis, quaſi proueniens in naturam humanam Chriſti cauſante diuina natura ipſius*: ergo ideo, quia Angelicus Doctor ſentit, non dimanatiuè ad gratiam vnionis conſequi, ſed liberè à diuinitate in humanitate Chriſti cauſari.

123 *Alia teſtimonia nõ vrgent.* Nec magis alia teſtimonia vrgent; ſolum enim intendit Angelicus Doctor, gratiam habitualem habere in Chriſto modum proprietatis naturalis, quoad aliquas conditiones, quæ proprietatibus naturalibus competunt, non vero, quod rationem proprietatis naturalis quoad omnia ſortiatur: proprietas autem naturalis habet primo, concomitari naturam à primo formationis inſtanti, ſecundo inſeparabiliter inhærere, tertio à principio intrinſeco naturæ cauſari, quarto neceſſario, & dimanatiuè à tali principio procedere, & quia gratia habitualis in Chriſto, habet tres priores conditiones; fuit enim illi infuſa à primo conceptionis inſtanti, quod Chriſto ſingulare non eſt, ſed alijs ſanctis communicatum, eique inſeparabiliter inſit; non enim potuit amitti; cum gratia ſemel data, ſolum per peccatum mortale amittatur, quod Chriſto repugnat: nec alicui puro homini conuenit, fuitque à diuinitate cauſata, quæ Chriſto intrinſeca eſt; Chriſtus enim ex diuina, & humana natura componitur, ideo ait D. Thom. gratiam habitualem in Chriſto conſequi ad gratiam vnionis, vt proprietatem illius, habereque modum proprietatis naturalis, quia tamen non conſequitur neceſſario ad diuinam Chriſti naturam, ſed liberè, nec dimanatiuè à gratia vnionis procedit, ſed infunditur per diſtinctam actionem ab illa, per quam humanitas fuit aſſumpta, ideo D. Thom. non docet, eſſe proprietatem Chriſti naturalem, quia ad hoc oportebat, quod à diuinitate Chriſto intrinſeca, non liberè, ſed neceſſario procederet, & ex vi eiuſdem actionis, qua Chriſtus formatus eſt, & humanitas aſſumpta.

Nec obſtat Diuum Thomam aſſerere, gratiam habitualem conſequi ad gratiam vnionis, vt *ſplendor Solem*; nam ſimilitudo tenet quoad tria iam explicata, nempè, coæuitatem, inſeparabilitatem, & proceſſum à principio Chriſto intrinſecum; non autem quoad modum neceſſario procedendi: vnde ex eo quod ſplendor naturaliter ad Solem ſequatur, non licet colligere gratiam habitualem naturaliter conſequi vnionem, & non liberè à diuinitate cauſari. Et quidem negari non poteſt, gratiam habitualem Chriſti liberè abſolute à diuinitate cauſari, eſto aſſeratur, neceſſario conſequi ex ſuppoſitione vnionis humanitatis cũ Verbo; ſplendor autem neceſſario, neceſſitate abſoluta ſequitur Solem: ergo ſimilitudo in nulla ſententia poteſt eſſe adæquata, nec ad intentum D. Thom. ſaluandum, erat neceſſaria omnimoda ſimilitudo: mens namque Diu. Thomæ erat teſtimonium Auguſtini aſſerentis: *Gratiam dici quodammodo Chriſto naturalem*, defendere, & explicare; ad ſaluandum autem gratiam fuiſſe Chriſto quodammodo naturalem, non eſt neceſſarium quod ab aliqua ex illius naturis neceſſario dimanet, vel quod ad aliquod prædicatum Chriſto intrinſecum naturaliter conſequatur; nam ſi hoc haberet, non quodammodo, vt loquitur Auguſtinus, ſed abſolutè, & ore pleno, naturalis Chriſto diceretur. Vndè D. Thom. nunquam aſſeruit, gratiam habitualem eſſe Chriſto naturalem abſolutè, nec docuit eſſe proprietatem naturalem abſolutè, ſed ſemper locutus eſt cum aliquibus limitationibus, dicendo poteſt dici naturalis, habet modum proprietatis naturalis, quaſi à diuinitate procedens, & his ſimilibus modis loquendi, ſuit vſus apertè denotans, non in omnibus, ſed ſolum quoad aliqua rationem proprietatis naturalis reſpectu Chriſti ſortiri. 124 *Quædam obiectio ſoluitur.*

125 *Inſtabis.* Sed contra iſtam explicationem obijcies; quia namque D. Tho. 1. 2. q. 110. art. 4. ad 1. docet, *quod ſicut ab eſſentia animæ effluunt eius potẽtiæ, quæ ſunt operum principia, ita etiam ab ipſa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ mouentur ad actus*, inferunt communiter diſcipuli Angelici Præceptoris, virtutes per ſe infuſas reſidentes in potentijs eſſe proprietates phyſicas, & connaturales gratiæ habitualis dimanantes phyſicè ab illa; ſed hæc illatio ex Doctrina D. Thom. eſſet nulla, ſi ad gratiam ſubſtantialem vnionis, non conſequeretur gratia habitualis phyſicè dimanatiuè, vt proprietas naturalis illius: ergo aſſerendum eſt ita conſequi. Probatur minor; nam locis in argumento adductis, docet D. Thomas gratiam habitualem conſequi ad gratiam vnionis, *ſicut ſplendor Solem, & ſicut quædam proprietas naturalis*; & tamen hæc verba taliter interpretamur, vt ſimilitudo non teneat in omnibus, ſed ſolum in aliquibus conditionibus, & exinde ſaluamus gratiam habitualem, non eſſe proprietatem naturalem conſecutam dimanatiuè ad gratiam ſubſtantialem vnionis: ergo pariter verba quibus D. Thom. docet: *Virtutes effluere in potentias à gratia habituali, ſicut ab eſſentia animæ effluunt naturales potentiæ* poterunt eadem interpretatione explicari, quod, nempè, non dicant omnimodam ſimilitudinem, ſed aliquam tantum; & conſequenter ex illis non ſequitur illatio efficax virtutes per ſe infuſas, eſſe veras gratiæ proprietates phyſicè dimanantes ab illa, ſicut potentiæ naturales dimanant phyſicè ab anima.

126 *Reſponditur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: ad probationem, admiſſa maiori, & conceſſa minori, nego conſequentiam: ratio autem diſcriminis triplex eſt. Prima, quia de gratia habituali cum Chriſto comparata, loquitur, non abſolutè, ſed cum aliquibus additamentis, ſcilicet, aſſerendo, *poteſt dici, & quaſi proueniens in naturam humanam Chriſti, &c.* vt conſtat ex primo teſtimonio in contrarium adducto, iuxta quod alia teſtimonia

ſunt

ſunt accipienda, quo modo loquendi indicatur illius mentem non fuiſſe, docere eſſe in rigore proprietatem naturalem vnionis, ſed aliquas conditiones proprietatis naturalis habere; ac proinde ſimilitudinem cum ſplendore Solis in omnibus non tenere. Verba autem quibus docet, virtutes conſequi ad gratiam habitualem, abſoluta ſunt, & ſine vlla limitatione, vel addito diminuente, ideoque ex illis rectè colligitur, Angelicum Doctorem ſenſiſſe, eſſe vere gratiæ proprietates ab illa phyſicè dimanantes. Secunda ratio diſcriminis eſt, nam mens D. Th. ex illius intentu eſt venanda; intentum autem D. Th. loquendo de gratia habituali Chriſti, erat verba Auguſtini aſſerentis: *gratiam fuiſſe Chriſto homini quodammodo naturalem*, ſaluare, ad quod verificandum neceſſarium non eſt, quod ſit in rigore proprietas, ſed ſufficit, quod aliquas conditiones proprietatis naturalis ſortiatur: mens autem D. Th. cum loquitur de virtutibus conſequentibus gratiam habitualem, eſt ſaluare in illa rationem naturæ in ordine ſupernaturali, quæ ratio ſaluari non poteſt abſque dimanatione phyſica virtutum ab ipſa. Tertia ratio diſcriminis eſt; nam mens D. Thom. non eſt ex vno ſolo teſtimonio accipienda, ſed collatione facta cum alijs; docuerat autem D. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2. gratiam habitualem eſſe in ordine ſupernaturali naturam. Et art. 3. *ſolutione ad 3. argumentum*, *ſuppoſuit virtutibus infuſis, ſicut earum principium, & radix*; quæ verba aperte denotant, Angelicum Doctorem ſentire, gratiam habitualem eſſe principium, à quo virtutes per ſe infuſæ dimanant; ac proinde cum *art. 4.* citato docet, effluere à gratia ſicut ab eſſentia animæ effluunt potentiæ, non eſt, cur non eum proprietate accipiatur. Loquendo autem de gratia habituali humanitatis Chriſti, nunquam D. Thom. docuit, vnionem ſubſtantialem eſſe illarum principium, & radicem, nec de vnione iſta, quod in ordine ſupernaturali rationem naturæ ſortiatur, & aliàs cum docet, gratiam eſſe Chriſto naturalem, loquitur cum limitationibus ſupra aſſignatis; adeoque non cogimur dicere, Angelicum Doctorem ſentire eſſe proprietatem naturalem Chriſti, nec ab vnione ſubſtantiali dimanare, ſed ſolum, quod in aliquibus conditionibus cum proprietate naturali conueniat.

S. Thom.

127 *Secundũ argumentum.* Secundo arguit Granadus ex principio phyſico generali quod, ſcilicet, proprietas rei debita, & pertinens ad eius quaſi integritatem dimanat phyſicè ab illa; qua ratione primæ qualitates affluunt phyſicè ab elementis, & intellectus, & voluntas ab anima; ſed gratia habitualis eſt proprietas connaturaliter debita vnioni hypoſtaticæ, & ad eius quaſi integritatem, & complementum pertinens: ergo phyſicè ab illa dimanat. Conſequentia cum maiori tenet. *Minor probatur primò.* Minorem autem probat primo; quia id concedunt aduerſarij. *Secundò.* Secundo; nam vnio humanitatis cum Verbo eſt maximum donum ſupernaturale: ergo ab intrinſeco petit, vt humanitas, quam perficit habeat etiam dona, quæ in alijs iuſtis inuenimus, & illius perfectioni non derogant, qualis eſt habitualis gratia. *Tertiò.* Denique probat minorem; nam virtutes per ſe infuſæ ſunt proprietates connaturales gratiæ habitualis: quod autem ab ea phyſicè dimanent, docet communior Thomiſtarum ſententia 1. 2. *quæſt.* 110. *art.* 2. & 4. ergo gratia habitualis eſt proprietas connaturaliter debita vnioni hypoſtaticæ; & conſequenter phyſicè dimanat ab illa. Probat conſequentiam; non enim minus debetur gratia habitualis vnioni, quam virtutes gratiæ, nec minus, ſed multo magis excedit vnio perfectionem gratiæ habitualis, quam gratia perfectionem virtutum: ergo ſi virtutes ſunt proprietates connaturaliter debitæ gratiæ, ipſa gratia habitualis eſt proprietas connaturaliter debita vnioni hypoſtaticæ.

128 *Reſponderi poteſt.* Huic argumento reſponderi poteſt primo, negando maiorem; nam ſpecies Angelis infuſæ in primo creationis inſtanti, ſunt proprietates naturales eorum in ſententia probabili, quas tamen verius eſt, ab illis non dimanare. Et quidem proprium quarto modo eſt illud, *quod conuenit omni, ſoli, & ſemper*, vt a Logicis diffinitur; non autem videtur repugnans, quod alicui prædicato huiuſcemodi conditiones conueniant reſpectu alicuius ſubiecti, & quod ab illius eſſentia non effluat, nec ad illud dimanatiuè phyſicè conſequatur; ac proinde non repugnat dari aliquam proprietatem, non dimanantem phyſicè ab eſſentia ſubiecti, reſpectu cuius rationem proprietatis ſortitur.

129 *Prædictũ ſolutio deſeritur.* Cæterum quidquid ſit de proprio quarto modo, prout à Logicis accipitur, philoſophicè tamen loquendo, omnis proprietas naturalis à ſubiecto, cuius eſt proprietas dimanat; ſiquidem ex vi eiuſdem actionis, qua ſubiectum extra cauſas producitur, primario terminata ad ſubiectum, ſecundarioque ad proprietates; vnde intellectus, & voluntas concreantur ex vi eiuſdem actionis, qua primo anima creatur, & proprietates formæ, quæ fit per eductionem de potentia materiæ conducuntur ad formæ eductionem, & comproducuntur ad productionem compoſiti, cuius ſunt proprietates. Et vt ex Philoſopho circumfertur communiter, paſſio alicuius ſubiecti, quæ idem eſt, quod proprietas naturalis, in triplici genere cauſæ dependet ab illo, nempè, materialis, quia in illo recipitur, finalis, quia ad illud perficiendum, vt ad finem ordinatur, & in genere cauſæ efficientis, quia ab illo dimanat. Nec verum eſt, ſpecies Angelorum ab illis non dimanare, ſi ſemel concedatur rationem proprietatum naturalium ſortiri, in quo inter Diſcipulos D. Thom. non modicum verſatur diſſidium; omnes tamen, quos viderim, conſentiunt, in eo quod ſi ſunt proprietates naturales Angelorum dimanatiuè ab illis procedunt.

Vnde aliter eſt argumento facto occurrendum, conceſſa maiori, negando minorem; nego etiam quod ab Auctoribus noſtræ ſententiæ talis propoſitio admittatur: nam licet non deſint, qui doceant, gratiam habitualem eſſe propriè Chriſto connaturalem, ſimul cum noſtra ſententia aſſerentes, non conſequi dimanatiuè ad gratiam ſubſtantialem vnionis; nullus tamen, quem viderim, docuit eſſe proprietatem naturalem Chriſti, & non dimanare ab illo, nec ex eo quod dicti Auctores concedant, gratiam habitualem eſſe Chriſto connaturalem inferre licet Patri Granado, quod doceant, eſſe proprietatem Chriſti naturalem; omnes enim Theologi fatentur ſpecies, quibus Angeli intelligunt, eſſe illis connaturales; cum tamen plures conſtanter affirment, illorum proprietates non eſſe: & ratio eſt in promptu; vt enim docet D. Th. 1. 2. q. 6. ar. 5. ad 2. *Dicitur aliquid naturale dupliciter. Vno modo, quia eſt à natura, ſicut à principio actiuo, ſicut calefacere eſt naturale igni. Alio modo ſecundum principium paſſiuum, quia ſcilicet, eſt in natura inclinatio ad recipiendam actionem à principio extrinſeco, ſicut motus cæli dicitur eſſe naturalis*: ergo vt aliquid naturale, aut connaturale dicatur, ſufficit conuenire ratione principij paſſiui ad illius receptionem inclinati, quamuis actiuè non dimanet ab illo; quod tamen ad rationem proprietatis exigitur; & conſequenter ex eo quod Auctores aliqui noſtræ ſententiæ defendant gratiam eſſe Chriſto naturalem, non licet colligere, quod prædicti Auctores ſentiant, eſſe proprietatem naturalem illius. 130 *Traditur vera ſolutio.* *Ad primã probationem minoris reſpõdet.* S. Thom.

Ad ſecundam probationem minoris, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam licet vnio donum perfectiſſimum ſit, non tamen eſt natura in ordine ſupernaturali, ſed modus quo humanitas Verbo vnitur; ideoque nequit ratione ſui, per modum radicis exigere facultates in ordine ſupernaturali operatiuas, quæ eatenus ſolum poteſt naturæ competere. Et ex his ad vltimam probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: ad probationem, nego ſuppoſitum primæ partis antecedentis, quo aſſeritur non minus deberi gratiam vnioni, quam virtutes gratiæ; cum enim gratia non debeatur vnioni ob rationem aſſignatam, falſum eſt, quod in prædicta comparatione ſupponitur; etenim non minus deberi ſupponit debitum, & affirmat debiti æqualitatem. Et conceſſa ſecunda antecedentis parte, nego conſequentiam: quod enim virtutes, gratiæ habituali debeantur, & ratione illius animæ habenti gratiam, non prouenit ex ſolo exceſſu perfectionis, quo gratia excedit virtutes, ſed ex modo, quo excedit, ſcilicet, vt natura in ordine ſupernaturali, & quia naturæ in aliquo ordine debẽtur facultates proximæ operatiuæ illius ordinis, ideo gratiæ, quæ eſt formalis participatio naturæ diuinæ, debentur virtutes ſupernaturales dantes poſſe proximum ſupernaturaliter operatiuum; vnio autem, etſi magis excedat gratiam habitualem, quam gratia virtutes, non tamen obtinet conceptum naturæ in ordine ſupernaturali, & ideo gratia non debetur vnioni, nec ratione illius humanitati Chriſti, non ſolum debito phyſico, de quo loquitur Pater Granadus, verum etiam nec debito morali, vt vidimus *Diſput.* 28. vbi modum ſubſtantialem vnionis, non eſſe formam ſanctificantem fusè monſtrauimus. 131 *Ad ſecundam.* *Ad tertiã.*

Sed contra iſtam reſolutionem inſtat Granadus primo; nam licet vnio ſit modus, adhuc longè ſuperat perfectionẽ gratiæ habitualis: ergo attribuenda eſt vnioni perfectio 132 *Inſtat Granadus primò.*

inde-

radicandi gratiam, & dona ipſam conſequentia, eſto alijs modis, nihil ſimile conueniat. *Secundò.* Secundo; nam etiam ſunt alij modi, ex quibus aliquæ proprietates emanant; relatio enim prædicamentalis, qua modus ad alia entia refertur, eſt realiter à modo diſtincta, & ab illo phyſicè dimanat; *Vbi* etiam per quod modus vbicatur, phyſicè dimanat ab illo: ergo quamuis vnio humanitatis cum Verbo ſit modus, poteſt gratia illi deberi, & ab illo dimanare. *Tertiò.* Tertio; quod enim in alijs compoſitis, paſſiones non dimanent à modo, quo vniuntur extrema, inde prouenit, quia conſtant ex forma proportionata cum illarum affectionibus; & ideo à forma, & non ab vnione dimanant, ſed compoſitum mirabile reſultans ex Verbo, & humanitate, conſtat extremis, quæ non ſunt proportionata accidentibus ſupernaturalibus tali compoſito debitis, ideoque non poſſunt ab extremis dimanare: ergo eſt neceſſario aſſerendum, quod dimanent ab vnione, quamuis modus ſit, & non entitas completa.

133 *Ad primã inſtantiã reſpond.* Hæc tamen nihil vrgent, ad primam obiectionem, concesso antecedenti, nego conſequentiam; licet namque vnio excedat perfectionem gratiæ, & hæc, facultates proximè operatiuas radicet, non ſequitur vnionem radicare gratiam, ſicut exceſſus vnionis præ gratia, non arguit in ſententia Patris Granado, quod ſi gratia ſanctificat formaliter animam, vnio humanitatem Chriſti ſanctificet, & exceſſus infinitus ſubſiſtentiæ increatæ præ gratia habituali, non infert, quod ſi gratia proprietates ſupernaturales radicat, etiam ſubſiſtentia increata ſit prædictarum proprietatum radix. Et ratio eſt, quam ſæpè aſſignauimus, quia nempè, radicare facultates operatiuas, eſt proprium naturæ. Imò in hac radicatione conceptus naturæ, prout à conceptu eſſentiæ diſtinguitur, eſt conſtitutus; ideoque licet vnio excedat perfectionem gratiæ, non ſequitur, radicationem, quæ conuenit gratiæ, poſſe modo ſubſtantiali vnionis, qui natura non eſt conuenire, ſicut in ſententia Granadi, non conuenit ſubſiſtentiæ increatæ, quamuis infinitè gratiam excedat eo, quod conceptum naturæ ſubſiſtentia increata non obtinet.

134 *Ad ſecundam.* Et ex his ad ſecundam replicam conſtat ſolutio, prætermiſſo antecedenti, quod nempè, in entitate modali poſſint aliqua radicari, & ab illa dimanare, vt ſunt *relatio prædicamentalis*, qua modus ad alia entia refertur, & *vbi* per quod modus vbicatur, hoc inquam prætermiſſo, nego conſequentiam, qua infertur poſſe à modo ſubſtantiali vnionis dimanare gratiam habitualem, & dona ipſam conſequentia; ratio autem habetur ex dictis, nempè, quia radicatio facultatum proximè operatiuarum, ſolum poteſt conuenire eſſentiæ conceptum naturæ obtinenti, cum per talem radicationem conſtituatur natura in ratione naturæ, & in illa conſiſtat; vnde quidquid ſit de radicatione, & dimanatione aliorum prædicatorum, an poſſint entitati modali conuenire, negandum eſt modo vnionis ſubſtantiali, quo humanitas Verbo vnitur, poſſe radicationem gratiæ competere, eo quod natura in ordine ſupernaturali non eſt, vt fatetur Granadus, & frequentes alij Theologi, qui modum ſubſtantialem vnionis realiter ab extremis diſtinctum in Myſterio Incarnationis admittunt.

135 *Ad tertiã.* Ad tertium, nego cauſalem minoris; ſed idep in alijs compoſitis proprietates ipſis debitæ non radicantur in modo, quo vniuntur extrema; quia proprietates alicui compoſito debitæ, debentur ratione eſſentiæ, & naturæ, & ab illa dimanant; & quia modus, quo vniuntur extrema, non eſt ratio conſtituens eſſentiam, & naturam compoſiti, ſed nexus extremorum, ex quibus eſſentia conſurgit, ideo non in illo, ſed in forma conſtitutiua compoſiti proprietates radicantur; vnde ſi compoſitum talis conditionis fuerit, vt extrema, ex quibus conſtat proportionata non ſint cum aliquibus affectionibus, huiuſcemodi affectiones non poſſunt tali deberi compoſito; & quia compoſitum hoc mirabile ex Verbo, & humanitate reſultans, talis conditionis eſt, quod extrema, ex quibus conſtat, non ſunt proportionata cum accidentibus ſupernaturalibus; fit conſequens, quod talia accidentia huic compoſito non debeantur debita phyſico; non enim ratione Verbi, nec ratione humanitatis, vt fatetur Granadus; non denique ratione modi vnionis, vt manet à Nobis probatum; vnde minor obiectionis factæ, falſum ſupponit, pro eo quod in illa aſſeritur extrema, ex quibus Chriſtus componitur, non eſſe proportionata accidentibus ſupernaturalibus tali compoſito debitis; nam licet verum ſit prædicta extrema non eſſe proportionata accidentibus ſupernaturalibus; falſum tamen eſt, huiuſcemodi accidentia phyſicè deberi compoſito, ideoque ex eo quod ratione extremorum non ſint debita compoſito, non infertur deberi ratione vnionis, eo quod hæc conſequentia ex ſuppoſito falſo procedit.

136 *Inſtabis primò.* Sed inſtabit aliquis primo; nam omni compoſito, quod eſt vnum per ſe debentur aliquæ proprietates; ſed ex humanitate, & Verbo reſultat hoc admirabile compoſitum, quod eſt vnum vnitate per ſe: ergo huic compoſito aliquæ proprietates debentur; at non aliæ, quam accidentia ſupernaturalia: ergo hæc accidentia debentur compoſito reſultanti ex humanitate, & Verbo; cumque non debeantur ratione humanitatis, nec ratione Verbi, debentur ratione vnionis, vt Granadus inferebat.

Secundò. Secundo; nam omnia, quæ ſoluentes argumenta docuimus, fundantur in eo quod vnio, qua humanitas fuit vnita, non obtinet rationem naturæ in ordine ſupernaturali, ideoque radicare non poteſt facultates in prædicto ordine proximè, aut radicaliter operatiuas; ſed nulla adeſt vrgens ratio, cur in prædicta vnione præter conceptum nexus, & vinculi, quo nectuntur extrema, non inueniatur, etiam conceptus naturæ ordinis ſupernaturalis: ergo argumentorum ſolutio ſolidæ rationi non nititur; & conſequenter eſt nulla.

137 *Ad primã inſtantiã reſpond.* Reſpondeo ad primam inſtantiam, conceſſis maiori, & minori, & prima conſequentia, negando minorem ſubſumptam; nam huic admirabili compoſito debentur proprietates vtriuſque naturæ, ex quibus admirabili, & ineffabili compoſitione coaleſcit, vnde ratione naturæ humanæ eſt proximè intellectiuum, & volitiuum, eique omnes proprietates hominis in ſummo perfectionis gradu conueniunt, & ratione Deitatis competunt, quæ Dei ſunt propria, vt omnipotentia, æternitas, ſumma bonitas, & ſapientia; præter iſtas autem proprietates nullæ aliæ huic compoſito conueniunt, nec poſſunt; cum enim ſit vnum per ſe, non perſeitate vnius naturæ, ſed perſeitate vnius perſonæ in duplici ſubſiſtentis natura inconfuſa, & impermixta manente, & proprietates conſequantur naturam; conſequens fit, quod præter vtriuſque naturæ proprietates non reperiantur aliæ in hoc admirabili compoſito: quæ doctrina potiſſimè vera eſt in proprietatibus operatiuis, qualis eſt gratia habitualis; nam iſtas proprietates conuenire ratione ſolius naturæ, certiſſimum eſt; & conſequenter nec vnitatem, nec multiplicationem recipiunt, niſi iuxta vnitatem, vel multiplicationem naturæ; vnde quia in tribus perſonis diuinis ſola vna eſſentia reperitur, quamuis perſonæ ſint tres, non dantur tres omnipotentiæ, ſed vna; nec tres intellectus, ſed vnus, & ſic de alijs proprietatibus pertinentibus ad lineam operatiuam: ſicut ergo in myſterio Trinitatis, quia eſt vna tantum eſſentia, non multiplicantur in perſonis huiuſmodi proprietates: ita in myſterio Incarnationis, quia non eſt vna, ſed duplex natura, non datur in compoſito ex illis aliqua vna proprietas, ſed ſolum illi conueniunt proprietates vtriuſque naturæ.

138 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam reſpondetur, doctrinam à nobis traditam ſupponere, quod Auctor contrariæ ſententiæ docet, & communiter docetur à Theologis, quod nempè, vnio humanitatis non eſt in ordine ſupernaturali natura, ſed ſolum nexus, & vinculum extremorum, ex quibus Chriſtus componitur, vndè neceſſarium non fuit, iſtius veritatis rationem inueſtigare. Conceſſa tamen maiori, nego minorem; quod enim vnio prædicta non ſit in ordine ſupernaturali natura, conſtat primo, quia ſic docent quotquot modum vnionis realiter ab extremis diſtinctum in myſterio Incarnationis agnoſcunt. *Vnionem hypoſtaticam non eſſe in ordine ſupernaturali naturam probatur.* Secundo à paritate modi, quo vnitur gratia habitualis ſubiecto, & anima vnitur corpori, qui modi in proprio ordine non obtinent rationem naturæ; & conſequenter idem aſſerendum eſt de modo vnionis humanitatis cum Verbo. Præterea, quia aliàs ſuperflueret gratia habitualis in Chriſto; cum ratione prædicti modi poſſent radicari virtutes ſupernaturales in illius humanitate, & omnino connaturaliter in proprias operationes exire. Ac denique; nam ſi eſt in ordine ſupernaturali natura, non eſt entitas incompleta, & modalis, ſed entitas realis completa: ac proinde non ſe ipſo humanitati vniretur, ſed ratione modi diſtincti, ſicut omnes, qui in compoſitis modos iſtos realiter ab extremis diſtinctos conſtituunt, conſequenter aſſerunt, gratiam habitualem, & alia accidentia, quæ poſſunt extra

ſubie-

ſubiectum exiſtere, non ſe ipſis; ſed media entitate modali realiter ab ipſis diſtincta, vniri proprijs ſubiectis: ex quo viterius ſequeretur humanitatem, non per iſtam entitatem conceptum naturæ in ordine ſupernaturali obtinentem, ſed per aliam entitatem modalem cum Diuino Verbo vniri; vnitur enim cum Diuino Verbo humanitas per eandem formalitatem, per quam modus, quo Verbo coniungitur ipſi humanitati vnitur, ſicut anima rationalis vnitur materiæ, per eandem entitatem, per quam ipſi vnitur modus, quo anima vnitur materiæ. Vt ergo hæc inconuenientia vitentur, neceſſario eſt cum communi ſententia aſſerendum, modum vnionis humanitatis cum Verbo, non eſſe in ordine ſupernaturali naturam, quæ doctrina in argumentorum ſolutione à Nobis ſupponitur.

139 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur in fauorem ſecundi modi dicendi. Potuit enim diuinitas humanitati vniri per modum principij *quo* radicaliter operatiui; & conſequenter per modum principij *quo* radicalis gratiæ, & donorum ipſam conſequentium, & alijs ſic vniri, ſpectat ad dignitatem humanitatis: ergo aſſerendum eſt, ſic de facto fuiſſe vnitam; ac per conſequens gratiam habitualem dimanare ab humanitate, non ratione ſui, ſed ratione diuinitatis. Antecedens pro ſecunda parte conſtat: pro prima autem probatur; ſtat enim diuinitatem vniri humanitati per modum principij *quo* radicalis, abſque eo quod vniatur per modum formæ phyſicæ, illam phyſicè informando; ſed ex eo à Nobis probatur repugnantia vnionis per modum principij *quo* radicalis, quia huiuſcemodi vnio phyſicam informationem requirit: ergo in prædicta vnione nulla repugnantia inuenitur. Minor cum conſequentia tenet. *D. Thom.* Maior autem probatur; vt enim docet D. Thom. *1. p. q. 12. art. 2* diuina eſſentia vnitur mentibus beatorum, vt ſpecies in ordine ad viſionem beatificam; & conſequenter vt principium *quo* effectiuum viſionis; ſic enim omnem ſpeciem ad intellectionem concurrere, tenet frequentior, veriorque Thomiſtarum ſententia, & tamen non informat phyſicè mentes beatorum, nec phyſicè illorum intellectus informat: ergo ſtat vnio diuinitatis vt principium *quo* primarium operandi abſque phyſica informatione; & conſequenter poterit vniri vt principium *quo* radicale, quin vt forma phyſica vniatur.

140 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens; vt enim ex D. Tho. vidimus, principium quo aliquid operatur, debet illi vt forma phyſica vniri, quod diuinitati repugnat: ad antecedentis probationem, nego maiorem: ad illius probationem dicatur, ex vnione diuinæ eſſentiæ per modum ſpeciei cum intellectu beati, non poſſe conuinci poſſibilitatem vnionis cum eodem intellectu per modum principij *quo* proximi, nec cum anima per modũ principij *quo* radicalis; vt enim expreſſè à D. Th. docetur, poteſt diuina eſſentia vniri per modum ſpeciei, & non poteſt, vt forma phyſica vniri; principium autem *quo* debet phyſicè informare, vt vidimus ex eodem D. Th. Diſparitas autem eſt; nam in ſententia aſſerente ſpeciem efficienter ad intellectionem concurrere, non concurrit, vt principium *quo* ſe tenens ex parte intellectus, ſed vt ex parte obiecti ſe tenens, nec eleuat intellectum ad elicientiam viſionis, ſed virtutem operatiuam in intellectu ſupponens, ex parte obiecti, ſimul cum intellectu ad illius elicientiam concurrit; cum enim notitia ab intellectu, & obiecto cauſetur, concurrunt ad illam intellectus, & obiectum, vt duo agentia partialia, non partialitate effectus, ſed partialitate cauſæ, vnde ſpecies non dat vires intellectui, ſed ex parte obiecti ſe tenet, nec eſt intellectus principium *quo* eleuatiuum, ſed tantum terminatiuum; ideoque poteſt diuina eſſentia, vt ſpecies cum beatorum intellectibus ad beatificam viſionem concurrere, abſque eo quod illis, vt forma phyſica vniatur; ex hoc tamen non infertur, poſſe per modum principij *quo* eleuantis intellectum, vel animam abſque informatione phyſica vniri; cum enim principium *quo* eleuatiuum, ſit ſubiecto à ſe eleuato, ratio prætontinendi operationem, debet ei vniri, vt ratio eſſendi in aliquo eſſe eſſentiæ; conceptus enim naturæ, conceptum eſſentiæ ſupponit. Et ex his ad probationem maioris, conceſſo diuinam eſſentiam, vt ſpeciem mentibus beatorum vniri, diſtinguo ſecundam partem maioris: vnitur vt principium *quo* operatiuum ſe tenens ex parte obiecti, & determinans intellectum, concedo maiorem: vt principium *quo* eleuans intellectum beati, & dans illi vires ad elicientiam viſionis, nego maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo primum conſequens per eandem diſtinctionem, & nego ſecundam conſequentiam ob rationem diſcriminis aſſignatam. Sed de his alibi plura.

---

§. IX.

Duplex difficultas ex dictis emergens reſoluitur.

141 *Explicatur difficultas.* CONSTAT ex dictis in diſcurſu diſputationis, gratiam habitualem, non eſſe in rigore proprietatem, aut propriam paſſionem Chriſti; nam proprietas in rigore talis, à ſubiecto, cuius eſt proprietas phyſica dimanatione, conſequitur in vi eiuſdem actionis, qua producitur, vel formatur ſubiectum; gratia autem habitualis non ſic comparatur ad Chriſtum, ſed noua, & diſtincta actione ab illa, qua Chriſtus conceptus fuit, libere à tota Trinitate in humanitate proceſſit; & conſequenter non eſt Chriſti proprietas, in rigore de proprietate loquendo. Quia tamen ſunt plura accidentia, quæ licet propriæ paſſiones alicuius ſubiecti non ſint; ſunt tamen illi connaturalia, illudque, vt ſubiectum ſibi connaturale reſpiciunt: reſtat duplex difficultas breuiter enodanda. Prima, an gratia habitualis ſit propriè Chriſto connaturalis; Secunda, an Chriſtus, vt homo, vel humanitas Verbo hypoſtatice vnita ſit ſubiectum connaturale gratiæ?

142 *Sententia affirmatiua refertur. Vincent.* Ad vtramque iſtam difficultatem affirmatiuè reſpondet Vincentius *relect. de Gratia Chriſti quæſt. 1. artic. 2. concluſione 1. & 4. pag. 161. & 172.* in hoc ſenſu explicat D. Thom. aſſerens de connaturalitate loquendo, eſſe ab vniuerſis ferè Theologis receptiſſimam ſententiam. Vincentio ſubſcripſit Cocbetius *lib. 3. de ſubiecto gratiæ diſput. 6. cap. 2. 4 & 5.* aſſerens *cap. 2. citato*, eſſe communem Theologorum ſententiam expreſſè traditam ab Angelico Doctore, & pro illa referens Magiſtrum Cano *lib. 12. de locis Theologicis cap. 14.* Mag. Soto *in 4. diſt. 19. q. 1. art. 2.* & plures alios Auctores, aſſerentes, gratiam *Cochet. M. Can. M. Soto.* fuiſſe naturalem Chriſto, cæterum niſi explicent ſe loqui de propria connaturalitate abſque firmo fundamento pro hac ſententia referuntur; quod enim aliquo modo naturalis Chriſto ſit, illique connaturalis, nullus, quem viderim, negat, vnde ſolum diſputamus loquutionis proprietatem.

143 *Prima concluſio.* SIT PRIMA CONCLVSIO. *Gratia habitualis non eſt ſupernaturalis Chriſto, nec illius humanitati, prout Verbo hypoſtaticè vnita; benè tamen humanitati Chriſti accepta ſecundum ſe.* Hanc concedimus Vincentio, & in hoc ſenſu poteſt dici, gratia Chriſto naturalis, id eſt, non ſupernaturalis. Et quidem vltima pars concluſionis *Vltima pars probatur.* à nullo poteſt negari; etenim humanitas Chriſti accepta ſecundum ſe, eſt eiuſdem rationis cum noſtra, eſtque natura ordinis naturalis; ſed de ratione entis ſupernaturalis eſt, eſſe ſupra omnem naturam, & ſupra omnis naturæ exigentiam: ergo gratia habitualis, quæ eſt ordinis ſupernaturalis, eſt ſupra humanitatem Chriſti acceptam ſecundum ſe. Et quidem humanitas Chriſti Domini accepta ſecundum ſe, nullam exigentiam habet, quam in puro homine habere non poſſit; ſed in puro homine exiſtens, non exigeret gratiam habitualem: ergo ſecundum ſe accepta, quantumuis ſit Verbo vnita, gratiam habitualem non exigit; & conſequenter hæc eſt ſupra naturam illius acceptæ ſecundum ſe.

144 *Prima pars concluſionis probatur.* Prima pars iſtius concluſionis probatur; nam ens ſupernaturale eſt ſupra vires illius, reſpectu cuius ſupernaturale dicitur; ſed gratia habitualis ſupra vires Chriſti non eſt: ergo reſpectu Chriſti non eſt ſupernaturalis. Conſequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur; Chriſtus namq; duplici conſtat natura, humana, nempè, & diuina, & ex vtraq; componitur, vt conſtat ex dictis *ſupra Diſp. 10 §. 3.* ſed quamuis gratia ſit ſupra naturam humanam, non tamen eſt ſupra vires naturæ diuinæ, à qua in humanitate Chriſti cauſatur: ergo ſupra vires, aut virtutem Chriſti non eſt; & conſequenter non eſt ſupernaturalis Chriſto. *Confirmatur 1.* Explicatur, & vrgetur; id quod ab intrinſeco conuenit, non eſt ſupernaturale ei, cui ab intrinſeco conuenit; ſed gratia conuenit Chriſto ab intrinſeco, nempè, à diuinitate, quæ conuenit Chriſto intrinſecè; cum per illam conſtituatur ſimul cum humanitate: ergo

Chri-

Confirmatur 2. Chriſto ſupernaturalis non eſt. Confirmatur, & vrgetur ſecundo; cui namq; diuinitas ipſa, quæ eſt omnis ſupernaturalitatis principium, ſupernaturalis non eſt, non poteſt habitualis gratia ſupernaturalis eſſe; ſed Chriſto non eſt ſupernaturalis diuinitas; cum ſit vna ex naturis, ex quibus Chriſtus componitur; & conſequenter ſupra naturam Chriſti eſſe nequeat, niſi ſit ſupra ſe ipſum, quod implicat; vnde, vt Apoſtolus ait *ad Philip. 2. Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*: ergo gratia eſſe nequit Chriſto ſupernaturalis. *Ad Philip. 2.*

145 *Oppoueit. S. Aug.* Si opponas primo, quod ſolum, quodammodo eſt alicui naturale, eſt eidem ſupernaturale ſimpliciter; ſed iuxta Auguſtinum *in Enchiridione c. 4. tom. 3. Gratia eſt quodammodo Chriſto homini naturalis*: quibus verbis manifeſte indicatur ſolum quodammodo, & ſecundum quid, eſſe illi naturalem; aliàs non diminutiuè, ſed abſolutè affirmaret eſſe naturalem Chriſto; ergo iuxta Auguſtinum gratia eſt Chriſto, vel reſpectu Chriſti ſupernaturalis ſimpliciter.

146 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo conſequens: Chriſto, vt homini, concedo conſequentiam: Chriſto abſolutè, nego conſequentiam: & hoc eſt, quod noſtra concluſio docet, nempè, Chriſto ſupernaturalem non eſſe, ſed naturalem, ſumpto *naturali* contrapoſitiuè ad ſupernaturale, cum quo optimè Auguſtini doctrina componitur, qua docet, eſſe quodammodo Chriſto homini naturalem, & non abſolutè; nam *Chriſtus homo* determinat vnam naturam, cui ſolum ſecundum quid eſt gratia naturalis, ſcilicet, naturam humanam; *Chriſtus* verò abſolutè duas naturas de formali ſignificat, humanam, nempè, & diuinam: & ideò quod illi ab intrinſeco conuenit ratione naturæ diuinæ abſolutè reſpectu Chriſti, dicitur naturale, & ſimpliciter, non ſupernaturale.

147 *Replicabis, & opponis 2.* Sed hinc oppones ſecundo, quæ eſſentialia ſunt humanitati, abſolutè de Chriſto enunciantur; ſed eſſentiale eſt humanitati, quod gratia ſit illi ſupernaturalis: ergo Chriſto eſt eſſentiale, quod ſupernaturalis ſit illi gratia; & conſequenter abſolutè eſt enunciandum, gratiam eſſe Chriſto ſupernaturalem.

148 *Reſpondetur.* Reſpondeo, humanitati eſſe eſſentiale, quod ipſi ſupernaturalis ſit gratia; non autem eſt humanitati eſſentiale, quod compoſito ex ipſa ſupernaturalis ſit gratia; ex quo ſolum ſequitur Chriſto eſſentiale eſſe, quod gratia, illius humanitati ſupernaturalis, ſit non autem quod ipſi Chriſto ſit ſupernaturalis, ſicut eſſentialiter conuenit humanitati, quod ſit ens limitatum, & finitum; non autem eſt ipſi eſſentiale, quod perſona ex ipſa compoſita, limitata ſit abſolutè, ſed ſolum quod ſit finitæ, & limitatæ naturæ.

149 *Inſtabis.* Sed dicet; Chriſto ratione humanitatis eſt ſupernaturalis gratia, & ratione diuinitatis eſt naturalis: ergo non eſt dicenda abſolutè naturalis, ſed ſupernaturalis, vel vtrumque debet abſolutè de Chriſto ſub nomine *Chriſti* enunciari; non enim videtur aſſignabilis ratio, cur ſupernaturalitas gratiæ conueniens Chriſto ratione humanitatis, non enuncietur abſolutè de Chriſto, & abſolutè de illo prædicetur, eſſe ipſi gratiam naturalem, quia conuenit ab intrinſeco ratione diuinitatis; cum vtramque naturam de formali nomen *Chriſtus* importet.

150 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando conſequentiam: diſparitas autem eſt; nam ſupernaturale dicit negationem debiti, & conuenientiæ ab intrinſeco; vndè vt abſolutè de Chriſto ſub hoc nomine enuncietur, eſt neceſſarium, quod ratione nullius naturæ, ex quibus Chriſtus componitur illi debeatur, vel conueniat ab intrinſeco, & quia conuenit Chriſto ab intrinſeco ratione diuinitatis, quæ eſt vna ex naturis, quas importat de formali; fit conſequens, vt loquendo de Chriſto, vt hoc nomine ſignificatur, non debeat gratia dici abſolutè ſupernaturalis, ſed naturalis, quamuis ratione alterius naturæ, nec debita ſit, nec ab intrinſeco Chriſto conueniens: naturale autem dicitur per conuenientiam ſubiecto ab intrinſeco, & quia Chriſto ex duplici natura compoſito conuenit gratia ab intrinſeco ratione vnius naturæ, fit conſequens, vt quamuis ratione alterius naturæ, non conueniat ipſi ab intrinſeco, naturalis Chriſto dicatur; vt ſignificato hoc nomine vtramque naturam importante de formali.

151 *Secunda pars concluſionis probatur.* Secunda pars noſtræ concluſionis probatur; nam de ratione entis ſupernaturalis eſt, quod ſubiecto reſpectu cuius ſupernaturale dicitur, nec phyſicè, nec moraliter debeatur, ſed illius exigentiam phyſicam, & moralem excedat; vnde omnes Theologi conſtanter affirmant, non poſſe gratiam cadere ſub merito operum naturalium; eo quod meritum facit debitum moraliter præmium; gratia autem non poteſt, etiam moraliter deberi naturæ: ſed gratia habitualis eſt moraliter debita humanitati Verbo hypoſtaticè vnitæ ratione vnionis ad Verbum, vel vt melius dicam, ratione Verbi, & ratione diuinitatis, cui vnitur, & à qua ſanctificatur, vt conſtat ex dictis *Diſput. 21.* & ex communi Theologorum ſententia aſſerente, ſanctificari humanitate Chriſti formaliter, ſanctitate ſubſtantiali increata: ergo reſpectu humanitatis vt Verbo hypoſtaticè vnitæ, ſupernaturalis non eſt.

Quod amplius vrgetur: nam licet viſio beata ſit ſupernaturalis intellectui ſecundum ſe; intellectus tamen, vt lumine gloriæ illuſtrato ſupernaturalis non eſt, quia intellectus, vt ſic illuſtrato debetur ratione luminis, & licet virtutes infuſæ ſupernaturales ſint animæ; illi tamen, vt gratia habituali exornatæ ſupernaturales non ſunt, quia illi ratione gratiæ debentur; ſed humanitati, vt vnitæ debetur gratia habitualis ratione diuinitatis, cui vnitur, & à qua ſanctificatur: ergo reſpectu humanitatis, vt Verbo hypoſtaticè vnitæ ſupernaturalis non eſt. Patet conſequentia; quod enim vnum debitum phyſicum ſit, & aliud morale vim conſequentiæ non tollit; cum vtrumque debitum ſupernaturalitati opponatur, comparatione ſubiecti reſpectu cuius aliquid dicitur, & eſt ſupernaturale. Nec ſequitur aliquid humanitati concedi, quod illius eſſentiæ opponatur, vel eſſētiæ gratiæ habitualis; nā de eſſentia humanitatis ſolum eſt, quod illi ratione ſui non poſſit gratia deberi, non autem quod ei ratione alicuius ſibi ſupernaturalis poſſit debita conſtitui, & ſimiliter de eſſentia gratiæ non eſt, quod non poſſit deberi naturæ ratione alicuius formæ illi ſupernaturalis, ſed ſolum quod non poſſit deberi naturæ ratione ſui. 152 *Confirmatur.*

SECVNDA CONCLVSIO. *Gratia habitualis eſt aliquo modo connaturalis humanitati, & Chriſto; non tamen eſt illis connaturalis ſimpliciter, niſi ad ſummum virtualiter, & conditionaliter.* Ita expreſſè Caiet. *ſupra q. 2. art. 12.* Prima pars concluſionis probatur primo; nam id, quod natiuitatem, aut formationem alicuius concomitatur, poteſt dici ipſi connaturale, vt docet D. Th. *ſup. q. 2. art. 12.* & probat ex Paulo *ad Epheſios 2.* illis verbis: *Eramus natura filij iræ*, vbi Paulus peccatum originale ratione cuius poſteri Adami filij iræ conſtituuntur, à natura conuenire docet; ac proinde eſſe connaturale, quia nempè, illis conuenit ab initio ſuæ formationis; ſed gratia habitualis conuenit humanitati Chriſti à primo ſuæ formationis inſtanti: ergo eſt aliquo modo illi connaturalis. 153 *Secunda concluſio. Prima pars probatur 1. Caiet. S. Thom. Ad Epheſios 2.*

Secundo probatur; quod enim inſeparabiliter conuenit, aliquo modo dicitur connaturaliter conuenire; cum habeat aliquam conditionem accidentis connaturalis, nempè, inſeparabiliter conuenire ſubiecto, ſed gratia habitualis conuenit humanitati Chriſti inſeparabiliter; gratia namque ſemel data non emittitur, niſi per peccatum, quod humanitati Chriſti repugnat: ergo poteſt dici connaturalis aliquo modo humanitati. Qua ratione vſus eſt D. Th *in 3. diſt. 4. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 1.* illis verbis: *Gratia autem habitualis dicitur gratia ratione humanæ naturæ, naturalis ratione diuinæ, vel ratione humanæ naturæ, in quantum inſeparabiliter conuenit*, vbi, vt clarè conſtat, D. Th. docet, gratiam habitualem dici naturalem humanitati, quia ipſi inſeparabiliter ineſt. *Secundò.*

Quòd autem etiam ſit Chriſto aliquo modo connaturalis docuit D. Th. *in hac 3. p. ſup. q. 2. art. 12. & quæſtiunc. proximè citata in corpore*, illis verbis: *Gratia verò habitualis poteſt etiam dici Chriſto naturalis dupliciter. Vno modo, quia ad modum proprietatum naturalium ſe habet, quæ ſuum ſubiectum inſeparabiliter conſequuntur. Alio modo, quia ex altera ſuarum naturarum cauſatur, ſcilicet, ex diuina natura, non autem ex humana.* Et probatur ratione; quod enim inſeparabiliter, & à principio intrinſeco conuenit, poteſt dici aliquo modo naturale, cum duas conditiones habeat naturalis proprietatis, quæ inſeparabiliter, & ab intrinſeco proprio conuenit ſubiecto; ſed gratia habitualis conuenit inſeparabiliter Chriſto, vt de humanitate monſtrauimus, & conuenit illi ab intrinſeco, nempè, ratione naturæ diuinæ, quæ Chriſto eſſentialis eſt; non autem humanitati: ergo eſt aliquo modo Chriſto naturalis. Ex quibus habetur reſpectu humanitatis dici naturalem dupliciter, nempè, quia ab initio formationis, & inſeparabiliter conuenit illi, reſpectu autem Chriſti tripliciter, ſcilicet, ob has conditiones, & inſuper, quia conuenit illi ratione naturæ diuinæ, ex qua Chriſtus conſtitui- 154 *Secunda pars probatur.*

ſtituitur ; & conſequenter conuenit ipſi ab intrinſeco, id eſt ratione principij intrinſeci in quo magis ad rationem proprietatis accedit, & ita eſt ipſi proprium, vt nulli ſanctorum conueniat ; nam licet aliquibus à natiuitate gratia habitualis infuſa fuerit principium tamen gratiæ, nempè, diuinitas nulli illorum eſt intrinſecum, & etiam diſcriminantur ; nulli enim ſanctorum data eſt inſeparabiliter gratia, etſi in pluribus conſeruata ſemper fuerit ; omnes enim potuerunt illam per peccatum amittere.

155 *Tertia pars concluſionis probatur 1.* Quod autem gratia habitualis non ſit Chriſto connaturalis ſimpliciter, probatur ratione Caietani *ſupra q.2. art.12.* nam licet conueniat Chriſto ab intrinſeco, nempè, à diuinitate gratiam in humanitate cauſante, qua ratione dicitur Chriſto naturalis, non tamen illi conuenit ratione diuinitatis, vt illam naturaliter cauſantis, ſed libere ; ſed vt eſſet connaturalis ſimpliciter, oportebat, quod non ſolum à diuinitate Chriſti intrinſeca procederet, ſed quod ab illa procederet naturaliter, & neceſſario : ergo non eſt Chriſto connaturalis ſimpliciter ; & ideo, inquit Caietanus, D Thom. cum gratiæ connaturalitatem explicauit, non abſolutè illam naturalem dixit, ſed cum quibuſdam limitationibus, aſſerendo *poteſt dici naturalis, quaſi promanens, &c.* quibus aperte indicauit, gratiæ per ordinem ad Chriſtum competere, quod ſit illi connaturalis, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed quodammodo, & ſecundum quid.

156 *Reſpondebis.* Reſpondebis, rationem Caietani inſtari in ſpeciebus impreſſis, quæ ſunt Angelis connaturales, & tamen libere cauſantur à Deo, & in motu circulari, qui cœlo eſt connaturalis, & libere à Deo cauſatur : ergo ex eo quod gratia libere à diuinitate in humanitate cauſetur, minus benè probat Caietanus non eſſe Chriſto ſimpliciter connaturalem.

Sed contra. Hæc tamen reſponſio ex non penetrata mente Caietani procedit. Mens enim Caietani fuit probare gratiam, etſi Chriſto ab intrinſeco conueniat, & ob id poſſit dici aliquo modo Chriſto naturalis, non tamen dicendam eſſe ex hoc capite naturalem ſimpliciter, qui ad hoc præter procedere ab intrinſeco, exigitur modus procedendi, ſcilicet, neceſſario, & naturaliter, quod gratiæ Chriſti non conuenit ; non enim procedit neceſſario, & naturaliter à diuinitate : non autem fuit mens Caietani probare hac ratione, quod ex alijs capitibus naturalis Chriſto non ſit, ſed hoc Caietanus ſuppoſuit ; cum enim humanitati ratione ſui, naturalis eſſe non poſſit, ſolum poterat eſſe Chriſto naturalis ratione diuinitatis, quæ Chriſto intrinſeca eſt, & ab illa gratia in humanitate cauſatur ; hoc autem Caietanus excluſit, & ſua ratione monſtrauit : ergo inſtantia de ſpeciebus Angelicis, & motu circulari cœlorum, nullatenus Caietani rationem infirmat, ſed in ſuo robore illam relinquit.

157 *Secundo probatur.* Secundo probatur ; vt enim docet D Tho. 1.2. q.6 art.5. *ad 2. Dupliciter aliquid dicitur naturale. Vno modo, quia eſt à natura, ſicut à principio actiuo, ſicut calefacere eſt naturale igni. Alio modo ſecundum principium paſſiuum, quia, ſcilicet, eſt in natura inclinatio ad recipiendum actionem à principio extrinſeco, ſicut motus cæli dicitur eſſe naturalis propter aptitudinem naturalem cœleſtis corporis ad talem motum, licet mouens ſit voluntarium ;* ſed gratia habitualis nullo ex his modis poteſt eſſe naturalis, vel connaturalis Chriſto : ergo non eſt Chriſto connaturalis ſimpliciter. Minor, in qua ſola eſt difficultas, probatur ; non eſt Chriſto connaturalis ratione principij actiui, nec ratione principij paſſiui : ergo nullo ex prædictis modis eſt illi connaturalis. Antecedens pro prima parte conſtat ; in Chriſto namque duæ reperiuntur naturæ, humana, nempè, & diuina ; ſed humanitas vim actiuam in gratiam habitualem non habet, ſed paſſiuè ſolum comparetur ad illam ; diuinitas autem, etſi actiuè gratiam habitualem contineat, non tamen illam continet, vt principium actiuum naturale, ſed vt voluntarium, & liberum ; libere namque tam in humanitate, quam in alijs iuſtis cauſatur à Deo : ergo non eſt Chriſto naturalis, vel connaturalis ſimpliciter ratione principij actiui, vt enim Caietanus notauit, & ab omnibus debet concedi, ad naturalitatem ſimpliciter ratione principij actiui, non ſufficit, quod principium ſit intrinſecum, ſed inſuper eſt neceſſarium, quod ab illo non libere, ſed neceſſario, & naturaliter procedat id, quod naturale dicitur ratione illius. Et eodem diſcurſu ſecunda pars antecedentis probatur ; humanitas namque non eſt in potentia receptiua, aut paſſiua naturali, ſed ſolum in potentia obedientiali reſpectu gratiæ habitualis diuinitas autem nullatenus eſt in potentia paſſiua illius ergo non eſt Chriſto naturalis ratione potentiæ paſſiuæ.

Reſpondebis, quod licet humanitas ratione ſui, ſolum ſit in potentia obedientiali ad gratiam habitualem, prout tamen vnita Verbo eſt in potentia naturali receptiua illius, & illam ab intrinſeco exigit. Ex quo ſolum ſequitur, non eſſe naturalem, vel connaturalem humanitati Chriſti ratione ſui, quod Auctores contrarij fatentur, nec catholicè poteſt negari ; non autem quod non ſit connaturalis ſimpliciter Chriſto, aut humanitati, vt Verbo hypoſtaticè vnitæ, & hoc eſt quod Auctores oppoſitæ ſententiæ contendunt. 158 *Reſpondebit.*

Sed contra ; vt enim humanitas, vt vnita Verbo, eſſet in potentia naturali receptiua gratiæ habitualis, ad quam ratione ſui eſt in potentia obedientiali, opus erat, vt ratione alicuius prædicati ex his, quæ in illa, vt vnita Verbo includuntur, conſtitueretur potens naturaliter recipere gratiam habitualem, & illam phyſicè exigens, vt potentia receptiua ; ſed nullum eſt prædicatum in humanitate vt vnita, à quo poſſit dictus effectus præſtari : ergo humanitas, vt vnita, non eſt in potentia naturali receptiua gratiæ habitualis. Conſequentia eſt euidens. Maior certiſſima ; omnis enim effectus formalis debet aliqua forma aſſignari. Minor autem probatur, ſicut enim id à quo præſtatur eſſe actiuè potens ad actum, debet eſſe principium *quo* actiuum ita id à quo præſtatur poſſe recipere formam, debet eſſe principium *quo* receptiuum illius ; ſed in humanitate vnita Verbo, nullum prædicatum includitur, quod eſſe poſſit humanitati principium *quo* phyſicè receptiuum gratiæ habitualis : ergo nullum prædicatum includitur in humanitate vnita, per quod poſſit conſtitui potens connaturaliter gratiam recipere : Maior, & conſequentia probatione non indigent. Minor autem probatur ; nam in humanitate vnita tria tantum includuntur, nempè, diuinitas, ſubſiſtentia Verbi, & vnio ; ſed nullum iſtorum poteſt eſſe humanitati principium *quo* receptiuum gratiæ habitualis : ergo nullum prædicatum incluſum in humanitate vnita, poteſt illi eſſe ratio recipiendi connaturaliter gratiam, & eſſendi in potentia naturali receptiua illius. Minor pro prima parte conſtat ; non enim minus repugnat diuinitati ratio principij *quo* receptiui, quam ratio principij *quo* actiui ; imo magis illud primum, quam ſecundum diuinitati repugnat, cum actiuitas perfectionem ; receptio autem perfectionem dicat ; ſed in ſententia Auctorum, quos impugnamus, non poteſt diuinitas eſſe principium *quo* actiuum, aut radicatiuum ; aliàs gratia ab humanitate ratione diuinitatis, dimanatiuè phyſicè procederet, quod ipſi conſtanter negant communi ſententiæ adhærentes : ergo vt conſequenter loquantur, debent etiam negare, quod poſſit diuinitas eſſe principium *quo* receptiuum. Et eodem diſcurſu id ipſum de ſubſiſtentia Verbi probatur ; vt enim præfati Auctores fatentur, eſſe nequit principium *quo* actiuum, aut radicatiuum gratiæ : ergo fateri tenentur, non poſſe eſſe principium *quo* receptiuum. Præterea ; nam perſona, quæ capax eſt accidentium, non eſt in potentia receptiua illorum, ratione perſonalitatis, ſed ratione naturæ, hac ſe habente per modum ſubiecti *quo* receptiui ; perſona autem per modum ſubiecti *quod*, vt conſtet in omni perſona creata : ergo perſona Chriſti, vt in humanitate ſubſiſtens, non eſt in potentia receptiua gratiæ, ratione perſonalitatis, ſed ratione humanæ naturæ, & conſequenter humanitas Verbo vnita, quæ ratione ſui, ſolum eſt in potentia obedientiali ad gratiam, non poteſt ratione ſubſiſtentiæ Verbi eſſe in potentia receptiua naturali ad illam. 159 *Contra.*

Denique pro tertia parte idem aſſumptum probatur ; vt enim § 6. contra Granadum oſtendimus, & Auctores ſententiæ, quam impugnamus fatentur, vnio humanitatis cum Verbo non poteſt eſſe principium *quo* radicatiuum gratiæ habitualis in humanitate Chriſti ; aliàs ratione vnionis phyſicè dimanaſſet ab illa, quod præfati Auctores negant, ſed negata vnioni, vi radicatiua vt *quo* gratiæ, negari conſequenter debet, quod eſſe poſſit principium *quo* receptiuum : ergo humanitas ratione vnionis, qua Verbo diuino vnitur, non poteſt in potentia receptiua connaturali gratiæ habitualis conſtitui. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem conſtat primo à paritate rationis ; non enim poteſt, vel apparens ratio diſcriminis aſſignari. Secundo ; nam ex inde monſtrauimus, nec aliunde monſtrari poteſt, quod vnio humanitatis 160 *Pro tertia parte probatur aſſumptum.*

cum Verbo eſſe nequeat principium *quo* radicaliter operatiuum, & radicatiuum gratiæ, quia in alijs compoſitis conſtantibus ex vnione realiter ab extremis diſtincta, non eſt talis vnio principium *quo* radicale operandi, nec proprietatum radicatiuum, ſed formæ per quas conſtituuntur, & quia adæquatum munus vnionis eſt nectere, & copulare extrema, quorum eſt vnio; at hæc ratio, vel nihil conuincit, vel probat non poſſe vnionem eſſe principium *quo* receptiuum; etenim in alijs compoſitis vnio extremorum principium *quo* receptiuum accidentium non eſt, & eſſe purum nexum, vel rationem principij receptiui excludit, vel non excludit rationem principij *quo* actiui: ergo negata vnioni humanitatis cum Verbo, vi radicatiua gratiæ habitualis in humanitate Chriſti, debet illi conſequenter negari, ratio principij *quo* receptiui; & conſequenter non poteſt humanitas Verbo vnita ratione vnionis conſtitui in potentia receptiua naturali gratiæ habitualis, ad quam ratione ſui ſolum eſt, in potentia obedientiali paſſiua.

161 *Ex dictis concluditur.* Ex dictis ergo concluditur, gratiam habitualem non eſſe accidens connaturale Chriſto, nec illius humanitati, connaturalitate tali ſimpliciter, niſi ad ſummum virtualiter, aut conditionaliter, quia nempè, ſi Deo in ordine ad extra vterque modus operandi conueniret, ſcilicet, libere, & neceſſario, hoc ſecundo modo gratia habitualis à diuinitate in humanitate procederet; & conſequenter eſſet Chriſto connaturalis ſimpliciter, non ratione humanitatis, quæ gratiam in ſe reciperet, ſed ratione diuinitatis, quæ Chriſto intrinſeca eſt, & a qua naturaliter cauſaretur, non minus quam lux à Sole, & quam calefactio ab igne, quod aſſerit Caietanus *ſupra q. 2. art. 12.* & ne diuinare videamur, ratio iſtius conditionalis à Caietano aſſertæ eſſe poteſt; nihil enim genio Dei, & illius ſummæ bonitati conformius, quam humanitatem Verbo hypoſtaticè vnitam, & præ omnibus creaturis collectiuè ſumptis dilectam, omni dono gratiæ, cuius eſt capax ditare: ergo licet rebus vt nunc exiſtentibus prædicta dona, non neceſſario, ſed libere humanitati donentur à Deo, quia illi repugnat neceſſario ad extra operari, & ab aliquo creato ad operandum neceſſitari, ſi tamen modus iſte operandi neceſſario, & naturaliter poſſet ipſi conuenire neceſſario, à ſua eſſentia humanitati vnita, illamque ſanctificante, moueretur ab prædicta dona largienda, illiſque humanitatem Verbo vnitam ditandum.

162 *Tertia concluſio.* TERTIA CONCLVSIO. *Humanitas Verbo vnita non eſt ſubiectum proprium connaturale gratiæ habitualis.* Hæc colligitur ex dictis, & ex illis facili ratione probatur; nam ſubiecto connaturali debetur naturaliter accidens; ſed humanitati vnitæ, non debetur connaturaliter gratia: ergo
Probatur 1. humanitas vnita Verbo, non eſt ſubiectum connaturale illius. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; non enim debetur humanitati vnitæ, ratione ſui, vt omnibus eſt inconfeſſo, nec ratione Verbi, aut illius diuinitatis, nec ratione vnionis debito phyſico, & connaturali, cum nihil iſtorum poſſit eſſe humanitati ratio recipiendi gratiam, vt præcedenti concluſione monſtrauimus; & conſequenter non poſſit debitum connaturale fundare, quod ſolum fundari poteſt, in eo quod ſit ratio recipiendi: ergo humanitati vnitæ non eſt debita phyſicè gratia; & conſequenter non eſt ſubiectum connaturale illius.

163 *Secundò probatur.* Secundo probatur; nam ſubiectum connaturale eſt debitum accidenti, & ab illo phyſicè exactum; ſed humanitas Verbo hypoſtaticè vnita, non eſt debita gratiæ habituali debito phyſico, nec ab illa phyſicè exigitur: ergo humanitas Verbo vnita ſubiectum connaturale gratiæ habitualis non eſt. Conſequentia cum maiori, probatione non indiget: minor autem probatur; non enim debetur gratiæ habituali ſecundum prædicata ſpecifica, cum prout ſic ſit indifferens, ad exiſtendum in humanitate Chriſti, in Angelis, & in puris hominibus; nec prout indiuiduata in alijs ſubiectis ab humanitate diſtinctis, ſic enim repugnat illi, recipi in humanitate Chriſti in veriori Thomiſtarum ſententia, aſſerente, non poſſe vnum numero accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum; nec debetur gratiæ exiſtenti in ipſa humanitate, prout indiuidualiter ab alijs diſtinctæ; nam licet huic gratiæ ſic ſumptæ debeatur humanitas, à qua indiuiduatur; non tamen illi debetur vnio humanitatis cum Verbo. Tum, quia ad hoc debitum adſtruendum nullum fundamentum eſt. Tum etiam; nam gratiæ exiſtenti humanitate vnita indiuidualiter ſumptæ, ſoluta debetur, id à quo indiuiduationem ſumit, non autem indiuiduatur prædicta gratia ab vnione. Tum tertio; nam indiuiduo accidentis ſolum ex parte ſubiecti debetur, quod eſt ratio recipiendi illud; vnio autem ratio phyſica recipiendi gratiam humanitati non eſt, vt monſtrauimus. Tum denique nam prædicta gratia numero in multiplicata maneret in humanitate, ſi à Verbo relinqueretur, etſi aliæ perſonæ diuinæ vniretur: ergo humanitas Verbo hypoſtaticè vnita non eſt connaturaliter debita gratiæ habituali in humanitate exiſtenti.

---

§. X.

Argumentis contra ſecundam, & tertiam concluſionem occurritur.

QVÆ Contra primam concluſionem obſtant, obiter illam probantes, diluimus. Modò contra ſecundam concluſionem, arguitur pluribus ſacræ paginæ, & Sanctorum Patrum teſtimonijs, ex quibus colligitur, gratiam habitualem in humanitate Chriſti conſequi ad gratiam vnionis, & Chriſto eſſe naturalem. *Iſaiæ cap. 61. Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me. Et cap. 42 verſ. 1. Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, dedi Spiritum meum ſuper eum.* Quæ vltima verba de gratia habituali a D. Thom. accipiuntur, & illorum ſenſus eſt, ideo humanitati fuiſſe gratiam habitualem conceſſam, quia fuit à diuinitate vncta, & à Verbo ſuſcepta in vnitatem perſonæ: ergo gratia habitualis ad vnionem ſubſtantialem fuit in humanitate Chriſti ſequuta; & conſequenter eſt connaturalis Chriſto, & humanitati, vt vnitæ. Et aperte docet Baſilius ſuper Pſalmum 44. vbi de gratia habituali loquens ſic ait: *Chriſti autem naturalis eſt ad boni proſequutionem proprietas*, Damaſcenus *lib. 3. cap. 22.* Auguſtinus *in Enchiridione. cap. 40.* & alij Patres frequenter, quos ſequutus eſt D. Thom. *ſupra quæſt. 2. articul. 12. in 3. diſtin. 4. quæſt. 3. articul. 2. quæſtiuncula prima in corpore, & ſolutione ad prima & in præſenti quæſt. 7. articul. 13. ad 2.* vbi docet, gratiam habitualem in Chriſto eſſe effectum conſequentem gratiam ſubſtantialem vnionis. 164 *Primum Argumentum ab Auctoritate ſumptum.* *Iſaiæ c. 61 & c. 42.* *Baſilius.* *Damaſ.* *Auguſt.* *D. Thom.*

Reſpondeo, hoc argumento nihil contra nos conuinci; fatemur enim gratiam habitualem conſequi ad gratiam vnionis in humanitate Chriſti, & hoc ad ſummum ex verbis Scripturæ colligitur, non tamen ex illis probatur conſequi ad gratiam vnionis phyſica conſequutione, nec quod humanitati phyſicè ratione vnionis ſit debita, ſed tantum moraliter; & proinde neceſſarium erat, vt eſſet cum proprietate accidens humanitati vnitæ connaturale. Nec magis Patrum teſtimonijs vrgemur; Auguſtinus enim, vt plures volunt, loquitur de gratia vnionis, & in hoc ſenſu illum D. Th. accipit *ſup. q. 2. art. 12.* & admiſſo, vt etiam D. Th. ipſum interpretatur, loqui de gratia Chriſti habituali, non dicit abſolute eſſe naturalem Chriſto, ſed *quodammodo naturalem.* Ex quo non poteſt cum fundamento inferri, quod proprie naturalis ſit Chriſto; & dato, quod ſine dictione illa diminuenta, id aſſereret, explicari, & accipi facile poſſet de naturali contra poſitiuè ad ſupernaturale, qualiter habitualem gratiam Chriſto naturalem eſſe in prima concluſione docuimus. Non autem ſumpto ly *naturale* pro eo quod phyſicè ſubiecto debetur ratione principij actiui, aut paſſiui, in quo ſenſu a Nobis negatur, gratiam habitualem fuiſſe proprie Chriſto connaturalem, aut illius humanitati, vt Verbo hypoſtaticè vnitæ. Baſilius autem docens, eſſe naturalem proprietatem, intelligendus eſt, quoad aliquas conditiones proprietatis naturalis, non tamen quantum ad omnes. Ex quo non ſequitur, eſſe connaturalem Chriſto ſimpliciter. Et quidem non eſſe cum omni rigore Baſilij verba accipienda, fateri, tenentur oppoſitæ ſententiæ Auctores, niſi velint, quod gratia habitualis phyſicè dimanauerit à gratia ſubſtantiali vnionis, quod præfati Auctores negant. Et in eiſdem ſenſibus ſunt alij Patres accipiendi. 165 *Scriptura, & Patres explicantur.* *S. Thom.*

Secundo arguitur, quod ſicut ex eius natura conuenit tanquam ex principio actiuo, eſt illi proprie connaturale; ſed gratia habitualis prædicto modo conuenit Chriſto: ergo eſt proprie ipſi connaturalis. Conſequentia tenet. Minor eſt D. Th. *ſupra q. 2. art. 12. & in 3. diſt. 4. q. 3. art. 2. quæſtiuncula 1.* & patet; nam cauſatur à diuinitate, 166 *Secundò arguitur.*

quæ

quæ eſt vna ex naturis, ex quibus Chriſtus componitur: ergo conuenit Chriſto ex illius natura, tanquam ex principio actiuo. Maior autem probatur primo; nam id propriè, & ſimpliciter eſt naturale, quod eſt cauſatum ex principijs rei eſſentialibus, vt loquitur D. Thom. *loco ex 3. p. relato*, ſed quod alicui ex eius natura conuenit, tanquam ex principio actiuo, eſt cauſatum ex illius principijs eſſentialibus: ergo quod ſic rei conuenit, eſt ſimpliciter ipſi connaturale. Secundo probatur; ſi ignis, vel aquæ natura eſſet cauſa vnica alicuius accidentis, tale accidens eſſet aquæ, vel igni ſimpliciter naturale; ſed non ob aliam cauſam, niſi quia ipſis conueniret à ſua illorum natura tanquam à principio actiuo: ergo omne quod conuenit alicui rei, ab illius natura exiſtens, tanquam a principio actiuo eſt ipſi naturale ſimpliciter, ac proinde cum vnica gratiæ cauſa, quæ eſt natura diuina intrinſeca Chriſto ſit, non minus, quam natura humana, gratia habitualis Chriſto à diuinitate conueniens tanquam à principio actiuo, eſt ipſi connaturalis ſimpliciter, & cum omni proprietate.

167 *Reſpondetur.* Reſpondeo ex doctrina à nobis tradita, diſtinguendo maiorem: ſi naturaliter, & neceſſario conueniat, concedo maiorem: ſi non neceſſario, ſed libere à principio intrinſeco cauſetur, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; gratia namque, etſi à diuinitate Chriſto intrinſeca cauſetur, non tamen neceſſario, ſed libere à diuinitate in humanitate cauſatur, & ideo etſi naturalis poſſit dici aliquomodo Chriſto, non tamen poteſt dici naturalis Chriſto proprie, & ſimpliciter; ad hoc enim præter conuenire à principio intrinſeco actiuo, requiritur, quod naturaliter ab illo proueniat, vt conſtat ex dictis. Et quidem actus liber conuenit voluntati à principio actiuo intrinſeco; & tamen accidens connaturale non dicitur, quia non neceſſario, ſed libere à tali principio cauſatur.

168 *Et ex his ad vtramque maioris probationem reſpond.* Ad vtramque maioris probationem conſtet ſolutio; nam doctrina D. Th. intelligitur de eo quod cauſatur ex principijs eſſentialibus naturaliter, & neceſſario, & quod ſic cauſatur, eſt naturale, vel connaturale ſimpliciter ratione principij actiui; ſi autem ex illis cauſetur, non neceſſario, ſed libere, erit naturale aliquomodo, & ſecundum quid, non autem proprie adæquate, & ſimpliciter, & quia ita ſe habet gratia habitualis comparata cum Chriſto, ideo eſt illi quodammodo naturalis. In ſecunda autem probationem aſſumuntur exempla de cauſis intrinſecis naturaliter cauſantibus, de quibus verum eſt id, quod ab illis cauſatur, eſſe naturale ſimpliciter.

Sed dices, ſpecies infuſſæ Angelis ſunt accidentia ipſis

169 *Objicies.* naturalia ſimpliciter; & tamen, non neceſſario, ſed liberè infunduntur à Deo: ergo quod gratia in humanitate Chriſti, libere à diuinitate cauſetur, non impedit, quo

Reſpondetur. minus ſit connaturalis ipſi ſimpliciter. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ratione principij actiui, nego maiorem: ratione principij paſſiui, concedo maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo cōſequens: non impedit adæquate, & ex omni capite connaturalitatem gratiæ reſpectu Chriſti, cōcedo conſequentiam: non impedit inadæquate, & ex aliquo capite, nempè, ex capite principij actiui, nego conſequentiam. Itaque vt ex D. Th. vidimus, naturale dupliciter dicitur, ſcilicet, ratione principij intrinſeci actiui, & ratione principij intrinſeci naturalis paſſiui, & receptiui; & quia ſpecies infuſſæ Angelis, debentur ipſis ratione principij paſſiui, eo quod illas ab intrinſeco exigunt, & ſi ab illis non dimanent, ſed libere infundantur a Deo; ſit conſequens, vt ſint accidentia, illis connaturalia ſimpliciter, non quidem ratione principij intrinſeci actiui, ſed ratione principij intrinſeci receptiui, & paſſiui; gratia autem habitualis nullo ex his capitibus eſt Chriſto connaturalis ſimpliciter, non quidem ratione principij actiui; nam licet diuinitas, à qua gratia in humanitate cauſatur, intrinſeca Chriſto ſit; non tamen cauſat illam neceſſario, & naturaliter, quod requirebatur, vt eſſet ſimpliciter connaturalis Chriſto ex iſto principio, ſed libere à diuinitate procedit: ideoq; ex illo principio non eſt ipſi naturalis ſimpliciter. Nec etiam ratione principij paſſiui; humanitas enim ore ratione ſui, nec ratione alicuius ex prædicatis, quæ illi in vi aſſumptionis à Verbo conueniunt, eſt in potentia naturali, ad receptionem gratiæ, vt manifeſte monſtrauimus; & ideo ex nullo capite eſt Chriſto ſimpliciter naturalis, non ita quod negatio connaturalitatis adæquatè proueniat ex negatione modi agendi neceſſario in diuinitate, ſed inadæquatè tantum, & quia argumentum ex iſto capite procedebat; ſit conſequens, vt noſtra ſolutione fuerit adæquatè ſolutum.

170 *Inſtabis & eſt tertium argumentū.* Sed contra iſtam doctrina obſtat tertium contrariorum fundamentum; nam humanitas Verbo vnita petit ab intrinſeco gratiam habitualem, & illius infuſionem; ſed vt *proximè* dicebamus, ſpecies ſunt ſimpliciter connaturales Angelis, quia licet libere infundantur à Deo, illas tamen, & illarum infuſionem petunt Angeli ab intrinſeco: ergo licet gratia habitualis libere à Deo infundatur humanitati, ideoque non ſit Chriſto connaturalis ſimpliciter ratione principij actiui, erit tamen connaturalis ſimpliciter humanitati vnitæ ratione principij paſſiui, & receptiui. Minor, & conſequentia non indigent probatione. *Aſſumptū probat. 1.* Maior autem probatur primo; nam quod humanitas vnita Verbo ab intrinſeco exigat gratiam habitualem, non ratione ſui, ſed ratione vnionis cum Verbo, non implicat, nec obſtat ſupernaturalitati intrinſecæ gratiæ, cui ſolum opponitur, eſſe debitam naturæ ratione ſui; non autem ratione prioris perfectionis ſupernaturaliter conuenientis naturæ: ergo concedenda eſt humanitati vnitæ exigentia intrinſeca gratiæ, paſſiua, & receptiua illius.

171 *Secundò. Damaſ.* Secundo ex Damaſceno *lib. 3. cap. 22.* vbi de humanitate loquens, ſic ait: *Nam ſi verè vnita eſt Verbo Dei caro, quomodo non perfectè ditata eſt omni ſapientia, & gratia?* Quibus verbis aperte indicat Damaſcenus, gratiam habitualem humanitatis eſſe neceſſario connexam cum illius vnione ad Verbum; at niſi humanitas, vnita exigat ab intrinſeco gratiam, non poteſt iſta connexio ſubſiſtere: ergo illam ab intrinſeco exigit. *Tertiò.* Tertiò; nam gratia habitualis conuenit Chriſto, & illius humanitati titulo excellentiori, quam poſſit puræ creaturæ quantumuis præſtanti conuenire; ſed ſolus titulus debiti, & connaturalitatis, ita ſingularis eſt vt non poſſit conuenire puræ creaturæ: ergo admittendus eſt in humanitate Chriſti; & conſequenter aſſerendum eſt, exigi ab intrinſeco humanitate vnita. *Quartò.* Quarto probatur; nam gratia habitualis neceſſario in Angelo ſequitur ex ſpeciali Deitatis præſentia; ſed ratione vnionis eſt Deus modo excellentiſſimo præſens humanitati: ergo ex vi vnionis neceſſario conſequitur gratia; & conſequenter illam ab intrinſeco exigit humanitas Verbo vnita.

172 *Denique probatur aſſumptū.* Denique idem aſſumptum probatur; quod enim alicui conuenit ex vi actionis productiuæ ſui, neceſſario ab ipſo exigitur; ſed humanitati, & Chriſto, quatenus homini, conuenit gratia habitualis ex vi conceptionis Chriſti vnientis humanitatem cum Verbo: ergo Chriſtus, & humanitas Verbo hypoſtaticè vnita gratiam ab intrinſeco exigunt. Conſequentia eſt bona. Maior certa; nam quod conuenit termino ex vi actionis, qua producitur, eſt cum actione neceſſario connexum; connexio autem actionis productiuæ cum perfectione termino adueniente, eſt mediante connexione termini; & conſequenter, quod illi conuenit ex vi actionis, qua producitur, ab illa ab intrinſeco exigitur. *Minor probatur 1.* Minor autem oſtenditur primo, ex illis verbis *Lucæ c. 1. verſ. 35. Spiritus-Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi; ideoque, & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*: *Lucæ cap. 1. verſ. 35.* vbi prioribus verbis miraculoſa Chriſti conceptio deſcribitur, & Spiritui-Sancto attribuitur, ſed quod in Scriptura per accommodationem tribuitur ſpecialiter Spiritui-Sancto, vel ad ſanctitatem pertinet, vel illam habet adiunctam: ergo ſanctitas humanitatis habetur ex vi conceptionis Chriſti.

Secundò. S. Thom. Secundo probatur ex D. Th. *infra q. 31. art. 1. in corpore*, ibi. *Ad hoc terminata eſt incarnatio, vt homo ille*, Chriſtus ſcilicet, *qui concipiebatur eſſet ſanctus, & filius Dei*: ergo ſanctitas humanitatis fuit terminus actionis incarnatiuæ; & conſequenter ex vi prædictæ actionis, per quam Chriſtus fuit conceptus, obtenta eſt ſanctitas humanitatis, quæ à gratia habituali præſtatur. *Tertiò probatur.* Denique probatur minor; nam operatio Spiritus-Sancti in conceptione Chriſti debuit eſſe perfecta, ſed perfecta non eſſet, ſi in perfectione corporis ſiſteret, & quod excellentius eſt, non conferret, nempè, ſpiritualem animæ ſanctitatem: ergo hanc perfectionem intulit; & conſequenter gratia habitualis animam Chriſti ſanctificans conuenit humanitati, & Chriſto, quatenus homini, ex vi ſuæ conceptionis, & ex vi actionis, qua fuit humanitas ad diuinum eſſe aſſumpta.

173 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: exigentia intrinſeca phyſica; nego maiorem: exigentiam intrinſeca mo-

rali, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: Angeli namque exigunt infuſionem ſpecierum, exigentia phyſica; & ideo ſpecies, & illarum infuſio ſunt Angelo ſimpliciter connaturales; exigentia autem humanitatis vnitæ infuſionis gratiæ à Deo, non eſt phyſica, ſed moralis: ideoque non ſufficit, vt gratia, & il-

Ad primã probationem maioris reſp. lius infuſio poſſint dici connaturales ſimpliciter. Ad primam probationem maioris, quatenus diſtinctioni traditæ obſtare poteſt, dicatur, exigentiam phyſicam gratiæ repugnare humanitati, non quia ſi conueniret ratione vnionis ad Verbum, obſtaret ſupernaturalitati gratiæ, cuius contrarium breuè in argumento probatur; ſed quia nullum eſt prædicatum ex his, quæ in humanitate vnita Verbo includuntur, ratione cuius poſſit illam phyſicè exigere, vt §. *præcedenti* monſtrauimus.

Ad ſecundam. Et ex his ad ſecundam probationem conſtat ſolutio; vt enim mens, & verba Damaſceni ſaluentur, ſufficit connexio moralis inter gratiam habitualem, & vnionem humanitatis cum Verbo; ac proinde non colligitur exigentia phyſica gratiæ habitualis in humanitate vnita, ſed ſolum exigentia moralis.

Ad tertiã. Ad tertiam probationem, conceſſa maiori, diſtingno minorem: ſolus titulus debiti phyſici, vel moralis, concedo minorem: debiti præciſè phyſici, nego minorem: & ſub eadem diſtinctione conſequentis, concedo, & nego conſequentiam; non enim ſequitur deberi gratiam humanitati vnitæ debito phyſico, ſed ſolum quod debeatur debito moralis condignitatis, quod debitum puræ creaturæ repugnat, & ſoli humanitati vnitæ Deo hypoſtaticè poteſt conuenire; nulli enim puræ creaturæ poteſt gratia ab intrinſeco deberi debito huius conditionis.

174 *Inſtabis.* Sed dices; gratia debet conuenire humanitati Chriſti, titulo ita ſpeciali, qui non poſſit conuenire puræ creaturæ; nec gratia, nec gratiæ augmentum; ſed augmentum gratiæ debetur homini iuſto moraliter: ergo humanitati Chriſti debetur debito phyſico; & conſequenter humanitas Verbo vnita exigentia phyſica illam exigit, & non ſolum exigentia morali.

Reſpõdetur. Reſpondeo, conceſſia maiori, & minori, negando conſequentiam; datur enim latitudo in linea debiti moralis; & conſequenter poteſt intra hanc lineam, titulo ſpeciali humanitati deberi, quo puræ creaturæ non competat, nec gratia, nec illius augmentum, & ſpecialitas conſiſtit in eo, quod humanitati Chriſti debetur gratia, vt inamiſſibiliter ab intrinſeco poſſeſſa, & vt à principio ipſi phyſicè coniuncto habita, ſcilicet, à diuinitate illi coniuncta phyſicè in vna Chriſti perſona, quibus modis non conuenit, nec conuenire poteſt hominibus iuſtis gratia, nec illius augmentũ.

175 *Ad quartam probationẽ.* Ad quartam maioris probationem dicatur, Deum Angelis eſſe præſentem dupliciter. Primo generali modo, quo omnibus rebus adeſt, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & ex hac præſentia, non ſequitur gratia habitualis in illis; Deus namque ſuppoſita creatione Angelorum omninò liberaliter, & gratioſè, nulloque præſuppoſito debito, nec phyſico, nec morali, fuit illis gratiam habitualem largitus. Secundo eſt Angelis præſens, ſpeciali præſentia, qua eſt in animabus iuſtis per gratiam, quæ præſentia diuerſimodè explicatur à Theologis 1. p. q. 8. & q. 43. & in aliquorum ſententia conſiſtit in operatione, qua iuſtis gratiam infundit, illoſque contingit contactu ſupernaturali ſpeciali, & præſentia ſic explicata, neceſſario ad illam gratia habitualis conſequitur, vt prædictæ actionis terminus. In aliorum autem ſententia conſiſtit in ſpeciali modo, quo incipit eſſe in iuſtis media cognitione, & amore, & hæc præſentia ſupponit gratiam infuſam. Alij autem docent, conſiſtere in præſentia ſubiectiua, qua Deus media gratia habituali eſt ſecundum ſubſtantiam taliter hominibus iuſtis præſens, vt ſi ratione ſuæ immenſitatis non eſſet intimè in omnibus rebus, præſens hominibus iuſtis fieret media gratia habituali, & hæc præſentia gratiam infuſam ſupponit. Iuxta quam Theologorum doctrinam, gratia habitualis, non ſequitur neceſſario à priori, niſi ad præſentiam Dei, ad Angelos ratione actionis ſupernaturalis, qua illos virtualiter contingit, gratiam in illis cauſando: & ſic conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam: nam licet præſentia diuinitatis ratione vnionis excellentior multo ſit, quam præſentia, qua præſens eſt Angelis ratione gratiæ habitualis; quia tamen hæc ſic, vel ſupponit contactum virtualem ſupernaturalem, media actione gratiam infundente; præſentia autem ratione vnionis humanitatis cum Verbo actionem infuſiuam gratiæ habitualis non ſupponit, nec in illa conſiſtit, ſed actionem productiuam vnionis ſubſtantialis, hinc fit, vt quamuis ſit excellentior, non inferat neceſſario gratiam habitualem in humanitate Chriſti, ſed donum aliud gratia habituali excellentius, nempe, vnionem ſubſtantialem cum Verbo, & ſi verum ſit, quod ad hanc præſentiam ſubſtantialem gratia habitualis ſequatur, non conſequutione phyſica, ſed tantum morali.

176 *Ad vlt. reſpõdet.* Ad vltimam aſſumpti probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: dimanatiuè, aut exactiuè phyſicè, nego minorem: conuenit ex vi conceptionis Chriſti exactiuè moraliter, concedo minorem, & diſtinguo conſequens: exigentia phyſica, nego conſequentiam: exigentia morali, concedo conſequentiam. Itaque ex vi actionis productiuæ ſolum poteſt conuenire termino, quod intrinſecè exigitur ab illo, & iuxta modum quo exigitur; actio namque productiua, non tranſit ad perfectiones diſtinctas à ſuo termino, niſi quia exiguntur à termino, ac proinde tranſitus actionis proportionari debet exigentiæ termino conuenienti. Ex quo ſequitur, quod ſi terminus perfectionem aliquam, non phyſicè, ſed moraliter petit, non poterit talis perfectio phyſicè illi conuenire ex vi actionis, qua producitur, ſed ad ſummũ illi cõueniet ex vi actionis moraliter; Chriſtus autem non exigit exigentia phyſica gratiam habitualem, nec humanitas Verbo vnita, ſed ſolum exigentia morali; & conſequenter actio, qua Chriſtus conceptus fuit, & humanitas Verbo vnita, non influit phyſicè in gratiam habitualem, ſed ſolum influere poteſt moraliter, hoc eſt, exigere exigentia morali ratione termini à ſe producti, vel communicati, gratiam in humanitate.

177 *Diluitur prima probatio minoris.* Et ex his ad primam minoris probationem dicatur, quod vt conceptio Chriſti attribuatur Spiritui Sancto, ſufficit ſanctitatem ſubſtantialem vi illius conuenire humanitati; & dato, quod gratiæ infuſio exigeretur, ſufficit, quod ad illam moraliter conſequatur. Ex his etiam conſtat ad ſecundam probationem deſumptam ex D. Thom. ſolutio; *Explicatur D. T.* actio enim incarnatiua primario fuit terminata ad ſanctitatem ſubſtantialem, qua humanitas ſancta eſt ratione diuinitatis; ad ſanctitatem autem accidentalem prædicta actio phyſicè terminata non fuit, ſed ad ſummum moraliter, eo quod terminus illius primarius ab intrinſeco exigebat, exigentia morali gratiam habitualem, & illius infuſionem, qua phyſicè fuit producta.

178 *Ad tertiã probationẽ reſpõd.* Ad tertiam probationem dicatur, actionem, qua Chriſtus conceptus fuit, & humanitas Verbo vnita non, eſſe productiuam gratiæ ſe ipſa, ſed ſolum vnionis humanitatis cum Verbo, & termini reſultantis ex illa, in quo includitur diuinitas humanitati vnita, illamque ſubſtantialiter ſanctificans: vnde non ſtetit in perfectione corporis, ſed principaliter ſanctitatem animæ contulit, non quidem accidentalem, ſed ſubſtantialem humanitatis ſanctitatem ſe ipſa effectiuè conferendo; accidentalem vero prouenientem à gratia habituali moraliter exigendo, conferendam in vi alterius actionis; vt autem operatio Spiritus-Sancti fuerit in conceptione Chriſti perfecta, ſufficit, quod ſe ipſa contulerit, quod poteſt ſe ipſa conferre, moraliter exigendo gratiam habitualem conferendam vi alterius actionis. Et quidem hæc vltima aſſumpti probatio, ſi quid probaret, conuinceret, non ſolum exigentiam phyſicam gratiæ in humanitate vnita, ſed etiam dimanationem phyſicam ab illa; quod enim ſecundario conuenit termino in vi actionis, qua in eſſe producitur, phyſicè ab illo dimanat, ſi propriè vi actionis productiuæ termino producto conueniat.

179 *Replicabis.* Sed contra doctrinam iſtam inſtabis; taliter enim gratia habitualis humanitati Chriſti debetur ratione vnionis cum Verbo, vt foret miraculum humanitatem Verbo vniri, & gratiam habitualem non conſequi, non minus, quam produci humanitatem intellectu, & voluntatem carentem; ſed carentia, aut non conſecutio intellectus, & voluntatis in humanitate, ideo miraculoſa foret, quia intellectus, & voluntas phyſicè humanitati debentur; ergo gratia habitualis debetur humanitati vnitæ, non debito morali, ſed phyſico; & conſequenter in illa, ratione vnionis cum Verbo eſt exigentia phyſica gratiæ habitualis illam accidentaliter ſanctificantis.

Reſpondetur. Reſpondeo, obiectionem iſtam plus probare, quam intendunt contrariæ ſententiæ Auctores; probat enim, ſi aliquid probat, gratiam habitualem, non ſolum exigi phyſicè ab humanitate vnita, ſed etiam ac illam conſequi per dimanationem phyſicam, qualiter intellectus, & voluntas ad animam conſe-

quun-

quuntur, quod contrarij Auctores recuſant: vnde pro omnibus reſpondetur, conceſſa maiori, diſtinguendo cauſalem minoris: ly *quia*, dicente cauſam ſufficientem, concedo minorem: cauſam vnicam, & neceſſariam, nego minorem, & conſequentiam; nam licet intellectum, & voluntatem phyſicè deberi homini, ſufficiat, vt illorum carentia miraculoſa ſit, non tamen deberi phyſicè, eſt cauſa vnica, & neceſſaria, vt carentia ſit miraculoſa, ſed poteſt aliunde prouenire, nempè, ex debito morali, & quia gratia habitualis debetur moraliter humanitati vnitæ ratione condignitatis ei præſtitæ à diuinitate; ſit conſequens, vt miraculoſa foret carentia gratiæ habitualis in humanitate Verbo hypoſtaticè vnita. Et quidem homini in gratia perſeueranti ſolum moraliter eſt debita gloria; & tamen miraculoſum eſſet hominem vſque ad finem in gratia perſeuerantem gloria priuari.

180 *Vrgebit.* Sed adhuc vrgebit; debitum, quod ſufficit, vt carentia formæ debitæ ſit miraculoſa, etiam ſufficit, vt forma ratione illius debita, ſit connaturalis; ſed per Nos debitum gratiæ habitualis ratione vnionis conueniens humanitati, eſt ſufficiens, vt Deus gratiam habitualem humanitati negans, miraculosè negaret: ergo etiam ſufficit, vt Deus illam infundens humanitati, operetur connaturaliter; & conſequenter ſufficit, vt gratia habitualis, & illius infuſio facta à Deo, iuxta illam exigentiam, ſint connaturales humanitati vnitæ.

181 *Reſpondetur.* Reſpondeo; ſi hoc ſolum velint Auctores oppoſiti, quod nempè, gratia habitualis ſit connaturalis ſimpliciter humanitati Chriſti, quia eſt illi moraliter debita, ſolum de modo loquendi contendere; illis tamen non acquieſcimus; ſicut enim ad rationem proprietatis requiritur dimanatio à ſubiecto, ita ad rationem accidentis connaturalis requiritur ſubiecto eſſe debitum, ſed ad rationem proprietatis naturalis ſimpliciter, non ſufficit dimanatio moralis, ſed phyſica dimanatio requiritur, quocirca in aliorum ſententia, gratia habitualis in anima Chriſti reſidens, non eſt proprietas naturalis ſimpliciter gratiæ ſubſtantialis vnionis; quia licet conſequatur ad illam neceſſario moraliter, non tamen phyſicè ab illa dimanat: ergo pariter gratiam habitualem moraliter ratione gratiæ vnionis humanitati deberi, non ſufficiet, vt dicatur connaturalis ſimpliciter humanitati vnitæ; non enim poteſt ratio diſcriminis aſſignari, cur ad rationem proprietatis naturalis ſimpliciter, phyſica emanatio exigatur, & ad rationem accidentis naturalis ſimpliciter, non petatur debitum phyſicum, & phyſica exigentia in ſubiecto, reſpectu cuius dicitur connaturale. Vnde ad obiectionem reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ſufficit vt forma ſit debita, ſit connaturalis ſimpliciter, nego maiorem: ſimpliciter, vel ſecundum quid, concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens diſtinctione maioris. Solum enim ſequitur, gratiam ſanctificantem humanitatem vnitam, eſſe illi connaturalem aliquomodo, & ſecundum quid, non autem, quod ſit illi connaturalis ſimpliciter: & ratio diſtinctionis traditæ eſt; nam miraculum dicitur, quod accidit contra conſuetum modum in ordine naturæ, vel gratiæ; modus autem conſuetus operandi Dei in vtroque ordine, eſt operari conformiter ad exigentiam phyſicam, vel moralem ſubiecti; & ideo iſtum ordinem inuertere extraordinarium, & miraculoſum erit; ac proinde ex eo, quod carentia, vel non conceſſio formæ debitæ moraliter, miraculoſa foret, non ſequitur illius infuſionem moraliter debitam eſſe connaturalem ſimpliciter, ſed ſolum quod aliquomodo, & ſecundum quid ſit connaturalis.

182 *Contra tertiam concluſionem arguitur.* Deinde contra tertiam concluſionem arguitur; illud namque eſt ſubiectum connaturale alicuius accidentis, in quo ſe explicat in omnes effectus ſibi poſſibiles; ſed in humanitate Verbo hypoſtaticè vnita, habet gratia habitualis omnem ſuam perfectionem, exitqꝫ in omnem effectum poſſibilem, quocirca dicitur, Chriſtum fuiſſe plenum gratiæ, in illa namque diſponit ad vnionem ſubſtantialem cum Verbo, Chriſtumque conſtituit merentem de condigno, & ad æqualitatem pro nobis ſatisfacientem, influitque in hominibus gratiam, & gloriam, quos effectus non poteſt in alio ſubiecto habere: ergo Chriſtus, vt homo, vel humanitas Verbo vnita eſt ſubiectum connaturale gratiæ.

183 *Confirmatur.* Confirmatur; ſi non eſſet ſubiectum connaturale gratiæ, maximè, quia humanitas eſt ad illam in potentia non connaturali, ſed obedientiali; at hæc ratio eſt nulla: ergo eſt ſubiectum connaturale gratiæ. Conſequentia eſt bona. Maior continet noſtram doctrinam, & minor probatur; natura intellectualis creata eſt ſubiectum connaturale gratiæ; & tamen non eſt ad illam in potentia naturali, ſed tantum in potentia obedientiali: ergo ratio illa eſt nulla. Maior, in qua eſt difficultas, probatur; nam ſubiectum exactum ab accidente connaturaliter, eſt ſubiectum connaturale illius; ſed natura intellectualis creata eſt ſubiectum connaturaliter exactum à gratia; tum enim accidens ſit, ab intrinſeco petit alicui ſubiecto inhærere, & non eſt aliud, cui gratia inhærere petat, niſi natura intellectualis creata: ergo hæc eſt ſubiectum connaturale gratiæ habitualis.

184 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando maiorem; ſic illud eſt ſubiectum connaturale accidentis, quod illud connaturaliter exigit, & ab illo connaturaliter exigitur, & quia humanitas Verbo vnita non exigit ab intrinſeco, & connaturaliter gratiam, ſed ſolum eſt in potentia obedientiali ad illam, nec exigitur à gratia connaturaliter vt §. *præcedenti* monſtrauimus; conſequens ſit, vt non ſit ſubiectum connaturale gratiæ, quamuis gratia in humanitate Verbo vnita prædictos effectus ſortiatur, quos non poteſt in alio ſubiecto obtinere. Neque ex eo quod gratia effectus illos habeat in humanitate vnita, ſequitur ab intrinſeco illam pro ſubiecto exigere; cum enim prædicti effectus dignitatem infinitam inuoluant, quam gratia non poteſt præſtare, non debentur ipſi gratiæ, nec illos ab intrinſeco exigit; & ideo nec ab intrinſeco petit ſubijci in humanitate vnita, in qua ſola poſſunt à gratia præſtari.

185 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad probationem, nego maiorem: ad illius probationem: diſtinguo maiorem: ſubiectum exactum ab accidenti, vt exiſtens in potentia naturali ad illud, concedo maiorem: vt exiſtens tantum in potentia obedientiali, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam licet neceſſarium ſit ad rationem ſubiecti connaturalis alicuius accidentis, quod ab illo ab intrinſeco exigatur; non tamen hoc ſolum ſufficit, ſed inſuper eſt neceſſarium, quod ſubiectum ſit ad accidens in potentia naturali; licet autem gratia ab intrinſeco exigat pro ſubiecto naturam intellectualem creatam; hæc tamen ab intrinſeco non exigit gratiam, nec illam recipit ratione potentiæ naturalis, ſed ſolum ratione potentiæ obedientialis; & ideo non eſt ſubiectum connaturale gratiæ, licet ſit ſubiectum proprium illius. Nec ſequitur humanitatem vnitam eſſe ſubiectum proprium gratiæ habitualis, quamuis humanitas illam non exigat. Non inquam, ſequitur; nam non ſolum deficit exigentia connaturalis, gratiæ ex parte humanitatis, ſed etiam deficit exigentia vnionis humanitatis ex parte gratiæ; & ideò humanitas Verbo vnita, nec eſt ſubiectum connaturale gratiæ, nec ſubiectum proprium illius.

186 *Quid de gratia vnionis dicendum.* Hucuſque de gratia habituali ſermo proceſſit. De gratia autem vnionis breuiter eſt aſſerendum eſſe Chriſto pluſquam connaturalem; humanitati autem connaturalem quodammodo. Primum patet; eſt enim Chriſto eſſentialis: ergo eſt pluſquam connaturalis, nec reſpectu Chriſti ſub nomine *Chriſti*, poteſt dici connaturalis propriè; nam ly *connaturale* propriè acceptum, dicit debitum non eſſentiale, & importat rem debitam naturæ alicuius, non incluſam in eius eſſentia; gratia autem vnionis conſiſtens in vnione diuinæ, & humanæ naturæ, in vna Chriſti perſona, eſt Chriſto ſub nomine *Chriſti* eſſentialis; Chriſtus enim eſſentialiter veramque naturam, & illarum vnionem importat, & in illis vnitis conſiſtit, & ex illis componitur: ergo gratia vnionis non poteſt dici Chriſto propriè connaturalis, non quidem ob defectum debiti, ſed ob exceſſum, quia nempè, eſſentialis eſt.

187 *Secundū probatur.* Secundum probatur; nam gratia vnionis comitatur humanitatem à primo ſuæ formationis inſtanti; ſimul enim formata, & aſſumpta à Verbo fuit, in quo gratia vnionis conſiſtit, & inſuper humanitati inſeparabiliter conuenit: ergo poteſt dici connaturalis, quoad iſtas conditiones; & conſequenter aliquomodo eſt connaturalis humanitati, non autem ſimpliciter; quia non fuit humanitati debita, nec ad illam erat in potentia naturali, quæ duo potiſſimè ab accidente connaturali exiguntur. Vndè Auguſtinus de gratia vnionis loquendo, aſſerit, fuiſſe quodammodo Chriſto homini connaturalem, non dixit Chriſto, ſed Chriſto homini, aperte denotans, ſe loqui de Chriſto ratione humanitatis; ſic autem lo-

loquendo de Chriſto veriſſimum eſt gratiam vnionis fuiſſe aliquo modo naturalem; nam licet eſſentialis ſit Chriſto, eſt ratione diuinitatis, non ratione humanitatis.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

188 *Nō potuit gratia habitualis phyſicè ad vnionem diſponere probatur 1.*

EX Dictis in diſcurſu Diſputationis, infero primo, nec de potentia abſoluta potuiſſe gratiam habitualem eſſe phyſicam diſpoſitionem ad vnionem humanitatis cum Verbo. Ita communiter Theologi, & oſtenditur primo; nam inter diſpoſitionem phyſicam, & formam petitur connexio intrinſeca, qua diſpoſitio inferat, & cauſet formam, & hæc a diſpoſitione dependeat intrinſecè, vt a cauſa materiali diſpoſitiua; ſed Deus non poteſt efficere, quod gratia habitualis de ſe non connexa intrinſecè cum vnione, nec ipſam ab intrinſeco inferens intrinſecè connectatur cum illa, nec quod vnio de ſe non dependens, dependentia intrinſeca à gratia, intrinſece dependeat ab illa; non enim poteſt rerum eſſentias variare: ergo gratia habitualis non potuit de potentia abſoluta eſſe diſpoſitio phyſica ad vnionem hypoſtaticam. *Secundò.* Secundo; vt enim *Diſp.17. §.4.* docuimus, nulla forma poteſt in genere cauſæ formalem effectum, quem ratione ſui, & ſuæ innatæ virtutis, non poteſt ſubiecto præſtare, ſed ſubiectum eſſe phyſicè ad formam diſpoſitum eſt effectus diſpoſitionis in genere cauſæ formalis: ergo gratia habitualis ſuapte natura impotens ad diſponendum phyſicè humanitatem Chriſti ad vnionem perſonalem cum Verbo, non poteſt ad illam phyſice humanitatem diſponere, etiam de potentia abſolute.

189 *Potuit, vt diſpoſitio moralis, ſi propriam exiſtētiā haberet humanitas. Probatur.*

Secundo colligitur in ſententia extra Scholam D. Th. communi, aſſerente, humanitatem in Chriſto exiſtere per exiſtentiam propriam creatam, potuiſſe gratiam habitualem moraliter ad vnionem diſponere. Quod probo; nam licet accidentia, vt inexiſtant, & inhæreant ſubiecto, eſſentialiter in illo exiſtentiam præſupponant; non tamen ſupponunt eſſentialiter ſubſiſtentiam, nec eſt vnde hæc præſuppoſitio, & ſubordinatio eſſentialis ad ſubſiſtentiam probetur, maximè, cum plures valde probabiliter doceant, poſſe de potentia abſoluta naturam ſubſtantialem, ſine ſubſiſtentia exiſtere, ſicut accidens, ſine inhærentia, quo in caſu accidentibus ſubeſſet, pati, & operari poſſet, ſicut accidentia à ſubiecto ſeparata, patiuntur, & agunt, vt conſtat in accidentibus panis poſt conuerſionem: ergo humanitas prout concipitur exiſtens pro priori ad vnionem cum Verbo, potuit de potentia abſoluta gratiam habitualem recipere; ſed à gratia vt pro illo priori exiſtente potuit Dei voluntas moueri, vt vnionem humanitatis cum Verbo decerneret, illamque vellet humanitati ex complacentia in ſanctitate illi a gratia habituali præſtita: ergo potuit de potentia abſoluta gratia habitualis præuiè moraliter ad vnionem perſonalem diſponere in ſententia aſſerente, non per exiſtentiam Verbi, ſed per propriam exiſtentiam exiſtere.

190 *Prima obiectio Recentiorum. Reſpondetur.*

Nec obſtat, quod aliqui Recentiores obijciunt; nempè, humanitatem Chriſti productam eſſe per actionem, quæ ſimul fuit vnio humanitatis cum Verbo: ergo inter humanitatem, vt productam, & vnionem cum Verbo, non potuit diſpoſitio phyſica, nec moralis mediare. Non inquam obſtat. Tum, quia antecedenti permiſſo, conſequentia non tenet, vt *paulo infra* videbimus. Tùm, & potiſſimè; quia antecedens eſt falſum, vt vidimus *diſp.12.n.2.* vbi cum frequentiori, & veriori ſententia monſtrauimus, actionem formatiuam humanitatis fuiſſe diſtinctam ab actione aſſumptiua, vnitiuaque humanitatis cum Verbo.

191 *Inſtant, & obijciunt ſecundo.*

Sed inſtant; nam eſto admittatur, fuiſſe humanitatem prius natura productam, quam Verbo vnitam; actio tamen illa fuit eſſentialiter connexa cum productione vnionis hypoſtaticæ, non minus, quam productio formæ Leonis eſt connexa cum productione vnionis, qua vnitur materiæ; ſed inter actiones illas ſic connexas eſſentialiter, non potuit diſpoſitio mediare ſupponens vnam, & præcedens aliam: ergo non potuit in humanitate vi primæ actionis productæ recipi gratia habitualis pro priori ad actionem vnitiuam; & conſequenter non potuit moraliter ad vnionem diſponere.

Reſpōdetur dupliciter.

Reſpondeo primo, negando maiorem; nec eſt vnde dicta connexio probetur. Secundo, permiſſa maiori, nego minorem; non enim obſtat eſſentialis actionum connexio, vt inter vnam, & aliam mediet diſpoſitio, vnam ſubſequens, & aliam natura præcedens. Et quidem cōnexione eſſentiali inter prædictas actiones admiſſa, & humanitati propria exiſtentia conceſſa, intellectus, & voluntas, & aliæ proprietates humanitati debitæ, primam ſubſequuntur actionem, & ſecundam præcedunt. Tertio prætermiſſis maiori, & minori, diſtinguo conſequens: in humanitate prout de facto fuit producta, non potuit diſpoſitio antecedere vnionem ipſius cum Verbo, tranſeat conſequens: prout aliter potuit de potentia abſoluta produci, nego conſequentiam; dato namque fuiſſe de facto humanitatem productam actione eſſentialiter connexa cum actione productiua vnionis, & quod prædicta connexio obſtet diſpoſitioni inter vtramque mediandi; ſolum ſequitur, non potuiſſe gratiam habitualem moraliter ad vnionem diſponere humanitatem, prout de facto fuit producta, non autem, quod diſponere moraliter non potuerit, aliter humanitate formata, videlicet, media actione, non connexa eſſentialiter cum actione aſſumptiua, cuius impoſſibilitas non eſt, vnde poſſit oſtendi.

192 *Tertio obijcitur.*

Denique, & vrgentius arguunt; nam productio vnionis humanitatis ad Verbum ſuccedit productioni propriæ ſubſiſtentiæ; ſed ſi humanitas propria ſubſiſtentia ſubſiſteret, inter productionem humanitatis, & productionem, vel reſultantiam propriæ ſubſiſtentiæ, nihil poſſet intelligi medium ſubſequens productionem humanitatis, & natura, & cauſalitate productionem, vel reſultantiam propriæ ſubſiſtentiæ antecedens: ergo inter actionem, qua humanitas fuit formata, & actionem productiuam vnionis ad Verbum, non poteſt diſpoſitio media intelligi, ſubſequens primam actionem, & ſecundam, natura, & cauſalitate antecedens; & conſequenter non potuit de potentia abſoluta, gratia habitualis antecedenter moraliter ad vnionem humanitatis cum Verbo concurrere.

193 *Confirmatur.*

Quod amplius vrgere, & confirmare poſſumus ex noſtra doctrina; quia namque ſubſiſtentia Verbi gerit vices ſubſiſtentiæ creatæ, & inter hanc, & propriam naturam diſpoſitio præuia non datur, intulimus cum D. Thom. inter ſubſiſtentiam Verbi, & humanitatem, nullam diſpoſitionem mediaſſe; ſed inter ſubſiſtentiam propriam humanitatis, ſi adeſſet, nec mediaret de facto, nec poſſet de potentia abſoluta aliqua diſpoſitio mediare: ergo inter ſubſiſtentiam Verbi, & humanitatem, non ſolum mediauit diſpoſitio de facto, verum etiam non potuit de potentia abſoluta diſpoſitio præuia mediare; & conſequenter non potuit, adhuc de potentia abſoluta, gratia habitualis præuiè moraliter ad vnionem humanitatis cum Verbo diſponere.

194 *Reſpondetur.*

Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: producta humanitate modo connaturali, concedo minorem: producta humanitate modo præternaturali poſſibili de potentia abſoluta, nego minorem, & diſtinguo conſequens: loquendo de actione, qua de facto fuit vnio producta, concedo conſequentiam; loquendo de actione, qua potuit de potentia abſoluta produci, nego conſequentiam. Itaque de humanitatem cum propria ſubſiſtentia comparata, poſſumus dupliciter loqui: primo de illa, vt connaturali modo producta, & ſic nec mediaret, nec mediare poſſet diſpoſitio inter humanitatem, & propriam ſubſiſtentiam; cum enim in noſtra, & D. Tho. doctrina ſubſiſtentia prior ſit exiſtentia, naturali ordine attento, fit, vt producta humanitate modo ſibi connaturali, non ſupponatur exiſtens ad ſubſiſtentiam propriam, ſed poſt illam, & quia accidentia, vt inexiſtant, eſſentialiter ſupponunt exiſtentiam; ſic conſequens, vt inter humanitatem, vt connaturali modo productam, & ſubſiſtentiam, nec mediet, nec mediare poſſit de potentia abſoluta aliqua præuia diſpoſitio; quia tamen ordo prioritatis ſubſiſtentiæ ad exiſtentiam, non eſſentialis, ſed connaturalis eſt, poteſt inuerti de potentia abſoluta, & produci humanitas, & quæuis alia natura ſubſtantialis prius exiſtens, quam propria ſubſiſtentia ſubſiſtens, & pro illo priori alicui accidenti ſubeſſe intuitu cuius Deus in illa propriam ſubſiſtentiam producat, quo in caſu inter illam, & ſubſiſtentiam propriam moralis diſpoſitio intercederet. Et quia ſubſiſtentia Verbi, poteſt loco ſubſiſtentiæ propriæ ſuccedere, prout in caſu illo propriam terminantis naturam; ſic conſequens, vt poſſet de potentia abſoluta inter productionem vnionis humanitatis cum ſubſiſtentia Verbi, & productionem humanitatis, moralis diſpoſitio

ſitio

ſitio intercedere, vt poſterior natura actione producente humanitatem, & vt prior natura actione cauſante vnionem. quia tamen de facto ſubſiſtentia Verbi ſucceſſit loco ſubſiſtentiæ propriæ, vt terminaturæ humanitatem connaturali modo productam; fit conſequens, vt diſpoſitio media non interceſſerit, nec ioret illam, vt ſic vnitam, & humanitatem, potuit etiam de potentia abſoluta, diſpoſitio media re. Et ex his ad confirmationem conſtat ſolutio.

195 *Contra. vlt tenet Vazq. dupliciter primo.* Contrarium doctrinæ à Nobis illatæ tenet Vazquez *diſput.41.cap.3. num.11.* ductus primo; eo quod implicat Chriſtum, vt hominem, eſſe Filium naturalem, & adoptiuum Dei: ſed ſi gratia habitualis ordine naturæ, vt diſpoſitio vnionem præcederet, humanitatem adoptatam conſtitueret; & conſequenter in eodem inſtanti reali, filiatio naturalis, & adoptiua in humanitate coincideren, Chriſtuſque, vt homo, vtraque filiatione eſſet Filius Dei: ergo non potuit de potentia abſoluta gratia habitualis præuiè moraliter ad vnionem diſponere. Minorem probat; nam gratia præcedens ordine naturæ vnionem non daretur intuitu vnionis, cum eſſet ordine naturæ poſterior: ergo eſſet data ex affectu adoptionis; & conſequenter humanitatem adoptatam conſtitueret.

196 *Secundò.* Secundo; vt enim gratia habitualis moueret Deum, vt illius intuitu vnionem conferret, aliquid deberet habere, quod modo non habet, cum Deum ad vnionem conferendam non mouet; ſed non poteſt excogitari, quid ipſa gratia habitualis poſſet habere, ratione cuius moueret Deum ad vniendam naturam, quod re ipſa non habet: ergo nec de facto moraliter ad vnionem diſpoſuit, nec potuit de potentia abſoluta diſponere. Maiorem probat ex doctrina ab ipſo tradita 1.p.*diſp.79.c.2.* nempè, nulla in rebus facta mutatione, non poſſe circa ipſas eodem modo ſe habentes, varios actus Deo attribui; ergo vt gratia Deum moueret ad vniendam naturam humanam, ad quod de facto Dei voluntatem non mouit, debet in ipſa aliqua mutatio intercedere; & conſequenter habere aliquid, quod re ipſa non habuit.

197 *Ad primū reſpōd. 1.* Hæc tamen leuia ſunt, & talia ſuæ familiæ Recentioribus viſa. Ad primum reſpondeo ex dictis *in hac diſp.* §.2. conceſſa maiori, negando minorem: ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; vt enim gratia habitualis filium adoptiuum conſtituat, requiritur realis carentia filiationis naturalis; cum autem gratia ſolum natura, & cauſalitate vnionem ſubſtantialem præcederet, non eſſet realis carentia filiationis naturalis in humanitate Chriſti, vel vt in Chriſto, quatenus homine, ſed ſolum pro illo priori naturæ datur præciſio filiationis naturalis; alias ſimul in eodem inſtanti reali daretur naturalis filiatio, & illius realis carentia, quod implicat; & ideo quamuis gratia prioritate naturæ vnionem ſubſtantialem præcederet, nec daretur intuitu vnionis, non ideo conſtitueret Filium Dei adoptiuum; ac proinde, non ideo daretur ex affectu adoptionis. Nec eſt eſſentiale gratiæ conferri ex affectu adoptionis, vel filiationis naturalis; ſed ſolum petit conferri ex affectu ad ſubiectum, cui datur, aut ex affectu ſanctificationis. Et qui-
Vazquez. dem in ſententia P. Vazquez, gratia habitualis actum contritionis ordine naturæ præcedit cum 1.2. *diſp.*21.*cap.*3. & 4. doceat cum frequentiori Thomiſtarum ſententia, actum contritionis efficienter à gratia habituali procedere, & tamen pro illo priori non intelligitur gratia data ex affectu adoptionis; aliàs pro illo priori ſanctificaret ſubiectum; & conſequenter non poſſet contritio ad illam, vt ſanctificantem diſponere: ergo ſtat gratiam habitualem pro aliquo priori intelligi, quin pro illo intelligatur, data ex affectu adoptionis, eſto non concipiatur, data ex affectu vnionis ſubſtantialis cum Deo, nec filiationis naturalis.

Vel ſecundo reſponderi poteſt, conceſſa etiam maiori,
198 *Secundo reſpōdet.* negando minorem: ad illius probationem, nego antecedens; nam potuit de potentia abſoluta gratia habitualis præcedere ordine naturæ vnionem ſubſtantialem cum Verbo, & nihilominus dari intuitu vnionis præuiſæ, non quidem, vt prius exiſtentis, quam gratia, ſed vt poſterius exiſtentis. Sicut merita Chriſti præuiſa, non vt prius exiſtentia, quam gratia Antiquorum Patrum, ſed vt poſterius tali gratia exiſtentia, huiuſcemodi gratiam meritoriè cauſarunt, & conſequenter fuerunt motiua, vt illam Deus Antiquis Patribus daret, & ſicut hoc non obſtat, vt Incarnatio fuerit Antiquorum Patrum actibus meritoriè de congruo cauſata: ita quod gratia in caſu poſſibili vnionem ſubſtantialem præcedens intuitu vnionis modo explicato præuiſæ daretur, impedimentum eſſe non poſſet, vt vnio à gratia habituali cauſaretur, vt à diſpoſitione congrua morali. Reculantur dicta *ſupra Tract.2. Diſp.13. præcipuè §. vltimò.*

Secundum argumentum minus habet difficultatis; 199 *Ad ſecundum reſpondetur.*
quod enim phyſica in rebus mutatio, neceſſario requiratur, vt diuerſi actus liberi, Dei voluntati attribuantur, procedit ex alia doctrina parum grata, non ſolum exteris, ſed etiam domeſticis ſuæ familiæ Doctoribus, qua Pater Vazquez Aureolum ſequutus aſſeruit decretum Dei liberum per extrinſecam denominationem ſumptam à mutatione creaturæ conſtitui, quam fusè reiecimus 1.p. *Tract. de Voluntate Dei* examinantes conſtitutiuum decreti liberi Dei, eamque reiiciunt, non ſolum noſtri Thomiſtæ, ſed etiam Doctores Societatis frequentius: vndè falſum eſt phyſicam mutationem in rebus creatis exigi, vt decretum liberum ſit, vel multiplicetur in Deo, & ex principio falſo procedit. Et inſtantiam manifeſtam habet in doctrina, quam Vazquez negare non poterit, nempè, in denominatione ſcientiæ; datur enim de facto actus ſcientiæ, quam *Mediam* vocant, in Deo circa obiectum conditionatum, qui potuit in ipſo non eſſe, eſto non ſit Deo liber: & tamen talem actum nulla phyſica mutatio in creatura præcedit, nec comitatur, maximè in illorum ſententia: ergo poterit etiam decretum Dei liberum exiſtere cum potentia, vt non extiterit, abſque phyſica mutatione creaturæ; & conſequenter licet gratia habitualis nullam mutationē ſuſcipiat, poterit in caſu poſſibili Dei voluntatem mouere, etſi de facto non moueat. Et quidem iuſtorum merita de facto Dei voluntatem mouent ad retributionem gloriæ, vt coronæ cum in prædeſtinatis efficaciter gloriam mereantur, & potuerunt non mereri efficaciter gloriam, nec diuinam voluntatem ad illam retribuendam mouere; & tamen non apparet, quæ mutatio phyſica detur in actu charitatis de facto mouente ad exhibitionem gloriæ, reſpectu ſui, caſu in quo non moueret: ergo ex eo quod non appareat mutatio phyſica in gratia, perperam à prædicto Auctore infertur, non poſſe de potentia abſoluta, Dei voluntatem mouere ad vnionem humanitatis cum Verbo, ad quam de facto non mouet. Præterquam quod, vt ipſe Vazquez fatetur *Diſputatione allegata cap. 3. ad finem*, ſi gratia habitualis tempore vnionem humanitatis præcederet, poſſet eſſe diſpoſitio moralis ad illam; & tamen ex variatione temporis, non variatur intrinſecè gratia, ſed eadem omnino inuariata intrinſecè, & intrinſecè immutata, quæ modo vnioni coexiſtit, poſſet tempore illam præcedere: ergo vt gratia moueat Deum ad aliquid, ad quod modo non mouet, non eſt neceſſaria phyſica mutatio in illa.

Tertiò colligitur; vnione humanitatis ad Verbum facta, vt modo facta eſt, non poſſe de potentia abſoluta 200 *Tertium corollarium.*
gratiam habitualem præuiè ad illam diſponere in Thomiſtarum principijs: potuiſſe tamen aliter vnionem fieri, & gratia habitualis moraliter ad illam diſponere. Prima pars facili ratione probatur; gratia habitualis, & idem *Prima pars prob.* eſt de quouis alio accidenti dicendum, non poteſt, etiam de potentia abſoluta, recipi in humanitate, niſi prius ſupponatur exiſtens, ſed vnione prout nunc facta, prius concipitur humanitas ſubſiſtentia Verbi ſubſiſtens, quam exiſtens exiſtentia diuina: ergo vnione, vt nunc eſt facta, implicat gratiam habitualem, vt moralem diſpoſitionem ad vnionem perſonalem humanitatis cum Verbo concurrere. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; vt enim cum D. Thom. *infra q.17.* docent frequenter Thomiſtæ, ſubſiſtentia prior eſt exiſtentia, & ad hoc datur, vt compleat naturam ad exiſtendum; ſed ſubſiſtentia, per quam humanitas de facto ſubſiſtit, vel eſt ſubſiſtentia relatiua Verbi, vel ſi hoc præſtat ſubſiſtentia abſoluta, non eſt abſolutè ſumpta, ſed prout modificata perſonalitate Verbi, vt contra Durandum monſtrauimus *Diſp.*15.§.1. ergo vnione facta, vt nunc, prius concipitur humanitas ſubſiſtens, ſubſiſtentia perſonali Verbi, quam exiſtens exiſtentia diuina; & conſequenter ſumpta vnione prout nunc facta, implicat gratiam habitualem illam, vt diſpoſitionem moralem præcedere.

201 *Secunda pars prob.* Deinde ſecunda pars corollarij probatur, vt enim *Diſp.* 15. §. 4. docuimus potuit humanitas de potentia abſoluta vniri huic Deo, vt extremo vnionis immediato ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ; ſed in tali caſu poſſet gratia habitualis vnionem perſonalem cum Verbo præcedere: ergo

poſſet

poſſet ad illam, vt diſpoſitio moralis præuia concurrere. Maior cum conſequentia tenet. Minorem autem probo nam in illo caſu, non exiſteret humanitas ratione ſubſiſtentiæ perſonalis Verbi, ſed ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, qua hic Deus ſubſiſtit, & exiſtit; ergo poſſet gratia habitualis recipi in humanitate, vt exiſtente, & ſubſiſtente ſubſiſtentia Dei abſoluta pro priori ad vnionem perſonalem cum Verbo; & conſequenter poſſet moraliter ad illam, tanquam præuia diſpoſitio diſponere.

202 *Reſpondebis.* Reſpondebis, negando minorem; nam licet, caſu in quo humanitas vniretur huic Deo, vt communi tribus perſonis, humanitas non exiſteret ratione ſubſiſtentiæ perſonalis Verbi, ſed ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ; non tamen poſſet huic Deo immediatè vniri, quin mediatè, & ſecundario vniretur tribus perſonis, vt *Diſp.* 15. in 1. *diſp. parte* contra Durandum cum communi Theologorum ſententia docuimus: hoc argumento potiſſimè contra Durandum arguendo, quod ex illius ſententia ſequatur, tres perſonas fuiſſe incarnatas, quod nullatenus inferretur ſi humanitas poſſit huic Deo immediatè vniri, quin neceſſario ex conſequenti tribus perſonis vniatur; eo autem ipſo, quod hæc doctrina ſit vera, non poteſt in humanitate, vt exiſtente ratione exiſtentiæ abſolutæ recipi gratia habitualis, vt moraliter diſponens ad vnionem perſonalem; nam cauſalitas diſpoſitionis moralis exercetur, immediatè mouendo voluntatem agentis ad introductionem formæ; & conſequenter libertatem in agente ſupponit ad illius introductionem, & introductionis negationem, quæ libertas non ſupponitur in Deo ad vniendam humanitatem cum Verbo, ſuppoſita vnione eiuſdem humanitatis cum hoc Deo, vt tribus perſonis communi, quandoquidem vnio perſonalis cum Verbo neceſſario conſequitur ad vnionem immediatam cum hoc Deo, ideoque non poteſt gratia habitualis recepta in humanitate huic Deo immediatè vnita, moraliter præuiè diſponere ad vnionem perſonalem eiuſdem humanitatis cum Verbo.

203 *Contra arguitur.* Sed contra hanc ſolutionem arguitur; non enim minus annectitur gratia, vt auxilians cum ſe ipſa, vt iuſtificante, vel gratia, vt ex parte agentis ſe tenens, cum ſe ipſa, vt recepta in ſubiecto, quam humanitas, vt vnita huic Deo cum ſe ipſa, vt vnita perſonaliter Verbo, imo forte magis; & tamen in ſententia Diſcipulis D. Tho. ſatis communi inter gratiam, vt auxiliantem, & ſe ipſam, vt iuſtificantem, mediat contritio, vt ſubſequens ad primum conceptum gratiæ, & vt ad ſecundum diſponens moraliter, & in ſententia Patris Vazquez, quem plures ſequuntur inter gratiam, vt ex parte agentis ſe tenet, & eandem, vt receptam in anima interuenit prædicta mediatio: ergo conſequenter ad hanc doctrinam loquendo, cuius probabilitas non poteſt negari, inter humanitatem, vt vnitam huic Deo, & eandem, vt vnitam Verbo mediare poterit gratia habitualis, vt ſupponens vnionem humanitatis huic Deo, & vt moraliter antecedens vnionem eiuſdem humanitatis cum Verbo, & ad iſtam vnionem diſponens.

Nec obſtat prædictæ motioni, quod voluntas diuina in vi vnionis humanitatis cum hoc Deo, ſit neceſſitata ad vniendam illam cum Verbo. Hæc enim neceſſitas non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione Deo libera, qui modus neceſſitatis non tollit, quod voluntas Dei moueri poſſit moraliter, vt conſtat in gloria, vt corona, quam Deus confert adultis motus ab illorum meritis ad executionem gloriæ, licet in vi decreti intentiui meritis non innitentis, ſit neceſſitatus ad gloriæ retributionem; conſtat etiam in exemplo adducto gratiæ, qua vt auxiliante, vel vt ex parte agentis ſuppoſita Deus eſt neceſſitatus ad eandem, vt iuſtificantem, vt in ſubiecto, receptam, & mouetur Deus moraliter ab actu contritionis ad gratiam, vt iuſtificantem, & vt receptam in anima, etſi ad ipſam ſub priori conſideratione moraliter non moueatur. Nec iterum obſtat, quod vnio humanitatis ſub vtraque ratione vnico decernatur decreto; ſufficit enim quod diuerſas habeat terminationes, vt ſub vna non ſit ex motione morali, & ſub alia à Deo, vt moraliter moto, à diſpoſitione procedat; eo quod ſub vna terminatione antecedit diſpoſitionem, & ſub alia illam ſupponit, vt in eodem exemplo conſpicitur; gratia namque vt auxilians, & vt iuſtificans eodem decreto decernitur; & tamen, vt terminatum ad gratiam, vt auxiliantem, non mouetur ab actu contritionis; benè tamen, vt terminatum ad gratiam, vt iuſtificantem. Quod ſi doctrina in exemplis adducta negetur, non eſt noſtrum illam in præſenti probare, ſed ſupponere, vt valdè probabilem, quod nullus poteſt negare, nec intendimus doctrinam in præſenti traditam eſſe euidentem, ſed ſolum, quod poſſit eadem probabilitate defendi, qua exemplorum doctrina in proprijs locis defenditur, nec illius veritatem in præſenti determinamus. 204 *Nec obſtat neceſſaria connexio.*

Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri in 3. *diſt.* 2. §. 3. vbi à D. Thoma excitatur. *M. Sent.*

XRA:

TRACTATVS SEPTIMVS

De Scientia Animæ Chriſti in communi.

Inſinuatur difficultas.

Poſtquam D. Thom. quæſt.7. & 8. *egit de gratia habituali , & virtutibus conſequentibus ipſam ,* à quæſt.9. vſque ad 12. *tractat de virtutibus pertinentibus ad intellectum , ſcilicet , de ſcientia . Primo in communi . Et deinde de qualibet in particulari . Sed cum tam virtutes intellectuales , quàm virtutes morales inter coaſſumpta à Verbo numerentur , id eſt , inter ſimul cum humanitate aſſumpta , videtur , non recto ordine proceſiſſe D. Thom. prius agendo de virtutibus moralibus , quam de intellectualibus ; nam ſicut intellectus prior eſt voluntate , & cognitio prior volitione , ita virtus intellectualis virtutem moralem ad voluntatem attinentem præcedit , vtpote , regula illius : ergo poſt tractationem de gratia habituali , immediatè agendum erat de virtutibus intellectualibus , & poſtea de moralibus ; non autem ordine inuerſo : ac proinde D. Thomas non videtur rectè proceſiſſe hunc ordinem inuertendo .*

Quam etiam agnouit Nazar.

Difficultatem tetigit Nazarius , & ad illam reſpondet primò , D. Thomam non generationis ordinem , ſed ordinem conuenientiæ cum gratia vnionis , & habituali attendiſſe . Et quia virtutes morales magis cum prædictis gratijs conueniunt , quam intellectuales , vtpotè , ſimpliciter bonum facientes , quod intellectuales non præſtant : ideò etſi ordine generationis intellectuales præcedant , non prius de illis , quàm de moralibus egit , ſed ordine inuerſo . Secundo reſpondet , non egiſſe D. Thom. determinatè de virtutibus moralibus quæſt.7. & 8. *ſed de virtutibus conſequentibus gratiam in communi , & prout abſtrahunt ab intellectualibus , & moralibus , & poſtea de intellectualibus , in quibus ſpecialis difficultas inuenitur : vnde non prius de moralibus egit .*

Aliter occurri poteſt.

Tertio reſponderi poteſt , D. Thom. quæſt.7. *egiſſe de virtutibus dimanantibus à gratia , vt conſtat* ex art. 2. *Et quia ſcientia infuſa Chriſti non dimanat phyſicè à gratia habituali , ſaltim in omni ſubiecto . Scientia etiam acquiſita numquam à gratia dimanat . Nec ſimilitèr ſcientia beata in plurium Theologorum ſententia ; vel ſi dimanat ab illa , non prius , ſed poſterius , quàm virtutes morales , cum detur in præmium prædictarum virtutum : ideò ſimul cum tractatu de gratia habituali egit de virtutibus moralibus , & poſtea de intellectualibus .*

Articulus primus.

Nos igitur D. Thom. imitantes , poſtquam de Gratia Chriſti , & virtutibus ipſam conſequentibus egimus , quæ ad illius pertinent voluntatem acturi de virtutibus Chriſti intellectualibus , tractatum de ſcientia animæ Chriſti in communi inſtituimus. *De quo D.Thom.* in 3. ſententiarum diſt.14. quæſt.1. art.1. quæſtiunc. quarta , ad Annibaldum in eadem diſt. q. vnic. art.1. q.20. de veritate art.1. in præſenti q. 9. *Quam in quatuor articulos diuidit . Docens in primo , fuiſſe in Chriſto ſcientiam creatam ; non enim oportuit , quòd Filius Dei humanam naturam imperfectam aſſumeret ſed perfectam . Pimò , quia humanitas ſine ſcientia imperfecta foret , vtpote , carens perfectione , ad quam in potentia exiſtit . Secundo , quia , cum qualibet res ſit propter ſuam operationem , vt dicitur* in 2. de Cœlo , *fruſtra haberet Chriſtus animam intellectiuam , ſi non intelligeret ſecundum illam , quod pertinet ad ſcientiam creatam . Tertiò , quia aliqua ſcientia creata pertinet ad anima humana naturam ; nihil autem naturalium Chriſto defuit , quia totam naturam humanam ſuſcepit : & ideo in ſexta Synodo damnata eſt propoſitio , in Chriſto eſſe duas ſcientias , vel duas ſapientias negans .*

In ſolut. ad 1. *docet D. Thomas , Chriſtum , vt hominem , non potuiſſe intelligere per intellectionem increatam , eo quod increata cognitio eſt alterius naturæ actus : vnde , ſi non fuiſſet in anima Chriſti aliqua ſcientia præter diuinam , nihil cognouiſſet : & ita fuiſſet fruſtra aſſumpta ; cum omnis res ſit propter ſuam operationem .* In ſolut. ad 3. *docet , quod ſcientiæ ponuntur in Chriſto ex parte vnitorum , ſcilicet , humanæ , & diuinæ naturæ , ex parte autem vnionis non poteſt in Chriſto aliqua vna ſcientia aſſignari , eo quod vnio eſt ad eſſe perſonale : ſcientia autem non conuenit perſonæ , niſi ratione alicuius naturæ .* Qua doctrina mirificè confirmatur id , quod tractatu præcedenti diſp.30. §. 8. *docuimus* , ſcilicet, ad compoſitum ex humana , & diuina natura vi Incarnationis reſultans , non conſequi proprietates , præter illas , quæ vtrique correſpondent naturæ .

Articulus ſecundus.

In ſecundo articulo docet , habuiſſe Chriſtum ſcientiam , quam habent beati , vel comprehenſores . Nam omne , quod eſt in potentia , reducitur in actum per id , quod eſt in actu :

oportet enim, eſſe calidum id, per quod alia caleſiunt; ſed homo eſt in potentia ad ſcientiam beatorum, quæ in Dei viſione conſiſtit, & ad eam ordinatur, ſicut ad finem, ad quem homines reducuntur per humanitatem Chriſti: ergo oportuit, quòd cognitio beata in Dei viſione conſiſtens; excellentiſſimè Chriſto homini conueniret; quia ſemper cauſam oportet eſſe potiorem cauſato. Notat autem Caietanus, & benè, maiorem à D. Thoma aſſumptam conditionaliter eſſe accipiendam, non abſolutè; plura enim ſunt in potentia, quæ nunquam reducuntur ad actum: vnde illa propoſitio: omne, quod eſt in potentia, reducitur in actum per id, quod eſt in actu: intelligenda eſt, ſi id, quod eſt in potentia, ad actum eſt reducendum. Quomodò etiam aſſumptum Diui Thomæ ſit verum in humanitate Chriſti, quæ non eſt cauſa principalis, ſed vt inſtrumentum noſtram cauſat beatitudinem, diſp.32. conſtabit. Solut. ad 3. docet, ſcientiam eſſe ſupra naturam animæ rationalis, & eſſe ſecundum naturam ipſius: quod intelligendum eſt obedientialitèr, non naturalitèr, quia ſecundum ſuam naturam eſt capax obedientialitèr illius. Scientia autem increata eſt omnibus modis ſupra naturam animæ rationalis, ideſt, ſupra potentiam naturalem, & obedientialem capacitatem animæ rationalis; non enim eſt capax intelligendi per illam. Cui doctrinæ non diſſonat ſolutio ſecundi argumenti, qua docet, quod ex ipſa vnione homo ille eſt beatus beatitudine increata; non enim abſolutè id aſſerit, ſed cum hoc addito, nempè, ſicut ex vnione eſt Deus; vnde ſicut Chriſtus, vt homo, eſt Deus, non reduplicando, aut ſpecificando naturam, ſed ly *vt* determinante ſuppoſitum: ita eſt beatus vt homo beatitudine increata, non ſpecificata natura, ſed ſuppoſito: ex quo non ſequitur, humanitatem fuiſſe beatam increata beatitudine, ſed potius oppoſitum.

Articulus tertius. *In tertio articulo docet, habuiſſe Chriſtum ſcientiam inditam, vel infuſſam, eo quod decebat, vt natura humana aſſumpta à Verbo Dei imperfecta non eſſet; foret autem impefecta ſine ſpeciebus intelligibilibus à Deo infuſis, per quas res in ſe ipſis extra Verbum cognoſceret: eſt enim in potentia ad illas; omne autem, quod eſt in potentia, eſt imperfectum, niſi reducatur ad actum: igitur præter ſcientiam beatam, qua cognoſcitur Verbum, & res in Verbo, eſt in Chriſto ſcientia indita conſtituenda; per quam res in propria natura cognoſcat per ſpecies intelligibiles humanæ menti proportionatas.*

Articulus quartus. *In quarto articulo docet, ſcientiam acquiſitam habuiſſe; habuit enim intellectum agentem, quæ eſt vna ex perfectionibus, quas Deus in natura humana plantauit. Munus autem intellectus agentis, ſeu illius operatio, eſt, ſpecies intelligibiles abſtrahere à phantaſmatibus, ergo fuerunt in intellectu poſſibili Chriſti aliquæ ſpecies receptæ per actionem intellectus agentis, aliàs fruſtra fuiſſe in illo; fruſtra enim eſt, quod non habet propriam operationem, ad quam omnis res ordinatur: & hoc eſt, ſcientiam acquiſitam habuiſſe.* Cuius rationis vim, & efficaciam diſp.32. tuebimur, & explicabimus.

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

An intellectus Chriſti creatus intellexerit cognitione increata, an ſola creata.

§. I.

Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio.

1 *Certum eſt Chriſtum habuiſſe intellectum creatum.* VT INDVBITATA fide tenendum ſupponimus, Chriſtum intellectum creatum habuiſſe. Quod à nullo concedente, eſſe verum hominem, poteſt negari, cum intellectus ſit proprietas naturæ intellectualis; ac proinde competent omni pollenti intellectuali natura, qualis eſt humanitas Chriſti. Quod etiam ea dicendis manifeſtè conſtabit. Inquirimus ergo, an intellectus Chriſti creatus intellexerit, vel potuerit intelligere per increatam, & diuinam intellectionem, vel ſolum ſapiens fuerit ſapientia, & intellectione create.

2 Qua in re, omiſſa hæreſi Monotelitarum, qui, quamuis concederent intellectionem creatam in intellectu Chriſti creato, & increatam in intellectu Chriſti diuino; ex vtraque tamen vnam operationem aſſerebant conſurgere; ac proinde fuiſſe in illo vnam tantum cognitionem. Hac, inquam, hæreſi prætermiſſa, tres inter Doctores Catholicos circumferuntur ſententiæ.

Prima ſententia. Prima docet, intellectum Chriſti creatum, non ſolum potuiſſe per intellectionem increatam intelligere, ſed etiam de facto per illam intellexiſſe: imo fuiſſe impoſſibile, quod per creatam operationem, diuinam eſſentiam videret. Quam ſententiam ſuo tempore quibuſdam placuiſſe, refert Bonauentura *in 4. diſt. 14. art. 1. quæſt. 2.* fuiſſeque publicè defenſatam Pariſijs, refert Gregorius *in 2. diſt. 7. quæſt. 2.* eam tenet expreſsè Hugo de Sancto Victore *Tomo 3. tractat. de ſapientia animæ Chriſti fol. 37.* Quos omnes refert, & ex parte ſequitur Ægidius *libr. 4. de beatitudine quæſt. 1. art. 2. §. 3.* vbi docet, id contradictionem non implicare: Et §. 4. præfatam ſententiam nullam cenſuram contra fidem mereri. Tenuit etiam quidam Ioannes de Ripa relatus à Capreolo *in 3. diſt. 14 quæſt. 1. art. 1.*

Bonau. *Gregor.* *Hugo.* *Ægidius.* *Ripa.*

3 *Secunda ſententia.* Secunda ſententia negat, intellectum Chriſti creatum de facto per increatam intellectionem intellexiſſe, aut diuinam eſſentiam vidiſſe. Aſſerit tamen, non inuoluere vllam contradictionem, quod per increatam Dei intellectionem intelligat. Hanc tenet præfatus Ægidius *loc. allegato §. 5.* vbi poſtquam in præcedentibus Hugonis ſententiam ab omni cenſura liberare contenderet, tandem illam, vt verè falſam, & temerariam reiicit; aſſerit tamen, non poſſe id, quod prædicti Auctores affirmant, impoſſibilitatis conuinci, nec illius ſententiæ implicationem oſtendi.

Ægidius.

4 *Tertia ſententia.* Tertia, & vera ſententia, vtrique ſe opponens, affirmat, nec de facto intellectione increata Chriſtum, vt hominem, intellexiſſe, nec id fuiſſe poſſibile de potentia abſoluta. Ita D. Thom. *quæſt. 20. de veritate artic. 1. in corp. & ad 9. argum. in 3. diſt. 14 quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 1 in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. 2. 2. quæſt. 23. art. 2. 1. 2. quæſt. 3. art. 1. & in præſenti q. art. 1.* & in eiſdem locis Capreolus, Caietanus, Conradus, Medina, Nazarius, Aluarez, Martinez, Illuſtriſſimus Arauxo, Zippulus, Monteſinos, Lorca, Curiel, & omnes Diſcipuli D. Thomæ, agentes in communi de intellectu creato beatorum, & in ſpeciali de intellectu animæ Chriſti. Tenent etiam ex PP. Societatis Vazquez *1. 2. diſput. 8. cap. 2.* Valentia *diſputat. 1. quæſt. 3. punct. 1.* Suarez *in præſenti diſput. 24. ſect. 2.* Eſtque apud Recentiores eiuſdem familiæ communis.

D. Thom. *Capreol.* *Caietan.* *Conradus.* *Medina.* *Naz. Alu.* *Mart.* *Arau.* *Zippulus.* *Mont.* *Lorca.* *Curiel.* *Vazq.* *Valentia.* *Suarez.*

5 *Prima concluſio.* Pro cuius explicatione ſit prima concluſio. *Intellectus Chriſti creatus de facto non vidit diuinam eſſentiam per viſionem increatam; & conſequenter ſapientia increata ſapiens non fuit.* Ita omnes Doctores relati pro tertia ſententia, quorum aliqui adeò certam illam exiſtimant, vt oppoſitam cenſeant hæreticam, alij ſolum temerariam, alij erroneam, aut errori proximam, quibus magis aſſentior. Illam probat Vazquez vbi *ſuprà*, loquens de intellectu beatorum, ex Concilio Vienenſi, quod refertur *in Clementina ad noſtrum de hæreticis*, vbi dicitur, neceſſarium eſſe lumen creatum ad videndum Deum, quod etiam de intellectu Chriſti creato venit intelligendum; ſed ſi intellectus Chriſti creatus Deum videret per increatam viſionem, lumen gloriæ ad Deum videndum neceſſarium non eſſet: ergo Deum increata viſione non vidit.

Probatur illa primò Vazquez.

6 *Secundo prob. Valentia.* Secundò illam probat Valentia: nam ſequitur ex contraria ſententia, Chriſtum, vt hominem, diuinam eſſentiam comprehendere: conſequens eſt abſurdum, & contra fidem: ergo.

Probat ſequelam: comprehendere aliquod obiectum nihil eſt aliud, quàm in ſe habere illius comprehenſionem: ſicut cognoſcere in nullo alio conſiſtit, quam in habere in ſe cognitionem obiecti: et in ſententia oppoſita Chriſtus, vt homo, haberet ſibi vnitam cognitionem diuinam, quæ eſt Dei comprehenſio: ergo de facto comprehenderet Deum.

7 *Tertiò illā probat Medina.* Tertiò arguit Medina: nam ex oppoſita ſententia ſequitur, Chriſtum, vt hominem, eſſe æquè beatum, ac Deus: conſequens eſt abſurdum: ergo. Probat ſequelam: beatur eadem beatitudine, quam Deus beatus eſt: ergo adæquatè, vt homo, beatitudinem Dei

Quartò. Recētiores quidā Thomiſtæ. Quartò aliqui Recentiores Thomiſtæ illam probant: ſi namque Chriſtus, vt homo, Dei viſione videret, & diuina ſapientia eſſe ſapiens, ſequeretur, vnionem humanitatis ad Verbum factam eſſe in natura, eſſeque toti Trinitati communem: conſequens abſurdum eſt: ergo. Patet ſequela: eſſet vnita humanitas diuinæ intellectioni, quæ conſtituit Dei naturam, & eſt tribus perſonis communis: ergo eſſet Verbo in natura, & toti Trinitati vnita.

8 *Prædicta argumēta nō vrgent. Et ad primū reſp.* Hæc tamen argumenta non vrgent. Ad primum namque reſponderi poteſt, negando minorem: nam ſicut lumen gloriæ neceſſarium conſtituitur, vt diſponat ad vnionem diuinæ eſſentiæ per modum ſpeciei, & ſi intellectus ad vnionem iſtam non concurrat eliciſtiuè; ita, quamuis viſionem increatam non eliceret, poſſet luminis neceſſitas ſtare per modum diſpoſitionis.

9 *Ad ſecundam.* Ad ſecundum, negando ſequelam: ad probationem dicendo, veram eſſe maiorem, ſi actio comprehenſiue obiecti adæquatè vniatur ſubiecto; falſam autem, ſi inadæquatè: & ſub eadem diſtinctione minoris, negando conſequentiam, nam poſſunt contrarij Auctores aſſerere intellectionem diuinam, non adæquatè, & ſecundum ſe totam, ſed inadæquatè, vniri, ſicut de facto in communi Theologorum ſententia vnitur diuina eſſentia intellectibus beatorum ſub conceptu, & munere ſpeciei; & tamen non vnitur illis adæquatè & comprehenſiuè, ſed inadæquatè, & quidditatiuè; ac proindè ex tali vnione per immediatam, conſequentiam non infertur comprehenſio.

Et ex his ad tertium reſponderi poteſt, negando ſequelem:

Ad tertium. Iam ad probationem, diſtinguo antecedens: eadem beatitudine, & eodem modo, & adæquatè vnita, nego antecedens: diuerſo modo, & inadæquatè vnita concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et quidem eadem ſanctitate, qua Deus ſanctus eſt, ſanctificatur humanitas Chriſti, & eadem exiſtentia, & ſubſiſtentia exiſtit, & & ſubſiſtit, qua Deus; & tamen ex hoc non ſequitur, eſſe æquè ſanctam, ac Deum, & æquè perfectè, ac diuina natura exiſtere, vel ſubſiſtere. Pariter ergo in præſenti, ex eo quod eadem intellectione, qua Deus, eſſet beata, non ſequitur, fore æquè beatam, ac Deum.

11 *Replicabis.* Sed dices, ſaltim ſequi ex oppoſita ſententia, Chriſtum, vt hominem, videre omnia obiecta à Deo viſa, tam intra, quam extra Deum; & conſequenter eſſe æquè beatum, ac Deum, quantum ad obiecta cognita, etſi non quoad modum cognoſcendi: conſequens eſt falſum, alias Deum de facto comprehendiſſet, iuxta dicenda *Diſputatione ſequenti*: ergo. Patet ſequela: forma ſubiecto vnita dat illi omne, quod habet formaliter; ſed diuina cognitio eſt repræſentatio formaliter Dei, & omnis cognoſcibilis: ergo intellectui Chriſti vnita, reddit illum intelligentem Deum, & in ipſo omne obiectum cognoſcibile.

12 *Inſtatur prædicatũ argumentum.* Quo argumento, alijs reiectis, vtitur Recentior quidam pro noſtra, & communi ſententia. Eſt tamen futile omninò, & inſtatur manifeſte in diuina eſſentia vnita intellectibus beatorum per modum ſpeciei intelligibilis: nam diuina eſſentia, vt ſpecies, eſt repræſentatio comprehenſiua Dei, & omnis obiecti cognoſcibilis; & tamen mentibus beatorum vnita non repræſentat illis omne obiectum cognoſcibile, nec comprehenſiue Deum, ſed tantum quidditatiuè: ergo diuina cognitio, etſi omne cognoſcibile repræſentet, Deumque comprehenſiuè, poterit vnita intellectui animæ Chriſti non præbere illi omnium repræſentationem, nec omne obiectum intelligentem conſtituere, ſed tantum aliqua obiecta, iuxta proportionem luminis, eiuſque capacitatem. Nec vrget probatio ſequelæ: nam maior in illius probationem aſſumpta, ſolum eſt vera reſpectu ſubiecti capacis; non autem quando ſubiectum eſt incapax, qualiter in præſenti contingit.

13 *Ad vltimum reſpondetur.* Ad vltimum reſpondetur, negando ſequelam: ſicut enim ex eo quod humanitas ſanctificata ſit per ſanctitatem increatam, quæ non relatiua, ſed abſoluta eſt, atque tribus perſonis communis, & exiſtens conſtituatur per exiſtentiam diuinam, quæ etiam abſoluta eſt, & in plurium ſententia à natura diuina virtualiter indiſtincta, nõ ſequitur, vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in natura, nec eſſe tribus perſonis hypoſtaticè vnitam, ita pariter non ſequitur, ex eo quod per intellectionem diuinam intelligens conſtituatur. Et ratio omnium eſt: nam vnionem fieri in natura conſiſtit in eo, quod ex humanitate, & diuinitate vnitis reſultet vna natura, non in hoc, quod eſt diuinæ naturæ vniri. Ex eo autem, quod humanitas intelligens conſtituatur per intellectionem diuinam, & hæc ſit conſtitutiua naturæ, ſolum hoc ſecundum ſequitur; ac proinde non infertur, vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in natura.

14 *Nec ſequitur, fuiſſe tribus perſonis vnitam.* Nec ſequitur fuiſſe tribus perſonis vnitam: nam ad hoc requirebatur, quod vnita eſſet humanitas intellectioni diuinæ immediatè, & ſumptæ abſolutè; non verò vt modificatæ relatione perſonali Verbi, cui immediatè fuit vnita. Auctores autem oppoſitæ ſententiæ dicunt, fuiſſe intellectioni diuinæ vnitam ſecundo modo: & hoc, vt intelligens per illam conſtituatur, ſufficere: ſicut ſufficit mediata vnio ad exiſtentiam in ſententia Thomiſtarum, vt exiſtens reddatur humanitas, & mediata vnio ad ſanctitatem Verbi abſolutam, vt per illam ſanctificetur; ac proinde dictum inconuenientem vitabunt. Et quidem in ſententia communi de facto fuit vnita diuina eſſentia intellectui Chriſti creato per modum ſpeciei; & tamen ex hoc non ſequitur, vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in natura, nec eſſe toti Trinitati communem, quamuis conceptus ſpeciei ſit tribus perſonis communis, & ad naturam diuinam conſtitutiuè pertineat. Pariter ergo in præſenti.

15 *Suadetur concluſio 1. ex ſexta Synodo generali.* Vnde, his argumentis reiectis, ſuadenda eſt noſtra concluſio primo ex ſexta Synodo generali *actione* 17. vbi poſtquam duas voluntates, duaſque operationes in Chriſto Domino eſſe conſtituendas determinatum fuerat, ſubiungitur ratio his verbis: *Nec enim poterit Angelica natura, diuinam habere voluntatem, aut humanam, nec humana natura voluntatem Dei, vel Angeli*: ergo nec diuinam cognitionem poteſt in ſe habere humana natura Chriſti; cum de actu voluntatis, & intellectus eadem ſit ratio quoad poſſe, vel non poſſe humanitati vniri, eique ſuum effectum præſtare, vt inferius ponderabimus.

16 *Secundo probatur ratione. Matt. 19. Ioan. 17. Ad Rom. 6.* Secundo probatur ratione: etenim beatitudo formalis, & idem eſt de quocumque actu cognitionis dicendum, eſt vita, qua viuit beatus, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum*. Ad Roman. 6. *Gratia Dei vita æterna*, & alibi paſſim; ſed non poteſt intellectus Chriſti creatus viuere viſione, aut cognitione increata, vt *ſequenti concluſione* monſtrabimus: ergo non beatur de facto beatitudine increata, nec per increatam Dei cognitionem intelligit.

17 *Corollarium ex dictis.* Ex qua ratione colligo, contrariam ſententiam, non ſolum temerariam eſſe, vtpote, pugnantem cum communi Patrum, & Doctorum conſenſu, verum etiam erroneam, aut ſaltem errori proximam. Quod probo: nam propoſitio erronea ea eſt, quæ opponitur concluſioni per euidentem conſequentiam deductæ, ex vna de fide, & ex altera, aut de fide, aut ratione naturali euidenti: proxima verò errori illa eſt, quæ opponitur concluſioni deductæ, ex vna præmiſſa de fide, & ex altera præmiſſa efficaci argumento, & quod non habeat facilem ſolutionem monſtrabili; ſed concluſio noſtra deducitur ex maiori de fide, & minori aut euidenter monſtrabili, aut ſaltim argumento efficaciſſimo, & quod non poteſt facilè ſolui: ergo ſententia illi oppoſita, vel eſt erronea, vel ſaltim proxima errori.

18 *Vltimo ſuadetur concluſio.* Denique ſuadetur concluſio: ſi namque intellectus Chriſti creatus de facto intelligeret per increatam intellectionem, etiam voluntas Chriſti creata vellet de facto volitione diuina, neceſſaria, & libera: conſequens eſt falſum: ergo intellectus Chriſti creatus non intelligit de facto increata intellectione. Patet ſequela: nam ſi intellectus Chriſti intelligit intellectione increata, non eſt quia illam producat; hoc enim omnino implicatorium eſt, ſed quia producit vnionem ſui cum diuina intellectione. Sed, hoc conceſſo, non eſt cur non efficiat voluntas Chriſti creata vnionem ſui cum diuina volitione, prout neceſſaria, & prout libera: nec eſt cur, ſi primum ſufficit ad intelligendum intellectione increata, ſecundum non ſufficiat, vt voluntas conſtituatur volens volitione diuina, libera, & neceſſaria: ergo, ſi intellectus Chriſti creatus intelligit de facto per increatam intellectionem, etiam voluntas creata Chriſti de facto conſtituetur volens volitione diuina, prout neceſſaria, & prout libera. Quod autem hoc falſum ſit, conſtat primo, quia à nemine aſſertum eſt, ad minus quem ego viderim. Secundo, quia aliàs Chriſtus per actus liberos increatos nos redemiſſet, & pro hominibus ſatisfeciſſet, quod hucuſque inauditum eſt. Et quod ſequatur, patet: nam ſi per actum liberum charitatis creatum meruit, & ſatisfecit, cur non meruiſſet per actum liberum increatum dilectionis, ſi ſemel per illum redderetur liberè volens, & liberè amans Deum.

---

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

19 *Primo arguitur.* Arguitur primo: quidquid dignitatis eſt, & contradictionem non implicat, concedendum eſt humanitati Chriſti; ſed Chriſtum, vt hominem per increatam Dei cognitionem intelligere, dignitatis eſt, & contradictionem non implicat: ergo concedendum eſt de facto humanitati Chriſti. Reſpondeo, negando minorem pro ſecunda parte; contradictionem autem *concluſ. ſeq.* aſſignabimus.

20 *Replicabis.* Sed dices: non eſt certum, quod implicet contradictionem: ergo nec certum eſt, de facto non intellexiſſe per increatam intellectionem. Reſpondeo primo, negando antecedens; eſt enim euidens implicatio. Secundo, diſtinguo antecedens: non eſt certum certitudine fidei, aut natu-

Reſponſio dicitur. turali demonſtrationis, omitto antecedens: certitudine argumenti efficaciſſimi, & difficilem ſolutionem habentis, nego antecedens, & diſtinguo conſequens: non eſt certum, quod de facto non intellexerit per increatam cognitionem certitudine fidei, aut concluſionis Theologicæ tranſeat conſequens: certitudine proxima concluſioni Theologicæ, cui opponi ſit proximum errori, nego conſequentiam.

21 *Secundò arguitur. Minor oſtenditur 1. ex Auguſtino.* Secundo arguitur: Chriſtus, vt homo, fuit de facto beatus: ſed beatitudo formalis in increata Dei cognitione mentibus beatorum vnita conſiſtit: ergo fuit beatus de facto per increatam Dei cognitionem. Minor oſtenditur primo ex Auguſtino *lib. 1. de Trinitate cap. vlt.* vbi docet, beatitudinem eſſe ſummum bonum; ſed eſſe ſummum bonum, creatæ cognitioni nequit competere: ergo beatitudo in increata Dei cognitione conſiſtit. Et inſuper ait, viſionem, qua Deus bonus eſt, eſſe illam, qua apparet mundis corde: ſed viſio, qua Deus eſt bonus, aliquid increatum eſt: ergo viſio, qua apparet mundis, eſt aliquid increatum.

22 *Secundò.* Secundo: nam beatitudo formalis eſt vltimus finis rationalis creaturæ; ſed ratio vltimi finis non poteſt creatæ formæ competere: ergo beatitudo, increata operatione non poteſt conſiſtere. *Tertio.* Tertio: nam ſi in cognitione increata non conſiſteret noſtra beatitudo, in aliquo accidenti creato conſiſteret: ſed in accidenti creato conſiſtere nequit, alias eſſet imperfectior natura beatificabili, quæ ſubſtantia eſt: ergo in increata cognitione conſiſtit. *Vltimo.* Denique; nam Deus, qui infinitus eſt, nequit clarè per creatam actionem videri; cum enim actio ſpeciem ſumat ab obiecto, quæ infinitum habet obiectum, euadit neceſſario infinita; at extra Deum nihil poteſt eſſe infinitum: ergo actio, qua Deum videmus, & per quam beatificamur, non creata, ſed increata eſt.

23 *Ad primā probationem viſ. Idao du. ſoluitur.* Reſpondeo, negando minorem: ad primam probationem dicatur, beatitudinem formalem vocari ab Auguſtino, ſummum bonum, non formaliter, ſed aſſequutiuè, id eſt, aſſequutionem ſummi boni; hoc autem modo eſſe ſummum bonum non repugnat formæ creatæ. Ita D. Th. 1. 2. q. 3. *art.* 1. *ad* 2. Vel ſecundò dicatur, beatitudinem formalem eſſe ſummum bonum, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſummum inter bona creata: quæ boni ſummitas non repugnat entitati creatæ. Sic D. Th. *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 2.

D. Thom.

24 *Ad poſteriora verba Auguſtini reſpondetur.* Ad poſteriora verba Auguſtini dicatur, non loqui de eadem numero, & ſpecie viſione, ſed de eadem obiectiuè, & ſecundum proportionem. Viſio autem creata, qua beati vident de facto Deum, eadem eſt obiectiuè cum viſione, qua Deus bonus eſt, & ſecundum proportionem, ſeu modum; quia vtraque terminatur ad Deum, prout eſt in ſe ipſo intuitiuè. Ita Caietanus *in præſenti art.* 1. §. *Ad auctoritatem Auguſtini.*

25 *Ad ſecundam, & tertiā probationem reſp.* Ad ſecundam dicatur, beatitudinem formalem eſſe vltimum finem non vt *quod*, & formaliter, ſed vt *quo*, & aſſequutiuè, qualiter diximus, ei rationem ſummi boni competere. Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem, quam non conuincit probatio ibi facta: tùm, quia vt multis placet, accidens poteſt abſolutè ſubſtantiam in perfectione excedere: Tùm etiam, nam ſufficit beatitudinem formalem ſubſtantiam beatificabilem excedere exceſſu in ordine, eſto ab illa exceſſu entitatiuo ſimpliciter excedatur: priori autem exceſſu gaudet beatitudo perfecta. Tùm denique: nam cum non ſit finis vltimus vt *quod*, ſed vt *quo*, & tanquam aſſequutio finis vltimi obiectiui, neceſſarium non eſt, quod excedat ſubſtantiam beatificabilem, vt patet in beatitudine naturali, quæ nec abſolutè, nec in ordine excedit ſubſtantiam creatam; & tamen eſt finis vltimus illius intra ordinem naturæ.

26 *Si oppones, Reſpondeo.* Si dicas: perfectius ad imperfectius ordinari, vt ad finem, non poteſt; ſed ſubſtantia rationalis, vt ad finem, ordinatur ad formalem beatitudinem: ergo illa perfectior non eſt. Reſpondeo, veram eſſe maiorem de ordinatione, vt ad finem *qui* obiectiuum, falſam autem de ordinatione, vt ad finem *quo*, & aſſequutiuè talem: vt enim ad hunc finem aliquid ordinetur, ſufficit, quod ſit aſſequutio finis obiectiuè excedêtis, etſi in ſe, & entitatiuè ab ordinato ad ipſum excedatur. Quod patet exemplo naturalis beatitudinis.

27 *Ad quartam probationem reſp.* Ad quartam probationem, nego maiorem. Nec vrget probatio 1. nam licet obiectum infinitum non poſſit per actum limitatum attingi infinito, & comprehenſiuo modo; poteſt tamen attingi modo finito, de quo 1. *par. q.* 12. *art.* 1. fusè iam egimus.

28 *Tertiò arguitur.* Tertiò arguitur: Dei natura in noſtra ſententia de facto fuit vnita intellectui animæ Chriſti per modum ſpeciei; ſed ratio ſpeciei, & ratio actualis intellectionis ſunt in Deo, etiam virtualiter, indiſtinctæ, vt placet doctis Thomiſtis, de quo videantur Patres Salmanticenſes 1. *parte quæſtione* 14. *art* 4. ergo de facto illi vnitur ſub conceptu intellectionis; & conſequenter intelligentem conſtituit.

29 *Reſpondeo.* Reſpondeo, conceſſa maiori, & omiſſa minori, quam *citato loco*, fusè confutauimus, negando conſequentiam: nam licet ratio intellectionis, & ratio ſpeciei non differant inter ſe virtualiter; diſtinguuntur tamen munere, & eminentialitèr. Quæ diſtinctio ſufficit, vt vniatur ſub conceptu, & munere ſpeciei, & non ſub conceptu, & munere intellectionis, vt conſtat in perſonalitate Verbi Diuini, in qua ratio hypoſtaſis, & ratio *ad*, & ratio Verbi non diſtinguuntur, niſi ſolum munere, & eminentialiter; & tamen vnita fuit humanitati Chriſti ſub conceptu hypoſtaſis illam perſonatam conſtituens, & non ſub conceptu Verbi, nec *ad* relatim, cum non conſtituerit humanitatem Chriſti, dictam vt Verbum, nec ad Patrem Æternum realiter relatam.

30 *Denique arguitur.* Denique arguitur: humanitas Chriſti eſt ſancta ſanctitate increata, ſibi hypoſtaticè vnita, ergo etiam eſt beata beatitudine increata, quæ in Dei viſione conſiſtit; & conſequenter intellectus creatus animæ Chriſti de facto intelligit intellectione increata. Antecedens conſtat ex dictis *Diſput.* 21 & eſt communis Theologorum ſententia. *Conſequentia probatur 1.* Conſequentia autem probatur primò: nam beatitudo debet eſſe ſanctitati proportionata; ſed cum ſãctitate increata; & diuina, non habet proportionem beatitudo creata; benè tamen beatitudo increata: ergo, ſi humanitas Chriſti eſt ſancta ſanctitate increata, beatificatur etiam per increatam Dei beatitudinem. *Secundo.* Secundo probatur; eſto enim beatitudo creata proportionem habeat cum ſanctitate increata; magis tamen cum illa, vt communicata humanitati, proportionatur beatitudo increata, vt eidem humanitati vnita; habet enim maiorem conuenientiam cum illa; & conſequenter maiorem proportionem: ergo aſſerendum eſt, humanitatem beatificari de facto, non ſolum beatitudine creata, ſed etiam increata, & diuina.

31 *Tertiò.* Tertio probatur: nam ex poſſibilitate ſanctificationis per ſanctitatem increatam, ſequitur poſſibilitas beatificationis per increatam beatitudinem: ergo ex ſanctificatione ſanctitate increata conueniente de facto humanitati, ſequitur beatificatio eiuſdem humanitatis præſtita formaliter à beatitudine increata. Conſequentia tenet à paritate rationis; antecedens autem probatur: ex capacitate ad ſanctitatem rectè probatur capacitas ad beatitudinem; & conſequenter ex poſſibilitate ſanctitatis ſequitur poſſibilitas beatitudinis: ergo ex capacitate ad ſanctitatem increatam, probatur capacitas ad beatitudinem increatam; & conſequenter ex poſſibilitate ſanctificationis humanitatis ſanctitate increata, ſequitur poſſibilitas beatificationis eiuſdem humanitatis per beatitudinem increatam.

32 *Ad primã probationem reſpondeo.* Reſpondeo conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Ad primam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: cum ſanctitate increata, vt Deo per eſſentiam conueniente, concedo minorem: cum ſanctitate increata, vt vnita naturæ creatæ, & illi communicata, nego minorem, & conſequentiam: nam licet ſanctitati increatæ, vt ſanctificanti Deum, beatitudo increata debeatur; prout tamen ſanctificanti humanitatem, quæ incapax eſt increatæ beatitudinis, rationes *infra* dandas, non debetur beatitudo increata, ſed creata, ad quam eſt in humanitate capacitas.

33 *Ad ſecundam.* Ex his ad ſecundam conſequentiæ probationem, nego ſuppoſitum antecedentis: exceſſus namque proportionis ſupponit in excedente proportionem: beatitudo autem increata; etſi habeat conuenientiam entitatiuam, imo, & identitatem cum ſanctitate increata, vt naturæ creatæ vnita; non tamen habet proportionem cum illa: nam proportio ſupponit poſſibilitatem, & conſequenter, vt beatitudo increata, vt communicata ſubiecto creato, habeat proportione cum ſanctitate increata, vt vnita, neceſſaria eſt poſſibilitas vnionis beatitudinis increatæ cum natura creata intellectuali; hæc autem vnio impoſſibilis, & implicatoria eſt; & conſequenter beatitudo increata, vt vnita naturæ creatæ, proportionem nequit habere cum ſanctitate increata, vt vnita eidem naturæ.

Ad arg. tium. jam ad probationem, diſtinguo antecedens: eadem beatitudine, & eodem modo, & adæquatè vnita, nego antecedens; diuerſo modo, & inadæquatè vnita concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et quidem eadem ſanctitate, qua Deus ſanctus eſt, ſanctificatur humanitas Chriſti, & eadem exiſtentia, & ſubſiſtentia exiſtit, & & ſubſiſtit, qua Deus; & tamen ex hoc non ſequitur, eſſe æquè ſanctam, ac Deum, & æquè perfectè, ac diuina natura exiſtere, vel ſubſiſtere. Pariter ergo in præſenti, ex eo quod eadem intellectione, qua Deus, eſſet beata, non ſequitur, fore æquè beatam, ac Deum.

11 *Replicabis.* Sed dices, ſaltim ſequi ex oppoſita ſententia, Chriſtum, vt hominem, videre omnia obiecta à Deo viſa, tam intra, quam extra Deum; & conſequenter eſſe æquè beatum, ac Deum, quantum ad obiecta cognita, etſi non quoad modum cognoſcendi: conſequens eſt falſum, aliàs Deum de facto comprehendiſſet, iuxta dicenda *Diſputatione ſequenti*: ergo. Patet ſequela: forma ſubiecto vnita dat illi omne, quod habet formaliter; ſed diuina cognitio eſt repræſentatio formaliter Dei, & omnis cognoſcibilis: ergo intellectui Chriſti vnita, reddit illum intelligentem Deum, & in ipſo omne obiectum cognoſcibile.

12 *Inſtatur prædicatũ argumentum.* Quo argumento, alijs eiectis, vtitur Recentior quidam pro noſtra, & communi ſententia. Eſt tamen futile omninò, & inſtatur manifeſte in diuina eſſentia vnita intellectibus beatorum per modum ſpeciei intelligibilis: nam diuina eſſentia, vt ſpecies, eſt repræſentatio comprehenſiua Dei, & omnis obiecti cognoſcibilis; & tamen mentibus beatorum vnita non repræſentat illis omne obiectum cognoſcibile, nec comprehenſiue Deum, ſed tantum quidditatiuè: ergo diuina cognitio, etſi omne cognoſcibile repræſentet, Deumque comprehenſiuè, poterit vnita intellectui animæ Chriſti non præbere illi omnium repræſentationem, nec omne obiectum intelligentem conſtituere, ſed tantum aliqua obiecta, iuxta proportionem luminis, eiuſque capacitatem. Nec vrget probatio ſequelæ: nam maior in illius probationem aſſumpta, ſolum eſt vera reſpectu ſubiecti capacis; non autem quando ſubiectum eſt incapax, qualiter in præſenti contingit.

13 *Ad vltimum reſpondetur.* Ad vltimum reſpondetur, negando ſequelam: ſicut enim ex eo quod humanitas ſanctificata ſit per ſanctitatem increatam, quæ non relatiua, ſed abſoluta eſt, atque tribus perſonis communis, & exiſtens conſtituatur per exiſtentiam diuinam, quæ etiam abſoluta eſt, & in plurium ſententia à natura diuina virtual iter indiſtincta, nõ ſequitur, vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in natura, nec eſſe tribus perſonis hypoſtaticè vnitam, ita pariter non ſequitur, ex eo quod per intellectionem diuinam intelligens conſtituatur. Et ratio omnium eſt: nam vnionem fieri in natura conſiſtit in eo, quod ex humanitate, & diuinitate vnitis reſultet vna natura, non in hoc, quod eſt diuinæ naturæ vniri. Ex eo autem, quod humanitas intelligens conſtituatur per intellectionem diuinam, & hæc ſit conſtitutiua naturæ, ſolum hoc ſecundum ſequitur; ac proinde non infertur, vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in natura.

14 *Nec ſequitur, fuiſſe tribus perſonis vnitam.* Nec ſequitur fuiſſe tribus perſonis vnitam: nam ad hoc requirebatur, quod vnita eſſet humanitas intellectioni diuinæ immediatè, & ſumptæ abſolutè; non verò vt modificatæ relatione perſonali Verbi, cui immediatè fuit vnita. Auctores autem oppoſitæ ſententiæ dicunt, fuiſſe intellectioni diuinæ vnitam ſecundo modo: & hoc, vt intelligens per illam conſtituatur, ſufficere: ſicut ſufficit mediata vnio ad exiſtentiam in ſententia Thomiſtarum, vt exiſtens reddatur humanitas, & mediata vnio ad ſanctitatem Verbi abſolutam, vt per illam ſanctificetur; ac proinde dictum inconueniens vitabunt. Et quidem in ſententia communi de facto fuit vnita diuina eſſentia intellectui Chriſti creato per modum ſpeciei; & tamen ex hoc non ſequitur, vnionem humanitatis ad Verbum eſſe factam in natura, nec eſſe toti Trinitati communem, quamuis conceptus ſpeciei ſit tribus perſonis communis, & ad naturam diuinam conſtitutiuè pertineat. Pariter ergo in præſenti.

15 *Suadetur concluſio 1. ex ſexta Synodo generali.* Vnde, his argumentis reiectis, ſuadenda eſt noſtra concluſio primo ex ſexta Synodo generali *actione* 17. vbi poſtquam duas voluntates, duaſque operationes in Chriſto Domino eſſe conſtituendas determinatum fuerat, ſubiungitur ratio his verbis: *Nec enim poterit Angelica natura, diuinam habere voluntatem, aut humanam, nec humana natura voluntatem Dei, vel Angeli*: ergo nec diuinam cognitionem poteſt in ſe habere humana natura Chriſti; cum de actu voluntatis, & intellectus eadem ſit ratio quoad poſſe, vel non poſſe humanitati vniri, eique ſuum effectum præſtare, vt inferius ponderabimus.

Secundò probatur ratione: etenim beatitudo formalis, & idem eſt de quocumque actu cognitionis dicendum, eſt vita, qua viuit beatus, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum*. Ad Roman. 6. *Gratia Dei vita æterna*, & alibi paſſim; ſed non poteſt intellectus Chriſti creatus viuere viſione, aut cognitione increata, vt *ſequenti concluſione* monſtrabimus: ergo non beatur de facto beatitudine increata, nec per increatam Dei cognitionem intelligit. 16 *Secundò probatur ratione. Matt. 19. Ioan. 17. Ad Rom. 6.*

Ex qua ratione colligo, contrariam ſententiam, non ſolum temerariam eſſe, vtpote, pugnantem cum communi Patrum, & Doctorum conſenſu, verum etiam erroneam, aut ſaltem errori proximam. Quod probo: nam propoſitio erronea ea eſt, quæ opponitur concluſioni per euidentem conſequentiam deductæ, ex vna de fide, & ex altera, aut de fide, aut ratione naturali euidenti: proxima verò errori illa eſt, quæ opponitur concluſioni deductæ, ex vna præmiſſa de fide, & ex altera præmiſſa efficaci argumento, & quod non habet facilem ſolutionem monſtrabili; ſed concluſio noſtra deducitur ex maiori de fide; & minori aut euidenter monſtrabili, aut ſaltim argumento efficaciſſimo, & quod non poteſt facilè ſolui: ergo ſententia illi oppoſita, vel eſt erronea, vel ſaltim proxima errori. 17 *Corollarium ex dictis.*

Denique ſuadetur concluſio: ſi namque intellectus Chriſti creatus de facto intelligeret per increatam intellectionem, etiam voluntas Chriſti creata vellet de facto volitione diuina, neceſſaria, & libera: conſequens eſt falſum: ergo intellectus Chriſti creatus non intelligit de facto increata intellectione. Patet ſequela: nam ſi intellectus Chriſti intelligit intellectione increata, non eſt quia illam producat; hoc enim omnino implicatorium eſt, ſed quia producit vnionem ſui cum diuina intellectione. Sed, hoc conceſſo, non eſt cur non efficiat voluntas Chriſti creata vnionem ſui cum diuina volitione, & prout neceſſaria, & prout libera: nec eſt cur, ſi primum ſufficit ad intelligendum intellectione increata, ſecundum non ſufficiat, vt voluntas conſtituatur volens volitione diuina, libera, & neceſſaria: ergo, ſi intellectus Chriſti creatus intelligit de facto per increatam intellectionem, etiam voluntas creata Chriſti de facto conſtituetur volens volitione diuina, prout neceſſaria, & prout libera. Quod autem hoc falſum ſit, conſtat primo, quia à nemine aſſertum eſt, ad minus quem Ego viderim. Secundo, quia aliàs Chriſtus per actus liberos increatos nos redemiſſet, & pro hominibus ſatisfeciſſet; quod huc uſque inauditum eſt. Et quod ſequatur, patet: nam ſi per actum liberum charitatis creatum meruit, & ſatisfecit, cur non meruiſſet per actum liberum increatum dilectionis, ſi ſemel per illum redderetur liberè volens, & liberè amans Deum. 18 *Vltimo ſuadetur concluſio.*

---

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

Arguitur primo: quidquid dignitatis eſt, & contradictionem non implicat, concedendum eſt humanitati Chriſti; ſed Chriſtum, vt hominem per increatam Dei cognitionem intelligere, dignitatis eſt, & contradictionem non implicat: ergo concedendum eſt de facto humanitati Chriſti. Reſpondeo, negando minorem pro ſecunda parte; contradictionem autem *concluſ. ſeq.* aſſignabimus. 19 *Primo arguitur.* *Reſpondetur.*

Sed dices: non eſt certum, quod implicet contradictionem: ergo nec certum eſt, de facto non intellexiſſe per increatam intellectionem. Reſpondeo primo, negando antecedens; eſt enim euidens implicatio. Secundo, diſtinguo antecedens: non eſt certum certitudine fidei, aut natu- 20 *Replicabis.*

Reſpondeo dupliciter. turalis demonſtrationis, omitto antecedens: certitudine argumenti efficaciſſimi, & difficilem ſolutionem habentis, nego antecedens, & diſtinguo conſequens: non eſt certum, quod de facto non intellexerit per increatam cognitionem certitudine fidei, aut concluſionis Theologicæ tranſeat conſequens: certitudine proxima concluſioni Theologicæ, cui oppoſi ſit proximum errori; nego conſequentiam.

21 *Secundò arguitur.* Secundo arguitur: Chriſtus, vt homo, fuit de facto beatus: ſed beatitudo formalis in increata Dei cognitione mentibus beatorum vnita conſiſtit: ergo fuit beatus de facto per increatam Dei cognitionem. Minor oſtenditur primo ex Auguſtino *lib. 1. de Trinitate cap. vlt.* vbi docet, beatitudinem eſſe ſummum bonum; ſed eſſe ſummum bonum, creatæ cognitioni nequit competere: ergo beatitudo in increata Dei cognitione conſiſtit. Et inſuper ait, viſionem, qua Deus bonus eſt, eſſe illam, quæ apparet mundis corde; ſed viſio, qua Deus eſt bonus, aliquid increatum eſt: ergo viſio, quæ apparet mundis, eſt aliquid increatum. *Minor oſtenditur 1. ex Auguſtino.*

22 *Secundò.* Secundo: nam beatitudo formalis eſt vltimus finis rationalis creaturæ; ſed ratio vltimi finis non poteſt creatæ formæ competere: ergo beatitudo, increata operatione non poteſt conſiſtere. *Tertio.* Tertio: nam ſi in cognitione increata non conſiſteret noſtra beatitudo, in aliquo accidenti creato conſiſteret: ſed in accidenti creato conſiſtere nequit, aliàs eſſet imperfectior natura beatificabili, quæ ſubſtantia eſt: ergo in increata cognitione conſiſtit. *Vltimo.* Denique; nam Deus, qui infinitus eſt, nequit clarè per creatam actionem videri; cum enim actus ſpeciem ſumat ab obiecto, quæ infinitum habet obiectum, euadit neceſſario infinita; at extra Deum nihil poteſt eſſe infinitum: ergo actio, qua Deum videmus, & per quam beatificamur, non creata, ſed increata eſt.

23 *Ad primam probationem reſpondeo dupliciter.* Reſpondeo, negando minorem: ad primam probationem dicatur, beatitudinem formalem vocari ab Auguſtino, ſummum bonum, non formaliter, ſed aſſequutiuè, id eſt, aſſequutionem ſummi boni; hoc autem modo eſſe ſummum bonum non repugnat formæ creatæ. Ita D. Th. 1. 2. *q. 3. art. 1. ad 2.* Vel ſecundo dicatur, beatitudinem formalem eſſe ſummum bonum, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſummum inter bona creata: quæ boni ſummitas non repugnat entitati creatæ. Sic D. Th. *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 2.* *S. Thom.*

24 *Ad poſteriora verba Auguſtini reſp.* Ad poſteriora verba Auguſtini dicatur, non loqui de eadem numero, & ſpecie viſione, ſed de eadem obiectiuè, & ſecundum proportionem. Viſio autem creata, qua beati vident de facto Deum, eadem eſt obiectiuè cum viſione, qua Deus bonus eſt, & ſecundum proportionem, ſeu modum; quia vtraque terminatur ad Deum, prout eſt in ſe ipſo intuitiuè. *Caiet.* Ita Caietanus *in præſenti art. 1. §. Ad auctoritatem Auguſtini.*

25 *Ad ſecundam, & tertiam probationem reſp.* Ad ſecundam dicatur, beatitudinem formalem eſſe vltimum finem non vt *quod*, & formaliter, ſed vt *quo*, & aſſequutiuè, qualiter diximus, ei rationem ſummi boni competere. Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem, quam non conuincit probatio ibi facta: tùm, quia vt multis placet, accidens poteſt abſolutè ſubſtantiam in perfectione excedere: Tùm etiam, nam ſufficit beatitudinem formalem ſubſtantiam beatificabilem excedere exceſſu in ordine, eſto ab illa exceſſu entitatiuo ſimpliciter excedatur: priori autem exceſſu gaudet beatitudo perfecta. Tùm denique: nam cum non ſit finis vltimus vt *quod*, ſed vt *quo*, & tanquam aſſequutio finis vltimi obiectiui, neceſſarium non eſt, quod excedat ſubſtantiam beatificabilem, vt patet in beatitudine naturali, quæ nec abſolutè, nec in ordine excedit ſubſtantiam creatam; & tamen eſt finis vltimus illius intra ordinem naturæ.

26 *Si opponas. Reſpondeo.* Si dicas: perfectius ad imperfectius ordinari, vt ad finem, non poteſt; ſed ſubſtantia rationalis, vt ad finem, ordinatur ad formalem beatitudinem: ergo illa perfectior non eſt. Reſpondeo, veram eſſe maiorem de ordinatione, vt ad finem *qui* obiectiuum; falſam autem de ordinatione, vt ad finem *quo*, & aſſequutiuè talem: vt enim ad hunc finem aliquid ordinetur, ſufficit, quod ſit aſſequutio finis obiectiuè excedentis, etſi in ſe, & entitatiuè ab ordinato ad ipſum excedatur. Quod patet exemplo naturalis beatitudinis.

27 *Ad quartam probationem reſpond.* Ad quartam probationem, nego maiorem. Nec vrget probatio: nam licet obiectum infinitum non poſſit per actum limitatum attingi infinito, & comprehenſiuo modo; poteſt tamen attingi modo finito, de quo 1. *par. q. 12. art. 1.* fusè iam egimus.

28 *Tertiò arguitur.* Tertiò arguitur: Dei natura in noſtra ſententia de facto fuit vnita intellectus animæ Chriſti per modum ſpeciei; ſed ratio ſpeciei, & ratio actualis intellectionis ſunt in Deo, etiam virtualiter, indiſtinctæ, vt placet doctis Thomiſtis, de quo videantur Patres Salmanticenſes 1. *parte quæſtione 14. art 4.* ergo de facto illi vnitur ſub conceptu intellectionis; & conſequenter intelligentem conſtituit.

29 *Reſpondeo.* Reſpondeo, conceſſa maiori, & omiſſa minori, quam *citato loco*, fusè confutauimus, negando conſequentiam: nam licet ratio intellectionis, & ratio ſpeciei non differant inter ſe virtualiter; diſtinguuntur tamen munere, & eminentialitèr. Quæ diſtinctio ſufficit, vt vniatur ſub conceptu, & munere ſpeciei, & non ſub conceptu, & munere intellectionis, vt conſtat in perſonalitate Verbi Diuini, in qua ratio hypoſtaſis, & ratio *ad*, & ratio Verbi non diſtinguuntur, niſi ſolum munere, & eminentialiter; & tamen vnita fuit humanitati Chriſti ſub conceptu hypoſtaſis illam perſonatam conſtituens, & non ſub conceptu Verbi, nec *ad* relatiui, cum non conſtituerit humanitatem Chriſti, dictam vt Verbum, nec ad Patrem Æternum realiter relatam.

30 *Deniq; arguitur.* Denique arguitur: humanitas Chriſti eſt ſancta ſanctitate increata, ſibi hypoſtaticè vnita, ergo etiam eſt beata beatitudine increata, quæ in Dei viſione conſiſtit; & conſequenter intellectus creatus animæ Chriſti de facto intelligit intellectione increata. Antecedens conſtat ex dictis *Diſput. 21* & eſt communis Theologorum ſententia. *Conſequentia probatur 1.* Conſequentia autem probatur primò: nam beatitudo debet eſſe ſanctitati proportionata; ſed cum ſanctitate increata; & diuina, non habet proportionem beatitudo creata; benè tamen beatitudo increata: ergo, ſi humanitas Chriſti eſt ſancta ſanctitate increata, beatificatur etiam per increatam Dei beatitudinem. *Secundo* Secundo probatur; eſto enim beatitudo creata proportionem habeat cum ſanctitate increata; magis tamen cum illa, vt communicata humanitati, proportionatur beatitudo increata, vt eidem humanitati vnita; habet enim maiorem conuenientiam cum illa; & conſequenter maiorem proportionem: ergo aſſerendum eſt, humanitatem beatificari de facto, non ſolum beatitudine creata, ſed etiam increata, & diuina.

31 *Tertiò.* Tertio probatur: nam ex poſſibilitate ſanctificationis per ſanctitatem increatam, ſequitur poſſibilitas beatificationis per increatam beatitudinem: ergo ex ſanctificatione ſanctitate increata conueniente de facto humanitati, ſequitur beatificatio eiuſdem humanitatis præſtita formaliter à beatitudine increata. Conſequentia tenet à paritate rationis; antecedens autem probatur: ex capacitate ad ſanctitatem rectè probatur capacitas ad beatitudinem; & conſequenter ex poſſibilitate ſanctitatis ſequitur poſſibilitas beatitudinis: ergo ex capacitate ad ſanctitatem increatam, probatur capacitas ad beatitudinem increatam; & conſequenter ex poſſibilitate ſanctificationis humanitatis ſanctitate increata, ſequitur poſſibilitas beatificationis eiuſdem humanitatis per beatitudinem increatam.

32 *Ad primã probationem reſpondeo.* Reſpondeo conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Ad primam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: cum ſanctitate increata, vt Deo per eſſentiam conueniente, concedo minorem: cum ſanctitate increata, vt vnita naturæ creatæ, & illi communicata, nego minorem, & conſequentiam: nam licet ſanctitati increatæ, vt ſanctificanti Deum, beatitudo increata debeatur; prout tamen ſanctificanti humanitatem; quæ incapax eſt increatæ beatitudinis, ob rationes *infra* dandas, non debetur beatitudo increata, ſed creata, ad quam eſt in humanitate capacitas.

33 *Ad ſecundam.* Ex his ad ſecundam conſequentiæ probationem, nego ſuppoſitum antecedentis: exceſſus namque proportionis ſupponit in excedente proportionem; beatitudo autem increata; etſi habeat conuenientiam entitatiuam, imo, & identitatem cum ſanctitate increata, vt naturæ creatæ vnita; non tamen habet proportionem cum illa: nam proportio ſupponit poſſibilitatem, & conſequenter, vt beatitudo increata, vt communicata ſubiecto creato, habeat proportione cum ſanctitate increata, vt vnita, neceſſaria eſt poſſibilitas vnionis beatitudinis increatæ cum natura creata intellectuali; hæc autem vnio impoſſibilis, & implicatoria eſt; & conſequenter beatitudo increata, vt vnita naturæ creatæ, proportionem nequit habere cum ſanctitate increata, vt vnita eidem naturæ.

Ad tertiam probationem, nego antecedēs: ad illius probationem concesso antecedenti, nego conſequentiā; ſicut
34 Ad tertium. iſta conſequentia non tenet: *Capacitas ad ſubſiſtendum probat capacitatem operandi; ergo capacitas ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina, probat capacitatem operandi operatione diuina.* Cuius antecedens eſt verum; conſequens autem eſt falſum, vt conſtat in natura irrationali, quam poſſe Dei ſubſiſtentia ſubſiſtere, docet communis ſententia; & tamen nullus docuit, eſſe capacem operandi operatione diuina.

35 Ratio nullitatis conſequentiæ aſſignatur. Et ratio nullitatis conſequentiæ eſt: nam facta comparatione inter ſanctitatem, & beatitudinem abſolutè, non eſt differentia in modo conuenienti ſubiecto, ratione cuius cum capacitate ſanctitatis ſtare poſſit repugnantia beatitudinis: nam formalitatibus creatis, ſicut non repugnat informatio phyſica, vel moralis, quarum aliqua ad ſanctificandum requiritur: ita non repugnat illis egredi realiter ab agente, quod eſt de ratione beatitudinis, eo quod beatus viuit per illam, quod ſine egreſſo ab illo nequit ſubſiſtere; & ideo facta comparatione inter ſanctitatem vt ſic, & beatitudinem abſolutè, capacitas vnius infert capacitatem alterius. Cæterum, facta comparatione inter ſanctitatem increatam, & diuinam, increatamque beatitudinem, argumentum non tenet per reſpectum ad ſubiectum creatum, eo quod informatio moralis, quæ ad ſanctificandum ſufficit, non repugnat diuinis formalitatibus; egreſſus autem, tam realis, quam virtualis, quorum aliquis eſt de conceptu eſſentiali beatitudinis, repugnat prædicatis diuinis reſpectu naturæ creatæ, & ideo ex capacitate conueniente humanitati, vt ſanctificetur per ſanctitatem increatam, & diuinam, non arguitur, nec probatur capacitas, vt beatificetur increata beatitudine, vt in ſimili inſtabamus in ordine ad ſubſiſtendum, nam licet capacitas ſubſiſtendi arguat capacitatem operandi abſolutè, capacitas ſubſiſtendi ſubſiſtentia diuina, non arguit capacitatem operandi per diuinam operationem.

36 Inſtabis. Sed dices de ratione ſanctitatis increatæ eſt præſtare ſubiecto ſanctificato per illam ius ad beatitudinem increatam; ſed cum iure ad aliquid non ſtat incapacitas ſubiecti ad illud: ergo cum capacitate ad ſanctitatem increatam, non ſtat in eodem ſubiecto incapacitas ad beatitudinē increatam. Conſequentia cum minori tenet; maior autem probatur: nam de ratione ſanctitatis eſt dare ſubiecto ſanctificato ius ad Dei hæreditatem, quæ in Dei viſione conſiſtit: ergo de ratione ſanctitatis ab alia ſanctitate diſtinctæ, eſt dare ius ſubiecto ſanctificato ad hæreditatem, & beatitudinem diſtinctam; & conſequenter de ratione ſanctitatis increatæ, quæ à ſanctitate creata diſtinguitur eſſentialiter in ratione ſanctitatis, erit dare ius ad diſtinctam beatitudinem; ſed præter beatitudinem creatam non reſtat alia, niſi beatitudo increata: ergo de ratione ſanctitatis increatæ eſt præſtare ius ad illam; & conſequenter non ſtat cum capacitate ſanctitatis increatæ incapacitas in eodem ſubiecto ad beatitudinem increatam.

37 Reſpōdetur. Reſpōdeo, diſtinguendo maiorem: ſubiecto ſibi proprio, & cui conuenit primario, concedo maiorem: ſubiecto extraneo, quod ſecundario ſanctificat, nego maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: cum capacitate ad ſanctitatem increatam, vt ſubiectum primarium, & connaturale, non ſtat incapacitas ad beatitudinem increatam, concedo conſequentiam: cum capacitate obedientiali, vt ſubiectum extraneum, & ſecundarium illius, non ſtat prædicta incapacitas, nego conſequentiam: vt enim detur inter ſanctitates diſtinctio, ſufficit, vt præſtent ſubiectis proprijs primarijs iura diuerſa ad diſtinctas beatitudines; & conſequenter, vt ſanctitas increata diſtinguatur à ſanctitate creata, ſufficit, quòd Deo, cui primario conuenit, det ius ad beatitudinem increatam, & ſi naturæ creatæ, cui vt ſubiecto extraneo, & ſecundario conuenit, & ob illius incapacitatem non præbeat prædictum ius. Et per hoc patet ſolutio ad maioris probationem. Et quamuis etiam comparata cum humanitate diſtinguatur in ratione ſanctitatis à ſanctitate creata, non ſequitur illi præſtare debere ius ad diſtinctam beatitudinem, ſed ſufficit, quod in ordine ad eandem beatitudinem præſtet ius, ab alio iure diſtinctum, & quod præſtet ius ad beatitudinem creatam ſine termino in infinitum.

§. III.

Statuitur ſecunda concluſio.

SECVNDA CONCLVSIO. *Implicat intellectum animæ Chriſti per increatam Dei cognitionem intelligere.* Ita Auctores tertiæ ſententiæ. Eam probat Valentia 38 Secunda concluſio quā pro. Valentia vbi ſupra.
vbi ſupra in hunc modum: vt quis per actum aliquem attingat obiectum, neceſſarium eſt, talem actum ſibi eſſe proprium; ſed actus, quo Deus ſe ipſum intelligit, nequit eſſe proprius intellectus animæ Chriſti: ergo nequit per illum intelligere. Probat minorem: nam duobus tantum modis poteſt intelligi, quòd actus alicui ſubiecto appropríetur, nempè, ſi ab illo effectiuè procedat, vel materialiter ſaltim, & ſubiectiuè ab illo dependeat; ſed nullo ex his modis poteſt intellectio increata comparari cum intellectu Chriſti creato: ergo nec vllo modo eſſe proprius illius.

Hoc tamen argumentum non vrget; ab illo namque facilè ſe poſſunt contrarij Auctores expedire, negando minorem: ad illius probationem, negabunt maiorem: nam reſtat alius modus, ſcilicet, per vnionem actus increati 39 Hoc argumentū nō vrget.
cum intellectu creato. Et quidem ſubſiſtentia Verbi abſque vlla dependentia, vel effectiua, vel materiali per vnionem ſolum terminatiuam, eſt appropriata naturæ humanæ Chriſti. Et in noſtra ſententia de facto appropriatur intellectui cuiuſcumque beati diuina eſſentia per modum ſpeciei abſque vlla dependentia, ſolum per vnionem in eſſe intelligibili. Pari ergo ratione, ſi nihil aliud obſtaret, poſſet defendi, intellectionem diuinam intellectui Chriſti appropriari abſque vlla dependentia, ſiue effectiua, ſiue materiali, ſolum per vnionem cum illa per modum termini, & in eſſe intelligibili.

Secundo ſic arguit doctiſſimus Magiſter Curiel *in manuſcriptis ad iſtum art.* implicat, potentiam aliquam exer- 40 Secūdo illā probat M. Curiel.
ceri per actum exiſtentem extra ſpecificationem eſſentialem illius; ſed intellectio increata eſt extra ſpecificationem eſſentialem intellectus animæ Chriſti: ergo implicat, quod per illam intelligat. Conſecutio eſt legitima, maior certa; immediatius enim comparatur potentia cum actu, quam cum obiecto, iuxta illud vulgare axioma: *Potentiæ per actus, & actus per obiecta ſpecificantur*; ſed implicat potentiam aliquam attingere obiectum, quod eſt extra ſpecificatiuum illius: quo circa implicat, auditum colorem percipere, & viſum ſonum percipere, & ſic de alijs potentijs; ergo à fortiori implicabit, potentiam exerceri, & determinari per actum, qui exiſtit extra ſphæram ſpecificationis illius. Minorem autem probat: nam increata intellectio eſt infinita, & comprehenſiua Dei; eſſentia autem intellectus creati finita eſt, Deique non comprehenſiua: ergo intellectio increata eſt extra ſphæram ſpecificationis eſſentialis intellectus creati.

Quam rationem videtur ſibi ſumere ex D. Thom. *in* 41 S. Thom.
hac q. art. 2. ad 3. vbi hoc inter viſionem beatificam creatam, & ſcientiam increatam ſtatuit diſcrimen, quod illa eſt ſupra virtutem; non vero ſupra capacitatem intellectus creati: ſcientia vero increata eſt etiam ſupra capacitatem, & omnimodè ſupra naturam intellectus creati.

Sed nec vrget hoc argumentum, niſi aliquid illi addatur: nam reſponderi poteſt, conceſſa maiori, negando mi- 42 Hoc argumentum nō vrget, & ad illud reſpōderi poteſt.
norem: ad illius probationem, conceſſa maiori, & minori, diſtinguendo conſequens; illudque concedendo de intellectione increata, vt adæquatè, & comprehenſiue vnitæ; ſic enim abſque dubio eſt extra ſphæram ſpecificationis eſſentialis intellectus creati; negando verò de intellectione increata, vt inadæquatè vnita. Nam ſicut intellectus creatus in ratione determinabilis per ſpeciem, & terminabilis per Verbum, ſe extendit in noſtra ſententia ad diuinam eſſentiam, vt gerentem munus ſpeciei, & Verbi, non vt infinitè, & modo comprehenſiuo vnitam, ſed vt vnitam modo quidditatiuo, & finito: ita contrarij Auctores aſſerere poterunt, niſi aliunde conuincantur, increatam Dei intellectionem, vt connaturaliter modo infinito, & & comprehenſiuo vnitam eſſe extra ſphæram eſſentialem intellectus creati, vt actuabilis; non tamen vt ſupernaturaliter, & modo finito, ac quidditatiuo vnibilem.

Sed

43 *Replicabis.* Sed dices intellectio Angelica eſt extra ſphæram eſſentialem intellectus humani, ideoque implicat, quod intellectus humanus intelligens conſtituatur per illam: ergo etiam diuina intellectio eſt extra ſphæram eſſentialem intellectus creati: & idcirco implicabit, quod per illam intelligens conſtituatur.

44 *Reſpõdeo.* Reſpondeo, conſequens eſſe verum; non autem paritate facta probari: ſicut ex eo quod perſonalitas Angelica ſit extra ſphæram naturæ humanæ, vt terminabilis, & ſuppoſitabilis, non licet inferre, ſubſiſtentiam diuinam extra prædictam ſphæram exiſtere. Nec ſimiliter ex eo quod ſubſtantia Angelica, vt ſpecies, ſit extra ſphæram eſſentialem intellectus humani, vt determinabilis per ſpeciem impreſſam, colligere licet id ipſum de diuina eſſentia, vt ſpecie. Vnde, conceſſo antecedenti, poterunt contrarij Auctores conſequentiam negare, eo quod intellectio Angelica ob ſui limitationem non continet eminenter perfectionem intellectionis humanæ, nec poteſt in humanum intellectum illabi, illum intelligentem conſtituendo; intellectio vero increata oppoſitis de cauſis id valet præſtare.

45 *Suadetur noſtra cõcluſio ratione Caietani.* Caietanus in *præſenti art.1.* poſtquam concluſionem noſtram confirmauit ratione, quam *inferius* proſequemur; quia tamen, inquit Caietanus, multi ſunt ignorantes prædictæ rationis incapaces, offert ſe ſecunda via, & poteſt ad hanc formam reduci. Intellectio eſt actus intelligentis ſecundum eſſe naturale; ſed intellectio increata non poteſt eſſe actus naturæ creatæ ſecundum eſſe naturale: ergo non poteſt illam conſtituere intelligentem. Illa eſt in forma, minorem probat Caietanus, ex eo quod diuina natura nequit eſſe actus creaturæ in eſſe naturali, quod vt certum ſupponit: ergo nec diuina intellectio; non enim poteſt actus alicuius naturæ communicari in eſſe naturali, cui natura, cuius eſt actus, non communicetur ſecundum idem eſſe. Maiorem probat: operatio namque eſt actus operantis ſecundum eſſe naturale; ſed intellectio eſſentialiter eſt operatio: ergo eſt actus intelligentis ſecundum eſſe naturale, nec poteſt, niſi ſic vniatur, intelligentem conſtituere. Probat maiorem: nam in primis operatio eſt actus operantis, quod per ſe notum eſt proportionaliter intellectum de operatione tranſeunte, & immanente: nam tranſiens eſt actus operantis vt *à quo*; immanens verò eſt actus operantis vt *cuius*, vel *in quo*. Quod verò ſit actus ſecundum eſſe naturale, probat: tùm inductione, nam generare eſt à generante ſecundum eſſe naturale, ſentire à ſentiente ſecundum eſſe naturale, & ſimiliter deſiderare à deſiderante. Deinde à priori, & ex terminis: nam operans ſecundum ſuum eſſe naturale operatur: ſicuti ſecundum ſuum eſſe naturale eſt, cum operari ſequatur ad eſſe: ergo operatio eſt actus operantis ſecundum eſſe naturale. Et iuxta hanc rationem accipiendum cenſet D.Thomam *art.1. ad 1.* vbi inde probat, non poſſe intelligere diuinum, eſſe actum naturæ humanæ Chriſti, per quem redderetur intelligens, quia eſt actus alterius naturæ.

46 *Si in contrariũ opponatur primo.* Quod ſi in contrarium objiciat aliquis primo: actus vnius naturæ, etſi non poſſit alteri naturæ conuenire, vt connaturalis; poteſt tamen vt communicatus competere, vt conſtat in actione ignis, quæ non conuenit ferro ignito, vt connaturalis; benè tamen, vt communicata: ergo, ex eo quod intellectio increata ſit actus naturæ diuinæ diſtinctæ à natura creata, ſolum probatur, non poſſe connaturaliter naturæ humanæ competere; non vero, quod non poſſit illi communicari.

47 *Reſpondet Caietanus.* Reſpondet Caietanus, antecedens eſſe verum de actu naturæ, quæ communicabilis eſt ſecundum eſſe naturale, qualiter natura ignis ferro ignito communicatur; falſum autem de actu naturæ incommunicabilis ſecundum naturale eſſe, qualis eſt diuina natura: & idcirco conſequentia non tenet.

48 *Si opponatur 2.* Si objiciatur ſecundo: perſonalitas Verbi eſt actus naturæ diuinæ identificatus cum illa; & tamen conuenit naturæ creatæ, non vt connaturalis, ſed vt communicata: ergo pariter diuinum intelligere, quamuis ſit actus naturæ diuinæ, poterit naturæ humanæ, non vt connaturale, ſed vt communicatum competere; & conſequenter illam intelligentem conſtituere.

49 *Reſpondet idem Caietanus.* Reſpondet Caietanus, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & diſparitatem conſtituit: nam perſonalitas non communicatur naturæ creatæ, vt actus, ſed tantum vt terminus. Ratio autem facta, & ex D. Tho. ſumpta, procedit de actu naturæ communicando, vt actus. ſic namque nequit communicari, non communicata natura. Et quia intelligere petit communicari, vt actus, vt intelligentem conſtituat conſequentia facta à ſimili de perſonalitate non tenet.

50 *Si opponatur 3.* Si tertio objiciatur, & aduerſus iſtam ſolutionem inſtetur: nam diuina eſſentia, vt ſpecies vnitur intellectibus beatorum; & conſequenter eſt actus illorum, & tamen non vnitur illis diuina eſſentia, vt natura ſecundum eſſe naturale: ergo pariter intelligere diuinum poterit communicari, vt actus, naturæ creatæ, quin illi Dei natura ſecundum eſſe naturale vniatur. *Reſpondet Caietanus.* Reſpondet Caietanus, negando conſequentiam; nam diuina eſſentia, vt ſpecies, non eſt actus intellectus beati ſecundum eſſe naturale, ſed tantum ſecundum eſſe intelligibile. Quando verò aliquid eſt actus in eſſe naturali, & intelligibili, poteſt ſecundum eſſe intelligibile eſſe actus alterius, quin ſit actus ſecundum eſſe naturale, intellectio autem petit eſſe actus intelligentis ſecundum eſſe naturale; & ideo conſequentia non tenet.

51 *Caietani doctrina diſplicet pluribus Thomiſtis & contra illã opponunt:* Hæc doctrina Caietani pluribus Thomiſtis non placet, & quod magis eſt, eam reijcit Nazarius, ferè ſemper Caietanum ſectans. Contra illam objiciunt primò, nam eſſe intelligibile in ſpecie non eſt eſſe fictum per intellectum: ergo eſt eſſe naturale; & conſequenter diuina eſſentia per modum ſpeciei mentibus beatorum ſecundum eſſe intelligibile vnita, eis vnitur ſecundum eſſe naturale. *Secunda opponit Nazarius* Secundo opponit Nazarius: licet ſpecies intelligibilis creata vniatur intellectui, quem actuat, ſecundum eſſe naturale, & ſecundum eſſe intelligibile, poteſt diuina eſſentia vniri ſub conceptu ſpeciei ſecundum eſſe intelligibile, non vnita ſecundum eſſe naturale: ergo quamuis intellectio creata ſecundum vtrumque eſſe vniatur intellectui, quem actuat, poterit diuina intellectio vniri ſecundum eſſe intelligibile, non vnita ſecundum eſſe naturale. *Tertiò.* Tertiò ſic arguit intelligere eſt eſſe intelligentis, ſecundum quod eſt intelligens: ergo ex communi conceptu non petit eſſe actus intelligentis ſecundum eſſe naturale, ſed tantum in ſecundum eſſe intelligibile.

52 *Denique opponit.* Denique: nam principium illud cui innititur doctrina Caietani, nempè, vnumquodque ſecundum ſuum eſſe naturale operari, ſicuti & eſt, in operationibus cognoſcitiuis, non tenet ergo ex illo perperam Caietanus concludit, intellectionem ex communi conceptu eſſe actum intelligentis ſecundum eſſe naturale. Antecedens probat Nazarius: nam gradus operationis non attenditur ſecundum gradum principij primi, ſed principij proximi operandi; ſed licet cognoſcens operetur, ſecundum quod eſt, ly *ſecundum* reduplicante primum operationis principium; non tamen ly *ſecundum* reduplicante principium proximum intelligendi: nam ſic non operatur ſicut eſt ſecundum eſſe naturale, ſed ſicut eſt ſecundum eſſe intelligibile, cum proximè operetur per ſpeciem, quæ non vnitur per ſe cognoſcenti ſecundum eſſe naturale, ſed ſecundum eſſe intelligibile: ergo ex illo principio non benè infert Caietanus, intellectionem eſſe actum intelligentis ſecundum eſſe naturale, ſed potius deberet oppoſitum in intellectione concludere.

53 *Hæc argumenta nõ vrgent, & ad 1. reſp.* Hæc tamen argumenta non vrgent. Ad primum reſpondeo, diſtinctionem Caietani de vnione ſecundum eſſe intelligibile, & ſecundum eſſe naturale, eſſe expreſſam D. Thomæ 3. *Contra Gentes cap.52.* vbi docet, diuinam eſſentiam eſſe formam, qua intellectus beati diuinam intuetur naturam, quia licet Deus nequeat eſſe forma alterius rei ſecundum eſſe naturale; poteſt tamen eſſe formam ſecundum eſſe intelligibile, quod ſufficit ad rationẽ ſpeciei, & vt diuina eſſentia ſit ſpecies, qua intellectus creatus ipſam intelligit. *Ratio diſcriminis aſſignatur ex D.Th.* Et rationem diſcriminis reddit Angelicus Doctor; nam forma ſecundum eſſe naturale vnita tendit ad conſtituendam aliquam vnam naturam, quod diuinæ eſſentiæ cum alio vnitæ, competere nequit; quia, vt ex duobus vna natura reſultet, nullum ex illis debet præſupponi vndequaque completum; diuina autem eſſentia ſupponitur in ſe completiſſima. Vnio autem ſecundum eſſe intelligibile non tendit ad naturam aliquam conſtituendam, ſed ad perficiendum intellectum ad intelligendum: ſic autem intellectum creatum perficere, perfectioni diuinæ eſſentiæ non repugnat.

54 *Ad argumentũ reſpondetur in forma.* Vnde miror, Magiſtrum Curiel, cuius eſt prima objectio contra rationem Caietani, ita in doctrina D. Thomæ verſatum, hoc non animaduertiſſe. Et in forma ad argumentum reſpondeo, concedendo antecedens, diſtinguendo primum conſequens eſſe intelligibilem ſpecie

eſt eſſe naturale identicè realiter per identitatem realem formalem, concedo conſequentiam: per identitatem virtualem, nego conſequentiam. Primum ſufficie, vt non ſit fictum eſſe intelligibile in ſpecie, & ſecundum, vt ea vnione diuinæ eſſentiæ cum intellectu creato ſecundum eſſe intelligibile non inferatur vnio eiuſdem ſecundum eſſe naturale. Imo, etſi daremus, eſſe entitatiuum, & eſſe intelligibile non diſtingui virtualiter, ſed ſolum munere, & eminentialiter, non liceret colligere ex vnione eſſentiæ diuinæ cum intellectu creato ſecundum eſſe intelligibile, vnionè ſecundum eſſe naturale; nã plures Theologi docent, rationem ſpeciei, & rationem intellectionis non diſtingui virtualiter in diuina natura; & tamen vnitur beatorum mentibus ſecundum rationem ſpeciei, non vnita ſecundum rationem, & munus intellectionis.

55 *Ad ſecundum.* Ad ſecundum, conceſſo antecedenti; nego conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt: nam diuina eſſentia vt ſpecies, non eſt forma, qua viuit intellectus creatus, nec per modum actus primi, nec per modum actus ſecundi, vt fusè docuimus *tractatu de charitate, & tractatu de viſione Dei*; & idcirco vnionem ſecundum eſſe naturale, ſeu per phyſicam informationem, non petit, ſed tantum ſecundum eſſe intelligibile, vt ex parte obiecti ſe tenens, intellectumque ad intelligendum complens, & perficiens. Intellectio autem eſt forma, qua intelligens viuit in actu ſecundo; vita vero in actu ſecundo petit per identitatem conuenire viuenti, aut per phyſicam informationem illi ſecundum eſſe naturale vniri. Quod patet: nam hoc petit dans vitam per modum actus primi, ob quam cauſam non poteſt diuina eſſentia eſſe intellectui creato principium *quo*, nec primum, nec proximum intelligendi, & viuendi, vt ea contrarijs admittit Ægidius Luſitanus: ergo à fortiori dans viuere per modum actus ſecundi dictam vnionem expoſcit; ac proinde non poteſt in intellectione vnio ſecundum eſſe intelligibile, ſeparari ab vnione in eſſe naturali reſpectu intelligentis per ipſam.

56 *Ad tertium.* Ad tertium, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: nam cum intellectus ſit in genere entis, & in genere intelligibilis, ex eo quòd intellectio ſit eſſe illius ſecundum vnum eſſe, nempè, intelligibile, non tollitur, quod etiam ſit actus intellectus ſecundum aliud eſſe non naturale, & entitatiuum.

57 *Ad vltimum.* Ad vltimum nego antecedens: ad illius probationem: conceſſa maiori, nego minorem: intelligens namque operatur, natura, vt principio primo, & intellectu, vt proximo principio intelligendi; per ſpeciem autem, nec vt per primum, nec vt proximum principium operatur, ſed vt complementum, & perfectiuum principij ad intelligendum. Quod optime notauit Ferrarienſis *lib. 3. contra gentes cap. 52 verſ. ſed circa præfatam reſponſionem.* Et patet: vt enim docet D. Thomas *lib. 2. contra gentes cap. 59.* nos non poſſumus intelligere per intellectum, ſi ponatur, quod ſit ſubſtantia ſeparata, eo quod iuxta Ariſtotelem *lib. 2 de anima* id, quo aliquid operatur oportet, eſſe formam eius, dantem illi formaliter eſſe: ergo principium *quo*, ſiue primum, ſiue proximum operandi petit phyſicam informationem, ſi ab operante diſtinguitur: ac proinde, cum ſpecies ex conceptu ſpeciei phyſicam informationem ad intellectum non petat, nequit eſſe intelligenti principium *quo*, nec primum, nec proximum operandi, ſed tantum complementum primi principij ex parte obiecti, ſimul cum intellectu ad eficientiam intellectionis concurrens. Rectè ergo Caietanus ex illo principio intulit, non ſolum alias operationes, ſed etiam intellectionem debere eſſe actum intelligentis ſecundum eſſe entitatiuum & naturale.

Ferrara. *S. Thom.* *Ariſtot.*

58 *Inſtabis adhuc aduerſus Caiet.* Sed adhuc aduerſus illius diſcurſum poterit quiſpiam vrgere: ſubſiſtentia, quæ eſt terminus naturę diuinę, poteſt ſecundum eſſe naturale communicari, vt terminus, naturæ creatæ, non communicata natura diuina ſecundum eſſe naturale, ergo intellectio, quæ eſt actus naturæ diuinæ, poterit communicari naturæ creatæ, vt actus ſecundum eſſe naturale, non communicata natura. Antecedens conſtat ex myſterio Incarnationis; conſequentia autem oſtenditur primò: quia nulla eſt ratio, cur terminus naturæ poſſit alteri communicari entitatiuè, non communicata natura, cuius eſt terminus, & actus proprius naturæ communicari ſecundum eſſe naturale non poſſit; non communicata ſecundum idem eſſe natura, cuius eſt actus.

Conſequentia oſtenditur primò.

59 *Secundò.* Secundò: quia ſicut operari ſequitur ad eſſe: ita exiſtere, & ſubſiſtere ad eſſe eſſentiæ ſequuntur: ergo ſi, hoc non obſtante, communicari poſſunt exiſtentia, & ſubſiſtentia, non communicata natura ſecundum eſſe eſſentiæ, poterit etiam operatio vitalis naturæ alteri communicari, non communicata natura.

60 *Reſpõdeo primò.* Reſpondeo primò, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ad cuius primam probationem nego antecedens, ad ſecundam nego paritatem. Diſparitas autem ſumitur ex doctrina Caietani *infra quæſt. 17. artic. 2. verſ. ad Durandum, & ſolut. ad 3. Scoti*, pro contraria poſitione, vbi docet, operari ſequi ad naturam: tum, vt principium: tum, etiam, vt immediatum ſubiectum ratione ſuarum potentiarum. Vnde operatio propria alicuius, nequit eſſe alterius naturæ, nec vt principij, nec vt ſubiecti, niſi potentia, & natura, cuius eſt operatio, illi alteri communicentur. Subſiſtentia verò, & exiſtentia ſunt naturæ vt principij; non verò vt immediati ſubiecti; & ideò nequeunt eſſe alterius naturæ vt principij; poſſunt tamen alteri ſubiectiuè competere, vel terminatiuè, non communicata natura, ad quam conſequuntur ſecundum eſſe naturale.

61 *Secundò.* Vel ſecundo reſponderi poteſt, negando etiam conſequentiam. Diſparitas autem eſt, nam operatio, & natura conueniunt in ratione actus, & petunt eundem communicationis modum, vt ſuos præbeant effectus, nempè, aut per identitatem, aut per phyſicam informationem. Vnde, eo ipſo quod natura alteri non conueniat, benè arguitur, quod nec operatio talis naturæ illi poſſit conuenire, nam ſi natura non communicatur, quia nec informare, nec identificari poteſt cum altero, & eundem modum ad ſui communicationem poſtulet operatio immanens, rectè colligitur, quod nec operatio talis naturæ poſſit alteri communicari.

Subſiſtentia autem non conuenit cum natura in ratione actus petentis identitatem ad ſubiectum, vel illius phyſicam informationem, ſed ſolum petit terminatiuè vniri, & idem de exiſtentiam eſt dicendum: & idcirco, ex non communicata natura ſecundum eſſe naturale, non ſequitur ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam non communicari.

62 Et poteſt ratio Caietani in hunc modum vrgeri: intellectio, qua quis intelligit, petit eſſe actus intelligentis in eſſe phyſico, vel per identitatem, vel per phyſicam inhæſionem; ſed hoc repugnat intellectioni increatæ reſpectu intellectus animæ Chriſti: ergo repugnat, quod intellectus Chriſti creatus intelligat per intellectionem increatam. Minor cum conſequentia tenet: maior autem probatur: ſi non peteret intellectio actuare intellectum intelligentem per ipſam aliquo ex prædictis modis, Pater diuinus eſſet ſapiens ſapientia genita, & intelligeret Verbo à ſe producto, vt forma: conſequens eſt abſurdum, & ab Auguſtino retractatum *lib. 1. retractation. cap. 26.* ergo. Probatur ſequela: non ob aliam rationem Verbum productum à Patre non poteſt eſſe id, quo Pater intelligit, niſi quia non informat phyſicè intellectum paternum, & à Patre realiter diſtinguitur; ſed hæc ratio deficit, ſi non eſt neceſſaria phyſica actuatio actus intelligendi reſpectu intelligentis per illam. ergo, hoc admiſſo, debet conſequenter admitti, Patrem ſapere ſapientia genita, & intelligere Verbo à ſe producto.

63 *Dices.* Dices, rationem eſſe, quia Pater vt intelligens producit Verbum, & conſequenter ſupponitur ad illud in actu ſecundo intelligens: ex quo vlterius fit, vt non poſſit intelligere Verbo producto. Sed contra primò: nam eſt probabilis ſententia Scoti, quæ docet, Verbum non procedere ex ſui actuali notitia, ſed ex memoria fæcunda: ergo ſaltem erit probabile, quod Pater intelligat Verbo, vt forma.

Contra primò.

Secundò. Secundò: nam etiam eſt probabile, dari in Patre notionalem intellectionem diſtinctam ab intellectione eſſentiali, & tamen intellectio notionalis eſſentialem præſupponit: ergo quod Pater ſupponatur ad Verbi productionem intelligens, non obſtat, quo minus Verbo à ſe producto intelligat; & conſequenter intelliget Verbo producto, ſi actuatio phyſica non requiritur.

64 *Tertiò.* Tertiò: nam eſt etiam ſententia probabilis, Deum ſimplici notitia eſſentiam, & attributa cognoſcere, & ſimul dari ſcientiam ſtrictè ſumptam, qua immediatè erga attributa verſatur; & in Schola Societatis, Deus cognoſcens in ſe ipſo creaturas, alia cognitione eaſdem cognoſcit in ſe ipſis, & iſtæ cognitiones aliam priorem ſupponunt: ergo, quod Verbum Deum cognoſcentem ſupponat, non tollit, quo minus ipſum formaliter intelligentem

conſti-

Vltimo. conſtituat. Denique 2 nam quod Deus in linea abſoluta ſupponatur infinitè perfectus, non tollit, quod relationibus perficiatur, ſi relationes perfectionem relatiuam important: ergo, quod ſupponetur perfectè infinitè cognoſcens, non tollit, quo minus Verbo à ſe producto cognoſcat.

---

§. IV.

Vlterior noſtræ concluſionis probatio.

65 *Deinde ſuadetur noſtra concluſio ex ſexta Synodo generali.* DEinde ſuadenda eſt noſtra concluſio ex ſexta Sinodo generali *action.17.* vbi duas voluntates, duaſq; operationes in Chriſto eſſe conſtituendas determinans: rationem reddit his verbis: *Nec enim poterit Angelica natura diuinam habere voluntatem, aut humanam, nec humana natura voluntatem Dei, vel Angeli.* Ergo nec Dei cognitionem, & ſcientiam poteſt in ſe humana natura habere, cum eadem ſit volitionis, & cognitionis ratio.

66 *Si reſpondeatur. In contrarium obſtat.* Nec reſpondere ſufficit, ibi eſſe ſermonem de lege ordinaria non de potentia abſoluta. Nam ibi erat ſermo de Chriſto, cuius incarnatio miraculoſa fuit, & opus inter omnia maximè extraordinarium, nec iuxta communes leges patrarum: ergo ineptè argueret Synodus contra ſtatuentes vnam tantum operationem, illamque diuinam; in Chriſto, ſi de impotentia per vires naturæ, aut de lege ordinaria loqueretur. Nam reſpondere poſſent, concedendo, id eſſe impoſſibile de lege ordinaria, & negando, non ita eueniſſe in Chriſto.

67 *Si eternum reſpondeatur.* Nec magis ſatisfacit, quod reſpondat Ægidius, nempè, ſolum ibi negari, poſſe Angelum, aut hominem habere voluntatem Dei ſibi connaturalem; non autem, quòd illam poſſit ſibi vnitam, & communicatam habere, non connaturalitèr, ſed ſupra naturam. Nam in contrarium obſtat, quòd hæretici, contra quos Synodus diſputabat, non affirmabant, voluntatem diuinam fuiſſe connaturalem humanitati Chriſti, nec id in mentem hominum potuit venire, ſed ſolum aſſerebat, fuiſſe in Chriſto vnam operationem, & hanc diuinam, per quem, non ſolum, vt Deus, ſed etiam, vt homo volebat: ergo Synodus contra illos diffiniens, fuiſſe in Chriſto duas operationes, diuinam, & humanam inconfuſas, & reddens rationem, quia non poteſt in ſe humana natura habere voluntatem Angeli, vel Dei, non ſolum negat, poſſe illam in ſe connaturalem habere, ſed etiam vt communicatam ſupernaturalitèr; alias nihil contra hæreticos illos diffiniſſet.

68 *Tertiò probatur concluſio.* Tertio probatur: implicat, voluntatem creatam liberè velle per voluntatem liberam Dei ſibi intrinſecè vnitam: ergo implicat etiam, intellectum creatum intelligere per increatam intellectionem. Antecedens non videtur poſſe ab aliquo negari: volitio namque libera debet eſſe in poteſtate voluntatis; volitio autem diuina nequit poteſtati voluntatis creatæ ſubijci. Conſequentia verò probatur: primò: nam ideo ſcientia Dei poſſet intellectum creatum ſcientem conſtituere, quia eminenter continet perfectionem ſcientiæ creatæ; ſed etiam volitio libera increata continet eminentèr perfectionem volitionis creatæ liberæ, &, hoc non obſtante, non poteſt volentem liberè conſtituere voluntatem creatam: ergo pariter, non obſtante, quod ſcientia increata perfectionem cognitionis creatæ eminentèr contineat, implicat, quod intellectum creatum conſtituat intelligentem. Tum etiam, nam quod volitio libera debeet voluntati conuenire ab intrinſeco non habet ex conceptu liberæ, ſed ex conceptu voluntatis, & vitalis; at in hoc ſecundo connenit cum actuali cognitione, & in primo cum actu neceſſario voluntatis: ergo, ſi libera volitio Dei non poteſt voluntatem creatam liberè volentem conſtituere, actus neceſſarius voluntatis diuinæ non poterit voluntatem creatam conſtituere volentem, nec ſcientia increata intellectum creatum poterit intelligentem conſtituere.

69 *Quartò probatur concluſio.* Quarto probatur: implicat, intellectum creatum intelligere per increatam intellectionem, quin per illam viuat in actu ſecundo; ſed implicat, quod viuat per increatam Dei cognitionem: ergo etiam implicat, quod per illam intelligat. Conſequutio eſt in forma maior omnibus manifeſta: nam intelligere eſſentialitèr eſt viuere gradu perfectiſſimo vitæ: ergo non ſtat intelligere per aliquam formam, & per illam non viuere. Minor autem oſtenditur primo: implicat, naturam diuinam ſub conceptu vitæ radicalis naturam creatam radicalitèr viuentem conſtituere, aliàs poſſet lapidi vniri, illumque reddere radicalitèr viuentem, & vnita materiæ primæ poſſet compoſitum rationale, & intellectiuum conſtituere, quod nullus admittet: ergo etiam implicat, quod ſub conceptu vitæ actualis conſtituat intellectum creatum viuentem in actu ſecundo. Patet conſequentia: tum primo à paritate rationis. Tum etiam, quia actus vitalis alicuius naturæ, cum ab illa ſuam ſpecificationem deſumat, communicari nequit, non communicata natura. Qua ratione vſus eſt D.Thom. *in 3. diſt.14. quæſt.1. art.1. quæſtiunc.1. ad 2. q. eu. de veritate art.1. in corpore, & in præſenti art.1. ad 1.* ſumpta ex Ambroſio *lib.2. ad Gratianum cap.*10. aſſerente, vbi diuerſa ſubſtantia eſt, non poſſe vnam operationem intelligi: ex quo ſexta Synodus *ſupra* relata argumentum deſumpſit. *Minor oſtenditur primò.*

70 *Minor principalis ſuadetur ſecundò.* Secundò minor principalis ſuadetur, viuere eſt habere perfectionem, non ſolum in ſe, verum etiam à ſe: nam in hoc viuens à non viuente differt, quod non viuens habet perfectionem in ſe, non à ſe; viuens autem habet perfectionem à ſe, vel per identitatem, qualitèr contingit in viuente increato, vel per egreſſionem, qualitèr contingit in nobis; ſed implicat, intellectum creatum habere à ſe increatam Dei cognitionem aut per identitatem, aut per egreſſionem, cum increata intellectio nequeat cum intellectu creato identificari, aut ab illo dependere: ergo implicat intellectum creatum viuere per increatam, & diuinam intellectionem.

71 *Reſpondebis primò.* Reſpondebis fortè primò, intellectionem non eſſe vitam phyſicam, ſed tantum intentionalem, quatenus intellectum conſtituit tendentem intentionalitèr in obiectum, & vt ſit vita intentionalis ſufficere, quod intelligenti conueniat à ſe, non phyſicè per identitatem, aut phyſicam ab illo egreſſionem, ſed à ſe intentionalitèr, qualitèr intellectionem diuinam conuenire intellectui creato non implicat.

72 *Sed contra.* Sed contra: nam formam conuenire ſubiecto à ſe intentionalitèr, diſtinctum quid eſt ab hoc, quod eſt conuenire; non à ſe, ſed in ſe: at conuenire illa à ſe in nullo alio diſtinguitur à conuenire tantum in ſe, niſi in ratione principij egreſſionis formalis, quando realitèr diſtinguuntur, aut virtualis, vel eminentialis, cum realitèr identificantur: ergo vt ſaluetur, diuinam intellectionem conuenire intellectui creato à ſe intentionalitèr, debet egredi realitèr ab illo, aut ſaltem virtualitèr egredi, & cum illo realitèr identificari, quorum vtrumque eſt omnino implicatorium.

73 *Reſpondebis ſecundò. Sed contra.* Reſpondebis ſecundo, viuens à non viuente diſtingui per habere perfectionem à ſe non in actu ſecundo, ſed in actu primo: vnde, vt per increatam intellectionem intelligat intellectus creatus, non eſt neceſſarium, quod illam habeat à ſe. Sed contra: nam iuxta iſtam ſolutionem ſequiritur, quod formam, qua viuit habeat à ſe viuens, ſaltim in actu primo; ſed intellectus creatus non habet à ſe intellectionem diuinam, nec in actu ſecundo, nec in actu primo, cum implicet illi conuenire à ſe: ergo per illam viuere implicat.

74 *Reſpondebis.* Dices diſtinctionem viuentis à non viuente, non conſiſtere in habere perfectionem omnem à ſe, etiam in actu primo, ſed in habere aliquam perfectionem à ſe, etſi non omnem: ac proinde, vt intellectus creatus viuat per increatam intellectionem, neceſſarium non eſſe, quod illam habeat à ſe. Sed contra primò habere perfectionem à ſe diſtinguit viuens à non viuente: ergo reſpectu perfectionis non habitæ à ſe, non manet diſtinctiuum viuentis à non viuente, & conſequenter per talem perfectionem non viuit. *Contra primò.*

75 *Secundò.* Secundo: nam ſequitur: ex hac ſolutione, poſſe creaturam viuere vita increata, non ſolum intentionaliter, ſed etiam phyſicè: conſequens eſt falſum, & contra Auctores ſententiæ oppoſitæ: ergo. Patet ſequela: nam etiam dici poterit, viuens, phyſice, à non viuente diſtingui per habere à ſe, non omnem, ſed aliquam perfectionem; & conſequenter, quod poſſit phyſicè viuere per formam à ſe non habitam, dummodo alias perfectiones habeat à ſe vel per identitatem, vel phyſicam egreſſionem: ergo poterit per formam increatam, etſi à ſe non habitam, viuere phyſicè.

76 *Tertiò.* Tertio: nam ſequitur, poſſe voluntatem creatam velle liberè per increatam Dei volitionem: conſequens à nul-

lo aſſeritur: ergo. Patet ſequela: nam affirmari poterit, ſufficere, quod alios actus liberos à ſe poſſit habere, etſi iſtum à ſe, nec habeat, nec poſſit. Si namque habere à ſe perfectionem, per quod viuens à non viuente diſtinguitur; ita explicatur, cur etiam ab indifferenti principio procedere, per quod diffinitur libertas, non poterit eodem modo explicari.

77 *Vltimò.* Denique nam ſequitur, poſſe creaturam viuere vita notionali diuina; & conſequenter poſſe de creatura affirmari, quod Verbum, & impulſum diuinum producat; ſed conſequens eſt abſurdum: ergo. Patet ſequela, viuit creatura vita eſſentiali diuina, iuxta hanc ſolutionem, quia licet illam non habeat à ſe; habet tamen à ſe alias perfectiones vitales: ergo pariter viuere poterit vita notionali Dei, quia licet Verbum Diuinum, aut impulſum non producat; poteſt tamen Verbum creatum, & impulſum creatum producere.

78 *Tertiò reſpõdebis.* Reſpondebis tertio, præter conuenientiam perfectionis à ſe per identitatem phyſicam, aut phyſicam egreſſionem, eſſe alium modum conueniendi à ſe, quo poteſt intellectui creato, intellectio increata conuenire; ita vt per illam viuat, ſcilicet, per vnionem, aut identitatem diuinæ intellectionis cum intellectu creato in eſſe intelligibili: nam ſicut in noſtra ſententia diuina eſſentia vnitur cum intellectu creato in eſſe intelligibili, ita vt in hoc eſſe, fiat intellectus creatus, res diuina intellecta per modum actus primi: ita poterit actualis intellectio diuina vniri cum intellectu creato per identitatem in actu ſecundo in eſſe intelligibili; ac proinde conuenire illi à ſe intelligibiliter, quod ſufficiet, vt intellectum creatum viuentem in actu ſecundo conſtituat.

79 *Sed cõtra.* Sed contra: nam intellectus non dicitur habere ſpeciem impreſſam à ſe, ſed vel ab intellectu agente, vt contingit in nobis, vel à Deo infuſas, vt contingit in Angelis; & tamen ſpecies impreſſæ vniuntur hoc modo identitatis cum illo: ergo identitas illa in eſſe intelligibili in actu ſecundo non ſufficiet, vt intellectio increata dicatur illi conuenire à ſe. Et ratio eſt, nam illa identitas non conſiſtit in eo, quod intellectus fiat ſpecies impreſſa, aut expreſſa, ſed in eo, quod in ſe habeat obiectum intellectum, vel per ſe ipſum, qualiter in viſione diuina contingit, vel per ſui ſimilitudinem intentionalem, mediante ſpecie, in quo intelligibiliter continetur, qualiter euenit in cognitione obiecti creati.

80 *Denique reſpõdet.* Denique reſponderi poteſt, ſufficere, vt intellectus creatus viuat per increatam intellectionem, & per illam intelligat, quod illi conueniat à ſe, non *entitatiuè*, ſed *vnitiuè*, hoc eſt, quod licet ſecundum ſuam entitatem non identificetur cum intellectu creato, nec ab illo egrediatur; vnio tamen diuinæ intellectionis ad intellectum, ab illo cauſetur: & hoc nullam repugnantiam habere.

81 *Sed cõtra primò.* Sed contra primo: nam ſi hoc eſſet ſufficiet ad viuendum, & intelligendum per increatam intellectionem, ipſum etiam ſufficeret, vt voluntas per actum liberum increatum liberè vellet: at hoc à nemine aſſeritur: ergo. Patet ſequela: vniri ad intrinſeco intellectionem increatam ſufficit, iuxta hanc ſolutionem, vt ſaluetur diffinitio vitæ in intellectu creato reſpectu illius, & vt per illam viuat, quamuis entitas increatæ intellectionis non conueniat intellectui creato ab intrinſeco, nec identicè, nec egreſſiuè: ergo pariter vnio increatæ volitionis ab intrinſeco cum indifferentia ad oppoſitum, ſufficiet, vt ſaluetur diffinitio libertatis in voluntate noſtra cum increata volitione comparata; & conſequenter vt per illam liberè velit.

82 *Secundò.* Secundo; nam actio vitalis ſe ipſa egreditur, & coniungitur cum principio vitali abſque modo vnionis, medio, eo quod eſſentialiter habet exercitium egreſſionis, & coniunctionis cum ſuo principio, & ſubiecto; quando autem alicui eſt eſſentialis coniunctio ad ſubiectum, non indiget modo à ſe diſtincto, vt vniatur: ergo non ſtat actionem vitalem conuenire ab intrinſeco vnitiuè, & non entitatiuè.

83 *Tertiò.* Tertiò: nam eſto daremus, actionem creatam media vnione à ſe diſtincta cum ſubiecto agente vniri; intellectio tamen increata cum intelligente per ipſam, non media vnione diſtincta, ſed per ſuam entitatem petit vniri, eo quod vnio eſt cauſalitas, & actualitas formæ vnitæ ſubiecto, illiuſque complementum, & entitati increatæ per aliquid à ſe diſtinctum compleri, actuari, & ad actum ſecundum ſuæ cauſalitatis reduci repugnat: ergo non ſtat, conuenire intellectioni creatæ à ſe ſecundum vnionem, & quod illi non conueniat à ſe ſecundum entitatem, aut egreſſiuè.

Quarto: nam habere perfectionem à ſe, quæ eſt viuendi diffinitio, communiter intelligitur de conuenientia ab intrinſeco formæ dantis vitam actualem, & non tantum concreti à tali forma, & ſubiecto reſultantis; ſed quamuis ex conuenientia ab intrinſeco vnionis actus increati habeatur conuenientia ab intrinſeco concreti reſultantis ex illa, & intellectu creato; non tamen habetur conuenientia ab intrinſeco formæ dantis vitam actualem: ergo modus ille conueniendi ab intrinſeco, non ſufficit, vt intellectus creatus per increatam intellectionem viuat. 84 *Quartò.*

Quinto: nam illa vnio cum intellectione increata ab intellectu creato producta, haberet rationem tendentiæ intentionalis ad obiectum intelligibile, cum per illam vniretur intellectus cum obiecto, non ab alio, ſed à ſe, in quo tendentia intentionalis in obiectum conſiſtit: ergo eſſet actio intelligendi; & conſequenter iam non intelligeret intellectus creatus per actum increatum, ſed per vnionem illam creatam; non enim poteſt idem effectus ab vnione ad formam, & à forma ipſa præſtari. 85 *Quintò.*

Dices, vnionem ab intellectu productam, non eſſe tendentiam in obiectum intelligibile formaliter, ſed inchoatiuè, & vialiter, id eſt, via ad tendendum in obiectum per intellectionem increatam. 86 *Reſpondebis.*

Sed contra; tendere in obiectum per actum dicit actualitatem in formam, quæ eſt ratio tendendi, ſed vnio ab intrinſeco producta non eſſet via ad actiuè concurrendum ad intellectionem increatam, ſed tota actiuitas intellectus ſiſteret in vnione producta: ergo non inchoatiuè, & vialiter, ſed completè, & formaliter eſſet tendentia in obiectum intelligibile. *Sed contra*

Denique principalis ſolutio reijcitur: non ſtat concretum effici ab aliquo agente phyſicè, etiam ſi ſolam vnionem producat, niſi agat per formam, vel perfectiorem, vel æquè perfectam illa, quæ concretum conſtituit: vnde, quamuis anima rationalis non producatur ab homine, ſed tantum vniatur; non tamen poteſt ab alio, quam ab homine, cuius anima, animam geniti adæquat, vel à Deo illam eminentialiter continente, infinitè excedente cauſari. Et ſimiliter quamuis Myſterium Incarnationis fiat ſolum per cauſationem vnionis; quia tamen forma conſtituens concretum Chriſti eſt Deitas, & humanitas, & illa ſuperat in infinitum omnem creaturam, non poteſt ab aliqua creatura cauſari in genere cauſæ principalis; ſed intellectus creatus non adæquat, nec adæquare poteſt de potentia abſoluta intellectionem diuinam, ex qua veluti ex forma reſultare deberet concretum per illam intelligens: ergo implicat, hoc concretum effici ab intellectu creato, etiam per cauſationem, non entitatis illius, ſed ſolum vnionis eius ad intellectum creatum. 87 *Vltimò.*

---

§. V.

Quinque Argumentis occurritur.

88 *Opponunt contrarij Auctores primò.* CONTRA iſtam concluſionem obijciunt Auctores oppoſiti primò: quia ſubſiſtentia Verbi eminenter continet perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ, vniri potuit cum humanitate Chriſti, illam ſubſiſtentem conſtituens; ſed intellectio diuina continet eminenter intellectionem creatam: ergo poteſt vniri cum intellectu creato, illumque intelligentem conſtituere.

Reſpondeo communi ſolutione, negando cauſalem maioris, vt adæquatam, ſed addendum eſt, quia in vnione per modum ſubſiſtentiæ nulla imperfectio importatur, nec informationis, nec dependentiæ, nec identitatis cum natura, cui vnitur, ſed præciſè ratio terminationis, in qua nulla imperfectio relucet. At verò in vnione ſub conceptu, & munere intellectionis cum intellectu creato importatur imperfectio phyſicæ informationis, egreſſionis realis ab illo, aut phyſicæ identitatis: & ideo, & ſi eminenter contineat perfectionem cognitionis creatæ, vniri nequit cum intellectu creato ſub conceptu, & munere intellectionis. 89 *Reſpondeo.*

Dices: etiam ſi ſubſiſtentia creata à natura dimanet, quam terminat, poteſt ſubſiſtentiam diuina naturam creatam terminare, abſque eo, quod ab illa dimanet: ergo 90 *Replicabis.*

pariter,

pariter, quamuis intellectio creata ab intelligente per ipſam cauſetur; & egrediatur, poterit intellectio diuina, naturam creatam conſtituere intelligentem, quin ab illa egrediatur.

91 *Reſpondeo.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt; nam, ſi ſubſiſtentia creata à natura dimanat, non habet ex formali conceptu, & munere ſubſiſtentiæ, ſed ex ratione, quà creata, & imperfecta eſt: & idcirco poteſt ſubſiſtentia diuina illius effectum supplere, & naturam creatam reddere ſubſiſtentem abſque egreſſione ab illa. Quod verò actio intelligendi ab intelligente egrediatur, vel cum illo identificatur, conuenit illi ex communi, & formali conceptu intellectionis: vnde nequit diuina intellectio naturam creatam conſtituere intelligentem, niſi vel cum illa identificetur, vel ab illa egrediatur, quorum vtrumque maxima imperfectio eſt.

92 *Inſtabis adhuc.* Inſtabis: idcirco eſſet de conceptu intellectionis egreſſio; vel identitas cum intelligente per ipſam, quia intellectio creata à ſuo intelligente egreditur, & diuina identificatur cum intelligente per ipſam; at hæc ratio eſt nulla: ergo. Probatur minor: ſubſiſtentia creata dimanat à natura, quam terminat, per realem dimanationem, & diuina per virtualem cum formali identitate à natura terminata; & tamen de conceptu ſubſiſtentiæ, vt ſic, non eſt dimanatio realis, nec virtualis cum formali identitate, nec diſiunctum ex vtroque: ergo paritèr, quamuis intellectio creata realitèr ab intelligente egrediatur, & diuina virtualitèr cum formali identitate, non erit de conceptu intellectionis, vt ſic; vel egreſſio, vel identitas, ſed poterit abſque vtraque intelligens conſtituere, ſuumque effectum præſtare.

93 *Vel aliter inſtabis.* Vel alitèr: de ratione ſubſiſtentiæ ex communi conceptu eſt dimanare à natura formalitèr; aut virtualitèr; & tamen poteſt ſubſiſtentia diuina naturam creatam terminare, reddereque ſubſiſtentem, abſque eo quod à natura terminata dimanet: ergo paritèr, quamuis de ratione intellectionis ſit egredi formali, aut virtuali egreſſu à natura intelligente, poterit intellectio diuina intelligentem reddere naturam creatam, abſque egreſſu ab illa formali vel virtuali. Minor cum conſequentia tenet, & maior probatur: ſubſiſtentia creata dimanat realiter à natura, quam terminat, ſubſiſtentia diuina virtualiter dimanat à natura diuina: ergo ſubſiſtentia, vt ſic, dimanat à natura terminata, formali, aut virtuali dimanatione.

94 *Reſpondeo.* Reſpondeo, negando cauſalem maioris ob rationes factas pro noſtra concluſione, nimirum, quia de ratione intellectionis, eſt, quod intelligens viuat per ipſam; & conſequenter, quod illam habeat à ſe, quod tantum poteſt duobus modis contingere, ſcilicet, vel per talem egreſſionem, vel per virtualem cum formali identitate. Ad explicationem, diſtinguo maiorem: ab omni natura, quam terminat, & ſubſiſtentem reddit, nego maiorem: ab aliqua natura, ſcilicet, illa, quam connaturaliter terminat, permitto maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam; quia de ratione intellectionis, non ſolum eſt egredi ab intelligente per ipſam connaturaliter, ſed à quocumque per ipſam intelligente ob rationem aſſignatam, quia, nempè, intelligens viuit intellectione, qua intelligit; non autem poteſt viuere, niſi forma habita à ſe aliquo ex prædictis modis; cum in hoc eſſentia viuentis, & diſcrimen illius à non viuente conſiſtant.

95 *Secundò opponunt. Probatur conſequentia 1.* Secundo objiciunt: de facto Dei eſſentia vnitur intellectui Chriſti ſub ratione ſpeciei: ergo de facto vnitur, vel poteſt ſaltem vniri per modum intellectionis. Patet conſequentia primo: quia ratio intellectionis, & ratio ſpeciei non diſtinguuntur virtualiter in natura diuina in probabili plurium Thomiſtarum ſententia: ergo, ſi vnitur ſub ratione ſpeciei, vnitur etiam ſub ratione intellectionis. *Secundo.* Secundo nam ideo poteſt vniri ſub ratione ſpeciei, quia eſt ſpecies actualiſſima eminenter continens perfectionem ſpecierum creatarum; ſed etiam eſt intellectio actualiſſima, & actus purus ſub ratione intellectionis, & continet eminente perfectionem omnis intellectionis creatæ: ergo. *Tertiò.* Tertio; quia non minus eſt de ratione actus primi vitalis vnio intrinſeca per informationem, quam de ratione actus ſecundi vitalis vnio intrinſeca per egreſſionem; ſed illo non obſtante, diuina eſſentia per modum ſpeciei conſtituit intellectum Chriſti in actu primo proximo viuente, abſq; informatione phyſica per vnionem in eſſe intelligibili: ergo pariter, per vnionem in eſſe intelligibili in actu ſecundo, abſque egreſſione vel identitate, poterit diuina intellectio intellectum Chriſti conſtituere intelligentem in actu ſecundo.

Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad primam probationem, permiſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia, vt vniatur ſub ratione ſpeciei, non vniri per modum intellectionis, ſufficit diſtinctio eminentialis, aut inadæquata virtualis, aut diſtinctio in munere: & conceptum intellectionis à conceptu ſpeciei aliquo ex his modis diſtingui, non negant præfatæ ſententiæ Auctores, nec negare poſſunt. Ad ſecundam, nego cauſalem maioris, vt adæquatam, ſed inſuper, quia in vnione per modum ſpeciei ad intellectum creatum, nulla imperfectio importatur; bene tamen in vnione per modum intellectionis ob rationes aſſignatas. 96 *Reſpondetur ad 1. probationem. Ad ſecundam.*

Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem: nam diuina eſſentia, vt ſpecies, non eſt principium *quo*, nec radicale, nec proximum viuendi intellectui creato, ſed comprincipium cum illo ex parte obiecti ad intellectionem concurrens, vt notabamus *ſupra*, ex Ferrara, & fusè docuimus *Tract. de Charitat. & Tract. de Viſione Dei*. Ad hoc autem, quod iſto modo cum intellectu ad intellectionem concurrat, non requiritur phyſica informatio, ſed ſufficit vnio intrinſeca in genere intelligibili. 97 *Ad tertiam.*

Sed opponès primò, non minus eſt de ratione actionis vitalis, proximè à principio vitali procedere, quam de ratione actionis ſupernaturalis procedere proximè à principio ſupernaturali; ſed principium non ſupernaturale, non poteſt, etiam inadæquatè, proximè in actum vitalem ratione ſui influere: ergo principium non vitale nequit proximum influxum in vitalem actum habere; & conſequenter, cum ſpecies impreſſa proximum influxum in intellectionem ſortiatur, erit principium *quo* proximum viuendi intellectui creato. 98 *Replicabis 1.*

Secundo: nam ſequitur ex hac ſolutione, non requiri vnionem vllo modo intrinſecam obiecti cum intellectu ad elicientiam intellectionis: conſequens eſt contra communem Thomiſtarum doctrinam: ergo. Patet ſequela: vnio intrinſeca ſolum eſt neceſſaria in forma dante virtutem, & continentiam potentiæ: quo circa non exigitur vnio intrinſeca appetibilis cum voluntate ad elicientiam volitionis, quia, nempè, bonum apprehenſum non dat voluntati vires, nec eſt illi principium *quo* remotum, aut proximum viuendi: ergo, ſi obiectum in ſpecie non dat vires intellectui, nec eſt ei principium *quo* viuendi intellectualiter, non erit neceſſaria, vt intellectus intelligat, vnio intrinſeca obiecti cum illo, mediante ſpecie impreſſa. 99 *Secundò.*

Reſpondeo ad primam replicam, diſtinguendo maiorem: quoad poſitiuum talis exigentiæ, concedo maiorem: quoad negatiuum, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Itaque æquiparantur vitalitas, & ſupernaturalitas actus ſecundi, quoad hoc; quod ſicut ſupernaturalitas petit pro principio proximo formam ſupernaturalem: ita vitalitas actus petit principium aliquod proximum vitale. Diſcriminantur autem in alio, nempè, in excluſione principij non ſupernaturalis, nam ſupernaturalitas actus excludit à principio proximo ſui omne non ſupernaturale; vitalitas autem non excludit principium proximum non vitale, in illam ſimul cum vitali partialiter influens. Cuius ratio eſt; nam principium proximum partiale petit cum alio cum principio connecti; & quia repugnat entitati naturali cum ſupernaturali connecti; non verò repugnat principio non vitali formaliter connecti cum principio vitali, & eſſe vitale connexiuè, hinc fit, quod poſſit actus vitalis proximè à principio formaliter non vitali procedere; actus autem ſupernaturalis nequeat procedere proximè à principio non ſupernaturali formaliter. 100 *Reſpōdeo ad 1. replicam.*

Ad ſecundam, nego ſequelam: ad illius probationem, nego antecedens; exiſtentia namque non dat vires cauſæ efficienti; & tamen petit intrinſecam vnionem cum illa: ſtare ergo poteſt exigentia vnionis intrinſecæ, abſque eo quod id exigens, vires præbeat, aut ſit principium *quo* proximum, aut remotum agendi. Et ratio in præſenti eſt conditio propria intellectus, qui ex proprio conceptu habet obiectum trahere ad ſe, & intra ſe contemplari; non autem poteſt contemplari obiectum intra ſe, niſi illud habeat in ſe, vel per ſe ipſum, vel per ſui ſimilitudinem: & ideo petit, vt agat, obiectum ſibi intrinſecè vnitum, 101 *Ad ſecundam.*

ſi non

ſi non per informationem, ſaltim per terminationem. Et quidem probabilis eſt multorum Thomiſtarum ſententia, negantium ſpeciei effectiuum concurſum in cognitionem; qui tamen vnionem intrinſecam obiecti cum intellectu eſſe neceſſariam fatentur. Non ergo pendet exigentia huius intrinſecæ vnionis, ex eo quod obiectum, mediante ſpecie, præbeat intellectui vires. In voluntate autem ratio facta non militat; non enim trahit res ad ſe, ſed potius fertur per pondus, & inclinationem in illas: & idcirco vnionem intrinſecam ſui cum obiecto non petit, vt eliciat volitionem.

102 *Tertiò opponunt contrarij Aduerſæ.* Tertiò obijciunt: de facto vnitur diuina eſſentia mentibus beatorum, vt Verbum in viſione beatifica: ergo vnitur, vel ſaltim poteſt vniri intellectui animæ Chriſti ſub conceptu intellectionis. Antecedens ſuppono ex veriori Thomiſtarum ſententia, de qua fuſè egimus *Tractatu de viſione Dei*, aſſerente, beatos non producere Verbum in beatifica viſione, ſed diuinam eſſentiam vniri per modum ſpeciei ex parte actus primi, per modum obiecti motiui, & gerere munus Verbi ex parte terminatiui. Conſequentia autem probatur: tùm quia Verbum idem eſt quod intellectio, nam intelligere eſt fieri rem intellectam in actu ſecundo; per Verbum autem, intellectus fit in actu ſecundo res intellecta. Tum etiam: nam dato, quod diſtinguatur Verbum ab intellectione; eſt tamen de ratione Verbi, quod ſit vitale per modum termini, iuxta D. Thom. *q. 4. de Veritate art. 2.* aſſerentem; de conceptu Verbi eſſe, quod ſit expreſſum, & productum ab intelligente: ex quo infert, Verbum in diuinis, non eſſentialiter, ſed tantum notionaliter dici; ſed, non obſtante iſta vitalitate, poteſt diuina eſſentia vniri per modum Verbi cum intellectu creato: ergo pariter, non obſtante vitalitate actus intelligendi, poterit diuina intellectio vniri cum intellectu animæ Chriſti, illumque conſtituere intelligentem.

103 *Ad primã probationem reſp. S. Thom.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti negando conſequentiam: ad primam probationem, nego antecedens: nam Verbum non intellectione, ſed in termino intellectionis conſiſtere, eſt expreſſa D. Thom. ſententia *q. 8. de potentia art. 1. q. 3. de Veritate art. 2. q. 4. art. 1. & 2. lib. 1. Contra Gentes cap. 54. lib. 4. c. 11. & 1. part. q. 34. art. 1. ad 2.* nec intelligere eſt formaliter fieri rem intellectam, ſed vitalis tendentia cum obiecto intelligibili vniri.

104 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: de ratione Verbi propriè, & adæquatè accepti concedo maiorem: de ratione Verbi accepti inadæquatè, & communiter, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Itaque Verbum *loco allegato* aſſerit D. Thom. poteſt dupliciter accipi, ſcilicet, propriè, & communiter: Priori modo ſumptum eſt vitale terminatiuè: & idcirco in diuinis ſolum notionaliter dicitur, nec prout ſic ſub ratione Verbi mentibus beatorum vnitur. Sumptum autem ſecundo modo, ſolum petit, quod ſit repræſentatio actualiſſima obiecti: & hoc modo in diuinis dicitur eſſentialiter, vt docuimus *Tractatu de Trinitate*, quia diuina eſſentia eſt actualiſſima ſui repræſentatio, & iuxta hanc acceptionem habet rationem Verbi reſpectu intellectus beati; intellectio autem quomodocumque accepta petit eſſe vitalis.

105 *Replicabis.* Sed dices: ideo Verbum vtramque iſtam acceptionem admittit, quia dicit duplicem habitudinem, nempè, ad obiectum, vt repræſentatio actualis illius, & ad principium per modum expreſſi, & producti; ſed etiam intellectio dicit habitudinem tendentiæ intelligibilis ad obiectum, & egreſſionis ad principium intelligens: ergo poterit etiam duplicem iſtam acceptionem habere, & ſic diuina eſſentia poterit cum intellectu creato vniri ſub conceptu tendentiæ intelligibilis, quin illi vniatur ſub conceptu vitalis egreſſionis.

106 *Reſpondeo.* Reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt, nam Verbum eſt vltima actualitas ex parte obiecti: vnde per hoc, quod aliquod exerceat munus vltimæ actualitatis obiectiuæ, hoc eſt, in linea intelligibili paſſiua per modum repræſentationis actualis, eſto ab intelligente non procedat, ſaluatur munus Verbi in communi acceptione. Tendentia verò actus ad obiectum intelligibile eſt vltima actualitas potentiæ vitalis, vt vitalis eſt: ac proindè viuit potentia per illam. Quod ſi ita non ſit, non ſaluatur ratio intellectionis; implicat autem potentiam viuere in actu ſecundo per tendentiam à ſe non habitam, aut per formalem egreſſum, aut per virtualem cum formali identitatem, vt conſtat ex dictis: & ideo ratio, & munus intellectionis reſpectu intellectus creati, diuinæ eſſentiæ nequeunt competere.

Inſtabis: ideo eſſet de ratione tendentiæ ad obiectum, ſe tenentis ex parte potentiæ conuenientia tendenti ab intrinſeco, quia per illam conſtitutus intellectus percipiens obiectum; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. Probatur minor: intellectus per Verbum conſtituitur trahens obiectum ad ſe, & apprehendens obiectum; & tamen non eſt de ratione Verbi conuenire intellectui ab intrinſeco, vt in ſolutione data ſupponimus: ergo, quamuis per tendentiam ſe tenentem ex parte potentiæ conſtituatur intellectus percipiens obiectum, non erit de illius conceptu formali, quod conueniat intelligenti ab intrinſeco. Maior probatur: intellectus beati in viſione beatifica verè trahit ad ſe obiectum primo intellectum; cum ideo, non in amore, ſed in cognitione, noſtra beatitudo conſiſtat, quia beatitudo in aſſequutione, apprehenſione, & tractione obiecti conſiſtit, quod intellectui, & non voluntati competere poteſt; ſed non trahit illud per intellectionem formaliter, cum intellectio ſimilitudo obiecti non ſit in ſententia Thomiſtarum, nec effectiuè, cum non efficiat Verbum, quod eſt ſimilitudo formalis ergo conſtituitur intellectus beati trahens ad ſe diuinam eſſentiam intellectam per ipſammet eſſentiam, vt munus Verbi gerentem; & conſequenter de ratione Verbi erit intellectum conſtituere ad ſe trahentem obiectum. 107 *Inſtabis.*

Reſpondeo, viſionem beatificam eſſe aſſequutionem obiecti beantis; quia licet non ſortiatur rationem dictionis producentis Verbum; obtinet tamen rationem contemplationis, & vnionis ad diuinam eſſentiam, vt Verbum ſine qua non intelligitur diuina eſſentia, ſe in actu ſecundo repræſentans intellectui creato, nec intra illum intelligibiliter exiſtens: vnde quaſi effectiuè trahit, quia licet non efficiat Verbum entitatiuè veluti efficit Verbum in ratione repræſentantis; nõ enim repræſentat actu Verbum intellectui obiectum, niſi quatenus concipitur actus terminans cognitionem. Et quidem hæc tria argumenta, non ſolum probant poſſibilitatem vnionis diuinæ intellectionis cum intellectu creato; ſed etiam de facto vniri intellectui animæ Chriſti, & intellectui cuiuſcumque beati. 108 *Reſpondeo.*

Quarto arguitur: natura diuina poteſt vniri ad naturam creatam ſub conceptu radicis intelligendi, & amandi: ergo poteſt vniri ſub conceptu intellectionis, & volitionis. Conſequentia patet: tùm, quia non minus petit radix operandi identitatem, vel informationem, quam actualis intellectio egreſſionem, aut identitatem: ergo, ſi poteſt diuinitas ſine informatione, aut identitate vniri ſub conceptu radicis, poterit diuina intellectio vniri cum natura creata ſub conceptu intellectionis, abſque eo quod ab illa egrediatur, aut cum illa identificetur. Tum etiam, quia intellectio, & volitio, quas radicat natura diuina, non ſunt intellectio, & volitio creatæ, ſed increatæ. ergo ſi poteſt vniri diuinitas cum natura creata ſub conceptu radicis, poterit in illa volitionem, & intellectionem increatas radicare. Antecedens autem probatur: natura diuina de facto fuit vnita humanitati Chriſti ſub conceptu naturæ; ſed ratio naturæ in Deo conſiſtit in ratione radicis intelligendi, & volendi, vt docuimus *Tract. de Scientia Dei*: ergo fuit vnita ſub conceptu radicis intelligendi, & volendi. Maior probatur: fuit vnita de facto humanitati Chriſti ſub conceptu ſanctificantis; ſed eſt ſanctitas ſub conceptu naturæ, vt docuimus *Tract. de Gratia Chriſti*: ergo fuit vnita ſub conceptu naturæ. 109 *Quartò opponunt.*

Ad hoc argumentum, quod etiam, ſi quid probat, conuincit, non ſolum poſſibilitatem, ſed etiam actualem vnionem diuinæ intellectionis cum intellectu Chriſti creato: reſpondeo primo, negando antecedens: ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: ſecundum omne munus naturæ, nego maiorem: ſecundum aliquod munus pertinens ad rationem naturæ, concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiã. Cum enim adæquatum munus naturæ diuinæ non ſit radicare, ſed etiam ſanctificare, poteſt ſub hoc ſecundo munere vniri, non vnita ſub primo: ſicut, quia munus adæquatum hypoſtaſis Verbi Diuini non eſt referre, ſed etiam perſonare, & ſuppoſitare, de facto perſonat humanitatem Chriſti, quam de facto non refert. Quomodo autem ſanctificare poſſit humanitatem Chriſti, quin vniatur illi ſub conceptu radicis phyſicæ, *loco proximè allegato*, fuſè explicuimus. 110 *Reſpondeo 1.*

Secundo reſponderi poteſt, permiſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad primam conſequentiæ proba- 111 *Secundò.*

batio-

Ad primā conſequẽtis probationem. bationem, diſtinguo antecedent: cum æquali certitudine, aut euidentia, nego antecedent: cum inæquali, concedo antecedens, nego conſequentiam. Nam licet in ſe ita ſit, quod radix petat informare ſubiectum, cui operationes radicat, vel identificari cum illo, & quod, informatio diuinæ naturæ repugnat: cæterum non eſt ita certum, quod radix petat informationem: ſicut eſt certum, quod intellectio petat egreſſionem: nec eſt ita certum, quod informatio repugnet perfectionibus diuinis: ſicut eſt certum, & euidens, quod eis repugnet egredi à principio creato, cum hoc à nemine concedatur, nec poſſit, quantumuis rationis impote; primum autem plures concedantur, nec poſſunt euidenter conuinci: & hoc ſufficit, vt à Nobis, antecedenti permiſſo, conſequentia negetur.

112 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam probationem, diſtinguo antecedens: in Deo, cui per identitatem eſſentialem conuenit natura diuina, concedo antecedens: in natura creata, cui per communicationem vnitur, nego antecedens, & conſequentiam. Nam ſicut natura diuina ſub conceptu ſanctitatis, & radicantis moraliter, Deo radicat increatos actus intelligendi, & volendi; non autem humanitati Chriſti, ſed actus creatos intelligendi, & volendi, quibus ſolum humanitas Chriſti eſt capax: ita dato, licet non conceſſo, quod vniri poſſet humanitati ſub conceptu phyſice radicantis, non radicaret phyſicè in illa actiones increatas intelligendi, & volendi, ſed actiones creatas, eo quod ad illas non eſt in humanitate capacitas; benè tamen ad iſtas.

113 *Replicabis.* Sed dices: non ſtat capacitas; in natura creata ad vnionem cum natura diuina ſub conceptu naturæ cum incapacitate ad radicando actus increatos intelligendi, & volendi: ergo admiſſa vnione naturæ diuinæ ſub conceptu naturæ ad naturam creatam, admittenda etiam eſt capacitas in illa ad actus increatos intelligendi, & volendi. Probatur antecedent: natura diuina conſiſtit in radice actionum increatorum intelligendi, & volendi; non verò in radice intellectionis, & volitionis creatarum: ergo, eo ipſo quod vniatur, vel vniri poſſit cum natura creata ſub conceptu naturæ, vniri poteſt cum illa, vt radicans actus increatus; & conſequenter ſtare nequit capacitas ad vnionem cum diuina natura ſub conceptu naturæ, cum incapacitate ad vnionem cum actibus increatis intelligendi, & volendi.

114 *Reſpondeo.* Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: ad vnionem cum natura ſecundum formale naturæ diuinæ, concedo antecedens: ſecundum eminentiale, nego antecedens, & conſequentiam. Vel diſtinguo conſequens: ſi admittatur capacitas in natura creata ad vnionem cum natura diuina ſecundum formale illius, concedo conſequentiam: ſit tantum ſecundum eminentiale, nego conſequentiam. Nos autem, cum antecedens principalis argumenti permittimus, non loquimur de vnione naturæ creatæ cum natura diuina ſecundum formalem conceptum naturæ, ſcilicet, rationem radicis intelligendi, & volendi, intellectione, & volitione increatis, ſed ſecundum eminentialem rationem, quam continet, nempè, radicis intellectionis creatæ, & creatæ volitionis. Cum enim natura diuina eminenter gratiam contineat, quæ eſt radix videndi, & amandi Deum, prout eſt in ſe per actus creatos intelligendi, & volendi, dicitur eminentialiter radicem horum actuum continere; & cum illa ſub hac eminentiali ratione admiſſimus poſſibilitatem vnionis in natura creata, non quia verum id ſentiamus, ſed quia ex illius poſſibilitate, non ſequitur poſſibilitas vnionis naturæ creatæ ad diuinam ſub conceptu intellectionis.

115 *Quinto opponunt contrarij Auctores.* Quinto arguitur: ſtat intellectum creatum viuere per intellectionem increatam, quin ex hoc aliqua imperfectio in diuina intellectione inferatur: ergo nulla eſt implicatio, quod intellectus creatus per intellectionem increatam intelligat. Conſequentia tenet ex dictis antecedens autem probatur: per hoc ſolum, quod intellectio diuina ſit ab intellectu creato, eique à ſe competat vnitiuè, quamuis non egrediatur ab illo, nec ei conueniat à ſe entitatiuè, viuet intellectus creatus per diuinam intellectionem; ſed ex eo quod intellectio diuina ab intellectu creato egrediatur vnitiuè, hoc eſt, ſecundum vnionem, ſi non egrediatur ab illo ſecundum ſuam entitatem, nulla imperfectio ponitur in diuina intellectione: ergo ſtat, viuere intellectum creatum per intellectionem increatam, quin ex hoc aliqua imperfectio inferatur in illa. Minor videtur certa: tota namque imperfectio, quam *ſuperius* arguebamus, eſt dependentia diuinæ intellectionis ab intellectu creato; hæc autem imperfectio eſt, ſi entitas illius ab intellectu creato dependeat: in eo autem, quod vnio intellectionis diuinæ ab intellectu creato dependeat, nulla appareret imperfectio. Maior autem probatur: vt intellectus creatus viuat per intellectionem diuinam, ſufficit, quod ſit intelligens per illam à ſe, ſed ad hoc ſaluandum ſufficit, quod ab illo vnitiuè egrediatur, etſi non entitatiuè: ergo hoc ſufficit, vt viuat per illam. Minor probatur: vt intellectus creatus ſit intelligens per intellectionem increatam à ſe, ſufficit, quod concretum reſultans ex intellectu creato, & diuina intellectione, ab intellectu creato efficiatur; ſed vt hoc concretum ab intellectu creato ſit effectiuè, ſufficit, quod vnio intellectionis diuinæ, & ipſius intellectus, ex quibus reſultat concretum, ab intellectu efficiatur, nulla ex partibus concreti ab ipſo efficientes cauſata: ſicut homo gignitur, & efficienter cauſatur ab homine per hoc ſolum, quod vnionem animæ rationalis ad materiam efficiat, etſi nec materiam, nec formam attingat ſua effectiua cauſalitate: ergo, vt intellectus creatus ſit intelligens à ſe per intellectionem diuinam, ſufficit, quod diuina intellectio ab illo ſit quoad vnionem, etſi ab illo quoad entitatem non ſit.

116 *Reſpondeo.* Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem, nego maiorem: ad illius probationem, diſtinguo maiorem: ſufficit, quod ſit intelligens per illam à ſe: ly *à ſe* cadente ſupra illam, concedo maiorem: ly *à ſe* tantum ſupra concretum, quod ex illa, & intellectu reſultat, cadente, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet cauſare vnionem formæ cum materia ſufficiat ad cauſandum concretum, vel compoſitum, ex materia, & forma reſultans; non tamen ſufficit ad cauſandam formam, & conſequenter, ex eo quod intellectus creatus vnionem diuinæ intellectionis cum ipſo cauſaret, non poſſet dici habens à ſe diuinam intellectionem, licet poſſet dici habens à ſe concretum ex intellectione diuina, & ipſo reſultans. Vt autem viuat per intellectionem increatam, debet illam à ſe habere; quia in diffinitione vitæ, ly *à ſe*, non ad concretum: ſed ad formam dantem vitam refertur: vnde per efficientiam ſolius vnionis, non poteſt viuens à diuina intellectione conſtitui.

117 *Secundò.* Vel ſecundò ad antecedentis probationem reſpondeo, negando ſuppoſitum maioris; nam in illa ſupponitur poſſibilis vnio ab entitate diuinæ intellectionis diſtincta, quæ poſſit ab intellectu cauſari, non cauſata entitate diuinæ intellectionis: & hoc falſum eſt, vt *ſupra* arguentes dicebamus: vel quia actio omnis ſe ipſa, abſque modo vnionis diſtincto vnitur ſubiecto agenti, vel quia ſaltim diuina intellectio vnionem à ſe diſtinctam, per quam intelligenti vniatur, non patitur ob rationem *ibi* aſſignatam.

118 *Si opponas* Si dicas: probabilis eſt ſententia, quæ docet, vnionem actionis ad ſubiectum ab ipſa actione diſtingui, & quod diuinæ perfectiones vnibiles naturæ creatæ per vnionem ab ipſis diſtinctam vniuntur: ergo, hac ſententia ſuppoſita, probabile erit, poſſe intellectum creatum vnionem diuinæ intellectionis cum ſe ipſo cauſare, non cauſata illius entitate; & ex conſequenti probabile erit, quod poſſit per illam viuere.

119 *Reſpondeo.* Reſpondeo, hac probabilitate admiſſa, recurrendum eſſe ad primam ſolutionem, quod ſcilicet, non ſufficiat, vnionem cauſare, ſed requiratur efficientia formæ dantis vitam actualem, aut identitas cum illa, hoc expoſcente vitæ diffinitione, vt communiter explicata.

120 *Tertio reſpondeo.* Vel tertio reſponderi poteſt, negando, poſſe intellectum creatum producere vnionem ſui cum intellectione diuina, per quam conſtituatur intelligens, vt enim dicebamus §. *præced. ad finem* implicat, concretum effici ab aliquo agente phyſicè, producendo vnionem extremorum, ex quibus concretum reſultat, niſi conſtituatur per formam, vel perfectionem, vel ſaltim æquè perfectam cum illa, quæ concretum conſtituit, quod *ibi* exemplis monſtrauimus. Intellectus autem creatus non adæquat diuinam intellectionem, ex qua, vt ex forma reſultare deberet concretum, nempè, intelligens per illam, nec poteſt de potentia abſoluta, in actu primo conſtitui per formam, adæquantem diuinam intellectionem; & conſequenter non poteſt, etiam de potentia abſoluta, efficienter cauſare concretum ex ipſo, & diuina intellectione reſultans, cauſando vnionem ſui cum intellectione diuina. Quod ſi admittatur poſſibilis vnio intellectus diuini cum intellectu creato, per modum principij *quo* proximè operatiui, non eſt vtendum hac ſolutione, ſed aliis recurrendum, quibus argumentum diluimus.

§. VI.

§. VI.

Cætera argumenta diluuntur, & explicatur, an poſſit intellectus diuinus creata intellectione intelligere.

121 *Sexta argumentum.* SEXTO arguitur: eſt enim ſententia probabilis, intellectionem, non in actione vitali, ſed in termino actionis, quæ *dictio* vocatur, conſiſtere, quam alijs relatis, docet Suarez *lib. 3. de anima c. 5.* eſtque extra Scholam D. Th. communis; ſed Dei eſſentiam per modum termini cum intellectu creato vniri, non implicat, imo ſic de facto vniri per modum Verbi terminantis intellectionem, eſt frequentior Thomiſtarum ſententia: ergo non implicat, vniri intellectui creato ſub conceptu intellectionis, ipſumq; conſtituere intelligentem.

122 *Reſpondeo.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: in termino vitali ab intrinſeco conueniente, & per intellectionem, vt eſt dictio, producto, prætermitto maiorem: in termino non vitali, nec producto per intellectionem, vt dictio, ſed ſolum terminante intellectionem, vt contemplatio, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam ſententia Thomiſtarum affirmans, Dei eſſentiam vniri mentibus beatorum vt Verbum, ſumit Verbum, vt *ſuperius* dicebam, communiter pro termino intellectionis, quatenus eſt contemplatio. Sententia verò, quæ docet, intellectionem, non in actione vitali, ſed in termino prædictæ actionis conſiſtere, loquitur de termino vitali ab intrinſeco conueniente, & per intellectionem, vt eſt dictio, producto: vnde ex iſta ſententia, & ſententia Thomiſtarum non colligitur, poſſe Dei eſſentiam vniri intellectui creato ſub conceptu intellectionis.

123 *Replicabis.* Oppones: in hoc, quod diuina eſſentia ſit vitalis per modum termini reſpectu intellectus creati, nulla implicatio inuenitur: ergo ſi intellectio, non in actione vitali, ſed in termino vitali prædictæ actionis conſiſtit, non implicat, intellectionem diuinam vniri intellectui creato ſub conceptu intellectionis, ipſumq; conſtituere intelligentem. Probatur antecedens; vt intellectio diuina comparetur ad intellectum creatum, vt terminatiuè vitalis, ſeu vt vitalis per modum termini, non requiritur, quod ſit ab intellectu creato, ab illoq; dependeat ſecundum ſuam entitatem, ſed ſufficit, quod ab illo ſit, dependeat, & producatur ſub conceptu terminationis; ſed in hoc, quod Dei eſſentia, vel intellectio ſit ab intellectu creato, & ab illo producatur ſub conceptu terminationis, nulla implicatio importatur: ergo nec in eo quod reſpectu intellectus creati ſit terminatiuè vitalis. Maior videtur certa; non enim redditur ratio, cur ad vitalitatem termini maior dependentia exigatur.

124 *Minor oſtenditur 1.* Minor autem oſtenditur primo: non eſt minor imperfectio defectibilitas alicuius entitatis, quam dependentia à creatura in genere cauſæ efficientis: ſed defectibilitas formalitatis diuinæ ſub conceptu terminationis cum indefectibilitate ſub conceptu entitatis nullam infert imperfectionem in Deo; actus enim liber Dei conſiſtit in actu neceſſario, vt libere terminato, & defectibili ſub cõceptu terminationis: indefectibili verò ſub conceptu entitatis, & perfectionis, vt docuimus *Tract. de Voluntate.* ergo pariter dependentia entitatis diuinæ, illiuſque productio à cauſa creata, non ſub conceptu entitatis, ſed ſub conceptu tantum terminationis, non eſt imperfectio in Deo; & conſequenter non implicat intellectionem diuinam ab intellectu creato dependere, atque produci ſub conceptu tantum terminationis, nam, ſi implicaret, eſſet ex capite imperfectionis, quam induceret in Deo.

125 *Secundò.* Secundo probatur: non minor imperfectio eſt temporalis inceptio, quam temporalis à creatura productio; ſed diuinam ſubſiſtentiam incipere temporaliter ſub conceptu terminationis, imperfectionem non dicit, nec vllam implicationem: de facto namque in tempore incæpit ſub conceptu terminantis naturam creatam, ipſamq; perſonatam conſtituentis: ergo pariter, quod aliqua diuina perfectio à creatura producatur, non ſub conceptu entitatis, ſed ſub conceptu terminationis, non dicit imperfectionem; & conſequenter non implicat.

Denique probatur minor ex Myſterio Incarnationis: nam perſonalitas Verbi de facto producta fuit ſub conceptu perſonantis, & terminantis naturam: ergo in productione, & dependentia à creatura ſub conceptu terminationis, nulla imperfectio Deo repugnans importatur; & conſequenter non implicat. Antecedens oſtenditur primo: in tempore factum fuit vt Verbum fieret homo; ſed Verbum eſſe hominem eſt eſſe terminantem humanitatem, in illaque ſubſiſtentem ergo Verbum terminare humanitatem, atque ſubſiſtere in illa, fuit verè in tempore factum; & conſequenter Verbum, vt terminans humanitatem fuit in tempore productum. Secundo: quod de nouo incipit eſſe, ab aliqua cauſa producitur; ſed Verbum terminare humanitatem de nouo in tempore incæpit: ergo Verbum vt humanitatem terminans, fuit per aliquam actionem productum. *Denique probatur minor. Antecedens oſtenditur 1. Secundò.*

126 *Reſpondes.* Reſpondeo, negando antecedens: ad illius probationem, nego ſuppoſitum, quod ſcilicet, poſſit formalitas diuina produci ſub conceptu terminationis, ſeu in ratione termini, non producta ſub ratione entitatis, ſeu entitatiuè. Ratio autem huius impoſſibilitatis eſt, nam produci eſt fieri: fieri autem ordinatur ad eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ formaliter: ac proinde non ſtat, aliquid de nouo produci, niſi entitas producatur. Et quidem non alia ratione poſſumus à Deo rationem mutabilitatis excludere, etiam ſi de nouo poſſit denominationem terminantis ſuſcipere, & de non terminante in terminantem terminatione intrinſeca tranſire, niſi quia mutatio diffinitur per hoc, quod ſit tranſitus de non eſſe ad eſſe, ex quo ad mutationem non ſufficere nouitatem denominatiuam, ſeu terminatiuam ſed requiri entitatiuam nouitatem inferimus. Cum ergo fieri ſit recipere eſſe, & ſic diffiniatur, rectè inferimus, non poſſe aliquid terminare factionem, vel productionem, eſſeque productum, & factum, niſi entitatiuè producatur; & fiat.

127 *Ad duas probationes minoris reſp.* Et ex his ad duas probationes minoris conſtat ſolutio: nam defectibilitas, & nouitas inceptionis abſtrahunt à defectibilitate, & nouitate entitatiua, & à denominatiua, & terminatiua: Prima imperfectionem dicit; ſecus verò ſecunda: & ideo hanc ſecundam diuinis formalitatibus damus; ſecus verò factibilitatem, & producibilitatem ratione iam aſſignata.

128 *Ad tertiã maioris probationem.* Ad tertiam maioris probationem, nego antecedens: ad primam probationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam; nam, vt fiat concretum, non eſt neceſſarium, fieri omnia, ex quibus coaleſcit, ſed ſufficit, aliquod illorum fieri, vel ſaltem illorum vnio, vt conſtat in homine hominem generante; & tamen nec materiam, nec formam producente, ſed tantum illarum nexum: vnde, ſi in tempore fieret, quod Verbum eſſet homo, non eſt neceſſarium, quod Verbum fieret, nec ſecundum entitatem, nec ſecundum quod terminat humanitatem pro recto huius terminationis, ſed ſufficit, quod humanitas fuerit in tempore facta, & temporaliter ſubſiſtentiæ Verbi vnita.

129 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam probationem, diſtinguo maiorem: ſi ſit inceptio de nouo nouitate entitatiua, concedo maiorem: ſi ſit inceptio de nouo nouitate tantum denominatiua, aut terminatiua, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam inceptio terminandi in Verbo, non eſt ſub aliqua ratione entitatis, ſed tantum ſub conceptu terminantis; vt autem ſit incæperit, neceſſaria non fuit productio terminata ad Verbum, ſed ſufficit productio terminata ad extremum terminandum.

130 *Replicabis.* Sed dices: ſententia eſt probabilis, animam ſe ipſa abſque modo ſuperaddito vniri materiæ, iuxta quam, anima, vt vnita, producitur; & tamen nihil entitatis producitur: ergo non eſt de ratione productionis terminari ad entitatem, ſed poteſt dari productio ſine entitate producta, per ſolam productionem alicuius exercitij.

131 *Reſpondeo.* Reſpondeo in illa ſententia actionem generatiuam hominis, non eſſe productiuam extremorum, nec ſecundum entitatem, nec ſecundum denominationem, vel vnionem, vel terminationem, ſed vnitiuam illorum, & generatiuam totius. Inquiunt enim præfatæ ſententiæ Auctores de ratione actionis productiuæ totius, non eſſe, aliquam eius partem, nec aliquid partium producere, ſed poſſe actionem tantum vnitiuam partium, totius eſſe productiuam.

132 Denique arguitur: non implicat, intellectum diuinum intelligere per intellectionem creatam: ergo pariter

non

non implicat, intellectum Chriſti creatum conſtitui intelligentem, per diuinam, & increatam intellectionem. *Denique argumentum contrarij Auctoris.* Conſequentia videtur bona: tùm à paritate rationis. Tùm etiam; nam intellectio creata eſt actus naturæ creatæ intellectualis à Dei natura diſtinctæ; & tamen Deus per illam intelligit, qui eſt longè diuerſiſſimæ naturæ; ergo actus vnius naturæ proprius poteſt alteri communicari; & conſequenter poterit actus intelligendi proprius diuinæ naturæ, ſubiecto alterius naturæ conuenire, & Chriſtus, quatenus homo, per illum poterit intelligere. Antecedens autem probatur: nam actus intelligendi creatus procedit à Deo effectiuè, poteſtque immediatè Deo vniri, & per diuinam ſubſiſtentiam terminari; ſed talis actus, ſic vnitus, Deum intelligentem conſtitueret: ergo poteſt de potentia abſoluta Deus intelligere per intellectionem creatam. Probatur minor, nam actus ſic Deo vnitus conueniret illi à ſe, per quod actus vitalis à non vitali diſtinguitur: ergo conſtitueret Deum viuentem vita intellectuali; & conſequenter ipſum intelligentem conſtitueret.

133 *Reſpondebunt aliqui, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam.* Forſan non deerunt, qui, antecedenti conceſſo, negent conſequentiam, contenti ſola ratione diſcriminis inſinuata in argumento; quia nempè de ratione actionis intellectiuæ ſit ab intelligente procedere, illique à ſe conuenire, vtpotè, cum actio vitalis ſit, de cuius conceptu eſt conuenire viuenti ab intrinſeco, per quod actus vitalis à non vitali diſtinguitur. Et quia intellectioni diuinæ repugnat procedere ab intellectu creato intellectioni verò creatæ non repugnat procedere, à Deo, imò dependere ab ipſo eſt intellectioni creatæ eſſentiale; ſit conſequens, vt poſſit intellectus diuinus intelligere per intellectionem creatam; intellectus autem creatus non poſſit intelligere per intellectionem diuinam.

134 *Traditur ſolutio diſpliceat 1. S. Thom.* Mihi tamen, quem non doctrinæ nouitas, ſed veritas ſemper allicit, hæc ſolutio placere minimè poteſt. Primo, nam D. Tho. *in hac q. art. 1. ſolut. ad 1.* inde probat, non poſſe intelligere diuinum animam Chriſti intelligentem conſtituere. *Quia eſt actus alterius naturæ*: ergo ſentit, implicare, actum vnius naturæ proprium alteri communicari; & conſequenter intellectio creata, quæ eſt actus naturæ creatæ intellectualis, non poteſt Deum conſtituere intelligentem. Præterea: nam de ratione

135 *Secundò.* actus intelligendi eſt ab intelligente procedere, impſumque actuare, & in linea intellectiua complere; ſed, quamuis intellectio creata ſit per efficientiam à Deo, vtpotè, effectus illius vt primæ cauſæ efficientis; Deum tamen actuare non poteſt, nec ipſum complere, cum incompletio, & potentialitas, Dei perfectioni, & ſummæ actualitati repugnent: ergo implicat, Deum per intellectionem creatam intelligentem conſtitui.

136 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & vrgetur primò: quia namque ſubſiſtentia complet naturam ad exiſtendum, implicat, naturam diuinam ſubſiſtere per ſubſiſtentiam creatam; ſed intellectio complet intelligentem per ipſam in linea actiua intelligendi: ergo implicat, Deum intelligentem conſtitui per intellectionem creatam. *Secundò.* Confirmatur, & vrgetur ſecundo: implicat, Deum per intellectum creatum conſtitui intelligentem per modum actus primi; & hoc non alia ratione, niſi quia omninò repugnat ſummæ actualitati diuinæ actuari per actualitatem realitèr à ſe diſtinctam, ſed actualis intellectio eſt vltima intelligentis actualitas: ergo repugnat ſummæ Dei actualitati, quod conſtituatur in actu ſecundo intelligens per intellectionem creatam.

137 *Tertiò.* Deindè: nam licet ſit creatæ intellectioni eſſentiale, eſſe à Deo per modum effectus: ſicut eſt de eſſentia cuiuſuis entis creati à Deo, vt à prima cauſa dependere; non tamen eſt illi eſſentiale, eſſe à Deo per modum actus ſecundi vitalis; ſed de ratione intellectionis eſt hoc ſecundo modo procedere ab intelligente per ipſam: ergo ex dependentia à Deo conueniente intellectioni creatæ, perperam infertur, poſſe intellectum diuinum intelligentem conſtitui per intellectionem creatã, quamuis intellectus animæ Chriſti non poſſit conſtitui intelligens per diuinam intellectionem. Conſequentia tenet, minor eſt certa: nam de ratione intellectionis eſt, quod ſit vita actualis intelligentem conſtituens viuentem in actu ſecũdo; de ratione autem actus conſtituentis in actu ſecundo viuentem eſt à viuente procedere per modũ operationis, & actus ſecundi vitæ. Maior autem probatur: ſi namque eſſet eſſentiale intellectioni creatæ eſſe à Deo per modum actus ſecundi vitalis, de facto Deus mea intellectione viueret, & per illam de facto intelligeret, cum ea, quæ alicui ſunt eſſentialia, ſemper, & in omni ſtatu conueniant: conſequens abſurdum eſt, nec ab aliquo hucuſque ſomniatum: ergo non eſt intellectioni creatæ eſſentiale, à Deo procedere per modum operationis, & actus ſecundi vitæ.

138 *Reſpondebis.* Reſpondebis, ad rationem viuentis præter egreſſum ab agente, requiri immanentiam actus: & quia intellectio mea, tametſi egrediatur à Deo, non tamen illo manet, ſit, vt Deus per illam non viuat, nec intelligens conſtituatur. Si tamen hæc intellectio Deo hypoſtaticè vniatur, ab illoque aſſumatur ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Diuina, cum ex vna parte egrediatur à Deo, & ex alia coniungatur cum ipſo, conuenit Deo à ſe, in quo viuere conſiſtit, ac proinde viuit per illam vita ſpeciali, ſcilicet, intellectiua, & ex conſequenti intelligit.

139 *Sed contra 1.* Sed contra primo: non enim ſtat, actum à Deo procedere per modum operationis, & Deum per illum non conſtitui operantem: ergo non ſtat, actum vitalem eſſe à Deo per modum actus, & operationis vitalis, & ipſum non conſtituere vitalitèr operantem; & conſequentèr viuentem, ac proinde, ſi mea intellectio eſt à Deo per modum operationis, & actus ſecundi vitalis, neceſſario Deus conſtituitur viuens per illam. Cumque non viuat vita vt ſic, ſed vita ſpeciali, nempè, vita intellectiua, intellectualitèr viuit per illam; & conſequentèr per illam intelligit: vel ſi intelligens per illam non conſtituitur, ideo eſt, quia non procedit à Deo per modum actus ſecundi, & operationis vitalis. Cumque ex coniunctione cum Deo non varietur modus procedendi, nec ſic coniuncta procedit à Deo per modum operationis vitalis: ex quo vlterius ſit, vt, quamuis à Deo aſſumatur, eique hypoſtaticè vniatur, non conſtituat Deum viuentem, nec intelligentem.

140 *Secundò. S. Thom.* Contra ſecundò: vt enim *diſp. 18. § 8.* monſtrauimus, implicat, naturam accidentalem aſſumi à Deo, & illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere, & de Deo in concreto prædicari, eò quod, vt docet D. Thom. *in 3. ad Annibaldum diſt. 5. q. vnic. art. 1. ad 1. Accidens non poteſt addi, niſi per modum compoſitionis; cum eius eſſe ſit ineſſe.* Ergo intellectio creata non poteſt à Deo aſſumi, nec Dei ſubſiſtentia ſubſiſtere, nec de Deo in concreto prædicari.

141 *Nec refert ſi dicas. Nam reſpondeo.* Nec obſtat, quod poſſit accidens vniri cum diuina exiſtentia, & per illam exiſtere, vt monſtrauimus *diſp. alleg. § 11.* vt enim *in eadem diſp. n. 193.* docuimus, ex vnione cum diuina exiſtentia non diceretur aſſumptum à Deo, nec prædicari poſſet in abſtracto, nec in concreto de ipſo; & conſequenter, licet demus, poſſe intellectionem creatam per diuinam exiſtentiam exiſtere, non ſequitur, poſſe Deum intelligentem conſtitui per illam.

142 *Tertiò. Almain. Marſil. Gabriel. Medina. Valentia.* Contra tertiò: nam licet probabile ſit, poſſe naturam accidentalem aſſumi ad ſubſiſtendum per diuinam ſubſiſtentiam, quod docent Almainus, Marſilius, Gabriel, Medina, Valentia, & alij, quos *diſp. relata § 7. nu. 121.* allegauimus; nullus tamen ex his Auctoribus, nec alius, quem ego viderim docuit, poſſe accidens Deo vnitum de ipſo in concreto prædicari, ita vt albedine ſit albus, aut calore calidus conſtituatur. Ergo paritèr, quamuis demus, poſſe intellectionem creatam Deo hypoſtaticè vniri, & per Dei ſubſiſtentiam ſubſiſtere; admittendum tamen non eſt, poſſe de Deo in concreto prædicari, ipſumque intelligentem conſtituere.

143 *Denique.* Denique contra præfatam doctrinam objicio: ſi namque poſſet Deus ſibi vnire intellectionem creatam, & per illam intelligere, ſequeretur, poſſe etiam ſibi aſſumere actum liberum voluntatis creatæ, & per illum liberè velle; conſequens eſt falſum: ergo falſum etiã eſt, poſſe intellectum diuinum intelligere per intellectionem creatam. Sequela patet à paritate rationis: falſitas autem conſequentis probatur: ſi namque poſſet Deus per actum liberum voluntatis creatæ liberè velle, poſſet per talem actum nobis mereri, & pro nobis ſatisfacere ſatisfactione omnino condigna, & adæquante valorem ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ: conſequens eſt falſum; aliàs Incarnatio Verbi omnino neceſſaria non fuiſſet ad ſatisfaciendum perfectè pro peccato humani generis, contra communem PP. & Scholaſticorum ſententia, quos dedimus *diſp. 2. § 6.* ergo omnino implicat, Deum per actum liberum voluntatis creatæ liberè volentem conſtitui.

144 *Aſſumptũ probatur.* Quod autem ſequatur, probo: nam Chriſtus, vt ſubſiſtens in humanitate, idcirco nobis meruit, & pro nobis ſatisfecit, quia, vt in humanitate ſubſiſtens, obtulit Deo, vt ſubſiſtenti in diuinitate, actus in morali æſtimatione

ada-

adæquantes grauitatem offenſæ irrogatæ Deo; ſed, ſi Deus poſſet velle actu libero voluntatis creatæ, ſibi hypoſtaticè vnito poſſet in prædicto actu ſubſiſtens, illum Deo offerre, quatenus in ſe ſubſiſtenti, & in tali actu eſſet valor moralis adæquans, & excedens grauitatem offenſæ: ergo Deus vt liberè prædictum actum eliciens, & vt in illo ſubſiſtens, mereretur nobis remiſſionem offenſæ, & pro illa ſatisfaceret omnino perfectè, & condignè; ac proinde Incarnatio Verbi, aut alterius diuinæ perſonæ, nec ſtrictè; nec largè ſumpta pro aſſumptione naturæ ſubſtantialis creatæ; neceſſaria non fuiſſet ad ſatisfaciendum perfectè pro peccato humani generis.

145 *Vera ſolutio.* Vnde ad argumentum factum reſpondeo, negando antecedens: ad cuius probationem dicatur, actum creatum intelligendi procedere à Deo effectiuè, & per modum effectus; non autem egreſſiuè per modum actus vitalis: & hoc ſecundum neceſſarium erat, vt Deum intelligentem conſtitueret. Et in hoc ſenſu, admiſſa maiori pro prima parte, & prætermiſſa ſecunda parte maioris, quod, nempè, aſſumi poſſit ad diuinam ſubſiſtentiam, nego argumenti minorem. Ad illius probationem diſtinguo antecedens: conueniret Deo à ſe ſubiectiuè, egreſſiuè per modum operationis vitalis, nego antecedens conueniret Deo à ſe effectiuè, & per modum effectus, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam. Nec conuenientia quælibet *à ſe*, actum vitalem à non vitali diſtinguit, ſed talis modus conuenientiæ, videlicet, ſubiectiuè, & egreſſiuè, per modum operationis. Licet autem in ſententia prætermiſſa intellectio creata conueniret Deo veluti ſuppoſitaliter; non tamen conueniret ipſi ſubiectiuè. Et licet eſſet à Deo, non eſſet ab ipſo egreſſiuè per modum actus vitalis, ſed purè effectiuè: ſicut generaliter omnis entitas creata eſt à Deo, ſcilicet, vt à cauſa prima efficiente; & ideo non conueniret vitaliter, nec Deum ſubſiſtentem in illa, viuentem, & intelligentem conſtitueret.

146 *Replicabis.* Sed dices: intellectio ſic vnita daret Deo aliquam denominationem; ſed non daret denominationem omni accidenti communem, ſed ſibi propriam: ergo denominaret Deum intelligentem; & conſequenter ipſum intelligentem conſtitueret. Reſpondeo, negando conſequentiam:
Reſpondeo. ſicut enim albedo Deo in ſubſiſtentia vnita non præberet Deo denominationem albi, etſi aliquam propriam denominationem Deo ſic vnita præſtaret, ſed denominationem ſubſiſtentis in albedine, & habentis albedinem per ſubſiſtentiam in illa; ita intellectio creata Deo hypoſtaticè vnita, non denominaret Deum intelligentem, nec ipſum intelligentem conſtitueret, ſed denominaret Deum habentem intellectionem, illamque ſuſtentantem, non ſubiectiuè, ſed ſuppoſitaliter, vel ſubſiſtentialiter: quæ denominatio non eſt omni accidenti communis, ſed intellectioni propria.

147 *Inſtabis primò.* Sed inſtabis primo: album enim diffinitur per *habens albedinem*: ergo habens albedinem eſt album; diffinitio enim, & diffinitum conuertuntur, & conſequenter habens in ſe intellectionem erit intelligens: ex quo vlterius fit, quod ſi Deus aſſumendo ad ſe intellectionem creatam denominatur ab illa, habens intellectionem, denominetur etiam intelligens, & per illam intelligens conſtituatur.

148 *Secundò.* Secundò: Verbum namque ſubſiſtens in humanitate; denominatur, non ſolum habens humanitatem, ſed etiam denominatur homo, & per illam in eſſe hominis conſtituitur: ergo Deus aſſumens intellectionem creatam, & in illa ſubſiſtens, non ſolum denominaretur habens in ſe intellectionem, ſed etiam denominaretur, & eſſet intelligens, & in eſſe intelligentis per illam conſtitueretur.

149 *Tertiò.* Tertiò: vt enim *diſp.* 18 *nu.* 161. dicebamus, Verbum animæ rationali vnitum, licet non poſſit dici animatum concretiuè concretione ſubiectiua, eo quod per illam non informatur; poteſt tamen dici animatum concretiuè concretione ſuppoſitali, eo quod in anima rationali ſubſiſtit: ergo pariter, ſi Deus intellectionem creatam aſſumeret, & in illa ſubſiſteret, licet non poſſet dici intelligens concretiuè concretione ſubiectiua, ob defectum inhæſionis; poſſet tamen dici intelligens concretiuè concretione ſuppoſitali. Probatur conſequentia: dicitur enim Verbum, animatum concretiuè hoc genere concretionis, quia ſubſiſtit in anima rationali; ſed etiam in caſu admiſſo Deus in intellectione creata ſubſiſteret: ergo per illam conſtitueretur intelligens concretione ſuppoſitali, vel ſubſiſtentiali.

150 Reſpondeo ad primam replicam, diſtinguendo, vel explicando antecedens album eſt habens albedinem ſubiectiuè, & inhæſiuè, concedo antecedens: habens albedinem purè terminatiuè, nego antecedens, & diſtinguo conſequens per eandem diſtinctionem. Ex quo ſolum ſequitur, *Reſpondeo ad primã replicam.* habens in ſe intellectionem, vt ſubiectum inhæſionis, eſſe intelligens per illam; Deus autem, in ſententia prætermiſſa, quod, nempè, ſibi intellectionem aſſumeret, & quod in illa ſubſiſteret, non haberet in ſe intellectionem, vt ſubiectum inhæſionis, ſed ſolum per modum ſuppoſiti, & purè terminatiuè compararetur ad illam; & ideò, etſi denominaretur habens in ſe intellectionem; non tamen denominaretur intelligens, nec in eſſe intelligentis per illam conſtitueretur.

151 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem differentiæ ſumitur ex dictis *diſp.* 18. n. 129. quia, nempè, humanitas non informat ſubiectum, de quo in concreto prædicatur, ſed ad illud comparatur per modum formæ totius, de cuius conceptu non eſt informatio, vel inhæſio. Si namque humanitas phyſicè informaret ſubiectum, ſequeretur, materiam, ex qua humanitas componitur partialiter informare, quod omnino materiæ repugnat, vt omnibus eſt in confeſſo; ideoque, vt de Verbo prædicetur, eſſe hominem, ſufficit, quod habeat in ſe humanitatem abſque informatione, ab illa per ſolam terminationem; forma autem accidentalis; ac per conſequens intellectio non poteſt ſuum effectum formalem, niſi media inhæſione præſtare: & ideo, quamuis Deus in intellectione ſubſiſteret, & illam terminatiuè haberet, non poſſet intelligens dici, nec in eſſe intelligentis conſtitui.

152 *Ad tertiã.* Ad tertiam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; anima enim rationalis, quamuis non ſit forma totius ſed forma partialis ſit; quia tamen poteſt per ſe ſeparatas ſubſiſtere, & eſſe ſubiectum *quod* ſuarum operationum ab illis denominatum, ſequitur leges, & conditiones naturæ, quæ eſt forma totalis quantum ad hoc, quod eſt propriam denominationem ſine informatione præſtare, prædicarique in concreto de habente illam ſine informatione, ſed purè terminatiuè: vnde Verbo ſubſtantialiter vnita ſine conſortio materię, vt de facto manſit in triduo, præſtabat denominationē radicaliter intellectiui, & radicaliter volitiui, & mediante illa vt *quod*, prædictas operationes eliciebat, voleuſque, & intelligens denominabatur, non minus, quam toti humanitati vnitum. Intellectio autem; cum ſit forma accidentalis non poteſt immediatè propriam denominationem intelligentis præſtare, & proprium effectum præbere, niſi mediante inhæſione: & quia Deo inhærere non poteſt, fit conſequens, vt quamuis admittatur, poſſe ſubſiſtere in illa, non colligatur ex hoc poſſe per illam intelligentem conſtitui.

153 Et quidem, ſi accidens ratione vnionis cum ſubſiſtentia diuina præſtaret Deo proprium effectum formalem, ab albedine poſſet reddi albus, à quantitate quantus, & extenſus, quo nihil, abſurdius poteſt cogitari de Deo. Vnio ergo poſſibilis intellectionis creatę cum ſubſiſtentia diuina, non poteſt arguere poſſibilitatem in Deo intelligendi per illam. Cuius ratio eſt, quam ex D. Tho. aſſignauimus; quia, nempè, cum eſſe accidentis ſit in eſſe, non poteſt, niſi media inhærentia ſubiecto ſui immediato proprium effectum præbere.

154 *Si reſpondeatur.* Nec difficultas euaditur, ex eo quod Deus eſt in linea intellectuali, & ideo capax effectus intellectionis; non autem effectus albedinis, ſeu quantitatis, quæ petunt ſubiectum corporeum, & materiale in qua linea Deus non eſt. Non, inquam, euaditur difficultas ea hac ratione diſcriminis, Deus namq; eſt in linea intellectiua increatæ; *In contrarium obſtat.* non autem in linea creatæ intellectualitatis, ſed diſtans ab illa infinitè; ſubiectum autem intellectionis creatæ immediatum, creatum, & potentiale eſt: ergo ex conuenientia in linea intellectualitatis cum intellectione creata, non redditur capax ſuſcipiendi in ſe illius effectum formalem imo reſpectu increatæ intellectionis eſt incapax ex duplici capite, nempè, quia nequit eſſe ſubiectum inhæſionis illius, nec principium *à quo* egreſſionis per modum actus, & operationis vitalis; reſpectu autem accidentium non vitalium, ſolum ex vno capite eſt incapax, ſcilicet; quia ſubiectum inhæſionis illorum eſſe non poteſt ratione ſuæ immutabilitatis, & ſummæ actualitatis. Et quia non aliter poſſunt ſuum effectum formalem communicare, niſi mediante inhæſione, fit conſequens, vt in Deo capacitas non ſit ad effectus formales accidentium recipiendos quamuis illa poſſit aſſumere, & in ſubſiſtentia cum eis poſſit vniri.

§. VII.

§. VII.

Statuitur tertia concluſio.

155 *Tertia cõcluſio.* *Probatur.* D*Ato, non implicare contradictionem, quod intellectus creatus diuina intellectione ſit ſapiens, aſſerendum eſt, de facto intellectum animæ Chriſti per illam intellexiſſe.* De hac concluſione nihil apud Theologos inuenio. Sed meo iudicio colligitur ex communi illorum doctrina, nempè, Chriſto concedendum eſſe, quidquid dignitatis eſt, ſi in eo nulla repugnantia inuoluatur: quo circa duplicem ſanctitatem recognoſcunt in illo, ſubſtantialem, ſcilicet, à Deitate, & accidentalem à gratia habituali, quia in nulla illarum ſcotſim, nec in vtraque ſimul aliqua repugnantia inuenitur; ſed humanitatem Chriſti eſſe diuina intellectione ſibi vnita ſapientem, dignitatis maximæ eſt: ergo concesſo, nullam in hoc contradictionem inuolui, aſſerendum eſt de facto eueniſſe. Quo argumento præcedens concluſio à poſteriori efficaciter ſatis oſtenditur.

156 *Si reſpondeatur 1.* *In contrarium arguitur.* Si reſpondeatur primò: licet non ſit repugnantia in eo, quod Deum videat per viſionem increatam; repugnare tamen quod videat per viſionem creatam, & ſimul per increatam: cumque primum concedatur, negari debet ſecundum. In contrarium arguitur: nulla enim eſt repugnantia in eo, quod Chriſti humanitas duplici ſanctitate ſit ſancta, creata, ſcilicet, & increata: ergo in ſimultate creatæ, & increatæ intellectionis nulla repugnantia inuenitur, ſi ſemel admittitur non repugnans, quod increata intellectione ſit ſapiens. Ratio autem, cur repugnet ſimultanea terminatio creatæ, & increatæ ſubſiſtentiæ, alterius eſt loci. Videantur Theologi *ſup. quæſt.* 4. *art.* 2. vbi & Nos *diſp.* 19. fusè illam examinauimus.

157 *Si reſpondeatur 2.* Si dicatur ſecundò, non omnia non implicantia fuiſſe de facto humanitati Chriſti conceſſa; potuit enim habitualis gratia Chriſti eſſe maior, pluraque ex poſſibilibus cognoſcere, quam de facto cognouit, & tamen exceſſus iſti non repugnantes, non fuerunt de facto conceſſi Chriſti humanitati: ac proinde ex non repugnantia intelligendi per increatam intellectionem, non rectè à nobis inferri, de facto per illam intellexiſſe.

158 *In contrarium obſtat.* In contrarium ſic arguitur: nam doctrinæ ſolutionis ſolum eſt vera quando in eo, quod de facto conceditur, non eſt aſſignabilis terminus, vt contingit in exemplis adductis de gratia habituali, & de cognitione poſſibilium, cum enim ex vna parte gratia habitualis, & poſſibilium cognitio poſſint ſine termino augeri, & ex alia nec infinita gratia, nec infinita omnium poſſibilium cognitio de facto dabilis ſit, fit, vt non poſſit dari gratia habitualis, ita perfecta, qua maior eſſe non poſſit, nec ita perfecta poſſibilium cognitio, qua non ſit poſſibilis maior de potentia abſoluta: vnde, quæ de facto datur, ſunt metiendæ, & regulandæ voluntate diuinæ: et in noſtro caſu non ita contingit; nam dato, quod intellectus Chriſti creatus intelligat per intellectionem diuinam, non eſt dabilis maior, aut perfectior cognitio: ergo ratio facta in illa non militat; & conſequenter ſi ſemel aſſeratur poſſibile de potentia abſoluta, quod humanitas Chriſti per increatam intellectionem ſit ſapiens, aſſerendum eſt, de facto per illam intellexiſſe.

159 *Exempla adducta in contrarium retorquentur.* Imo exempla adducta in contrarium retorquere poſſumus: ſi namque poſſibilis eſſet gratia intenſa infinita de potentia abſoluta, de facto fuiſſet humanitati Chriſti conceſſa, vt cum frequentiori Theologorum ſententia docuimus *ſupra diſp.* 26. §. 1. & 2. & idem eſt de omnium poſſibilium cognitione iudicium, de qua *diſput.* 34. ergo pariter, ſi ſemel aſſeratur poſſibile, humanitatem Chriſti Deum videre per viſionem increatam, aſſerendum eſt, ita de facto euenisſe.

160 *Si reſpondeatur 3.* *In contrarium obſtat.* Si reſpondeatur tertio, idcirco negari de facto, quamuis contradictionem non implicet, quia quod Chriſti humanitas diuina intellectione ſit ſapiens, nihil ad finem redemptionis conducit; illi autem ſolum debemus concedere, quæ ad prædictum finem conducunt. In contrarium obſtat: non enim magis ad finem redemptionis conducit, quod Chriſti humanitas præter ſcientiam beatam, habeat ſcientiam per ſe infuſam, & præter iſtam ſcientiam per ſe acquiſibilem, quam quod per increatam ſcientiam, diuinam eſſentiam videat, & in illa etiam creaturas; & tamen, quia omnes illi modi cognoſcendi ſunt poſſibiles, & inter ſe compoſſibiles, omnes de facto conceduntur humanitati Chriſti: ergo, quidquid ſit de conducentia ad finem redemptionis, ſemel admiſſo, vt poſſibili, quod Chriſti humanitas intelligat per ſapientiam increatam, & compoſſibili cum alijs, cognitionibus, quas Chriſtus habuit de facto, aſſerendum eſt, fuiſſe ſapientem per diuinam cognitionem.

161 *Reſpondebis.* Dices, tres illos cognitionis modos eſſe debitos intellectui creato, & idcirco concedendos eſſe humanitati Chriſti, ſuppoſita vnione ad Verbum, ne imperfecta relinquatur; eſſe autem per increatam cognitionem ſapientem, etſi intellectui creato non repugnet; illi tamen non debetur: vnde nec eſt neceſſum, quod humanitati Verbo vnitæ concedatur.

162 *Sed contra.* Sed contra: nam doctrina ſolutionis, vel procedit de debito antecedente vnionem humanitatis ad Verbum, vel de debito ad vnionem hanc ſubſequuto. Si primum aſſeratur, falſum eſt, tres illos modos cognitionis deberi intellectui creato; cum enim duo ex illis ſupernaturales ſint, ac proinde ſupra potentiam naturalem intellectus creati, & ſolum iuxta illius capacitatem obedientialem, non poſſunt intellectui creato deberi debito ex natura rei, & antecedente vnionem; dona enim ſupernaturalia, tametſi non ſint ſupra capacitatem naturæ, ſunt tamen ſupra omne naturæ debitum. Si ſecundum aſſeratur, petitur manifeſtè principium; intellectus namque creatus præcedenter ad vnionem ad Verbum eſt in potentia obedientiali, non ſolum ad cognitionem ſupernaturalem creatam, ſed etiam ad increatam, ſuppoſito, quod non implicet intelligere per illam, neutraque illi debetur: ergo non eſt ratio aliqua, cur, vnione humanitatis ad Verbum ſuppoſita, cognitio omnis ſupernaturalis creata fiat debita, & increata cognitio illi debita non ſit: ac proindè diſparitas tradita, nequit ſubſiſtere.

163 *Reſpondebis 1.* Reſpondebis primò, ſcientiam per ſe infuſam, & ſcientiam beatam, etſi naturæ ſecundum ſe non debeantur, deberi tamen naturæ aſſumptæ ratione ſtatus, ſcilicet, Redemptoris; & idcirco, non poſſe humanitati Chriſti negari; ſcientiam autem increatam, nec naturæ ſecundum ſe, nec ratione dicti ſtatus debitam eſſe: & ideo, quamuis non repugnet humanitati Chriſti eſſe ſapientem per illam, non fuit de facto conceſſe.

164 *Secundò.* Vel ſecundo reſpondebis, modos illos ſupernaturales cognitionis creatæ, etſi naturæ ſecundum ſe non debeantur; deberi tamen illi, vt ad ordinem gratiæ eleuatæ. Omne autem, quod eſt debitum, vel naturæ, vel gratiæ, fuit conceſſum, debuitque humanitati Chriſti concedi. Cæterum ſcientia increata, nec naturæ nudè ſumptæ, nec ordini gratiæ deberi: & idcirco, tametſi non repugnet de potentia abſoluta humanitati, nulla eſt cauſa, cur dicatur, de facto per illam intellexiſſe.

165 *Denique reſpondebis.* Vel denique reſpondebis, illud inter ſcientias illas ſupernaturales creatas, & ſcientiam increatam conſtituendo diſcrimen, nimirum, quod cognitio creata, quamuis ſit ſupernaturalis, poteſt eſſe connaturalis ex aliqua ſuppoſitione naturæ creatæ; ſecus verò ſcientia increata. Humanitati autem Chriſti, etiam ex vnione ad Verbum, non debetur operatio, cum quæ non poteſt operari connaturaliter, ſaltim ex ſuppoſitione; & ideo quamuis non implicet, eſſe ſapientem per intellectionem increatam, non eſt cur dicamus, de facto ita contigiſſe.

166 *Prima ſolutio rejicitur.* Sed nulla ex his ſolutionibus eleuat argumenti facti vires. Non primæ: nam quod ſcientia per ſe infuſa debeatur humanitati Chriſti ob ſtatum Redemptoris, ſuppoſita ſcientia beata, non aliunde poteſt ſuaderi, niſi quia illi ob prædictum ſtatum debetur, non ſolum omnis obiecti cognitio, ſed etiam omnis modus cognitionis poſſibilis, at hæc ratio pari efficacia militat de ſcientia increata, poſſibilitate facti ſuppoſita, vt conſideranti facillimè negotio conſtabit: ergo etiam iſtius modi cognitio obiectorum debetur humanitati Chriſti ratione ſtatus, & muneris Redemptoris, ſuppoſito, quod non implicet, intelligere per illam.

167 *Secunda impugnatur.* Nec ſecundæ: nam illud debitum, vel eſt reſpectu ordinis gratiæ, vt in pura creatura exiſtentis, vel vt exiſtentis in homine Deo: primum eſt falſum: ſecundum eſt petitio principij: ergo ſolutio eſt omnino inſufficiens. Minorem pro prima parte probo: nam ſcientia per ſe infuſa eſt cognitio euidens omnis entis creati extra Verbum, vel

habitus in huiuſmodi cognitionem inclinans, ſed hæc ſcientia non debetur gratiæ, vt in pura creatura, cum cognitio certa cogitationum cordis, & futurorum contingentium extra Verbum, nulli creaturæ debeatur: ergo ſcientia per ſe infuſa debita humanitati Chriſti non debentur gratiæ, vt in pura creatura exiſtentis. Pro ſecunda parte probatur: præcedenter namque ad vnionem ad Verbum, tam ad cognitionem rerum per intellectionem increatam, quam ad ſcientiam per ſe infuſam eſt in potentia obedientiali natura creata ad ordinem gratiæ euecta, & tam vna, quam altera eſt ſupra debitum, non ſolum naturæ, ſed gratiæ: ergo non poteſt aliqua ratio aſſignari, cur, vnione ad Verbum ſuppoſita, & gratiæ, vt in homine Deo, vna, & non altera cognitio debeatur.

Denique tertia ſolutio reijcitur: data namque non repugnantia de potentia abſoluta intelligendi intellectum creatum per intellectionem increatam: nulla eſt aſſignabilis ratio, cur vnio prædictæ intellectionis ad creatum intellectum, non ſit factibilis connaturalis ipſi per aliquod donum creatum: ergo non eſt, cur non ſit debita humanitati Chriſti.

168 *Tertia.* Probatur antecedens: ſi namque aliqua ratio poſſet aſſignari, maximè, quia ſpectat ad ordinem increatum: at hæc ratio eſt nulla: ergo. Probo minorem: diuina eſſentia, vt ſpecies, etiam eſt quid increatum; & tamen vnio illius per modum speciei eſt connaturalis intellectui lumine gloriæ perfuſo: ergo ratio illa non probat.

169 *Confirmatur.* Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum; Etenim contrarij Auctores ab exemplo vnionis diuinæ eſſentiæ per modum ſpeciei potiſſimè probant poſſibilitatem vnionis eiuſdem diuinæ eſſentię cum intellectu creato ſub conceptu intellectionis; ſed argumentum hoc, ſi quid probat, conuincit, nedum poſſibilitatem dictæ vnionis, ſed etiam poſſibilitatem connaturalitatis illius; cum in exemplo adducto vtrumque coniungatur: ergo ex defectu connaturalitatis vnionis diuinę intellectionis cum intellectu creato, non rectè probatur, non fuiſſe de facto humanitati Chriſti conceſſum, illius poſſibilitate ſuppoſita.

170 *Difficultas emergens.* Ex his ſoluta manent, quę contra Noſtram concluſionem poſſunt opponi. Solum videtur obſtare: nam ex illa ſequitur, non eſſe improbabile, humanitatem Chriſti de facto diuina intellectione eſſe ſapientem: conſequens eſt falſum, & contra omnium Theologorum ſententiam, aſſerentem, eſſe ad minus temerarium: ergo. Probatur ſequela: etenim in noſtra ſententia, ſi non implicat contradictionem, ita contigit de facto; ſed non eſt improbabile, quod contradictionem non implicet: ergo nec eſt improbabile, ita de facto euenisse. Probatur minor: non eſt euidens prędicta implicatio, nec certa certitudine fidei; ſed ſola euidentia implicationis, aut illius certitudo poteſt probabilitati non implicationis obſtare: ergo non eſt improbabile, quod contradictionem non implicet.

171 *Reſpõdeo primo. ſecundò.* Reſpondeo, negando ſequelam: ad illius probationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad probationem, nego maiorem; implicatio namque intelligendi creatum intellectum per increatam intellectionem euidenter demonſtratur ex diffinitione vitæ. Vel ſecundo reſpondetur ad antecedentis probationem, conceſſa maiori, negando minorem: ad cuius probationem, permiſſo antecedenti quoad vtramque partem, nego conſequentiam; quia probabilitatem alicuius propoſitionis, non ſolum excludunt euidentia, & certitudo fidei, ſed etiam certitudo, fidei certitudine inferior. Et quidem propoſitio temeraria non poteſt probabiliter defendi; & tamen illius contradictoria non eſt certa certitudine fidei, aliàs eſſet hæretica, ſed certitudine multo inferiori. Licet autem implicatio, de qua loquimur, demus euidentem non eſſe, nec de fide ſit, vtpotè nullibi diffinita; eſt tamen certa, quia deducitur ex eo quòd de facto per ſcientiam increatam anima Chriſti non cognouerit: ex quo, adiuncto alio principio, quod commune eſt apud Theologos, nimirum Chriſto eſſe concedendam omnem perfectionem poſſibilem, & cum Myſterio Incarnationis, & illius fine compoſſibilem, per euidentem conſequentiam deducitur, implicare contradictionem, quod per increatam cognitionem ſit ſapiens, cum aliàs fini Incarnationis non obſit;

---

§. VIII.

Statuitur quarta concluſio.

172 *Quarta concluſio* VLTIMA CONCLVSIO SIT. *De facto humanitas Chriſti fuit ſapiens per ſapientiam creatam, eſtque ſapiens per illam, quamuis intellexiſſet per intellectionem* [illegible]

Prima concluſionis pars probatur ab aliquibus teſtimonijs Scripturæ *Ioan. c. 8.* *Ioa. c. 13.* *Mat. c. 22.* *Ad Heb. c. 5.* *Matth. c. 26. & 8.* Prima pars concluſionis eſt certa ſecundum fidem in communi Theologorum ſententia. Eam probant aliqui, teſtimonijs Scripturæ, Ioannis cap. 8. *Scio eum, & ſermonem eius ſeruo.* Ioannis cap. 13. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius.* Matthęi cap. 22. *Cognita Ieſus nequitia eorum.* Ad Hebræos cap. 5. *Didicit ex iis, quæ paſſus eſt obedientiam.* Matthæi cap. 26. *Triſtis eſt anima mea.* Et Matthæi cap. 8. dicitur, Ieſum fuiſſe miratum. Et Ioannis 11. dicitur primum oraſſe.

173 *Senſus prædictorum teſtimoniorũ proponitur.* In quibus teſtimonijs fieri ſermonem de Chriſto, vt homine, conſtat primò: quia, vt homo, mandata ſeruabat; de eodem autem ſciuiſſe dicitur, de quo mandata ſeruaſſe. Secundo: nam admiratio, & oratio, quę ſunt actus intellectus, non poſſunt Chriſto, vt Deo conuenire: diſcere etiam Chriſto ratione diuinitatis repugnat; ſed non poſſunt prædicta teſtimonia explicari de cognitione increata: tum, quia humanitatem intelligere per illam repugnat. Tùm etiã, quia diſcere denotat experimentalem cognitionem, id eſt, per experientiam acquiſitam; ſic autem acquirit, diuinæ cognitioni repugnat. Tùm tertio, quia oratio eſt actus liber intellectus; implicat autem omnino, per actum increatum libera intelligere humanitatem. Tùm denique nam admiratio eſt cognitio effectus, non cognita cauſa; cognitio autem increata ad effectum præciſiuè à cauſa terminari non poteſt. Ergo de fide eſt ex prędictis teſtimonijs, Chriſtũ, vt hominem, habuiſſe, intellectionem creatam.

174 Cęterum ex his teſtimonijs non probatur, noſtram concluſionem eſſe de fide immediatè, imo nec ſuadetur, eſſe concluſionem Theologicam, niſi euidentes ſit demonſtrabile, non poſſe humanitatem Chriſti ſapientem eſſe per intellectionem increatam. Primum patet: nam teſtimonia allegata ſufficienter explicantur de diuina intellectione vnita humanitati Chriſti illamque ſapientem conſtituente, ſi hæc vnio non repugnet: ergo, vt ex illis colligatur intellectio creata in humanitate Chriſti, aſſumenda eſt pro minori repugnantia talis vnionis. Sed veritas, quę per diſcurſum deducitur ex vna de fide, & alia, quę de fide non eſt, non eſt de fide immediatè: ergo ex illis teſtimonijs nõ probatur, noſtram concluſionem eſſe immediate de fide. *Regreſsum.*

175 Secundum etiam non minus apertum videtur. Nam vt propoſitio aliqua ſit Theologica concluſio, propoſitio, ex quam ſimul cum veritate fidei deducitur, debet eſſe, aut per ſe nota, aut euidenter demonſtrabilis; ſed veritas noſtræ concluſionis non habetur ex prędictis teſtimonijs, niſi adiuncta pro minori repugnantia intelligendi humanitatem Chriſti per diuinam intellectionem: ergo, niſi hęc repugnantia aut per ſe nota, aut demonſtrabilis ſit, non perſuadetur ex illis, eſſe concluſionem Theologicã, ſed ad ſummũ erit concluſio ſemitheologica, eo quod repugnãtia prędicta efficaci argumento, & difficilem habente ſolutionem monſtratur. Si verò repugnantia illa habetur pro demõſtrabili, ex illa, & prędictis teſtimonijs, rectè infertur noſtra concluſio, tanquã de fide mediatè & Theologica cõcluſio.

176 *Reſpondebis.* Dices: etſi hæc vera ſint, quod attinet ad tria priora teſtimonia; cætera verò non poſſe de intellectione increata explicari, quia quamuis demus, non repugnare, quod humanitas per intellectionem increatam intelligat; repugnat tamen, quod per illam diſcat, cum repugnet increatæ intellectioni per experientiam acquiri: repugnat etiam, per intellectionem increatam mirari, cum ad hoc requiratur cognitio effectus ſine cauſa cognita, quæ præciſio intellectioni diuinæ, etiam humanitati vnitæ repugnat. Nec etiam potuit per increatam intellectionem orare, cum oratio ſit actus liber, & liberè per increatum actum humanitatem operari, eſt omninò implicatorium. Vndè Illuſtriſſimus Aranio, et ſi cętera teſtimonia, vt parum efficacia reijciat; quartum tamen, in quo aſſeritur, Chriſtum per experientiam didiciſſe, ſufficiens reputat ad ſuadendum noſtram concluſionem eſſe de fide immediatè. Alij autem, etſi tribus primis teſti-

teſtimonijs non fidant; cæteris tamen ob rationes inſinuatas, ſufficienter noſtram concluſionem, vt de fide ſuaderi, defendunt.

177 *Contra 1.* Sed contra primò: nam eſto ita ſit, quod ſuppoſita non repugnantia intelligendi humanitatem Chriſti per diuinam intellectionem; adhuc tamen repugnet per intellectionem diuinam diſcere, mirari, & orare, nihilominus noſtra concluſio non deducitur ex prædictis teſtimonijs, niſi pro minori repugnantia iſta ſubſumpta: at veritas ſic ex teſtimonijs fidei deducta, de fide immediatè non eſt: ergo, adhuc tota doctrina ſolutionis admiſſa, non rectè præfati Auctores deducunt, noſtram concluſionem eſſe immediatè de fide.

178 *Confirmatur.* Quod amplius confirmo ad hominem contra allegatum Mag. qui ex eo ducitur vt aſſerat, ex illis teſtimonijs, in quibus Chriſto admiratio, oratio, & triſtitia attribuuntur, non deduci, noſtram concluſionem eſſe de fide, quia licet certum ſit, illos actus ad potentiam cognoſcitiuam, aut appetitiuã pertinere; id tamen, non fidei, ſed ſolius philoſophiæ, aut alterius naturalis luminis certitudine certũ eſt; ſed Chriſtum, vt hominẽ per increatum intellectionis actũ non potuiſſe addiſcere non eſt fidei certitudine certũ, ſed vel philoſophiç, vel alterius luminis naturalis certitudine gaudet: ergo, ſi illius argumẽtũ eſt efficax; nec ex teſtimonio prędicto noſtra veritas, vt immediatè de fide deducitur.

179 *Contra 2.* Secundo: nam dato, non repugnare, quòd humanitas per intellectionem increatam intelligat, non eſt cur repugnet per illam addiſcere; ad hoc enim ſufficit, de nouo ad obiecta per ſenſum cognita terminari: quæ noua, & temporalis terminatio, etſi cognitioni diuinæ, vt Deum conſtituit ſapientem, repugnet, non eſt cur eidem cognitioni, vt humanitatem conſtituit intelligentem, non poſſit conuenire ſicut de facto in tempore incepiſſet humanitati vniri, illamque ſapientem reddere.

180 *Tertio.* Deinde non eſt vnde, eadem ſuppoſitione facta repugnantia oſtendatur, vt per diuinam intellectionem ad effectum terminaretur ſine cauſæ cognitione, in quo admiratio conſiſtit: vel admirationem ſupponitur; cum enim diuina cognitione non cognoſceret humanitas omnia obiecta cognoſcibilia, vt *ſuperius* dicebamus: cur ſicut vnita fuiſſet inadæquatè, & non comprehenſiuè, non potuiſſet taliter vniri, quod effectum intelligeret, & non extenderetur ad cauſam?

181 *Vltimo.* Deniq; eadem facta ſuppoſitione, non poteſt repugnãtia dari vt liberè intelligat per diuina intellectionem; vt enim arguebamus *ſupra*, ſi vitalitas non obſtat, vt diuina intellectio naturæ creatæ vniatur, nec libertas poteſt obſtare: ergo, data nõ repugnantia intelligẽdi humanitatẽ Chriſti per intellectionẽ increatam, ex nullo teſtimonio ex allegatis deducitur noſtra veritas, etiam vt Theologica concluſio.

182 *Corollarium contra Vazquez.* Et ex his obitèr infero contra Vazquium *in hac q. in Comment. art. 1.* non arguitur efficacitèr, vt noſtra concluſio immediatè de fide probetur, ex illis Conciliorum decretis, in quibus duplex in Chriſto affectus voluntatis adſtruitur: imo nec ex illis efficacitèr deducitur, eſſe concluſionem Theologicam, hoc eſt, de fide mediatè. *Probatur primum.* Primum patet: nam in decreta ſtatuente duplicem affectum voluntatis, non continetur expreſsè, nec immediatè duplex actus intellectus, ſed ad ſummum illatiuè, quatenus ex illo ſubſumpta dependentia affectus à cognitione, duplex cognitio colligitur; ſed vt ex illis teſtimonijs Conciliorum probaretur noſtra concluſio, vt immediatè de fide, deberet in illis exprimi, aut ſaltim immediatè implicitè contineri, & non ſolum per diſcurſum deduci: ergo ex prædictis teſtimonijs non probatur noſtram concluſionem eſſe immediatè de fide.

183 *Secundũ probatur.* Secundum probatur: non enim poteſt ex prædictis teſtimonijs noſtra ſententia inferri, vt concluſio Theologica niſi quia volitio, cognitionem ſupponit: at ex hoc principio, & ex duplici volitione non colligitur demonſtratiuè duplex cognitio creata vna, & altera increata: ergo ex illis teſtimonijs non probatur noſtram ſententiam eſſe concluſionem Theologicam. *Minor probatur 1.* Probo minorem primo; ſicut enim, vt voluntas amet, non eſt neceſſarium, quod eadem voluntas obiectum cognoſcat, ſed ſufficit, quod humanitas per intellectum, obiectum diligendum proponat: ita ſi quiſpiam pertinacitèr aſſereret, vt ſuppoſitum in duabus naturis ſubſiſtens per vnam ex illis vellet, ſufficere, quod per alteram obiectum amandum perciperet, licet falſum ſentiret; non tamen poſſet euidenter falſitatis conuinci; ſed niſi hoc euidenter oſtendatur impoſſibile, non poteſt ex illis principijs duplex cognitio in Chriſto demonſtratiuè deduci ergo.

184 *Secundò.* Secundò: nam licet nihil ſit volitum, quin præcognitum; ex hoc tamen non deducitur, ad duplicem volitionem, duplicem cognitionem requiri; poteſt enim vna, & eadem cognitio plures regulare volitiones, ergo, ſi aſſeratur, humanitatem Chriſti per diuinam intellectionem cognouiſſe, quamuis in Chriſto duplex adſtruatur volitio, non infertur euidenter duplicem in illo cognitionem extitiſſe, ſed poſſet quiſpiam aſſerere, vtramq; volitionem, creatam, & increatam regulatam fuiſſe per vnicam cognitionem ſcilicet, diuinam, quæ increatam regularet, vt Deum conſtituit ſcientem, & creatam, prout humanitatem ſapientem conſtitueret. Aduerto tamen, quod ſi teſtimonijs in probationem concluſionis inductis adiungatur communis expoſitio PP. aut Concilij interpretatio de cognitione creata, concluderetur, vt de fide immediatè in anima Chriſti Domini fuiſſe cognitionem creatam.

185 *Suadetur concluſio ex Agathone Papa.* His igitur argumentis reiectis; ſuadenda eſt noſtra concluſio ex Agathone Papa in epiſtola Synodali, quæ refertur in ſexta Synodo *act. 4. & in 8.* ſuſcipitur: *Confitemur in Chriſto omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent. duas naturas eius prædicamus, & vtramq; proprietates naturales habere confitemur diuinam omnia, quæ diuina, humanam omnia, quæ humana ſunt abſq; vllo peccato.* *Concil. Calced.* Idemq; *inferius* repetit, referens in hanc ſententiã Concilium Calcedonenſe *act. 5.* id ipſum habetur in 5. Synodo *collat. 8 can. 7.* *Concil. Latera.* Et in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *can. 9* vbi dicitur, fuiſſe proprietates humanitatis in Chriſto indiminutè, & ſine deminoratione. Quæ verba cũ vniuerſalia ſint, non ſolum duas voluntates, duaſq; volitiones, ſed etiam duos intellectus, & ſcientias, creatã, ſcilicet, & increatam ſub ſe comprehendunt; ac proinde fuiſſe creatã ſcientiam in Chriſto eſt immediatè de fide; aliàs non omnia fuiſſent in Chriſto duplicia, nec natura humana in Chriſto omnia haberet, quæ pertinent ad naturã humanã.

186 *Si reſpondeas. In contrarium arguitur.* Si dicas, ex illa diffinitione ſolum haberi duplicantem proprietatum; non autem operationum, quæ proprietates non ſunt; ac proinde non inferri actum cognitionis creatum. In contrarium ſic arguitur: nam nomine proprietatum non intellegitur ſolum id, quod eſt proprium quarto modo, & per dimanationem conſequitur ad naturam, ſed etiam quod accidens proprium eſt, aliàs non excluſiſſet peccatum, quod proprietas naturæ non eſt, ſed in operatione conſiſtit: ergo in illa vniuerſali, non ſolum duplex intellectus, ſed etiam duplex actus cognitionis, creatus, ſcilicet, & increatus continetur.

187 *Si opponas.* Si opponas, ſequi ex hoc eſſe in intellectu Chriſti opinionis actum, imo & actum erroris conſtituendum: conſequens abſurdum eſt: ergo inefficax concluſionis probatio. Patet ſequela: nam in adducta diffinitione, omnia, quæ ad naturas pertinent, duplicia ſtatuuntur in Chriſto, excepto peccato, ex his, quæ pertinent ad naturam humanam, ſub qua vniuerſalitate, non ſolum proprietates conſequentes naturam, ſed etiam actus naturæ proprios continentur, vt diximus; ſed ad naturam humanam pertinent opinio, & error ſpeculatiuus, & hæc peccata non ſunt: ergo ex illa diffinitione, vt a nobis explicatur, infertur, opinionem, & actum erroris eſſe in Chriſto conſtituenda. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando ſequelam: ad cuius probationem dicitur, quod licet in diffinitione adducta, ſolum excludatur peccatum ex his, quę ad naturam pertinent humanam; communis tamen Theologorum ſententia *ſupra q. 15. art. 3.* excipit etiam errorem; & conſequenter actum opinionis, eo quod errori exponitur.

188 *Secundo ſuadetur concluſio ratione D. Thom.* Deinde ſuadetur ratione D. Tho. *in præſenti art. 1.* congruum enim fuit, vt Verbum humanam naturam aſſumens illam perfectam aſſumeret; ſed humanitas ſine actu intelligendi creato foret imperfecta: ergo aſſumpſit humanitatem, non ſolum cum intellectu, ſed etiam cum creata intellectione. illatio eſt legitima; maior certa, & minorem probat D. Thom. *Minorem probat D. Thom. Primò.* primo: nam omne, quod eſt in potentia, imperfectum eſt, ſi non reducatur ad actum; ſed natura humana eſt in potentia ad intellectionem creatam: ergo imperfecta foret ſine illa. *Secundò.* Secundo: nam potentia ſuo fine fruſtrata imperfecta eſt; ſed intellectus Chriſti eſt propter intellectionem creatam, vt finem; omnis enim potentia eſt propter ſuam operationem: ergo ſine intellectione foret imperfectus. *Tertiò.* Tertio; nam aliqua cognitio eſt naturalis humanitati, ſcilicet illa, per quam prima principia cognoſcimus; ſed ſine perfectione naturali imperfecta foret humanitas: ergo imperfecta eſſet ſine omni cognitione creata.

189 Cæterum hæc tertia probatio non de cognitione actuali

ſed de habituali procedit ; nulla enim naturalis cognitio eſt humanitati naturalis per modum proprietatis ; benè tamen habitualis principiorum cognitio. Si quæras, an hæc ratio D. Thomæ demonſtratiua ſit. Reſpondeo: quod non: poſſet enim Deus ſtatuere, quod Verbum humanitatem aſſumeret ſine omni operatione creata; licet enim congruum ſit, humanitatem perfectam aſſumere, neceſſarium tamen non eſt, niſi perfectio ſit eſſentialis: ac proinde ratio facta demonſtratiua non eſt.

Si quæras Reſpõdet.

190 *Secunda pars concluſionis conſtat ex dictis, & breuiter ratione ſuadetur.*

Secunda pars concluſionis conſtat ex dictis *in hac diſputatione.* § 7. & breuiter hac ratione ſuadetur: nam eſto humanitas Chriſti eſſet ſapiens per increatam intellectionem, adhuc eſſet in potentia naturali ad intellectionem creatam; cum hæc eſſet compoſſibilis cum intellectione diuina, vt humanitatem conſtituente intelligentem: ergo foret imperfecta ſine cognitione creata, vtpote, carens perfectione, ad quam eſt in potentia naturali; & conſequenter, vt hæc imperfectio ab humanitate tollatur, aſſerendum eſt, habituram cognitionem creatam, quamuis eſſet ſapiens per intellectionem diuinam.

---

§. Vltimus.

Argumentis in contrarium occurritur.

191 *Primo arguitur cõtra primã partem cõcluſionis.*

CONtra primam partem concluſionis arguitur 1. quod potentia aliqua in Chriſto non coniungatur cum operatione, ad quam vt ad finem ordinatur nullum inconueniens eſt: ergo nec debet haberi pro inconuenienti, quod intellectus poſſibilis Chriſti creata intellectione ſemper caruerit. Antecedens probatur primò: nam potentia generatiua, vt ad finem ordinatur ad actum generationis; & tamen in Chriſto cum actu non fuit coniuncta: ergo. Secundo: quia naturæ non debetur, vt illius inclinatio non ſit fruſtranea, quod in omni ſuo indiuiduo reducatur ad actum, ſed ſufficit, quod in aliquo indiuiduo ſuum finem aſſequatur, opereturque actualiter; ſed Chriſtus eſt ſingulare humanæ naturæ indiuiduum: ergo quod in illo potentia aliqua ad actum non reducatur, non debet inconueniens cenſeri, dummodo in alijs humanæ naturæ indiuiduis talis potentia exerceatur.

192 *Reſpondeo ad 1. probationẽ.*

Reſpondeo antecedens eſſe verum, ſi exercitium talis potentiæ fini redemptionis non congruat, quale eſt exercitium potentiæ generatiuæ: fini namque redemptionis, munerique Redemptoris congruit perpetua virginitas, cum qua non compatitur actualis generatio actiua: & idcirco inconueniens nullum eſt, quod potentia generatiua in Chriſto nunquam reducatur ad actum. Si verò exercitium actuale potentiæ in expediens fini redemptionis non ſit, inconueniens maximum erit, quod in Chriſto cum illo non coniungatur. Et ex his conſtat primæ antecedentis probationis ſolutio.

193 *Ad ſecũdam.*

Ad ſecundam, conceſſa maiori, & minori, diſtinguo conſequens: attento naturæ debito, concedo conſequentiam: debito aſſumptionis inſpecto, nego conſequentiam: nam licet non debeatur Chriſto ratione humanæ naturæ, quod omnis illius potentia ſuum finem aſſequatur; debetur tamen ratione hypoſtaſis Verbi, ad quam humanitas eſt euecta, vt natura humana in illo ſine omni imperfectione conſtituatur: & hoc, debito congruentiæ cui poſſet non ſatisfacere, ſua vtens abſoluta poteſtate.

194 *Secundo arguitur contra ſecundam partẽ concluſionis.* S. Thom.

Secundo aduerſus ſecundam partem concluſionis arguitur ex D. Tho. *in præſenti art. 1. ad 1.* quod ita procedebat: *Ad hoc neceſſaria eſt ſcientia, vt per eam aliqua cognoſcantur; ſed Chriſtus per ſcientiam diuinam cognoſcebat omnia: ergo.* Cui argumento reſpondet D. Th. *Quod actus ſcientiæ increatæ, non poteſt eſſe animæ humanæ Chriſti. Si igitur non fuiſſet in anima Chriſti aliqua ſcientia, præter diuinam, nihil cognouiſſet, & ita fuiſſet fruſtra aſſumpta:* ergo ſentit D. Thomas, quod ſi anima Chriſti Domini cognouiſſet per ſcientiam increatam, non fuiſſet fruſtraneè aſſumpta, quamuis intellectione creata caruiſſet, nec eſſet neceſſarium, quod per illam intelligeret, aliàs ad quid D. Thomas minorem argumenti diſtingueret, illamque concederet de Chriſto ratione naturæ diuinæ, & negaret ratione naturæ humanæ; cum maiori, & minori conceſſis, ſtaret plena argumenti ſolutio, ſcilicet, non ſuperfluere cognitionem creatam, quia eſt cum diuina compatibilis, & alias ad illam eſt humanitas in potentia naturali.

195 *Augetur difficultas.*

Et augetur difficultas: vt enim potentia non ſit fruſtranea, non eſt neceſſarium, quod ad omnem ſuum actum reducatur, ſed ſufficit, ad aliquem actum reduci ex his, ad quos eſt in potentia; ſed ſi intellectus animæ Chriſti poſſet per diuinam ſapientiam intelligere, actus adæquatus illius non eſſet cognitio creata, ſed cognitio abſtrahens à creata, & increata, quatenus ſibi vnita: ergo per hoc ſolum, quod per increatam cognitionem intelligeret, quamuis creata cognitione careret, non fuiſſet fruſtraneè aſſumptus.

196 *Reſpõdet.*

Ad hoc argumentum reſpondeo, admiſſa doctrina antecedentis, & conceſſa prima parte conſequentis, negando ſecundam. Nam licet ſententia illa falſa ſuppoſita, non fuiſſet fruſtranea humanitatis aſſumptio, ſi quidem intelligeret per intellectionem diuinam, & ex hoc capite neceſſaria non eſſet intellectio creata in humanitate Chriſti; eſſet tamen ex alio capite in ipſa, iſta cognitio admittenda, videlicet, vt vitaretur potentialitas, quam haberet ad illam, & tolleretur imperfectio, quæ in carentia actualitatis, ad quam datur naturalis potentia conſiſtit. Ratio autem D. Tho. quæ vritur *in ſolut. primi argumenti*, procedit ex ſuppoſitione veræ ſententiæ, nec neceſſarium erat, quod D. Thomas argumentum ſolueret in hypoteſi à Nobis conficta, quam pauci attigerunt. Et ex his ad confirmationem conſtat ſolutio.

197 *Tertio arguitur. Maior probatur 1.*

Tertio arguitur: non ſtat, humanitatem ſimul intelligere per intellectionem diuinam, & per intellectionem creatam; ſed ſi eſſet ſapiens per intellectionem diuinam, ſemper actu intelligeret per illam: ergo non poſſet intellectionem creatam habere. Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur primo: lux enim minor offuſcatur per maiorem: vnde videmus lucem candelæ in præſentia lucis Solis, non lucere; ſed cognitio creata comparatur ad diuinam, ſicut lux minor ad maiorem: ergo in illius præſentia nequit lucere, nec intellectum intelligentem conſtituere.

198 *Secundò.* S. Thom.

Secundo: nam qui eſt in actu conſiderationis ſecundum perfectiſſimam ſcientiam, nunquam conſiderat ſecundum minus perfectam: quam doctrinam adducit D. Thomas *q. 10. de Veritate art. 1. in 6. argum.* & admittit *in ſolut. argum.* ſed ſi humanitas Chriſti eſſet ſapiens per intellectionem diuinam, eſſet ſemper in actu conſiderationis ſecundum illam: quæ ſcientia perfectiſſima eſt: ergo nunquam poſſet actu conſiderare ſecundum ſcientiam creatam, quæ eſt ſcientia minus perfecta; & conſequenter ſtare ſimul non poſſunt.

199 *Tertio. 1. Corinth. 13.*

Tertio: cognitio ſpecularis viæ ſtare ſimul cum faciali Patriæ viſione non poteſt, iuxta illud Pauli 1. *Corinthior. cap. 13. Cum venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt*; ſed plus diſtat cognitio creata, ab increata, quam ſpecularis viſio à faciali: ergo cum illa ſtare ſimul in humanitate non poteſt.

200 *Quartò.*

Quarto: nam vnum corpus non poteſt duplici terminari figura: vnus motus non poteſt ad duos terminos terminari, nec vna natura duplici ſubſiſtentia ſubſiſtere: ergo nec vnus intellectus duplici cognitione poteſt ſimul actuari; ac proinde, cum actualis diuina cognitio humanitatem ſemper redderet cognoſcentem, non poſſet cum illa cognitio creata in humanitate exiſtere.

201 *Reſpondeo ad 1. probationem.*

Reſpondeo, negando maiorem, ad primam probationem dicatur, veram eſſe maiorem, quando lux maior, & minor eiſdem ordinis ſunt, ſcilicet, illuminantis; ſecus autem, quando ſunt diuerſi ordinis, nempè, illuminantis, & illuminati, qualiter compararentur ſcientia increata, & creata. Ita D. Thom. *in præſenti art. 1. ad 1.* ex quo infero, Angelicum Doctorem ſenſiſſe, quod quamuis humanitas eſſet ſapiens per ſapientiam increatam, poſſet ſimul per intellectionem creatam intelligere; alias diſtinctio tradita neceſſaria non eſſet pro argumenti ſolutione; cum facilius reſponderi poſſet oppoſi duo illa lumina in eodem ſuppoſito ratione eiuſdem naturæ; non verò ratione diuerſarum naturarum.

202 *Ad ſecũdam. Ad tertiã.*

Ad ſecundam, diſtinguo maiorem; illamque concedo, ſi perfecta, & imperfecta ſcientia opponantur; nego autem, ſi inter ſe oppoſitionem non habeant, qualiter in præſenti contingit. Ad tertiam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: diſtantia entitatiua, concedo minorem: diſtantia oppoſitionis, vel incompatibilitatis, nego minorem, & conſequentiam; quia viſio imperfecta fidei includit in

ſui

ſui ratione oppoſitum manifeſtæ viſioni, eo quod de ratione fidei eſt, quod ſit de non viſis; cognitio autem creata non dicit in ſuo conceptu aliquid oppoſitum cognitioni increatæ, ſed potius illi ſubordinatur. Ita, loquendo in ſimili, D. Th. *in hac quæſt. art. 3. ad 1. & 1. part.*
S. Thom. *q. 58. art. 7. ad 3. & quæſt. 62. art. 7. ad 1.*

34 Ad quartam conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: duplici cognitione non ſubordinata, concedo conſequentiam: duplici ſubordinata, nego conſequentiam. Nam intellectus ſimul intelligit præmiſſas, & cnoclusionem per plures actus: voluntas ſimul elicit intentionem, & electionem: veſpertina, & matutina cognitio ſimul reperiuntur in Angelis, & cognitio ſui naturalis, & cognitio Dei ſupernaturalis, de quo D. Thom. 1. *p. q. 58. art. 6. & 7.* præcipuè *ſolut. ad* 2. vbi docet, quod duæ operationes poſſunt eſſe ſimul vnius potentiæ quando vna refertur ad aliam: vnde, quia cognitio veſpertina, ideſt, rerum in ſe ipſis, refertur ad matutinam, ideſt, earundem rerum in Verbo, ideo poſſunt eſſe ſimul in Angelico intellectu. Id ipſum docet *q. 62. art. 7.* loquendo de cognitione naturali, quam Angelus habet de ſe ipſo, quod quia ordinatur ad cognitionem gloriæ, poteſt ſimul compati cum illa. Ita dicimus in præſenti, cognitionem Dei creatam poſſe cum increata humanitati vnita componi, quia ad illam ordinaretur ſicut effectus ad cauſam, exemplatum ad exemplar, & quia firmaretur potius, quam deſtrueretur per illam: ſicut cognitio rerum in ſe ipſis, quia per cognitionem rerum in Verbo firmatur, ſimul cum illa componitur. Et quidem totum hoc argumentum euidenter inſtatur in cognitione beata, infuſa, & naturali, quæ ſimul reperiuntur in Chriſto; & tamen diuerſæ cognitiooes ſunt: non ergo obſtat pluralitas, vel diſtinctio cognitinnum ſimultaneæ illarum coexiſtentiæ in eodem intellectu.

Ad quartam probationē.

Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri in 3. *diſtinct. 14. §. 2.* ad illa verba: *Animam Chriſti per ſapientiam gratis datam, &c.* Et *diſtinct. 27. §. 3.* ad illa verba: *Eadem ſanè eſt dilectio, qua diligitur Deus, & proximus, quæ Spiritus Sanctus eſt.* Et in 1. *diſtinct. 17. § 2.* illis verbis: *His autem addendum eſt, quod ipſe idem Spiritus Sanctus eſt amor, ſiuè charitas, qua nos diligimus Deum.* Quibus in locis quæſtio à Nobis de cognitione excitata poteſt de dilectione moueri. *M. Sent.*

DISPVTATIO TRIGESIMASECVNDA.

Quotuplex Scientia fuerit in anima Chriſti?

1 DE SCIENTIA Beata, de ſcientia per ſe infuſa, & de ſcientia per ſe acquiſibili, præſens diſputatio procedit. An, ſcilicet, omnes huiuſmodi ſcientiæ in anima Chriſti extiterint? Primam ſcilicet, beatam, negarunt quidam Hæretici, quos inferius referemus. Secundam excluſerunt ab anima Chriſti Domini, Bonauentura, Scotus, & Durandus locis infra referendis. Tertiam negauit Richardus *in 3. Sentent. diſt.14. art.3. q.2. & 4.* pro qua ſententia refertur ab aliquibus D. Thomas *in 3. diſt.14. quæſt. vnic. art.3.* Veram ſententiam quatuor concluſionibus explicabimus.

Quidam hæretici. Bonau. Scot. Durand. Richar.

§. I.

De Scientia Beata.

2 SIt Prima Concluſio. *In anima Chriſti Domini fuit ſcientia beata à primo conceptionis Chriſti inſtanti.* Ita D. Thomas *in 3. diſt.14. q.1. art.1. quæſtiunc.3. q.20. de Verit. art.2. in hac q. art.2. & infra q.34. art.4.* Et quoad primam partem, qua aſſerimus, ſcientiam beatam in anima Chriſti fuiſſe, eſt certa ſecundum fidem in omnium Theologorum ſententia. An autem ante mortem habuerit ſcientiam beatam, illamque potius fuerit à primo conceptionis inſtanti, quod aſſerit ſecunda pars concluſionis; etſi omnes catholici vnanimi conſenſu id fateantur; in gradu tamen certitudinis diſſident. Quibuſdam affirmantibus eſſe de fide immediatè; eo quod etſi in Scriptura expreſsè non contineatur animam Chriſti à primo conceptionis inſtanti Deum vidiſſe; per traditionem tamen habetur, quod ſufficit, vt ſit veritas immediatè de fide: ita Medina *in præſenti art.2. & infra quæſt.34. art.4.* Alijs docentibus, non eſſe immediatè de fide, eſſe tamen ita certum, vt oppoſitum ſit proximum hæreſi: ita Suarez *diſp.25. ſect.2.* Alijs aſſerentibus, eſſe ad minus ita certum, vt oppoſitum ſit temerarium; ſic cenſet Lorca *diſput.43. num.3.* Alijs denique affirmantibus eſſe de fide immediatè, Chriſtum, vt hominem, fuiſſe ante mortem beatum, quod autem beatus fuerit. Deumque viderit à primo conceptionis inſtanti hoc gradu certitudinis non gaudere, eſſe tamen ita certum, vt oppoſitum ſit ingens temeritas; ſic cenſuit Mag. Aluarez *diſp 52. concluſ.2. & 3.* quæ omnia probabiliter poſſunt defendi.

Prima concluſio. S. Thom. Diſſidium Auctorũ. Medin. Suar. Lorca. Aluar.

3 Prima pars concluſionis probatur primo: nam de fide eſt omnes homines poſt hanc vitam beatitudine perfrui, ſi ex illa ſine mortali culpa deceſſerint, vt diffinitur in Concilio Florentino in decreto fidei, his verbis: *Illorum animas, quæ poſt baptiſmum ſuſceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam; vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, vt ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in Cœlum mox excipi, & intueri clarè ipſum Deum, ſicuti eſt, &c.* Sed ab hac regula generali, non niſi omninò inſipienter poteſt Chriſtus Dominus excipi: ergo eſt de fide tenendum; Chriſtum, vt hominem, ſaltim poſt mortem, fuiſſe, & eſſe beatum; ac proinde eſt certum ſecundum fidem ſcientiam beatam in anima Chriſti eſſe.

Prima pars probatur. Concil. Florent.

4 Secundo probatur ratione D. Tho. *in præſenti*, omne enim, quod eſt in potentia, ſi eſt reducendum in actum, oportet, quod reducatur per aliquod ens in actu, vt conſtat exemplo calefactionis, non enim niſi à calido in actu poteſt aliquid calefieri, & de potentia in actu caloris reduci; & inſuper, quia cauſa debet eſſe potior cauſato; ſed homo eſt in potentia in ordine ad ſcientiam beatam conſiſtentem in Dei clara viſione, & reducitur ad illam per humanitatem Chriſti, vt conſtat ex Paulo ad Hæbræos 2. ibi: *Decebat eum, propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari.* Quæ verba de Chriſto accipiuntur: ergo humanitati Chriſti conuenit ſcientia beata.

Probatur ratione D. Thom. Ad Hebræos 2.

5 Si oppunas, maior in argumento aſſumpta ſolum vera eſt in cauſa principali efficienti, quæ, quia vel excedit, vel ſaltim adæquat in perfectione effectum, continere debet ſa eminentèr, vel formalitèr omnem perfectionem, quam communicat effectui; ideoque non poteſt aliquid de potentia in actu reduci in prædicto genere cauſæ, niſi ab aliquo ente in actu illius perfectionis, quam cauſat: non autem eſt vera in cauſis inſtrumentalibus: tùm, quia id docet Ariſtoteles *12. Metaphyſic.* Tùm etiam, nam cauſa inſtrumentalis nec excedere, nec adequare petit perfectionem effectus; ac proinde nec formalitèr, nec eminentèr petit effectus perfectionem continere: vnde calor ignis inſtrumentalitèr ignem producit, & tamen ignis non eſt, nec formalitèr, nec eminentèr; ſed humanitas Chriſti, vel Chriſtus, in quantum homo, non eſt cauſa principalis beatitudinis hominum, ſed tantum inſtrumentalis, vt fatentur omnes Theologi: ergo ex eo quod alios homines in actum beatitudinis reducat, non probatur, Chriſtum, in quantum hominem, eſſe beatum.

Contra rationem iſtam arguitur. Ariſt.

6 Difficultatem mouit Caietanus *in præſenti art.2.* & reſpondet, inſtrumentum eſſe duplex, alterum purè inſtrumentum, vt organa artium; & ſemina; alterum vero; quod eſt etiam cauſa ſui, ſicut ſeruus eſt inſtrumentum Domini, & quamuis primum inſtrumentorum genus non habeat actu, quod inſtrumentaliter efficit; ſecundum tamen, quatenus ſui dominium habet ad minus, actu habere debet, quod cauſat in alijs; & quia Chriſtus, vt homo taliter eſt inſtrumentum Dei in ordine ad gloriam, quam cauſat in nobis, quod libere cooperatur, ideo ex eo quod in nobis, gloriam efficiat, rectè infert D. Thomas; debere eſſe actu beatum. Et *ſupra quæſt. 7. art.1.* intulit ex eodem principio eſſe in Chriſto gratiam habitualem; quia nempè, illam cauſat in nobis. Quæ doctrina fundamentum habet in Diuus Thoma *infra q.18. art. ad 2.* Et *ſupra quæſt.7. art.1. ad 3.* quod ita procedebat: *Illud quod operatur per modum inſtrumenti, non indiget habitu ad proprias operationes, quia habitus fundatur in principali agente; humana autem natura in Chriſto fuit ſicut inſtrumentum diuinitatis: ergo non debuit, in Chriſto eſſe aliqua gratia habitualis.* Cui argumento ita reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod humanitas Chriſti eſt inſtrumentum diuinitatis, non quidem ſicut inſtrumentum inanimatum, quod nullo modo agit ſed ſolum agitur; ſed tanquam inſtrumentum animatum anima rationali, quod ita agit, quod etiam agitur, & ideo ad conuenientiam actionis oportuit, eum habere gratiam habitualem.*

Solutio Caietani refertur. S. Thom.

7 Mag. Medina aliam addidit ſolutionem, nimirum, humanitatem Chriſti, non ſolum inſtrumentaliter phyſicè, ſed etiam meritoriè principaliter fuiſſe cauſam glorificationis hominum, quod expreſsè docet D Thomas *infra quæſt.48. art.1.* licet autem ea vi cauſalitatis phyſicæ inſtrumentalis non petat continere formalitèr, aut eminenter perfectionem, quam cauſat, vt argumentu facto conuincitur; id tamen egit ea capite cauſalitatis meritoriæ moralis; cauſa enim meritoria, præcipuè ſi meritum ſit condignum, non inſtrumentalitèr, ſed principalitèr cauſat; ac proinde excedere, aut ſaltim adæquare debet per-

Secundo reſpondet Medina.

fectionem effectus, illamque in ſe continere, & de hoc modo cauſandi accipiendum cenſet D. Thom. cum infert, Chriſtum, vt hominem, oportere eſſe beatum: quia in nobis beatitudinem cauſat, noſque de potentia ad actum beatitudinis reducit.

8 *Contra prima ſolutionem facti.* Sed neutra ſolutio plenè obiectioni ſatisfacit, niſi aliquid addatur. Non prima; nam licet inſtrumentum animatum, & liberum, quia non ſolum agitur, ſed etiam agit, petat habitus, quibus promptè, & delectabiliter operetur, & ad operandum ſe applicet, quod veriſſimum eſt, & à D. Thoma locis vbi *proximè* traditum; quod autem omnem perfectionem, quam inſtrumentaliter cauſat, præhabere debeat formaliter, non eſt vnde colligatur ex ratione inſtrumenti animati ſe applicantis ad agendū, nec à D. Thoma locis relatis aſſeritur; ſed viſio beatifica non eſt habitus ex illis, quibus operans ad liberè operandum ſe applicat: ergo ex eo quod humanitas Chriſti illam in nobis efficiat per modum inſtrumenti animati, quod non ſolum agitur, ſed etiam agit, & ſe ad operandum applicat, non rectè infertur debere eſſe beatam formaliter.

9 *Secunda reijcitur.* Nec magis ſecunda ſolutio ſatisfacit, nam ex eo quod cauſa meritoria, non inſtrumentaliter, ſed principaliter cauſet in genere cauſæ efficientis moralis, ad ſummum inferri poteſt, quod debeat præhabere in ſe ipſa eminenter, aut formaliter perfectionem, quam moraliter cauſat, ſi talis perfectio ſit, quod cauſam meritoriam in ratione cauſæ conſtituat, & ſit merendi principium; at per viſionem beatificam non conſtituitur humanitas Chriſti in ratione merentis, & cauſantis moraliter beatitudinem in nobis; ſed gratia habitualis fuit illi principium *quo* radicale merendi, & virtutes per ſe infuſæ principia merendi proxima: ergo ex eo quod Chriſtus, vt homo, in nobis beatitudinem cauſet in genere cauſæ meritoriæ moralis, hominesque de potentia ad actum beatitudinis reducat in prædicto genere cauſæ, non colligitur rectè debere eſſe beatam formaliter; ac proinde ex hoc principio non probatur exiſtentia ſcientiæ beatæ in anima Chriſti Domini.

10 *Traditur vera ſolutio.* Vnde ad obiectionem factam reſpondeo, maiorem à D. Thoma aſſumptam eſſe veram in omni cauſa phyſica efficienti principali ratione continentiæ, quia nempè continere debet in ſe perfectionem, quam effectui communicat continentia formali, aut eminentiali; & inſtrumento excellentiæ ratione decentiæ, non ratione continentiæ; cum enim non principaliter, ſed inſtrumentaliter cauſet, non petit ratione influxus adæquari cum effectu, & conſequenter ex hoc principio non petit in ſe ipſo præhabere eminenter, aut formaliter omnem eius perfectionem; benè tamen ratione decentiæ; decens enim eſt, vt inſtrumentum excellentiæ habeat omnem perfectionem, quæ ab ipſo deriuatur in alios: humanitas autem Chriſti eſt inſtrumentum excellentiæ diuinitatis; & ideo oportuit, vt in ſe haberet formaliter omnes perfectiones, quas in hominibus cauſat, quarum vna eſt viſio beata.

11 *Cuidam obiectioni occurritur.* Nec obſtat D. Thom. exemplum appoſuiſſe in cauſis phyſicis principalibus, vt probaret maiorem diſcurſus facti, nempè, omne quod eſt in potentia, reducendum eſſe ad actum per aliquod ens in actu; ex quo videtur inferri præhabitionem perfectionis cauſandæ, in cauſa exigi ab Angelico Doctore ratione continentiæ effectus in illo. Non inquam refert; nam id, quod in cauſa phyſica principali petitur, ratione continentiæ effectus, in inſtrumento excellentiæ exigitur ratione decentiæ: decens enim eſt, vt inſtrumentum excellens, & per modum capitis cauſans, habeat in ſe ipſo formaliter perfectiones, quas alijs communicat, niſi aliunde illi repugnent; & ad hoc adducit Angelicus Præceptor exemplum cauſæ phyſicæ principalis; non vt ex eodem capite probet id competere inſtrumento animato, & excellentiæ, ex quo conuenit cauſæ principali phyſicæ, ſed ex alio, nempè, ratione decentiæ.

12 *Aliter ratio D. Th. formatur.* Vnde ratio D. Thomæ poteſt aliter proponi, & ad hanc formam reduci; decens eſt, vt inſtrumentum excellentiæ, & per modum capitis influens habeat formaliter omnem perfectionem, quæ ab ipſo deriuatur in alios; ſed Chriſtus, vt homo, cauſat in nobis beatitudinem ſupernaturalem conſiſtentem in viſione clara Dei per modum capitis, & inſtrumenti excellentiæ, & aliàs viſio beatifica ex nullo capite Chriſto repugnat: ergo illam habuit in ſe ipſo formaliter. Et ad iſtum ſenſum reductæ ſolutiones Caietani, & Medinæ, & in illo intellectæ veriſſimæ ſunt. Nec ſequitur, fidem, & ſpem, quas Chriſtus, vt homo, inſtrumentaliter cauſat in nobis per modum capitis, & inſtrumenti excellentiæ debuiſſe conuenire Chriſto formaliter. Non inquam ſequitur, nam fides, & ſpes repugnant Chriſto ſecundum eſſe formale ratione beatitudinis, cum qua componi non poteſt fides ratione obſcuritatis, nec ſpes ratione futuritionis, quam petit in obiecto ſperato: viſio autem beatifica ex nullo capite Chriſto repugnat; ideoque decens fuit, vt eſſet beatus formaliter, qui in nobis beatitudinem cauſat per modum capitis, & inſtrumenti excellentiæ; non autem decuit, vt haberet fidem, aut ſpem, quamuis illas cauſet in nobis.

Tertio probatur ratione D. Thom. *ſupra quæſt. 7. art. 1. & infra quæſt. 34. art. 4.* quanto enim aliquid receptiuum proximius cauſæ influenti, tanto magis, cum maiorique perfectione illius influxum participat; ſed influxus gratiæ eſt à Deo, iuxta illud Pſalmi 83. *gratiam, & gloriam dabit Dominus,* illique maximè humanitas Chriſti accedit per vnionem phyſicam hypoſtaticam, qua maior eſſe non poteſt; cum terminetur ad idem eſſe cum ipſo: ergo perfectiſſimè influxum gratiæ participat, & ab illo perfectiſſimam accipit gratiam. Sed gratia perfectiſſima eſt gratia conſummata per gloriam: ergo ex hac coniunctione accepit humanitas Chriſti gratiam, gloria conſummatam; & conſequenter viſionem beatificam per quam gratia conſummatur, & in qua gloria, & noſtra beatitudo conſiſtit. 13 *Alia ratio D. Th.*

Denique probatur ratione ſumpta ex Durando in 3. *diſt. 14. quæſt. 1. numer. 5.* Natura enim, quæ eſt ad ſupremum eſſe aſſumpta, debuit ad ſummum operari poſſibile ſibi eleuari; ſed natura humana Chriſti per incarnationem ad ſupremum eſſe aſſumpta, ſcilicet, ad eſſe Verbi: ergo decuit, quod eleuaretur ad ſupremum operari tali naturæ poſſibile. Sed beatitudo conſiſtens in viſione clara Dei eſt ſuprema operatio poſſibilis humanæ naturæ: ergo debet humanitati aſſumptæ ad ſupremum eſſe concedi. 14 *Denique probatur ratione Durandi.*

Sed obijcies, nam operatio non ſequitur ad eſſe ſubſiſtentiæ, aut exiſtentiæ, ſed ad eſſe eſſentiæ conſequitur; aliàs humanitati aſſumptæ ad eſſe exiſtentiæ increatum, deberetur increata operatio: ergo ſupremæ operatio non debet probari ex ſupremo eſſe exiſtentiæ, aut ſubſiſtentiæ, ſed ex ſupremo eſſe eſſentiæ. Sed humanitas Chriſti non eſt per incarnationem aſſumpta ad ſupremum eſſe eſſentiæ, ſed ad ſupremum eſſe exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ; non enim fuit vnita Verbo in natura, vel eſſentia, nec natura, vel eſſentia diuina fuit illi communicata formaliter ſub conceptu eſſentiæ, vel naturæ, ſed tantum fuit Verbo vnita in ſubſiſtentia perſonali, quatenus fuit reddita perſonata, & exiſtens per ſubſiſtentiam perſonalem Verbi, & illius exiſtentiam: ergo ex aſſumptione humanitatis ad ſupremum eſſe, perperam infert Durandus illius eleuationem ad ſupremum operari, & quod debuerit Dei beatifica viſione dotari. 15 *Obijcies.*

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: phyſica conſecutione, vt ad rationem formalem, & formale operandi principium, concedo antecedens; conſecutione morali, & ratione moralis condecentiæ, nego antecedens, & diſtinguo conſequens per eandem diſtinctionem. Conceſſaque minori ſubſumpta, neganda eſt ſecunda conſequentia, nam licet naturæ aſſumptæ ad ſupremum eſſe exiſtentiæ: & ſubſiſtentiæ non ſit debita ſuprema operatio poſſibilis ratione phyſicæ connexionis, debetur tamen moraliter, & ratione connexionis moralis; decens enim eſt, vt naturæ ſic aſſumptæ ſuprema operatio poſſibilis concedatur: vnde ex humanitatis aſſumptione ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam Verbi, rectè oſtenditur illi conceſſam fuiſſe ſupremam operationem conſiſtentem in viſionem clara Dei: quia ad hoc ſufficit moralis connexio, debitumque morale, abſtrahendo modo ab illa difficultate, de qua *ſupra diſput.* 21. an hoc debitum morale fundetur in perſonalitate Verbi ſub expreſſo perſonalitatis conceptu, vel ratione naturæ diuinæ, quam in ſe implicitam includit? 16 *Reſpondeo.*

Secundā partem concluſionis probat Magiſter Cano *lib. 12. de locis Theologicis c. 14.* pluribus Scripturæ Sacræ teſtimonijs, ex quibus vnum tantum adducemus ſumptum ex *Ioanne c. 1.* illis verbis: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, plenum gratia, & veritatis.* Qualiter legendum eſſe, accipiendumque hoc Ioannis teſtimonium, ita vt iy *plenum* in neutro genere coniungatur cum 17 *Secunda pars concluſionis prob. ex Io. c. 1.*

Verbo

Verbo, & non in caſu maſculino cum Ioanne Baptiſta, contra Caietanum probat elegantèr Canus: tùm, quia Vulgata editio, cui omnino ſtandum eſt, ita legit. Tùm etiam, quia ſic Patres exponunt. Tùm denique, nam huic lectioni fauent exemplaria, tam Latina, quam Græca: vnde verba illa: *Et vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, per parentheſim fuiſſe interiecta, eſt communis interpretatio. Ex quo teſtimonio, ita vt debet expoſito, & intellecto, ſic arguit. Verbum caro factum, ſeu Verbum, vt homo, fuit a primo inſtanti conceptionis plenum gratiæ, & veritatis; ſed ſi ab initio conceptionis viſione beatifica non potiretur, non fuiſſet ex tunc, vt homo, gratia plenum, nec veritate: ergo illam habuit à primo conceptionis inſtanti. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur; nam cui deeſt ſuprema gratiæ perfectio, & ſuprema veritatis cognitio, nec gratiæ, nec veritatis eſt plenum; cum tantum aliquid deficiat à plenitudine quantum deficit à perfectione; ſed ſuprema gratiæ perfectio eſt conſummatio per gloriam, & ſuprema veritatis cognitio ſita eſt in viſione beatifica: ergo ſi Verbum, vt homo, ab initio conceptionis illa ditatum non eſſet, nec gratiæ, nec veritatis plenum exiſteret, cuius contrarium Ioannis teſtimonio aſſeritur.

18 *Deinde probatur.* Deinde probatur: nam Chriſtus, quatenus homo, Deum ante mortem vidit; ſed ſuppoſito, quod ante mortem viderit Deum, nulla eſt ratio, cur ipſum non viderit à primo conceptionis inſtanti: ergo ex tunc viſionem beatificam habuit. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem oſtenditur primo; nam teſtimonium ex viſu, firmius eſt teſtimonio ex auditu, quinimo teſtibus ex auditu, ideo credimus, quia audierunt a fide digni, qui id ſe vidiſſe teſtantur; ſed Chriſtus venit, vt teſtimonium veritatis daret, & præcipuè diuinitatis: ergo illam ante mortem vidit. Quo facit illud Ioannis 1. c. *Ioan. 1.* *Deum nemo vidit vnquam vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*: vbi teſtimonium Chriſti idcirco aliorum teſtimonijs præfertur, quia cæteri non ex viſu, ſed ex auditu teſtimonium præbuere; Chriſtus verò ex viſu teſtificatus fuit. Sed teſtificatus eſt ante mortem, non ſolum, vt Deus, ſed etiam, vt homo: ergo, vt homo, ante mortem vidit diuinam eſſentiam.

19 *Ioan. 3.* Secundò probatur maior ex illo Ioannis 3. cap. *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*: & inſuper *Qui de Cœlo venit, ſuper omnes eſt, & quod vidit, & audiuit hoc teſtatur*: vbi Chriſtus idcirco ſuper omnes eſſe, aſſeritur, quia non ex auditu tantum, vt alij, ſed ex viſu teſtimonium præbuit diuinitatis. Vbi eſt aduertendum, ly *vidit*; & ly *audiuit* non ſignificare diuerſas operationes, ſed eadem viſio dicitur etiam auditio, vt ſignificetur non habuiſſe illam ex vi humanitatis à ſe, ſed ex diuina infuſione, vt rectè notauit Suarez *in proſ. diſp. 25. ſect. 2.* ergo teſtimonium ex viſu firmius eſt teſtimonio ex auditu. Sed Chriſtus in hac vita mortali diuinitatem fuit teſtificatus: ergo illam ante mortem vidit. Quod amplius vrgetur: nam gloria transfigurationis ſignum fuit gloriæ latentis in anima, ex qua tranſeuntèr deriuata fuit ad corpus, vt exponunt Patres communitèr: ergo tempore transfigurationis erat anima Chriſti beata; & conſequentèr ante mortem viſionem beatificam habuit.

20 *Tertiò probatur.* Tertiò probatur ſecunda pars concluſionis rationibus, quibus primam partem concluſionis monſtrauimus, quæ etiam ſecundam partem ſuadent; nam Chriſto, vt homini, competere ſcientiam beatam, inde probatur, quia eſt caput hominum, & Angelorum, ac proinde oportuit, vt illorum omnium perfectiones haberet, quarum vna eſt viſio beatifica Angelis, & hominibus beatis conueniens; quia fuit plenus gratiæ & veritatis, quæ plenitudo ſine viſione beatifica non poteſt ſubſiſtere: Et quia naturæ ad ſupremum eſſe aſſumptæ, qualis eſt humanitas Chriſti, debetur ſuprema operatio, qualis eſt viſio beatifica: ſed Chriſtus, quatenus homo, fuit ab initio conceptionis caput hominum, & Angelorum, & ex tunc fuit gratia plenus, & illius humanitas ad ſupremum eſſe aſſumpta: ergo fuit perfectè beatus à primo conceptionis inſtanti.

21 *Denique probatur.* Denique probatur: etenim naturæ ad diuinum eſſe aſſumptæ attribuere debemus, quod maioris dignitatis, & excellentiæ eſt, niſi muneri Redemptoris repugnet; ſed fuiſſe à primo inſtanti conceptionis beatam, maioris dignitatis, & excellentiæ eſt, quam beatitudine aliquando caruiſſe, & per meritum illam habere; cum plus dignitatis ex habita beatitudine accreſcat, quam ex beatitudinis merito cum carentia beatitudinis; & aliàs cum munere Redemptoris non pugnat: nam ad hoc munus perfectè in Chriſto ſaluandum ſufficit fuiſſe comprehenſorem, & viatorem ſimul, quod totum ſaluatur concaſſa beatitudine animæ, & negata corporis beatitudine: ergo aſſerendum eſt Chriſtum, vt hominem, fuiſſe perfectè beatum beatitudine animæ à primo conceptionis inſtanti; & conſequentèr ab illo inſtanti Deum clarè vidiſſe.

---

§. II.

Difficilis obiectio proponitur, & reijcitur prima ſolutio.

ERROREM noſtræ concluſioni contrarium docuit quidam, quem ſine nomine refert Prateolus verbo 22 *Prateol.*
Anti-Chriſtiani, qui auſus eſt aſſerere, Chriſtum fuiſſe condemnatum, eo quod deſperauit in cruce. Eundem errorem tenuere Brentius, & Caluiniſtæ relati à Belarmino *lib. 4. de anima Chriſti c. 8.* aſſerentes, Chriſtum ante mortem de ſua dubitaſſe ſalute deſperaſſe in cruce, & tormenta inferni paſſum eſſe, cum quibus non componitur fuiſſe beatum. Tenuit etiam Bucerus relatus a Magiſtro Cano *lib. 12. de locis Theolog. c. 14.* negans Chriſti animam fuiſſe ab initio perfectam, de quo, teſte Cano dubitauit Eraſmus: & omiſſis Hæreticorum fundamentis, quia leuiſſima ſunt, nulliuſq; difficultatis. *Belarm.* *M. Can.*

Contra ſecundam partem concluſionis arguitur argumento difficili. Etenim ſumma triſtitia cum intenſa delectatione ſimul exiſtere nequit: cum opponantur contrariè, & contraria in gradibus intenſis non poſſint ſimul exiſtere; ſed Chriſtus tempore mortis ſummam paſſus eſt de ſua morte triſtitiam: ergo mortis tempore caruit delectatione beatifica; & conſequentèr etiam beatitudine caruit, ad quam neceſſario conſequitur delectatio: ex quo vlterius fit non fuiſſe à primo inſtanti conceptionis beatum; nam de ratione beatitudinis eſt inamiſſibilitas, ac proinde ſi tempore mortis beatitudinem amiſit, non fuit ante illam beatus. 23 *Contra ſecundam partem concluſionis arguitur.*

Huic obiectioni, quæ abſque dubio difficilis eſt, Mag. Cano *vbi ſup. ad vlt. argumentum* reſpondet tripliciter: primo veram eſſe maiorem de gaudio, & triſtitia reſidentibus in voluntate, vel etiam in appetitu; falſam autem de gaudio reſidente in voluntate, & triſtitia, non voluntatis, ſed appetitus ſenſitiui; quia cum hæc, etſi reſpiciant idem ſubiectum remotum, non tamen idem proximum ſubiectum afficiant, & gaudium nempè voluntatem, triſtitia verò appetitum; quæ realitèr diſtinguuntur, benè poſſunt eſſe ſimul. Triſtitia autem, quam Chriſtus tempore mortis eſt paſſus, non fuit ſubiectiuè in voluntate, ſed tantum in appetitu, & idcirco optimè compati potuit cum delectatione beatifica, quæ non in appetitu, ſed in voluntate Chriſti exiſtebat. Quam ſolutionem ſumere ſibi videtur ex Angelico Doctore *infra q. 18. art. 6. & quaſt. 46. art. 7. & 8.* 24 *Prima ſolutio.* S. Thom.

Cæterum iſta ſolutio non omnino placuit Cano, & alijs Theologis omnino diſplicuit. Et meritò quidem primò, quia eſt contra D. Thomam *q. 26. de Veritate art. 9.* Et in *hac 3. p. queſt. 64. art. 7. ad finem corp.* illis verbis: *Sed ſecundum hoc, non patiebatur ſuperior anima in Chriſto ex parte ſui obiecti, ſcilicet, Dei, qui non erat animæ Chriſti cauſa doloris, ſed delectationis, & gaudij*: vbi excludens D. Thomas dolorem a voluntate ex parte ſui obiecti cauſatum, apertè videtur admittere in voluntate dolorem ex alia parte, ſcilicet, ex parte ſenſitiuæ venientem. Cum enim voluntas ſit vniuerſalis hominis appetitus, ſic ſumpta, dolorem patitur parte ſenſitiua patiente. Et expreſſius prædictam doctrinam tradidit *art. 8. ad 1.* vbi cum ſibi obieciſſet: *Impoſſibile eſt ſimul dolere, & gaudere, cum dolor, & gaudium ſint contraria; ſed anima Chriſti tota patiebatur dolorem in tempore paſſionis: non ergo poterat eſſe, vt tota frueretur*. In hunc modum reſpondet: *ad primum dicendum, quod gaudium fruitionis non contrariatur directè dolori paſſionis; quia non ſunt de eodem, nihil autem prohibet contraria eidem in eſſe, non ſecundum idem.* Quibus verbis apertè Angelicus Doctor in eodem ſubiecto remoto, & proximo gaudium, & dolorem admittit, quia non ſunt de eodem obiecto ſaluat vt contrarietatem amitterent, neceſſarium non fuiſſet ad 25 *Reijcitur 1.* S. Thom.

diuer-

diuerſitatem obiectiuam recurrere: ergo ſenſit fuiſſe in voluntate Chriſti dolorem paſſionis, in qua fuit gaudium fruitionis.

26 Deinde reijcitur, nam poſt illa verba Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: hæc alia ſubiecit Chriſtus: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: quæ accipienda eſſe de actu voluntatis, quæ propriè voluntas ſit, & ab appetitu ſenſitiuo diſtincta, conſtat primo, quia verbum *volo*, ſi rigorosè accipiatur, vt debet, actum voluntatis propriæ importat; appetitus autem ſenſitiuus voluntas propriè non eſt. Secundò, quia ita explicant Patres communiter, verba autem Scripturæ accipienda ſunt iuxta communem PP. expoſitionem. Denique; nam ex illis verbis ſexta Synodus generalis ſub Agathone Papa IV. intulit duas voluntates in Chriſto, diuinam, ſcilicet, & humanam, quæ illatio de voluntate ab appetitu ſenſitiuo diſtincta intelligitur; ex actu autem appetitus ſenſitiui, qui propriè voluntas non eſt, non poteſt propria voluntas inferri: fuit ergo in voluntate Chriſti prout diſtincta ab appetitu actus quo mortem, vt parti inferiori diſſentaneam fugiebat: ergo etiam fuit in voluntate Chriſti, vt diſtincta ab appetitu triſtitia. Patet conſequentia primo; quia ex voluntatum diſſenſione naſcitur triſtitia. Secundo; nam triſtitia eſt de his, quæ nobis, nolentibus, accidunt: ergo ſi Chriſtus per actum voluntatis noluit mortem, per actum à voluntate elicitum fuit de ſua morte triſtatus. Nec D. Thomas oppoſitum locis allegatis docuit, vt vidimus, ſed ſolum negauit, triſtitiam in voluntate Chriſti ortam ab obiecto fruitionis, quod eſt Deus, & hoc veriſſimum eſt: non enim à Deo viſo triſtitia Chriſti fuit orta, ſed à morte, vt diſconuenienti parti inferiori.

27 Obijcies. D. Thom. Luc. 22. Sed contra hanc reſolutionem obſtare, videtur Diu. Thomas *infra quæſt. 18. artic. 6. ad 3.* vbi cum ſibi obiecisset illa verba Lucæ 22. *Factus in agonia, prolixius orabat; ſed agonia videtur importare quandam compugnationem animi in contrarium tendentis: ergo videtur, quod in Chriſto fuerit contrarietas voluntatum*; in hunc modum reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod agonia non fuit in Chriſto, quantum ad partem animæ rationalem*; & paucis interpoſitis, ita concludit: *Fuit tamen in Chriſto agonia quantum ad partem ſenſitiuam, ſecundum quod importat timorem infortunij imminentis, vt dicit Damaſcenus in 3. lib.* Ex quibus verbis tale argumentum contra noſtram reſolutionem conſurgit: eadem ratio eſt de triſtitia, ac de agonia; ſed iuxta D. Thom. non fuit in voluntate Chriſti agonia, ſed ſolum in appetitu: ergo idem de triſtitia eſt dicendum, quod nempè, in voluntate Chriſti non fuerit, ſed ſolum in appetitu ſenſitiuo, qui dicitur voluntas ſenſualitatis, & in homine eſt voluntas participatiuè; & conſequenter ſolutio, quam impugnamus veram continet doctrinam, vtpotè Angelico Præceptori conformem.

28 Reſpõdeo. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Vt enim docet D. Thomas *in hac q. 14. art. 2. in corpore, & ad 1. & q. 18. art. 5.* voluntas, vt diſtincta ab appetitu ſenſitiuo, conſideratur dupliciter, videlicet, per modum rationis, prout ſequitur rationem deliberantem, & per modum naturæ, qua ratione naturaliter refugit, quæ ſunt naturæ contraria, vt mortem, dolorem, &c. prout ſunt mala, & diſconuenientia naturæ, & amplectitur, quæ naturæ ſunt conſentanea, vt vitam, fœlicitatem, & alia huius conditionis. Cum ergo negat D. Thomas in Chriſto agoniam, quæ in repugnantia voluntatum conſiſtit, loquitur de Chriſto, & illius voluntate, vt rationali; non autem negat in voluntate Chriſti abſolutè agoniam, nec voluntatum contrarietatem; ſicut enim pars ſenſitiua mortem refugiebat, & ex illa, vt imminenti, anxiabatur, ita voluntas Chriſti, non vt rationalis, ſed vt natura, mortem auerſabatur, quam tamen voluntate rationali, id eſt, ſequente rationem deliberantem amabat, & eligebat, non quidem, vt diſconuenientem naturæ, ly *vt* ſumpto reduplicatiuè, ſed vt conducentem ad finem redemptionis. Et cum agonia in compugnatione animi ad contraria tendentis conſiſtat, admittenda eſt, iuxta D. Thomam, non ſolum in appetitu Chriſti, ſed etiam in illius voluntate abſolutè, quamuis non ſit admittenda in voluntate Chriſti, quatenus rationali, quod Angelicus Præceptor videtur ſatis expreſſiſſe, non negans agoniam in voluntate Chriſti, ſed in Chriſto, quantum ad partem animæ rationalem.

Sed dices, voluntas, vt natura, dicitur per comparationem ad actus neceſſarios, & naturales; ſed in voluntate Chriſti huiuſcemodi motus non dantur: ergo in illa non datur conceptus naturæ; & conſequenter fuga, vel nollitio mortis, vt diſconuenientis parti inferiori, non fuit in voluntate Chriſti, vt natura, ſed ſolum in appetitu ſenſitiuo: ex quo vlterius ſequitur, ſolum in parte ſenſitiua Chriſtum paſſum eſſe agoniam. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur, vt enim docuimus *ſupra diſput. 23. num. 146.* licet concedatur in Chriſto gratia excitans conſiſtens in illuſtratione intellectus; non tamen in illo admittitur gratia excitans conſiſtens in pia affectione, & in motibus ſubitis, & indeliberatis voluntatis; eo quod tales motus ſequuntur ad iudicium imperfectum intellectus repræſentans voluntati bonum creatum, ſine comparatione ad bonum contrarium, & ſine conſideratione defectus plenitudinis bonitatis, quæ imperfectio iudicij in intellectu Chriſti non datur, ſed ſi in voluntate Chriſti darentur motus neceſſarij, & naturales erga mala, vel bona creata, hæc doctrina non ſubſiſteret; ergo tales motus non ſunt in voluntati Chriſti admittendi. 29 Inſtabis.

Reſpondeo, voluntatem, vt naturam, dici per comparationem ad actus neceſſarios neceſſitate exercitij, aut neceſſitate ſpecificationis; licet autem in voluntate Chriſti non dentur erga bona, vel mala creata motus neceſſarij neceſſitate exercitij, quod Not *diſput. alleg.* docuimus ob rationem, quæ in obiectione aſſignatur; dantur tamen motus neceſſarij quoad ſpecificationem, ſiue per modum fugæ, ſiue per modum proſecutionis. Et huius conditionis fuit actus voluntatis, quo Chriſtus Dominus refugiebat mortem, quatenus malam, & diſconuenientem naturæ inferiori; mors enim ſic ſumpta non poterat voluntati Chriſti placere; & conſequenter diſplicentiam mortis, prout ſic, erat neceſſaria neceſſitate ſpecificationis, cum qua rectè componitur fuiſſe Chriſto liberam libertate exercitij. Dicitur ergo velleitas illa inefficax, qua voluntas Chriſti diſplicebat in morte, vt diſconueniente parti inferiori, & illam prout ſic refugiebat, eſſe à voluntate Chriſti vt natura, non ob defectum libertatis exercitij, ſed ob neceſſitatem ſpecificationis. Et inſuper, quia non ſequebatur iudicium rationis Chriſti prout omnes circumſtantias, & cauſas, tam ſuperiores, quam inferiores attendent; ſed prout diſconuenientiam mortis reſpectu naturæ inferioris repræſentans; prout enim omnia conſiderabat, actu deliberato efficaci mortem amplexabatur, habebat tamen diſplicentiam in illa, prout diſſentanea parti inferiori; non quidem efficacem; alias voluntatem aliam efficacem mortis excluderet, ſed inefficacem, quæ cum voluntate efficaci oppoſita rectè componitur. 30 Reſpondetur.

---

§. III.

Duplex ſolutio impugnatur, & vera traditur, & defenditur.

SECVNDO reſpondet Canus, maiorem eſſe veram, ex natura rei loquendo, & ſecundum legem ordinariam; falſam autem de potentia abſoluta; hac enim potentia inſpecta, poſſunt gaudium, & triſtitia ſimul eidem potentiæ ineſſe; coniunctio autem ſummi gaudij cum ſumma triſtitia de morte, fuit miraculoſa in Chriſto, ſicut miraculum fuit, quod idem homo eſſet ſimul viator, & comprehenſor, quod à gloria animæ nihil deriuaretur ad corpus, & quod ex gaudio ſuperioris potentiæ nihil ſolatij redundaret in potentias inferiores. 31 Secunda ſolutio.

Hæc tamen ſolutio, ſi de gaudio, & triſtitia circa idem obiectum ſub eadem ratione procedat, diſplicet frequenter Theologis, & hoc argumento reijcitur: etenim triſtitia, & gaudium non minus opponuntur inter ſe, quam diſſenſus, & aſſenſus, nec minus quam odium, & amor; ſed hæc, licet quia extrema poſitiua ſunt, opponantur contrariè formaliter, & non formaliter contradictoriè; repugnant tamen ſimul in eodem ſubiecto circa idem obiectum ſub eadem ratione formali, etiam de potentia abſoluta; eo quod comparantur inter ſe, ſicut proſecutio, & fuga, & contradictoriè obiectiuè, quatenus aſſenſus, & amor tendunt in eſſe, odium verò, & diſſenſus in non eſſe 32 Reijcitur hæc ſolutio.

ſe ſui objecti, ex quo naſcitur virtualis contradictio ſubiectiua; ergo triſtitia, & delectatio de eodem obiecto, & ſub eadem ratione formali obiectiua; quia ſunt proſecutio, & fuga, & illorum alterum tendit in eſſe ſcilicet, gaudium; alterum verò, triſtitia, ſcilicet, in non eſſe ſui obiecti, opponuntur inter ſe virtualiter contradictoriè, & conſequenter non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, etiam de potentia abſoluta.

33 *Tertio reſpondet Canus.* Tertio: ad finem capiti relati reſpondet Mag. Cano, concedendo tempore mortis delectatione beatifica Chriſtum caruiſſe; nec exinde ſequi, quod pro tali tempore beatus non fuerit; nam licet delectatio neceſſario conſequatur ad eſſentiam beatitudinis; non tamen cum illa eſſentialiter connectitur; vnde Chriſtus in Cruce ſuſpendit gaudium, quod ſuaptè natura ex beatifica viſione prodiret, vt daret triſtitiæ locum in hominum redemptionem, ſicuti per totam vitam gloriam animæ quaſi præmebat, ne ex anima in corpus efflueret, vt daretur locus merito Nec obſtat Benedictum XII. diffiniſſe, beatitudinem conſiſtere in viſione, & fruitione; nam loquebatur, inquit Canus, & benè, de beatitudine conſummata, hoc eſt, ſuis proprietatibus cõmpleta, & perfecta, non de beatitudine quoad eſſentiam præciſè; ſic enim ſumptam, conſiſtere in ſola viſione, docet frequentior, veteriſque Theologorum ſententia. Vnde ſolum ſequitur, quod Chriſtus tempore mortis non habuerit beatitudinem conſummatam, ideſt, omni ſua proprietate perfectam, quod inconueniens non eſt, ſicut nec inconueniens cenſetur, quòd in hac vita mortali conſummatione beatitudinis, ſumpta ex redundantia ad corpus Chriſtus caruerit.

34 *Medina Vaſquez. Suar.* Solutionem iſtam Cani, Magiſter Medina *infra quæſt.* 46. *art.* 8. cenſet eſſe nouum dogma, & vt tale a Theologorum Schola excludendum; illam acritèr reijciunt Vazquez 1. 2. *diſput.* 16. *cap.* 2. *in fine* Et in hac 3. *par. diſput.* 79. *cap.* 4. *num.* 28. & Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 4 §. *Vna vera ſupereſt*, referens Henricum prædictam ſolutionem, vt contrariam fidei damnantem; ipſe autem Henrici rigorem mitigans docet, non ſolum falſam, ſed etiam temerariam eſſe. *Opponit. Suar. 1.* Ductus primo quibuſdam teſtimonijs Scripturæ, quæ PP. probabiliter interpretantur de Chriſto in tempore mortis, & in illis gaudium in Chriſto affirmatur; ſed cum ſolùm probabiliter ita interpretentur PP. prædicta teſtimonia Scripturæ, vt fatetur Suarez, non poſſunt in ſententiam Cani hæreſis, aut temeritatis notam inducere.

35 *Secundò.* Secundo monetur, quia omnes Theologi docent contrarium, & ſententiæ Magiſt. Cano opponuntur; quod autem omnibus Theologis aduerſatur in re Theologica, & graui, ſaltim temerarium eſt. Sed antecedens eſt falſum, nam præter Magiſtrum Cano, amplectuntur prædictam ſolutionem, eiuſque doctrinam *Valent. Salmer. Mald.* Valentia *in præſenti diſp.* 1. *q.* 9. *punct.* 2, Salmeron *tom.* 10. *tract.* 11. §. *Ad* 4. & Maldonatus in c. 26. *Matthæi* §. *Subtiliter in Scholis*; nec conſtat cæteros Theologos in oppoſitam ſententiam poſitiuè inclinaſſe; & conſequenter ex generali Theologorum conſenſu, non poteſt Cani ſententia temeritatis nota damnari.

36 *Tertio.* Tertio ſic arguit; eſt enim apud omnes Theologos conſtans, Chriſtum à primo conceptionis inſtanti fuiſſe beatum, quod ita certum eſt, vt oppoſitum ſit ad minus temerarium; & conſequenter eadem certitudine tenendum eſt beatum fuiſſe mortis tempore, cum beatitudo inamiſſibilitatem expoſcat; ſed beatitudo includit delectationem: ergo delectatio beatifica non poteſt Chriſto mortis tempore ſine temeritate negari.

37 *Non vrget.* Sed nec premit hoc argumentum; nam minor illius eſt vera de incluſione illatiua connaturaliter, non verò de incluſione eſſentiali, & omninò indiſpenſabili, vt enim *proximè* dicebamus, non eſt eſſentialis beatitudini delectatio, quæ eſt actus voluntatis, ſed adæquatè eſſentialiter in actu intellectus conſiſtit delectatione ingrediente, vt proprietate illius connaturali; vnde potuit delectatio per miraculum non conſequi mortis tempore ad beatificam viſionem in Chriſto, manente quoad eſſentiam beato.

38 *Nec obſtat.* Nec obſtat, quod aduerſus iſtam ſolutionem opponit Suarez, nempè, hoc miraculum ſine fundamento affirmari; non autem eſt ad miracula recurrendum ſine fundamento vrgenti. Non, inquam, obſtat; nam reſpondere poterit Magiſter Cano, ſufficiens fundamentum ad negandam delectationem tempore mortis in Chriſto eſſe, ſummam triſtitiam, quam illi, Patres tempore mortis attribuunt, non poſſe cum delectatione ſumma componi; vndè vt triſtitia defendatur, quam omnes Patres admittunt, neganda eſt delectatio beatifica tempore mortis in Chriſto.

Nec magis obſtat. Nec magis obſtat, quod opponit ſecundo, nempè, quod ſi ſemel hoc miraculum adſtruatur, poterit quiſpiam aſſerere, Chriſtum mortis tempore beatifica viſione caruiſſe, vt locus maioris triſtitiæ daretur; conſequens non poteſt ſine temeritate affirmari: ergo delectatio beatifica cum temeritate negatur. Non, inquam, obſtat; nam reſpondere poterit Canus, ſummam triſtitiam cum beatifica viſione, non inferente delectationem, poſſe coniungi; ſecus autem cum delectatione ex beatitudine illata; ac proinde illationem delectationis ex beatifica viſione cum fundamento negari, quod fundamentum ad negandam tunc temporis viſionis exiſtentiam non adeſt, nec rationabiliter poteſt extendi.

39 *Obiicies.* Si dicas, admiſſa viſione beatifica tempore mortis in Chriſto non ſaluari ſummam triſtitiam; cum maior triſtitia eſſet, quæ ex amiſſa viſione, ſimulque ex alijs tormentis procederet, quam illa quæ ex tormentis tantum oritur: ergo ad ſaluandam ſummam triſtitiam in Chriſto, ſicut negatur ab Auctoribus præfatæ ſolutionis fruitio, & delectatio beatifica, debet etiam beatifica viſio negari; & conſequenter ſi adeſt fundamentum ad negandam Chriſto tempore mortis delectationem beatificam, vt ſumma triſtitia à Patribus aſſerta ſaluetur, poteſt ex eodem fundamento tunc temporis beatifica viſio negari.

40 *Reſpondetur.* Reſpondeo, viſionem beatificam Chriſto à Theologis concedi, eo præcipuè, quia Supremum Doctorem ſuprema ſcientia, atque cognitio decebat; & quia maximè in Cruce ſuum Magiſterium exercuit, fit conſequens, tunc maximè illum beatificam viſionem decuiſſe; ac proinde ſummitatem, & exceſſum triſtitiæ à Patribus Chriſto attributæ taliter eſſe temperandam, vt non pertingat gradum illum, qui ex carentia beatificæ viſionis poſſet oriri. Et quia hæc ratio in delectatione non militat; delectatio namque ad magiſterium non pertinet, nec ad doctrinæ confirmationem, & robur conducit; fit conſequens, vt fundamentum, quod adeſt ad negandam Chriſto delectationem beatificam, reſpectu beatificæ viſionis non vrgeat.

41 *Quarto opponit Suarez.* Quarto opponit Suarez, nam ſequitur ex ſententia Cani, animam Chriſti, toto, aut maiori vitæ mortalis tempore caruiſſe delectatione beatifica; conſequens non audebit admittere: ergo nec illam mortis tempore negare. Probatur ſequela; nam voluntas Chriſti ferè nunquam maxima triſtitia caruit peccata hominum conſiderando, & ſuam mortem veluti præſentem intuendo: ergo ſi gaudium beatificum, non poteſt cum ſumma triſtitia componi; ideoque negatur tempore mortis in Chriſto, vt triſtitiæ detur locus; illo caruit Chriſti humanitas toto, aut maiori tempore vitæ mortalis.

42 *Non planè conuincit.* Sed nec plenè hoc argumentum conuincit: tùm, quia fortè Canus illationem, & conſequens illatum concederet, id inconueniens non reputans; vt triſtitiæ locus daretur; ſicut inconueniens non fuit, quod toto tempore vitæ mortalis gloria corporis Chriſtus caruerit, vt daretur locus merito, & hominum redemptioni. Tum etiam, quia negari poteſt ſequela. Et ad eius probationem reſponderi poteſt primò; triſtitiam, & delectationem in ſummo, non poſſe inter ſe componi; benè tamen, ſi triſtitia non maxima ſit, & maximam triſtitiam, non niſi mortis tempore, & orationis in Horto ex Scripturis Sacris haberi: vndè ad maiorem partem temporis vitæ Chriſti mortalis ſine fundamento in Scripturis extenditur. Vel ſecundo reſponderi poteſt, negando abſolutè antecedens; ſicut enim attribuere animæ Chriſti toto tempore vitæ mortalis maximam triſtitiam ortam ex prædicta conſideratione, fundamentum non habet; ita illam adſtruere per maiorem partem temporis fundamento vrgenti caret.

43 *Denique arguitur.* Denique, aduerſus ſolutionem Cani poſſumus argumentari: delectatio beatifica non debet Chriſto tempore mortis negari, ſi poteſt cum ſumma triſtitia componi, ſed componi poteſt cum illa, ſaltim de potentia abſoluta: ergo ſine fundamento relegatur tempore mortis à Chriſto. Conſequentia eſt bona; maior conſtat: Chriſto namque concedenda eſt omnis perfectio poſſibilis, etiam de potentia abſoluta, niſi oppoſitum ſit reuelatum; ſed delecta-

lectatio beatifica, perfectio maxima eſt: ergo ſi poteſt cum ſumma triſtitia, à Patribus tempore mortis aſſerta, de potentia abſoluta coniungi, non eſt releganda à Chriſto. Minor autem probatur, nam delectatio, & triſtitia de eodem obiecto ſub diuerſa ratione obiectiua, non incompatiuntur ſimul in eodem ſubiecto de potentia abſoluta; ſed triſtitia, quam Chriſtus de ſua morte fuit paſſus, non terminabatur ad illam ſub eadem ratione, ſub qua delectatio beatifica; nam hæc erat de morte, prout vtili ad finem redemptionis; triſtitia autem concipiebatur de morte, prout mala, & diſconueniente naturæ inferiori, quæ ſunt rationes obiectiuæ diuerſæ: ergo potuit ſimul exiſtere in voluntate Chriſti de potentia Dei abſoluta triſtitia cum delectatione, quamuis vtraque eſſet in ſummo.

44 *Reſpondetur ex doctrina Cani.* Huic obiectioni reſponderi poteſt ex doctrina Magiſtri Cano vbi *ſupra*, negando minorem; & ad probationem, negando maiorem; alias nulla triſtitia eſſet incompatibilis de potentia abſoluta cum delectatione de eodem obiecto; cum ſemper triſtitia, & delectatio ſub diuerſa ratione obiectiua terminentur ad obiectum; delectatio namque terminatur ſub ratione boni, cum proſecutio ſit; triſtitia autem, vt poté fuga, circa ſuum obiectum ſub ratione mali verſatur; & conſequenter, ſi ob diuerſam rationem obiectiuam poſſunt triſtitia in ſummo, & delectatio de morte, in voluntate Chriſti componi, nulla triſtitia erit incompatibilis de potentia abſoluta cum gaudio, & delectatione de eodem obiecto.

45 *Obycies.* Sed dices, ſaltim ſequitur ex iſta ſolutione delectationem de Deo clarè viſo ſine fundamento negari tempore mortis in Chriſto; conſequenter non poteſt prædictus Mag. admittere, cum de hac delectatione, præcipuè, illius doctrina procedat: ergo nec traditæ ſolutionis doctrinam admittere poteſt. Patet ſequela, nam gaudium ſummum, & ſumma triſtitia de diuerſis obiectis non incompatiuntur ſimul de potentia abſoluta in eodem ſubiecto; vt conſtat in aſſenſu, & diſſenſu, in odio, & amore, quæ non minus opponuntur inter ſe, quam delectatio, & triſtitia; & tamen circa diuerſa obiecta poſſunt ſimul in eodem ſubiecto inueniri; ſed triſtitia animæ Chriſti, non erat de Deo viſo, ſed de morte, quam patiebatur: ergo componi potuit de potentia abſoluta cum delectatione beatifica, etſi non cum delectatione ſumma de morte; & conſequenter fruitio beatifica, quæ eſt delectatio de Deo clarè, viſo, ſine fundamento negatur tempore mortis in Chriſto.

46 *Reſpondetur ex doctrina Cani.* Huic argumento videtur iuxta doctrinam Cani reſpondendum, negando ſequelam; gaudium enim, & triſtitia talis conditionis ſunt, vt non ſolum contrarientur, quando circa idem obiectum verſantur, ſed etiam quamuis ad diuerſa obiecta terminentur, & de rebus diuerſis conſpiciantur; vnde experientia conſtat, triſtitiam de vno obiecto, non ſolum per delectationem de illo conceptam, ſed etiam per gaudium de alio obiecto habitum expelli, vel temperari; quo circa cum de aliquo obiecto moleſtante triſtamur, per delectationem de alijs rebus nobis gratis triſtitiam conamur pellere; cumque contraria in gradibus inteſis non poſſe eſſe ſimul, etiam de potentia abſoluta, ſententia probabilis, ſit; fit conſequens, poſſe prædictum Magiſtrum probabiliter ſuſtinere maximam de morte triſtitiam, à Chriſto tempore mortis conceptam cum fruitione beatifica, delectatione de Deo clarè viſo exiſtere non potuiſſe.

47 *Secundo reſponderi poteſt.* Vel ſecundo reſponderi poteſt, concedendo ſequelam, & ſententiam Cani, interpretando de gaudio beatifico, prout ad mortem terminato, non de illo, prout concipiebatur de Deo clarè viſo, & poſſeſſo. Quod ſi hæc fuit iſtius Magiſtri ſententia, probabilius poterit ſuſtineri, aſſerendo, delectationem de Deo clarè viſo, perſeueraſſe tempore mortis in Chriſto, non autem delectatum fuiſſe tunc temporis de morte, quam ſuſtinebat, & de qua
Durand. vehementèr triſtabatur. Eſtq; Durandi hæc ſententia in 3. *diſt.* 15. *q.* 3. *num.* 10. & videtur non leue fundamen-
S. Thom. tum habere in Angelico Doctore *infra quæſt.* 46. *art.* 8. *ad primum* illis verbis: *Dicendum, quod gaudium fruitionis non contrariatur directè dolori paſſionis quia non ſunt de eodem, nihil autem prohibet contraria eidem ineſſe non ſecundum idem*; quibus verbis ſatis Angelicus Doctor inſinuat fruitionem beatificam, ideo mortis tempore in Chriſto cum ſumma triſtitia componi, quia fruitio concipiebatur de Deo; triſtitia verò de morte, quæ diuerſa obiecta ſunt; ac proinde delectationem de morte non potuiſſe cum ſumma triſtitia, de illa habita coniungi.

Contra quam doctrinam id ſolum videtur obſtare, quod poſſit ſimul coexiſtere eandem eſſe rationem de gaudio, & triſtitiæ habita de eodem obiecto ſub diuerſa ratione obiectiua, atque de gaudio, & triſtitia habitis de diuerſis obiectis; ſed triſtitia, quam Chriſtus tempore mortis fuit paſſus, erat de ſua morte ſub diuerſa ratione obiectiua, ſub qua gaudium terminaretur ad illam; triſtitia namque fuit de morte, vt diſconueniente naturæ inferiori; gaudium autem eſſet de eadem morte, prout vtili ad finem redemptionis: ergo ſi potuit ſumma triſtitia de morte cum gaudio de Deo clarè viſo coniungi, potuit etiam cum gaudio de eadem morte ſub diuerſa ratione ad illam terminato componi. 48

49 *Tertia reſponderi poteſt.* Tertio reſponderi poteſt, negando ſequelam: ad probationem conceſſis præmiſſis, & prima conſequentia, negando ſecundam. Nam vt delectatio beatifica excludatur tempore mortis à Chriſto, ſufficit, quod triſtitia, & gaudium in ſummo, quamuis ſint de diuerſis obiectis, pugnent ex natura rei; nam eo ipſo, quod ſic opponantur, neceſſarium eſt ad illorum coexiſtentiam ſaluandam, ad miraculum recurrere, quod ſine vrgenti fundamento admittendum non eſt.

50 *Si obycias.* Si opponas, etiam eſt miraculum, quod ad viſionem beatificam non ſequatur delectatio; eſt enim cum illa ex natura rei connexa, non minus, quam proprietates cum eſſentia connectuntur; & tamen Canus ad hoc recurrit, vt ſaluet ſummam in Chriſto triſtitiam: ergo quamuis ſimultanea coexiſtentia triſtitiæ, & delectationis in ſummo, miraculoſa ſit, poterit cum fundamento, in Chriſto tempore mortis admitti, ne fruitio beatifica miraculosè excludatur.

51 *Reſpondebit Canus.* Reſpondere poterit Canus, vtrumque miraculum eſſe, ſed maius ſimultanea coexiſtentia prædictarum affectionum, quam delectationis ſuſpenſione affluat ex viſione beatifica; nam hæc fit ſola ſuſpenſione concurſus diuini; coexiſtentia autem triſtitiæ, & delectationis, poſitiuum Dei concurſum ad extrema illa terminatum expoſcit; quando verò neceſſarius eſt ad miraculum recurſus, recurrendum eſt ad minus, niſi oppoſitum ex reuelatione habeatur.

52 *Deſeritur Cani ſolutio.* Hæc in tanti Magiſtri gratiam dicta ſuffiſiant, & vt illius ſententia ab omni cenſura libera poſſit defendi, à qua tamen recedendum exiſtimo; tùm ob argumenta facta, quæ difficilem ſolutionem admittunt, & præcipuè propter vltimum. Tùm etiam, quia Diuus Thomas *quæſt.*
S. Thom. 26. *de Veritate artic. decimo, ad nonum, & in hac tertia parte infra quæſtione* 46. *artic.* 8. *ad primum*, cum ex contrarietate, quæ inter triſtitiam, & delectationem verſatur, argumentando intuliſſet, non potuiſſet Chriſtum pati ſummam triſtitiam de morte, eo quod fruebatur delectatione beatifica, quæ non poterat cum ſumma triſtitia componi, vt argumentum dilueret, non negauit tunc temporis delectationem beatificam in anima Chriſti Domini, ſed illa admiſſa, ſolutionem argumento quæſiuis, quam ſtatim ſubijciemus: ergo non eſt Chriſto, vt homini, beatifica delectatio tempore mortis neganda.

53 *Reſpondebis.* Nec ſufficit reſpondere, loqui Angelicum Doctorem de fruitione beatifica prout ad Deum terminata, & prout de Deo clarè viſo concepta; ex quo ſolum ſequitur, delectationem de Deo cum ſumma triſtitia de morte in Chriſto perſeueraſſe; non autem quod delectatio beatifica, prout terminata ſecundario ad mortem perſeuerauerit tempore mortis in Chriſto; ac proinde, quamuis ex doctrina Diui Thomæ ſententia Cani excludatur; non tamen ex illa ſententia Durandi excluditur, cuius *numero* 47. meminimus, & ex Diuo Thoma confirmauimus, nempè, ex ſumma triſtitia, quam Chriſtus tempore mortis eſt paſſus, non argui carentiam delectationis beatificæ prout ad Deum terminatæ, & de Deo clarè viſo conceptæ, ſed ſolum carentiam delectationis de morte, erga quam verſabatur triſtitia, & de qua concipiebatur.

54 *Sed contra.* Non, inquam, ſufficit ob ea, quæ *numero* 48. contra ſententiam Cani, hoc modo explicatam, obiecimus. Semel namque admiſſo, quod ſumma triſtitia exiſtens tempore mortis in Chriſto non excluſerit fruitionem beatificam, prout de Deo viſo habitam, ſequitur non excluſiſſe delectationem, prout ad mortem terminatam;

cum

eum hæc non eſſet de morte ſub eadem ratione obiectiua, ſub qua triſtitiam cauſauit, ſed ſub diuerſa ratione, ſcilicet de morte, vt vtili ad finem redemptionis, ſub qua ratione non fuit obiectum triſtitiæ, ſed prout diſconueniens naturæ: eo autem ipſo, quod delectatio, & triſtitia habitæ de diuerſis obiectis, poſſint coexiſtere ſimul, poſſunt etiam ſimul eſſe erga vnum, & idem obiectum ſub diuerſa ratione obiectiua: ac proinde ex doctrina Diui Thomæ componentis fruitionem beatificam cum triſtitia tempore mortis concepta, infertur, poſſe componi cum illa, non ſolum fruitionem de Deo, ſed etiam delectationem de morte.

55 *Vera ſolutio.* Vnde frequentior apud Theologos, veraque ſolutio obiectionis factæ eſt, maiorem argumenti eſſe veram, ſi triſtitia, & delectatio ſint de eodem obiecto ſub eadem ratione formali, ſic enim nec de potentia abſoluta poſſunt exiſtere ſimul ob rationem, qua ſecundam ſolutionem Magiſtri Cani reiecimus; ſi verò vel erga diuerſa obiecta, vel erga idem ſecundum diuerſam rationem gaudium, & triſtitia verſentur, quamuis inter ſe opponantur, nec poſſint ſimul in gradibus intenſis ex natura rei, & ſecundum legem ordinariam exiſtere; per miraculum autem, & de potentia abſoluta ſimul exiſtere poſſunt: triſtitia autem, quam Chriſtus de ſua morte concepit, & delectatio, quam habuit de illa non reſpiciebant mortem ſub eadem, ſed ſub diuerſa ratione obiectiua; delectabatur namque de morte, vt vtili ad humani generis redemptionem, triſtabatur vero de illa prout mala, & diſconueniente naturæ, quæ ſunt rationes obiectiuè diuerſæ, vnde potuit fieri de potentia abſoluta, & de facto diuina diſpenſatione fuit factum, et ſumma delectatio non excluderet ſummam triſtitiam, ſed ſimul cum illa exiſteret. Ita Medina, Aluarez, Suarez, & Vazquez *locis vbi ſupra relatis*, Cornejo *in præſenti diſputatione vnica, dubio ſecundo*, & communiter Commentatores Diui Thomæ *in hac quæſt. art. 2. & infra q. 34. artic. 4.* ſicque accipienda, & intelligenda eſt doctrina D. Thomæ *quæſtione 26. de Veritate artic. decimo, ad nonum; & in hac tertia parte infra quæſtione 46. art. 8. ad 1.*

Medin. Aluar. Suar. Vaſquez. Cornejo. Commit. S. Thom.

56 *In contrarium arguit Canus.* Sed contra hanc ſolutionem opponit Magiſter Canus, nam ex illa ſequitur, nullam triſtitiam eſſe incompatibilem de potentia abſoluta cum gaudio de eodem obiecto; conſequens eſt contra id, quod in noſtra ſolutione ſupponimus cum communi Theologorum doctrina, aſſerente, gaudium, & triſtitiam non minus inter ſe opponi, quam odium, & amor, aſſenſus, & diſſenſus, inter quæ talis oppoſitio datur, vt in eodem ſubiecto, & circa idem obiectum non poſſint ſimul exiſtere, etiam de potentia abſoluta: ergo ſolutio tradita ſuſtinenda non eſt.

Probatur ſequela; et enim in tradita ſolutione docetur, triſtitia, & gaudium in ſummo de eodem obiecto ſub diuerſa ratione formali compatiuntur ſimul de potentia abſoluta; ſed nulla triſtitia conuenit cum gaudio in ratione formali obiectiua, ſed tantum in obiecto materiali; triſtitia enim, vtpote fuga, malum reſpicit pro ratione formali, delectatio verò, cum proſequutio ſit reſpicit pro ratione formali bonum: ergo nulla triſtitia eſt incompatibilis de potentia abſoluta cum gaudio, cuius contrarium noſtra ſolutio ſupponit.

57 *Reſpondetur.* Hoc argumentum tetigit Magiſter Medina, aliqueilius ſolutionem remiſit, alij autem, aut non attigerunt, aut difficultatem in ſuo robore reliquerunt. Ad illud reſpondeo, negando ſequelam: ad probationem, diſtinguo maiorem: ſub diuerſa ratione formali, *qua*, & *ſub qua*, concedo maiorem: ſub diuerſa ratione formali *ſub qua* tantum, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Nam licet ſemper triſtitia, & delectatio diſconueniant in ratione formali *ſub qua*, ob rationem in argumento aſſignatam, non tamen ſemper diſconueniunt in ratione formali *qua*, ſed quandoque diſconueniunt, & quandoque non; & in præſenti hæc diſconuenientia intercedit; mors namque eadem entitatiuè, & eſt diſconueniens naturæ inferiori, & conueniens, & vtilis ad finem redemptionis, ſub hac conuenientia delectationem terminauit in Chriſto, redemptione mouente, vt fine, & vtilitate ad redemptionem terminante delectationem; ſub ratione verò diſconuenientiæ naturæ terminauit triſtitiam, mouente ad illam bonitate naturæ, & diſconuenientia ad naturam, quæ in morte reperitur terminante; & ideo potuerunt iſtæ affectiones in ſummo ſimul exiſtere in Chriſto de potentia Dei abſoluta; quia licet ratio *qua* terminant vtramque affectionem ſit materialiter eadem, eſt formaliter diuerſa. Quod verò mors Chriſti, v. g. per reſpectum ſolum ad naturam inferiorem, vel per reſpectum ſolum ad finem redemptionis terminet ſimul triſtitiam, & gaudium, eſt omninò implicatorium.

58 *Inſtabis.* Sed inſtabis; nam ſequitur ex hac ſolutione, non fuiſſe miraculum, & quod gaudium, & triſtitia de morte extiterint ſimul in humanitate Chriſti; conſequens eſt falſum, & contra communem Theologorum ſententiam: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela; nam coexiſtere ſimul duas affectiones contrarias erga obiectum idem materialitèr ſub diuerſa ratione *qua* terminante miraculoſum non eſt, ſed connaturaliter contingere poteſt, et conſtat in odio, & amore, quæ licet non poſſint, in eodem ſubiecto ſimul exiſtere reſpectu eiuſdem obiecti ſub eadem ratione formali, ſub diuerſa tamen ratione ſæpè abſque miraculo ſimul exiſtunt; nam de facto ſine vllo miraculo Deus odio habet hominem, et peccatorem, & illum prout hominem diligit, ſed iuxta doctrinam traditæ ſolutionis, triſtitia, & delectatio in Chriſto verſabantur erga mortem ſub diuerſa ratione *qua* terminante: ergo illarum coniunctio, & ſimultanea exiſtentia miraculoſa non fuit, ſed omnino connaturaliter accidit.

59 *Reſpondet Suar. & Vazq.* Et ex his præcluſa manet euaſio, qua obiectioni factæ occurrunt Suarez, & Vazquez *locis vbi ſupra* relatis, aſſerentes, triſtitiam, & gaudium de diuerſis obiectis, aut de obiecto eodem materialiter, diuerſo, tamen formaliter, etſi non contrarientur ſecundum rationes ſpecificas; contrariari tamen ſecundum rationes genericas gaudij, & triſtitiæ contrarietate ſumpta ex modo tendendi in ſua obiecta, ſcilicet, per modum proſequutionis, & per modum fugæ, qui ſunt modi tendendi contrarij; & ideo non poſſe eſſe ſimul ex natura rei, & ſecundum legem ordinariam; vnde vt in gradibus intenſis ſimul conuenirent in Chriſto, miraculo opus fuit, nec potuit ex natura rei contingere.

60 *Hac ſolutio ex dictis præcluditur.* Hæc, inquam, euaſio ex dictis manet præcluſa; ſi namque triſtitia, & gaudium de diuerſis obiectis, aut de eodem obiecto materialitèr, contrariantur ſecundum rationes genericas ob rationem aſſignatam, etiam odium, & amor diuerſorum obiectorum, vel eiuſdem materialiter, diuerſi tamen formaliter contrariantur ſecundum rationes genericas odij, & amoris contrarietate ex modo tendendi ſumpta per modum proſequutionis, & fugæ, cum odium in fuga conſiſtat, amor verò proſequutio ſit; & tamen, hac contrarietate non obſtante, odium, & amor diuerſorum obiectorum, vel eiuſdem obiecti identitate, ſolum materiali, abſque miraculo ſimul in eodem ſubiecto coincidunt: ergo contrarietas ſecundum rationem genericam modo explicato, non ſufficit ad incompatibilitatem ex natura rei diuerſarum affectionum ſimul in eodem ſubiecto; & conſequentèr huiuſcemodi contrarietas inter gaudium, & triſtitiam non ſufficit, vt miraculo opus fuerit ad ſaluandam illorum coexiſtentiam tempore mortis in Chriſto, niſi aliquid illi addatur.

61 *Vera ſolutio.* Vnde ad obiectionem factam reſpondeo, negando ſequelam: ad illius probationem dicatur, maiorem etſi in alijs affectionibus, & actibus, vera ſit, non tamen eſſe veram in triſtitia, & delectatione; nam licet quando erga diuerſa obiecta verſantur, aut erga idem obiectum ſub diuerſa ratione formali, non opponantur contrariè obiectiuè, opponuntur tamen ſubiectiuè; ideòque non poſſunt in gradibus intenſis in eodem ſubiecto conuenire, quod docuit Ariſtoteles *lib. 7. Ethicorum capit. 14.* illis verbis: *Voluptas autem contraria, & quæuis etiam, modo ſit vehemens, pellit dolorem*: vbi aduerto, quod, vt voluptas contraria, hoc eſt, delectatio de eodem obiecto identitate materiali, & formali, erga quod dolor verſatur, illum à ſubiecto expellat, non petit Ariſtoteles vehementiam in delectatione; benè verò et dolorem non contrarium, qui erga diuerſum obiectum verſatur, excludat: ſentit ergo, quod licet voluptas, & dolor de diuerſis obiectis, non opponantur propriè contrariè, nec ſecundum ſuas rationes ſpecificas; incompatiuntur tamen in gradibus intenſis, ſeque mutuo excludunt ab eodem ſubiecto ratione ſubiectiuæ oppoſitionis. Quod etiam experientia teſtatur, ex qua conſtat, vehementem, & intenſam delectationem de vno obiecto expellere triſtitiam de quocumque obiecto *Ariſt.*

ſto

ctu ſit ; quocirca cum de obiecto aliquo contriſtamur ; alia obiecta delectantia quærimus, vt triſtitiam repellamus, quod ſignum manifeſtum eſt inter triſtitiam, & delectationem de diuerſis obiectis in gradibus intenſis, etſi non reperiatur contrarietas ſecundum rationes ſpecificas ſumpta ex obiectis, reperiri tamen ſubiectiuam oppoſitionem, ob quam ſe mutuo excludunt ab eodem ſubiecto. Et rationem dedit D. Thomas 1. 2. q. 35. art. 4. ad 3. illis verbis: *Vel aliter dicendum, quòd etſi non omnis*

S. Thom. *triſtitia contrarietur omni delectationi ſecundum ſpeciem; tamen quantum ad effectum contrariatur: nam ex vno confortatur natura animalis, ex alio vero quodammodo moleſtatur.* Et quia ratio iſta in odio, & amore non militat: ideò erga diuerſa obiecta, vel circa idem ſub diuerſa ratione formali ſimul eſſe abſque miraculo poſſunt.

---

§. IV.

De ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali.

62 *Secunda concluſio.* SEcunda Concluſio. *Præter ſcientiam beatam, fuit in anima Chriſti Domini ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis, per quam res in proprio genere, & extra Verbum cognouit.* Ita D. Thom. *in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3.* ad Annibaldum *in eadem diſt. q. vnic. art. 4. q. 20. de Veritat. art. 3. opuſc. 2. cap. 216.* Et *in hac q. art. 3.* Angelicum Doctorem

S. Thom. ſequuntur Capreolus *in 3. diſt. 14. q. 1. art. 1. concl. 2. & art. 3. in ſolutionib. argumentor Scoti, & Durandi* Richardus *in eadem diſt. art. 3. q. 3.* Marſilius *q. 10. art. 2. 4. part. concluſ. 1.* & frequenter alij Theologi cum Magiſtro loco citato, & cum D. Thoma *in præſenti*, contra Scotum *in 3. diſt. 14. q. 3.* Durandum *in eadem diſt. q. 4.* & Gabrielem *q. vnic. art. 1. concl. 4.* aſſerentes, Chriſtum habuiſſe quidem ſcientiam infuſam rerum extra Verbum; non tamen infuſam per ſe ſed per accidens, & eiuſdem ſpeciei cum ſcientia per ſe acquiſibili de eiſdem obiectis, ſicut fuit ſcientia infuſa Protoparenti in primo ſuæ formationis inſtanti.

Capreol. Richar. Marſil.

63 *Probari ſolet 1.* Concluſionem iſtam diuerſimodè probant Auctores. A quibuſdam oſtenditur primo; nam Chriſtus, vt viator, habuit actum cognitionis ſupernaturalem; cum prout ſic actus ſupernaturales voluntatis meritorios elicuerit; ac proinde regulatos ſupernaturali cognitione; actus enim ſupernaturalis voluntatis petit pro regula ſupernaturalem actum intellectus; vnde, ad regulandum actum charitatis viæ, ponitur in nobis fides: ergo habuit ſcientiam rerum extra Verbum per ſe infuſam, & ſupernaturalem diſtinctam a ſcientia beata; in Chriſto enim non fuit fides, per quam poterant prædicti actus regulari.

64 *Hoc argumentum non vrget.* Hoc tamen argumentum non vrget; tùm, quia per hoc, quod Chriſtus, vt homo, habitum ſupernaturalem haberet eiuſdem ſpeciei cum habitu Noſtræ Theologiæ, & per accidens infuſum, per actus ab iſto habitu elicitos poſſent actus ſupernaturales voluntatis regulari: ergo non probatur efficacitèr hoc argumento ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis in Chriſto terminata ad res extra Verbum, & diſtincta à ſcientia beata.

65 Tùm etiam; nam ſcientia, de qua loquimur in præſenti extenditur ad omnia extra Verbum cognoſcenda, etiam cordium cogitationes, & futura contingentia, vt ex dicendis q. 11. conſtabit; ſed vt Chriſtus actus ſupernaturales meritorios eliceret, ſcientia per ſe infuſa huius extenſionis, & amplitudinis neceſſaria non erat: ergo ratio facta non probat in anima Chriſti Domini ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem, de qua noſtra concluſio, & communis Theologorum ſententia procedit.

66 *Secunda ratio reij-citur.* Secundo ab alijs probatur; Chriſto namque ex munere Redemptoris debebatur ſupernaturalis omnium rerum cognitio: ergo & ſcientia per ſe infuſa, quæ eſſet iſtius cognitionis principium. Sed nec iſta ratio conuincit, niſi aliunde iuuetur; nam Chriſtus per ſcientiam beatam omnia ad ſuum ſtatum pertinentia cognouit: ergo ex eo quod Chriſto ex munere Redemptoris debeatur omnium rerum ſupernaturalis cognitio, non probatur ipſi deberi ſcientiam per ſe infuſam diſtinctam ſcientia.

67 *Dices.* Dices per lumen beatificum cognoſci omnes res creatas, non in ſe, & ratione ſui, ſed in alio, & ſub ratione formali diuina; fuit autem Chriſto debitum, vt eaſdem in ſe ipſis, & ſub ratione formali creata cognoſceret, quod præſtatur ab habitu ſcientiæ infuſæ diſtincto à ſcientia beata. Sed contra, nam licet ita ſit, quod oporteat Chriſtum res omnes creatas extra Verbum in ſe ipſis, & ratione ſui cognoſcere; hoc tamen non probatur ex munere *Sed contra* Redemptoris: vnde namque ex hoc munere oſtendi poteſt debitum cognitionis ſupernaturalis omnium rerum extra Verbum in ſe ipſis, & ſub ratione formali creata? Ergo eſt aliunde probandum.

Tertio ab alijs ſic arguitur; nam in Chriſto, prout viatore, fuerunt virtutes per ſe infuſæ, & ſupernaturales, vt 68 *ſupra* vidimus, & fatentur omnes Theologi: ergo eſt *Tertia ratio* Chriſto concedenda ſcientia cum illis proportionata; ac *examinatur.* proinde per ſe infuſa; ſcientia namque per ſe acquiſibilis non eſt proportionata virtutibus per ſe infuſis, nec ad illas regulandum ſufficiens.

Sed nec efficacitèr arguunt; tùm, quia poſſunt virtutes omnes morales per ſe infuſæ regulari per ſcientiam 69 beatam; cum per illam poſſint obiecta iſtarum virtutum voluntati, vt diligenda, proponi, in quo illarum regulatio conſiſtit: ergo ex hoc ſolo principio non probatur ſcientiam per ſe infuſam diſtinctam à ſcientia beata extitiſſe in anima Chriſti. Tùm etiam, nam ad regulandas virtutes morales per ſe infuſas, non eſt neceſſaria ſcientia, quæ ad cordium cogitationes, & futura contingentia cognoſcenda ſe extendat; ſed ſcientia, de qua in præſenti loquimur, & quam probare contendimus, huius extenſionis, eſt, vt q. 11. videbimus: ergo quamuis ratione facta probetur aliqua ſcientia ſupernaturalis in Chriſto, & quæ per ſe infuſa ſit, non tamen probatur fuiſſe in illo ſcientiam per ſe infuſam, de qua noſtra, & communis ſententia procedit, qua, nempè, omne ens creatum in ſe ipſo extra Verbum ſupernaturaliter cognoſcatur.

Denique oſtendi ſolet noſtra concluſio; nam Chriſtus 70 Dominus meruit per actum charitatis, non vt compre- *Denique* henſoris, ſed vt viatoris, vt docet D. Thomas *infra q. 19.* *ab alijs* *art. 3. ad 1.* ergo meruit per actum charitatis, vt regu- *probatur.* latum lumine ſupernaturali ſcientifico à lumine gloriæ diſtincto. Patet conſequentia; nam actus charitatis regulatus ſcientia beata erat Chriſti, vt comprehenſoris. ergo ſi meruit per actum, qui illius, vt comprehenſoris, non erat ſed vt viatoris, meruit per actum regulatum lumine diſtincto a ſcientia beata; & conſequenter concedenda eſt in anima Chriſti Domini ſcientia per ſe infuſa, a ſcientia beata diſtincta.

Sed nec ratio iſta eſt ſufficiens; eſt enim valdè proba- 71 bilis plurium Thomiſtarum ſententia, aſſerentium, actum *Non con-* charitatis regulatum ſcientia beata qui neceſſarius fuit, *uincit* prout terminatus ad diuinam bonitatem, vt eſt ratio di- *hoc argu-* ligendi Deum, fuiſſe liberum prout terminatum ad ean- *mentum.* dem bonitatem diuinam, vt eſt ratio diligendi creaturas; ac proinde ſub hac conſideratione fuiſſe meritorium, Chriſtoque vt viatori, conuenientem, quod docuit Ca- *Capreol.* preolus *in 3. diſt. 18. q. 3.* & Mag. Aluarez *in hac 3. p. diſp.* *Aluar.* *45.* ideoque probabilius reputat Vincentius *de Gratia* *Vincent.* *Chriſti q. 5. pag. 419.* tenentque alij, quos refert Mag. Aluarez vbi proximè ergo ad conſtituendum actum charitatis meritorium in Chriſto, non eſt neceſſarius recurſus ad ſcientiam per ſe infuſam à beatifica diſtinctam.

Quare, his & alijs argumentis prætermiſſis, ſuadenda 72 eſt noſtra concluſio ratione D. Thom *in præſenti art. 3.* *Probatur* ad hanc formam redacta; decens enim fuit, vt Verbum *ratione D.* humanitatem perfectam aſſumeret; ſed ſi ſcientia per ſe *Thom.* infuſa ſupernaturali diſtincta à ſcientia beata caruiſſet, eſſet imperfecta humanitas: ergo habuit ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem diſtinctam a ſcientia beata. Maior cum conſequentia tenet. Minor verò probatur; nam omne, quod eſt in potentia ad aliquam perfectionem, imperfectum eſt, niſi reducatur ad actum; ſed intellectus animæ Chriſti eſt de ſe in potentia ad res creatas in proprio genere cognoſcendas per ſpecies immediatè à Deo infuſas: ergo imperfectus erit ſine huiuſmodi cognitione; & conſequenter ſine ſcientia per ſe infuſa diſtincta a ſcientia beata, imperfecta eſſet humanitas.

Reſpondebis primo, res omnes in proprio genere co- 73 cognoſci per ſcientiam beatam ab anima Chriſti Domini; *Reſponde-* ac proinde quamuis lumine à beatifica ſcientia diſtincto *bis 1.* careret, non maneret in potentia ad huiuſmodi cognitionem: ex quo vlterius fit, vt ſine tali lumine imperfecta non foret.

Vel ſecũdo reſpondebis ex doctrina Durandi vbi *ſupra*, 74

res omnes in proprio genere, hoc eſt, in ſe ipſis extra Verbum, per ſcientiam naturalem, per accidens infuſam
Reſpondebit 1. cognoſcit; ac proinde vt prædicta imperfectio, & potentialitas ab humanitate Chriſti excludatur, neceſſariam non eſſe ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem diſtinctam à ſcientia beata, de qua noſtra concluſio procedit.

75 *Contra primam facit 1.* Sed neutra ſolutio ſatisfacit, & contra primam facit primò: nam intellectus Chriſti Domini eſt in potentia ad cognoſcendas res creatas in proprio genere, & in ſe ipſis, non ſolum ex parte rei cognitæ, ſed etiam ex parte medij cognoſcendi cum vtroque modo ſint cognoſcibiles; ſed quamuis per ſcientiam beatam illas in proprio genere, & in ſe ipſis ex parte rei cognitæ contempletur; non tamen illas in ſe ipſis cognoſcit ex parte medij cognoſcendi; lumen namque beatificum terminatur ad creaturas, mediante diuina eſſentia, vt obiecto prius cognito, & medio illas cognoſcendi: ergo per ſcientiam beatam non tollitur omnis potentialitas intellectus animæ Chriſti in ordine ad creaturarum cognitionem; & conſequenter, illa poſita, & ſecluſa, cognitione rerum in proprio genere ex parte medij cognitionis, quæ habetur per ſcientiam infuſam à beatifica diſtinctam, potentialis, & imperfectus maneret.

76 *Secundò.* Deinde, & explicatur magis hoc ipſum: nam intellectus animæ Chriſti eſt de ſe in potentia ad creaturarum cognitionem per proprias illarum ſpecies immediate à Deo infuſas; ſed huiuſmodi cognitio non habetur per ſcientiam beatam; nam ſpecies, per quam ſcientia beatifica ad creaturas terminatur, eſt diuina eſſentia, primo repræſentans Deum, & ſecundario creaturas; ergo vt præfata cognitio intellectui Chriſti competat, neceſſaria eſt ſcientia infuſa diſtincta à ſcientia beata: ac proinde ſine illa potentialis, & imperfectus maneret.

77 *Denique.* Denique reijcitur: licet namque Angeli creaturas omnes contemplentur in Verbo per cognitionem beatam, quæ vocatur matutina; datur tamen in illis alia creaturarum cognitio in ſe ipſis, quæ dicitur veſpertina, vt ex Patre Auguſtino *ſecundo ſuper Geneſim ad litteram*, docet
S. Aug. *S. Thom.* Angelicus Doctor *1. p. q. 58. art. 6. & 7.* ergo pariter in Chriſto præter cognitionem rerum in Verbo habitam per diuinam eſſentiam, vt ſpeciem ſuper excedentem, & vt medium cognitionis, ſtatuenda eſt alia cognitio creaturarum in ſe ipſis per proprias illarum ſpecies immediatè à Deo infuſas, & ſine hac cognitione intellectus animæ Chriſti potentialis, & imperfectus exiſteret.

78 *Secunda ſolutio reijcitur.* Deinde ſecunda ſolutio reijcitur: lumen namque ad cognitionem ſupernaturalem deſeruiens eſt ſupernaturale, & per ſe infuſum, excepta noſtra Theologia, de qua plures probabiliter docent, eſſe ſupernaturalem, & noſtris actibus acquiſitam; ſed ſcientia infuſa animæ Chriſti ad ſupernaturalem cognitionem deſeruit; per illam enim cognouit omnia ordinis ſupernaturalia, myſteria gratiæ, cogitationes cordium, & futura contingentia euidenter, quorum euidens cognitio ſupernaturalis, eſt vtpote indebita omni naturæ, tam creatæ, quàm creabili: ergo non eſt naturalis, & per accidens infuſa, ſed per ſe infuſa, & ſupernaturalis. Verum de his plura *infra q. 61.* vbi de obiectis per huiuſmodi ſcientiam cognitis ab anima Chriſti Domini fusè tractaturi ſumus.

§. V.

Argumentis in contrarium occurritur.

79 *Arguitur 1.* ARGVITVR primo: ſicut enim non poteſt idem motus duplici termino adæquato terminari, ita nec poteſt idem intellectus duos actus cognitionis ſimul habere; ſed intellectus animæ Chriſti ſemper fuit in actu cognitionis beatificæ: ergo non potuit per cognitionem
Reſpondetur. ab illa diſtinctam intelligere. Reſpondeo ex dictis *diſp. præced.* veram eſſe maiorem de duplici cognitione adæquata diſparatè, & ſine ordine ſe habente; falſam autem ſi inter ſe ſint ordinatæ; intellectus namque noſter ſimul cognoſcit præmiſſas, & concluſionem. Voluntas ſimul amat, finem, & media; & in Angelis ſimul reperiuntur veſpertina, & matutina cognitio, & naturalis dilectio ſui, necnon gratuita, & ſupernaturalis dilectio; quia huiuſcemodi actus, tametſi diſtincti ſint, non diſparatè ſe habent, ſed cum ordine comparantur, & vnus ab alio perficitur; cognitio autem beatifica non ſe habet diſparatè ad cognitionem ſupernaturalem rerum extra Verbum, ſed cum ordine, vel principiantis, vel exemplantis, vel ſaltem iuuantis illam; ideoque poſſunt ſimul intellectum animæ Chriſti actuare.

Secundò arguitur: quidquid intellectus Chriſti poteſt intelligere per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem, cognouit, & de facto cognoſcit per ſcientiam beatam: 80 *Secundò arguitur.*
ergo ſuperfluè in illo conſtituitur ſcientia per ſe infuſa à beatifica diſtincta. Antecedens conſtat, nam licet ſcientia beata primario ſolum terminetur ad Deum, ſecundario tamen ad creaturas terminatur, quæ ſunt obiecta cognita per ſcientiam infuſam. Conſequentia autem probatur: ſcientia namque ſolum eſt neceſſaria, vt per illam cognoſcatur obiectum: ergo ſi omne obiectum cognoſcibile per ſcientiam per ſe infuſam, fuit de facto à Chriſto cognitum per ſcientiam beatam, ſuperfluè in illo ſtatuitur ſcientia per ſe infuſa diſtincta à ſcientia beata.

Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad cuius probationem dicatur, Chriſtum ex 81 *Reſpondetur.*
vi ſcientiæ beatæ cognoſcere res creatas in ſe ipſis ex parte rei cognitæ; non tamen in ſe ipſis, vt medio cognitionis, & per proprias illarum ſpecies, ſed diuina eſſentia eſt medium in quo obiectiuè cognoſcuntur, & principium per modum ſpeciei: & quia intellectus Chriſti creatus eſt in potentia de cognoſcendas creaturas in ſe ipſis immediatè, & ratione ſui, & per proprias illarum ſpecies ſe tenentes ex parte principij: fit conſequens, quod eſſet ſine huiuſmodi cognitione imperfectus, etiam poſita viſione beatifica ſecundariò terminata ad creaturas; ac proinde quod prædicta creaturarum cognitio ad illas in ſe ipſis immediatè terminata, non ſit cenſenda ſuperflua in anima Chriſti Domini, etiam beatifica viſione ſuppoſita.

Sed dices, poſita cognitione creaturarum in Verbo, 82 *Obijcies.*
nulla eſt imperfectio carentia cognitionis illarum in ſe ipſis, vt medio cognoſcendi: ergo nulla eſſet imperfectio in Chriſto cognoſcente creaturas in Verbo, carere cognitione illarum in ſe ipſis, vt medio cognitionis, & per proprias ſpecies illarum; & conſequenter huiuſcemodi cognitio ſuperfluit præſuppoſita ſcientia beata. Probatur antecedens; nam Deus cognoſcit creaturas in ſe ipſo, vt medio cognitionis, & in ſe ipſis ex parte rei cognitæ, non verò in ſe ipſis, vt medio, & ratione formali obiectiua cognoſcendi; & tamen huiuſcemodi cognitione carere, nullam dicit imperfectionem: ergo carentia cognitionis creaturarum in ſe ipſis, vt ratione formali, & medio cognoſcendi, nulla eſt imperfectio, ſuppoſita cognitione illarum in diuina eſſentia, vt medio cognitionis, & in ſe ipſis ex parte rei cognitæ.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad illius probatio- 83
nem, conceſſa maiori, & minori, diſtinguo conſequens: *Reſpondetur.*
nulla eſt imperfectio in Deo, concedo conſequentiam; nulla eſt imperfectio in intellectu creato, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, Deo namque repugnat, creaturas in ſe ipſis cognoſcere, vt ratione formali obiectiua, & vt medio cognitionis illarum: quia repugnat cognitioni diuinæ ſpecificari ab aliqua formalitate creata, & per ſpeciem creatam creaturas cognoſcere, quorum vtrumq; ſequitur, ex eo quod creaturas in ſe ipſis immediatè cognoſcat, de quo *1. p. q. 14. art. 5. & 6.* & ideo carentia cognitionis creaturarum in ſe ipſis, vt ratione obiectiua, & medio cognoſcendi imperfectio in Deo non eſt. Intellectus autem Chriſti eſt capax cognoſcendi creaturas cognitione ad illas in ſe ipſis immediatè terminata; & idcirco iſtius modi cognitionis carentia imperfectio eſſet in illo; ſicuti carentia diſcurſus non eſt imperfectio in Deo, cui diſcurrere repugnat; in Chriſto autem, vt homine, cui conuenit per diſcurſum intelligere imperfectio foret cognitione diſcurſiua carere.

Deniq; arguitur contra rationem, qua ex D. Thoma no- 84 *Denique arguitur.*
ſtram concluſionem oſtendimus, carentia tantum negatiua alicuius perfectionis non eſt imperfectio, quæ debeat relegari ab humanitate aſſumpta, aliàs Deus omnia illa contuliſſet animæ Chriſti, quæ poteſt de potentia abſoluta illi dare; negatio enim cuiuſcumque perfectionis poſſibilis, eſt carentia negatiua perfectionis; ſed carentia ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis, tantum eſt negatiua: ergo ex ratione D. Thomæ non conuincitur, quod anima Chriſti Domini ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem habuerit. Minor probatur: ad rationem carentiæ priuatiuæ alicuius perfectionis non ſufficit

nega-

negatio illius cum capacitate in ſubiecto, ſed inſuper eſt neceſſarium debitum talis perfectionis; ſed ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis, non eſt debita intellectui Chriſti creato; nam forma ſupernaturalis eſt ſupra exigentiam, & debitum omnis naturæ creatæ: ergo illius carentia non priuatiua, ſed negatiua eſt; & conſequenter non eſt imperfectio neceſſario in humanitate Chriſti vitanda.

85 *Quorundam explicatio.* Quo argumento nonnulli conuicti D. Thomam explicandum exiſtimant de ſcientia per ſe infuſa, non ſupernaturali, ſed naturali, cum docet ex illius carentia fore intellectum Chriſti imperfectum, & potentialem, quibus fauere videtur Caietanus *in hac q. art. 4. §. in corp. art. & infra q. 11. art. 6. §. ad hoc dicitur*; videturque fundamentum habere in doctrina D. Thomæ *in præſenti art. 3. ad finem*, vbi docet, ſpecies intelligibiles, quibus Chriſtus per ſcientiam infuſam res in proprio genere cognouit, eſſe humanæ menti proportionatas: ex quo ſequitur eſſe naturales; & conſequenter lumen iſtis ſpeciebus vtens, vel cui huiuſmodi ſpecies ſubſeruiunt, non ſupernaturale, ſed naturale eſſe debet. Et *art. 4. in corpore ad finem*, vbi docet, ſcientiam infuſam attribui animæ Chriſti ſecundum lumen deſuper infuſum, qui modus cognoſcendi eſt proportionatus naturæ Angelicæ; ſed ſupernaturalis cognitio, naturæ Angelicæ proportionata non eſt: ergo non loquitur D. Tho. de ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali, ſed de naturali, cum docet eſſe intellectu Chriſti ſtatuendam, ne imperfectus, & potentialis ſit.

86 *Prædicta explicatio reijcitur.* Hæc tamen doctrina falſa eſt, & contra D. Tho. Primum patet ratione ſupra facta contra ſolutionem Durandi. Secundum probatur primo ex doctrina D. Thom. *infra q. 11. art. 4.* vbi docet, ſcientiam infuſam Chriſto eſſe perfectiorem ex parte cauſæ influentis, ſcientia Angelis infuſa, & rationem reddit his verbis: *Quia lumen ſpirituali gratia, quod eſt in humanitate Chriſti, eſt multo perfectius, quam lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam*: ergo ſentit D. Thomas, eſſe ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem. Patet conſequentia primo, quia eſt ſcientia ſubſequuta ad gratiam, illique correſpondens; ſcientia autem, quæ ad gratiam ſubſequitur, eique correſpondet ſupernaturalis eſt. Secundo, nam licet anima Chriſti in donis gratiæ Angelos ſuperauerit, in naturalibus autem Angelos non adæquauit; ſed iuxta D. Thomam ſcientia infuſa animæ Chriſti eſt ſuperior, ſcientia Angelorum: ergo eſt ſupernaturalis.

87 *S. Thom.* Secundo probatur ex eodem D. Thom. *opuſc. 2. c. 216. prope finem cap.* illis verbis: *Sed quia Chriſtus ſecundũ humanam naturam non ſolum fuit reparator naturæ, ſed gratiæ propagator, affuit etiam tertia cognitio, qua pleniſſimè cognouit quidquid ad myſteria gratiæ poteſt pertinere, quæ naturalem hominis cognitionem excedunt, ſed cognoſcuntur ab hominibus, vel per donum ſapientiæ, vel per ſpiritũ propheticũ*; quod etiam docet Angelicus Doctor *infr. qu. 11. art. 7. in corp.* Ergo apertè ſentit D. Thomas præter cognitionem beatam, qua creaturæ cognoſcuntur in Verbo, & præter cognitionem rerum in ſe ipſis naturalem, eſſe in anima Chriſti ſcientiam rerum in proprio genere per ſe infuſam ſupernaturalem.

88 *Nec fauet D. Thom.* Nec motiua in oppoſitum vrgent: nam *in art. 3.* loquitur D. Thom. de ſpeciebus humanæ menti proportionatis, quoad modum limitationis, & coarctationis; quo circa *in eadem q. art. 6.* docet eſſe minus vniuerſales ſpeciebus Angelorum; non autem de proportione ſpecierum quoad ſubſtantiam, & prima proportio non repugnat illis, quamuis ſupernaturales ſint. Vel explicari poteſt de proportione habitudinis, non autem connaturalitatis, & exigentiæ, licet autem donis ſupernaturalibus repugnet proportionari cum natura proportione connaturalitatis, ita vt exigantur ab illa, non tamen repugnat illis cum natura proportio habitudinis, & conformitatis. Et ex his ad ſecundum teſtimonium conſtat ſolutio; loquitur enim D. Thomas de cognitione Angelis proportionata proportione quoad modum, ſcilicet, infuſionis à Deo, qui modus cognoſcendi proprius eſt Angelorum; non autem de cognitione proportionata naturæ Angelicæ proportione connaturalitatis; & licet hęc ſecũda proportio cognitioni ſupernaturali repugnet, non repugnat illi prima proportio; ac proinde ex eo quod ſcientia infuſa animæ Chriſti fuerit naturæ Angelicæ priori modo proportionata, non ſequitur eſſe naturalem.

89 *Reijcitur ſolutio.* Suppoſito ergo, loqui D. Thom. *in præſenti* de ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali, reſtat obiectioni factæ occurrere. Recentiores quidam ex noſtris reſpondent, negando minorem. Ad probationem conceſſa maiori, diſtinguunt minorem, illamque concedunt de intellectu animæ Chriſti ſecundum ſe accepto, & nudè conſiderato; ſic enim non poteſt illi forma ſupernaturalis deberi; negant vero de intellectu Chriſti, vt aſſumpto ad eſſe Verbi; ſic enim omnis forma ſupernaturalis eſt illi debita; ac proinde carentia ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturalis tametſi comparata ad intellectum Chriſti creatum ratione ſuæ entitatis, tantum negatiua ſit, collata autem cum intellectu Chriſti vt aſſumpto, & diuino Verbo vnito carentia priuatiua foret; & conſequenter imperfectionem induceret relegandam ab humanitate Chriſti ad diuinum eſſe aſſumpta.

Hęc tamen ſolutio niſi amplius explicetur, & aliunde iuuetur, ſufficiens non eſt; nam D. Thom. exinde probat, deberi ſcientiam infuſam ratione aſſumptionis à Verbo intellectui animę Chriſti; quia cum ſit ad illam in potentia, erit imperfectus, niſi reducatur ad actum: ergo imperfectio, quam D. Thomas remouendam cenſet ab intellectu Chriſti ratione aſſumptionis, non eſt in illo conſtituenda ratione debiti orti ex aſſumptione à Verbo, ſed antecedenter ad illam. Explicatur amplius: niſi in intellectu ratione alicuius diſtincti ab aſſumptione à Verbo aliqua imperfectio eſſet ſcientia per ſe infuſa carere, nulla eſſet ratio, cur ſcientia infuſa eſſet debita intellectui animę Chriſti ratione vnionis ad Verbum: ergo quod carentia iſtius ſcientiæ imperfectio ſit, quæ debeat ab intellectu Chriſti remoueri, non eſt probandum ex debito ratione aſſumptionis, ſed ex aliquo ab aſſumptione diſtincto. 90 *Prædicta ſolutio reijcitur.*

91 *Vera ſolutio traditur.* Quare prętermiſſa hac ſolutione reſponderi poteſt obiectioni factæ primò, negando maiorem; vt enim docet D. Thomas *infra q. 11. art. 1.* vt anima Chriſti eſſet omnino perfecta oportuit quod omnis eius potentialitas, tam naturalis, quam obedientialis ad actum reduceretur; potentialitas autem obedientialis non dicit carentiam perfectionis debitæ, ſed perfectionis non debitæ; eſt enim potentia obedientialis receptiua formarum ſupernaturalium quæ excedunt debitum omnis naturæ creabilis; ac proinde non ſolum debuit ratione vnionis ad Verbum excludi ab anima Chriſti imperfectio priuatiua, ſed etiam imperfectio negatiua conſiſtens in carentia formæ ante aſſumptionem non debitæ. Et ratio eſt, quia humanitati Chriſti ratione hypoſtaſis verbi debetur omnis perfectio poſſibilis cum maiori perfectione non pugnans, nec cum fine redemptionis; ac proinde eſt illi debita carentia omnis imperfectionis, ſiue priuatiua, ſiue negatiua ſit. Nec ſequitur, Deum Chriſto contuliſſe omne id, quod contradictionem non implicat; non enim debetur humanitati aſſumptæ ratione vnionis cum Verbo omnis perfectio poſſibilis, niſi in aliquo determinato conſiſtat; ſi namque indeterminata ſit, nec terminum habeat, ſed ſyncathegorematicè ſit infinita, cum nequeat ad actum plenè reduci, ſed ſemper magis, ac magis creſcere, aut intendi poſſit, non eſt debita humanitati Chriſti in omni gradu poſſibili. Pro quo recollantur, quæ docuimus *tract. 5. diſp. 26. §. 2. n. 18. & diſp. 31. §. 7. num. 158.*

92 *Obijcitur S. Thom.* Sed contra iſtam ſolutionem obſtare videtur primo doctrina D. Thom. *quæſt. 8. de Veritate art. 4. ad 13.* vbi expreſsè docet, aliquid reddi imperfectum ex carentia illorum, ad quæ eſt in potentia naturali, non autem ex carentia illorum, ad quæ eſt in potentia obedientiæ. Verba D. Thom. ſunt: *Quædam vero potentia eſt obedientiæ tantum; & ſi talis potentia non reducitur ad actum, non erit potentia imperfecta*: ergo ex mente D. Thom. carentia perfectionis, ad quam tantum datur obedientialis potentia in ſubiecto, non eſt imperfectio in illo, ac proinde non eſt cur ſi ad ſcientiã per ſe infuſam ſolum datur in intellectu Chriſti obedientialis potentia, debeat carentia illius excludi ab humanitate aſſumpta ratione vnionis cum Verbo.

93 *Obijcitur ſecundo S. Thom.* Secundo obſtare videtur Angelicus Doctor ibidem in 2. *ſolutio.* qua occurrit præfato argumento illis verbis: *Vel dicendum, quod ſi aliqua potentia ad duas perfectiones ordinatur, quarum prima ſit propter ſecundam, non erit imperfecta potentia, ſi habeat ſecundam ſine prima; omnis autem cognitio creaturæ ordinatur ad cognitionem Dei: & ideo, ex quo intellectus creatus cognoſcit Deum, etiam dato per impoſſibile, quod nullam creaturam ſciret, non eſſet imperfectus*; ergo iuxta D. Tho. ſuppoſita viſione beatifica in intellectu Chriſti creato, imperfectus non eſſet, quamuis ſcientia per ſe infuſa

terminata ad creaturas in ſe ipſis careret.

94 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negari non poſſe, quod ſit aliqua imperfectio, carentia perfectionis, etſi debita non ſit, ſi adſit ad illam capacitas in ſubiecto; gratia namque non debetur naturæ, & tamen ſine gratia eſſet natura imperfecta. Cum ergo D. Thomas docet imperfectionem non eſſe, carentiam perfectionis, ad quam ſolum datur potentia obedientialis in ſubiecto, loquitur de imperfectione anxietatem cauſante, quæ ſtatui beatitudinis opponatur; vt per hoc ſaluetur, Angelos eſſe beatos, etſi non cognoſcant omnia. Quæ doctrina confirmatur ex ſecunda ſolutione, qua docet, Deo cognito in beatitudine, non fore intellectum beatum imperfectum, quamuis nullam cognoſceret creaturam. Quibus verbis non poteſt Angelicus Doctor negare omnem modum imperfectionis in intellectu beati, caſu in quo, videndo Deum, nullatenus creaturas cognoſceret; cum ſaltim carentia cognitionis naturalis creaturarum non poſſit aliqua imperfectio non eſſe. Solum ergo docet, carentiam cognitionis creaturarum in intellectu Deum vidente, non eſſe imperfectionem oppoſitam ſubſtantiæ beatitudinis; quod veriſſimum eſt; non autem quod nullatenus ſit imperfectio. Et hoc ſufficit, vt debeat in humanitate aſſumpta vitari. Et ex his conſtat ad ſecundam obiectionem ſolutio.

95 *Reſpondetur 2.* Vel ſecundo reſponderi poteſt ad vltimum argumentum *num.* 48. propoſitum, concesſe maiori, negando minorem. Ad illius probationem, concesſa maiori, diſtinguo minorem, illamque concedo de intellectu ratione ſuæ naturæ; ſic enim ſupernaturalis forma non poteſt illi eſſe debita; nego autem de intellectu, vt ad ordinem gratiæ eleuato, & ratione gratiæ eleuantis; ſic enim ſupernaturalem formam eſſe debitam naturæ, conceptui ſupernaturalitatis non obſtat; nam gratiæ, & animæ gratæ ratione gratiæ, proprietates gratiam conſequentes debentur, quin ex hoc ſupernaturalitatem amittant; neganda eſt conſequentia. Itaque, vt docet D. Thomas *opuſc.* 2. *cap.* 216. Chriſto, quia non fuit ſolum reparator naturæ, ſed etiam gratiæ propagator, debentur, non ſolum quæ ſunt debita naturæ ſecundum ſe, ſed etiam, quæ ſunt debita gratiæ; & illa quorum carentia priuatiua eſt, non ſolum ratione debiti naturæ ſecundum ſe, ſed etiam illa quorum carentia priuatiua eſt ratione debiti ad gratiam; licet autem ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis non debeatur intellectui animæ Chriſti ratione nudæ naturæ, debetur tamen gratiæ in aliquo ſui ſtatu; & ideo fuit debita Chriſto, illique conferenda, ne illius intellectus, vt ad ordinem gratiæ eleuatus eſſet priuatiuè imperfectus. Huic ſolutioni lucem dedit
Caiet. Caietanus *in hac q. art.* 3. *& infra q.* 11. *art.* 1. *verſ. in quo* 1. *recollendum eſt, &c.*

---

§. VI.

De ſcientia per ſe infuſa naturali.

96 *Tertia concluſio.* TERTIA CONCLVSIO. *Fuit in anima Chriſti Domini ſcientia naturalis per ſe infuſa quoad ſpecies, non vero per ſe infuſa quoad habitum.* Primam partem huius concluſionis inſinuant
Capreol. Capreolus *in* 3. *diſt.* 14. *q. vnic. art.* 3. *ad* 1. *contra ſecundam concluſionem*,
Caiet. Caietanus *in hac q. art.* 4. *verſ. in corpore art. ad finem, & infra q.* 11.
Medina *in comment. art.* 6. *verſ. ad hoc dicitur*, & Medina *circa*
Lorca. *eandem art.* illam expreſsè tenent Lorca *diſp.* 49. *n.* 15. &
Cippul. Cipullus *infra q.* 11. *art.* 6. *dub. vnic.* §. 3. *nu.* 21. Secundam partem concluſionis pauci attigerunt, imo & de prima concluſionis parte præter recenſitos paucis expreſsè ſunt loquuti.

97 *Prima pars probatur 1.* Prima pars concluſionis oſtenditur primò ex D. Thoma *opuſc.* 2. *c.* 216. vbi duplicem rerum cognitionem diſtinguens, vnam intra Verbum, ex vi cognitionis Verbi, alteram autem in ſe ipſis, hanc in Angelicam, & humanam ſubdiuidens, diſcrimine ſumpto, ex eo quod Angeli rerum cognitionem in ſe ipſis per ſpecies diuinitus infuſas eliciunt, homines vero per ſpecies miniſterio ſenſuum collectas; & rurſus, tam Angelorum, quam hominum cognitionem rerum in ſe ipſis in naturalem, & ſupernaturalem diſtribuens, hæc verba ſubiecit:
S. Thom. *Et quia nulla perfectio creaturis exhibita, animæ Chriſti, quæ eſt creaturarum excellentiſſima deneganda eſt, conuenienter præter cognitionem, qua Dei eſſentiam videt, & omnia in ipſa, triplex alia cognitio eſt ei attribuenda, vna quidem experimentalis, ſicut alijs hominibus inquantum aliqua per ſenſus cognoſcit, vt competit humanæ naturæ; alia vero diuinitus infuſa ad cognoſcenda omnia illa, ad quæ naturalis cognitio hominis ſe extendit, vel extendere poteſt, conueniens enim fuit, &c.* Et paucis interpoſitis ita proſequitur: *Sed quia Chriſtus ſecundum humanam naturam, non ſolum fuit reparator naturæ, ſed etiam gratiæ propagator, affuit ei etiam tertia cognitio, qua pleniſſimè cognouit quidquid ad myſteria gratiæ poteſt pertinere*: ergo iuxta D. Thomam præter ſcientiam acquiſitam, & præter ſcientiam rerum ſupernaturalem, conſtituenda eſt in anima Chriſti Domini ſcientia naturalis rerum in ſe ipſis per ſe infuſa ex parte ſpecierum.

Dices, loqui Angelicum Doctorem de ſcientia naturali rerum in ſe ipſis, non per ſe, ſed per accidens infuſa, & hanc verum eſt in anima Chriſti fuiſſe; ex hoc autem non colligitur eſſe in illa conſtituendam ſcientiam rerum in ſe ipſis naturalem per ſe infuſam ex parte ſpecierum, de qua noſtra concluſio procedit. 98 *Dices.*

Sed contra primo: nam ſcientia infuſa per accidens non diſtinguitur ſpecie, ſed numero tantum à ſcientia naturali habita per ſpecies miniſterio ſenſuum collectas, quæ experimentalis dicitur; & conſequenter non poteſt cum illa ſimul in anima Chriſti, exiſtere, iuxta communem Angelici Præceptoris doctrinam negantem duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto ſimul exiſtere poſſe. Sed iuxta D. Thomam ſcientia infuſa naturalis exiſtit in intellectu Chriſti ſimul cum ſcientia experimentali habita per ſpecies miniſterio ſenſuum collectas, vt conſtat ex verbis adductis: ergo non loquitur de ſcientia infuſa per accidens, ſed de ſcientia naturali per ſe infuſa. 99 *Sed contra 1.*

Secundo: nam ratio, qua probat D. Th. ſcientiam naturalem infuſam eſſe conſtituendam in anima Chriſti Domini, eſt, quia nulla perfectio creaturis exhibita eſt neganda animæ Chriſti; ſcientia autem naturalis rerum habita per ſpecies diuinitus infuſas conuenit Angelis; ac proinde concedenda eſt intellectui animæ Chriſti; ſed ſcientia naturalis rerum, quæ conuenit Angelis eſt per ſe, & non per accidens infuſa ex parte ſpecierum, vt ex communi ſententia Theologorum ſupponimus: ergo ſcientia naturalis rerum in ſe ipſis, quam D. Th. *loco allegato* attribuit animæ Chriſti, non eſt infuſa per accidens, ſed per ſe ex parte ſpecierum. 100 *Contra.*

Secundo probatur prima pars concluſionis alio teſtimonio D. Thomæ *infra q.* 11. *art.* 1. *in corp.* vbi docet, per ſcientiam diuinitus inditam fuiſſe reductam ad actum, non ſolum potentiam obedientiæ, qua poteſt anima ſupernaturalia cognoſcere, ſed etiam naturalem animæ noſtræ potentiam, qua poteſt intelligere omnia, quæ pertinent ad ſcientias humanas; vbi Angelicum Doctorem loqui de ſcientia, non per accidens, ſed per ſe infuſa, concors eſt interpretum D. Th. ſententia: & conſtat, nam loquitur de illa ſcientia, cuius exiſtentiam *in hac q. art.* 3. in anima Chriſti monſtrauerat; hæc autem per ſe infuſa eſt; cum ſit ſpecie diſtincta à ſcientia per ſe acquiſibili, & quæ per accidens poteſt infundi. At per ſcientiam ſupernaturalem non fuit reducta ad actum naturalis animæ Chriſti potentia; non enim exercetur naturalis potentia per actum ſupernaturalem: ergo ſenſit D. Thomas fuiſſe in anima Chriſti Domini ſcientiam rerum in ſe ipſis naturalem per ſe infuſam. 101 *Secundo teſtimonium D. Th.*

Reſpondebis, falſam eſſe minorem: poteſt namque naturalis potentia per actum ſupernaturalem ſatiari, vt conſtat in potentia naturali humanitatis ad propriam, & ſibi connaturalem ſubſiſtentiam, quæ per Verbi perſonalitatem ſupernaturalem ſatiatur, vt frequentius docent Theologi *ſupra q.* 2. *art.* 1. *& q.* 4. *art.* 2. aliàs violentiam perpetuam pateretur Chriſti humanitas propria perſonalitate priuata. Conſtat etiam in appetitu noſtro naturali, quo propendimus in naturalem beatitudinem, qui per viſionem Dei ſupernaturalem ſatiatur: ex quo manifeſtè ſequi videtur potentiam naturalem poſſe ad actum per ſupernaturalem formam reduci; nequit enim appetitus potentiæ ſatiari, niſi reducatur ad actum; & conſequenter ſi per actum ſupernaturalem appetitus potentiæ naturalis ſatiatur, per actum ſupernaturalem exercetur, & de actu primo ad ſecundum transfertur. 102 *Reſpondebis.*

Sed contra, nam eſto aliquando potentia naturalis materialiter exerceatur, actueturque per formam, vel actum ſupernaturalem, & per hoc appetitus naturalis ſatietur, vt contingit in exemplis adductis; formaliter tamen 103 *Sed contra.*

nec

nec exerceri, nec actuari valet per actum ſupernaturalem, ſed tantum per actum naturalem; at Diuus Thomas intelligendo eſt de actuatione, & exercitio potentiæ naturalis formalitèr: ergo neceſſario eſt accipiendus de ſcientia per ſe infuſa naturali, Illatio eſt informa. Maior certa, ſuppoſita, vt debet ſupponi, virtuali diſtinctione potentiæ naturalis à potentia obedientiali. Minor autem probatur; vt enim conſtat ex ſolutione *ad ſecundum argumentum eiuſdem art.* loquitur de reductione ad actum eiuſdem rationis cum illo, per quem animam ſeparatam exerceri docuerat 1 *p. q.* 89. *art.* 1. vbi ſe in prædicta ſolutione remittit: ſed actus, quo anima ſeparata actuatur, & per quem exercetur, cognoſcendo ſubſtantias ſeparatas, eſt exercitium, & actualitas potentiæ naturalis formaliter; ſcientia namque infuſa animæ in ſtatu ſeparationis naturalis eſt in communi Theologorum ſententia: ergo loquitur Angelicus Doctor *loc. in arg.* adducto de exercitio, & actuatione potentiæ naturalis formalitèr; & conſequenter neceſſario eſt accipiédus de ſcientia per ſe infuſa naturali.

104 *Tertio probatur ex D. Th.* Tertio probatur ex D. Thoma *infra q.* 11. *art.* 2. *in corp.* ibi: *Dicendum, quod Chriſtus in ſtatu ante Paſſionem fuit ſimul viator, & comprehenſor, & præcipuè quidem conditiones viatoris habuit ex parte corporis in quantum fuit paſſibile; conditiones verò comprehenſoris maximè habuit ex parte animæ intellectiuæ; eſt autem hæc conditio animæ comprehenſoris, vt nullo modo ſubdatur ſuo corpori, &c.* Sed ſi non habuiſſet ſcientiam naturalem per ſe infuſam, non habuiſſet anima Chriſti conditionem comprehenſoris quoad omnimodam independentiam à corpore; cum in omni cognitione naturali à phantaſmate dependeret, vel ſaltim ab ordine ad illud: ergo habuit anima Chriſti ſcientiam rerum in ſe ipſis naturalem per ſe infuſam.

105 *D. Thom.* Id ipſum docuit D. Thomas *q.* 20. *de Veritate art.* 3. *ad* 1. ibi: *Tamen oportet addere, quod cum Chriſtus eſſet comprehenſor, & viator, habuit vtrumque modum conſiderandi, vnum, quo Angelis conformabatur, vt ſine diſcurſu conſideraret, alium quo per conuerſionem ad phantaſmata, quod quidem Chriſti proprium eſt, vt ſcilicet, vtcumque modum habeat, cui competit eſſe comprehenſorem, & viatorem ſimul*; ſed Angeli, non ſolum in ſupernaturali cognitione, ſed etiam in cognitione naturali ſunt omnino à corpore independentes, & in vtroque ordine ſine conuerſione ad phantaſmata intelligunt: ergo Chriſtus in vtroque ordine cognoſcendi, naturali, nempè, & ſupernaturali oportuit, quod illis conformaretur; & conſequenter habuit ſcientiam naturalem à corpore, & à phantaſmate independentem; quod eſſe non potuit, niſi habuerit ſcientiam naturalem per ſe infuſam quoad ſpecies; ſcientia namque humana naturalis, eſto per accidens infundatur, ordinem ad phantaſmata importat.

106 *Prima ratio.* Et ex his teſtimonijs triplex ratio ad probandam primam partem concluſionis deducitur: prima ex primo teſtimonio in hunc modum: omnis perfectio creaturis exhibita concedenda eſt humanitati Chriſti ratione vnionis ad Verbum; ſed ſcientia naturalis per ſe infuſa ex parte ſpecierum eſt perfectio conueniens Angelis: ergo animæ Chriſti attribuenda.

107 *Secunda ratio.* Secunda, ex ſecundo teſtimonio ad hanc formam redacta: omnis potentia receptiua animæ Chriſti debuit ad actum reduci, ne imperfecta poſt aſſumptionem maneret; nam omne, quod eſt in potentia imperfectum manet, niſi reducatur ad actum, vt docet D. Th. *in hac q. art.* 1. 2. *&* 3. ſed anima Chriſti Domini eſt in potentia ad recipiendas ſpecies, non ſolum à phantaſmatibus miniſterio intellectus agentis abſtractas, ſed etiam à Deo infuſas: ergo huiuſcemodi ſpecies recepit; & conſequenter habuit ſcientiam naturalem per ſe infuſam ex parte ſpecierum.

108 *Reſpondebis primæ rationi.* Reſpondebis, maiorem primi argumenti eſſe veram, ſi ad omnem perfectionem alijs creaturis exhibitam, ſit in humanitate Chriſti capacitas: falſam autem ſi capacitas ad aliquam illarum in humanitate Chriſti non ſit; & conceſſa minori, negabis conſequentiam. Nam anima Chriſti Domini, vtpote coniuncta corpori, non eſt capax ſpecierum non dicentium ordinem ad phantaſmata: & proinde, nec capax eſt ſpecierum, quæ per ſe petant haberi per infuſionem à Deo; huiuſmodi namque ſpecies non important ordinem ad phantaſmata; & ideo quamuis reperiantur in Angelis, non ſunt animæ Chriſti attribuendæ.

109 *Reſpondebis 2. argumento.* Et ex his ad ſecundum argumentum reſpondebis, conceſſa maiori, negando minorem. Nam licet animæ à corpore ſeparatæ conueniat potentia naturalis receptiua ſpecierum naturalium per ſe infuſarum, & à corpore independentium, animæ tamen coniunctæ, & corpori vnitæ, huiuſmodi naturalis potentia receptiua ſpecierum naturalium non conuenit; & conſequentèr nec in anima Chriſti inuenitur pro ſtatu coniunctionis cum corpore.

110 *Sed contra.* Sed contra iſtam euaſionem obſtat tertia ratio ex tertio, & quarto teſtimonio deſumpta. Nam animæ à corpore ſeparatæ debetur modus cognoſcendi independens à phantaſmatibus, quia in illo ſtatu eſt independens à corpore, modus autem operandi ſequitur modum eſſendi: ſed anima Chriſti Domini, eſto ſit corpori vnita, eſt tamen independens à corpore, & illi quoad cognitionem non ſubdita: ergo debitus eſt illi modus cognoſcendi à phantaſmatibus independens; & conſequenter ſunt illi debitæ ſpecies per ſe infuſæ naturales à corpore indepédentes, eſtque in illa ad tales ſpecies recipiendas capacitas naturalis. Maior eſt D.Th. 1.*p. q.* 89. *art.* 1. Conſequentia eſt legitima. Minor autem in hunc modum probatur, nam anima Chriſti Domini fuit à primo inſtanti ſuæ conceptionis beata; ſed vna ex conditionibus animæ beatæ eſt, eſſe à corpore in cognoſcendo independens: ergo anima Chriſti Domini eſt independens à corpore in cognoſcendo.

111 *Confirmatur 1.* Quod amplius confirmari poteſt primò; nam anima Chriſti Domini ſolum fuit ſubdita corpori in his, quæ ad ſaluandum myſterium noſtræ redemptionis neceſſario conducebant; ideoque impaſſibilitas non tranſiuit ex anima ad corpus, ſed mortale, & paſſibile manſit, vt locus noſtræ redemptionis per mortem, & paſſionem daretur: ſed quod à corpore in omni cognitione naturali penderet, non erat ad redemptionis finem neceſſarium: ergo talem dependentiam non habuit; & conſequentèr potuit ſine dependentia à corpore, & ab ordine ad phantaſmata cognitionem aliquam naturalem elicere, quod ſine ſpeciebus abſolutis ab ordine ad phantaſmata, & per ſe infuſis à Deo non poteſt ſubſiſtere.

Confirmatur 2. Confirmatur, & vrgetur ſecundo, nã anima puri viatoris, quamdiu eſt corpori coniuncta, non ſolum dependet à corpore in cognitione naturali, ſed etiam à phantaſmatibus in ſupernaturali cognitione dependet; & tamen anima Chriſti ob independentiam à corpore, & eleuationem ſupra illud ratione ſtatus beatifici, non dependet à phantaſmatibus in ſupernaturali cognitione, vt conſtat ex dictis; aliàs ſcientiam per ſe infuſam non habuiſſet: ergo paritèr, quamuis ſit corpori vnita, non fuit ſubiecta corpori in omni cognitione naturali, ſed aliquam habuit à corpore omnino abſolutam, & ab illo independentem; & conſequentèr habitam per ſpecies naturales per ſe infuſas à Deo, independentes à corpore, & ab ordine ad phantaſmata.

112 *Ante probationem Secundæ partis ſupponitur 2.* Reſtat probanda ſecunda pars concluſionis, in qua aſſerimus, non fuiſſe in anima Chriſti ſcientiam naturalem per ſe infuſam quoad habitum. Ante cuius probationem tria ſunt aduertenda. Primum eſt, ſcientiam quandoq; accipi pro ſpeciebus, ſicq; illam accepit D. Th. 1.2. *q.* 50. *art.* 6. iuxta intelligentiam Caietani, & aliorum. Quandoq; vero pro habitu ſe tenente ex parte potentiæ, illiq; præſtante facilitatem. Et licet in controuerſia ſit poſitum, an habitus ſcientificus in ſolis ſpeciebus conſiſtat, an vero in habitu ab ſpeciebus diſtincto illas ordinante, & præbente facilitatem potentiæ, iam tamen ſententia hoc ſecundum affirmans inualuit, illamq; frequentius tenent Logici, Metaphyſici, & Theologi.

113 *Quæſtio incidens de Angelis.* Secundo *aduertendum* eſt, quæſtioné eſſe inter Theologos 1.*p. q.* 58. *art.* 1 *&* 1.2. *q.* 50. *art.* 6. an in Angelis prætèr ſpecies illis congenitas à principio ſuæ creationis conſtituendi ſint habitus intellectuales dantes facilitaté ad actũ, vel ſcientifici, vel opinatiuum; Et in tres ſententias diuidi. *Prima ſententia* Prima, omnem habitum ab ſpeciebus diſtinctum ab intellectu Angelico relegat; eo quod ob maximam perfectionem nullam habet difficultatem in naturali obiecti cognitione, ſed obiecto per ſpeciem propoſito ſine vlla difficultate fertur in illud per actum ſcientificum, vel opinatiuum, iuxta merita intelligibilitatis obiecti: cum autem habitus naturalis ad difficultatem aliquam vincendam ordinetur; & conſequentèr vbi difficultas ſuperanda non ſupponitur, habitui locus non ſit; quocirca nec in Deo, nec in potentia viſiua noſtra habitus conſtituimus: conſequens ſit, quod, in Angelis in ordine ad naturalem cognitionem habitus ad ſpeciebus diſtinctus non detur. Ita Marcus de la Serra 1.2. *q.* 50. *art.* 6. & Magiſter S. Thom. *tom.* 2. *in* 2. *diſp.* 13. *art.* 2. *verſ. vlt.* referens pro ſe Caietanum. *Marc. de la Serra. M.S.T.*

114 Secunda docet, prætèr ſpecies obiectiuè ad cognitionem

nem concurrentes, & ad illam determinantes, non dari habitum naturalem in Angelis in ordine ad cognitionem euidentem, benè verò in ordine ad opinatiuam, obſcuram, & coniecturalem, eo quod in ordine ad has cognitiones, non eſt ita determinatus intellectus Angelicus, vt difficultatem non ſentiat. Hanc tenet Nazarius 1. p. q. 58. art. 1. contr. 1. pro illa referens Magiſt. Bañez, Zumelem, Suarez, & alios. Tenet etiam Gregorius Martinez 1. 2. q. 50. art. 6.

Secunda ſententia. Nazar. Magiſt. Banez. Zumel. Suar. Gregor. Mart.

115 *Tertia ſententia.* Tertia docet, in ordine ad omnem cognitionem naturalem egere intellectum Angeli habitu ab ſpeciebus diſtincto, vel quia in Angelo non ſupponitur omnimoda facilitas, ſed poſitiua aliqua difficultas eſt in eius intellectu in ordine ad cognitionem naturalem, ſiue euidens ſiue non euidens ſit. Vel quia vt alij volunt, ad habitum naturalem, & ad indigentiam illius non eſt neceſſarium difficultatem poſitiuam in potentia præſupponi, ſed ſufficere difficultatem negatiuam; vnde habitus eſt neceſſarius, vel ad vincendam difficultatem præſuppoſitam in potentia, vel ad præſtandam maiorem facilitatem, cl[i]la, quæ in potentia præſupponitur. Hanc ſententiam pluribus relatis ſequuntur PP. Salmaticenſes tom. 1. in 1. 2. tract. 12. diſp. 2. dub. 4. §. 2. & 3. & iuxta ſecundum modum dicendi illam tenent Recentiores aliqui Societatis.

PP. Salmaticenſ. Recentior.

116 *Tertio eſt notãdũ.* Tertio eſt aduertendum ex D. Thom. 1. p. q. 89. & ex communi Theologorum, & Metaphyſicorum ſententia, animam in ſtatu ſeparationis intelligere per ſpecies à Deo infuſas, & admodum, quo intelligunt Angeli, ſcilicet ſine diſcurſu, & per conuerſionem ad ſuperiora: vnde cum in illo ſtatu ad modum Angelorum intelligat, eadem difficultas poteſt controuerti de illa, an ſcilicet, egeat habitibus naturalibus ab ſpeciebus impreſſis diſtinctis, & eaſdem circa animam in ſtatu ſeparationis ceterit poſſe ſententias, quas de Angelis in ordine ad cognitionem naturalem retulimus, à quibus Nos in præſenti cenſuimus abſtrahendum. Igitur abſtinendo pro nunc ab illius quæſtionis reſolutione, quia propriam ſedem habet loc. proximè alleg. quod in præſenti aſſerimus, eſt, habitum iſtum ſcientificum animæ ſeparatæ conuenientem; & conſequenter animæ Chriſti conceſſum, ſi ab ſpeciebus impreſſis, & ab intellectu conſtituatur diſtinctus, non eſſe habitum per ſe infuſum, ſed tantum per accidens.

117 *Suadetur ſecunda pars conclusionis.* His breuiter præſuppoſitis, ſecunda pars noſtræ concluſionis ſuadetur; nam ſolus ille habitus eſt per ſe infuſus, qui per ſe requiritur ad ſubſtantiam operationis; ſed habitus naturalis ſcientificus, ſi in anima ſeparata, & in anima Chriſti inuenitur reſpectu intellectionis naturalis elicitæ medijs ſpeciebus infuſis, non eſt per ſe requiſitus ad ſubſtantiam intellectionis, ſed ſolum ad illius facilitatem, vt, ſcilicet, potentia intellectiua promptè, & delectabiliter operetur: ergo non eſt per ſe infuſus. Illatio eſt in forma. Minor certa. Nam tunc ſolum habitus per ſe requiritur ad ſubſtantiam operationis cum potentia ſine habitu ad illius elicientiam non ſufficit; ſed ad prædictam intellectionem eliciendam, ſufficit ſola potentia intellectus concurrentibus ſpeciebus obiectiuè; cum ſufficiat ad eliciendam intellectionem per conuerſionem ad phantaſmata habitam: ergo habitus ab ſpeciebus, & intellectu diſtinctus, non eſt per ſe requiſitus ad prædictam intellectionem. Maior autem probatur; nam ſolus ille habitus eſt per ſe infuſus, ad quem producendum non reperitur in actibus actiuitas ſufficiens intrinſeca; ex namque ipſo, quod in noſtris actibus ſit intrinſeca actiuitas ſufficiens ad producendum habitum, non petit per ſe talis habitus ab alio agente produci, vel ab extrinſeco infundi; ſed ad ſolum illum habitum non datur actiuitas ſufficiens intrinſeca, qui per ſe ad illorum ſubſtantiam ſupponitur; nã ex ipſo quod habitus ad ſubſtantiam actuum non ſupponatur per ſe, poſſunt actus ipſum præcedere, & non eſt cur ex illorum repetito exercitio nequeat produci: ergo ſolus ille habitus per ſe petit infundi; & conſequenter eſt per ſe infuſus, qui per ſe prærequiritur, & præſupponitur ad ſubſtantiam noſtrarum operationum.

118 *Corollar. ex dictis.* Ex quo, licet obiter colligo, falſam eſſe illorum Logicorum ſententiam, qui habitum primorũ principiorũ conſtituunt ab intellectu noſtro, & ſpeciebus impreſſis diſtinctũ, & ſimul aſſerunt eſſe nobis congenitum, vel ab extrinſeco infuſum. Et inſuper illorum Theologorum ſententiam, qui 1. p. q. 58. art. 1. & 1. 2. q. 50. art. 6. tuentur in intellectu, & voluntate Angelicis dari habitus naturales realiter ab his potentijs, & ſpeciebus infuſis diſtinctos; & ex alia parte docent, vel conſequi per naturalem dimanationem ad Angelicam ſubſtantiam, ſicut de ſpeciebus Angelorum impreſſis plures probabiliter docent, vel à Deo Angelis infundi, non per accidẽs, ſed per ſe, ſicut de ſpeciebus impreſſis tenet frequentior, probabiliorque ſententia. Quarum ſententiarum falſitas ratione facta facile deprehenditur; nam ex ipſo, quod prædicti habitus ſint naturales, non ſupponuntur per ſe ad ſubſtantiam propriarum operationum, ſed ſolum requiruntur, vt à potentijs promptè, & delectabiliter eliciantur: ergo poſſunt prædictæ operationes naturaliter tales habitus præcedere; & conſequenter ex illarum repetitu exercitio produci: ex quo vlterius fit, vt non poſſint per ſe exigere, vel ab extrinſeco infundi, vel dimanare ab intrinſeco.

119 *Fuit prædictus habitus per accidens Christo infuſus.* Quod autem prædictus habitus fuerit per accidens Chriſto infuſus à primo ſuæ conceptionis inſtanti, probatur; nam tali habitu admiſſo in intellectu Chriſti in ordine ad intellectionem naturalem, ſine illo difficulter intellectionem eliceret; ſed hoc aſſerendum non eſt: ergo eſt conſtituendus in intellectu Chriſti præcedenter ad prædictam intellectionem; & conſequenter aſſerendum eſt, fuiſſe per accidens Chriſto infuſum à primo ſuæ conceptionis inſtãti. Vtraque conſequentia ex præmiſſis bene infertur. Maior conſtat; nam ſi talis habitus datur, eſt vt intellectus Chriſti mediante illo promptè, facilè, & delectabiliter eliciat intellectionem: ergo ſine illo, nec facilè, nec promptè, nec delectabiliter operabitur. Minor autem probatur; nam Chriſto concedendum eſt, quod magis decet eius dignitatem; ſed magis decet dignitatem Chriſti, quod promptè, facilè, & delectabiliter eliciat intellectionem, quam quod difficulter operando, & ſine ſuauitate, & delectatione eliciendo intellectionem per ſe ipſum, habitum prædictum acquirat: ergo hoc ſecundum eſt negandum, & aſſerendum eſt primum.

120 *Confirmatur à ſimili.* Quod confirmatur à ſimili; magis enim decet dignitatẽ Chriſti, media gratia habituali ſuppoſita, operationes ſupernaturales connaturaliter elicere, quàm quòd medijs prædictis actibus eliciti, non connaturaliter gratiam habitualem per meritum proprium haberet: ergo pariter magis decet Chriſti dignitatem, facilè, & delectabiliter elicere intellectionem, quam quod media intellectione difficulter à ſe elicita acquirat prædictum habitum; & conſequenter, aſſerendum eſt, talem habitum, ſuppoſito, quod intellectu animæ Chriſti admittatur, præceſſiſſe intellectionem, & non fuiſſe acquiſitum per illam: ex quo vlterius ſequitur, quod fuerit per accidens Chriſto infuſus à primo ſuæ conceptionis inſtanti.

---

§. VII.

Diluuntur contraria argumenta.

121 NVllus, quem viderim, primæ parti noſtræ concluſionis expreſsè contradicit; plures tamen, dum de ſciẽtia per ſe infuſa animæ Chriſti diſputationem inſtituunt, videntur ſupponere ſolum eſſe ſupernaturalem, & conſequenter ſcientiam per ſe infuſam naturalẽ in anima Chriſti negare. Contra illam argumentari poſſumus primò, nam de eadem ſcientia per ſe infuſa loquitur Angelicus Doctor locis à Nobis adductis, de qua agit q. 20. de Veritate art. 3. ſed ibi agit de ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali, non vero de naturali: ergo etiam in teſtimonijs pro noſtra concluſione allegatis; & conſequenter ſcientia naturalis per ſe infuſa quoad ſpecies in anima Chriſti Domini ad mentem D. Thomæ non eſt. Maior eſt certa, vt conſtabit teſtimonia Angelici Præceptoris inter ſe conferenti. Minor autem probatur ex verbis vltimis, quibus ita corpus art. cit. concludit: *Habuit ergo Chriſtus hanc perfectionem, vt per ſcientiam ſibi diuinitus infuſam, res in propria natura cognoſceret multo ſecùs, quam homo in ſtatu innocentia, vel Angeli ſecundum cognitionem naturalem*: vbi, vt clare conſtat, loquitur Angelicus Doctor de ſcientia infuſa, in qua anima Chriſti excedit naturalem cognitionem Angelorum; ſed in cognitione ſcientiæ per ſe infuſa naturalis non excedit anima Chriſti cognitionem naturalem Angelicam; eſt enim eiuſdem rationis cum cognitione animæ ſeparatæ habita per ſpecies infuſas, quam eſſe multo inferiorem Angelicam cognitione, eſt conſtans Theologorum ſententia, idque expreſsè docet Diu. Thomas

Primum argumentum. S. Thom.

Thomas 1. p. q. 89. *art.* 1. & 2. ergo loquitur Angelicus Doctor *loc. ex diſp. relat.* de ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali, non autem de ſcientia naturali per ſe infuſa quoad ſpecies.

122 *Confirmatur.* Confirmatur; nam iuxta D. Thom. 1. p. q. 89. *art.* 2. *ad* 4. cognitio animæ rationalis in ſtatu coniunctionis cum corpore perfectior eſt cognitione naturali animæ ſeparatæ habita per ſpecies infuſas; & conſequenter etiam eſt perfectior cognitione naturali conueniente animæ Chriſti per ſimiles ſpecies habita; hæc enim eſt eiuſdem rationis, & eiuſdem perfectionis cum illa, quæ conuenit animæ rationali in ſtatu ſeparationis à corpore; ſed cognitio de qua Angelicus Doctor loquitur in *art. alleg.* eſt perfectior cognitione conueniente homini in ſtatu innocentiæ, in quo anima erat corpori coniuncta, vt conſtat ex verbis adductis: ergo non eſt cognitio naturalis, ſed ſupernaturalis; & conſequenter etiam in illis locis, ex quibus noſtram concluſionem probauimus, eſt de cognitione non naturali, ſed ſupernaturali accipiendus.

123 *Reſponſio ex doctrina Caietani.* Huic argumento videtur, reſponderi poſſe ex Doctrina Caietani *infra q.* 11. *art.* 1. *verſ. Nam ſecundo*, conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem, conceſſo, quod D. Thom. loquatur de illa cognitione, in qua anima Chriſti Domini excedit naturalem cognitionem Angelorum, negando minorem, & doctrinam in probatione aſſumptam. Inquit enim Caietanus, communicationem, ſeu conuenientiam animæ Chriſti cum anima ſeparata in modo cognoſcendi, ſolum eſſe quoad ſubſtantiam modi, nempè, ſine dependentia à phantaſmate; non autem quoad perfectionem. Nam licet anima Chriſti, & anima ſeparata conueniant in cognoſcendo ſubſtantias ſeparatas per ſpecies infuſas à Deo; differunt tamen in hoc, quod anima Chriſti perfectè, & diſtinctè ſubſtantias ſeparatas cognoſcit, ſecus autem anima ſeparata: vnde licet illa in cognitione naturali habita per ſpecies infuſas, ab Angelis excedatur, anima Chriſti non exceditur ab Angelis, ſed potius illos excedit.

124 *Deſeritur.* Hæc tamen Caietani doctrina, ſi de cognitione ſupernaturali animæ Chriſti procedat, veriſſima eſt, vt ex dicendis *infra q.* 11. conſtabit. Si vero de ſcientia naturali per ſe infuſa intelligatur, ex eo difficilis redditur: creſcit enim cognitionis perfectio, vel ex maiori perfectione ſpecierum, vel ex perfectiori intellectus acumine; ſed acumen naturale intellectus Chriſti Domini inferius eſt eſſentialiter acumine intellectus Angelici, ſpecies etiam naturales per ſe infuſæ animæ Chriſti inferiores ſunt Angelicis ſpeciebus; ſpecies namque infunduntur proportionatè ad perfectionem acuminis intellectus: exceſſus autem in gratia, quo anima Chriſti Domini multum ſuperauit Angelos, materialiter ſe habet reſpectu cognitionis naturalis, cum ad illam non concurrat: ergo ſcientia per ſe infuſa naturalis animæ Chriſti inferior eſt ſcientia naturali Angelorum.

125 *Argumento reſpondetur.* Quare ad argumentum factum reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Et enim D. Thomam loco in contrarium adducto loqui de ſcientia naturali, non poteſt in dubium vocari; probat enim ſuam concluſionem ex eo quod ſupernaturalis perfectio non excludit perfectionem naturalem; cognitio autem creaturarum in Verbo ſupernaturalis eſt: & cognitio illarum in propria natura eſt naturalis: ex quo infert, præter cognitionem rerum in Verbo, conſtituendam eſſe in Chriſto per ſpecies à Deo infuſas earundem cognitionem in ſe ipſis: ergo manifeſte recognoſcit D. Thomas in teſtimonio allegato, ſcientiam rerum naturalem per ſe infuſam. Vnde ad minoris probationem admiſſa, vt iacet, littera Angelici Præceptoris, neganda eſt conſequentia. Nam ly *fortius* non cadit ſupra cognitionem, ſed ſupra illationem, & debitum illam habendi; ac ſi diceret, admittenda eſt cognitio rerum extra Verbum fortiori, & ſtrictiori titulo ratione exigentiæ vnionis, quam in homine in ſtatu innocentiæ, & in Angelis ſecundum naturalem cognitionem. Quam interpretationem, etſi aliqualem violentiam præ ſe ferre videatur, neceſſario eſſe admittendam, manifeſtè conuincitur: primò, nam D. Thomas loquebatur de illa cognitione, quam ex præmiſſis inferebat in Chriſto; ſed in præmiſſis non continebatur ſupernaturalis, ſed naturalis cognitio, vt conſtat ex maiori aſſumpta: ergo de cognitione naturali, loquitur in concluſione. At hæc non eſt fortior, nec perfectior cognitione naturali Angelorum, vt euidenter monſtrauimus: ergo non loquitur de fortitudine cognitionis, ſed illationis, & debiti illam habendi. Secundo, nam ſi loqueretur de fortitudine cognitionis maioris cognitione Angelorum, debebat non ſcientiam Chriſti naturalem, ſed ſupernaturalem cum Angelica comparare, vt manet probatum, & argumentum contendit: ſed ſcientia Chriſti ſupernaturalis, non ſolum naturalem cognitionem Angelorum, ſed etiam ſupernaturalem excedit, vt docet D. Thomas infra q. 12. *art.* 4. & fatentur omnes Theologi, aſſerentes, Chriſtum in donis gratiæ omnes Angelos ſuperaſſe: ergo ineptè D. Thomas cum naturali cognitione Angelorum comparationem feciſſet. *S. Thom.*

126 *Inſtabis primò.* Sed oppones primo, Nos eadem difficultate teneri; nam loquendo de cognitione rerum extra Verbum, non ſolum cognitio naturalis, ſed etiam cognitio ſupernaturalis fortiori titulo debetur Chriſto, quam Angelis: ergo non debuit D. Thomas comparationem coarctare ad cognitionem naturalem Angelorum, ſed illam ad ſupernaturalem extendere, etiam ly *fortius* cadente non ſupra cognitionis perfectionem, ſed ſupra illationem, & debitum illam habendi. Vel ſecundo ex oppoſito objicies: *Secundò.* nam cognitio naturalis rerum per ſpecies à Deo infuſas debetur Angelis ratione connexionis phyſicæ actiuæ, in ſententia probabili, aſſerente, dimanare ab Angelis, vt proprietates naturales illorum, vel ſaltem ratione connexionis phyſicæ paſſiuæ, in probabiliori ſententia; at Chriſto ratione vnionis humanitatis ad Verbum non debetur naturalis rerum cognitio ob phyſicam connexionem actiuam, vel paſſiuam ſpecierum cum vnione ſed ſolum titulo decentiæ moralis: ergo ſtrictiori titulo debetur Angelis, quam animæ Chriſti Domini; & conſequenter non loquitur D. Thomas de exceſſu debiti cognitionis; ſed de exceſſu perfectionis, cum ait habuiſſe Chriſtum ſcientiam rerum in propria natura, multo fortius, quam homo in ſtatu innocentiæ, vel Angeli ſecundum cognitionem naturalem.

127 *Reſpondetur ad 1. inſtantiã.* Reſpondeo ad primam inſtantiam, negando antecedens; nam licet verum ſit, non ſolum naturalem cognitionem, ſed etiam ſupernaturalem fortiori titulo Chriſto deberi quam Angelis, quia tamen ſermonem D. Thom. faciebat de cognitione Chriſti naturali, accomodatior comparatio erat ad cognitionem naturalem Angelicam, quam ad ſupernaturalem; & ideo Angelicus Doctor non cum ſupernaturali, ſed cum naturali cognitione Angelorum fecit comparationem.

128 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam. Nam etiam animæ ſeparatæ, & conſequenter animæ Chriſti beatifica viſione fruenti, debentur ſpecies debito phyſico, vel paſſiuo, vel actiuo, modo, quo debentur Angelis; vt enim docet D. Thomas *q. vnic. de anima art.* 17. *ad* 2. animæ prout ſeparatæ debita eſt, & naturalis ſubſtantiarum ſeparatarum cognitio; & conſequenter debitæ ſunt illi in ſtatu ſeparationis ſpecies quibus prædictas ſubſtantias cognoſcat: ex quo vlterius fit, quod etiam animæ Chriſti debeantur, ob iam dicta, & & mox dicenda; ſuper illi debentur ratione vnionis ad Verbum debito maximæ condecentiæ moralis; ac proinde fortiori titulo debentur animæ Chriſti, quam Angelis. Præterquamquod debitum morale ex vnione ad Verbum competens animæ Chriſti, & ſi phyſicè, aut metaphyſicè maius debitum non ſit debito actiuo, aut paſſiuo, quo Angelis ſunt debitæ ſpecies, eſt tamen maius Theologicè: & hoc ad intentum præſens ſufficit.

129 *Secundo arguitur.* Secundo arguitur, nam intellectio animæ ſeparatæ per ſpecies à Deo infuſas, & ſine conuerſione ad phantaſmata, eſt imperfecta, & præter naturam animæ, vt docet D. Thomas 1. p. q. 89. *art.* 1. *in corp.* Et intellectio per conuerſionem ad phantaſmata, & per ſpecies ab illis abſtractas eſt perfectior, atque diſtinctior cognitio, vt docet idem D. Thomas *quæſt. cit. art.* 3. *ad* 4. *argum.* ergo non eſt cur intellectio naturalis per ſpecies à Deo infuſas, & ſine conuerſione ad phantaſmata debeat animæ Chriſti concedi. Patet conſequentia primò: nam quæ conceduntur Chriſto, ad illius perfectionem, animæque dignitatem conducunt; ſed non conducit ad perfectionem Chriſti cognitio imperfecta, non connaturalis: ergo illi attribuenda non eſt. Secundo nam in ordine ſupernaturali perfecta eſt anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem rerum in ſe ipſis in ordine autem naturali per cognitionem medijs ſpeciebus à phantaſmatibus abſtractis elicitam, quæ perfectior eſt, & connaturalior animę rationali

nali cognitione per ſpecies à Deo infuſas, ut docet Angelicus Doctor: ergo abſque ulla neceſſitate conceditur animæ Chriſti huiuſcemodi cognitio, cum ſine illa in utroque ordine naturali, nempè, & ſupernaturali, perfecta maneret.

Quod amplius urgetur; nam cognitio incerta non eſt
130 *Confirmatur.* animæ Chriſti attribuenda, utpote expoſita errori; aliàs potuiſſet eius intellectus errare, falſamque, & erroneam cognitionem elicere; ſed cognitio animæ rationalis per ſpecies à Deo infuſas eſt cognitio incerta, ut docet D. Thomas art. 3. *proximè* citato ad finem corporis, illis verbis: *Unde & animæ ſeparatæ de omnibus naturalibus cognitionem habent, non certam, & propriam, ſed communem, & confuſam: ergo talis cognitio in anima Chriſti non fuit.*

131 *Reſp.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti quoad utramque partem, negando conſequentiam. Nam ſicut cognitio diſcurſiva, quamvis imperfecta ſit abſolutè quia tamen eſt perfectio hominis, in quantum homo, ab omnibus Chriſto conceditur; ita quamvis cognitio per ſpecies infuſas imperfecta ſit, & confuſa; quia tamen animæ rationali eſt debita pro aliquo ſtatu, concedenda eſt humanitati Chriſti.

Nec obſtat eſſe præternaturalem; nam hæc præternaturalitas eſt comparativè ad animam ſecundum ſe ſumptam, cum quo tamen ſtat, quod animæ rationali pro aliquo ſtatu, debita, & connaturalis ſit. Nec ſimiliter obſtat, quod ſit imperfectior intellectione habita per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus; ſicut non obſtat, quod cognitio rerum in ſe ipſis perfectior ſit cognitione beata, & cognitio naturalis ſit ſupernaturalis cognitione imperfectior, ut omnes iſtæ cognitiones intellectui animæ Chriſti attribuantur. Et ex his ad primæ conſequentiæ probationem conſtat ſolutio; pertinet enim ad dignitatem Chriſti omnis intellectualis perfectio, quæ poteſt animæ rationali in aliquo ſtatu convenire, dum modo cum unione ad Verbum, aut cum viſione beatifica, aut cum aliqua altera maiori perfectione incompatibilitatem non habeat, cognitio autem per ſpecies à Deo infuſas, nec cum unione ad Verbum, nec cum viſione beatifica, nec cum altera maiori perfectione habet incompatibilitatem; adeoque, quamvis imperfectior ſit cognitione habita per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus, eſt animæ Chriſti attribuenda.

Ad ſecundam. Ad ſecundam probationem conſequentiæ, diſtinguo antecedens pro ſecunda parte: eſt adæquatè perfecta in ordine naturali per prædictam cognitionem, nego antecedens: inadæquatè, concedo antecedens; & nego conſequentiam. Nam ſicut in anima Chriſti, quamvis per viſionem beatam omnes creaturas cognoſcat, quia tamen eſt capax illas cognoſcendi in ſe ipſis ſub diverſa ratione formali, & per diverſum medium, non ſuperflua ſcientia ſupernaturalis creaturarum in ſe ipſis; ita, quia anima Chriſti eſt potens in ordine naturali ad cognoſcenda entia naturalia in ſe ipſis, tum per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus, tum etiam per ſpecies infuſas ſub diverſa ratione formali, & diverſo medio cognoſcendi; ideo prima cognitione non perficitur adæquatè in ordine naturali, illaque ſuppoſita non eſt ſuperflua ſecunda; imò ſine hac cognitione, maneret anima Chriſti imperfecta.

Ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem.
132 *Ad confirmationem.* Ad illius probationem ex Angelico Præceptore deſumptam dicatur, nomine *cognitionis non certæ*, non intellexiſſe cognitionem dubiam, aut hæſitantem, quæ ſit expoſita errori, ſed cognitionem non omnimodè diſtinctam. Quod patet ex illis verbis, *ſed communem, & confuſam*, quibus ly *communem* contrapoſuit *ad propriam*, & ly *confuſam* poſuit contrapoſitivè *ad certam*; ſi autem nomine *cognitionis non certæ* dubiam intellectionem intellexiſſet, non confuſam cognitionem, ſed dubiam, & incertam illi oppoſuiſſet; nam certæ cognitioni, ſi propriè loquendum ſit, non opponitur confuſa, ſed dubia, & incerta cognitio.

Tertio arguitur, nam ex defectu perfectionis animæ
133 *Tertiò arguitur.* Chriſti non debitæ, nec in ordine ſupernaturali, nec in ordine naturæ, non redditur imperfecta, niſi ſolum negativè, qui modus imperfectionis non eſt cur debeat relegari ab illa ratione unionis ad Verbum; ſed cognitio naturalis rerum in propria natura per ſpecies à Deo infuſas non eſt debita animæ Chriſti, nec in ordine ſupernaturali, nec in ordine naturæ: ergo ex illius carentia nulla inducitur imperfectio vitanda ratione unionis ad Verbum; & conſequenter ſine fundamento urgenti animæ Chriſti attribuitur. Maiorem admiſimus *ſupra*. Minor pro prima parte non indiget probatione; nam ſola ſupernaturalis perfectio eſt debita animæ Chriſti in ordine ſupernaturali, prædicta autem cognitio ſupernaturalis nõ eſt; & conſequenter non poteſt in ordine ſupernaturali deberi. Pro ſecunda verò parte probatur, nam perfectio non connaturalis animæ rationali, non debetur animæ Chriſti intra ordinem naturæ; ſed intelligere per ſpecies à Deo infuſas, non eſt connaturale animæ rationali: ergo non eſt debitum animæ Chriſti, & conſequenter iſtius perfectionis carentia, purè negativa eſt. Probatur minor, *non eſt naturale animæ, quod per ſpecies infuſas intelligat cum eſt unita corpori, ſed ſolum poſtquam eſt ſeparata*: verba ſunt D. Thom. *q. unic. de anim. art. 15. ad 19. arg.* quod etiam docuerat *in corpore eiuſdem art.* & iterum docuit *ſolut. ad 20. & in eandem quæſt. art. 17. ſolut. ad* a: ergo animæ Chriſti Domini, utpotè, corpori unitæ, non erat connaturalis, nec connaturaliter debita cognitio rerum naturalium per ſpecies à Deo infuſas.

Reſpondeo permiſſa maiori negando ſecundam partem
134 *Reſpondetur.* minoris. Ad illius probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem dicatur, D. Thom. prææallegatis verbis loqui de anima puri viatoris; huic namque ſolum dum eſt ſeparata à corpore debetur ſpecierum infuſio, & cognitio rerum in propria natura per ſpecies à Deo infuſas, & à corpore independentes: non autem loqui de anima videntis Deum, quali fuit anima Chriſti: huic namque, licet ſit corpori unita, deberi cognitionem rerum in propria natura iuxta modum cognitionis Angelicæ, ſcilicet, ſine diſcurſu, & abſque dependentia à phantaſmate, & per ſpecies à Deo infuſas, docuit D. Th. *S. Thom.* *loc.* à Nobis *inductis* in confirmationem noſtræ concluſionis; ac per conſequens id non negavit *loco in contrarium adducto*, ſed accipiendum eſt, quod loquatur de anima puri viatoris iuxta ſolutionis doctrinam.

Sed inſtabis, ratio, qua D. Thom. probat animæ ſepa-
135 *Inſtabis.* ratæ eſſe debitum modum cognitionis Angelicæ quoad independentiam à corpore per ſpecies à Deo infuſas, eſt, quia modus operandi ſequitur modum eſſendi, & proportionatur cum illo, ac proinde animæ à corpore ſeparatæ quoad eſſe, debetur modus cognitionis à corpore omnino independens. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 89. *art.* 1 *in corp.* ſed anima Chriſti Domini, quamvis fuerit beata à primo ſuæ formationis inſtanti, non tamen erat à corpore ſeparata quoad eſſe, ſed phyſicè corpori unita: ergo non erat illi debitus connaturaliter modus iſte intelligendi omnino independens à corpore, & ſine converſione ad phantaſmata per ſpecies à Deo infuſas.

Et confirmabis primò ex eodem D. Tho. *q. unic. de ani-*
136 *Confirmabis 1. S. Thom.* *ma art. 16. propè finem corporis*, illis verbis: *Anima intellectiva humana ex unione ad corpus, habet aſpectum inclinatum ad phantaſmata; unde non informatur ad intelligendum aliquid, niſi per ſpecies à phantaſmatibus acceptas*; ſed anima Chriſti Domini erat humano corpori unita: ergo habebat aſpectum inclinatum ad phantaſmata, nec poterat informari naturaliter ad intelligendum aliquid, niſi tantum per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus: & conſequenter quamvis fuerit beata, non erat illi debitus modus cognitionis Angelicæ per ſpecies à Deo infuſas, & à corpore independentes.

Confirmabis, & urgebis ſecundò ex D. Thom. 1. *p. q.* 94.
137 *Confirmabis 2.* *art. 2. in corp.* illis verbis: *Ex hoc, quod anima eſt accommodata ad corporis gubernationem, & perfectionem ſecundum animalem vitam competit animæ noſtræ talis modus intelligendi per converſionem ad phantaſmata*: Ex quo infert D. Thomas hominem in ſtatu innocentiæ, quamvis pars inferior eſſet ſuperiori ſubiecta, quia tamen illius anima erat corpori quoad gubernationem unita, non potuiſſe Angelos per eſſentiam videre, hoc eſt, per ſpecies illorum proprias à Deo mentibus illorum infuſas, ſed tantum per ſpecies rerum materialium, & per converſionem ad illas; ſed anima Chriſti Domini erat corpori quoad gubernationem unita: ergo non poterat naturaliter cognoſcere per ſpecies à Deo infuſas, ſed tantum per ſpecies rerum materialium abſtractas à phantaſmatibus, & ab illis acceptas.

Ad replicam principalem reſpondeo, rationem illam
138 *Reſpondetur.* D. Thomæ ſufficientem eſſe ad probandam independentiam à phantaſmatibus in cognoſcendo, & in anima viatrice ſeu non beatifica adæquatam; non tamen eſt adæquata ratio abſolutè, & reſpectu omnis ſubiecti; reſtat enim alia ratio efficacius inferens prædictam indepen-

den-

dentiam, nempè, eleuatio animæ ſupra corpus, orta ex ſtatu comprehenſoris; ita expreſſè D.Thom. q. 20. *de Veritate art.* 3. *ad* 1. *& in hac* 3.*p.q.*11.*art.*1. *ad* 2. *& art.* 2. *in corp.* illis verbis: *Eſt autem hæc conditio animæ comprehenſoris, vt nullo modo ſubdatur ſuo corpori, aut ab eo dependeat, ſed totaliter ei dominetur, ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantaſmata conuerti, quod eſt corpori obligata, & quodammodo ei ſubiecta, & à Deo dependens; & ideo animæ beatæ, & ante reſurrectionem, & poſt, intelligere poſſunt abſque conuerſione ad phantaſmata; & hoc etiam oportet dicere de anima Chriſti, quæ plenè habuit facultatem comprehenſoris.* Vbi, vt clarè conſtat, quod animæ ſeparatæ conuenit ratione ſeparationis à corpore, conuenit animæ beatæ, quamuis ſit corpori vnita, ratione omnimodæ eleuationis ſupra corpus, & non obligationis, ſeu non ſubiectionis ad illud, ortæ ex ſtatu comprehenſoris: ac proinde, licet ſeparatio animæ è corpore ſit ratio ſufficiens facultatis ad intelligendum ſine conuerſione ad phantaſmata, & in puro viatore adæquata, non tamen eſt ratio adæquate abſolutè.

139 *Ad primã confirmationem.* Et ex his ad vtramque confirmationem conſtat ſolutio. Ad primam explico, vel diſtinguo maiorem: ratione vnionis ad corpus cum obligatione ad illud, concedo maiorem: ſine tali obligatione nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Quia namque Chriſtus Dominus, non ſolum erat viator, ſed etiam comprehenſor, fuit illius anima quoad proprias operationes totalitèr ſupra corpus euecta, nullatenuſque ei obligata: ac proinde poterat intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata per ſpecies à Deo infuſas, conuerſioneque ad ſuperiori.

140 *Ad ſecũdã confirmationẽ.* Ad ſecundam confirmationem explico doctrinam Angelici Præceptoris, & diſtinguo maiorem: quia erat corpori accommodata, illique quoad gubernationem vnita, cum obligatione ad corpus, & abſque eleuatione ſupra illud, concedo maiorem: ex præciſa vnione ad corpus, & accomodatione ad illius gubernationem, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Itaque vnio animæ cum corpore eſt ſufficiens ratio, vt poſſit intelligere conuertendo ſe ad phantaſmata; vt autem non poſſit ſine tali conuerſione intelligere, ſola vnio animæ corpus non ſufficit, ſed vlterius requiritur obligatio animæ ad corpus, & negatio eleuationis ſupra illud; & quia anima hominis in ſtatu innocentiæ erat taliter corpori vnita, quod erat illi obligata, & ſupra illud non eleuata; & ideo non poterat ſine conuerſione ad phantaſmata intelligere. Anima autem Chriſti Domini, etſi eſſet corpori vnita, erat tamen ratione ſtatus beatifici corpori non obligata, ſed ſupra illud euecta; ideoque poterat intelligere conuertendo ſe ad phantaſmata; non tamen erat alligata ad hoc modo intelligendum, ſed poterat intelligere ſine tali conuerſione per ſpecies à Deo infuſas.

141 *Inſtabis primò.* Sed inſiſtens adhuc primò; nam ſequitur ex hac ſolutione, animam Chriſti Domini non potuiſſe connaturalitèr intelligere, conuertendo ſe ad phantaſmata; conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela; connaturalitas intelligendi per conuerſionem ad phantaſmata probatur à D. Thoma ex vnione animæ ad corpus, eiuſque gubernatione, quod à Nobis explicatum eſt, de vnione animæ ad corpus cum obligatione ad illud; ſed anima Chriſti Domini, etſi eſſet corpori vnita, non erat illi obligata: ergo non poterat, connaturaliter intelligere conuertendo ſe ad phantaſmata.

142 *Secundo, & vrgentius.* Secundo, & vrgentius inſiſtens; nam ſequitur ex eadem ſolutione, debitum intelligendi ſine conuerſione ad phantaſmata per ſpecies à Deo infuſas non fuiſſe naturale in Chriſto; conſequens hueuſque dictis aduerſari videtur: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela; debitum ratione formæ ſupernaturalis, non eſt naturale, ſed ſupernaturale; et debitum prædictum in Chriſto eſt ratione formæ ſupernaturalis: ergo eſt ſupernaturale. Probatur minor; ſpecies à Deo infuſæ à phantaſmate independentes, non debentur animæ rationali ſumptæ ſecundum ſuam ſubſtantiam; vt ſic namque tales ſpecies ſunt illi præternaturales, vt docet D.Tho. 1 *p.q.*89. *art.*1. ergo ſolum poſſunt animæ rationali deberi ratione alicuius ſtatus, nempè, vel ſtatus ſeparationis à corpore, vel ſtatus glorificationis; cumque animæ Chriſti Domini non debeantur ob ſtatum ſeparationis; eſt enim corpori vnita, ſolum poſſunt ei deberi ratione ſtatus beatifici. Sed hic ſtatus non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis: ergo tales ſpecies, & intelligere per illas ſine conuerſione ad phantaſmata, debentur animæ Chriſti ratione, formæ ſupernaturalis; ac per conſequens tale debitum non eſt naturale, ſed ſupernaturale in anima Chriſti Domini.

143 *Reſpondeo ad 1. inſtantiam.* Reſpondeo ad primam inſtantiam, negando ſequelam: ad illius probationem dicatur, poſſibilitatem intelligendi cum conuerſione ad phantaſmata ſufficienter ex vnione animæ ad corpus inferri; neceſſitas autem talis modi intelligendi, non infertur ſolum ex vnione animæ ad corpus nec ſufficienter ex illa probatur; ſed ex vnione animæ ad corpus, & obligatione ad illud, & hoc eſt, quod in noſtra ſolutione docuimus: vnde cum anima Chriſti Domini fuerit corpori vnita, potuit connaturaliter intelligere, conuertendo ſe ad phantaſmata. Quia tamen corpori ſubiecta non fuit, non erat ad iſtum modum intelligendi alligata, ſed poterat alio modo intelligere, ſcilicet, per ſpecies à Deo infuſas, conuerſionemque ad ſuperiore.

144 *Ad 2. inſtantiam.* Ad ſecundam, nego ſequelam: ad illius probationem dicatur, debitum operationis reſpicere ſtatum principij operantis, non tanquam rationem formalem ipſum fundandi, ſed ſolum tanquam conditionem; ſubſtantiam verò principij operantis tanquam rationem formalem: ex quo ſolum ſequitur debitum ſpecierum naturalium per infuſionem è Deo intelligendi per illas in anima Chriſti Domini, ſupponere vt conditionem aliquid ſupernaturale, nempè, ſtatum glorificationis, non verò quòd aliquid ſupernaturale ſupponat, vt rationem formalem fundandi; hoc autem illius naturalitati non obſtat, ſicut nec obſtat naturalitati facultatis operatiuæ, quod pro conditione requirat formam ſupernaturalem, vt conſtat in facultate expedita ad omiſſionem liberam dilectionis ſupernaturalis Dei, quæ quidem ſaluari non poteſt ſine forma ſupernaturali dante voluntati creatæ ſufficientiam proximam ad ſupernaturalem dilectionem; quia tamen prædicta forma reſpectu facultatis ad omiſſionem liberam dilectionis ſupernaturalis Dei, non vt ratio formalis, ſed vt conditio ſe habet, ideo facultas ad liberam omiſſionem, non ſupernaturalis, ſed naturalis eſt; alias omiſſio libera, & peccaminoſa dilectionis Dei, ſupernaturalis eſſet, quod falſiſſimum eſt.

Et ex his ad probationem ſequelæ, diſtinguo maiorem: debitum ratione formæ ſupernaturalis, vt ratione formalis fundandi eſt ſupernaturale, concedo maiorem: debitum ratione formæ ſupernaturalis de ſe habentis, vt conditio tantum fundamentum debitum, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nec ex eo, quod tale debitum animæ Chriſti conueniat, ſtatu glorificationis ſuppoſito, & non conueniat illi, hac ſuppoſitione non facta, ſequitur ſtatum glorificationis fundare prædictum debitum tanquam rationem formalem nam per hoc ſolum, quod, vt conditio ſe habeat, poteſt adeſſe, & abeſſe prædicta conditione variata vt conſtat in exemplo adducto de facultate expedita ad liberam omiſſionem dilectionis ſupernaturalis.

145 *Totum argumentũ inſtatur.* Et quidem totum hoc argumentum, ſi aliquid probat, conuinci non ſolum non potuiſſe animam Chriſti intelligere per ſpecies naturales infuſas naturali intellectione; ſed etiam non potuiſſe per ſpecies ſupernaturales infuſas, ſupernaturalitèr intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, contra omnium Theologorum ſententiam. Quod patet, nam anima rationalis, quamdiu eſt corpori puri viatoris vnita, non ſolum in cognitione naturali, ſed etiam in cognitione ſupernaturali vtitur conuerſione ad phantaſmata, nec ſine hac conuerſione poteſt connaturalitèr in ordine gratiæ intelligere: ergo ſi ex illa ad animam Chriſti efficax argumentum conficitur, probat in vtroque ordine indiguiſſe conuerſione ad phantaſmata, nec ſine illa intelligere potuiſſe, non ſolum cognitione naturali, ſed etiam ſupernaturali. Deinde argumentum factum inſtatur in anima puri hominis corpori per reſurrectionem vnita, quæ abſque dubio poterit vti ſpeciebus illi debitis in ſtatu ſeparationis, idque docet D. Tho. *infra q.*11. *art.*2. & tamen in illo ſtatu corpori reunita erit: ergo ex ſola vnione animæ rationalis ad corpus, non probatur impotentia intelligendi cum independentia à corpore, & abſque conuerſione ad phantaſmata per ſpecies à Deo infuſas; & conſequentèr ex eo quod anima Chriſti fuerit corpori vnita, non ſequitur, non potuiſſe naturalitèr intelligere per ſpecies à Deo infuſas ſine conuerſione ad phantaſmata.

Quarto arguitur; nam ſequitur ex noſtra ſententia, 146

quod

Quarto arguitur. quod anima Chriſti Domini acceperit ab Angelis aliquam perfectionem intellectualem ; conſequens eſt contra D. Thomam *infra q. 12. art. vltim.* ergo noſtra ſententia Angelico præceptori aduerſatur. Probatur ſequela : nam ſpecies per ſe infuſæ naturales, quibus animæ ſeparatæ omnia naturalia cognoſcunt, recipiunt à Deo non immediatè, ſed mediantibus Angelis, vt expreſsè docet Diuus Thomas *q. vnica de anima art. 17. ad 4. & art. 18. ad 13. argum.* ſed ſcientia per ſe infuſa quoad ſpecies, quam animæ Chriſti attribuimus, eſt eiuſdem rationis cum ſcientia per ſe infuſa naturali conueniente animæ noſtræ in ſtatu ſeparationis : ergo non fuit à Deo immediatè accepta, ſed miniſterio Angelorum ; & conſequenter anima Chriſti accepit ab Angelis intellectualem aliquam perfectionem. (S. Thom.)

147 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo, ſi doctrina D. Thomæ accipiatur de mediatione Angelorum in genere cauſæ efficientis, id eſt, quòd Deus non immediatè, ſed mediantibus Angelis, vt cauſis immediatè efficientibus, cauſet ſpecies infuſas, quibus intelligit anima in ſtatu ſeparationis, nullum inconueniens eſſe, quod anima Chriſti Domini acceperit ab Angelis in iſto genere cauſæ ſpecies naturales impreſſas, ſicut nec inconueniens reputat D. Thom. *infra q. 12. art. 2.* quod anima Chriſti à rebus corporalibus ſpecies acquiſitas miniſterio ſenſuum acceperit. (S. Thom.) Nam ratio ob quam Diuus Thomas hoc ſecundum non reputat inconueniens, eſt, quia res corporeæ ſunt media, quibus docet, & loquitur Deus ; vndè à rebus corporalibus accipere ſpecies impreſſas, eſt à Deo inſtrui, & doceri ; non autem ab ipſis rebus, quod inconueniens non eſt, nec Chriſti dedecens dignitatem. Cum ergo Deus, non minus medijs ſubſtantijs Angelicis loquatur, & doceat animam ſeparatam, quam medijs rebus corporalibus docet animam coniunctam corpori ; ab Angelis ſpecies accipere erit edoceri à Deo, quod inconueniens non eſt, nec Chriſti dignitati præiudicans. Vndè iuxta hanc doctrinam, concedo argumenti ſequelam, & nego minorem. Nec oppoſitum docet D. Thom. *infra q. 12. art. vltim.* vbi ſolum negat Chriſtum aliquid ab Angelis per modum inſtructionis, & doctrinæ accepiſſe, quod longè diuerſum eſt à deriuatione effectiua ſpecierum infuſarum in anima Chriſti Domini medijs ſubſtantijs Angelicis ; ſicut nec ex eo quod ſpecies acquiſitas acceperit ab obiectis corporeis, ſequitur animam Chriſti ab illis inſtructam fuiſſe, & ab eis aliquid didiciſſe. (S. Thom.)

148 *Reſpondetur 2.* Vel ſecundo reſpondetur, etiam ſi doctrina D. Thomæ in prædicto ſenſu accipiatur, nempè, de miniſterio Angelorum effectiuo, negando ſequelam : ad illius probationem, admiſſa maiori, & minori, nego conſequentiam. Nam per hoc, quod ſpecies per ſe infuſæ immediatè à Deo efficiantur in anima Chriſti Domini, & mediatè in cæteris animabus in ſtatu ſeparationis, mediante, ſcilicet, Angelorum efficientia, non inducitur diuerſitas eſſentialis inter ſcientiam naturalem infuſam animæ Chriſti, & illam, quæ alijs animabus in prædicto ſtatu infunditur : ſicut nec ex eo quod ſcientia quæ à Nobis miniſterio ſenſuum, & intellectus agentis acquiritur, fuerit in primo conceptionis inſtanti per accidens Chriſto infuſa, & non proprijs actibus acquiſita, vt plures non improbabiliter docent, ſequitur ſcientiam Chriſto infuſam per accidens, ſpecificè differre à ſcientia noſtris actibus acquiſita ; ſi namque efficientia rerum ſenſibilium in noſtra ſcientia interueniens, non autem in ſcientia conueniente animæ Chriſti non inducit eſſentiale diſcrimen ; non eſt cur efficientia Angelorum reſpectu ſpecierum infuſarum alijs animabus in ſtatu ſeparationis, & non reſpectu illarum, quæ animæ Chriſti infunduntur, differentiam eſſentialem inter prædictas ſpecies inducat.

149 *Hæc ſolutio prima præfertur.* Quam ſolutionem primæ præferendam exiſtimo : tùm, quia D. Thom. *infra q. 12. art. 3.* inquiſierat : *Vtrùm Chriſtus aliquid ab homine didicerit ? In articulo autem citato,* non ita inquirit ſed *vtrùm Chriſtus aliquid acceperit ab Angelis ?* (S. Thom.) Quæ diuerſitas in modo inquirendi manifeſtè indicare videtur, non ſolum de inſtructione, & doctrina reſpectu Angelorum inquirere, ſed de quacumque alia, etiam effectiua acceptione ; vnde cum negatiuè *in corp. art.* interrogationi reſpondeat ; apertè videtur ſentire nec etiam in genere cauſæ efficientis ab Angelis animam Chriſti accepiſſe intellectualem aliquam perfectionem.

150 Tùm etiam, nam ratio, qua Angelicus Doctor mouetur, vt probet, animam Chriſti non accepiſſe intellectualem perfectionem ab Angelis, eſt : *Quia anima dupliciter perfici poteſt ; vno modo, per ſcientiam acceptam à ſenſibilibus ; alio modo, per ſcientiam inditam, ſiuè impreſſam ex illuminatione ſpiritualium ſubſtantiarum ; ad primum modum non requiritur lumen Angelicum ; ſecundo autem modo, fuit anima Chriſti perfecta ſecundùm ſcientiam infuſam immediatè acceptam à Deo ; quia ſicut ſupra communem modum creaturæ anima Chriſti vnita eſt Verbo in vnitate perſonæ, ita ſupra communem modum hominum, immediatè ab ipſo eſt repleta ſcientia, & gratia :* (S. Thom.) ergo ſentit D. Thomas, miniſterium Angelorum reſpectu cæterarum animarum, ſiue effectiuum ſit, infuſiuumque ſpecierum, ſiuè tantum doctrinale, non interueniſſe in comparatione ad Chriſtum.

151 Tùm denique id ipſum colligitur ex *art. 4. relat. ſolut. ad 3.* illis verbis : *Dicendum, quod Filius Dei aſſumpſit corpus paſſibile, ſed animam ſcientia, & gratia perfectam ; & ideo corpus eius conuenienter fuit ſubiectum impreſſioni cæleſtium corporum ; anima verò eius non fuit ſubiecta impreſſioni cæleſtium ſpirituum ;* (S. Thom.) ſed ly *impreſſio* effectiuum concurſum ſignificet reſpectu ſpecierum : ergo hunc excludit Diuus Thomas ab Angeli per reſpectum ad animam Chriſti ; & conſequenter ſentit non ſolum quod non acceperit perfectionem intellectualem ab Angelis per modum inſtructionis, & doctrinæ, ſed etiam per concurſum effectiuum, & quod ſpecies animæ Chriſti fuerunt immediatè acceptæ à Deo in genere cauſæ efficientis.

152 *Obijcies.* Sed dices, ſequi ex iſta ſolutione infuſionem huius ſcientiæ in anima Chriſti Domini naturalem non fuiſſe ; conſequens eſt contra dicta ; loquimur namque in noſtra concluſione de ſcientia per ſe infuſa naturali : ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela primò : nam quando aliquid in actum reducitur per agens non ſui generis, talis reductio naturalis non eſt, quod docet D. Thomas *q. vnic. de anima art. 18. in argum. 12.* (*Probatur ſequela 1.*) probatque exemplo ſanationis per artem, aut per virtutem diuinam, quæ naturalis non eſt, ſed miraculoſa, vel artificialis ; eo quod ab agente naturali non fit : quam doctrinam non negat in ſolutione argumenti ſed potius illam admittit ; at infuſio huius ſcientiæ in anima Chriſti Domini non fit ab agente ſui generis ; cum nata ſit fieri à ſubſtantijs ſeparatis, & non fiat ab illis, ſed immediatè efficiatur à Deo, vt in tradita ſolutione docemus : ergo infuſio iſtius ſcientiæ in anima Chriſti Domini non naturalis ſed ſupernaturalis, & miraculoſa eſt.

153 *Secundo.* Secundò probatur ſequela ; vt enim ſaluet D. Thomas *loc. proximè alleg. in ſolut. ad 11. & 12. argu.* infuſionem ſpecierum noſtris animabus factam in ſtatu ſeparationis, non miraculoſam, ſed naturalem eſſe, recurrit ad hoc : *Quod fit per ſpecies actu intelligibiles, quæ ſunt in ſubſtantijs ſuperioribus tanquam per agens proprium :* verba ſunt D. Thomæ ; ſed anima Chriſti Domini non recipit iſtas ſpecies à ſubſtantijs ſuperioribus, ſed immediatè à Deo ; & conſequenter infuſio ſpecierum in illa, non fit per ſpecies actu intelligibiles, quæ exiſtunt in illis : ergo infuſio iſta naturalis non eſt.

154 *Tertio.* Tertiò probatur ſequela ; nam quod eſt natum fieri à cauſis ſecundis, non niſi miraculosè, immediatè fit à Deo ; cum communis diuinæ prouidentiæ modus ſit, non niſi medijs cauſis ſecundis illarum effectus producere ; ſed ſpecies per ſe infuſæ, quibus, anima cognoſcit in ſtatu ſeparationis ſunt natæ fieri à ſubſtantijs ſeparatis, tanquam à cauſis ſecundis : ergo infuſio illarum immediatè facta à Deo in anima Chriſti Domini, non naturalis, ſed miraculoſa eſt.

155 *Reſpondetur.* Reſpondeo diſtinguendo conſequens, ſequitur prædictam ſpecierum infuſionem in anima Chriſti Domini, non fuiſſe naturalem quoad ſubſtantiam, nego ſequelam : non fuiſſe naturalem quoad modum, concedo ſequelam ; & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nec amplius ſequelæ probationes conuincunt ; cum enim Deus poſſit immediatè per ſe ipſum omnes effectus cauſarum ſecundarum efficere ; quando ſine concurſu cauſarum naturalium, illarum cauſat effectus, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum tantum, ſupernaturaliter, vel præternaturaliter operatur. Vnde ex eo quod infuſio iſtarum ſpecierum, quæ poterant à ſubſtantijs ſeparatis cauſari non fuerit facta ab illis ſed immediatè à Deo in anima Chriſti Domini, ſolum ſequitur, fuiſſe ſupernaturalem, quoad modum, non autem quod fuerit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Fuitque miraculoſa

abſo-

abſolutè, & comparatione facta ad animam Chriſti Domini ratione propriæ entitatis; non autem fuit miraculoſa, comparatione facta ad animam Chriſti, vt vnitam Verbo hypoſtaticè. Vt enim docet D. Thom. *infra qu. 12. art. 3.* (*S. Thom.*) *Sicut ſupra communem modum creaturæ anima Chriſti vnita eſt Verbo in vnitate perſonæ, ita ſupra communem modum hominum immediatè ab ipſo eſt repleta ſcientia, & gratia.* Ac ſi apertior dicat, fuiſſe debitum animæ Chriſti ratione vnionis ad Verbum, non medijs alijs creaturis, ſed à Deo ipſo immediatè gratia, & ſapientia repleri; quod autem in anima Chriſti fit iuxta debitum vnionis, comparatione illius, vt vnitæ, miraculoſum non eſt, quamuis abſolutè miraculoſum ſit.

156 *Prima difficultas.* Sed contra iſtam ſolutionem obſtant tres difficultates. Prima eſt; nam ſpecies iſtæ petunt connaturaliter fieri à ſubſtantijs ſeparatis, vt ex doctrina D. Thomæ *ſupra allegata* ſupponimus: ergo abſque fundamento illas immediatè à Deo fuiſſe infuſas miraculosè defendimus. Secunda

157 *Secunda.* eſt; quia vt docet D. Thom. *infra q. 12. art. 2.* anima Chriſti Domini accepit à rebus corporalibus ſpecies deſeruientes ſcientiæ per ſe acquiſibili: ergo nullum inconueniens eſſet, quod à ſubſtantijs ſpiritualibus ſpecies per ſe infuſas acciperet; & conſequenter illas ſine fundamento aſſerimus immediatè à Deo infuſas.

158 *Tertia.* Tertia eſt; quam ſcientiam per ſe acquiſibilem oportuit Chriſtum per acquiſitionem habere, vt non ſolum haberet ſcientiam humanam, ſed etiam modo humano, ſcilicet, illam acquirendo à ſe, vt docet, Diuus Thom. *in hac qu. art. 4.* ergo oportuit etiam, vt ſcientiam naturalem per ſe infuſam, debitam animæ ſeparatæ haberet modo proprio debito animæ in ſtatu ſeparationis; non enim apparet ratio, cur ſcientiam debitam animæ in ſtatu coniunctionis cum corpore debuerit Chriſtus habere modo proprio, & animæ in prædicto ſtatu debito, & non debuerit ſcientiam animæ ſeparatæ habere modo debito animæ in prædicto ſtatu; ſed modus intelligendi debitus animæ in ſtatu ſeparationis eſt intelligere per ſpecies infuſas medijs ſubſtantijs ſeparatis, & ab illis immediatè deriuatas: ergo oportuit, quod anima Chriſti Domini intelligeret per ſpecies acceptas à ſubſtantijs ſuperioribus, & non è Deo immediatè infuſas.

159 *Primæ difficultati ſatisfit.* Reſpondeo ad primam difficultatem, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Fundamentum autem eſt, quia minus inconueniens fuit, modo illo connaturalis productionis ſpecies per ſe infuſas primari, quam quod Chriſtus Dominus à principio conceptionis prædictis ſpeciebus careret, & quod illius anima, ad tam eximiam dignitatem euecta, ſubderetur, ſubijceretúrque Angelorum efficientiæ; & ideo fuit conuenientius, & magis decens dignitatem animæ Chriſti, quod ſpecies per ſe infuſas à Deo immediatè acciperet.

Secunda difficultas occurritur. Ad ſecundam difficultatem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam ab obiectis ſenſibilibus, non effectiuè, ſed obiectiuè tantum ſpecies intellectuales per ſe acquiſibiles accepit, illas efficienter cauſante anima Chriſti Domini per intellectum agentem; ab Angelis autem erant ſpecies per ſe infuſæ cauſandæ effectiuè, cauſalitatem namque Angelorum obiectiuam non negamus, & inconueniens eſſet, & minus decens dignitatem animæ ad diuinum eſſe aſſumptæ, quod Chriſtus Angelorum Magiſter in perfectione intellectuali illorum ſubijceretur efficientiæ, & prædictis ſpeciebus in primo inſtanti ſuæ conceptionis careret, ex eo tantum fine, vt ab Angelis reciperet.

160 *Ad tertiā reſpõdet.* Ad tertiam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Et ratio differentiæ eſt; nam ſi ſcientiam per ſe acquiſibilem per infuſionem haberet, caruiſſet anima Chriſti modo humano habendi ſcientiam à ſe, & actu adæquato vnius potentiæ, nempè, intellectus agentis, cuius munus eſt abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus, quod inconueniens reputat D. Thomas; eo quod intellectus agens fuiſſet fruſtra in anima Chriſti Domini, ſi actu ſibi adæquato in perpetuum priuaretur; per hoc autem, quod ſpecies per ſe infuſas, non ab Angelis, ſed à Deo acceperit immediatè, in quo modus proprius recipiendi ſpecies infuſas animæ in ſtatu ſeparationis conſiſtit, non caruit anima Chriſti actu alicuius potentiæ adæquato, nec modo habendi ſcientiam à ſe attinente ad dignitatē, ſed modo quodam paſſionis, & receptionis ab aliqua cauſa creata, quod inconueniens non eſt, maximè cum reſartiatur per hoc, quod eſt, illas ſpecies habuiſſe à primo conceptionis Chriſti inſtanti, eiſque nunquam caruiſſe.

Hæc dicta ſufficiant conſequenter ad ſententiam D. Thom. quam tenuit loco ex diſputatis relato, quæ abſque dubio difficilis eſt in communi Thomiſtarum doctrina 1. 161 *Solutio alijs præſtanda.*
p. qu. 55. art. 2. aſſerentium, non poſſe vnum Angelum ſpeciem ſui in alterius Angeli intellectu cauſare; ex quo euidenter inferri videtur, non poſſe ſpeciem ſui in intellectu animæ ſeparatæ producere; ſi namque non poteſt vnus Angelus ſpeciem ſui in alterius Angeli intellectu deriuare efficienter, quomodo poterit in intellectu animæ ſeparatæ ſui ſpeciem efficienter cauſare? Vnde D. Thomas *1. p. q. 89 art. 1. ad 3.* oppoſitam tenuit ſententiam, docens, animam in ſtatu ſeparationis intelligere per ſpecies ex influentia diuini luminis participatas, ſicut & aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ, quamuis inferiori modo; *Nec tamen*, inquit, *propter hoc cognitionis, vel potentia non eſt naturalis; quia Deus eſt Auctor, non ſolum influentia gratuiti luminis, ſed etiam naturalis.* (S. Thom.) Iuxta quam doctrinam reſpondetur ad principale argumentum, negando ſequelam: ad illius probationem dicatur, vel D. Thom. ſententiam, quam ibi tenuit, retractaſſe *1. p. loco vbi proximè*, vel ibi loquutum fuiſſe, non de mediatione effectiua, ſed tantum de doctrinali, atque illuminatiua obiectiue; ſicut vnus Angelus alium docet, & illuminat, non efficiendo in illo ſpecies, ſed obiectiuè illuſtrando. Si tamen primam ſuſtineamus ſententiam, eſt aduertendum, ſcientiam iſtam per ſe infuſam vocari, quia anima ſeparata non poteſt illius ſpecies per proprios actus acquirere, non autem quia per ſe petat à Deo immediatè infundi.

Denique arguitur, ſi ad aliquid eſſet neceſſaria ſcientia naturalis per ſe infuſa in anima Chriſti Domini, maximè, 162 *Denique arguitur.*
vt intelligeret obiecta naturalia ſine conuerſione ad phantaſmata, iuxta modum cognitionis Angelicæ, & qualiter cognoſcuntur ab anima in ſtatu ſeparationis; ſed ad hoc neceſſaria non eſt: ergo ad nihil eſt neceſſaria; & conſequenter conſtituenda non eſt in anima Chriſti Domini. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur anima Chriſti potuit per ſpecies acceptas à phantaſmatibus intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata: ergo, ad intelligendum hoc modo, non indiguit ſcientia per ſe infuſa naturali. Probatur antecedens: anima Chriſti, etſi eſſet coniuncta corpori, potuit in ordine intelligibili, quidquid poteſt anima rationalis in ſtatu ſeparationis, vt conſtat ex dictis; ſed anima in ſtatu ſeparationis, poteſt per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus, intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, vt docet D. Thom. *1. p. q. 89. art. 6. in corpore, & ad 2. & 3. argumentum*: ergo etiam anima Chriſti, (S. Thom.) etſi eſſet vnita corpori, potuit intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus.

Reſpondeo, hoc argumentum inſtare in anima ſeparata, quam vti poſſe in ſtatu ſeparationis ſpeciebus acceptis à 163 *Reſpondetur.*
phantaſmatibus, & in corpore acquiſitis, docet D. Thom. & tamen in prædicto ſtatu ſpecies per ſe infuſas accipere, (S. Thom.) docet idem D. Thom. *1. p. q. 89. art. 1. & 2.* ergo quamuis anima Chriſti poſſit per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, poterit nihilominus recipere ſpecies per infuſionem à Deo, illiſque indigere, vt omnis eius naturalis potentialitas compleatur, & ad actum proprium reducatur. Ad argumentum in forma, diſtinguo maiorem: vt intelligeret ſine conuerſione ad phantaſmata, & ſine ordine ad illa, concedo maiorem: tantum ſine conuerſione ad phantaſmata, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet anima rationalis in ſtatu ſeparationis, quando vtitur ſpeciebus abſtractis à phantaſmatibus, cognoſcat ſine actuali conuerſione ad phantaſmata, non tamen cognoſcit ſine ordine ad illa; ſemper enim ſpecies à phantaſmate abſtracta ordinem ad illud importat, & cum cognitio media tali ſpecie formata, ad obiectum terminetur, vt à phantaſmate abſtractum, importat, ſaltem implicitè, & in obliquo ordinem ad phantaſma, quod fuit terminus à quo abſtractionis. Vt ergo anima Chriſti, etiam in ſtatu coniunctionis ad corpus cognoſcat obiecta naturalia ſine conuerſione actuali ad phantaſmata, & etiam ſine ordine ad illa, neceſſaria fuit ſcientia per ſe infuſa ex parte ſpecierum. Hæc dixerim admiſſo, poſſe animam Chriſti Domini vti ſpeciebus abſtractis à phantaſmatibus ſine actuali conuerſione ad phantaſmata, quod an verum ſit, alibi eſt examinandum.

§. VIII.

§. VII.

De ſcientia per ſe acquiſibili.

164 *Quid ſit ſcientia per ſe acquiſibilis. S. Thom.*

SCientia per ſe acquiſibilis eſt illa, quæ licet aliquando de facto per accidens infundatur à Deo, qualiter omnes ſcientias naturales fuiſſe infuſas Adamo in primo ſuæ conditionis inſtanti, docet D. Thom. 1. *p. q.* 94. *art.* 3. per ſe tamen petit, vt fiat connaturaliter, noſtris actibus acquiri. Ad differentiam ſcientiæ per ſe infuſæ, cui vel repugnat eſſentialiter per noſtros actus, etiam ſupernaturales acquiri, vel licet poſſit de potentia abſoluta actibus ſupernaturalibus effici, connaturaliter tamen exposcit per infuſionem, & non ab intrinſeco per ſubiecti efficientiam haberi.

165 *Quarta concluſio. Scholaſtici. Bonau. Richar. Palud. Capreol. Theolog. Caiet. Medin. Aluar. Nazar. Ataniq. Zippul. Suarez. Vazq. Origen. Ambr. Fulgen. Bernar. Richardo S. Victore.*

Hoc ita ſuppoſito, Sit Quarta Concluſio. *Conſtituenda eſt in anima Chriſti Domini ſcientia per ſe acquiſibilis, vel ex genere ſuo acquiſita.* Ita frequenter Scholaſtici cum Magiſtro *in* 3. *diſt.* 14. vbi D. Bonauentura *art.* 3. *q.* 2. Richardus *in eodem art. & quæſt.* Paludanus *q.* 2. & Capreolus *q. vnic. art.* 1. *concluſ.* 2. & Theologi cum D. Thom. *in præſenti art.* 4. Vbi Caietanus, Medina, Aluarez, Nazarius, Illuſtriſſimus Arauio, Zippollus, & cęteri Diſcipuli Angelici Præceptoris. Tenent etiam ex PP. Societatis Suarez *diſp.* 30. *ſect.* 2. Vazquez *diſp.* 55. *cap.* 2. *&* 3. quos alij Recentiores ex eadem familia ſequuntur. Pro eadem ſententia, & in eius confirmationem refert Vazquez vbi *proximè* ex Eccleſiæ PP. Origenem *Homilia* 5. *in Matthæum*, Ambroſium *lib. de Incarnat. Domini. ex Sacramento cap.* 7. Fulgentium *lib.* 1. *ad Traſimundum cap* 7. Bernardum *lib. de Gradibus humilitatis prope initium*, & Richardum de Sancto Victore.

Ad cuius probationem aduerto, dupliciter poſſe concluſionem iſtam defendi: primo, aſſerendo, fuiſſe huiuſcemodi ſcientiam in Chriſto proprijs actibus acquiſitam. Secundo, illam conſtituendo, non proprijs actibus acquiſitam, ſed per accidens in anima Chriſti infuſam à primo conceptionis Chriſti inſtanti. In quo puncto variant Theologi, & in diuerſa diuiduntur placita; quia tamen illorum examen propriam ſedem habet *infr. q.* 12. ideo *in*

166 *Duplex ſenſus explicatur.*

præſenti ſolum ſtatueramus, fuiſſe in anima Chriſti Domini ſcientiam per ſe acquiſibilem, vel ex genere ſuo acquiſitam, abſtrahendo pro nunc à modo quo illam habuit, an, ſcilicet, proprijs actibus illam acquirendo, vel ab extrinſeco infuſam per accidens?

167 *Suadetur primò.*

Et oſtenditur primo; oportuit enim, vt omnis potentialitas naturalis animæ Chriſti ad actum reduceretur, vt docet D Thomas *in hac q. art.* 3. *& infra q* 11. *art.* 1. aliàs imperfecta foret, cum omne, quod eſt in potentia, ſaltim naturali ad aliquam perfectionem, imperfectum ſit, donec reducatur ad actum; ſed anima Chriſti Domini erat, quantum eſt de ſe in potentia naturali ad ſcientiam per ſe acquiſibilem; cum ſit eiuſdem ſpeciei cum cæteris animabus, in quibus huiuſmodi naturalis potentia inuenitur: ergo fuit ad actum reducta; & conſequenter habuit huiuſcemodi ſcientiam ex genere ſuo acquiſitam.

168 *Confirmatur 1.*

Confirmatur primo; quia namque anima rationalis eſt in potentia ad viſionem beatificam, qua intelligit modo diuino, & ad ſcientiam per ſe infuſam, qua intelligit modo Angelorum, fuit in Chriſto ſcientia beata, qua res in Verbo cognouit, fuerunt etiam ſcientia per ſe infuſa naturalis, & per ſe infuſa ſupernaturalis, *in hac diſp.* monſtrauimus; ſed etiam eſt in potentia ad intelligendum modo humano: ergo eſt conſtituenda in ipſo ſcientia ex ſuo genere acquiſita, per quam modo humano intelligat.

169 *Confirmatur 2.*

Confirmatur, & vrgetur ſecundo; etenim anima Chriſti eſt in potentia ad intelligendum per conuerſionem ad ſuperiora, recipiendo perfectionem ab illis, ſcilicet, ſpecies impreſſas per infuſionem à Deo: eſt etiam in potentia ad intelligendum, & conuertendo ſe ad inferiora per ſpecies ab ipſis acceptas, & medio intellectu agente, abſtractas à phantaſmatibus; ſed vt prima potentia compleatur, & ad actum reducatur conſtituuntur in anima Chriſti ſcientia per ſe infuſa naturalis, & ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis, vt conſtat ex dictis: ergo, vt ſecunda potentia compleatur, & reducatur ad actum, ſunt in ipſo conſtituendæ ſpecies per ſe acquiſibiles; & conſequenter ſcientia ex genere ſuo acquiſita, quæ vel in his ſpeciebus conſiſtit, vel illas per ſe ſupponit.

Secundo eadem concluſio ſuadetur: nam anima Chriſti Domini cognouit res naturales, ſaltim ſenſibiles in ſe 170 *Secundo probatur concluſio.*
ipſis, & in proprio genere cognitione perfecta naturali; cum iſtius cognitionis ſit capax, ac proinde non debuerit illa priuari; ſed cognitio naturalis habita per ſpecies infuſas eſt confuſa, & imperfecta; eſt enim eiuſdem ſpeciei cum cognitione animæ ſeparatæ per ſimiles ſpecies habita, quam imperfectam eſſe, & confuſam, docet D. Thom. 1. *p. q.* 89. *art.* 3. *in corp.* ergo præter hanc cognitionem concedenda eſt animæ Chriſti naturalis rerum ſenſibilium perfecta cognitio quæ per ſpecies acquiſibiles per ſenſus habetur.

Et augetur difficultas primò: vt enim docet D. Thomas *loco vbi proximè ſolut. ad* 4. cognitio rerum in proprio genere per ſtudium, & acquiſitionem habita, eſt 171 *Confirmatur 1.*
perfectior cognitione, quam anima rationalis habet per ſpecies infuſas; ſed conceditur animæ Chriſti prima rerum naturalium cognitio, quæ minus perfecta eſt: ergo eſt illi concedenda ſecunda cognitio, quæ primam in perfectione excedit.

Confirmatur, & vrgetur ſecundo: vt enim docet D. Thomas *q. allegata art.* 1. *in corpore*, anima rationalis non 172 *Confirmatur 2.*
fruſtra eſt corpori vnita, & ad hoc a natura ordinata; quia ex vnione ad corpus ſortitur modum intelligendi per ſpecies acquiſitas, & per conuerſionem ad phantaſmata, qui eſt melior ipſi, eique connaturalior: ergo ſi anima Chriſti Domini hoc modo intelligendi careret, fruſtra eſſet corpori vnita, quod aſſerendum non eſt. Vt ergo hoc inconueniens vitetur, debemus illi concedere ſcientiam ex ſuo genere acquiſitam, per quam illo modo intelligat.

Denique probatur concluſio ratione D. Tho. *in hac q. art* 4. ad hanc formam redacta. Nihil enim eorum, quæ 173 *Denique probatur ratione S. Thom.*
Deus plantauit in natura humana, defuit humanitati à diuino Verbo aſſumptæ, aliàs Chriſtus, homo perfectus non eſſe, ſed Deus in natura humana, non ſolum plantauit intellectum poſſibilem, ſed etiam intellectum agentem, de quo D Th. 1 *p. q* 79. *art.* 3. *&* 4. ergo non ſolum intellectus poſſibilis, ſed etiam intellectus agens fuit in humanitate aſſumpta; ſed Deus, & natura nihil fruſtra faciunt in alijs, vt dicitur *lib.* 1. *de Cœlo text.* 32. *& lib.* 2. *text.* 59. ergo multo minus in Chriſto; & conſequenter illius humanitati non fuit fruſtra intellectus agens conceſſus. Sed ſi anima Chriſti caruiſſet ſcientia ex genere ſuo acquiſita, fruſtra fuiſſet illi datus intellectus agens: ergo prædicta ſcientia non caruit. Minor, in qua tota difficultas conſiſtit, probatur à D. Tho. vt enim dicitur in 2. *de Cœlo text.* 17. omnis res ad propriam operationem ordinatur, & eſt propter illam, & conſequenter fruſtra eſt, quod cum propria operatione nunquam coniungitur; ſed propria intellectus agentis operatio eſt, abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus, vt dicitur *lib.* 3. *de anima text.* 18. ergo ſi intellectus agens nõ habuit iſtam operationem, fruſtra in illo intellectus agens fuit: & conſequenter, vt hoc inconueniens vitetur conſtituendæ ſunt in Chriſto ſpecies intelligibiles receptę in intellectus poſſibili per actionem intellectus agentis, quod eſt conſtituere in ipſo ſcientiam ex genere ſuo acquiſitã.

Reſpondebis his omnibus argumentis ad ſummum conuinci fuiſſe in anima Chriſti Domini ſpecies per ſe 174 *Reſpondebis.*
acquiſibiles, quas intellectus agens miniſterio ſenſuum abſtrahit à phantaſmatibus, & cognitionem illis mediantibus habitam; non autem probari, fuiſſe in anima Chriſti habitum ſcientificum ex genere ſuo acquiſitum, qui præſtat potentiæ intellectiuæ facilitatem in ordine ad intellectionem, & in quo iuxta frequentiorem, atque veriorem ſententiam eſſentialiter ſcientia conſiſtit, & hoc neceſſum erat probare, vt argueretur in Chriſto ſcientia ex genere ſuo acquiſita.

Sed contra primo; nam primum argumentum cum ſuis 175 *Sed contra 1.*
confirmationibus æquè militat de habitu ſe tenente ex parte potentiæ illique præſtante facilitatem, ac de ſpeciebus impreſſis, quæ ex parte obiecti ſe tenent; eſt enim anima Chriſti in potentia naturali, non ſolum ad ſpecies impreſſas abſtractas à phantaſmatibus, ſed etiam ad habitum, qui ordinat ſpecies, præſtatque ad actum facilitatem: ergo ſi fuit neceſſarium exiſtere in anima Chriſti ſpecies per ſe acquiſibiles, ne capacitas naturalis receptiua illarum irreducta ad actum, atque imperfecta maneret; debet etiam neceſſarius cenſeri habitus illis reſpondens, præſtanſque facilitatem, ne potentia naturalis iſtius habi-

tus

tus receptiua irreducta ad actum, imperfectaque in anima Chriſti maneat.

176 *Contra ſecundo.* Deinde; nam ſecundum argumentum pari efficacia militat de habitu per ſe acquiſibili præſtante facilitatem potentiæ, ac de ſpeciebus impreſſis, quod probo: ſicut anima per ſpecies naturales infuſas anima in ſtatu ſeparationis imperfectè, & confusè res naturales cognoſcit, ita per habitum tales ſpecies coordinantem, non poteſt haberi perfecta rerum naturalium cognitio, ſed tantum imperfecta: ergo ſi ſpecies per ſe acquiſibiles iudicantur neceſſariæ, vt anima Chriſti Domini perfectam rerum naturaliũ cognitionem naturalem haberet, ita habitus ſcientificus ex genere ſuo acquiſitus præſtans potentiæ facilitatem, eſt neceſſarius in anima Chriſti cenſendus ad rerum naturalium perfectam cognitionem ſuauiter, & promptè eliciendam.

177 *Quorundam exiſtimatio.* Quod autem id ipſum vltimum argumentum conuincat docti Recentiores Thomiſtę in hunc modum ſuadent; nam munus intellectus agentis, non eſt ſolum abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus, ſed etiam intellectui poſſibili aſſiſtere, illumque fortificare, vt in actum educat, quæ in primis principijs virtualiter continentur, vt docet D. Th. *q. vnic. de anima art. 15. ad 1. & contra Gentes c. 45. & 1. p. q. 84. art. 6.* idque tenent Ferrara *loco ex contra Gentes citat.* Caietanus *in præſenti, & 1. p. qu. 79. art. 3.* & Petrus Bergomenſis *in tabula aurea D. Tho. dub. 1218.* Cumque confortatio intellectus, vt agat, non ſit propter abſtractionem ſpecierum propter confortandum intellectum poſſibilem, vt in actum educat, quæ in primis principijs virtualiter continentur; ac proinde, ſi hac non obtineat in Chriſto, fruſtraneus erit intellectus agens in illo. Sed habitus ſcientificus ex genere ſuo acquiſitus præſtans facilitatem ad actum in primis principijs continetur, quæ ſunt ſemina ſcientiarum: ergo ſi huiuſmodi habitus in Chriſto non conſtituatur, vel proprijs actibus acquiſitus, vel ſaltim infuſus per accidens, fruſtra erit intellectus agens in illo, non minus, quam ſi ſpecies per ſe acquiſibiles in ipſo non ponerentur.

S. Thom.
Ferrara
Caiet.
Petrus Bergom.

178 *Non fit de ſtatu confortatis per productionem habitus.* Hoc tamen fundamentum duplici premitur difficultate: prima eſt, quia non poteſt percipi munus hoc intellectus agentis diſtinctũ à productione ſpecierum, quæ recipiuntur in intellectu paſſibili: nam confortationem iſtam non præſtat intellectus agens per infuſionem alicuius habitus ab ipſo in intellectu paſſibili cauſato; habitus enim acquiſitus inclinat in actus ſimiles illis, quibus fuit productus; ac proinde ſi ab intellectu agente producatur; cum illius actio, intellectio non ſit, non poterit in intellectionem inclinare; & conſequenter non poterit recipi in intellectu poſſibili, cuius proprius actus, & ſpecificatiuus eſt intellectio.

Nec fieri poteſt per productionem motionis. Nec poteſt fortificationem iſtam præſtare per impreſſionem alicuius motionis, vel qualitatis facilè tranſeuntis cauſatæ ab intellectu agente in intellectu paſſibili; agens enim naturale, quale eſt intellectus paſſibilis reſpectu intellectionis, niſi inſtrumentale ſit, non recipit motionem, aut qualitatem motiuam ab alio, præterquam à Deo; intellectus autem paſſibilis non concurrit inſtrumentaliter ad intellectionem; & conſequenter non poteſt ab intellectu agente recipere motionem, aut fluidam qualitatem confortantem illum, & mouentem ad intelligendum.

179 *Intellectus paſſibilis non intelligit in virtute intellectus agentis.* Nec deniq; poteſt dici, confortari ab intellectu agente per hoc, quod intellectionem producat intellectus poſſibilis in virtute intellectus agentis, ly *in virtute* ſumpto tranſitiuè, qualiter accidens dicitur, formam ſubſtantialem producere in virtute ſubſtantiæ, v. g. calor in virtute ignis dicitur, producere ignem. Tùm, quia iſte modus agendi in virtute alterius eſt proprius inſtrumenti, aut virtutis inſtrumentariæ; intellectus autem paſſibilis non eſt inſtrumentum, nec virtus inſtrumentaria intellectus agentis; & conſequenter non poteſt in virtute illius in intellectionem influere. Tùm etiam, quia quando duo agentia modo prædicto ad aliquem actum concurrunt, principalius comparatur ad agens virtutem præſtans, quam ad agens illam recipiens, vel influens in virtute alterius; vt conſtat in igne, qui principalius igni, quam calori attribuitur, quia calor in virtute ignis ignem producit; nullus autem Philoſophorum dixit, intellectum agentem principalius ad intellectionem concurrere, quam intellectus paſſibilem eſſe perfectiorem intellectu agente abſolutè, quamuis ab illo excedatur per comparationem ad ſpecies impreſſas, quia intellectus paſſibilis recipit ſpecies, & intellectus agens illas efficienter producit: ergo confortatio iſta intellectus agentis reſpectu intellectus poſſibilis diſtincta ab illuſtratione per ſpecies impreſſas, quas cauſat in illo, perceptibilis non eſt.

180 *Aliter præcedens extimatio impugnatur.* Secunda difficultas eſt: nam ſi confortatio iſta conſtituatur non connexa cum abſtractione ſpecierum, ſequitur, intellectum agentem non fruſtra in Chriſto exiſtimum, quamuis careret ſpeciebus ex genere ſuo acquiſitis, abſtractiſque à phantaſmatibus, quod aduerſatur Angelico Præceptori, qui expreſsè loquitur de huiuſmodi ſpeciebus *in præſenti art. 4.* cum ait, futurum fruſtra intellectum agentem in Chriſto, ſi ab illo excludatur ſcientia ex genere ſuo acquiſita: at, ſi confortatio prædicta intellectui agenti attribuatur, neceſſario eſt independens ab actu abſtrahendi ſpecies: ergo prædicta ratione non probatur argumentum D. Tho. conuincere de habitu per ſe acquiſito. Probo minorem: nam confortatio hæc à Ferrara, & Caietano, ideo intellectui agenti attribuitur, quia D. Thom. *locis vbi proximè* adductis aſſeruit, animam in ſtatu ſeparationis habere virtutem ad intelligendum per intellectum agentem, quod cum accipi non poſſit de virtute elicitiua; hanc enim per ſe ipſum habet intellectus paſſibilis, explicatum eſt ab ipſis de virtute confortante, ſed D. Thom loquitur de anima in ſtatu ſeparationis, in quo abſtractio ſpecierum non datur; & de illa, vt intelligente per ſpecies acceptas à ſubſtantijs ſpiritualibus, ad phantaſmata non dicentibus ordinem: ergo ſi hoc iuuamen, vel confortatio iſta intellectui agenti attribuitur, eſt independens ab actu abſtrahendi ſpecies; & conſequenter per hoc, quod intellectus agens in Chriſto iſtud munus exerceret, quamuis in illo non darentur ſpecies per ſe acquiſibiles, non eſſet fruſtra intellectus agens in Chriſto; non enim poteſt fruſtraneum dici, quod cum principali ſua operatione coniungitur, quamuis careat minus principali actione ad illam non neceſſaria.

181 *Aliter probatur aſſumptum.* Quare, prætermiſſa hac ratione, in ſua probabilitate relicta, aliter eſt probandum aſſumptum, nempè, argumentum D. Thom. non ſolum conuincere de ſcientia ex parte ſpecierum, ſed etiam ſumpta pro habitu à ſpeciebus diſtincto ſe tenente ex parte potentiæ, illique præſtante facilitatem ad intelligendum: nam eo ipſo quod ſpecies ſint ex genere ſuo acquiſitæ, habitus conſiſtens in ordinatione illarum, præbenſque facilitatem ad actum, nequit eſſe per ſe infuſus: ergo ratio D. Thom. probans in anima Chriſti ſpecies ex genere ſuo acquiſitas, etiam conuincit de habitu ſe tenente ex parte potentiæ, in quo ſcientia eſſentialiter conſiſtit. Antecedens oſtenditur primò; vt enim *in hac Diſputatione § ſexta numero 117.* monſtrauimus, habitus naturalis ſcientificus conſiſtens in ordinatione ſpecierum per ſe infuſarum, ſi in anima Chriſti datur, non eſt per ſe infuſus, ſed ex genere ſuo acquiſitus: ergo à fortiori habitus ordinans ſpecies ex genere ſuo acquiſitas eſſe nequit per ſe infuſus.

Antecedens probatur 1.

182 *Secundo.* Secundò idem antecedens probatur: nam habitus ordinans prædictas ſpecies, non eſt per ſe requiſitus ad ſubſtantiam intellectionis, ſed ſolum ad illius facilitatem, vt, ſcilicet, promptè, & delectabiliter ab intellectu eliciatur; ſed habitus non exactus ad ſubſtantiam, ſed ſolum ad facilitatem actus nequit eſſe per ſe infuſus; vt vidimus *vbi proximè*: ergo habitus ordinans ſpecies per ſe acquiſitas non eſt per ſe infuſus, ſed ex genere ſuo acquiſitus; & conſequenter eo ipſo, quod D. Thomas oſtendat, dari in anima Chriſti Domini ſcientiam naturalem acquiſitam ex parte ſpecierum, conuincit ex conſequenti habitum per ſe acquiſibilem, dantem facilitatem ad actum, illiſque correſpondentem, eſſe in illa conſtituendum. Vel fortè Angelicus Doctor, tantum loquutus fuit de ſpeciebus, quia pro certo ſupponebat, habitum ſolum præſtantem ad actum facilitatem, per ſe infuſum eſſe non poſſe.

183 *Opponet primo.* Si opponas in contra primo: habitus reſpondens ſpeciebus per ſe infuſis, poteſt eſſe ex genere ſuo acquiſitus, vt docuimus *in hac Diſput. §. 6. num. 96. & num. 117.* monſtrauimus: ergo è contra, habitus correſpondens ſpeciebus ex genere ſuo acquiſitis, & ordinans illas, poteſt eſſe per ſe infuſus.

184 *Secundo.* Secundò: nam habitus fidei Chriſtianæ per ſe infuſus, & ſupernaturalis eſt; & tamen ſpecies ad hunc habitum ſuppoſitæ, ſunt naturales, & ex genere ſuo acquiſitæ: ergo poteſt eſſe, quod habitus ex parte potentiæ ſe tenens, præſtanſque facilitatem ad actum, per ſe infuſus ſit, quamuis ſpecies obiectiuè concurrentes ſint ex genere ſuo acquiſitæ.

185 *Tertio.* Tertiò: nam habitus noſtræ Theologiæ, præbens facilitatem

ſitatem ad Theologicos aſſenſus eſt ſupernaturalis, & per ſe infuſus, vt doctis Theologis placet, de quo 1.p.q.1. & tamen ſpecies ad illum ſuppoſitæ non ſunt ſupernaturales, nec per ſe infuſæ, ſed naturales, & ex genere ſuo acquiſitæ: ergo ſtat, habitum præſtantem facilitatem ad actum eſſe per ſe infuſum, quamuis ſpecies, quas ſupponit, & ordinat, non per ſe infuſæ, ſed per ſe acquiſitæ ſint.

186 *Quartò.* Denique: nam poteſt habitus facilitatem præſtans ad actum ſupponi ex parte ſubiecti ante acquiſitionem ſpecierum, vt illis ad venientibus ad intellectionem concurrat; ſed eo ipſo, quod ſic poſſit antecedere, ſtat eſſe per ſe infuſum, etſi ſpecies ſint ex genere ſuo acquiſitæ, imo & de facto acquirendæ; cum non alia ratione oppoſitum, poſſit ſuaderi, niſi quia, quod per ſe ſupponit aliud, nequit haberi ante illud: ergo ſtare poteſt, eſſe habitum per ſe infuſum, quamuis ſpecies, quas requirit, & ordinat, ſint ex ſuo genere acquiſitæ.

187 *Ad 1. obiectionem reſpond.* Reſpondeo ad primam ex his obiectionibus, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; ratio autem diſcriminis eſt: nam ſpecies obiectiuè concurrentes ad actum ſupponuntur per ſe ab habitu dante facilitatem potentiæ, exiguunturque ad ſubſtantiam operationis, nam ſine ſpecie concurrente obiectiuè non poteſt intellectio ſubſiſtere; ex eo autem quod id, quod per ſe præſupponitur ad actum, præbetq; ſimpliciter poſſe ad illum, per ſe infuſum ſit, & non poſſit noſtris actibus acquiri, non ſequitur, formā illud per ſe ſupponentem, & non dantem poſſe ſimpliciter, ſed tantum facilitatem ad actum, per ſe infuſam eſſe, & inacquiſibilem per noſtras operationes; benè tamen è conuerſo, ex eo quod per ſe præſuppoſitum, non ſit per ſe infuſum, ſed noſtris actibus acquiſibile, ſequitur, per ſe illud præſuppones, per ſe infuſum, non eſſe, ſed poſſe proprijs actibus acquiri; & ideo ex ſpeciebus per ſe infuſis nõ infertur, habitum illas præſupponentem, dantemque facilitatem ad actum debere eſſe per infuſum; benè tamen è conuerſo, ex eo quod ſpecies per ſe ſuppoſitæ ad habitum, non ſint per ſe infuſæ, ſed noſtris actibus acquiſibiles, ſequitur, habitum illas ſupponentem, non eſſe per ſe infuſum, ſed noſtris actibus acquiſibilem.

188 *Ad ſecũdam.* Ad ſecundam, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt duplex. Prima, nā habitus fidei Chriſtianæ non præſupponit per ſe ſpecies entitatiuè naturales, ſed poſſet medijs ſpeciebus ſupernaturalibus ad aſſenſum credendi concurrere: & ideo ex eo, quod ſpecies, quæ de facto ſupponũtur, per ſe acquiſibiles ſint, non ſequitur habitum fidei eſſe ex genere ſuo acquiſibilem; habitus autem naturalis præſtans facilitatem ad actum, per ſe ſupponit ſpecies naturales, & ille, de quo loquimur impræſentiarum, ſupponit per ſe ſpecies ex genere ſuo acquiſibiles; & ideo eſſe nequit per ſe infuſus, ſed ex genere ſuo acquiſitus. Secunda differentiæ eſt: nam habitus fidei non concurrit ad aſſenſum credendi cum ſpeciebus naturalibus nudè ſumptis, ſed vt eleuatis per formam ſupernaturalem, vt oſtendimus *Tract. de Charitate*; habitus autem naturalis ſcientificus cum ſpeciebus naturalibus nudè ſumptis, & non vt eleuatis concurrit ad propriam operationem: & ideo habitus fidei, non cum prædictis ſpeciebus ſecundum ſubſtantiam ſuam, ſed cum illis vt eleuatis per entitatem ordinis ſupernaturalis proportionatur in entitate, & modo productionis exacto: ac proinde ex eo quod entitas ſpecierum, cum quibus ad proprium actum cõcurrit, ſit ex genere ſuo acquiſibilis, petatq; connaturaliter noſtris actibus acquiri, non ſequitur idem de habitu fidei dicendum; benè tamen id colligitur in habitu naturali ſcientifico.

189 *Ad tertiā.* Et ex his ad tertiam obiectionem conſtat ſolutio; nam ſi habitus noſtræ Theologiæ eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, non præſupponit per ſpecies naturales ex genere ſuo acquiſibiles, ſed poteſt medijs ſpeciebus ſupernaturalibus, & per ſe infuſis concurrere ad aſſenſum Theologicum, ideoque; poteſt eſſe per ſe infuſus, & non ex genere ſuo acquiſitus. Eſt inſuper alia ratio diſcriminis, nempè, quod ſi eſt ſupernaturalis non concurrit ad aſſenſum Theologicum cum ſpeciebus naturalibus nude ſumptis, ſed vt eleuatis per formam ſupernaturalem; ideoque non cum entitate ſpecierum naturalium, ſed cum forma ſupernaturali eleuante proportionetur in modo productionis exacto, vt *proximè* dicebamus de fide.

190 *Ad quartam.* Ad quartam obiectionem, nego maiorem. Habitus namque eſſe nequit ſaltim connaturaliter, in ſubiecto, niſi illi præſtet ſuum effectum formalem, nempè, facilitatem ad actum, non autem poteſt ſtare facilitas in potentia, niſi ſit potens ſimpliciter ad operandum, & quia ſine ſpeciebus determinantibus obiectiuè potentiam, non ſalnatur in illa, poſſe operari ſimpliciter; ſit conſequens, vt ſpecies potentiam determinantes, illamque complentes ad operandum, ſaltim connaturaliter præexigantur ab habitu dante facilitatem, & quod ſine illis, ſaltim connaturaliter, nequeat exiſtere.

§. IX.

Primum oppoſitæ ſententiæ argumentum diluitur.

PRo ſententia noſtræ concluſioni oppoſita, referuntur D. Bonauentura in 3. *diſt.* 24. *art.* 1. *q.* 2. Scotus *in eadem diſt. q.* 3. Gabriel *q. unic. art.* 3. *dub.* 1. & Durandus q. 4. ceterū hi Auctores ſolum negant in anima Chriſti Domini ſcientiam proprijs actibus de facto acquiſitam; eo quod illam per accidens fuiſſe Chriſto ab initio conceptionis infuſam cenſuerunt, ſoloq; numero ab ea, quæ proprijs actibus acquiri poſſet diſtinctam; ex quo planè ſequitur tres iſtos Doctores ſenſiſſe; ſcientiam in anima Chriſti à primo conceptionis inſtanti exiſtentem, non fuiſſe per ſe infuſam, ſed ſolum per accidens; nam ſi fuiſſet per ſe infuſa, non poſſet, non diſtingui ſpecificè a ſcientia per ſe acquiſibili. Scotus verò, etſi cum his Auctoribus conueniat quantum ad ſcientiam rerum abſtractiuam, aſſerens, non fuiſſe de facto proprijs actibus ab anima Chriſti acquiſitã; diſſentit tamen ab illis, loquendo de ſcientia intuitiua; nõ ſolum actuali, ſed etiam habituali, quam de facto à Chriſto proprijs actibus fuiſſe acquiſitam, apertè fatetur. Vndè nullus, quem viderim, præter Richardum; quem *ſuperius* allegauimus, noſtræ concluſioni aduerſatur. 191 *Bonau. Scotus. Gabriel. Durand.*

Quidquid tamen de hoc ſit, contra illam arguitur primo: nam duæ formæ numericè ſolum diſtinctæ non poſſunt eſſe ſimul in eodem numero ſubiecto, vel quia talis coexiſtentia repugnat de potentia abſoluta, vt tenet Diſcipuli D. Tho. vel quia vno illorum in ſubiecto exiſtente alterius exiſtentia ſuperfluit; ideoque non poſſunt connaturaliter ſimul exiſtere, vt alij extra Scholam D. Thomæ contendunt; ſed ſcientiæ, quam infuſam fuiſſe Chriſto §. 6. oſtendimus, ſolo numero differre poteſt è ſcientia naturali acquiſita: ergo, prima conceſſa, ſecunda relegari debet à Chriſto. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: nam differentia ſumpta ex diuerſa cauſa efficiente, vel vt alij dicunt ab ortu, non eſt differentia ſpecifica, ſed ad ſummum numerica; vt conſtat in viſu miraculoſè cæco reſtituto, & viſu habito à natura. Conſtat etiam in homine genito ab homine, & Adamo immediatè à Deo producto, inter quæ extrema ſolum numerica diſtinctio inuenitur; quia illorum diſtinctio ſumitur penes cauſas efficientes; ſed ſcientia Chriſto infuſa à primo conceptionis inſtanti, & ſcientia per ſe acquiſita diſtinguuntur penes cauſas efficientes, quia nimirum illa fuit immediatè facta à Deo; iſta verò acquiſita proprijs actibus: ergo ſolo numero diſtinguuntur; ac proinde non potuerunt ſimul in anima Chriſti Domini. 192 *Arguitur 1.°*

Hoc fuit ferè vnicum fundamentum Bonauenturæ, Gabrielis, & Durandi, vt ab anima Chriſti excluderent ſcientiam proprijs actibus acquiſitam. Et quidem euidenter conuincit ſuppoſito, vt ipſi ſupponunt, ſcientiam Chriſto infuſam ſolo numero ab acquiſita diſtingui; quia tamen hoc principium falſum eſt ideo leui fuerunt fundamento conuicti. Ad illud reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem, diſtinguo maiorem: differentia ſumpta ex diuerſa cauſa efficiente per ſe ab effectibus inſpecta, & petita, non poteſt eſſe ſpecifica, nego maiorem: ſi per accidens inſpiciatur ab illis, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam ſcientia infuſa Chriſto, non fuit infuſa per accidens, ſed per ſe; ac proinde per ſe Deum reſpicit, vt cauſam efficientem ſui; ſcientia autem per ſe acquiſibilis, per ſe reſpicit intellectum agentem, vt cauſam ex parte ſpecierum, & ex parte habitus dantis facilitatem, per ſe vt cauſam reſpicit proprios actus intellectus paſſibilis, ideoque non ſolo numero, ſed etiam ſpecificè diſtinguuntur. Secus in viſu reſtituto cæco miraculosè, & in viſu habito à natura, oppoſita de cauſa, contingit, quia, ſcilicet, accidit viſui, quod immediatè efficiatur e Deo; & idem de 193 *Reſpondetur.*

Ade-

Adami formatione eſt dicendum, nimirum, non per ſe, ſed per accidens, attenta ratione ſpecifica, à Deo fuiſſe formatum; vnde nec inter viſum cæco reſtitutum, & viſum habitum a natura, nec inter Adamum, & alios homines ſpecifica diſtinctio intercedit. Quæ ſolutio ſumitur ex D. Thoma in *hac q. art. 4. ad 3.*

194 *Contra hanc ſolutionem obſtat.* Sed contra illam obſtat, & differentiam penes cauſas efficientes non poſſe eſſe primam, niſi ſolum in his formis, quæ à principio ſpecificationem ſumunt, quales ſunt actus vitales, ſed ſcientia ſiuè ſumatur pro habitu præſtante facilitatem, ſiuè pro ſpeciebus complentibus obiectiuè intellectum, non ſumit ſuam ſpecificationem à principio, à quo cauſatur: ergo differentia ex cauſis efficientibus ſumpta nequit eſſe prima inter ſcientias, ſed vt per ſe petant cauſas efficientes diuerſas debent ſupponi diſtinctæ ex alijs capitibus, videlicet ex obiectis, a quibus ſcientiæ ſpecificantur. Sed obiectum ſcientiæ ab initio conceptionis animæ Chriſti infuſæ, idem eſt cum obiecto ſcientiæ acquiſitæ, v.c. idem homo, quem Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit, & per ſcientiam acquiſitam: ergo non petunt per ſe cauſas efficientes diuerſas; ac proinde ex nullo capite ſpecificè diſtinguuntur.

195 *Nec vrget contra ſcientiã ſupernaturalem per ſe infuſam.* Hæc obiectio difficultate caret, ſi de ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali loquamur; hæc namque, vel non ſe extendit ad hominem, nec ad alia entia ordinis naturalis, vt aliqui volunt, vel ſi extenditur ad illa, vt melius alijs videtur, de quo *infra q. 11.* eſt ſub ratione obiectiua ſupernaturali; ac proinde etſi cum ſcientia per ſe acquiſita in obiecto materiali coincidat, diſſidet ab illa in formali, quod ad differentiam ſpecificam potentiarum, habituum, & actuum ſufficere, eſt conſtans Metaphyſicorum doctrina. *Nec cõtra naturalẽ ita quorũdam ſententia.* Nec difficultatem haberet contra ſcientiam per ſe infuſam naturalem, ſi illam ſolum conſtitueramus in anima Chriſti Domini per reſpectum ad ſubſtantias ſeparatas quas per ſpecies abſtractas a phantaſmatibus, non poteſt intellectus noſter cognoſcere conceptu abſoluto, & proprio, ſed tantum conceptu connotatiuo, & ad inſtar rerum ſenſibilium, quæ in phantaſmatibus continentur. Si namque hoc verum eſſet, ſcientia per ſe infuſa, & ſcientia per ſe acquiſibilis differrent, non ſolum in obiecto formali, ſed etiam in obiecto materiali, notatque eſſet inter illas differẽtia ſpecifica, per quam primo inter ſe diſtinguerentur, & ex qua naſceretur, quod diuerſas cauſas efficientes exigerent. *Hæc tamẽ ſententia eſt falſa.* Quia tamen ſcientiam naturalem per ſe infuſam, non ſolum ad ſubſtantias ſpirituales extendi, ſed etiam ſub ſe comprehendere ſubſtantias materiales, & ſẽſibiles cenſemus, iuxta ea, quæ D. Thom. docet de anima rationali in ſtatu ſeparationis *q. vnic. de anima art. 18.* ideo obiectio facta difficultatem non modicam habet.

196 *Solutio Caietani.* Caietanus *in præſenti art. 4. circa ſolut. ad 3. & 1. p. q. 89. in comment. art. 5.* reſpondet, ſcientiam naturalem per ſe infuſam, & ſcientiam per ſe acquiſibilem, etſi in obiecto inadæquato coincidant, in obiecto tamen adæquato coincidere nunquam poſſe: nam ſpecies lapidis, v.c. abſtracta a phantaſmate lapidis, ſolum lapidem repræſentat, & ſpecies abſtracta a phantaſmate hominis ſolum repræſentat hominem, idemque dicendum eſt de alijs ſpeciebus, quæ in phantaſmatibus continentur, & ab illis accipiuntur; ſpecies autem per ſe infuſa lapidis non adæquatur cum lapide, ſed plura alia repræſentat; & ſpecies per ſe infuſa hominis non adæquatur in ſua repræſentatione cum homine, ſed ad alia repræſentanda ſe extendit: cum autem plura, non niſi ſub vna ratione, in qua conueniant, poſſint per vnam ſpeciem repræſentari; fit conſequens, quod ratio formalis obiecti ſpeciei per ſe infuſæ repræſentantis lapidem, diuerſa ſit à ratione formali obiectiua ſpeciei repræſentantis lapidem ab illius phantaſmate abſtractæ, & ſpecies per ſe infuſa hominis habeat diuerſum obiectum formale ab obiecto ſpeciei abſtractæ à phantaſmate hominis, quod ſufficit, vt prædictæ ſpecies ſpecificè diſtinguantur.

197 *Cõtra illã obſtat primo.* Duo tamen obſtant contra hanc Caietani doctrinam: primum eſt; nam licet demus, Deum de facto ita vniuerſales ſpecies infundere, vt nulla cum natura aliqua inferiori adæquetur, quod valde difficile eſt in doctrina D. Tho. non tamen poteſt ſufficiens ratio aſſignari, cur talis adæquatio in ſpecie per ſe infuſa repugnet: imo quod in illa nulla repugnantia inueniatur, efficaciter ſuadetur; nam Deus ſpecies per ſe infuſas rerum naturalium producit, quatenus eſt exemplaris cauſa illarum; ſed in Deo idea lapidis eſt diuerſa ab ideis aliarum ſpecierum: ergo

poteſt efficienter cauſare ſpeciem per ſe infuſam lapidis, prout eſt idea illius, vt ab alijs naturis diſtinguitur; & conſequenter efficere poterit ſpeciem per ſe infuſam cum natura lapidis in repræſentando adæquatam.

Si forte dicatur, eo ipſo, quod ſpecies aliqua in ſua repræſentatione cum natura lapidis, vel hominis adæquetur, poſſe à tali natura, vt in ſuis ſingularibus in phantaſmatibus contentis cauſari; ac proinde eo ipſo, quod ſic adæquetur, non poſſe eſſe per infuſam: vnde, vt per ſe infuſa ſit, exigitur neceſſario, quod cum natura lapidis, vel alterius particularis ſpeciei in repræſentando non adæquetur; eſt enim de ratione ſpeciei per ſe infuſæ, quod non poſſit à phantaſmatibus abſtrahi, nec ab intellectu agente cauſari. 198 *Si reſpondeatur.*

199 *In contrariũ obſtat.* In contrarium obſtat, quod phantaſma, non ſolum repræſentat indiuiduum materiale ſpecificum, ſed etiam indiuiduum materiale genericum, v.g. phantaſma hominis, non ſolum repræſentat hunc hominem, ſed etiam hoc animal, hoc corpus, & cætera; vnde ab illo abſtrahi poſſunt ſpecies repræſentatiuæ, non ſolum naturæ ſpecificæ ſed etiam gradus cuiuſcumque generici intra lineam entis materialis contenti; & tamen eſt dabilis ſpecies per ſe infuſa adæquata cum gradu generico exempli gratia, animalis, quæ non poſſit à phantaſmate abſtrahi: ergo pariter quamuis natura ſpecifica in phantaſmate contineatur, & ab illo abſtrahi poſſit ſpecies talis naturæ, poterit nihilominus dari ſpecies repræſentatiua adæquata in ſua repræſentatione cum natura ſpecifica, cui repugnet abſtrahi à phantaſmate, & ab intellectu agente efficienter cauſari; & conſequenter eſt dabilis ſpecies per ſe infuſa adæquata in ſua repræſentatione cum natura ſpecifica lapidis, & cum qualibet alia natura ſpecifica. Nec video quid poſſit ad hoc reſponderi, niſi dicatur, cum nullo gradu corporeo in phantaſmate contento poſſe ſpeciem per ſe infuſam in repræſentando adæquari, ſed eo ipſo quod per ſe infuſa ſit repræſentare debere aliquid ſpirituale ſimul cum gradu corporeo, & ſub ratione vtrique communi, quod certè difficile eſt in doctrina D. Thomæ.

200 *Secundo obſtat cõtra doctrinam Caietani.* Deinde obſtat contra Caietani doctrinam: nam etſi negetur ſpecies per ſe infuſa cum natura lapidis in ſua repræſentatione adæquata; negari tamen non poteſt poſſibilitas actus ſcientifici eliciti à ſcientia per ſe infuſa, qui cum natura lapidis adæquetur: vel ergo iſte actus ſpecie diſtinguitur ab actu ſcientiæ acquiſitæ de natura lapidis, vel nõ diſtinguitur ab illo ſpecificè; ſed tantum numericè: ſi dicatur primum: ergo iam cum adæquatione cum lapide ratione obiecti cogniti, ſtat inter actus ſcientificos ſpecifica diſtinctio; & conſequenter ſtare etiam poterit diſtinctio eſſentialis ſpecifica inter ſpecies repræſentatiuas cum adæquatione in repræſentando cum natura lapidis in ratione obiecti repræſentabilis; non enim poteſt ratio apparens diſcriminis aſſignari. Si aſſeratur ſecundum, ſequitur nec habitus dantes facilitatem ad prædictos actus; nec ſpecies obiectiuè concurrentes, & potentiam determinantes, ſpecificè diſtingui; non enim ſtat cum conuenientia ſpecifica actuum ſpecifica diſtinctio inter ſpecies obiectiuè concurrentes, & habitus facilitatem præſtantes; potentiæ namque, & habitus immediatè ſpecificantur ab actibus, & ab obiectis mediatè.

201 *Vera ſolutio ex Capreolo.* Quare ſolutione Caietani in ſua probabilitate relicta, aliter eſt obiectioni factæ occurrendum ex Capreolo *in 3. diſt. 14. quæſt. vnic. art. 3. ad 1. argum. contra ſecundam concluſionem*, conceſſis maiori, & minori, & prima conſequentia, diſtinguendo minorem ſubſumptam: obiectum vtriuſque ſcientiæ eſt idem in eſſe rei, & identitate materiali, concedo minorem: eſt idem in eſſe obiecti, & identitate formali, nego minorem, & conſequentiam. Nam diſtinctio formalis obiectiua cum coincidentia in eodem obiecto materialiter, ſufficit ad diſtinctionem eſſentialem ſpecificam inter potẽtias, inter ſpecies, inter actus, & inter habitus. Licet autem eadem natura ſpecifica lapidis per vtramque ſpeciem repræſentetur, non tamen repræſentatur ſub eadem ratione formali obiectiua; nam ſpecies abſtracta à ſenſibus, illam repræſentat ſecundum ordinem ad phantaſmata, à quibus abſtracta fuit; ſpecies autem per ſe infuſa, ſine tali ordine lapidem repręſentat; & conſequenter ſub maiori immaterialitate repræſentatur per ſpeciem per ſe infuſam, quam per ſpeciem acquiſitam; ex quo naſcitur, quod ſpecies per ſe infuſa ſit in repręſentando vniuerſalior, quam ſpecies per ſe acquiſibilis: hæc namque ſolum repręſentat directè gradum ſpecificum; illa autem repręſentat directè non ſolum prędicata

ſpecifica naturæ, ſed etiã omnia illius indiuidua: ſicut ſpecies repræſentatiuæ Angelorum, quia per ſe infuſæ ſunt, & à phantaſmatibus non abſtrahuntur, ſi primò repræſentant gradum aliquem genericum non ſiſtunt in illo, ſed ad omnes eius ſpecies directè repræſentandas ſe extendunt. Et ſpecies primo repræſentans gradum aliquem ſpecificum, directè etiam repræſentat indiuidua, in quibus talis gradus ſpecificus contractus reperitur, v. g. ſpecies per ſe infuſa Angelica repræſentans primo gradum ſpecificum hominis omnia illius indiuidua directè repræſentat.

202 *Sumitur ex D. Th.* Quæ ſolutio eſt D. Thomæ *in præſenti art. 4. ad 3.* vbi inter habitum ſcientiæ infuſæ, & habitum ſcientiæ acquiſitæ, hoc ſtatuit diſcrimen: *Quod iſte acquiritur per comparationem humanæ mentis, ad phantaſmata; ille verò eſt alterius rationis, vtpote, à ſuperiori deſcendens in animam, non ſecundum proportionem phantaſmatum; & ideo non eſt eadem ratio de vtroque habitu.* Verba ſunt D. Thomæ: quibus differentiam inter habitum ſcientiæ per ſe infuſæ, & habitum ſcientiæ per ſe acquiſibilis non ſumit ſolum ex ordine ad diuerſas cauſas efficientes, vt male Scotus, & Durandus intellexerunt, ſed etiam ex ordine ad obiecta in ratione obiecti diuerſa, penes, hoc, quod eſt attingi ſecundum proportionem phantaſmatum, & ſine tali proportione, vel ſecundum comparationem humanæ mentis ad phantaſmata, & ſine iſta comparatione, ideſt, per hoc quod obiectum ſcientiæ acquiſitæ attingitur ab illa, vt abſtractum à phantaſmatibus; à ſcientia verò per ſe infuſa, non ſic attingitur neceſſario, ſed abſolutè; & ſine dependentia à phantaſmate; ideoque in materialiori, & vniuerſaliori modo à ſcientia per ſe infuſa cognoſcitur, quam à ſcientia per ſe acquiſibili, vt *proximè* dicebamus.

203 *Obijcitur primò.* S. Thom. Sed contra iſtam ſolutionem duo videntur obſtare: primum ſumitur ex D. Thoma *q. vnic. de anima art. 15. ad 8.* vbi cum ſibi obiecisset: *Potentiæ diuerſificantur ſecundum obiecta; ſed animæ intellectiuæ obiecta ſunt phantaſmata: ſi igitur ſine phantaſmatibus intelligit ſeparata, oportet, quod aliam potentiam habeat, quod eſt impoſſibile.* Cui argumento ita reſpondet: *Ad octauum dicendum, quod phantaſmata non ſunt obiecta intellectus, niſi ſecundum quod ſunt intelligibilia actu per lumen intellectus agentis: vnde quæcumque ſpecies intelligibiles actu recipiantur intellectu, & vndecunque, non habent aliam rationem obiecti formalem, penes quam obiecta potentias diuerſificant;* ergo ſentit D. Thomas obiectum repræſentatum per ſpeciem per ſe infuſam à Deo, non eſſe formaliter in ratione obiecti diuerſum ab obiecto repræſentato per ſpeciem abſtractam à phantaſmatibus; & conſequenter diſcrimen à Nobis conſtitutum inter ſcientiam per ſe infuſam, & ſcientiam per ſe acquiſitam, penes hoc; quod vna intelligit ſine conuerſione ad phantaſmata, & alia per comparationem ad illa, inſufficiens eſt ad inferendum inter prædictas ſcientias differentiam eſſentialem, & ſpecificam.

204 *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur ex eodem D Thoma *art. citat.* ibi: *Nec per hoc diuerſificatur ſpecies intellectualis operationis, quod intelligibilia actu, ſunt accepta à phantaſmatibus, vel aliunde:* ergo ſentit Angelicus Doctor intellectionem habitam medio ſpecie infuſa à Deo, non eſſe ſpecie diuerſam ab intellectione habita mediante ſpecie ab intellectu agente cauſata, & à phantaſmate abſtracta. Sed differentia obiectiua inſufficiens ad diſtinguendas ſpecificè intellectuales operationes, non poteſt eſſe ſufficiens ad diſtinguendas eſſentialiter ſpecies repræſentatiuas obiectiuè concurrentes, & potentiam determinantes, nec ad diſtinguendos ſpecificè habitus præſtantes potentiæ facilitatem: ergo differentia à Nobis conſtituta in obiecto ſcientiæ infuſæ ab obiecto ſcientiæ acquiſitæ, per hoc, quod illius obiectum eſt à phantaſmate abſtractum; obiectum autem ſcientiæ per ſe infuſæ phantaſmata non concernit, nec abſtrahitur ab illis, non ſufficit vt inter prædictas ſcientias eſſentialis diſtinctio intercedat.

205 *Obſtat ſecundum.* Secundum, quod obſtat, eſt; ex doctrina ſolutionis ad ſummum inferri poſſe diſtinctionem ſpecificam inter ſpecies per ſe infuſas, & ſpecies per ſe acquiſibiles; non autem inter habitus facilitatem præſtantes: ergo ſcientia per ſe infuſa ſumpta pro habitu facilitante potentiam, ſi talis habitus, datur, vt plures probabiliter docent, non erit ſpecie diſtincta ab habitu ſcientiæ acquiſitæ, in quo eſſentia ſcientiæ conſiſtit, iuxta veriorem ſententiam; & conſequenter non poterunt eſſe ſimul. Vtraque conſequentia ex antecedenti colligitur. Antecedens autem probatur: nam inter ſpeciem per ſe infuſam, & ſpeciem per ſe acquiſibilem, in hoc ſtatuimus diſcrimen, quod illa tendit ad rationem ſpecificam cum extenſione ad illius ſingularia: ſcientia vero per ſe acquiſibilis attingit rationem ſpecificam ſine attingentia ſingularium directa, & cum abſtractione ab illis; ſed habitus ſcientiæ per ſe infuſæ præſtans facilitatem ad actum, non inclinat ad rationem ſpecificam cum extenſione ad illius ſingularia, ſed cum præciſione ab illis; nam de ſingularibus ſcientia non datur: ergo non diſtinguitur ſpecie eſſentiali ab habitu ſcientiæ acquiſitæ.

Reſpondeo ad primam replicam, D. Thom. *ſolut. ad 8. in obiectione relata*, loqui de diuerſitate formali obiectiua ſufficiente ad diſtinguendas eſſentialiter potentias, 206 *Reſp. ad 1. replicã S. Thom.* vt conſtat ex ipſius verbis, ibi: *Non habent aliam rationem obiecti formalem penes quam obiecta potentias diuerſificant*, & hoc veriſſimum eſt, nam idem intellectus humanus, dum eſt corpori coniunctus intelligit obiecta ſenſibilia per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus, & in ſtatu ſeparationis eadem obiecta intelligit per ſpecies à Deo infuſas, & ſine conuerſione ad phantaſmata; ac proinde prædicta differentia obiectiua, non eſt formalis comparatione facta ad intellectum; cum hoc tamen ſtat, quod ſit ſufficiens ad diſtinguendos eſſentialiter habitus ſcientificos, & ad eſſentialiter multiplicandas ſpecies repræſentatiuas; cum enim potentia ſit vniuerſalior, quam habitus ſcientifici, & quam ſpecies repræſentatiuæ, diuerſitas obiectiua, quæ formalis eſt reſpectu habituum, & ſpecierum; & conſequenter ſufficiens ad illa multiplicanda, & eſſentialiter diſtinguenda, eſt omnino materialis comparatiuè ad potentiam; adeoque inſufficiens ad illam multiplicandam, & eſſentialiter diſtinguendam. Et quidem homo, & equus differunt obiectiuè formaliter per comparationem ad ſpecies repræſentantes, non tamen comparatione facta ad potentiam. Angelus etiam, & homo differunt obiectiuè formalitèr per comparationem ad habitus ſcientificos, non autem per comparationem ad potentiam intellectiuam; cum ab eadem potentia Angelus, & homo attingantur.

Et ex his ad confirmationem dicatur, D. Thom. *ſolut. ad 10. citat.* loqui de diuerſitate ſpecifica intellectualis 207 *Ad confirmat.* operationis, quæ ſit formalis comparatione potentiæ intellectiuæ, & ſufficiens ad illam ſpecificè multiplicandam. Non autem negare, quod ex prædicta differentia obiectiua penes ordine ad phantaſmata, & abſque ordine ad illa varientur eſſentialiter intellectuales operationes diſtinctione eſſentiali entitatiua, & quæ formalis ſit comparatione ſpecierum, & habituum intellectualium; cum enim, vt *proximè* dicebamus, potentia excedat in vniuerſalitate ſpecies repræſentatiuas, & habitus dantes facilitatem; fit conſequens, quod differentia actuum intelligendi quæ formalis eſt inter ipſos, & comparatiuè ad ſpecies, & habitus, omnino materialis ſit comparatione potentiæ. Vnde ex prædicta D. Thomæ doctrina, non ſequitur, ſcientiam per ſe acquiſibilem non diſtingui eſſentialitèr à ſcientia per ſe infuſa, differentia ſumpta ex obiecto, penes hoc, quod ab vna neceſſario attingatur per comparationem ad phantaſmata, ab alia autem ſine neceſſitate iſtius comparationis. Videatur D. Thomas *in eodem art. ſolut. ad 2.* vbi expreſsè affirmat, ſcientiam per ſe infuſam animæ ſeparatæ, eſſe diuerſæ rationis a ſcientia in hoc ſtatu proprijs actibus acquiſita.

Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo, negando antece- 208 *Ad 2. inſtantiam reſp.* dens. Ad illius probationem dicatur, non ſolum ſpecies per ſe acquiſibiles, ſed etiam habitum dantes facilitatem his ſpeciebus regulatum reſpicere ſuum obiectum, vt dicent ordinem ad phantaſmata, & vt abſtractum ab illis; cum per ſe à phantaſmatibus in ſua operatione dependeat. Habitus vero ſcientiæ infuſæ, ſi datur ab ſpeciebus diſtinctus, ſuum obiectum reſpicit abſolutè, & ſine dependentia à phantaſmate, qualitèr repræſentatur per ſpecies infuſas prædictum habitum regulantes; & cum in hoc cõſiſtat ratio obiectiua diuerſa, & diſtincta immaterialitas, quam in noſtra ſolutione explicuimus: conſequens fit, quod non ſolum ſpecies per ſe infuſæ diſtinguantur eſſentialiter ab ſpeciebus acquiſitis, ſed etiam inter habitus præſtantes facilitatem, ſimilis diſtinctio intercedat. Præterquamquod etiam diſcrimẽ in maiori vniuerſalitate cõſiſtens, & ex prædicta radice ſumptum ſubſiſtit. Nec obſtat, quod in contrarium obijcitur. Nam licet de ſingularibus contingentibus ſumptis exercitè ſcientia non

detur,

detur, quia prout ſic non poſſunt certæ cognitioni, qualis eſt ſcientia cognitio, ſubeſſe; ſumpta verò ſignatè, bene poſſunt certam cognitionem ſcientificam terminare, de illiſque ſic ſumptis paſſiones conſequutæ ad ſpeciem demonſtrantur.

---

§. X.

Diluuntur, quæ obſtant contra iſtam reſolutionem.

SEd contra iſtam reſolutionem objiciet aliquis tria in-
209 *Primum inconueniens.* conuenientia, quæ ex illa ſequuntur. Primum eſt, non ſolum habitus ſpeculatiuos ſcientificos ſed etiam habitus practicos eſſe multiplicandos ſpecificè in Chriſto; conſequens eſt falſum, aliàs prudentia naturalis infuſa diſtincta à prudentia acquiſita eſſet in Chriſto à primo conceptionis inſtanti, contra ea, quæ docuimus *diſp.* 24. §. 4. *inter ſoluendum vltimum argumentum*: ergo veritas reſolutionis traditæ nequit ſubſiſtere. Probatur ſequela: nam habitus practici intellectuales, non minus ab ſpeciebus dependent, quam habitus ſpeculatiui: ergo ſi habitus ſpeculatiui diſtinguuntur eſſentialiter per tendentiam ad obiectum, vt repræſentatum in ſe independenter à ſenſibus per ſpecies per ſe infuſas, & tendentiam ad idem obiectum vt repræſentatum dependenter à phantaſmatibus per ſpecies acquiſitas; ex eodem principio diſtinguentur eſſentialitèr habitus practici intellectuales, & conſequentèr dabitur duplex prudentia naturalis ſpecificè diſtincta, vna per ſe infuſa ex parte ſpecierum, & alia per ſe acquiſita, primaque exiſtit in intellectu Chriſti à primo conceptionis inſtanti, quod aduerſari videtur his, quæ *loco proximè allegato* docuimus.

Secundum, quod ſequitur, eſt, etiam in voluntate
210 *Secundum inconueniens.* Chriſti multiplicandos eſſe ſpecificè habitus virtutum naturalium in qualibet peculiari materia, v.g. conſtituendos eſſe in Chriſto duos habitus naturales virtutis miſericordiæ ſpecificè diſtinctos, vnum regulatum cognitione ſcientiæ naturalis infuſæ, & alterum regulatum cognitione ſcientiæ ex genere ſuo acquiſitæ, idemque dicendum erit in materia aliarum virtutum; conſequens eſt falſum, & hucuſque non auditum: ergo & noſtra reſolutio. Probatur ſequela: etenim in noſtra ſententia tendentia intellectualis obiectum, vt repræſentatum per ſpeciem abſtractam à phantaſmatibus, ſpecie diſtinguitur à tendentia intellectuali in idem obiectum, vt repræſentatum per ſpeciem per ſe infuſam, & à phantaſmate independentem, & prædictæ tendentiæ ſpecificè multiplicant habitus intellectus: ergo paritèr tendentia affectiua in obiectum apprehenſum cognitione dependente à phantaſmate, ſpecificè eſſentialiter diſtinguetur à tendentia affectiua in eundem obiectum, vt propoſitum cognitione ſcientiæ naturalis infuſæ à phantaſmate independentes, huiuſmodi tendentiæ erunt ſufficientes ad multiplicandos ſpecificè habitus voluntatis.

Et augetur difficultas primò: nam formam apprehen-
211 *Confirmatur 1.* ſam conſequitur appetitus rationalis, ſicut appetitus naturalis formam naturalem conſequitur: ergo formam apprehenſam apprehenſione ſpecificè diſtinctam conſequitur diſtinctus ſpecie appetitus. At apprehenſio à phantaſmate dependens, ſpecie, per Nos, diſtinguitur ab apprehenſione independente à phantaſmate; cum ex hoc ſolo principio diſtinguamus ſpecificè ſcientiam naturalem per ſe infuſam à ſcientia naturali acquiſita: ergo appetitus rationales ad huiuſmodi apprehenſiones conſequuti, ſpecie inter ſe diſtinguentur; & conſequenter habitus appetitiui, qui ſunt illorum principia, erunt ſpecie diſtincti.

Explicatur, & vrgetur ſecundo: cognitio habita de
212 *Confirmatur 2.* Angelo per ſpecies connotatiuas obiectorum materialium ſpecificè, diſtinguitur à cognitione de eodem Angelo habita per ſpecies per infuſas ipſum abſolutè, & in ſe repræſentantes: ergo paritèr amor Angeli connotatiuus tendens in ipſum, vt primo modo repræſentatum, ſpecificè diſtinguetur ab amore Angeli abſoluto terminato ad illum, vt abſolutè, & in ſe repræſentatum.

Tertium, quod ſequitur, eſt conſtituendas eſſe in Chri-
ſto duas ſcientias ſupernaturales ſpecificè diſtinctas circa 213 *Tertium inconueniens.* quodlibet obiectum; conſequens videtur falſum: ergo & tradita reſolutio. Sequela oſtenditur primò: nam per Nos datur duplex ſcientia naturalis ſpecificè diſtincta circa quodlibet obiectum naturale: ergo paritèr debet admitti duplex ſcientia ſupernaturalis ſpecificè diſtincta circa quodlibet obiectum ſupernaturalitèr cognoſcibile. Secundò probatur ſequela; quia namque gratia eleuat naturam iuxta modum illius, & anima Chriſti Domini modo naturali cognoſcit independentèr à ſenſibus, conſtituitur in illa ſcientia ſupernaturalis, per quam ſupernaturalitèr cum independentia à ſenſibus intelligat; ſed etiam habet modum naturalem intelligendi dependentem à phantaſmatibus: ergo eſt conſtituenda in illa ſcientia ſupernaturalis, per quam ſupernaturalitèr cum hac dependentia cognoſcat. Sed per Nos ſcientia naturalis independens à phantaſmatibus ſpecificè diſtinguitur à ſcientia naturali à phantaſmatibus dependente: ergo id ipſum de ſcientijs ſupernaturalibus eſt dicendum; & conſequentèr erit conſtituenda in Chriſto circa quodlibet obiectum duplex ſcientia ſupernaturalis ſpecificè diſtincta, vna per ſe infuſa in ſe, & ex parte ſpecierum, alia verò per ſe infuſa ex parte, ſui ſcilicet, ſupernaturalis, non autem per ſe infuſa ex parte ſpecierum, ſed per ſe ex hoc capite acquiſita.

Reſpondeo, primum, quod pro inconuenienti infer- 214 *Reſp. 1.*
tur, inconueniens non eſſe nec aduerſari his, quæ Nos *Diſp.* 24. docuimus; nam ibi ſolum negauimus in anima Chriſti Domini fuiſſe à primo conceptionis inſtanti habitum naturalem prudentiæ acquiſitum ex parte ſpecierum. Cum enim ibidem ſuppoſuerimus, non fuiſſe Chriſto à primo inſtanti conceptionis infuſas per accidens ſpecies per ſe acquiſibiles, abſtrahibileſque à phantaſmatibus; conſequenter etiam negauimus habitum naturalem prudentiæ his ſpeciebus regulandum, & ab ipſis dependentem, fuiſſe in primo inſtanti conceptionis per accidens Chriſto infuſum. Alium vero habitum naturalem prudentiæ per ſe infuſum ex parte ſpecierum, nec negauimus, nec admiſſimus, nec de illo aliquam mentionem fecimus; vnde exiſtentia iſtius habitus in anima Chriſti Domini à primo conceptionis inſtanti doctrinæ à Nobis *loco allegato* traditæ non aduerſatur.

Ad ſecundum inconueniens Cardinalis Lugo *in præſen-*
ti diſp. 20. *n.* 19. reſpondet, concedendo ſequelam, & 215 *Reſp. 2.* negando minorem. Quod ſi à Theologis hoc nunquam aſſertum eſt, inquit ipſe, nec etiam eſt aſſertum oppoſitum; ac proinde quidquid dixeris, ſiue affirmes, ſiue neges, Theologis non aduerſabis. Hæc tamen doctrina eſt falſa, ob ea, quæ argumentum ſoluentes dicemus. Et ideò illa omiſſa reſpondeo, negando ſequelam. Ad probationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; ratio autem diſcriminis eſt, nam intellectus intelligit trahendo, res ad ſe per ſpecies illas repræſentantes, & intra ſe ipſum contemplatur obiectum, ita vt ſpecies ſit principium cognitionis formale in omnium ſententia, & effectiuum in ſententia frequentiori Thomiſtarum. Voluntas autem, etſi obiecti apprehenſionem ſupponat, vt velit; non tamen fertur ad res prout intra intellectum ſunt, ſed ad illas prout ſunt in ſe ipſis inclinat, ita vt apprehenſio, nec ſit principium effectiuum, nec formale volitionis, ſed tantum requiſita conditio in obiecto voluntatis, & complementum, vt poſſit illam mouere, ad modum, quo exiſtentia phyſica, eſt conditio in cauſa efficiente, vt agat.

Ex qua doctrina, & diſcrimine inter intellectum, & 216 *S. Thom.*
voluntatem in modo attingendi obiectum, infert D.Th. 1 *p.q.* 82. *art.* 3. amorem rerum, quæ ſunt ſupra nos, eſſe illarum cognitione perfectionem, ſecus vero amorem illarum rerum, quæ nobis ſunt inferiores, eo quod illæ in intellectu deſcendunt à ſe ipſis prout in ſe, iſtæ vero intra intellectum aſcendunt; vnde quia voluntas fertur ad res prout in ſe ipſis exiſtunt, intellectus verò illas intra ſe, & prout in ipſo ſunt, contemplatur; fit vt amor rerum ſuperiorum ſit perfectior illarum cognitione; amor autem rerum, quæ inferiores ſunt intellectu, ab illarum cognitione excedatur. Et ex eadem doctrina Nos inferimus manifeſtam rationem diſcriminis inter actus intellectus, & actus voluntatis, cur, ſcilicet, ſcientia ſpecificè diſtinguatur penes tendentiam ad obiectum, vt repræſentatum per ſpeciem abſtractam à phantaſmatibus, & tendentiam

ad idem obiectum, vt repræſentatum per ſpeciem ab illis independentem; tendentia autem voluntatis ad obiectum vt propoſitum cognitione dependente à phantaſmatibus, & tendentia eiuſdem voluntatis ad obiectum vt propoſitum cognitione ab illis independente non inducat in actibus voluntatis diſtinctionem eſſentialem. Quia, ſcilicet, ſpecies eſt principium effectiuum, aut formale intellectionis, & ideò eſſentialis ſpecierum diuerſitas arguit in actibus intellectus diſtinctionem eſſentialem; apprehenſio autem ſolum vt conditio ex parte obiecti voluntatis concurrit, ſicut exiſtentia phyſica ſolum eſt conditio in cauſa efficiente ad agendum: vnde ſicut exiſtentiarum diuerſitas non arguit, nec infert in effectibus cauſæ efficientis differentiam eſſentialem, ita diuerſitas eſſentialis apprehenſionum non arguit differentiam eſſentialem in actibus voluntatis.

217 *Ad 1. confirmationē.* Ad primam confirmationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Vt enim docet D. Thomas *q. 25. de veritate art. 1. ad 6. Diuerſitas apprehenſionum per accidens ſe habet ad variandos appetitus, niſi coniungatur diuerſitati apprehenſorum.* Cuius ratio habetur ex dictis, quia, nempe, apprehenſio tantum, vt conditio, ad actum voluntatis, vel appetitus ex parte obiecti concurrit; bonitas autem apprehenſa, & propoſita ſe habet, vt ratio formalis: vnde cum per apprehenſionem à phantaſmate dependentem eadem bonitas voluntati proponatur amanda, atque per apprehenſionem habitam media ſpecie per ſe infuſa; fit, quod appetitus conſequuti ad huiuſmodi apprehenſiones ſpecificè non diſtinguantur.

218 *Ad 2. confirmationē.* Ad ſecundam confirmationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis habetur ex dictis; quia, nempè, ſpecies impreſſa eſt principium per ſe cognitionis effectiuum, vel formale; ideoque eſſentialis ſpecierum diſtinctio infert inter cognitiones differentiam eſſentialem, & quia ſpecies connotatiuè Angelum repræſentantes, & ſpecies per ſe infuſæ illum repræſentantes abſolutè, & prout in ſe, eſſentialiter diſtinguuntur; conſequens fit, vt cognitiones de eodem Angelo habitæ regulatæ his ſpeciebus eſſentialiter diſtinguantur. Apprehenſio autem boni, quod eſt voluntatis obiectum, non eſt principium effectiuum, vel formale reſpectu actus voluntatis, ſed ſolum, vt conditio, comparatur ad illum, bonitate obiecti ſe habente vt ratione formali motiua, & terminatiua: ideòque quamuis apprehenſio obiecti varietur circa eandem bonitatem, idem actus voluntatis perſeuerat. Et quia bonitas Angeli connotatiuè cogniti eadem eſt cum bonitate eiuſdem Angeli cogniti prout eſt in ſe, & abſolutè; conſequens fit, quod amor Angeli, his cognitionibus regulatus, ſit ſpecificè idem.

219 *Inſtatur argumentum.* Et quidem, ſi argumentum aliquid probaret, conuinceret habitum charitatis viatoris eſſe diſtinctum ſpecificè ab habitu charitatis comprehenſoris, quod licet Cardinalis Lugo admittat, eſt tamen expreſſe contra D. Thom. 1. 2.
S. Thom. q. 67. artic. 6. ibi: *Ad ſecundum dicendum, quod charitas non habet pro obiecto ipſam cognitionem; ſic enim non eſſet eadem in via, & in Patria, ſed habet pro obiecto ipſam rem cognitam, quæ eſt eadem, ſcilicet, ipſum Deum.* Et quod magis eſt, videtur non multum conſonum doctrinæ Pauli aſſerentis, fidem euacuandam eſſe, charitatem autem, nunquam excidere. Nam ſi charitas viæ non manet in ſtatu Patriæ, ſed habitus charitatis ſpecificè diſtinctus ſuccedit, non minus ceſſabit charitas, quam fides in Patria; & conſequenter non minus charitas viæ euacuabitur, quàm fides; cum vtraque ſpecificè ſumpta permaneat, fides in lumine gloriæ, cum quo genericè conuenit, & charitas viatoris in charitate comprehenſoris, cum qua in præfata ſententia ſolum habet conuenientiam genericam, cum ſpecificè diſtinguatur ab illa.

220 *Solutio Cardinalis Lugo reijcitur.* Ad tertiam inconueniens Cardinalis Lugo vbi *proximè* reſpondet concedendo ſequelam, & negando minorem: nec conſequens, inquit ipſe, poſitiuè Theologis aduerſatur, qui nihil de hac re aſſertiuè docuerunt. Cæterum contra hanc doctrinam obſtat; ſequeretur namque ex illa, fidem Angelorum, & noſtram eſſentialiter diſtingui; cum vna medijs ſpeciebus infuſis, alia verò medijs ſpeciebus acquiſitis ſuam exerceat operationem. Et cum apud Lugo eadem ratio ſit de actu voluntatis, ac de operatione intellectus, ſequeretur ex eadem doctrina charitatem Angelorum, & noſtram ſpecificè diſtingui; cum cognitiones, quibus regulantur, eſſent ſpecie diſtinctæ. Ex quo vlterius fieret, gratiam iuſtificationis eſſe ſpecificè diſtinctam in Angelis, & hominibus; cum paſſiones eſſentialiter diuerſæ indicent naturas differentes eſſentialiter, quod communi Theologorum ſententiæ aduerſatur. Et vlterius ſequeretur, beatitudinem ſupernaturalem in Angelis, & hominibus ſpecificè diſtingui; cum gratia comparetur ad gloriam, vt natura ad principalem operationem; vbi autem naturæ eſſentialiter diſtinguuntur operationes illis reſpondentes debent eſſe eſſentialiter diſtinctæ, quod Angelico Doctori 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. & frequentiori Theologorum ſententiæ aduerſatur.

Nec ergo hæc, & alia inconuenientia admittamus, neganda eſt ſequela. Ad 1. probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; diſparitas autem inter vtrumque ordinem ex *proximè* dicendis conſtabit. Ad ſecundam probationem, nego cauſalem maioris, vt adæquatam: ſed inſuper eſt addendum, quia non repugnat ſcientia ſupernaturalis, quæ à phantaſmatibus ſit independens, & conceſſa cum hoc additamento maiori; & inſuper, conceſſa minori, nego conſequentiam; repugnat enim ſcientia ſupernaturalis dependens per ſe à phantaſmatibus; & ideò circa obiecta ſenſibilia, & materialia, non datur in anima Chriſti ſcientia ſupernaturalis per ſe acquiſita ſpecificè diſtincta à ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali; quia ad hoc requirebatur ſcientiam ſupernaturalem dependere per ſe à phantaſmatibus. 221 *Vera ſolutio.*

Rationem autem huius repugnatiæ ſumunt quidam Recentiores non ex conceptu ſupernaturalitatis, ſed ex conceptu claritatis, & euidentiæ. Si namque huiuſcemodi ſcientia eſſet obſcura cognitio, non poſſet in Chriſto exiſtere; ſi verò clara ſit, non poteſt à ſenſibus per ſe dependere; nam ſcientia ſupernaturalis, & euidens terminata ad res in ſe ipſis, abſque fundamento adſtruitur dependens à phantaſmatibus, quæ longè inferioris ordinis ſunt. 222 *Aliquorū ratio.*

Verum, ſi non repugnat cognitio ſupernaturalis obſcura per ſe dependens à phantaſmatibus, non video, cur repugnet ſcientia euidens ſupernaturalis, quæ ab illis dependens ſit. Tùm, quia etiam cognitio ſupernaturalis obſcura ſuperioris ordinis eſt, & phantaſmata ſunt ordinis longè inferioris: ergo phantaſmatum inferioritas non obſtat dependentiæ per ſe ab illis; & conſequenter, quod ſint inferioris ordinis reſpectu cognitionis euidentis ſupernaturalis, non arguit, quod talis cognitio non dependeat per ſe ab illis. Tum etiam, quia non repugnat cognitio euidens connotatiua, & dependens per ſe à phantaſmatibus; vt conſtat in cognitione, quam Philoſophus habet de Deo per demonſtrationem naturalem, quæ euidens, & connotatiua eſt ergo ſi non repugnat cognitio ſupernaturalis eſſentialiter connotatiua; nec etiam repugnare poteſt cognitio euidens ſupernaturalis, quæ connotatiua eſſentialiter ſit; & conſequenter dari poterit ſcientia euidens ſupernaturalis eſſentialiter dependens ab ſpeciebus connotatiuis phantaſmatum, & à phantaſmatibus abſtractis. 223 *Prædicta ratio deſeritur.*

Vnde repugnantia eſt petenda ex conceptu cognitionis ſupernaturalis. Nam eo ipſo, quod cognitio aliqua ſupernaturalis ſit, non poteſt per ſe eſſentialiter à naturali ſpecie dependere, ſed æquè benè, imo, & melius, connaturaliuſque, poterit elici media ſpecie ſupernaturali; ſed ſolas ſpecies naturalis poteſt abſtrahi à phantaſmatibus, & ab illis per ſe dependere: ergo eo ipſo, quod cognitio aliqua ſit ſupernaturalis, non poteſt dependere eſſentialiter à phantaſmatibus ex parte principij; ac proinde non eſt dabilis ſcientia ſupernaturalis, quæ ex iſto capite eſſentialiter diſtinguatur ab alia ſcientia, vel ſupernaturali cognitione. Sed hoc neceſſarium erat, vt daretur in anima Chriſti Domini circa obiecta ſenſibilia ſcientia ſupernaturalis per ſe acquiſibilis diſtincta à ſcientia ſupernaturali per ſe infuſa, habita de eiſdem obiectis: ergo talis ſcientia in anima Chriſti non datur. 224 *Ratio repugnātiæ aſſignatur.*

Sed dices, aſſenſus noſtræ fidei ſupernaturalis eſt; & tamen eſſentialiter dependet ab ſpeciebus naturalibus abſtractis à phantaſmatibus: ergo ſtat cum ſupernaturalitate cognitionis dependentia à phantaſmatibus eſſentialis. 225 *Obijcies.* Minor, in qua eſt difficultas, probatur; aſſenſus fidei elicitus media ſpecie naturali non poteſt elici media ſpecie ſupernaturali: ergo eſſentialiter ab ſpecie naturali dependet. Antecedens probatur primò; nam ſpecies ſupernaturalis, & ſpecies naturalis eſſentialiter diſtinguuntur; ſed idem ſpecie actus non poteſt à duobus principijs eſſentialiter diſtinctis procedere; cum actus ſpecificetur à prin-

à principio : & conſequenter à principio eſſentialiter diſtincto, neceſſario eliciatur diſtinctus eſſentialiter actus: ergo aſſenſus fidei elicitus media ſpecie naturali, non poteſt media ſpecie ſupernaturali ab intellectu procedere. Secundo idem antecedens probatur : nam ſpecies ſupernaturalis impreſſa non poteſt obſcurè obiectum repræſentare, ſed neceſſario eſt clara repræſentatio illius; ſed aſſenſus fidei, vtpotè eſſentialiter obſcurus, non poteſt ab ſpecie clarè obiectum repræſentante procedere : ergo non poteſt procedere ab ſpecie ſupernaturali, nec illa mediante elici.

226 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, nego antecedens. Ad primam illius probationem dicatur, ſpeciem naturalem non influere in aſſenſum ſupernaturalem fidei ratione propriæ entitatis, ſed ratione formæ ſupernaturalis ipſam eleuantis, quæ poteſt in ratione principij actus fidei, ſpecificè conuenire cum ſpecie entitatiuè ſupernaturali, ſicut de habitu, & auxilio principiantibus actum charitatis docuimus *Tract. 5. Diſp. 22.* conuenire ſpecificè inter ſe in ratione principij actus charitatis, tametſi entitatiuè ſumpti eſſentialiter diſtinguantur. Vndè ſicut actus ſupernaturalis charitatis in abſentia habitus à voluntate mediante auxilio procedens, eſt eiuſdem ſpeciei cum actu charitatis ab habitu procedente; ita dicimus in præſenti, aſſenſum ſupernaturalem fidei elicitum media ſpecie naturali, vt eleuata per qualitatem fluidam ſupernaturalem eſſe eiuſdem ſpeciei cum aſſenſu fidei elicito media ſpecie entitatiuè ſupernaturali; eo quod, licet in eſſe entis eſſentialiter diſtinguantur; in ratione tamen principij aſſenſus ſupernaturalis fidei ſpecificè conueniunt.

227 *Ad 2. antecedentis probationem.* Ad ſecundam antecedentis probationem, vel nego maiorem. Non enim repugnantiam inuenio in ſpecie ſupernaturali, quæ obſcurè ſuum obiectum repræſentet. Cur enim, ſicut datur cognitio obſcurè ſuum obiectum attingens, & ſicut datur Verbum, ſeu ſpecies expreſſa ſupernaturalis terminans hanc cognitionem obiectum obſcurè repræſentans, non erit etiam dabilis ſpecies ſupernaturalis impreſſa ſe tenens ex parte principij, quæ non clarè, ſed obſcurè ſuum obiectum repræſentet; Vel, conceſſa maiori, nego minorem. Nam Angelus in via habuit fidem plurium rerum naturalium, quæ tamen clarè repræſentabantur per ſpecies, eius intellectui infuſas: non ergo repugnat cum ſpecie clarè repræſentante, cognitio ſupernaturalis obſcura. Et ratio eſt manifeſta; nam claritas ſpeciei ſolum reddit claram ſimplicem obiecti naturam; non autem conſtituit clarum obiectum iudicij, quo de obiectiua veritate iudicatur; cum autem aſſenſus fidei indicatiuus ſit, poteſt cum claritate ſpeciei obiectum repræſentantis, obſcuritas fidei ſubſiſtere.

228 *Obijcies.* Sed contra ſolutionem datam ad primam antecedentis probationem obijcies; nam aſſenſus fidei, etſi non proximè, remotè tamen eſſentialiter dependet ad ſpecie naturali ſecundum potentiam obedientialem actiuam, ſicut ab intellectu ipſum eliciente eſſentialiter remotè ratione propriæ entitatis procedit; ab ſpecie verò ſupernaturali ratione ſuæ intrinſecæ entitatis, tam proximè, quam remotè dependeret eſſentialiter aſſenſus ab illa procedens; ſed vbi principia remota eſſentialiter diſtinguuntur, non poſſunt non diſtingui eſſentialiter actus procedentes ab illis; cum non ſolum à principio proximo, ſed etiam à principio remoto dependeant eſſentialiter actus vitales; & conſequenter, variato principio remoto eſſentialiter, varietur eſſentialiter reſpectus ad ipſum, cum quo non ſtat conuenientia eſſentialis inter actus: ergo aſſenſus ab ſpecie naturali dependens, non poteſt ab ſpecie ſupernaturali procedere. Patet conſequentia: nam potentia obedientialis ſpeciei naturalis, & potentia naturalis ſpeciei ſupernaturalis eſſentialiter diſtinguuntur: ergo non poſſunt remotè eundem actum ſpecificè principiare.

229 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: materialiter, concedo maiorem: formaliter, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam ad ſpecificam diſtinctionem in actibus, non ſufficit materialis principiorum diſtinctio, ſed requiritur formalis; licet autem potentiæ repertæ in ſpecie naturali, & in ſpecie ſupernaturali diſtinguantur formaliter inter ſe diſtinctione entitatiua eſſentiali, comparatione tamen ad aſſenſum fidei facta, ſolum materialiter differunt; quia ab illo non exigitur per ſe id, in quo diſtinguuntur prædictæ potentiæ, ſed ſolum id, in quo tales potentiæ conueniunt. Sicut plures actus eandem potentiam ſpecificantes diſtinguuntur formaliter inter ſe diſtinctione entitatiua eſſentiali ratione diſtinctorum reſpectuum, quos important ad potentiam; quia tamen à potentia non reſpicitur per ſe primo id, in quo differunt actus, ſed id tantum, in quo conueniunt; ideo diſtinctio, quæ formalis eſt inter actus comparatos inter ſe, materialis eſt, comparatione facta ad potentiam, & inſufficiens inducere diſtinctionem eſſentialem in illa.

230 *Secunda ſolutio.* Secundo reſponderi poteſt obiectioni factæ num. 225. quod licet aſſenſus fidei eſſentialiter dependeat ab ſpecie naturali; non tamen dependet eſſentialiter ab illa, prout ipſa dependet à phantaſmatibus, & abſtrahitur ab illis; cum enim aſſenſus noſtræ fidei ſit eiuſdem ſpeciei cum aſſenſu fidei Angelicæ, vt *in præſenti* ſupponimus, & aſſenſus ab intellectu Angelico elicitus, etſi ab ſpeciebus naturalibus dependeat, non tamen dependet ab ſpeciebus abſtractis à phantaſmatibus; aſſerendum eſt conſequenter, actum fidei elicitum à noſtro intellectu non dependere eſſentialiter ab ſpeciebus abſtractis, vt abſtractis, nec aſſenſum fidei Angelicum dependere eſſentialiter ab ſpeciebus, vt infuſis, ſed vtrumque quoad eſſentiam dependere ab ſpeciebus naturalibus ſub conceptu potentiæ obedientialis, in quo ſpecificè conueniunt. Et ratio eſſe poteſt, nam diſcurrendum eſt de ſpeciebus, ſicut de intellectibus in ordine ad actum fidei; licet autem intellectus angelicus, & intellectus humanus eſſentialiter inter ſe diſtinguantur, non tamen concurrunt ad aſſenſum ſupernaturalem fidei, prout ſunt eſſentialiter diſtincti, ſed ſub ratione potentiæ actiuæ obedientialis remotæ, in qua conueniunt ſpecificè: ergo idem dicendum eſt de ſpeciebus impreſſis concurrentibus ad aſſenſum fidei obiectiuè.

231 *Contra hucuſque dicta obijcitur.* Sed contra hucuſque dicta poterit quiſpiam obijcere, nam eſt dabilis ſpecies ſupernaturalis dependens per ſe à phantaſmatibus: ergo falſum eſt id, quod diximus num. 224 ſolam ſpeciem naturalem poſſe ab illis dependere, ex quo intulimus, non poſſe dari ſcientiam ſupernaturalem ex genere ſuo acquiſitam. Antecedens probatur: poteſt intellectus agens ſpeciem ſupernaturalem cauſare; ſed ſpecies ab intellectu agente cauſata dependet per ſe à phantaſmatibus; cum actio intellectui agenti propria ſit abſtrahere ſpecies ab illis: ergo eſt dabilis ſpecies ſupernaturalis impreſſa dependens per ſe à phantaſmatibus, & ab illis abſtrahibilis. Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur: licet intellectus poſſibilis ſolum in cognitionem naturalem poſſit per virtutem propriam influere, poteſt per eleuationem actum ſupernaturalem elicere: ergo pariter, licet intellectus agens per vires proprias, & naturales non poſſit cauſare, niſi ſpeciem naturalem impreſſam, prout tamen eleuatus à Deo, & virtute eleuationis, poteſt ſpeciem impreſſam ſupernaturalem efficere.

232 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt: nam intellectio ſupernaturalis, etſi non contineatur intra actiuitatem naturalem intellectus poſſibilis, quo circa ſupra illius naturam eſt; continetur tamen intra actiuitatem eſſentialem illius, vtpote terminata ad obiectum contentum ſub obiecto ſpecificatiuo intellectus poſſibilis; & idcirco poteſt ab illo, vt eleuato procedere. Species autem ſupernaturalis non ſolum excedit vires naturales intellectus agentis, ſed etiam actiuitatem eius eſſentialem; & ideò non poteſt ab illo, etiam vt eleuato, cauſari vitalitèr. Et ratio iſtius doctrinæ eſt: nam actiuitas eſſentialis intellectus agentis, vt influentis vitalitèr, adæquatur cum repræſentatione phantaſmatum, à quibus determinatur in abſtractione ſpecierum; vnde non poteſt extendi ad ſpecies, quarum obiecta non eluceant in phantaſmatibus; hæc autem ſolum repræſentant obiecta ſenſibilia naturalia, nec illorum repræſentatio poteſt ad obiectum ſupernaturale extendi, etiam per eleuationem; cum enim repręſentatio fit à phantaſmatibus in genere cauſę formalis; non poteſt per eleuationem creſcere, nec poſſunt phantaſmata repræſentare aliquid in vi eleuationis, quod ex ſe non repræſentent: forma namque, vt ſæpè diximus, non poteſt per eleuationem ad effectum formalem concurrere; & ideo actiuitas eſſentialis vitalis intellectus agentis eſt ad ſpecies naturales determinata, nec ſpecies ſupernaturales continentur in illa. Diximus notanter actiuitatem eſſentialem vitalem intellectus agentis, non poſſe etiam per eleuationem, extendi ad ſpecies ſupernaturales cauſan-

ſandas ; quod enim non vitalitèr ; & vt inſtrumentum Dei, ſpecies ſupernaturales efficiat, nullam repugnantiam habet : ſicut nec repugnat ; quod lapis inſtrumentalitèr ſpecies ſupernaturales efficiat in virtute Dei lapidem ad hoc eleuantis, cæterum ſpecies ſupernaturales inſtrumentalitèr ab intellectu agente cauſatæ non erunt per ſe acquiſibiles, nec abſtractæ à phantaſmatibus illius nemque ſolum in actiuitate principali vitali, eſt intellectus agens alligatus.

§. Vltimus.

Cætera argumenta diluuntur.

233 *Secundo principaliter arguitur.* SECVNDO principalitèr arguitur. Nam ſequitur ex noſtra ſententia, eſſe conſtituendam in anima Chriſti Domini ſcientiam naturalem per ſe infuſam propriam Angelorum diſtinctam ab ea, quam ſect. 3. animæ Chriſti conceſſimus, & à ſcientia naturali acquiſita ; conſequens eſt falſum: ergo & poſita concluſio. Probatur ſequela, ideo animę Chriſti concedimus ſcientiam ex genere ſuo acquiſitam, & ſcientiam per ſe infuſam naturalem imperfectam conuenientem animę in ſtatu ſeparationis, & ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem perfectam, quia ad omnes iſtos modos cognitionis eſt anima Chriſti in potentia ; ſed etiam eſt in potentia ad perfectam cognitionem rerum naturalium in ſe ipſis, quæ non poteſt haberi, niſi per ſcientiam per ſe infuſam, quæ eſt Angelorum propria; cum illa, quæ conuenit animæ in ſtatu ſeparationis, imperfecta ſit, & confuſa, vt ex D. Th. vidimus: ergo ne iſta potentia irreducta ad actum remaneat, concedenda eſt animæ Chriſti huiuſmodi cognitio. Probatur minor: intellectus animæ Chriſti eſt in potentia ad cognitionem ſupernaturalem ſcientiæ per ſe infuſæ perfectam omnium rerum, etiam ſupernaturalium: ergo etiam eſt in potentia ad cognitionem rerum naturalium perfectam habitam per ſcientiam per ſe infuſam naturalem, quæ eſt Angelorum propria.

234 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando ſequelam. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt, nam perfectio cognitionis in ordine ſupernaturali ; ſumitur ex perfectione ſupernaturalis luminis ; & quia anima Chriſti capax eſt luminis ſupernaturalis, non ſolum adæquantis, ſed etiam excedentis lumen ſupernaturale Angelorum ; nam in ordine ſupernaturali, & gratiæ Chriſtus Angelos ſupperauit ; fit conſequens, vt ſit capax cognitionis ſupernaturalis perfectæ omnium rerum, etiam ſupernaturalium habitæ per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem: perfectio autem cognitionis intra ordinem naturæ ſumitur ex perfectione acuminis naturalis ; & quia acumen naturale intellectus Chriſti Domini non adæquat acumen naturale Angelorum; fuit enim in naturalibus ab Angelis minoratus: conſequens fit, vt non ſit in illo capacitas ad perfectam cognitionem naturalem habitam per ſcientiam naturalem infuſam, quæ eſt Angelorum propria: quæ doctrina ex ipſis terminis conſtat ; nam eo ipſo, quod prædicta cognitio perfecta Angelorum propria ſit, conuenit Angelis ex conceptu differentiali illos diſtinguente ab homine ; & conſequentèr non eſt ad illam in intellectu Chriſti capacitas, cui conuenire non poſſunt prædicata, quibus intellectus Angelicus ab intellectu humano diſtinguitur.

235 *Inſtabis.* Sed dices, intelligere ſine diſcurſu conuenit Angelo ex conceptu ipſum diſtinguente ab homine ; & tamen conuenit animæ rationali in ſtatu ſeparationis : ergo, quamuis cognitio naturalis rerum perfecta conueniat Angelo ex conceptu illum diſtinguente ab homine, poteſt homini in aliquo ſtatu competere ; & conſequentèr eſt ad prædictam cognitionem in anima Chriſti capacitas.

236 *Reſpondetur.* Reſpondeo : intelligere ſine diſcurſu adæquatè, & in ſtatu magis connaturali, eſſe diſtinctiuum inter Angelum, & hominem, non autem intelligere ſine diſcurſu inadæquatè, & in ſtatu minus connaturali ; nam homo ſine diſcurſu intelligit prima principia ; ideòque primum numquam poteſt animæ rationali competere, benè vero ſecundum. Et quidem implicatio eſt in terminis, quod prædicatum aliquod differentiale Angelorum conueniat naturæ eſſentialitèr ab illis diſtinctæ, qualis eſt natura humana, aliàs tale prædicatum eſſet proprium, & commune, quod ex ipſis terminis implicat.

237 *Tertiò arguitur.* Tertio arguitur: nam ſequitur ex noſtra ſententia præter ſcientiam naturalem per ſe infuſam, & ſcientiam naturalem ex genere ſuo acquiſitam, conſtituendam eſſe in Chriſto ſcientiam experimentalem ſucceſſu temporis miniſterio ſenſuum habitam ; conſequens falſum videtur: ergo noſtra ſententia deficit a veritate. Probatur ſequela ; eſt namque in anima Chriſti ad huiuſmodi ſcientiam capacitas ; ſed omnis illius capacitas debuit ad actum reduci, ne potentialis, & imperfecta maneret, vt ſæpè diximus in *diſputationis diſcurſu*, ideòque ſcientiam per ſe infuſam, & ſcientiam ex genere ſuo acquiſitam, animæ Chriſti conceſſimus : ergo ex eodem principio, & ob eandem rationem, eſt animæ Chriſti attribuenda ſcientia ſucceſſu temporis miniſterio ſenſuum acquiſita.

238 *Reſpondet Suarez.* Ad hoc argumentum Suarez *diſp.* 30. *ſect.* 2. reſpondet, concedendo ſequelam, & negando minorem. Vnde in ſententia iſtius Doctoris, prætèr ſcientiam per ſe infuſam, duplex ſcientia naturalis in anima Chriſti inuenitur, vna ex genere ſua acquiſita, & per accidens infuſa à primo conceptionis Chriſti inſtanti, quam vocat vniuerſalium ; alia verò, non ſolum ex ſe acquiſibilis, ſed etiam de facto ſucceſſu temporis miniſterio ſenſuum acquiſita, quam vocat ſcientiam experimentalem, & ſingularium, à prima per hoc diſtinctam, quòd illa, tantum attingat naturas rerum in communi, hæc verò indiuidua attingit vt cadunt ſub experientia. Quæ doctrina parum, aut nihil diſtat à ſententia Scoti, qui, vt *ſuperius* dicebamos, diſtinxit inter ſpecies abſtractiuas, & ſpecies rerum intuitiuas, illaſque aſſeruit fuiſſe per accidens Chriſto infuſas à primo conceptionis inſtanti ; iſtas verò ſucceſſu temporis miniſterio ſenſuum fuiſſe acquiſitas.

239 *Diſplicet eius doctrina.* Hæc tamen doctrina non placet. Ante cuius impugnationem animaduertendum eſt, cognitionem actualem experimétalem de nouo ſucceſſu temporis ab anima Chriſti habitam, à nullo Theologorum negari, & merito quidem; cum enim Chriſtus aliqua de nouo vidit, vel audiuit, vel aliter fuit ſenſibiliter expertus, etiã intellectus Chriſti ſic viſa, audita, aut ex parte cognoſcebat ; & conſequenter aliqua de nouo cognouit per cognitionem actualem: vnde non de noua cognitione actuali, ſed de ſcientia habituali eſt inter Theologos quæſtio: an, ſcilicet ſucceſſu téporis illam de nouo acquiſierit, & hæc eſt, quam Pater Suarez parum, aut nihil, vt dixi, a ſententia Scoti diſtant, admiſit.

240 *Reijcitur.* Hoc ita breuiter animaduerſo, contra illius ſolutionem in hunc modum obijcio. Præſuppoſita infuſione per accidens ſcientiæ ex genere ſuo acquiſitæ in anima Chriſti Domini à primo conceptionis inſtanti, non poteſt miniſterio ſenſuum alia ſcientia naturalis in intellectu Chriſti conſtitui ; ſed prędictam infuſionem ſcientię ex genere ſuo acquiſitæ in anima Chriſti Domini à primo conceptionis inſtanti ſupponit P. Suarez ergo miniſterio ſenſuũ, noua, & diſtincta ſcientia naturalis non fuit ab intellectu Chriſti acquiſita. Probo maiorem; non enim poteſt conſtitui diſtincta ſcientia accepta pro habitu dante facilitatem, in quo ſcientia eſſentialiter conſiſtit, nec accepta pro ſpeciebus obiectiuè concurrentibus: ergo nihil habituale poteſt de nouo in intellectu Chriſti conſtitui miniſterio ſenſuum acquiſitum, prædicta infuſione ſuppoſita.

Habitus ſcientificus idem ſpecie circa naturam, & circa ſingularia verſatur. Antecedens pro prima parte probatur primo : nam habitus ſcientificus, cum per ſe primo tantum ſit vniuerſalium, & ad ſingularia ſolum extendatur ratione naturæ communis, non poteſt ſpecificè diſtingui ex noua ſingularium attingentia penes præſens, præteritum, vel futurum ; ſed habitus ſcientificos rerum in vniuerſali ſupponitur à P. Suarez infuſus animæ Chriſti à primo conceptionis inſtanti: ergo ex ſingularibus nouitèr obiectis ſenſibus, vel intellectui, & ex noua illorum cognitione, non poteſt acquiri nouus habitus ſcientificus præſtans facilitatem ad actum. Patet conſequentia, nam ſi nouus habitus reſultaret, cum non poſſet à primo ſpecificè diſtingui, duo accidentia ſolo numero diſtincta eſſent ſimul in anima Chriſti Domini ; conſequens eſt falſum ; duo enim accidentia numericè ſolum diſtincta, non poſſunt ſimul in eodem numero ſubiecto coincidere, vel ob repugnantia eſſentialem, vel ſaltem ratione ſuperfluitatis: ergo ex ſingularibus, ſenſibus de nouo obiectis, & ex noua illorum cognitione, non potuit reſultare nouus habitus ſcientificus ſe tenens ex parte potentiæ, præſtanſque illi ad actum facilitatem.

241 *Et idem* Secundo idem antecedens probatur : nam habitus ſcientificus, non ſolum ſpecificè, ſed etiam numericè

idem,

habitus unum.

idem, qui primo attingit naturam in vniuerſali, poteſt ſecundario extendi ad illius ſingularia, ea ratione, qua poteſt ſcientia de ſingularibus dari; alias tot habitus Philoſophiæ eſſent numero multiplicandi, quot ſunt ſingularia cuiuſlibet naturæ ſpecificæ, erga quam Philoſophia verſatur, idemq; dicendum eſſet de quauis alia ſcientia naturali; ſed iam ſupponitur habitus ſcientificus per ſe acquiſibilis rerum in vniuerſali per accidens Chriſto infuſus in primo conceptionis inſtanti: ergo ex noua, & experimentali ſingularium cognitione, non fuit ab intellectu Chriſti acquiſitus nouus habitus ſcientificus præſtans facilitatem ad actum.

242 *Species impreſſa non repræſentat ſingularia directè, nec ex illis multiplicatur.* Deinde pro ſecunda parte idem antecedens probatur, ſupponendo, ſpeciem impreſſam abſtractam à phantaſmatibus, & miniſterio ſenſuum acquiſitam, non directè, ſed reflexè tantum ſingularia repræſentare, quatenus intellectus reflectens ſupra ſpeciem à phantaſmatibus dependentem, poteſt in ſingularium cognitionem venire, quę in illis repræſentantur, quod modo diſputandum non eſt, ſed ſupponendum ex Angelico Doctore *q. vnic. de anima art.* 20. *ad* 1. *q.* 10. *de Verit. ar.* 5. *quodlib.* 12. *art.* 11. *opuſc.* 24. *c.* 1. & 2. *lib.* 3. *de anima lectione* 8. *in* 4. *Sent. diſt.* 50. *q.* 1. *art.* 3. & 1. *p. q.* 86. *art.* 1. vbi Caietanus, Capreolus in 1. *diſt.* 35. *q.* 2. in *ſolut. arg. contra* 4. *conc.* Ferrara 2. *contra Gentes c.* 100. quos omnes alij Diſcipuli D. Thom. ſequuntur contra Scotum, & eius Diſcipulos *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 3. Quo ſuppoſito, ſecunda pars antecedentis probatur: nam ſpecies impreſſæ rerum omnium in vniuerſali, quæ poterant miniſterio ſenſuum acquiri, ſupponuntur per accidens Chriſto infuſæ in primo conceptionis inſtanti, ſed ad cognoſcenda ſingularia, noua ſpecies impreſſa neceſſaria non eſt, imo nec poteſt noua ſpecies aſſignari: cum ſpecies per ſe acquiſibiles, non poſſint repræſentare ſingularia directè: id autem, quod ſolum indirectè repræſentatur, non poteſt multiplicare ſpeciem repræſentantem: ergo ex ſingularibus nouitèr obiectis ſenſibus, & intellectui, non fuerunt acquiſitæ nouæ ſpecies ab anima Chriſti Domini, nec abſtractæ à phantaſmatibus.

S. Thom. Caiet. Capreol. Ferrara.

243 *Traditur vera ſolutio.* Hac ergo ſolutione relicta, quia in principijs D. Thom. *proximè* explicatis, ſuſtineri non poteſt, reſpondeo *ad* 3. *arg.* diſtinguendo conſequens: accepta ſcientia pro actuali cognitione, concedo ſequelam: accepta ſcientia pro habitu, vel facilitante potentiam, vel illam obiectiuè determinante, nego ſequelam: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Licet enim ex ſingularibus nouitèr obiectis ſenſibus noua, & diſtincta cognitio acceſſerit intellectui animæ Chriſti; nouus tamen habitus in illo, non reſultauit præſtans facilitatem ad actum, nec noua ſpecies impreſſa diſtincta ab illis, per quas repræſentantur naturæ in vniuerſali, ob ea, quæ *proximè* dicebamus. Vnde, quia Adamus in primo ſuæ formationis inſtanti, ſcientias omnes naturales per accidens infuſas accepit, D. Th. *in* 2. *diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2. docet experimento ſenſuum nouam ſcientiam non acquiſiuiſſe, ſed vidiſſe in rebus, quod per habitum cognitionis tenebat, quod ſcienti eſt delectabile: ergo idem eſt de anima Chriſti, aſſerendum, ſuppoſito quod ſcientiæ per ſe acquiſibiles illi fuerint infuſæ in primo conceptionis inſtanti.

S. Thom.

244 *Denique arguitur.* Denique arguitur: ex eo, quod intellectus agens non abſtraheret in Chriſto ſpecies à phantaſmatibus, non ſequitur, fruſtra illi fuiſſe conceſſum: ergo ratio D. Th. non probat ſcientiam ex genere ſuo acquiſibilem in anima Chriſti Domini. Conſequentia patet: nam ratio Angelici Præceptoris ex hoc principio procedit, quod, nempè, ſi ſcientia per ſe acquiſibilis in Chriſto non conſtituatur, erit fruſtra intellectus agens in illo. Antecedens autem oſtenditur primo: nam in Adamo non fuit intellectus agens fruſtra; & ſimiliter in anima ſeparata, non fruſtra intellectus agens exiſtit; & tamen nec in Adamo, nec in anima in ſtatu ſeparationis abſtrahit ſpecies, à phantaſmatibus, vt de Adamo docet D. Th. in 2. *diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. & de anima in ſtatu ſeparationis omnibus eſt in confeſſo: ergo nec fruſtra fuiſſet intellectus agens in Chriſto, ex eo quod in illo ſpecies non abſtraxiſſet.

Antecedens probatur 1.

245 *Secundò.* Secundo probatur; nam potentia ad ornatum animæ deſſeruiens non ponitur fruſtra in illa, eſto non coniungatur cum ſua propria operatione: ſed intellectus agens pertinet ad ornatum naturæ rationalis, atque ad eius complementum: ergo non fuiſſet fruſtra animæ Chriſti conceſſus, etſi nunquam fuiſſet cum propria operatione ſpecierum abſtractiua coniunctus.

246 *Tertiò.* Tertio probatur: non enim fuit fruſtra in Chriſto potentia generatiua; nec ſimiliter potentia riſiua, etſi nulla illarum fuerit ad proprium actum reducta; vt de prima omnes fatentur, & de ſecunda docet Magnus Baſilius in *q. fusè explicatis q.* 17. eo quod dictæ potentiæ pertinent ad ornatum, & complementum naturæ: ergo idem, & eadem ratione de intellectu agente eſt dicendum, quamuis omni operatione, ad quam à natura deſtinatur in anima Chriſti caruiſſet.

Magnus Baſil.

247 *Quartò.* Quarto: nam vt potentia conſequuta ad aliquam naturam fruſtranea non ſit in illa, non requiritur, quod in omni indiuiduo talis naturæ reducatur ad actum, ſed ſufficit, quod in aliquo indiuiduo coniungatur cum actu, ad quem à natura deſtinatur; ſed Chriſtus, in quantum homo, continetur ſub natura humana, vt quoddam indiuiduum illius: ergo ex eo quod in Chriſto intellectus agens nunquam abſtraxiſſet ſpecies, non ſequitur fruſtra in illius anima extitiſſe.

248 *Denique probatur.* Denique id ipſum probatur: etenim ex non reductione potentiæ ad actum minus principalem: dummodo ad magis principalem actum reducatur; non redditur fruſtranea potentia: ſed quamuis in Chriſto non conſtituatur ſcientia ex genere ſuo acquiſibilis, nec per accidens infuſa, nec proprijs actibus acquiſita, non excluditur ab intellectu agente coniunctio cum actu magis principali, ſed ſolum cum minus principali illius operatione: ergo quamuis huiuſcemodi ſcientiam in Chriſto non conſtituamus, non ſequitur, intellectum agentem extiturum fruſtra in illo. Minor, in qua eſt difficultas, probatur: nam actus principalis intellectus agentis, non eſt abſtractio ſpecierum, ſed intellectio actualis; at ſolum abſtractio eſt, quam non haberet in Chriſto: ergo ſolum actu minus principali careret. Maior probatur. *Anima enim cum fuerit à corpore ſeparata, per intellectum paſſibilem recipiet ſpecies effluentes à ſubſtantijs ſuperioribus, & per intellectum agentem habebit virtutem ad intelligendum*: verba ſunt expreſſa D. Th. *q. vnic. de anima art.* 15. *ad* 9. Ex quibus aperte colligitur, Angelicum Doctorem ſentire, actum intellectus agentis eſſe actualem intellectionem: cum illa ſit actus alicuius potentiæ, qui in virtute illius elicitur. Sed non eſt actus minus principalis, quam abſtractio ſpecierum; cum hæc ad intellectionem ordinetur, & propter illam ſit: ergo actus principalis intellectus agentis non eſt abſtractio ſpecierum, ſed actualis intellectio; & conſequenter, ex eo quod in Chriſto non abſtraheret ſpecies, non ſequitur, non coniungendum cum magis principali operatione.

S. Thom.

249 *Ante ſolutionem notatur.* Antequam huic argumento occurramus, animaduerto primò, dupliciter poſſe rationem D. Thomæ applicari: primò ad probandum, fuiſſe in anima Chriſti Domini ſcientiam ex genere ſuo acquiſitam abſtrahendo à modo illam habendi, ſcilicet, per infuſionem in primo conceptionis inſtanti, qualiter in Adamo extiterunt omnes ſcientiæ naturales ex genere ſuo acquiſibiles; vel per acquiſitionem, qualiter ſcientiæ naturales in nobis reperiuntur proprijs actibus illas acquirendo. Secundo ad probandum, ſcientiam ex genere ſuo acquiſitam modo ſibi connaturali debitam ab anima Chriſti, ſcilicet, per acquiſitionem: & licet hoc ſecundum ſit de mente Angelici Præceptoris; nobis tamen primum ſufficit pro nunc; quia ſecundum non diſputamus; habet enim propriam ſedem *infra quæſtione* 12. vbi arguitur de modo, quo ſcientia per ſe acquiſibilis extitit in anima Chriſti.

250 *Notatur* 2. Aduerto ſecundo ex Caietano *in præſenti art.* 4. §. *ad* 2. propoſitionem illam pro fundamento aſſumptam à D. Th. *Fruſtra eſt, quod caret propria operatione*: non eſſe coarctandam ad genus, ſpeciem, vel indiuiduum; ſed vniuerſaliter eſſe accipiendam ſub intellectis conditionibus generalibus, ſcilicet, quando, vbi, & in quo debet operari; cum enim vnumquodque ſit propter ſuam operationem, & fruſtra ſit, quod non aſſequitur finem, ad quem à natura deſtinatur; quando illud aſſequi debet; fruſtra erit potentia ab operatione ſua principali, quam vt finem reſpicit ſeparata, pro loco tempore, & ſubiecto, in quo petit eam operatione coniungi.

251 *Notatur* 3. Tertio eſt aduertendum; tempus, in quo intellectus agens petit abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus eſſe tempus viæ; nam in ſtatu beatitudinis abſtractionem ſpecierum non petit. Subiectum autem, in quo intellectus agens petit exercitium iſtius operationis, eſſe animam corpori coniunctam, & non præuentam per infuſionem ſpecierum: ſi namque iſtæ ſupponantur infuſæ, non adeſt in ſub-

ſecta ad nouas ſpecies recipiendas capacitas; & conſequenter intellectus agens, non petit illas in tali ſubiecto abſtrahere. Hinc fit, intellectum agentem non eſſe fruſtra in anima in ſtatu ſeparationis, nec in ſtatu beatitudinis, quamuis ſit coniuncta corpori, nec ſimiliter extitiſſe fruſtra in Adamo, quamuis ſpecies à phantaſmatibus non abſtrahat; eo quod nec in Adamo, neque in anima in prædictis ſtatibus, non eſt ad ſpecies per abſtractionem recipiendas capacitas; in ſtatu quidem ſeparationis, quia anima non eſt coniuncta corpori, nec phantaſmatibus; in ſtatu autem beatitudinis, quia tempus abſtrahendi non eſt, & in Adamo, quia ſupponitur ſpeciebus omnium rerum à primo formationis inſtanti dotatus; & conſequenter non poteſt nouas ſpecies per abſtractionem recipere; eo quod ſpecies ſic recipiendæ ſolo numero diſtinguuntur ab ſpeciebus illi infuſis: ac proinde, non poſſunt ſimul in Adami intellectu coincidere.

252 *Ratio D. Tho. formatur.* His poſitis, ratio Angelici Præceptoris ſic eſt ad intentum præſens formanda. Si in anima Chriſti Domini non conſtituatur ſcientia ex genere ſuo acquiſita, fruſtra erit intellectus agens in illa; hoc admittendum non eſt: ergo adſtruenda eſt in illa, ſcientia ex genere ſuo acquiſita. Probatur ſequela: fruſtra eſt potentia, quæ nunquam ad actum principalem reducitur in ſubiecto, in quo petit prorumpere in talem actum; cum ad illum, vt ad finem debitum ordinetur, & fruſtra ſit, quod non aſſequitur debitum finem; ſed anima Chriſti Domini corpori mortali coniuncta, & ſine ſcientia ex genere ſuo acquiſita eſt ſubiectum, in quo petit intellectus agens abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus, tanquam actum ſui principalem; cum ſit capax recipiendi tales ſpecies, & ſit in ſtatu apto ad illas recipiendas: ergo ſi careat ſcientia ex genere ſuo acquiſita, fruſtra erit intellectus agens in illa.

253 *Aliter explicatur.* Quod amplius explicari poteſt. Niſi anima Chriſti Domini incapax ad ſpecies abſtractas recipiendas conſtituatur, fruſtra erit intellectus agens in illa non abſtrahens ſpecies à phantaſmatibus; cum ad hunc actum, vt ad finem fuerit à natura ordinatus, adſitque ex parte ſubiecti capacitas; & conſequenter petat intellectus agens cum illi operatione coniungi; ſed non poteſt anima Chriſti incapax ad ſpecies per abſtractionem recipiendas conſtitui, niſi habendo per infuſionem ſpecies per ſe acquiſibiles; ergo, niſi illas habeat, vel per infuſionem à Deo, vel per abſtractionem intellectus agentis, fruſtra erit intellectus agens in illa; ac proinde, vt hoc inconueniens vitetur, conſtituenda eſt in anima Chriſti Domini ſcientia ex genere ſuo acquiſita aliquo ex prædictis modis.

254 *Reſpondebis.* Reſpondebis, ſine ſcientia ex genere ſuo acquiſita in anima Chriſti exiſtente, poſſe conſtitui incapacem recipiendi ſpecies per abſtractionem, ſcilicet, per infuſionem ſpecierum naturalium, non per ſe acquiſibilium, ſed quæ ab intrinſeco petunt haberi per infuſionem; ac proinde, vt intellectus agens non fuerit fruſtra in anima Chriſti Domini, non eſt neceſſarium, quod extiterit in illa ſcientia ex genere ſuo acquiſibilis, nec infuſa à Deo per accidens, nec ab intrinſeco habita per propriam operationem.

255 *Sed contra.* Sed contra: nam ſpecies per ſe infuſæ diſtinguuntur ſpecificè ab ſpeciebus ex genere ſuo acquiſitis, vt ex ſæpè dictis conſtat, nec ab Auctoribus contrarijs negatur: ergo non poſſunt reddere animam Chriſti incapacem ad recipiendas ſpecies ex genere ſuo acquiſitas. Patet conſequentia: ſola namque præexiſtentia formæ numero tantum diſtinctæ, poteſt dare ſubiecto incapacitatem, vt nouam formam recipiat: ergo ſi ſpecies per ſe infuſæ, non ſolum numero, ſed etiam ſpecie, diſtinguuntur ab ſpeciebus acquiſitis, non poſſunt conſtituere animam Chriſti incapacem ad has ſpecies recipiendas; non enim illarum ſimultanea coexiſtentia repugnat.

256 *Dices.* Dices, animam Chriſti per ſpecies per ſe infuſas non reddi incapacem ad recipiendas in ſe ſpecies per ſe acquiſibiles ratione repugnantiæ, quæ in illarum coincidentia ad eodem ſubiecto inueniatur, ſed ratione ſuperfluitatis; quia, nempè, ſuppoſitis in anima Chriſti ſpeciebus per ſe infuſis, quibus omnia entia creata ordinis naturæ poteſt in ſe ipſis cognoſcere, ſuperfluunt ſpecies per ſe acquiſibiles circa eadem obiecta; nihil autem, quod ſuperfluum ſit admittendum eſt in anima Chriſti Domini.

257 *Sed cõtra arguitur I.* Sed contra primo: etenim anima Chriſti per ſpecies naturales per ſe infuſas, imperfectè entia creata ordinis naturæ cognoſcit, vt ex D. Thoma vidimus; ſed debetur illi perfecta rerum naturalium ſenſibilium cognitio, quæ habetur per ſpecies per ſe acquiſibiles: ergo non ſuperfluunt huiuſcemodi ſpecies, præſuppoſitis in anima Chriſti ſpeciebus per ſe infuſis.

Secundo: nam licet anima Chriſti per ſcientiam beatam perfectè omnes creaturas cognoſcat, non ideo ſuperflua cenſetur ſcientia ſupernaturalis infuſa ad illas in ſe ipſis cognoſcendas, quia hæc à ſcientia beata ſpecificè diſtinguitur, & debetur animæ Chriſti, non ſolum omnium rerum cognitio, ſed etiam omnis modus cognitionis, ad quẽ in illa capacitas inuenitur; ſed cognitio rerum naturalium habita per ſcientiam ex genere ſuo acquiſitam, eſt ſpecificè diſtincta a cognitione earundem rerum habita per ſcientiam naturalem per ſe infuſam, vt conſtat ex dictis, & ad iſtum modum cognitionis eſt in anima Chriſti capacitas: ergo, quamuis admittamus cognitionem naturalem rerum ordinis naturæ habitam per ſcientiam per ſe infuſam naturalem, eſſe in anima Chriſti perfectam, non eſt cenſenda ſuperflua cognitio earundem rerum habita per ſpecies ex genere ſuo acquiſibiles. 258 *Secundo.*

Ex ex his ad argumentum factum, prout doctrinam noſtræ concluſionis oppugnare poteſt, conſtat ſolutio: nam in Adamo non erat ad acquirendas ſpecies capacitas, eo quod prædictæ ſpecies fuerunt illi infuſæ per accidens in primo ſuæ formationis inſtanti. Anima etiam in ſtatu ſeparationis, non poteſt ſpecies abſtrahere à phantaſmatibus; ideoque in illis non exiſtit intellectus agens fruſtra, quamuis ſpecies non abſtrahat. Quod autem in ſecunda probatione antecedentis aſſeritur, quod potentia ad ornatum animæ deſeruiens non eſt fruſtra in illa, quamuis omni ſua operatione priuetur, falſum eſt, ſi oporteat cum operatione coniungi. Et quia exercitium potentię generatiuæ Chriſtũ non decuit, nec ſimiliter actus potentiæ riſiuæ: ideo prędictæ potentiæ non cenſentur in Chriſto ſuperfluæ, quamuis in illo non fuerint ad actum reductæ. Per quod ſoluitur tertia antecedentis probatiõ. Id autem, quod in quarta probatione antecedentis aſſeritur, ſcilicet, non cenſeri fruſtraneam potentiam conſequutam ad naturam, per hoc ſolum, quod in aliquo illius indiuiduo reducatur ad actum, falſum eſt, vt ex Caietano vidimus. 259 *Ex dictis occurritur argumento.*

Solum reſtat vltima antecedentis probatio, quæ abſque dubio difficilem Angelici Præceptoris continet doctrinã: ad illam, admiſſa maiori, nego minorem; vt enim conſtat ex D. Thom. 1. *p. q. 79. art. 3.* neceſſitas ponendi intellectum agentem in nobis, eſt, vt abſtrahat ſpecies à phantaſmatibus, & ea mediante iſta abſtractione faciat intelligibilia in actu, quæ antecedenter ad illam ſolum in potentia remota erant intelligibilia; neceſſitas autem alicuius potentiæ deſumenda eſt, vel ex actu illi adæquato, vel ſaltim ex illo ad quem principaliter eſt à natura deſtinata: ac proinde abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus eſt in doctrina D. Thomæ, vel vnicus, vel ſaltim præcipuus actus intellectus agentis: ex quo vlterius ſequitur, quod ſi coniunctione cum huiuſmodi actu priuetur, quando vbi, & in ſubiecto, in quo illum oportet habere, fruſtraneus intellectus agens cenſeatur. 260 *Vltima antecedentis probatio diluitur.*

Ad probationem in contra ſumptam ex doctrina D. Thomæ variè occurritur à noſtris Thomiſtis Magiſter S. Thoma *q. 10. de anima art. 2. difficult. 3.* reſpondet, animam in ſtatu ſeparationis habere virtutem, ad intelligendum ſubſtantias ſeparatas per intellectum agentem ſumptum in radice, id eſt, per animam ipſam; quia, nempè, anima in prędicto ſtatu admodum ſui ſubſtantias ſeparatas intelligit, & ſpeciem ſui habet per ſe ipſam, quæ radicaliter intellectus agens eſt; ideo dicitur habere virtutem ad intelligendum ſubſtantias ſeparatas per intellectum agentem radicaliter ſumptum, & in hoc ſenſu loquutus eſt D. Thomas. *Doctrina oppoſita D. Tho. varie explicatur. Prima explicatio.*

Cæterum hæc explicatio, quantumuis ſubtilis ſit, non tamen videtur contextui Angelici Præceptoris congruere. Primo, quia in argumento nono, in cuius ſolutione continetur doctrina adducta in probationem minoris, cum Diuus Thomas aſſeruit: *Quod ſi anima intelligit in ſtatu ſeparationis, oportet, quod per aliquam potentiam intelligat; & conſequenter, vel per intellectum agentem, vel per intellectum poſſibilem*; non loquitur de potentijs in radice, ſed de potentijs ſumptis formaliter, vt cuiuis eſt manifeſtum: ergo cum in ſolutione argumenti aſſeruit: *Habere virtutem ad intelligendum per intellectum agentem*, non poteſt congruè explicari de intellectu agente in radice; aliàs non poſſet ſolutio argumento accommodari. Secundo: nam etiam per intellectum paſſibilem ſumptum in radice habet virtutem 261 *Impugnatur. S. Thom.*

ad

tem ad intelligendas ſubſtantias ſeparatas; cum anima ipſa
admodum cuius illas intelligit, radix ſit intellectus paſſi-
bilis; ſed D. Th. id tribuit intellectui agenti ſpecialiter:
ergo non loquitur de intellectu agente ſumpto in radice.
Ferrara *tertio Contra Gentes c. 45. verſ. aduertendum*
263 Secunda explicatio. *autem*, vt explicet D. Th. doctrinam, aduertit, intellectum
agentem duo animæ coniunctæ præſtare. Primò enim in-
telligibilia in potentia facit intelligibilia in actu. Secundo
dat virtutem intellectui paſſibili, ad intelligendum, per
modum cuiuſdam luminis; ita quod virtus animæ ad in-
telligendum, ſit, tam ex intellectu agente, quam ex intel-
lectu poſſibili; & quia primum animæ in ſtatu ſeparationis
in ordine ad ſubſtantias ſeparatas non præſtat, ſed tantum
ſecundum: ideo D. Th. aſſerit, animam in ſtatu ſeparationis
habere virtutem ad intelligendum per lumen intellectus
Berg. agentis. Id ipſum docet Petrus Bergomenſis *in tabula
aurea dub.* 1218.

Hæc tamen doctrina difficilis eſt. Tùm propter ſupe-
263 Illa explicatio refutatur. rius dicta. Tùm etiam, quia ex illa ſequitur, non ea ra-
turum fruſtra intellectum agentem in Chriſto, quamuis
non abſtraheret ſpecies à phantaſmatibus, nec ſpecies ex
genere ſuo acquiſibiles in ipſo conſtituerentur, cuius
contrarium docet D. Th. *in præſ. art.* 4. Patet ſequela: non
enim fruſtra eſt potentia; quæ tum principali, & primario
intento operatione coniungitur, quamuis nunquam in mi-
nus principali operatione exerceatur; ſed dato, quod in-
tellectus agens, ſimul cum intellectu paſſibili ad intelle-
ctionem concurrat præſtando animæ virtutem ad illam,
hæc erit principalis; & primo intenta operatio intellectus
agentis, abſtractio autem ſpecierum erit minus principa-
lis: ergo per hoc, quod cum prima coniungeretur in ani-
ma Chriſti Domini; quamuis nunquam in ſecundam exi-
ret, non foret in illa intellectus agens fruſtra.

Quare, his omiſſis explicationibus, vel in ſua proba-
264 Reſp. 1. bilitate relictis, aliter eſt reſpondendum, Primo D. Th.
loco allegato in ea fuiſſe ſententia, nimirum, adæquatam
operationem intellectus agentis, non eſſe abſtractionem
ſpecierum, ſed inſuper cum intellectu paſſibili ad intelle-
ctionem concurrere; & conſequenter ad hanc ſententiam
loquendo *in 3. Sent. diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 5. ne-
gaſſe ſcientiam proprijs actibus acquiſitam in Chriſto;
quin ex hoc ſequeretur intellectum agentem fruſtra in il-
lius anima fuiſſe. Sicut autem in ſumma hoc ſecundum re-
tractauit, aſſerendo fuiſſe ſcientiam proprijs actibus acqui-
ſitam in Chriſto, ita retractauit primum, tùm *in præſ. art.* 4.
Tùm etiam 1. *p. q.* 75. *art.* 3. vbi vnam tantum operationem
intellectui agenti attribuit, nempè, abſtractionem ſpecie-
rum. Ita inſinuat Bergomenſis *in tabula aurea dub.* 1218.

Vel ſecundo reſpondetur, nomine intellectus agentis,
265 Reſp. 2. non accepiſſe potentiam diſtinctam realiter ab intellectu
paſſibili, quæ deſtinata eſt ad abſtractionem ſpecierum;
ſed intellectum ipſum paſſibilem, in quo duplicem reſpe-
ctum, duplexque munus diſtinxit, vnum paſſiui per com-
parationem ad ſpecies, & alterum actiui reſpectu intelle-
ctionis, & ſub hoc ſecundo munere illum appellauit agen-
tem; admodum quo 1. *p. q.* 54. *art.* 4. concedit intellectum
agentem in Angelis, nimirum æquiuocè. Et ſic ſenſus pro-
poſitionis D. Th. erit, animam per intellectum poſſibi-
lem, vt paſſibilem, recipere ſpecies, & per ipſum, vt agen-
tem, habere virtutem ad intelligendum. Quæ explicatio,
etſi tantiſper dura videatur, admittenda tamen eſt, ne ad
primam teneamur recurrere, aſſerendo, D. Th. retractaſ-
ſe illam ſententiam, & cum Ariſtotele in ſumma ſenſiſſe
adæquatam operationem intellectus agentis, prout eſt po-
tentia diſtincta ab intellectu paſſibili eſſe abſtractionem
ſpecierum.

Vel tertio reſponderi poteſt, animam habere virtutem
266 Reſpondetur 3. ad intelligendum per intellectum agentem: non vt eli-
cientem intellectionem, ſed vt iuuantem intellectum paſ-
ſibilem ad illam, non per productionem alicuius qualita-
tis ab ſpeciebus diſtinctæ, & receptæ in intellectu paſſibi-
li, ſed per deriuationem ſpecierum, quæ ſimul cum intel-
lectu concurrunt ad intellectionem, & quia ſunt affectus
intellectus agentis illas abſtrahentis à phantaſmatibus
ideo dicitur intellectus agens concurrere ad intellectio-
nem remotè, & mediatè, medijs, ſcilicet, ſpeciebus:
operatio autem alicuius potentiæ non eſt illa ad quam iu-
uat, & ad quam remotè comparatur, ſed illa, quam elicit;
ac proinde adæquata operatio intellectus agentis eſt ab-
ſtractio ſpecierum.

Si dicas, concurſum illum exercet intellectus agens 267 Si oppo-
medijs ſpeciebus, quas à phantaſmatibus abſtrahit, cauſat- nas.
que efficienter in intellectu paſſibili: ſed D. Th. loquitur
de virtute ad intelligendum medijs ſpeciebus infuſis à
eum docet, animam habere per intellectum agentem vir-
tutem ad intelligendum; cum loquatur de anima in ſta-
tu ſeparationis; ergo non loquitur de intellectu agente,
vt prædicto modo iuuante, ſed vt eliciente intellectionem:
& conſequenter ſentit, animam in ſtatu ſeparationis in-
telligere per intellectum agentem, vt illi præſtantem vir-
tutem proximam ad intelligendum.

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Nec 268 Reſponde-
illam probatio conuincit; anima enim in ſtatu ſeparatio- bis.
nis, non ſolum intelligit per ſpecies à Deo infuſas; ſed
etiam per ſpecies, quas in ſtatu coniunctionis cum cor-
pore acquiſiuit, medioque intellectu agente abſtraxit à S. Thom.
phantaſmatibus, vt docet D. Th. *art. cit. ad* 15. *argum. &*
1. *p. q.* 89. *art.* 6. *in corp.* ibi: *Sequitur, quod 2. ſpecies in-
telligibiles hic acquiſitas anima ſeparata intelligere poſſit,
qua prius intellexit, non tamen eodem modo, ſcilicet, per
conuerſionem ad phantaſmata.* Vnde ex eo quod loqua-
tur de anima in ſtatu ſeparationis, non ſequitur accipien-
dum eſſe per comparationem ad ſpecies infuſas, cum docet
habere virtutem ad intelligendum per intellectum agen-
tem; ſed intelligendus eſt reſpectu intellectionis elicitæ
medijs ſpeciebus acquiſitis, dum eſſet anima corpori vni-
ta; non autem reſpectu intellectionis elicitæ medijs ſpe-
ciebus infuſis.

Ex dictis in decurſu diſputationis colligitur primò 269 Colligi-
conſtituendum eſſe in anima Chriſti Domini in ordine ad tur 1.
viſionem beatam, præter diuinam eſſentiam per modum
ſpeciei vnitam, lumen ſupernaturale, quod vocatur lu-
men gloriæ, vt de omnibus beatis tenet communis ſen-
tentia 1. *p. q.* 12. *art.* 4. *&* 5. Et patet; vt enim viſio beata
eliciatur connaturaliter, requiritur potentiam eſſe eleua-
tam per formam permanentem intrinſecam, vt loquen-
do de omni actu ſupernaturali docuimus *ſupra quæſtio-
ne* 7. *Diſputation.* 23. quæ forma debet eſſe diſtincta
ab ſpecie ſe tenente ex parte obiecti; cum enim ex parte
obiecti ſe teneat, non præſtat virtutem potentiæ, nec per
illam intellectus ad agendum eleuatur; ſed oportuit, quod
anima Chriſti Domini connaturaliter viſionem beatam
eliceret: ergo, præter Dei eſſentiam vnitam per modum
ſpeciei, conſtituenda eſt in intellectu Chriſti creato qua-
litas permanens ſupernaturalis, illum roborans, & ele-
uans, quæ lumen gloriæ appellatur.

Secundo colligitur, ad actus ſcientiæ acquiſitæ fuiſſe in 270 Secundo
intellectu Chriſti habitus per ſe acquiſibiles diſtinctos ab colligi-
ſpeciebus naturalibus. Quod patet: nam anima Chriſti tur.
Domini promptè, facilè, & ſuauitèr prædictos actus eli-
cuit: ſed facilitas ad actus naturales ſcientificos non eſt ef-
fectus ſpecierum, ſed qualitatis habitualis ab ſpeciebus
diſtinctæ: ergo ad actus ſcientiæ acquiſitæ conſtituendi
ſunt in anima Chriſti Domini habitus per ſe acquiſibiles
ab ſpeciebus diſtincti dantes facilitatem ad illos. Minor,
præterquam quod eſt communis Logicorum, & Metaphy-
ſicorum ſententia, conſtat primo: nam ſpecies ſe tenet ex
parte obiecti, non autem ex parte potentiæ: ergo non præ-
ſtat facilitatem ad actum. Secundò: nam in voluntate, præ-
ter cognitionem repræſentantem obiectum, illamque ob-
iectiuè determinantem conſtituuntur habitus præſtantes
facilitatem ad actus: ergo pariter in intellectu, præter
ſpeciem repræſentantem obiectum conſtituendi ſunt ha-
bitus, quibus facilis ad intelligendum reddatur.

Denique eadem minor probatur: nam habitus præſtan- Probatur
tes facilitatem ad actus ex aſſuefactione potentiæ in exer- minor.
citio ſimilium actuum cauſantur; ſed ſpecies obiectiuè
concurrentes non cauſantur per actus intellectus poſſibi-
lis, ſed intellectus agentis abſtrahentis illas à phantaſ-
matibus ergo non præſtant intellectui poſſibili ad actus
ſcientificos facilitatem. An autem huiuſcemodi habitus
fuerint per accidens Chriſto infuſi in primo conceptionis
inſtanti, vel ſucceſſu temporis proprijs actibus à Chriſto
acquiſiti *infra q.* 12. ſolet examinari. An etiam, præter
ſpecies per ſe infuſas, fuerit in anima Chriſti habitus per
ſe infuſus ſcientificus realiter ab illis diſtinctus *q.* 11. ſo-
let exagitari. Et hæc de iſta diſputatione applicanda lit- M. Sent.
teræ Magiſtri, vbi *Diſputatio præcedens*.

TRA-

TRACTATVS OCTAVVS:

De Scientia Beata Animæ Chriſti.

Articulus primus.

DE QVO D. Thom. in 3. Sentent. diſt. 14. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 4. ad Annibaldum in eadem diſtinctione quæſt. vnic. art. 2. & 3. q. 20. de Veritate art. 2. & 4. Opuſc. 2. cap. 216. & in hac 3. p. q. 10. Quam diuidit in quatuor Articulos. Docens in primo, animam Chriſti non comprehendere Verbum, ſiuè diuinam eſſentiam; nam infinitum à finito non comprehenditur; anima autem Chriſti eſt finita; nam ſic facta eſt vnio naturarum in perſona Chriſti, quod proprietas vtriuſq; naturæ inconfuſa permanſerit, ita, ſcilicet, quod increatum manſerit increatum, & creatum manſerit intra limites creaturæ: ergo anima Chriſti, nullo modo comprehendit diuinam eſſentiam: Et rationem reddit in ſolutione ad ſecundum, quia licet anima Chriſti totam Dei eſſentiam videat, non tamen totaliter eam videt, ideſt, non ita perfectè, ſicut viſibilis eſt. cuius rationis efficaciam, & doctrinam à D. Th. traditam ſolutione ad 2. diſput. 33. explicabimus.

Articulus ſecundus. *In ſecundo Articulo docet, animam Chriſti cognouiſſe in Verbo omnia, quæ quocumque modo ſunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata à quocumque, ſecundum quodcumque tempus; hæc enim pertinent ad Chriſtum, & ad eius dignitatem in quantum ei ſubiecta ſunt omnia, & eſt omnium iudex conſtitutus à Deo; nulli enim intellectui beato deeſt, quin cognoſcat in Verbo omnia, quæ ad ipſum ſpectant; & ideo anima Chriſti in Verbo cognoſcit omnia exiſtentia ſecundum quodcumque tempus, & etiam hominum cogitatus. Ex his autem, quæ ſunt in potentia cauſæ, nunquam reducenda ad actum, non cognouit omnia, quæ ſunt in potentia Dei; hoc enim eſſet compehendere diuinam virtutem; & per conſequens diuinam eſſentiam, omnia tamen, quæ ſunt in potentia creaturæ in Verbo cognouit; comprehendit enim in Verbo omnis creaturæ eſſentiam, & per conſequens potentiam, & virtutem, & omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ.* Et ſolutione ad primum docet D. Thom. Chriſtum in Scriptura de ſe ipſo aſſerere, diem iudicij neſcire, non quia illius diem, & horam ignoret, ſed quia ſcire nos non facit, illum nobis reuelando. Et ſolutione ad 3. docet, ſcire animam Chriſti in Verbo omnia, quæ Deus per ſcientiam viſionis cognoſcit. Neque ex hoc ſequitur, ſcientiam Chriſti beatam adæquari in quantitate, hoc eſt, in perfectione, cum ſcientia viſionis Dei, eo quod quantitas ſcientiæ, non ſolum attenditur ſecundum numerum ſcibilium, ſed etiam ſecundum claritatem cognitionis, in qua, ſcientia viſionis Dei in infinitum excedit ſcientiam animæ Chriſti.

Articulus tertius. *In tertio Articulo*, præmiſſa diſtinctione entis ſimpliciter, ſcilicet, quod eſt ens in actu, & ſecundum quid, quod, ſcilicet, eſt ens in potentia, & diuerſo modo, quo vnum, & aliud cognoſcitur, quod, nempè, ſcientia primo, & principaliter reſpicit ens in actu, ſecundario autem reſpicit ens in potentia, quod quidem non cognoſcitur ſecundum ſe ipſum, ſed cognito illo, in cuius potentia exiſtit: *docet, animam Chriſti, quantum ad primum modum ſcientiæ non cognoſcere infinita, quia non ſunt infinita in actu, etiam ſi accipiantur omnia, quæcumque ſunt in actu ſecundum quodcumque tempus. Quantum verò ad ſecundum modum ſciendi anima Chriſti in Verbo ſcit infinita; ſcit enim omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ, in qua infinita continentur; & conſequenter per hunc modum ſcit infinita, quaſi quadam ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non autem ſcientia viſionis.* In ſolutione ad 1. notat infinitum ſecundum rationem materiæ, ſi cognoſcatur ſecundum ipſius modum, non poſſe adæquatè cognoſci; eſt enim modus ipſius, vt pars accipiatur poſt partem; in aliquo autem vno benè poſſunt ſimul infinita cognoſci, & ſic ab anima Chriſti cognoſcuntur infinita. *Solutione ad 2.* docet, infinitum per eſſentiam poſſe cognitione finita cognoſci, non tamen comprehendi; infinitum autem ſecundum multitudinem; finitum autem ſecundum rationem eſſentiæ, poſſe comprehendi cognitione finita; eo quod proprium intellectus obiectum eſt, quod quid eſt, ideſt, quidditas, & rei eſſentia, ideoq; infinitum multitudine, eſſentiæ tamen finitæ, poteſt comprehenſiuè cadere ſub cognitione finita. *Solutione ad 3.* docet, infinito ſimpliciter quoad omnia, non poſſe aliquid ſimpliciter eſſe maius; infinito autem ſecundum aliquid determinatum non eſt dabile maius in ordine, in quo eſt infinitum; extra illum tamen ordinem poteſt accipi aliquid maius: vnde quamuis anima Chriſti infinita cognoſcat ſcientia ſimplicis intelligentiæ; plura tamen Deus cognoſcit, quia plura continentur in potentia Dei, quæ

omnia

omnia cognoſcuntur à Deo, quam in potentia creaturæ, in qua anima Chriſti infinita cognoſcit.

Articulo quarto docet: animam Chriſti videre Verbum, ſiuè diuinam eſſentiam clarius qualibet alia creatura; nam viſio diuinæ eſſentiæ conuenit beatis, ſecundum participationem luminis deriuati in eos à fonte Verbi Dei; huic autem Verbo propinquius anima Chriſti coniungitur, quæ vnita eſt Verbo in perſona, quam quæuis alia creatura; ideoque plenius recipit Verbi influentiam; & conſequenter perfectius præ cæteris creaturis videt ipſam primam veritatem, quæ eſt Dei eſſentia: ex quo ſequitur clarius Dei eſſentiam videre, qualibet alia creatura; nam eo perfectius Dei eſſentia videtur, quo clarius cognoſcitur: *Vnde dicitur Ioannis 1. Vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à Patre, plenum, non ſolum gratiæ, ſed etiam veritatis.* Nec obſtat animam Chriſti videre diuinam eſſentiam in vi eiuſdem medij, vi cuius ab alijs creaturis videtur. Vt enim notat Diuus Thomas ſolutione ad 1. licet perfectio cognitionis ex parte cogniti penes medium attendatur, ex parte tamen cognoſcentis attenditur penes habitum confortantem intellectum, in quo anima Chriſti omnes creaturas excedit; ac per conſequens in perfectione intenſiua cognitionis, eſto non excedat in perfectione ſpecifica, quæ ab obiecto ſumitur, & penes medium obiectiuè concurrens penſatur. Nec iterum obſtat, & intellectum Angeli eſſe perfectiorem intellectu animæ Chriſti. Vt enim docet D. Thom. ſolutione ad 2. cum viſio diuinæ eſſentiæ excedat naturalem potentiam cuiuſcumque creaturæ, gradus ipſius attenduntur magis ſecundum ordinem gratiæ, in quo Chriſtus Angelum multum excedit, quam ſecundum ordinem naturæ. Vbi ly *magis*, non comparatiuè accipitur, ſed contrapoſitiuè, & eſt ſenſus, attendi perfectionem viſionis diuinæ eſſentiæ, non ſecundum naturam, ſed ſecundum gratiam. *Pro quorum explicatione ſit.* Articulus quartus.

DISPVTATIO TRIGESIMATERTIA.

An Chriſtus per intellectum creatum comprehenderit diuinam eſſentiam?

§. I.

Relatis ſententijs, prima concluſio ſtatuitur, & referuntur varij modi explicandi incomprehenſibilitatem diuinam.

1 *Varia cõprehenſionis acceptiones explicãtur.* OMISSIS varijs comprehenſionis acceptionibus quas, ſine fundamento Nominales multiplicarunt, vt Dei incomprehenſibilitatem ab intellectu creato ſaluarent, tripliciter apud Theologos comprehenſio vſurpatur. Primo pro qualibet cognitione, qualiter idem ſonat, quod obiecti apprehenſio, cumque omnis actus intellectus apprehenſio ſit, omnis intellectio dici poteſt comprehenſio, Deumque ab intellectu creato comprehendi, idem erit, quod ab ipſo apprehendi, & intelligi, & in hoc ſenſu loquitur Paulus *Ad Epheſios* 3. illis verbis: *Vt poſsitis comprehendere, quæ ſit latitudo, &c.* Et ſic certum eſt, Deum à nobis etiam in hac vita comprehendi; Deum namque credimus per fidem, ipſumque intelligimus, & mente apprehendimus; & conſequenter comprehendimus ipſum iuxta iſtum comprehenſionis modum.

Ad Epheſios 3.

2 *Secundo.* Secundo, & frequentius vſurpatur pro obiecti tentione, & aſſequutione, ſiuè adæquata ſit, ſiuè non, quo ſenſu quando quis latronem, quem inſequitur, capit, etſi non totum teneat, ſed partem, ipſum dicitur comprehendere, & in hoc ſenſu; certum eſt ſecundum fidem, Deum comprehendi à beatis, iuxta illud Pauli ad Philippenſes 3. *Sequor autem, ſi quomodo comprehendam.* Et 1. ad Corinthios 9. *Sic currite vt comprehendatis.* Et Canticorum 3. *Tenui eum, nec dimittam*, & alibi, de quo D. Thom. *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 1. 1. *p. q.* 12. *art.* 7. *ad* 2. *q.* 4. *art.* 3. in quo ſenſu accipiendus eſt Nazianzenus *oratione* 34. *num.* 19. dum dixit: *Comprehenſionem diuinæ eſſentia eſſe præmium omnium beatorum.* Sic etiam accipiendi ſunt alij Patres, ſi alicubi inueniantur aſſerere, Deum à nobis comprendi.

Ad Phil. 3. *1. ad Corinth. 9.* *Cant. 3.* *S. Thom.* *Nazian.*

3 *Tertio.* Tertio denique accipitur comprehenſio pro cognitione obiecti vndequaque perfecta, ideſt, adæquata, vel adæquante obiecti cogniſcibilitatem, per quam obiectum cognoſcitur, quantum cognoſcibile eſt, iuxta illud Auguſtini epiſtola 112. cap. 9. *Illud comprehenditur, quod ita cognoſcitur, vt nihil eius lateat cognoſcentem, & cuius fines circumſpici, vel circumſcribi poſſunt à cognoſcente.* Et *lib.* 13. *de Ciuit. Dei cap.* 18. vbi ait: *Tunc aliquid comprehendi, quando totum, & totaliter attingitur, vt nihil eius lateat.* Quæ diffinitiones qualiter ſint accipiendæ ex dicendis conſtabit, & hæc ſola eſt rigoroſa cõprehenſionis acceptio, in qua noſtra diſputatio procedit.

S. Aug.

4 *Prima ſententia affirmatiua refertur.* In qua hæretici Anomæi, quorum Dux fuit Eunomius, affirmatiuam tenent ſententiam, aſſerentes, vt refert Albeda, vbi *ſupra*, ſe naturam, & eſſentiam diuinam comprehendere, quod proinde animæ Chriſti Domini nõ negabunt. Eundem errorem quantum ad animam Chriſti, tenuit Auguſtinus de Roma, cuius error fuit damnatus in Concilio Baſilienſi. Negatiua tamen ſententia eſt communis apud omnes catholicos. Illam tenent omnes Scholaſtici cum Magiſtro in 3. *diſt.* 14. vbi Albertus *art.* 1. *D. Tho. quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *& in* 4. *diſt.* 49. vbi D. Thomas *q.* 2. *art.* 3. Tenet etiam D. Tho. *q.* 20. *de Veritate art.* 4. *&* 5. 3. *Contra Gentes cap.* 55. *&* 56. Vbi Ferrara 1. *p. q.* 12. *art.* 7. *&* 8. *& in hac q. ar.* 1. *&* 2, vbi Caietanus, Medina, Aluarez, Nazarius, Araujo, Zippulus, Zumel, Lorca, Albeda 1. *p. diſput.* 30. Capreolus *in* 3. *diſt* 14. *q. unic. art.* 2. *&* 3. Magiſter Sotus in 4. *diſt.* 49. *q.* 2. & omnes Diſcipuli D. Thom. Tenent etiam ex Patribus Societatis Molina 1. *p. q.* 12. *art* 7. *in commentatio articuli.* Suarez *in præſenti diſp.* 26. *ſect.* 1. 2. *&* 3. Vazquez *diſput* 52. *&* 53. Granadus *tract.* 5. *diſp* 13. *ſect* 1. *&* 2. Herice *tractat.* 1. *diſput.* 4. *cap.* 4. Alarcon *tractat.* 1. *diſput.* 4. *cap.* 6. & cæteri Recentiores ex eadem familia, tùm *in præſenti*, tùm etiam 1. *p. q.* 12. *ad art.* 7.

Secunda ſententia negatiua. *Magiſt.* *Albertus.* *S. Thom.* *Ferrara.* *Caiet.* *Medin.* *Aluar.* *Nazar.* *Araujo.* *Zippul.* *Zumel.* *Lorca.* *Albeda* *Capreol.* *Sotus.* *Molina.* *Suar.* *Vazq.* *Granad.* *Herice.* *Alarcon.*

Licet autem omnes allegati Auctores in ſententia conueniant, in gradu tamen certitudinis diſſident. Vazquez vbi *ſupra cap.* 2. etſi ſentiat de fide eſſe, Deum à beatis comprehendi non poſſe accepta comprehenſione pro notitia æqualis perfectionis cum ipſo obiecto; docet tamen non eſſe de fide, quod ſit incomprehenſibilis à beatis ſecundum omnem modum comprehenſionis, tametſi à viatoribus comprehendi non poſſe, ſi certum de fide; eſſe tamen ita certum, vt oppoſitum ſit temerarium. Ipſum ſequitur Alarcon, & aliqui ſuæ familiæ Recentiores. Cæteri tamen poſt Magiſtrum Soto, tam ex Schola D. Tho. quam ex Societatis familia docent, eſſe de fide: & præter ſupra citatos, id tenet Salas 1. 2. *tract.* 2. *diſp* 4. *ſect.* 6. pro quo citat Valentiam, pluresque alios id ipſum ſentientes. Id etiam docuere Albertus *in* 3. *diſt.* 14. *art* 1. & Paludanus *q* 1. aſſerentes, eſſe blaſphemiam contra Chriſti Diuinitatem dicere, fuiſſe ab ipſa humanitate comprehenſam. Pro cuius explicatione ſit.

5 *Cenſura Theologorum circa ſententiã affirmatiuam.* *Salas.* *Albertus.* *Palud.*

6 *Prima cõcluſio.* Prima Concluſio. *Humanitas Chriſti Domini non comprehendit de facto diuinam eſſentiam, nec potuit de potentia abſoluta.* Prima pars concluſionis ex ſecunda dependet; ſi namque non repugnaret de potentia abſoluta, de facto eam comprehendiſſet, iuxta ſæpius repetita *Tract. præcedentis Diſp.* 31. *&* 32. vtramque concluſionis partem docent, omnes catholici, loquendo de comprehenſione in rigoroſa acceptione. In reddenda autem ratione incomprehenſibilitatis diuinæ, ſiuè ab anima Chriſti, ſiuè à quouis intellectu creato, non omnes conueniunt. Ochamus *diſt.* 49. *q.* 13. *art.* 1. Gabriel *in* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *dub.* 2. & Almainus *q.* 1. id probant dupliciter. Primo; quia comprehenſio eſt cognitio perfectiſſima, quæ poteſt haberi de obiecto; ſed cognitio Dei increata, quæ ſola eſt perfectiſſima cognitio, quæ de Deo haberi poteſt, repugnat intellectui animæ Chriſti: ergo & diuinæ eſſentiæ comprehenſio. Secundo; nam cognitio comprehenſiua eſt, quæ obiectum adæquat entitatiuè; ſed implicat intellectum Chriſti creatum, Deum cognoſcere notitia ipſum entitatiuè adæquante: ergo & ipſum comprehendere.

Duplex ratio Ochami, & aliorum.

7 *Prima ratio, vt inefficax reijcitur.* Hæc tamen argumenta nullius ponderis ſunt: non primum; ſequitur enim ex illo, nullam creaturã poſſe ab alia comprehendi: conſequens eſt falſum, & contra communem Theologorum ſententiam docentem, Angelum ſuperiorem, inferiorem comprehendere: ergo prima ratio omninò inefficax eſt. Patet ſequela, nulla cognitio creata eſt perfectiſſima cognitio, quæ poteſt ad creaturam terminari, cum omnes creaturæ cognoſcantur à Deo, cuius cognitio infinitè ſuperat omnem creatam cognitionem: ergo

ſi ad comprehenſionem eſt neceſſaria perfectiſſima cognitio, quæ de obiecto poteſt haberi, nulla creatura poteſt ab alia comprehendi.

8 *Secunda etiam rajicitur.* Et eodem argumento inſufficientiæ ſecunda ratio conuincitur; ſequitur namque ex illa idem inconueniens, nempè, non poſſe vnam creaturam rationalem ab altera naturaliter comprehendi, neque eſſe aliquam creaturam, quæ ſe ipſam comprehendere poſſit; conſequens quoad vtramque partem eſt contra communem Theologorum ſententiam, aſſerentium, Angelum ſuperiorem, ſe ipſum, & omnes inferiores Angelos comprehendere: ergo ratio illa ſuſtinenda non eſt. Patet ſequela, nullius creaturæ cognitio naturalis poteſt adæquare ſubſtantiam in perfectione entitatiua: ergo ſi ad comprehenſionem exigitur adæquatio entitatiua cognitionis cum obiecto, nulla creatura rationalis poterit à ſe ipſa, nec ab alia comprehendi.

9 *Solutio Nominalium impugnatur 1 ſecundo.* Sed Nominales, vt conſequenter ad ſuam ſententiam loquantur, concedere vtriuſque obiectionis ſequelam, nec in conſequenti illato aliquod reperire inconueniens. ſed obſtat, primò, quod non poſſe à creatura comprehendi, Deo, vt ſpeciale à Scriptura, & Patribus attribuitur: ergo non debet probari ratione ex qua colligatur, Deo ſpeciale non eſſe, ſed omni creaturæ rationali, imo & omni creaturæ commune. Secundo, nam ex hoc ſequitur Deum à ſe ipſo comprehendi non poſſe, ſaltem in ſententia probabili, quæ diuinam cognitionem, à natura virtualiter diſtinguit; conſequens eſt contra fidem: ergo doctrina ſolutionis ſuſtineri non poteſt. Patet ſequela; eo ipſo quod cognitio diuina virtualiter diſtinguatur à natura, excedatur in entitate virtualiter ab illa; ea enim, quæ diſtinguuntur non poſſunt inter ſe adæquari, realiter, ſi realis diſtinctio ſit, aut virtualiter, ſi hoc modo diſtinguantur, cumque cognitio nequeat naturam excedere, vt per ſe eſt manifeſtum, neceſſum eſt, quod excedatur virtualiter ab illa: ergo ſi ad comprehenſionem exigitur adæquatio entitatiua cognitionis cum obiecto non poterit Deus à ſe ipſo comprehendi.

10 *Alterũ fũdamentũ.* Eodem argumento, inefficax deprehenditur, & inſufficientiæ conuincitur aliorum argumentatio, ex eo probantium, Deum à creatura comprehendi non poſſe, quia licet omnia, quæ ad Deum neceſſario pertinent, poſſit cognoſcere, non tamen cognoſcere poteſt decreta libera Dei, quod tamen neceſſarium erat ad Dei comprehen-*Reijcitur 1.* ſionem. Quæ ratio reijcitur primo ex dictis; nam ſequitur nullam creaturam rationalem poſſe ab alia ex naturæ viribus comprehendi; conſequens eſt falſum: ergo falſum etiam eſt ad Dei comprehenſionem requiri eius libera decreta cognoſcere. Patet ſequela; nulla creatura poteſt ex viribus proprijs alterius cogitationes, ſeu cordis ſecreta cognoſcere, ſine illius reuelatione, vt tenet omnium Theologorum ſententia 1. *p. q.* 57 *art.*4. ergo ſi hoc ad comprehenſionem exigitur nulla creatura rationalis poterit ex viribus naturæ ab altera comprehendi.

11 *Secundo.* Secundo reijcitur; ad comprehenſionem obiecti ſolum exigitur cognitio, ex vi cuius omnia illa cognoſcantur, quæ in tali obiecto, & ex vi illius poſſunt cognoſci ſed decreta libera Dei non poſſunt in diuina eſſentia, ſecundum ſe ſumpta cognoſci, cum non habeant connexionem cum illa in hac conſideratione: ergo ad Dei comprehenſionem, non petitur talium decretorum cognitio. Deniq; nam ſi poteſt *Tertiò.* Deus à creatura quoad omnia ad ipſum pertinentia cognoſci, poterunt etiam cognoſci omnia libera decreta Dei, Deo illa reuelante: ergo, ſaltem libera Dei reuelatione ſuppoſita, poterit de potẽtia abſoluta à creatura cõprehẽdi.

12 *Fundamẽtum P. Vazq.* Vazquez 1. *p. diſp.* 53. *cap.*4. poſtquam varios modos explicandi incomprehenſibilitatem diuinam reiecerat, ipſe hac ratione illam explicauit, & probauit; vt enim obiectum comprehendatur, non ſufficit cognoſci, quoad prædicata eſſentialia, & attributa, ſeu proprietates, ſed inſuper eſt neceſſarium, quod ex vi cognitionis illius omnia ad ipſum pertinentia, vel quæ ab eo fieri poſſunt attingantur; ſed licet Beati Deum, quoad eſſentialia attributa, cognoſcat, non tamen poſſunt ex vi viſionis beatificæ omnia poſſibilia cognoſcere, etſi media reuelatione poſſint à beato cognoſci concomitanter cum eſſentia diuina: ergo non poteſt Beatus Dei eſſentiam comprehendere. Minorem, in qua eſt difficultas, ſupponit à ſe probatam eadem 1. *p. diſp* 49. & ſumma probationis eſt; nam tunc ſolum in cauſa cognita, ex vi illius cognoſcuntur effectus, cum cauſa ad effectus traſcendentaliter ſaltem refertur; ſed diuina omnipotẽtia, etſi perfectiſſimè creaturas contineat, non tamen ad illas refertur, etiam transcendentali relatione: ergo in illa cognita, & ex vi cognitionis illius, non poſſunt creaturæ cognoſci.

Hæc tamen ratio, quæ ſola potuit prædicto Auctori placere, diſplicet frequenter Theologis, non ſolum exteris, ſed etiam domeſticis. Et reijcitur primo ad hominem; nam ipſe *cap* 2. ſententiam D. Th. & Thomiſtarum dicentium, ad comprehenſionem requiri adæquationem cognitionis cum obiecto, non ſolum extenſiuam, verum etiam intenſiuam conſiſtentem in modo cognitionis commenſurato cum modo cognoſcibilitatis obiecti; ex eo reijciendam exiſtimauit, quia comprehenſio corporea, ex cuius ſimilitudine, & analogia comprehenſionis nomen fuit ad intelligibilia translatum, in ſola adæquatione extenſiua conſiſtit, quin ad illam vlterior adæquatio exigatur ſed nec etiam ad corporalem comprehenſionem requiritur cõtinentia eorum, quæ vt effectus ad corpus comprehenſum comparantur: ergo vel debet fateri inefficaciam argumenti, quo contra Thomiſtas vtitur, vel, vt conſequenter procedat, non petere ad intelligibilem obiecti comprehenſionem, quod ea, quæ ad obiectum comprehenſum, vt effectus comparantur, attingantur ex vi cognitionis illius. 13 *Reijcitur 1.*

Vidit argumentum Vazquez ad illudque reſpondit *cap.* 4. *citato num.* 17. diuerſam eſſe rationem; nam quæ ſunt extra aliquam quantitatem corpoream, non dicuntur ad illam corporaliter pertinere, quare, vt ipſa comprehendatur corporaliter, ſatis eſt quoad ſibi intrinſeca in comprehendente contineri: at verò ad rem intelligibilem, prout ad intellectum refertur, non ſolum pertinere dicuntur intrinſeca, verum etiam extrinſeca, nempè, quæ ex illa fieri, aut deduci poſſunt, quo circa vt ipſa intelligibiliter comprehendatur, neceſſe eſt, non ſolum illa videri, quæ ei intrinſeca ſunt, ſed etiam, quæ ex ipſa poſſunt fieri, aut deduci. 14 *Reſpondet Vazq.*

Sed contra primo; nam, vel loquitur de re corporea, & ſpirituali in ratione comprehenſibilium, vel de illis in ratione rei: ſi primum, petit principium; hoc enim argumentum contendit Auctoris argumento, quo impugnauit Thomiſtarum ſententiam protracto: ſi ſecundum, eſt falſum: nam ſicut ad rem intelligibilem pertinent effectus, quos cauſare poteſt, ita ad rem corpoream pertinent effectus ab ipſa cauſabiles, ad vtramque namque extrinſecè comparantur, & ad neutram conſtitutiuè, & intrinſecè; ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. 15 *Contra 1.*

Secundo; nam ea, quæ extrinſecè per modum effectus ad rem intelligibilem comparantur, poſſunt, in iſtius Doctoris ſententia, adæquatè cognoſci, quin comprehenſio inferatur, dummodo ex vi eiuſdem cognitionis, per quam prædicata intrinſeca cognoſcuntur, non cognoſcantur; at hæc doctrina conſequenter ad illam, quam ex ipſo cõtra Thomiſtas retulimus, ſuſtineri non poteſt: ergo parum conſequenter ad ſua principia procedit, vt Thomiſtas impugnet. Probo minorem, res corporea comprehenditur corporaliter, ſi illius extenſio quantitatiua adæquatè ambiatur, & contineatur, quamuis hoc fiat, non ex vi vnius, ſed duplicis quantitatis: ergo ſi argumentum, quod contra Thomiſtas fecit eſt efficax, res intelligibilis comprehenſa debet cenſeri, ſi omnia ad ipſam pertinentia, tam intrinſecè, quam extrinſecè, ambiantur ab intellectu, etiam ſi hoc non fiat ex vi vnius, & eiuſdẽ cognitionis, vel ſi non obſtante, quod res corporea comprehendatur corporaliter per duplicem quantitatem, & à comprehenſione corporea fuerit nomen comprehenſionis ad intelligibilia translatum, non licet inferre rem intelligibilem comprehendi cum per duas cognitiones omnia ad ipſam pertinẽtia attinguntur; eo etiam non obſtante prædicta ſimilitudine, non poterit intellectualis comprehenſio petere adæquationem intenſiuam, quamuis corporalis, ſolum extenſiuam expoſcat? vel cur iſta conſequentia bona ſit: *Sola extenſiua quantitatum adæquatio eſt comprehenſio corporea: ergo ſola extenſiua adæquatio intelligibilis, eſt intelligibilis cõprehenſio*; & iſta bona non erit: *Extenſiua adæquatio duarum quantitatum ad vnam, eſt corporea comprehenſio: ergo extenſiua adæquatio cum obiecto intelligibili per duplicem cognitionem, erit intelligibilis comprehenſio.* Aut denique, cur licuit Vazquio addere aliquid exactum pro intellectuali comprehenſione, quod ad corporalem non petitur, & non licuit D. Thomæ? 16 *Secundo.*

Tertio, non etiam ad rem intelligibilem pertinet, non ſolum ſubſtantia, ſed etiam modus talis, vel tantus intellectionis; qui tamen modus ex parte quantitatis comprehendentis à quantitate, vt corporaliter comprehenſibi- 17 *Tertio.*

ſi non expoſcitur : ergo ſi quæ extrinſeca pertinent ad rem intelligibilem ; non verò ad quantitatem , quatenus comprehenſibilem corporaliter , petit res intelligibilis ad ſui comprehenſionem , quod extrinſece cognoſcantur ; res autem corporea ad ſui comprehenſionem non petit , quod extrinſeca ambiantur : pariter non obſtante , quod res corporea non petat ad ſui comprehenſionem adæquationem intenſiuam ; & eo modo quantitatis comprehendentes , res intelligibilis adæquationem iſtam ad ſui comprehenſionem expoſcet.

18 *Secundo rejicitur principalis ſolutio.* Secundo principaliter rejicitur ; nam in eſſentia diuina, tanquam in obiecto cognito , poſſunt cognoſci creaturæ : ergo minoris probatio falſa innititur doctrinæ. Probatur antecedens primò : quia vt cauſa ſit medium *in quo* effectus cognoſcantur , non eſt neceſſaria dependentia cauſæ ab effectu, ſed ſufficit neceſſaria connexio inter cauſam, & effectum ; ſed licet eſſentia diuina abſoluta ſit ab ordine , & a dependentia ab effectibus creatis , eſt tamen cum illis, vt poſſibilibus neceſſariò connexa ; in connexione namque ſine dependentia à creaturis , nulla imperfectio inuenitur : ergo diuina eſſentia eſt medium *in quo* , & ex vi cuius per modum obiecti cogniti poſſunt creaturæ cognoſci. Secundo probatur ; ratio ob quam ex vi cauſæ creatæ cognitæ cognoſcuntur eius effectus , non eſt ordo tranſcendentalis , quem ad illos dicit , ſed illorum continentia. Tùm, quia eſſe medium cognitionis ſuorum effectuum, non eſt imperfectionis , ſed perfectionis in cauſa ; ordo autem tranſcendentalis , cum in dependentia conſiſtat , non ad perfectionem, ſed potius ad imperfectionem pertinet. Tum etiam , quia eſſentia , vt proprietatum radix , non dicit ad illas tranſcendentalem ordinem , ſed tantummodo connexionem ; & tamen, vt cognita, proprietates repræſentat , & in illarum ducit cognitionem. Tum denique ; nam cauſa , vt relata reduplicatiuè ad effectus, non eſt cauſa , ſed effectus illorum , vt eorum medium , non eſt effectus ſuorum effectuum , ſed potius illorum cauſa ; alias cognitio effectuum in cauſa creata , non eſſet cognitio à priori, ſed à poſteriori ; at diuina eſſentia infinitè perfectius continet ſuos effectus , quam quæcumque cauſa creata : ergo in vi illius , vt cognitæ cognoſcuntur effectus creati ſub ratione poſſibilium.

19 *Tertio.* Tertio rejicitur ; nam eo ipſo , quod in diuina eſſentia, & ex vi illius nequeant cognoſci creaturæ ad illius comprehenſionem , non eſt neceſſaria creaturarum cognitio : ergo probatio minoris , argumentum quo vtitur Vazquez, deſtruit veritatem maioris ; & conſequenter ex non cognitione creaturarum poſſibilium ex vi cognitionis beatificæ terminatæ ad Dei eſſentiam , perperam infert hic Auctor negationem comprehenſionis diuinæ eſſentiæ à beatis. Probatur antecedens primo ; nam obiecti comprehenſio, ſolum petit terminari ad ſuum obiectum ſecundum omnia, quæ in illo , & ex illo poſſunt cognoſci , cum eo ipſo obiecti cognoſcibilitatem adæquet , ita que ſit vis illius ratione cognitionis, quanta ſit vis paſſiua obiecti in ratione cognoſcibilis : ergo eo ipſo , quod eſſentia diuina per modum obiecti cogniti , non poſſit ducere in ſuorum effectuum cognitionem , talium effectuum cognitio ad illius comprehenſionem non petitur. *Secundo.* Secundo , quia ſolum petitur ad comprehenſionem obiecti, quod ex vi cognitionis illius cognoſcantur ea , quæ pertinent ad ipſum in ratione obiecti cognoſcibilis, nam adæquatio pertinet ad rationem comprehenſionis , non ad obiectum acceptum entitatiuè , ſed in ratione intelligibilis formaliter ; hæc autem habetur per attingentiam illorum , quæ ad ipſum in ratione intelligibilis pertinent ; ſed eo ipſo , quod creaturæ non poſſint in diuina eſſentia, vt in obiecto cognito , & ex vi illius ſic accepta cognoſci , non pertinent ad ipſam in ratione obiecti cognoſcibilis , ſicut non pertinerent ad omnipotentiam in ratione entis, ſi ſemper omnipotentia entitatiuè , non poſſet entitates illorum cauſare : ergo eo ipſo ad diuinæ eſſentiæ , vel omnipotentiæ comprehenſionem , non petitur effectuum diuinæ eſſentiæ cognitio.

20 *Tertio.* Tertio ; quia nemque creaturæ exiſtentes , vel futuræ, cum diuina eſſentia, vt cognoſcibili, neceſſariam connexionem non habent , nec ex vi illius ſecundum prædicata neceſſariæ poſſunt cognoſci, cognitio aliorum, prout ſit ad diuinæ eſſentiæ comprehenſionem ſecundum prædicata neceſſaria non petitur, vt maior pars Theologorum tenet : & patet ; nam aliàs ad comprehenſionem rationalis creaturæ neceſſaria eſſet decretorum , ſeu cogitationum liberarum cognitio ; & conſequenter non poſſet vna creatura intellectualis ab altera ex viribus ſuæ naturæ comprehendi ; contra communem Theologorum ſententiam , aſſerentium in *materia de Angelis* , Angelum ſuperiorem, inferiores Angelos, & hominem comprehendere : ergo ſi creaturæ, vt poſſibiles, non poſſunt in diuina eſſentia , & omnipotentia , aut ex vi illarum cognoſci , creaturarum cognitio ad eſſentiæ , & omnipotentiæ comprehenſionem neceſſaria non erit.

Quarto rejicitur ; nam ſequitur Deum, ſe ipſum non comprehendere conſequens eſt contra fidem : ergo ratio ; qua P. Vazquez contra nititur eſt nulla. Probatur ſequela ; ſequitur Deum ſe ipſum cognoſcendo non cognoſcere in ſe ipſo , & ex ſe ipſo creaturas omnes poſſibiles ; ſed ob hanc cauſam , inquit Vazquez , non comprehendi à beatis ; ergo ob eandem fateri debet Deum , ſe ipſum non comprehendere. Patet ſequela ; ex eo beati in diuina eſſentia , & ex illa non cognoſcunt creaturas poſſibiles, quia cauſa abſoluta ab ordine tranſcendentali ad effectum, nequit eſſe medium *in quo* , vel *ex quo* cognitionis alius ; ſed hoc , tam probat reſpectu intellectionis diuinæ, quam reſpectu intellectionis creatæ : ergo ex ratione facta, neceſſario ſequitur Deum in ſe ipſo , & ex ſe non cognoſcere creaturas. Probo minorem , quod obiectum non habet ex ſe , nulli poteſt intelligentia præſtare , ſiue infinitum ſit , ſiue finitum : ergo ſi diuina eſſentia , quæ abſoluta eſt ab omni reſpectu ad creaturas , non continet illas intelligibiliter per modum obiecti cogniti , & ob hanc cauſam , non repræſentat illas , vt medium *in quo* , vel *ex quo* intellectioni finitæ , pariter nec infinitæ illas , vt ſic repræſentat ; & conſequenter infinita Dei intellectio non cognoſcet illas in diuina eſſentia , vt cognita. 21 *Quarto.*

Et augetur difficultas ; quia nemque voluntas creata per modum actus primi non continet proprios actus in eſſe intelligibili reſpectu intellectus ipſam comprehendentis , inſtituunt Theologi contra Molinam communiter , nec illos poſſe intelligibiliter continere reſpectu intellectus diuini, vt ſuper comprehendentis voluntatem creatam , ita vt in illa , vt in actu primo cognita, Deus poſſit actus liberos , vt futuros cognoſcere : ergo ſi diuina eſſentia non continet intelligibiliter per modum obiecti cogniti effectus ab ipſa cauſabiles , non ſolum intellectus creatus , ſed nec etiam intellectus diuinus poterit in Dei eſſentia cognoſcere creaturas poſſibiles. 22 *Confirmatur.*

Reſpondebis primo ex Vazquio vbi *ſupra cap.4. num. 48.* quod licet diuina cognitio non habeat terminari ad creaturas ex vi diuinæ eſſentiæ per modum obiecti cogniti ; habet tamen hoc ex vi ſua , & quia Dei eſt ſubiectiuè , quæ , nempè, cum infinita cognitio ſit , & ipſiſſima Dei eſſentia , non ſolum terminatur ad Deum , ſed etiam ad omne extrinſecum , quod Deo poteſt attribui. Quam doctrinam repetit , & amplius explicat *diſput.60. cap.4. ad finem* . Vel ſecundo reſpondebis cum Alarcon vbi *ſupra* , quod licet diuina intellectio non habeat terminari ad creaturas ex diuina eſſentia , & ratione illius per modum obiecti cogniti terminatur tamen ad illas , ex vi eſſentiæ diuinæ , tanquam obiecti formalis ; quia namque diuina eſſentia eſt formale obiectum intellectus diuini , ratione cuius creaturas cognoſcit , poteſt diuina intellectio ratione diuinæ eſſentiæ , tanquam obiecti formalis , ad creaturas omnes terminari , & hoc ad illius comprehenſionem à diuino intellectu ſufficere. 23 *Reſpondebis primo.* *Reſpondebis 2.*

Sed neutra ſolutio ſatisfacit , & contra primam facit ; Tùm, quia id, quod conuenit cognitioni ex vi ſua, & non ex vi obiecti cogniti , eſto poſſit ad ſupercomprehenſionem conducere , non tamen poteſt ad comprehenſionem exigi , ad quam ſolum petitur terminatio cognitionis ad illa , quæ ex vi obiecti poſſunt cognoſci : ergo ſi diuina cognitio, non ex vi eſſentiæ diuinæ per modum obiecti cogniti , ſed ex vi ſua formali petit terminari ad creaturas , non habebit rationem comprehenſionis ex terminatione ad illas formali, vel radicali. Tùm etiam ; nam infinitas hæc cognitionis, vel petitur à diuina eſſentia, vt obiecto cognoſcibili, vel non petitur ab illa ; ſi primum ; ergo Deus ad ſui comprehenſionem petit modum infinitum cognitionis contra id ; quod Vazquez docuerat *diſp.53. cap.2.* Si ſecundum ; ergo ad Dei comprehenſionem impertinenter ſe habet infinitas cognitionis , & quod ad illam conſequitur , nempè , terminatio ad omnes creaturas poſſibiles ; cum competat cognitioni diuinæ , quaſi ex bonitate intelligentis ; non vero ex obiecti meritis ; perfectio autem ex parte ſolius cognitionis ſe tenens , ad compre- 24 *Prima ſolutio rejicitur.* *Secundo.*

prehenſionem non conducit, vt tenet prædictus Auctor *cap. 2. citato numero 9.*

25 *Tertio.* Tùm denique; nam ſi ſemel Dei cognitio habet ex vi ſua terminari ad Dei eſſentiam; & ſimul ad omnes creaturas, poterit perfectio iſta participari à cognitione creata, ſaltem quoad terminationem ad aliquas: ergo tunc reſtat Auctori, quem impugnamus, rationem reddere, cur nequeat participari quoad terminationem ad omnes; ita vt pertingat ad gradum comprehenſionis diuinæ. Antecedens oſtenditur. Tùm, quia nulla eſt ratio impoſſibilitatis in hac participatione. Tùm etiam; nam diuina cognitio habet ex vi ſua terminari ad Dei eſſentiam, adæquatè cognoſcendam, & ſimul ad omnes creaturas, & vtrumque illi conuenit ratione ſuæ infinitatis, & ſupremæ actualitatis; ſed hoc non obſtante, poteſt ſub terminatione ad eſſentiam participari à cognitione finita: ergo pariter obſtare non poterit, quod ratione ſuæ infinitatis terminetur ad omnes creaturas, quin à cognitione finita participari poſſit ſub terminationi ad aliquas, ita vt talis cognitio habeat ex vi ſua formali, etſi non ratione connexionis diuinæ eſſentiæ per modum obiecti cogniti, quod non ſolum terminetur ad Deum, ſed etiam ad aliquas cognoſcendas creaturas.

26 *Secunda ſolutio reijcitur.* Et ex hac ratione reijcitur ſecunda ſolutio; nam ſi diuina eſſentia per modum obiecti formalis, etſi non per modum obiecti *vt quod* cogniti, poteſt eſſe ratio cognitioni diuinæ, terminationis ad omnes creaturas: ergo etiam eſſe poterit ratio per modum obiecti formalis cognitioni creatæ, terminationis ad aliquas. Cur ergo non poterit eſſe ratio terminationis ad omnes, quin ad infinitatem, & ad rationem comprehenſionis pertingat? Quod amplius *Confirmatur 1.* vrgeri poteſt; etenim diuina eſſentia eſt ratio obiectiua formalis reſpectu cognitionis diuinæ, & terminationis ad Deum, & terminationis ad creaturas, ſed poteſt participari diuina, & increata cognitio à cognitione creata, prout terminatur ad diuinam eſſentiam, vt eſt ratio cognoſcendi Deum: ergo poterit etiam ab illa participari, prout terminatur ad diuinam eſſentiam, vt eſt ratio obiectiua formalis cognoſcendi creaturas; & conſequenter poterit viſio creata ratione diuinæ eſſentiæ per modum obiecti formalis aliquas creaturas cognoſcere. Et tunc reſtabit huic Auctori rationem reddere, cur nequat cognitio creata ratione diuinæ eſſentiæ per modum obiecti formalis terminari ad omnes creaturas, vt comprehenſio diuinæ eſſentiæ non ſit.

27 *Confirmatur 2.* Et augetur difficultas; quia namque diuina eſſentia eſt abſoluta ab omni ordine ad creaturas, & ob hanc cauſam nequit eſſe medium *in quo* per modum obiecti cogniti ad creaturas terminetur, nequit etiam reſpectu cognitionis diuinæ eſſe medium *in quo* per modum obiecti cogniti terminetur ad creaturas, vt cum Patre Vazquio fatetur Auctor huius ſolutionis: ergo è contra, ſi negatione traſcendentalis ordinis non obſtante, poteſt eſſe cognitioni diuinæ ratio per modum obiecti formalis terminationis ad creaturas; etiam eſſe poterit reſpectu cognitionis creatæ ratio obiectiua formalis tranſitus, vel terminationis ad creaturas, quamuis abſoluta ſit ab omni reſpectu ad illas.

28 *Fundamentū P. Suarez proponitur.* Pater Suarez *diſp. citata* proximus ad veritatem accedens hanc rationem ducitur, vt probet incomprehenſibilitatem diuinam. Tunc enim comprehenditur obiectum, cum adæquatè extenſiuè cognoſcitur, ideſt, non ſolum quoad illa, quæ ipſi competunt formaliter, ſed etiam quantum ad omnia, quæ in illo eminenter continentur, ſed licet intellectus animæ Chriſti, & intellectus cuiuſcumque beati videant diuinam eſſentiam, quoad omnia prædicata formalia; non tamen vident, nec videre poſſunt omnia, quæ in diuina eſſentia eminenter continentur: ergo nullus intellectus creatus poteſt Dei eſſentiam comprehendere. Maiorem multis probat vbi *ſupra ſect. 1. concl. 3.* quæ inferius examinabimus. Minorem *ſect. 3. dicto 1. propè finem*, in hunc modum oſtendit; etenim cognitio finita quoad eſſentiam, non poteſt adæquari cum obiecto infinitè cognoſcibili. Tùm quia id docent Sancti Patres, non alia ratione vtentes, vt probent Deum à nobis comprehendi non poſſe, niſi quia finitum non poteſt cum infinito adæquari. Tùm etiam; quia omnes Theologi, nō alia ratione probant Deum non poſſe à creatura comprehendi, niſi quia finita eſt, Deum autem infinitus. Tùm tertio; quia ex ipſis terminis conſtat inter finitum, & infinitum adæquationem eſſe non poſſe. Tùm denique nam quantitas finita, cum infinita adæquari non poteſt; & conſequenter nec cognitio finita cum obiecto infinitè cognoſcibili, ſed omnis cognitio poſſibilis intellectus creati eſt finita quoad eſſentiam: ergo nequit adæquare repræſentabilitatem diuinam; & conſequenter non poteſt Deum cognoſcere, quoad omnia, quæ formaliter, & eminenter continet. Patet hæc ſecunda conſequentia, quia repræſentatio Dei quoad omnia, quæ in ipſo eminenter continentur, eſt repræſentatio adæquans illius repræſentabilitatem.

29 *Cōfirmat.* Quod amplius confirmat; plus enim diſtat omnis viſio creata poſſibilis à Deo, vt repræſentabili, quam diſtet viſio ab inferiori Angelo elicita, ab Angelo ſuperiori; ſed Angelus inferior non poteſt ſuperiorem comprehendere tali viſione, non ſolum ex defectu intenſionis, & claritatis ſed etiam, quia non poteſt totum illud obiectum diſtinctè ex parte obiecti intra ſe capere, eo quod obiecti cognoſcibilitas ſuperat cognoſcentis capacitatem: ergo nec viſio creata poſſibilis, quoad eſſentiam finita, poteſt ex parte obiecti diſtinctè, & clarè cognoſcere Dei eſſentiam, quoad ea, quæ formaliter importat, & quæ continet eminenter. Quem modum dicendi tenet Magiſter Ledeſma *de diuina perfectione q. 8. art. 9.* & alij Recentiores ex noſtris. *M. Ledeſ.*

30 *Reijcitur primò.* Hic tamen modus dicendi deficit primo; quia vt *§. ſequenti* videbimus, D. Thom. ad rei comprehenſionem, adæquatione intenſiua expoſcit: ergo ex ſola adæquatione extenſiua, non ſequitur comprehenſio. Secundo; *Secundo.* quia Deum eſſe incomprehenſibilem ab intellectu creato, *Suar.* eſt de fide, vt docet Suarez vbi *ſupra ſect. 2.* eſtque non minus demonſtrabile, quam illius omnipotentia, immenſitas, & infinitas ſed quod non poſſit ab intellectu creato adæquatè extenſiuè cognoſci, ideſt, quoad omnia, quæ ipſi conueniunt formaliter, & in ſe eminenter continet, ad fidei dogma non pertinet, nec euidenter eſt demonſtrabile, ſed tantum eſt opinio Theologica, & probabilior, vt docet idem Suarez *ſect. 3. ſub finem 1.* ergo non rectè ad impoſſibilitatem adæquationis extenſiuæ intellectionis creatæ, cum Deo, recurrit, vt probet incomprehenſibilitatem diuinam.

31 *Tertio.* Tertio; nam ſi per impoſſibile, non eſſet poſſibilis, niſi vna tantum ſpecies naturæ intellectualis, v. c. ſpecies Gabrielis, vel ſpecies humana, adhuc Deus eſſet incomprehenſibilis ab intellectu creato; cum adhuc perſeueraret fundamentum illius, nempè, infinita intelligibilitas Dei, & limitatio actiuitatis, vel intellectualitatis actionis creatæ; & tamen tunc caſus poſſet Deus à creatura adæquatè extenſiuè cognoſci, ideſt, quoad prædicata formalia, & quoad ea, quæ eminentialiter contineret; nam poſſet videri Deus; & conſequenter quoad omnia, quæ formaliter contineret, cognoſci; cum viſio præciſiua inter formalia prædicata non ſit, & creatura illa ſe, vt poſſibilem in diuina eſſentia cognoſceret, ſicut modo ſe cognoſcit: ergo extenſiua tantum adæquatio ad comprehenſionem Dei non ſufficit, niſi ea illa, intenſiua etiam adæquatio inferatur, quod an verum ſit infra examinabimus.

32 *Quarto.* Quarto; quia vt docet Suarez *ſect. 4. ſub finem 2.* de facto ab intellectu creato Chriſti videntur in Verbo infinita per lumen finitum, & per finitam viſionem: ergo iam poteſt finitum cum infinito adæquari extenſiuè; ac proinde ineſſicaciter probat, nullam viſionem creatam, quia finita eſt, quoad eſſentiam poſſe cum infinita Dei intelligibilitate extenſiuè adæquari.

33 *Confirmatur.* Quod amplius confirmo; nam ideo poſſunt infinita videri in Verbo, per finitam cognitionem, quia finito modo videntur, vt docet Suarez ſoluens argumentum Scoti: ergo vt probet non poſſe in Verbo omnia poſſibilia cognoſci per cognitionem quoad eſſentiam finitam, debet oſtendere cognitionem omnium poſſibilium in Verbo exigere modum quoad eſſentiam infinitum, cumque cognitio habens modum infinitum per eſſentiam, adæquetur cum diuina eſſentia intenſiuè, iam non ex impoſſibilitate adæquationis extenſiuæ cognitionis creatæ cum Deo, infertur immediate illius incomprehenſibilitas, ſed ex impoſſibilitate intenſiuæ adæquationis, vel quia ex adæquatione extenſiua colligitur intenſiua.

34 *Quinto.* Denique; nam etiam ſi principium quoad omnes concluſiones, quas continet, probabiliter cognoſcatur, non dicitur comprehendi, vt docet Suarez *ſect. 1. conc. 1.* & tamen adæquatè extenſiuè cognoſcitur: ergo ſola adæquatio extenſiua cognitionis cum obiecto, ad illius intelligibilem comprehenſionem non ſufficit.

35 *Reſpondebis.* Reſpondebis ex doctrina Suarez *loco vbi proximè*, adæquationem extenſiuam ad comprehenſionem ſufficientem,

tem, debere eſſe cum modo euidentiæ, & claritatis, quia niſi hoc ita ſit, non cognoſcitur omnis habitudo obiecti; ſi namque veritas eſt immediata, & non cognoſcitur ex vi connexionis extremorum, iam ignoratur immediata habitudo inter extrema; ſi verò mediata ſit, & non cognoſcatur ex vi medij demonſtratiui, & ſcientifice, ignoratur habitudo extremorum cum medio: vnde non poteſt iuxta hanc doctrinam aliquid adæquatè extenſiuè cognoſci, niſi clarè, & euidenter cognoſcetur.

36 *Contra.* Sed contra; nam aliud eſt habitudinem extremorum immediatam inter ſe, vel mediatam, euidenter non cognoſci, aliud verò penitus ignorari: primum verum eſt; ſecundum autem eſt falſum; nam tales habitudines cognoſcuntur probabiliter a cognoſcente per actum opinatiuum, principium, & concluſiones omnes in illo contentas: ergo cognoſcens iſto modo opinatiuè principium, adæquatur eum illo extenſiuè. Conſequentia patet; nam adæquatio extenſiua eſt, quæ omnia in aliquo cognoſcibili cognoſcit, etſi non eo modo, quo petunt ex ſua merito cognoſci: ergo ſi nulla habitudo, aut veritas obiecti eſt, quæ probabiliter non cognoſcatur, interuenit adæquatio extenſiua. Antecedens autem probatur, & explicatur; nam habitudo, quæ eſt inter hominem, & animal rationale, & habitudo, quæ inter animal rationale, & primam hominis paſſionem verſatur, quæ ſunt habitudines immediatæ, poſſunt cognoſci euidenter, & probabiliter, quin ex parte habitudinem cognitarum diuerſitas intercedat, ſed ſolum eſt medio, & modo cognoſcendi: & ſimiliter habitudo, quæ inter diffinitionem hominis, & ſecundam, tertiam, & alias proprietates verſatur, poteſt euidenter, & probabiliter cognoſci, ſine diuerſitate in habitudinibus cognitis, ſed tantum in medio, & modo cognoſcendi, quia nempè, cognoſcens euidenter, vtitur medio euidenter cognitio, cognoſcens autem probabiliter, vel vtitur medio tantum contingenter, ſeu probabiliter cum habitudine cognita connexo, vel medio neceſſario connexo, non euidenter, ſed probabiliter cognitio: ergo nulla eſt formalitas, aut veritas in principio, quæ penitus ignoretur ab eo, qui probabiliter omnes concluſiones in principio aliquo contentas cognoſcit, tametſi ab illo euidenter non cognoſcantur; & conſequenter adæquatè extenſiuè tale principium ab opinante cognoſcitur: non ergo ſufficit adæquatio extenſiua ad rei comprehenſionem.

37 *Confirmatur.* Quod amplius confirmari poteſt nam iuxta D. Thom. 3. *Contra Gentes cap.* 55. *in fine*, cognoſcens opinatiuè concluſionem demonſtrabilem, non dicitur illam comprehendere; & tamen in illa, nulla eſt pars, ſeu veritas cognoſcibilis, ab opinante non cognita: ergo ſtat cum adæquatione extenſiua negatio comprehenſionis ex defectu adæquationis in modo cognitionis, cum modo cognoſcibilitatis obiecti.

§. II.

Traditur vera ratio incomprehenſibilitatis diuinæ.

38 *Vera concluſionis ratio traditur, & defenditur.* Relictis his modis dicendi, & alijs rationibus parum efficacibus, vera ratio noſtræ concluſionis ſumitur ex D. Thom. *locis vbi ſupra citatis*. Tunc enim aliquid comprehenditur, quando ita perfectè cognoſcitur, ſicut cognoſcibile eſt, non ſolum ex parte obiecti, ſed etiam ex parte modi cognoſcendi; ſed licet totus Deus à Beatis videatur, non tamen videtur, nec videri, vel cognoſci poteſt, ita perfectè, ſicut ex ſuis meritis petit cognoſci ex parte modi cognoſcendi: ergo non comprehenditur, nec comprehendi poteſt ab intellectu creato, vel creabili; & conſequenter intellectus animæ Chriſti, nec comprehendit de facto, nec poteſt de potentia abſoluta Dei eſſentiam comprehendere. Secunda conſequentia ex prima euidenter colligitur; nam intellectus Chriſti creatus eiuſdem rationis eſt cum noſtro, & omne lumen, quo poteſt actuari, & perfici, finitum eſt quoad eſſentiam, & finitæ cognitionis principium: ergo ſi intellectus noſter, nec alius intellectus creatus Dei eſſentiam comprehendere poteſt, quia creatus eſt, & creato tantum lumine actuabilis, pariter nec intellectus Chriſti creatus Dei eſſentiam poterit comprehendere. Prima ex præmiſſis non minus euidenter infertur; præmiſſæ autem indigent probatione.

Minor oſtenditur primo; nam tunc aliquid cognoſcitur quantum cognoſcibile eſt quoad modum cognitionis, quando modus obiecti, eſt modus cognoſcentis, vt explicat D. Tho. 1. p. q. 12. *art. 7. ad 3.* ſed implicat modū diuinæ eſſentiæ, vt cognoſcibilis, eſſe modum intellectus creati cognoſcentis: ergo implicat intellectum creatum cognoſcere diuinam eſſentiam in quantum cognoſcibilis eſt ex parte modi cognitionis. 39 *Minor probatur 1. S. Thom.*

Secundo; nam Deus cum ſit infinitæ actualitatis, & immaterialitatis infinitæ, eſt etiam infinitæ intelligibilitatis; hæc namque ad immaterialitatem conſequitur, & cum illa commenſuratur; ſed nulla cognitio intellectus creato poſſibilis, poteſt eſſe infinita per eſſentiam, cum operatio commenſuretur virtuti principij elicientis, omnis autem virtus intellectiui creato poſſibilis; quoad eſſentiam ſit finita: ergo nullus intellectus creatus poteſt Dei eſſentiam cognoſcere, quantum cognoſcibilis eſt ex parte modi cognoſcendi. *Secundo.*

Tertio; nam modus cognitionis diuinæ, non excedit, ſed tantum adæquat modum cognoſcibilitatis Dei; ſed nulla intellectio poſſibilis intellectui creato poteſt adæquare modum, euidentiam, & claritatem diuinæ cognitionis, vt per ſe eſt manifeſtum, ſicut manifeſtum eſt non poſſe adæquare illius actualitatem, & immaterialitatem: ergo nec poteſt adæquare modum intelligibilitatis paſſiuæ diuinæ. 40 *Tertio.* Denique probatur; quia namque diuinæ cognoſcibilitas, fundatur in ſumma actualitate, quæ nulli creaturæ poteſt communicari, non eſt dabilis creatura, cuius paſſiua intelligibilitas adæquatur, ſeu commenſuretur cum paſſiua intelligibilitate Dei, ſed etiam actiua intellectualitas immaterialitatem conſequitur, & ſuper illam fundatur, nulla que virtus actiua, vel actualis cognitio creata poteſt eſſe immaterialitatis infinitæ per eſſentiam: ergo non eſt dabilis creata cognitio, cuius modus adæquatus cum modo cognoſcibilitatis diuinæ. *Quarto.*

Deinde, maior, in qua præcipue eſt poſita difficultas, oſtenditur primo, ex Gregorio *lib. 2. Moralium cap. 28.* illis verbis: *Nec tamen videbimus, ſicut videt ipſe ſe illum, longè quippè diſpariliter, videt creator ſe, quam videt creatura creatorem; nam quantum ad immenſitatem Dei quidam modus figitur contemplationis, quia eo ipſo pondere circumſcribimur, quo creatura ſumus:* Vbi vt conſtat exinde probat Gregorius Deum a creatura viſum, non comprehendi, non quia aliquid videat creator, quod creatura non videat, ſed quia diſpariliter videt, hoc eſt, modo longe diuerſo, ſcilicet, limitato, & finito orto ex eo, quod creatura eſt: ergo ex mente Gregorij ad rei comprehenſionem petitur adæquatio cognitionis ad obiectum cognoſcibile, nedum quoad rem viſam, & cognitam ſed etiam quoad modum cognoſcendi. 41 *Maior probatur 1. S. Greg.*

Secundo, ex Cyrillo Hieroſolymitano *catheche ſi 6.* vbi explicans illud Ioannis: *Deum nemo vidit vnquam* & opponens id, quod alibi ſcriptum eſt: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, &c.* reſpondet: *Vident ſanè Angeli, ſed non ita vt eſt, ſed ſecundum quod eſt, & ipſi capiunt.* Et paucis inter poſitis addit: *Solus autem Spiritus Sanctus, vt oportet videt.* Vbi clarè conſtat, hoc inter Angelos Deum videntes, & Deum ſe comprehendentem ſtatuit diſcrimen, quod Angeli vident Deum ſecundum quod eſt, non ita vt eſt, id eſt, non eo modo ex parte cognoſcentis, quem Deus habet in ſe; Spiritus autem Sanctus Deum videt, & ſecundum quod eſt, & eo modo, quo eſt; & conſequenter ſentit ad rei comprehenſionem requiri, quod modus cognoſcentis adæquetur, & commenſuretur cum modo rei cognitæ. 42 *Secundo S. Cyril.*

Tertio probant maiorem quidam Recentiores ex Fulgentio *lib. ad Ferrandum Diaconum reſp. 5.* illis verbis; *Quia anima non nouit Deitatem, ita vt ipſa Deitas ſit, Deitatem non comprehendit.* Hæc tamen verba falſo imponuntur Fulgentio; licet enim dicat Deitatem ita noſſe ſe ipſam, ita vt inuenit, ſe eſſe, quod nouit; animæ verò Chriſti, ita noſcit Deitatem, vt Deitas non ſit: hoc tamen non dat pro cauſa incomprehenſibilitatis Dei ab anima Chriſti Domini, ſed vt totam noſceret Deitatem, Deitatem tamen non eſſe. Vnde reiecta iſta probatione, vt falſæ impoſitioni innitente, ſuadenda eſt tertio, maior argumentis facti. Non enim minus pertinet ad dignitatem obiecti in quantum eſt cognoſcibile, modus ſuæ cognoſcibilitatis, & cognitione, qua ex proprijs meritis petit co- 43 *Tertio probant maiorē quidā Recētiores falſè ſcitis innitentes fundamentis.* *Tertio probatur maior.*

cognoſci, quam ea, quæ in ipſo, & ex ipſo poſſunt cognoſci; ſed non ſtat rei comprehenſio, ſi in ipſa non cognoſcantur omnia, quæ ex vi cognitionis illius poſſunt cognoſci: ergo nec ſine adæquatione ad modum cognoſcibilitatis eiuſdem.

44 *Quarto.* Denique probatur: concluſio enim demonſtrabilis, quæ petit cognoſci modo demonſtratiuo, non comprehenditur, ſi opinatiuè tantum cognoſcatur, etſi nulla pars illius ab opinante ignoretur: ergo ad rei comprehenſionem exigitur commenſuratio, ſiue adæquatio, nedum quoad formalitates, & prædicata cognita verum etiam quoad modum ſuæ cognoſcibilitatis, id eſt, quod cognoſcatur eo modo, quo ex propria natura petit cognoſci. *Confirmatur.* Et augetur difficultas; plus enim diſtat modus infinitæ cognitionis, à modo cognitionis finitæ, quam modus demonſtratiuus à modo opinatiuo, & probabili; ſed cognoſcibile demonſtratiuè, & euidenter, non comprehenditur à cognoſcente illud opinatiuè; ergo cognoſcibile ex propria natura modo infinito, non poteſt comprehendi à cognoſcente illud per finitam, limitatamque cognitionem. Qua ratione vſi ſunt ad ſaluandam incomprehenſibilitatem diuinam, Capreolus, Sotus, Ferrara, Caietanus, & frequenter Recentiores Thomiſtæ, locis *ubi ſupra relatis*. *Capreol. Sotus. Ferrara. Caietan. Bonau. Ricard. Scotus. Durand. Molina. Herice.* Bonauentura in 3. *diſt.* 14. *art.* 1. *q.* 2. Ricardus *art.* 1. *qu.* 4. Scotus 1. §. *ad ſecundum argumentum in ſolutione ſecundæ probationis.* Durandus q. 1. n. 10. ex Patribus Societatis, Molina, & Herice, locis *ubi ſupra relatis*, & alij Recentiores frequentius.

45 *Reſpondebis primo.* Reſpondebis primo, prætermiſſa argumenti maiori, negando minorem; nam licet omne lumen, quo poteſt intellectus creatus ad Dei eſſentiam videndam eleuari, ſit quoad eſſentiam finitum, poteſt tamen eſſe infinitæ intenſionis; cum ſententia docens, non repugnare qualitatem intenſionis infinitæ, probabilis ſit; ac proinde erit poſſibilis viſio Dei infinitæ intenſionis, quam dicere, non eſt cur non dicatur ad Dei comprehenſionem ſufficere, maximè, cum D. Thom. eadem probet, non poſſe intellectum creatum Dei eſſentiam comprehendere, quia lumen eleuans intellectum creatum ad diuinam eſſentiam videndam, finitum, & limitatum eſt, vtpotè in ſubſtantia finita receptum.

46 *Contra.* Sed contra; nam eſto admittatur gratia poſſibilitas, ſeu non implicatio luminis infinitè intenſi; hoc tamen lumen non adæquaret modum cognoſcibilitatis diuinæ: ergo nec viſio mediante hoc lumine elicita, adæquaretur cum illo; & conſequenter comprehenſio diuinæ eſſentiæ eſſe non poſſet. Probatur antecedens. Modus cognoſcibilitatis diuinæ eſt infinitus per eſſentiam; & conſequenter petit cognitionem per eſſentiam infinitam; ſed lumen infinitæ intenſionis, infinitum quoad eſſentiam non eſſet; nullus enim, quantumuis inſanæ mentis, poſſibilitatem infiniti per eſſentiam extra Deum poteſt admittere, cum omne, quod Deus non eſt, ſit creatura; & conſequenter habens eſſe, non à ſe, in quo infinitum per eſſentiam conſiſtit, ſed ab alio, per quod creatura ab ente per eſſentiam diſtinguitur: ergo lumen infinitè intenſionis non adæquaret modum cognoſcibilitatis diuinæ. *Vnde reijciendus venit Recentior quidam ex Noſtris, aſſerens, hæreticum eſſe affirmare poſſibilitatem luminis infinitæ intenſionis, eo quod ex eius poſſibilitate ſequitur, diuinam eſſentiam poſſe comprehendi:* nec D. Tho. loquitur de lumine finito quoad intenſionem, ſed de lumine quoad eſſentiam finito, cum docet cognitionem creatam, non poſſe Dei eſſentiam comprehendere, quia lumen dans intellectui virtutem, cum quo viſio elicita commenſuratur, finitum, & limitatum eſt; nam licet in ſententia D. Thom. lumen infinitæ intenſionis repugnet, vt vidimus *Tractatu de Gratia Christi*: hac tamen repugnantia ad præſens intentum probandum non indiget.

47 *Reſpondebis 2.* Reſpondebis ſecundo, etiam negando minorem; nam licet lumen eleuans intellectum creatum ad diuinæ eſſentiæ viſionem, finitum, & limitatum ſit; eſſentia tamen diuina, quæ per modum ſpeciei cum intellectu creato, vt principium *quo* formale reſpectu viſionis beatificæ concurrit, eſt infinita per eſſentiam, & non cum lumine intellectum eleuante, ſed cum ſpecie, vt principio formali concurrente, eſt commenſuranda viſio. *Contra primo.* Sed contra primo; nam eſto diuina eſſentia concurrens per modum ſpeciei, ſit infinita per eſſentiam, viſio à beatis elicita finita, & limitata eſt: ergo non adæquat in modo modum cognoſcibilitatis diuinæ. *Secundo.* Secundo ex D. Thom. 3. *contra gentes cap.* 55. *ratione* 3. *Agens enim in tantum perfectè agit, in quantum perfectè participat formam, quæ eſt agendi principium.* Sed diuina eſſentia, quæ vnita per modum ſpeciei ad intellectum beati, eſt principiū formale agendi nō participatur ab intellectu creato perfectè, id eſt, ſecundum totum poſſe, ſed imperfectè, id eſt, modo limitato, & finito propter luminis limitationem; ergo intellectus per illam non elicit viſionem beatificam, Dei intelligibilitatem adæquantem, nec ita perfectè diuinam eſſentiam videt, ſicut viſibilis eſt.

48 *Reſp.* 3. Reſpondebis tertio negando maiorem. Ad cuius vltimam probationem, conceſſo antecedenti, conſequentiam negabis; nam ad rei comprehenſionem ſequitur euidentia, & claritas cognitionis, eo quod ſi veritas eſt immediata, & non cognoſceretur ex vi connexionis extremorum, neceſſe eſſet habitudinem propriam, quæ inter talia extrema inuenitur à cognoſcente ignorari, nam ſi illam cognoſceret, videret, quo vinculo inter ſe coniungerentur; ſi autem illa habitudo ignoratur, obiectum non comprehenditur, quia iam aliquid illius cognoſcentem lateret & ſimiliter ſi veritas ſit mediata, cognoſcibilis per medium demonſtratiuum, & per tale medium non cognoſcatur, neceſſe eſt, quod ignoretur habitudo extremorum cum medio; ac proinde, quod cognoſcentem, aliquid obiecti lateat, quod comprehenſioni repugnat. Non ſic in cognitione finita reſpectu rei infinitè cognoſcibilis, per quam omnia tam formalia, quam eminentialia cognoſcuntur; nulla enim eſt in tali obiecto habitudo, quæ ſic cognoſcentem lateat; ac proindè etſi ita modo non adæquet obiecti cognoſcibilitatem, ipſum tamen comprehendit. Ita Suarez *ſect.* 1. *concluſ.* 1. ex cuius doctrina habetur non ideo cognoſcentem probabiliter concluſionem demonſtrabilem, illam non comprehendere, quia illam non adæquat intenſiuè, & in modo cognoſcendi, ſed quia nec etiam extenſiuè illam adæquat.

49 *Contra primo.* Sed contra primo; nam iuxta D. Thom. 3. *contra gentes cap.* 55. ad finem nulla eſt pars in propoſitione demonſtrabili, quæ ab opinante non cognoſcatur, & nihil eſt in illa, quod opinans non cognoſcet, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 7. *ad* 1. ſed ſi aliqua habitudo illius ignoraretur ab illam cognoſcente opinatiuè, iam aliqua illius pars, & aliquid illius opinantem lateret: ergo cognoſcens aliquam propoſitionem demonſtrabilem, opinatiuè, nullam illius habitudinem ignorat.

Secundo. Secundo; nam habitudo immediata, & mediata ſunt cognoſcibiles euidenter, & opinatiuè, v. g. habitudo, quæ inuenitur inter prædicatum, & ſubiectum huius propoſitionis: *Animal rationale eſt intellectiuum proximè*, quæ eſt habitudo immediata poteſt cognoſci euidenter ex vi ipſorum extremorum, & poteſt probabiliter cognoſci, ſi ex vi medij opinatiui attingatur, & idem eſt de habitudine mediata inter prædicatum, & ſubiectum cuiuſuis propoſitionis dicendum: ergo licet opinatiuè aliquam propoſitionem cognoſcens, non cognoſcat euidenter omnem eius habitudinem, nullam tamen habitudinem ignorat.

50 *Tertio.* Tertio, & explicatur magis hoc ipſum, eadem prædicata, omneſque formalitates, quæ per lumen gloriæ euidenter cognoſcuntur de Deo, obſcurè cognoſcuntur per fidem: ergo & omnes habitudines; & conſequenter idem de opinatiuè cognoſcente eſt dicendum, quod ſcilicet, nulla ſit habitudo, ſiue mediata, ſiue immediata in obiecto, aut in propoſitione cognita, quam opinans nequeat cognoſcere. Probatur antecedens, nullum eſt prædicatum in Deo, nullaque inter prædicata habitudo, quæ non poſſit reuelari, & vt reuelata proponi; ſed omni quod reuelationi Diuinæ poteſt ſubeſſe, & vt reuelatum proponi, poteſt fidei aſſenſum, & obſcuram cognitionem terminare: ergo nullum eſt prædicatum in Deo, nulla formalitas, nullaque inter prædicata habitudo clarè cognita medio lumine gloriæ, quæ non poſſit obſcurè per fidem cognoſci.

51 *Reſpond. quarta.* Denique reſponderi poteſt, argumento facto ſolum probari, non poſſe Deum ab intellectu creato comprehendi per intellectionem creatam elicitiuè ab ipſo egredientem; hæc namque commenſurari debet virtuti eleuanti, quæ finita eſt; ac proinde debet eſſe finita, & non adæquans cognoſcibilitatem diuinam, quæ eſt infinita per eſſentiam: non autem conuinci, non poſſe Deum ab intellectu creato comprehendi per intellectionem increatam ſibi vnitam, ipſumque conſtituentē intelligentem, quod eſſe de potentia abſolute poſſibile plures fatentur, & ſaltim de fide non eſt, quod contradictionem inuoluat; cum namque increata Dei cognitio intellectui creato vnita, a

inſi-

infinitæ ſit actualitatis, Deique cognoſcibilitatem adæquans, & aliunde ab intellectu creato non procedat, non eſt cur lumini eleuanti proportionanda ſit, nec cur intellectum creatum, Deum comprehendentem non conſtituat.

52 Contra 1. Sed contra primo; nam eſto diuina eſſentia in ratione ſpeciei ſit repræſentatiua Dei comprehenſiue, Deoque ſuam eſſentiam comprehenſiue repræſentet, vnita vero, vt de facto vnitur intellectui creato, non repræſentat Deum comprehenſiue, propter limitationem intellectus creati, cui vnitur: ergo pariter quamuis diuina cognitio ſit comprehenſiua Dei in ratione cognitionis, Deumque non ſolum ſe intelligentem, ſed etiam ſe comprehendentem conſtituat, vnita tamen intellectui creato non conſtituit ipſum, comprehendentem Deum ob ſui limitationem.

Secunda. Secundo, & explicatur magis hoc ipſum; eſto diuinæ eſſentia ſub munere, & conceptu ſpeciei ſit indiuiſibilis, & partibus careat, poteſt tamen intellectui creato, non adæquate, ſed inadæquate vniri, & non omnia, quæ poteſt, ſed aliqua repræſentare: ergo pariter quamuis diuina intellectio ſub ratione intellectionis ſit omnino indiuiſibilis, & partes non habeat, ſitque intellectui creato in ratione, & munere intellectionis vnibilis, poterit illi non adæquate, ſed inadæquate vniri; & conſequenter non comprehendentem Deum, ſed tantum quidditatiuè ipſum intelligentem conſtituere.

53 Tertiò. Tertio; non minus eſt diuina eſſentia ſub munere Verbi comprehenſiua ſui, quam ſub ratione intellectionis; & tamen de facto vnitur mentibus beatorum, vt Verbum, quin vniatur illis comprehenſiue, ſed tantum quidditatiuè: ergo pariter quamuis diuina intellectio, Dei comprehenſio ſit, intellectuique creato vnibilis, poterit illi vniri ſub ratione cognitionis quidditatiuæ, & non ſub ratione cognitionis comprehenſiuæ.

Quarto. Quarto; nam ad rei comprehenſionem non ſufficit, quod cognitio in ſe accepta adæquet eius cognoſcibilitatem, ſed inſuper eſt neceſſarium, quod modus cognoſcentis adæquet modum cognoſcibilitatis obiecti, ita vt ſi obiectum ſit infinite cognoſcibile, cognoſcatur modo infinito, vt patet ex dictis; ſed dato illo caſu impoſſibili, adhuc modus cognoſcentis non adæquaret modum cognoſcibilitatis obiecti: ergo adhuc illo admiſſo, non comprehenderetur Deus ab intellectu creato. Probo minorem: etſi cognitio tunc caſus infinita eſſet, non tamen infinito, ſed finito modo vniretur intellectui creato: ergo intellectus per illam, non infinito, ſed finito modo Dei eſſentiam intelligeret; & conſequenter modus intelligentis non adæquaret modum intelligibilitatis obiecti.

54 Quinta. Denique, etiam illo caſu admiſſo, intellectus creatus, vt intelligens per intellectionem diuinam, non adæquaret Deum, vt intelligentem per illam, ſed Deus, vt per ſuam intellectionem intelligens non ſe excedit in ratione intelligibilis, ſed tantum ſuam intelligibilitatem adæquat: ergo intellectus creatus, vt intelligens per intellectionem diuinam, non adæquaret Deum in ratione intelligibilis; & conſequenter ipſum non comprehenderet. Illatio cum minori tenet. Maior autem oſtenditur primo, eſto humanitas ſanctificetur eadem ſanctitate, qua Deus in ſe ſanctus eſt, non tamen adæquat Deum in ratione ſancti, vt *Tractatu de Gratia Chriſti* diximus: ergo pariter quamuis, in caſu admiſſo, intellectus creatus eadem intellectione, qua Deus redderetur intelligens, non tamen adæquaretur cum Deo in ratione intelligentis.

Etſi intellectus creatus poſſet per intellectionem increatam intelligere ad hoc Dei eſſentiam comprehendere non poſſet.

55 Secundo, ideo humanitas Deitate ſanctificata, non eſt æque ſancta, ac Deus; quia licet ſi eadem forma, Deo tamen per eſſentiam vnitur, & humanitati non per eſſentiam, ſed per gratuitam communicationem; ſed etiam in noſtro caſu intellectio increata, non per eſſentiam, ſed per liberalem communicationem conueniret intellectui creato, Deo autem conuenit per eſſentiam: ergo intellectus creatus per intellectionem increatam intelligens, non adæquaret Deum in ratione intelligentis per eandem intellectionem. Quare reiiciendi ſunt quidam Recentiores ex noſtris, docentes, de fide eſſe, intellectum creatum non poſſe per increatam intellectionem intelligere, eo quod ex oppoſito colligitur, Deum poſſe comprehendi ab intellectu creato, quod eſt contra fidem. Audiendi etiam non ſunt alij ex Patribus Societatis docentes, quod ſi intellectus creatus poſſet per intellectionem diuinam intelligere, poſſet Deum comprehendere, quod tamen falſum eſt, vt conſtat ex proxime dictis.

§. III.

Duo prima argumenta pro oppoſita ſententia diluuntur.

ARGVITVR primo; non minus infinita eſt diuina eſſentia, quoad eſſe, quam in ratione intelligibilis; 56 Arguitur 1.
hæc namque infinitas ex illa probatur; ſed non obſtante infinitate diuinæ eſſentiæ in eſſendo, poteſt comprehendi à creatura, & de facto comprehenſa fuit quoad eſſe; vt enim dicit Damaſcenus *lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 6. Tota diuinitas in vna perſonarum eſt vnita humanæ naturæ in Chriſto*, quod ſufficit ad comprehenſionem diuinitatis, quoad eſſe: ergo non obſtante infinitate Deitatis in ratione intelligibilis, poterit intelligibiliter comprehendi à creatura, & de facto fuit comprehenſa ab anima Chriſti. Damaſc.

Reſpondebis cum D. Tho. *in præſenti art. 1. ad 2.* negando minorem, quia quamuis tota diuinitas vnita fuerit humanæ naturæ in vna perſona Filij, non tamen fuit tota virtus diuinitatis ab humana natura quaſi circumſcripta. Vnde Auguſtinus *epiſtola ad Voluſianum*, ſic ait: *Scire te volo non hoc Chriſtianam habere doctrinam quod ita Deus infuſus ſit carni, vt curam gubernandæ vniuerſitatis, vel deſeruerit, vel amiſerit, vel ad illud corpuſculum quaſi contractam, collectamque tranſtulerit.* Vt autem humana natura Deitatem quoad eſſe comprehenderet, neceſſarium erat, quod totam Dei virtutem circumſcriberet. 57 Reſpondebis. S. Aug.

Sed contra; nam ex hac doctrina D. Thom. ſolum ſequitur, non fuiſſe ab humanitate comprehenſam Deitatem, quantum ad virtutem operatiuam, non autem quod comprehenſa non fuerit quoad virtutem perſonatiuam; at ex hoc quod virtus perſonatiua fuerit comprehenſa de facto, vel potuerit ab humanitate comprehendi, ſequitur de facto fuiſſe intelligibiliter comprehenſam, vel ad minus potuiſſe ſic comprehendi: ergo ſolutione data non tollitur vis argumenti. Minor eſt certa; nam etiam virtus perſonatiua eſt infinita per eſſentiam: ergo ſi hoc non obſtante, poteſt comprehendi à creatura quoad eſſe, vel perſonare, poterit non obſtante, infinitate in linea intelligibilis, & creaturæ limitatione, intelligibiliter à creatura comprehendi. Maior autem probatur: cura gubernandæ vniuerſitatis conuenit Deo, non ratione virtutis perſonatiuæ, ſed ratione virtutis operatiuæ: ergo ex eo, quod Deitas humanitati vnita, non amiſerit curam gubernandæ vniuerſitatis, tantum ſequitur non fuiſſe comprehenſam, & circumſcriptam ab humanitate virtutem eius operatiuam, non autem quod virtus perſonatiua circumſcripta, & comprehenſa ab humanitate non fuerit. 58 Contra.

Reſpondeo primo, negando maiorem; non enim poteſt vna diuina formalitas comprehendi, altera non comprehenſa; cum enim videri, altera non viſa repugnet, & minus, ſit videri, quam comprehendi: vnde ex eo quod virtus operatiua, aut gubernatiua Dei ab humanitate non fuerit comprehenſa, eo quod ab illa circumſcripta non fuit, recte infert D. Th. Deitatem etiam quoad vim perſonatiuam ab humanitate comprehenſam non fuiſſe. 59 Reſp. 1.

Vel ſecundo reſpondeo, negando etiam maiorem; nam D. Th. in ſua ſolutione loquitur de virtute Deitatis in perſonando, quæ ab humanitate circumſcripta non fuit, quia taliter perſonauit humanam Chriſti naturam, quod poteſt alijs vniri in eadem perſona, illaſque perſonare, & ideo non fuit ab humanitate Chriſti comprehenſa. Nec obſtat D. Th. referendo Auguſtini auctoritatem, loqui de virtute operatiua. Nam ex hoc non ſequitur in ſua ſolutione de eadem loqui virtute, ſed à ſimili probauit incircumſcriptionem virtutis in perſonando ex incircumſcriptione virtutis in operando; ac ſi ita argumentaretur: virtus operatiua non fuit comprehenſa ab humanitate, quia ex vnione ad illam non amiſit curam gubernationis aliorum; ſed ex vnione ad humanitatem non amiſit virtutem perſonandi alias naturas: ergo non fuit circumſcripta ab humanitate virtus perſonatiua; & conſequenter nec comprehenſa. 60 Reſp. 2.

Sed dices ad hoc, quod Deitas comprehenditur ab huma- 61

manitate in vi terminatiua, non eſt neceſſarium, quod taliter illam terminet, quod non poſſit alias terminare naturas: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Antecedens oſtenditur primo; vt enim docuimus ſupra, diuinitas in ſanctificando fuit exhauſta ab humanitate Chriſti, ex quo ſequitur fuiſſe ab illa in ratione ſanctificantis comprehenſam; & tamen taliter illam ſanctificauit, quod potuit alias ſanctificare naturas: ergo vt comprehendatur in terminando, non eſt neceſſarium taliter terminare naturam, quod non poſſit alias terminare.

Inſtabis. Antecedens probatur 1.

Secundo probatur antecedens; vis terminatiua, ſeu perſonatiua perſonalitatis diuinæ comprehenditur à natura diuina, vt perſonabili; & tamen taliter illam terminat, quod poteſt alias naturas terminare, & perſonare: ergo verum eſt antecedens.

Secundò.

62 *Tertiò.* Tertio, natura diuina quatenus perſonabilis comprehenditur ab hypoſtaſi Patris; & tamen terminata per illam manet perſonabilis per hypoſtaſim Filij, & Spiritus Sancti: ergo pariter cum vi terminandi alias naturas poterit vis terminatiua à natura terminata comprehendi.

Quartò. Denique, vt comprehendatur aliquid intelligibiliter, non eſt neceſſarium taliter ab vno intelligi, quod non poſſit intelligi ab alio, alias Deus ſe ipſum non comprehenderet, cum poſſit creaturæ intellectionem terminare, nec Angelus comprehenſiuè ſe ipſum cognoſceret: cum poſſit intelligi ab inferiori, & à ſuperiori comprehendi: ergo pariter, vt vis terminatiua, ſeu perſonatiua comprehendatur à natura perſonata, aut terminata, non eſt neceſſarium taliter illam terminare; quod alias terminare non poſſit.

63 *Confirmatur.* Et confirmabis; etiam ſi taliter terminaret humanitatem perſonalitas Verbi, quod non poſſet alias naturas terminare, non comprehenderetur Deus ab humanitate, quoad vim terminatiuam: ergo ſine neceſſitate recurrit D. Thom. ad vim terminandi alias naturas. Antecedens probatur: natura humana non terminatur à Deitate modo infinito, ſed finito, nec per conuenientiam à ſe, & per eſſentiam, ſed ab alio, & per communicationem; ſed eſt terminatiua modo infinito, & per conuenientiam à ſe, & per eſſentiam, vt conſtat in diuina natura, quam perſonalitas Verbi terminat modo infinito, illique per eſſentiam conuenit: ergo non comprehenderet vim terminatiuam perſonalitatis Verbi, ſicut intellectus creatus non comprehendit, nec comprehendere poteſt diuinam naturam, quia illam non poteſt modo per eſſentiam infinito cognoſcere.

64 *Reſpond.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, diſtinguo maiorem, fuit exhauſta ab humanitate in ſanctificando extenſiuè, nego maiorem: intenſiuè, ſubdiſtinguo maiorem in ſanctificando ad extra, concedo maiorem: in ſanctificando ad intra, vel abſolutè, nego maiorem: & concaſſa minori, nego conſequentiam: Deitas namque in ratione ſanctitatis meditari poteſt dupliciter, vel in ordine ad Deum, quem per eſſentiam infinitè ſanctificat; vel in ordine ad naturam creatam, quam poteſt infinitè ſanctificare infinitate per communicationem: primo modo inſpecta, non fuit exhauſta ab humanitate Chriſti: ſecundo modo conſiderata, fuit exhauſta intenſiuè, quia non potuit alteri naturæ maiorem, aut perfectiorem ſanctitatem conferre, non extenſiuè, eo quod taliter ſanctificauit humanitatem Chriſti, quod potuit alias naturas humanas, & Angelicas ſanctificare. Nec tamen ſequitur fuiſſe comprehenſam in ſanctificando intenſiuè, quia cum ſanctificet ad intra, & ad extra ſub eadem formalitate, non potuit comprehendi ſub vna ratione, quin comprehenderetur ſub alia.

65 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: alias naturas eminentialiter in natura diuina contentas, concedo minorem: non contentas eminenter in illa, nego minorem, & conſequentiam: quia humanitatem terminat cum vi terminandi alias naturas non contentas eminenter in illa, & hoc tollit comprehenſionem humanitatis reſpectu vis perſonatiuæ diuinæ, extenſio autem ad alias naturas terminandas, in Deitate eminenter contentas, non tollit, quin à Deitate comprehendatur. Sicut quod meritum Chriſti ad alia præmia ab incarnatione Patris diſtincta extendatur, non tollit quominus ab illa, vt præmio adæquetur, & quaſi comprehendatur, quia cætera ad quæ ſe extendit eminenter, vel æquiualenter in Patris incarnatione continentur.

66 *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur, Deitatem, vt perſonabilem comprehendi ab hypoſtaſi Patris, eo modo, quo hæc cum illa, vt terminabili adæquatur: vnde cum adæquatur cum illa intenſiuè, quia nimirum, modo infinito illam terminat, quo modo terminari petit, non tamen extenſiuè, eo quod illam ab hypoſtaſi realiter diſtinctis terminabilem relinquit; hinc fit, quod illam comprehendat in terminando intenſiuè; non autem extenſiuè. Iuxta quam doctrinam, diſtinguendo maiorem, & concedendo minorem, diſtinguo conſequens: comprehenſione intenſiua, concedo conſequentiam extenſiua, nego conſequentiam. Nec ſequitur Deitatem in terminando comprehenſam fuiſſe ab humanitate intenſiuè, quia ad hoc requirebatur, quod infinito modo per eſſentiam ab illa terminaretur, quod tamen humanitati non competit.

Ad quartam probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: & ratio diſcriminis eſt; nam comprehenſio intelligibilis non petit excluſionem alterius intelligentis idem obiectum, ſed ſi extenſiua tantum ſit, ſolum exigit, quod nihil ad obiectum pertinens, ſiue formaliter, ſiue eminenter, cognoſcentem lateat, et ſi ſit comprehenſio intenſiua, quod modus cognoſcentis, modum rei cognitæ adæquet: quod patet ex definitione comprehenſionis intellectualis, quam §. 1. adduximus, & inferius amplius explicabimus: ad comprehenſionem autem vis terminatiuæ requiritur adæquatio rei terminabilis cum illa; non autem ſtat rem terminabilem cum vi terminatiua adæquari, & quod reſtet aliud ab illa terminabile; & ideo ex eo quod vis terminatiua taliter comparetur cum vno, quod aliud poſſit terminare, illud vnum non eſt adæquatum terminabile; & conſequenter nec terminabile vim terminatiuam comprehendens. 67 *Ad quartam.*

Ad confirmationem, nego antecedens: ad illius probationem, nego maiorem; nam eo ipſo, quod ſic terminaretur humanitas à perſona Verbi, quod illius perſonalitas non poſſet alias terminare naturas in humanitate non contentas eminenter, humanitas creatura non eſſet, ſed diuina eſſentia, quæ ſola hoc poteſt præſtare; & ideo terminaretur à perſonalitate Verbi modo infinito, & per eſſentiam, non finito, & per communicationem: vnde ex comprehenſione extenſiua perſonalitatis diuinæ in perſonando, conſequitur comprehenſio intenſiua, quæ ſimpliciter eſt comprehenſio; & ideo D. Thom. ſectio in præſenti ad traditam doctrinam recurrit, vt ſolueret argumentum, cum tamen in 3. diſt. 49. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 2. aliter eidem argumento occurrerit, nimirum, ideo non comprehendi Deitatem ab humanitate quoad eſſe, quia licet nihil ſit in diuina natura, quod non ſit humanitati vnitum; non tamen adæquatur humanitas cum diuina natura; & ideo humanitas Deitatem non comprehendit. Sicut licet, nihil ſit in diuina natura, quod intellectus Beati non videat; illam tamen non comprehendit, quia totaliter illam ex parte modi non videt, id eſt, quia viſibilitas Dei modum videntis excedit. 68 *Ad confirmationem.* S. Thom.

Secundo arguitur, intellectus creatus poteſt, ſaltem per eleuationem, & de potentia abſoluta, cognoſcere omne, quod intra ſphæram eſſentialem ſui obiecti ſpecificatiui continetur, ſed Deus in ratione comprehenſibilis continetur intra ſphæram obiecti ſpecificatiui intellectus creati: ergo poteſt ab intellectu creato comprehendi. Maior eſt certa; nam potentia intellectiua adæquatur cum obiecto ſpecificatiuo; non autem adæquaretur cum illo, ſi aliquid contineretur ſub ipſo, quod à potentia, ſaltem per eleuationem, attingi non poſſet. Minor autem probatur, obiectum ſpecificatiuum intellectus creati eſt ens reale ſub ratione entis in tota ſua latitudine: ſed Deus continetur ſub ente in hac latitudine ſumpto; cum hæc ſit vera propoſitio: *Deus eſt ens*: ergo continetur ſub obiecto ſpecificatiuo intellectus creati. 69 *Secundo arguitur.*

Reſpondeo primo, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam; eſt enim ſyllogiſmus in quatuor terminis, cum comprehenſio, quæ infertur in concluſione, in nulla ex præmiſſis contineatur: vnde ex illis, vt rectè concluderetur, deberet inferri: ergo Deus vt comprehenſibilis poteſt ab intellectu creato cognoſci, & hoc verum eſt; nam ſicut alias perfectiones diuinas poteſt cognoſcere, & de facto cognoſcit intellectus creatus, ita cognoſcit Dei comprehenſibilitatem, id eſt, quod Deus à ſe ipſo comprehenſibilis eſt. Secundo reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: vt comprehenſibilis reduplicatiuè, nego maiorem ſpecificatiuè, concedo minorem: & nego conſequentiam. Ad maioris probationem, quatenus diſtinctione tradita obſtare poteſt, diſtinguo maiorem: eſt ens, vt finito modo cognoſcibile, concedo maiorem: 70 *Reſp. 1.* *Reſp. 2.*

vt co-

vt cognoſcibile modo infinito, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam Deus, vt comprehenſibilis reduplicatiuè, petit modo infinito per eſſentiam attingi: vnde non continetur ſub eo, vt finito modo cognoſcibili qualiter intellectu creatum ſpecificat.

---

§. IV.

Vltimum argumentum diluitur.

71 *Vltimo arguitur.* DENIQVE arguitur contra rationem, qua noſtram concluſionem oſtendimus; etenim ad rei comprehenſionem non petitur, quod modus cognitionis, aut cognoſcentis adæquet modum rei cognitæ, vel ſit idem cum illo, ſed ſufficit totum obiectum cognoſci, ita vt nulla eius formalitas, nihilque in illo contentum eminenter, lateat cognoſcentem: ergo ratio noſtræ concluſionis probatiua falsò nititur principio; & conſequenter eſt nulla.

Antecedens probatur 1. Antecedens oſtenditur primo ex Auguſtino *epiſtola* 112. c. 8. illis verbis: *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumſpici poſſunt*: quam diffinitionem comprehenſionis

S. Aug. ſequutus eſt Beda in illud c. Ioannis 3. *Vidimus eum ſicuti eſt*; colligiturque ex Nazianzeno *oratione* 36. n. 36.

Beda. Nazian. Chriſoſt. & ex Chriſoſtomo *homil.* 5. *de incomprehenſibili Dei natura*; tamque amplexatus eſt D. Th. *locis vbi ſupra allegatis*, iuxta quam planè intellectam, comprehenſio eſt

S. Thom. viſio rei, cuius nihil latet videntem, aut quæ non ſolum entitatem, ſed fines etiam, & extrema rei complectitur; aut denique, qua cognoſcitur tota res ipſa, & nihil eius eſt, quod non videatur; ſed cognitio attingens omnia, quæ ad obiectum pertinent, formaliter, & eminenter, huius eſt conditionis, etiam ſi modus illius, vel modus cognoſcentis non adæquet modum rei cognitæ, nec ſit idem cum illo; eſt enim cognitio, quam nihil latet, & non ſolum entitatem, ſed etiam extrema entitatis circumſpicit: ergo eſt vere comprehenſio.

72 *Secundò.* Secundo probatur antecedens: id ſufficit in cognitione, vt ſit comprehenſio ſpiritualis obiecti, quod ſufficit in quantitate, vt aliam quantitatem corporaliter comprehendat. Tùm, quia nomen comprehenſionis, ex comprehenſione corporea, fuit ad ſpiritualem translatum; & conſequenter, quod ad corpoream ſufficeret, ad ſpiritualem debet ſufficiens reputari. Tùm etiam, quia ſic comparatur ſpiritualiter repræſentatio cognitionis cum re cognita, ſicut ſuperficies concaua corporis continentis, cum ſuperficie conuexa corporis contenti; ſed corpus, cuius ſuperficies concaua, alterius conuexam continet adæquatè, ita vt nihil ſuperficiei conuexæ corporis contenti ſit extra concauam corporis continentis, verè, & propriè illud dicitur corporaliter comprehendere, etiam ſi entitas corporis continentis non adæquet entitatem corporis contenti, nec modus continentis modum corporis contenti adæquet; aurea enim ſphæra optimè poteſt à ferrea comprehendi, quamuis hæc ab illa in entitate excedatur: ergo ſimiliter cognitio, cuius repræſentatio, ita cum obiecto adæquatur, vt nihil ad obiectum pertinens, ſiuè intrinſecè, ſiuè extrinſecè non repræſentetur per illam, eſt vera, & propria talis obiecti comprehenſio, licet modus, vel entitas cognitionis, aut cognoſcentis non adæquet entitatem, aut modum obiecti cogniti.

73 *Tertiò. S. Thom.* Tertiò; nam D. Thom. *in præſenti art.* 2. & 1. p. q. 12. *art.* 8. ex cognitione omnium poſſibilium in Verbo infert, Deum fore comprehendendum; at ſi cognitio attingens omnia, quæ ad obiectum, tàm intrinſecè, quam extrinſecè ſpectant, & non adæquans in entitate, vel modo, entitatem, vel modum obiecti, non eſſet illius comprehenſio, illatio D. Th. non teneret: ergo ad rei comprehenſionem huiuſcemodi adæquatio non petitur, ſed ſufficit, quod ſit repræſentatio omnium, quæ ad obiectum ſpectant.

74 *Quartò.* Quarto; nam ex oppoſito ſequitur, nullum Angelum comprehendere ſe ipſum: conſequens eſt contra communem Theologorum ſententiam: ergo idem quod prius. Patet ſequela; cognitio, qua Angelus ſe ipſum cognoſcit, nec in modo, nec in entitate adæquat ſubſtantiam cognitam: ergo ſi requiritur adæquatio cognitionis cum obiecto in modo, & in entitate; non poterit Angelus ſe ipſum comprehendere.

Quinto; nam ſequitur, Deum ſe ipſum non comprehendere; conſequens eſt abſurdum: ergo talis adæquatio 75 *Quintò.* ad rei comprehenſionem non petitur. Probatur ſequela; cognitio, qua Deus ſe ipſum cognoſcit, ſuppoſita ſententia probabili, quod à natura diuina virtualiter diſtinguitur, non adæquat, nec in entitate, nec in immaterialitate, nec in modo naturam diuinam cognitam, ſed virtualiter ab illa exceditur; cum ea, quæ diſtinguuntur eſſentialiter realiter, non poſſint realiter eſſe æqualia, & conſequenter, quæ virtualiter diſtinguuntur, virtualiter etiam in adæquentur; & actus alicuius naturæ non poſſit illam excedere, ſed neceſſario ab illa excedatur, ſi ſemel ab illa diſtinguitur: ergo ſi talis adæquatio ad rei comprehenſionem exigitur, Deus ſe ipſum non comprehendet, quod eſt hæreticum.

Deniq; probatur; nam eſt ſententia probabilis, quod 76 Angelus inferior, non ſolum quidditatiuè, verum etiam *Sextò probatur.* comprehenſiuè Angelum ſuperiorem cognoſcit; & tamen modus cognoſcentis non eſt modus obiecti cogniti, nec illum adæquat; cum vis cognoſcitiua Angeli ſuperioris, non excedat cognoſcibilitatem ſui ipſius, ſed tantum adæquet, excedat autem vim cognoſcitiuam, & modum cognoſcendi Angeli inferioris; & conſequenter vis cognoſcitiua inferioris, & modus illius, cognoſcibilitatem, & modum ſuperioris adæquare non poſſit: ergo huiuſmodi adæquatio ad rei comprehenſionem neceſſaria non eſt.

Quod amplius confirmari poteſt; ſi namque ad ratio- 77 nem comprehenſionis requireretur modum cognoſcen- *Confirmatur.* tis, & cognitionis, adæquare modum rei cognitæ, exigeretur ad illam, rem cognoſci quantum cognoſcibilis eſt ex parte cognitionis, hoc eſt, tanta cognitione, quanta res petit cognoſci; ſed hoc ad comprehenſionem non petitur: ergo nec adæquatio modi cognoſcentis, vel cognitionis cum modo rei cognoſcibilis, eſt ad comprehenſionem neceſſaria. Minor, in qua videtur poſita difficultas, probatur; nam ſequitur, ſupremum Angelum non poſſe comprehendere formicam; conſequens eſt falſum: ergo adæquatio illa ad comprehenſionem non petitur. Patet ſequela; formica namque, & idem eſt de qualibet alia creatura dicendum, non ſolum permittit, ſed etiam poſitiuè petit, diuinam terminare cognitionem; cum poſitiuè petat Dei cauſalitatem terminare ex ſuppoſitione, quod in re producatur: Deus autem res producat mediante cognitione, & volitione; ſed nullius creaturæ cognitio poteſt diuinam cognitionem adæquare: ergo ſi ad rei comprehenſionem eſt neceſſarium cognoſci tanta cognitione, quanta petit cognoſci, non poterit vna creatura aliam comprehendere, nec ſupremus Angelus, v. c. poterit formicam comprehenſiuè cognoſcere.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam illius 78 probationem: diſtinguo, & explico maiorem: compre- *Reſpondetur.* henſio eſt rei cognitio, cuius nihil latet videntem, nec quoad rem cognitam, nec quoad modum cognoſcendi, con- *Ad 1. antecedentis probationem.* cedo maiorem: ſolum quoad rem cognitam, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Quæ ſolutio eſt expreſſa D. Th. 1. p. q. 12. *art.* 7. *ad* 2. illis verbis: *Dicendum, quod non propter hoc Deus in-* *S. Thom.* *comprehenſibilis dicitur, quaſi aliquid eius ſit, quod non videatur, ſed quia non ita perfectè videtur, ſicut viſibilis eſt, ſicut cum aliqua demonſtrabilis propoſitio per aliquam probabilem rationem cognoſcitur, non eſt aliquid eius, quod non cognoſcatur, nec ſubiectum, nec prædicatum, nec compoſitio, ſed tota non ita perfectè cognoſcitur, ſicut cognoſcibilis eſt. Vnde Auguſtinus diſ-* *S. Aug.* *finiendo comprehenſionem dicit, quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumſpici, vel circumſcribi poſſunt: tunc enim fines alicuius circumſpiciuntur, quando ad finem in modo cognoſcendi illam rem peruenitur.* Quod magis explicans *in ſolutione ad* 3. quod erat replica contra iſtam ſolutionem, ſubiungit: *Ad tertium dicendum, quod totaliter dicit modum obiecti, non quidem ita quod totus modus obiecti non cadat ſub cognitione, ſed quia modus obiecti non eſt modus cognoſcentis. Qui igitur videt Deum per eſſentiam, videt hoc in eo, quod infinitè exiſtit, & infinitè cognoſcibilis eſt, ſed hic infinitus modus non competit ei, vt ſcilicet, ipſe infinitè cognoſcat. Sicut aliquis probabiliter ſcire poteſt, aliquam* pro-

propoſitionem eſſe demonſtrabilem, licet ipſe eam demonſtratiuè non cognoſcat. Quæ verba ita ad longum præter morem ſolitum idcirco retuli quia aurea ſunt ad noſtram confirmandam doctrinam, & adeo clarè, & euidentèr illam continent, vt mirum ſit Thomiſtarum aliquem illi aduerſari.

79 *Duplex ratio doctrina tradita à D.Th. aſſignatur.* Quod ſi rationem diſtinctionis traditæ petas, duplex ratio ab Angelico Doctore traditur. Prima eſt, quia probabiliter cognoſcentem nihil latet propoſitionis demonſtrabilis probabiliter cognitæ; & tamen quia modus cognoſcendi probabiliter, non adæquat modum propoſitionis, vt demonſtrabilis, cognitio opinatiua deficit à ratione comprehenſionis; non ergo ſufficit adæquatio cognitionis cum obiecto quoad rem, vel formalitates cognitas; nec totum totalitate obiecti cognoſci; ſed inſuper eſt neceſſaria adæquatio in modo cognoſcentis cum modo cognoſcibilitatis obiecti, & totalitate in modo cognoſcendi. Secunda; quia Auguſtinus diſiunctiuè loquens in præfata diffinitione pro eodem vſurpauit, nihil obiecti, cognoſcentem latere, atque illius fines circumſpici; fines autem alicuius rei circumſpici, eſt ad finem in modo cognoſcendi illam rem peruenire, vt interpretatur eſt Diuus Thom. cuius interpretationi ideo eſt ſtandum, quia diffinitiones rerum iuxta explicationem ſapientum accipiendæ ſunt, Et præterea; quia id videtur colligi ex rigoroſa ſignificatione huius verbi *circumſpicio*, quod iuxta Calepinum componitur ex *circum*, & *ſpecio*, verbo antiquo, quod *aſpicere* ſignificat, aliquid quę addit ad verbum *aſpecto*, nempè, rem diligentiſſimè conſiderare, vt ex Cicerone probat Calepinus: ly autem *diligentiſſimè* modum denotat cognitionis, quem addit verbum *circumſpicio* ad verbum *aſpicio*. Licet ergo videns in obiecto omnia, quæ, vel intrinſecè, vel extrinſecè ad illud comparantur, quamuis obiectum non adæquet in modo, poſſit dici fines rei aſpicere, non tamen dici poterit circumſpicere rei cognitæ fines, niſi ad finem rei cognitæ in modo cognoſcendi perueniat, hoc eſt, modo ita perfecto cognoſcat, ſicut ipſa petit cognoſci.

80 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam probationem, nego maiorem, nec obſtat nomen comprehenſionis ad ſpiritualia fuiſſe ex comprehenſione corporea translatum; nam licet hoc ita ſit, poteſt ad ſpiritualem comprehenſionem aliquid exigi, quod ad comprehenſionem corpoream non petatur; ad hanc namque non petitur, quod circumambitio fiat ex vi eiuſdem quantitatis, nec quod ambiantur extrinſeca, ad quæ dicit res comprehenſa habitudinem; & tamen ad ſpiritualem comprehenſionem vtrumque eſt neceſſarium, vt fatetur Vazquez, cuius eſt argumentum, quod *ſupra* ponderabamus. Pariter ergo quamuis adæquatio in modo corporis continentis, ſiue in entitate non requiratur ad corpoream comprehenſionem, poterit exigi adæquatio in modo cognitionis, ſeu cognoſcentis cum modo rei cognitæ ad comprehenſionem ſpiritualem: & eadem ratione, nam percipi extrinſeca rei cognitæ, ideo ad illius comprehenſionem exigitur, quamuis non petatur ad corpoream circumſcriptio extremorum, quia hæc ad rem, vt corporaliter comprehenſibilem non ſpectant; illæ tamen ad rem, vt intelligibilem attinent, vt fatetur Vazquez; ſed modus cognitionis ad rem intelligibilem ſpectat, res enim, vt intelligibilis, petit hoc, vel illo modo intelligi, v. c. propoſitio demonſtrabilis modo demonſtratiuo, natura Angelica modo cognitionis Angelico ſibi proportionato, & natura diuina petit modum cognitionis, & cognoſcentis diuinum. Poterit ergo ſpiritualem comprehenſionem expoſci adæquatio, nedum quoad rem cognitam, ſed etiam quoad modum cognitionis, & cognoſcentis, quamuis adæquatio in modo entitatis continentis corporaliter ad modum entitatis rei contentæ, ad corpoream illius comprehenſionem non petatur.

Ad tertiam. Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem; vt enim *Diſputatione ſequenti* videbimus, non poſſunt omnia poſſibilia in diuina eſſentia cognoſci, quin modo infinito per eſſentiam cognoſcantur, & in hoc principio nititur ratio D. Th. non in eo quod extenſiua ſolum adæquatio ad rei comprehenſionem ſufficiat.

81 *Ad quartam.* Ad quartam, nego ſequelam: ad illius probationem; diſtinguo antecedens: adæquatione abſoluta, concedo antecedens: adæquatione ſuæ lineæ, nego antecedens, & conſequentiam; non enim requiritur adæquatio in entitate, aut in modo, abſoluta cognitionis ad obiectum, ad rationem comprehenſionis, hoc eſt, quod cognitio ſit ſubſtantia, ſi obiectum cognitum ſubſtantia eſt, vel quod ſit tantæ perfectionis, quantæ eſt obiectum cognitum, ſed ſufficit adæquatio in propria linea, hoc eſt, quod tanta ſit cognitio in ratione cognitionis, quantum fuerit obiectum in ratione cognoſcibilis, ita vt ſi obiectum eſt cognoſcibile demonſtrabiliter, cognitio habeat modum demonſtratiuæ, ſi fuerit cognoſcibile, vt quinque, cognitio ſit, vt quinque ſi fuerit cognoſcibile modo infinito, cognitio ſit infinita in ratione cognitionis; eſto infinitas cognitionis inferior ſit abſolutè infinitate obiecti cognoſcibilis. Et quia efficacia actionis commenſuratur cum principio actiuo, requiritur, quod in principio actiuo, ſaltim radicali, inueniatur æqualitas abſoluta cum obiecto cognoſcibili. Cum ergo cognitio, qua Angelus ſe ipſum cognoſcit, tanta ſit in ratione cognitionis, quanta eſt ſubſtantia cognita in ratione cognoſcibilis; non enim petit perfectiorem cognitionem, & natura eiuſdem Angeli, tanta ſit abſolutè in ratione intellectiuæ, quanta eſt eadem natura in ratione cognoſcibilis: fit conſequens, quod ſe ipſum comprehendat. Et ex his ad quintam antecedentis probationem conſtat ſolutio, negando ſequelam: ad probationem, diſtinguo antecedens; non adæquat in ſui radice abſolutè; & in ſe ipſa, adæquatione ſuæ lineæ, nego antecedens; in ſe abſolutè, concedo antecedens, & nego conſequentiam ob rationem traditam. *Ad quintam.*

Ad vltimam, prætermiſſa maiori: diſtinguenda eſt minor: non adæquat gradualiter, nego minorem: non adæquat ſpecificè, concedo minorem, & nego conſequentiam; nam in ſententia ſuppoſita obiectum ad ſui comprehenſionem non petit, quod cognitio, nec principium cognitionis adæquent ſpecificè obiectum cognoſcibile, ſed ſufficit adæquatio eorum illo in gradu immaterialitatis; hæc autem æqualitas inter Angelum inferiorem, & ſuperiorem reperitur; nam conueniunt in excluſione materiæ phyſicæ, in qua conſiſtit gradus immaterialitatis Angelicæ, & idcirco ſuperior ab inferiori poteſt comprehendi; quod an verum ſit, alibi diſcutiendum relinquimus. Licet tamen hoc admittatur, non ſequitur, poſſe Deum comprehendi à creatura, quia hæc, nec in gradu immaterialitatis poteſt cum Deo adæquari, cuius gradus immaterialitatis conſiſtit in ratione actus puri excludentis nedum materiam phyſicam, verum etiam metaphyſicam, ideſt, omnem potentialitatem, quæ excluſio, nulli enti creato competere poteſt; nam omne ens creatum eſt in potentia, ſaltim ad exiſtendum. 82 *Ad ſextã.*

Ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad probationem, nego ſequelam: ad illius probationem, diſtinguo maiorem: petit terminare cognitionem diuinam, vt ſibi adæquatam, nego maiorem: vt ſuper excedentem: concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam: quia ad rei comprehenſionem non requiritur, cognoſci ea cognitione, quam petit, vt excedentem, ſed quam petit, vt ſibi adæquatam; & ideo comprehendi poteſt creatura cognitione creata. Vel ſecundo, diſtinguo maiorem: petit terminare cognitionem diuinam ex ratione dependentiæ, concedo maiorem: ratione dignitatis, vel perfectionis, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam; quia ad rei comprehenſionem non exigitur cognoſci, ea cognitione, quam poſitiuè petit ratione dependentiæ, ſed ea, quam petit poſitiuè ratione perfectionis, & excellentiæ ſuæ cognoſcibilitatis, & immaterialitatis. 83 *Ad confirmationem reſpond. 1.* *Secundo.*

---

§. V.

Deum eſſe à creatura incomprehenſibilem, vt fide certum defenditur.

SECVNDA CONCLVSIO. *De fide eſt, Deum eſſe incomprehenſibilem ab intellectu creato comprehenſione, qua ſtrictè ſit comprehenſio; & conſequenter de fide eſt, tali genere comprehen. nõ fuiſſe ab anima Chriſti comprehenſum, nec comprehendi potuiſſe.* Hanc ſtatuo contra Patrem Vazqu. & per paucos Recentiores ipſum ſequentes. Illum docent poſt Magiſtrum Sotum frequenter cæteri Theologi, tam ex Thomiſtis, quam ex Societatis familia. Et licet Vazquez cenſeat primum iſtius cenſuræ Auctorem fuiſſe M. Sotum: fallitur tamen; nam beatus Albertus Magnus, & Paludanus, Soto multo Antiquiores, 84 *Secunda concluſio.*

aſſeruere, blaſphemiam eſſe contra Chriſti Diuinitatem, dicere ab humanitate Chriſti comprehenſam. Et ſuadetur primo ex Scriptura Eccleſiaſtici 43. *Ne laboretis, non enim comprehendetis.* 1. ad Timotheum 6. *Lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre poteſt.* Hieremiæ 32. *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu.* Quibus locis, & paſſim alibi, Deus dicitur abſolutè incomprehenſibilis; ac ſi poſſet ab intellectu creato comprehendi, incomprehenſibilis abſolutè dici non poſſet: ergo de fide eſt Deum eſſe à creatura incomprehenſibilem.

Probatur 1. ex Scriptura. Eccl. 43. 1. ad Timoth. 6. Hier. 32.

85 Reſpondet Vazquez primo, Deum dici incomprehenſibilem à creatura viribus proprijs, non quia viribus gratiæ eleuata, Deum non valeat comprehendere, & hoc vltimum teſtimonium, non de incomprehenſibilitate eſſentiæ diuinæ procedere, ſed de incomprehenſibilitatem diuinarum cogitationum, ita vt ly *cogitatu* paſſiuè ſit accipiendum pro Dei cogitationibus, quas intellectus creatus non niſi Deo ipſo reuelante, cognoſcere poteſt: non actiuè pro humana, vel Angelica cogitatione.

Reſpondet Vazq. 1.

Secundò alij reſpondent, Deum in allegatis teſtimonijs dici à creatura incomprehenſibilem, quia aliquo genere comprehenſionis ab illa comprehendi non poteſt, ſcilicet, cognitione in claritate, & entitate, Dei cognoſcibilitatem adæquante, non quia nullo comprehenſionis genere valeat à creatura comprehendi, ſcilicet, cognitione *extenſiuè* cũ obiecto adæquata. Imo temerarium eſſe, aſſerere, Deum nullo modo poſſe comprehendi a beatis; beati namque comprehenſores dicuntur; & conſequenter illorum viſio in aliquo vero ſenſu comprehenſio eſt.

Secundò reſpondent alij.

86 Contra primam ſolutionem objiciunt aliqui primo; nam Deo, vt proprium attribuitur, quod ſit à creatura incomprehenſibilis; ſed non poſſe, ſine ſpeciali reuelatione, ex proprija viribus, quoad cogitationes liberas comprehendi, Deo ſpeciale non eſt; cogitationes enim liberas vnius Angeli nequeunt ab altero, niſi ipſo reuelante proprijs viribus cognoſci: ergo teſtimonium Hieremiæ, non de cogitationibus Dei, ſed de illius eſſentia loquitur, cum docet, ipſum, eſſe à creatura incomprehenſibilem. Secundo; nam eo ipſo, quod Dei cogitationes incomprehenſibiles ſint, à fortiori illius ſubſtantia incomprehenſibilis eſt: ergo conceſſo contineri in præfato teſtimonio incomprehenſibilitatem cogitationum Dei, concedi etiam debet diuinæ eſſentiæ incomprehenſibilitatem in illo contineri.

Contra 1. ſolutionẽ objiciunt aliqui 1.

Secundo.

87 Sed nulla ex his objectionibus vrget: non prima; nam cogitationes vnius poſſunt ab alio cognoſci, vel ipſo reuelante, vel Deo; Dei autem cogitationes ſolum Deo reuelante poſſunt cognoſci: ergo etiam ſi præfatum teſtimonium de cogitationibus diuinis loquatur, aliquid ſpeciale Deo attribuitur, quod creaturis nequit eſſe commune. Nec ſecunda; nam cogitationes Angeli inferioris nequeunt à ſuperiori cognoſci, nec comprehendi, niſi ipſo reuelante, & volente, & tamen natura inferioris Angeli, ipſo etiam renuente, à ſuperiori poteſt comprehendi: ergo ex incomprehenſibilitate operationum, & cogitationum liberarum inefficax argumentum ad incomprehenſibilitatem naturæ, vel eſſentiæ conficitur.

Impugnationes iſtæ nõ vrgẽt.

Vndè prima ſolutio aliter eſt reijcienda primo; nam Gloſſa Interlinealis ſumpta ex Hyeronimo, ly *cogitatu* interpretatur, non *paſſiuè*, ſed *actiuè* pro cogitatione creata, quæ non poteſt Dei ſubſtantiam, & eſſentiam comprehendere, illis verbis: *Quem non comprehendit cogitatio, quomodo poteſt ſermo comprehendere?* Et in eodem ſenſu prædicta verba interpretatus eſt D. Thom. 1. p. quæſt. 12. art. 7 in argumento Sed contra, & alij Patres communiter: ergo contra mentem Sanctorum Patrum limitantur ad diuinas cogitationes.

88 *Aliter reijcitur prima ſolutio 1.*

S. Thom.

89 Secundo; nam verba Scripturæ accipienda ſunt iuxta Patrum interpretationem; ſed verba Hieremiæ adducta accipiuntur à Patribus de incomprehenſibilitate diuinæ eſſentiæ, non ſolum in hoc ſtatu, & ex viribus proprijs, ſed etiam in ſtatu beatitudinis, & de potentia abſoluta; cum illis innixi doceant Deum à creatura non poſſe, etiã de potentia abſoluta comprehendi, vt poſtea videbimus: ergo ineptè explicantur de diuinis tantum cogitationibus, & de incomprehenſibilitate in ſtatu viæ, & ex viribus proprijs creaturæ. Tertio, quia vt fatetur Vazquez 1. p. diſp. 52. cap. 2. de fide eſt, Dei ſubſtantiam eſſe incomprehenſibilem à creatura, etiam de potentia abſoluta, in aliqua comprehenſionis acceptione; & conſequenter in aliquo teſtimonio Scripturæ, aut Conciliorum debet contineri; at ſi prædicta explicatio admittatur, ex nulla fidei regula poterit veritas prædicta deduci, cum omnia teſtimonia, quæ in illius probationem adducantur, interpretari poſſint de incomprehenſibilitate diuinæ eſſentiæ à creatura ex viribus proprijs, non autem ex viribus gratiæ: ergo explicatio illa ſuſtinenda non eſt.

Secundo.

Tertiò. Vazq.

Deinde ſecunda ſolutio reijcitur; nam hæc propoſitio: *Deus eſt incomprehenſibilis à creatura*, vera eſſe non poteſt, ſi ab illa poſſit comprehendi aliquo genere comprehenſionis, quæ ſtrictè ſit comprehenſio: ergo ſecunda ſolutio cum veritate fidei ſubſiſtere nequit. Probo antecedens, eo ipſo, quod poſſit creatura comprehendere Deum comprehenſione, quæ propriè ſit comprehenſio, hæc eſt vera propoſitio abſolutè, & in rigore: *Deus eſt à creatura comprehenſibilis*, ſed cum veritate iſtius, non ſtat veritas alterius, nempè: *Deus eſt à creatura incomprehenſibilis*; nam iſtæ duæ propoſitiones ſunt contradictoriæ, vel contrariæ; ac proindè ſimul veræ eſſe non poſſunt: ergo veritas iſtius propoſitionis: *Deus eſt incomprehenſibilis à creatura*, non poteſt ſubſiſtere, ſi aliquo genere comprehenſionis, quæ propriè ſit comprehenſio poſſit Deus à creatura comprehendi. 90

Secunda ſolutio reijcitur.

Secundo ſuadetur concluſio ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cuius decretum refertur *in cap. Firmiter de Summa trinitate, & fide catholica*, vbi dicitur: *Firmiter credimus, quod vnus ſolus ſit Deus Æternus, Immenſus, Incomprehenſibilis.* Et in *cap. 2.* quod incipit: *Damnamus*, dicitur: *Nos autem Sacro approbante Concilio credimus, & confitemur cum Petro, quod vna quædam ſumma res eſt incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis.* Quibus cum abſolutè incomprehenſibilis à creatura aſſeratur, omnem propriam comprehenſionem Dei à creatura, vt poſſibilem excludit. 91

Secundo probatur concluſio ex Concilio Lateranenſ.

Sed inquit Vazquez, Deum à Concilio incomprehenſibilem dici, non quia non poſſit intellectus creatus Deum viribus gratiæ cõprehendere in ſtatu beatitudinis, ſed quia à viatoribus comprehendi non poteſt, nec proprijs viribus ab intellectu creato. Quod probat; nam etiam dicitur ineffabilis, & tamen a beatis ineffabilis non eſt. 92

Reſpondet Vazq.

Sed contra primo; nam Concilium in eodem ſenſu diffinit, Deum a creatura incomprehenſibilem, in quo à Patribus incomprehenſibilis dicitur, quia is eſt Conciliorum mos vti Sanctorum Patrum verbis, ſenſuque in ſuis diffinitionibus; ſed Patres dum Deum à creatura incomprehenſibilem fatentur, omnem Dei comprehenſionem, quæ propriè ſit comprehenſio excludunt, vt creaturæ poſſibilem, non ſolum in ſtatu viæ, ſed etiam in ſtatu patriæ, & non ſolum ex viribus proprijs, ſed etiam ex viribus gratiæ, vt ſtatim monſtrauimus: ergo Concilium non ſolum negat, poſſibilem Dei comprehenſionem creaturis in ſtatu viæ, & ex viribus proprijs; ſed etiam in ſtatu patriæ, & ex viribus gratiæ. Secundo; nam Deus eodem modo dicitur incomprehenſibilis, quo dicitur immutabilis; ſed dicitur immutabilis, etiam de potentia abſoluta, ergo in eodem ſenſu dicitur à Concilio incomprehenſibilis à creatura.

Contra 1.

Secundo.

Nec refert dici etiam *in eodem capite* ineffabilem à creatura, cum tamen reſpectu beatorum ineffabilis non ſit. Tùm, quia etiam eſt ineffabilis adæquatè, & comprehenſiuè à beatis, cum autem Concilium ineffabilitatem cum incomprehenſibilitate coniungat, loquitur de ineffabilitate excludente adæquatum, & comprehenſiuum ſermonem. Tùm etiam; nam cum Patres diuerſimodè loquantur de inuiſibilitate diuina, ac de Dei incomprehenſibilitate, diuerſimodè etiam de ineffabilitate Dei, ac de illius incomprehenſibilitate loquuntur, ita vt hæc ineffabilis à creatura in hac vita incomprehenſibilis autem, etiam in alia; at Concilium, vt diximus, loquitur in ſenſu Patrum: ergo quamuis ineffabilitatem cum incomprehenſibilitate coniunxerit, & primum ſolum reſpectu viatorum aſſeruerit, ſecundum ad beatos extendit. 93

Ad motiuum ſolutionis reſp.

Nec refert ſecundo, quod contra ſecundam impugnationem opponit, nimirum, Deum eiſdem verbis dici immutabilem, & incomprehenſibilem; & tamen non licet ex hoc inferre, quod ſi eſt immutabilis, non ſolum ab alijs, verum etiam a ſe, ſit à incomprehenſibilis: ergo pariter ex eo quod eiſdem verbis diffiniatur à Concilio incomprehenſibilis, & immutabilis, non licet colligere, quod ſi 94

Ad ſecundum.

eſt

eſt immutabilis, etiam de potentia abſoluta, ſit incomprehenſibilis, etiam de potentia abſoluta. Non, inquam refert; nam Concilium cum Deum immutabilem, atque incomprehenſibilem eſſe diffinit explanare nobis intendit perfectionem diuinam; ſed ad perfectionem Dei ſpectat, quod ſit immutabilis de potentia abſoluta, non ſolum ab alijs, verum etiam à ſe, non autem pertinet ad diuinam perfectionem, quod ſit à ſe incomprehenſibilis; benè verò, quod à creatura comprehendi non poſſit, etiam de potentia abſoluta: ergo ex vtriuſque prædicati coniunctione facta à Concilio, rectè infertur, quod ſicut eſt immutabilis de potentia abſoluta, ita eſt à creatura incomprehenſibilis de potentia abſoluta, quin ex eo quod ſit à ſe ipſo immutabilis colligi poſſit eſſe à ſe incomprehenſibilem.

95 *Tertiò probatur concluſio ex Patribus. S. Greg.* Tertia probatur concluſio ex Patribus, quorum ferè innumera teſtimonia referunt Recentiores, ſelectiora ſunt, Gregorij *lib. 10. moralium cap. 10.* ad illud Iob 11 *Forſitan veſtigia eius comprehendes*. Et *lib. 18. cap. 27. ad finem*, illis verbis: *Nec tamen videbimus ſicut videt ipſe ſe ipſum, longè quippè diſpariliter videt creator ſe, quam videt creatura creatorem, nam quantum ad immenſitatem Dei, quædam nobis medus figitur contemplationis, quia eo ipſo pondere circumſcribimur, quo creaturæ ſumus* Auguſtini *tom. 10. ſerm. 38. de verbis Domini cap. 3.* ibi: *Dictum eſt, & Deus erat Verbum, de Deo loquitur: quid mirum, ſi nō comprehendis? Si enim comprehendis non eſt Deus. Attingere aliquantum mente Deum magna beatitudo eſt; comprehendere autem omnino impoſſibile.* Et paucis interpoſitis: *Quis ergo oculus cordis comprehendit Deum? Sufficit, vt attingat ſpiritualis, & hoc ſi purus eſt, & homo fit beatus contingendo corde illud, quod ſemper manet, & eſt ipſa beatitudo perpetua, & vnde fit homo viuens vita perpetua.* Id ipſum docet *in quæſtiunculis de Trinitate tom. 3. libr. de cognitione vera vita tom. 9. cap. 3. 7. & 31.* Vbi explicans quomodo Deus, etiam Angelis inuiſibilis dicatur, dicente Chriſto Angelos ſemper videre faciem Patris, ait: *Quia non pariter ab ipſis, vt à ſe ipſo conſpicitur, ideo ſolus inuiſibilis dicitur.* Quo ſenſu Deum inuiſibilem explicat *ſermone 190. de tempore in principio, lib. meditationum c. 27. lib. ſoliloquiorum c. 31. 4. de Geneſi ad literam c. 6.* & alibi paſſim.

S. Aug.

96 *Beda. Anſelm.* In eadem ſunt ſententia ex Latinis Beda in illud 1. Ioānis 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*. Vbi docet, videri Deum à creatura poſſe, comprehendi tamen non poſſe. Anſelmus *in monologio cap. 35. & in enarratione in Euangelium de Transfiguratione* explicans illud: *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit*: Et explicans illud 1. ad Timotheum 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili*, ait: *Deum dici inuiſibilem, quia licet à beatis videri poſſit, non tamen comprehendi*. Hilarius *lib. 2. de Trinitate.* circa principium, & *lib. 10.* poſt medium Hieronymus *Hieremiæ cap. 32.* Richardus *ſecundo de Trinitate c. 20.* Cyprianus *lib. de Cardinalibus Chriſti operibus*, inter alia hæc habet: *Hanc inuiſibilem lucem, & inacceſſibilem naturam ſex alis Seraphim circumeunt, & abſcondunt, ſic in ſuperioribus eleuatam, vt quantumlibet ad eam altum homo aſcendat exalte etur Deus, & comprehenſionis importunitatem euadat.* Iſidorus *lib. de ſummo bono c. 3. & Exodi 42.* explicans illud: *Faciem meam videre non poteris*. Laurentius Iuſtinianus *lib. de caſto connubio Verbi, & animæ cap. 18 colum. 5.* vbi triplicem Dei cognitionem diſtinguens, ſic ait: *Prima Dei cognitio peregrinantium, & viatorum eſt; ſecunda triumphantium, & Angelorum; tertia autem, ſcilicet, cōprehenſiua, nec hominum, nec Angelorum, omnem quippè creatum ſuperominet intellectum*: Et Bernardus *5. de conſideratione colum. 4.* Id ipſum docens ex Græcis Patribus Maximus *centur. 3. cap. 92. & centur. 4. capit. 74.* Anaſtaſius Sinaita *ſecundo Examero*, explicans illud: *Deum nemo vidit vnquam*. Cyrillus Hieroſolymitanus *catheche ſi 6.* Cyrillus Alexandrinus *11. theſauri cap. 1.* Baſilius *1. contra Eunomium ad finem colum. 10. de principatu, & potentia, & epiſtol. 168. ad Eunomium*, Nazianzenus *oratione 1. de Theologia*, Chryſoſtomus *homil. 1. & de incomprehenſibili Dei natura, & homil. 34. in 3. Corinth. 13.*

1. ad Timoth. 1.

Hilar. Hieron. Richard. Cyprian.

Iſidor. Laur. Iuſt.

S. Bern. Maxim. Anaſ. Sin. Cyril. Hieroſole. Cyrill. Alex. Baſil. Nazian.

97 *Reſpondet Vazquez.* Reſpondet Vazquez, teſtimonium Græcorum Patrum, nihil ad noſtrum intentum conducere; nam in eo fuerunt errore, vt aſſeruerint Deum ſicuti eſt ab intellectu creato videri non poſſe, quod etiam ex Latini tenuiſſe Hieronymum, Iſidorum, & Ambroſium: vnde cum docent, Deum comprehendi à creatura non poſſe, negant poſſe ab illa, prout in ſe ipſo videri. Deinde Gregorium, Auguſtinum, & alios Patres Latinos, dum negant, Deum poſſe ab intellectu creato comprehendi, loqui de homine in ſtatu huius vitæ, non autem in ſtatu beatitudinis.

98 *Reijcitur eius ſolutio.* Hæc tamen interpretatio omninò violenta eſt. Et imprimis, quod de Patribus Græcis aſſerit, nempè, negaſſe poſſibilitatem viſionis Dei in ſe ipſo ab intellectu creato, falſiſſimum eſt, vt oſtendimus *Tractatu de Viſione Dei*. Deinde explicatio, qua Sanctorum Patrum teſtimonia conatur eludere, falſitatis conuincitur primò; nam Gregorius in priori teſtimonio loquitur de homine in ſupremo retributionis culmine conſtituto, à quo *reperire omnipotentem per contemplationis ſpeciem poteſt, ſed tamen ad perfectum non poteſt*; at ſupremum retributionis culmen in hac vita obtineri non poteſt, etſi poſſit ſupremum meriti culmen haberi: ergo non de homine in hac vita, ſed in altera loquitur Gregorius cum docet, Deum ab illo comprehendi non poſſe. In ſecundo autem teſtimonio de homine in hac vita explicari non poſſe, conſtat; nam loquitur, verſans illud teſtimonium: *Videbimus eum ſicuti eſt*. Videre autem Deum ſicuti eſt, de homine in hac vita verificari non poteſt.

Primò.

99 *Secundò.* Secundo; nam Auguſtinus loquitur de homine attingente Deum per actum, qui magna, & perpetua beatitudo eſt, de quo ait: *Deum attingere valere, comprehendere autem non poſſe*; at beatitudo huius vitæ, etſi aliqualis beatitudo ſit, non tamen eſt magna, & perpetua beatitudo a ergo omnino violenter explicatur de homine in hac vita mortali, & de huiuſmodi beatitudine.

Tertiò. Tertio; nam in alijs locis relatis ex Auguſtino loquitur de Angelis videntibus Deum, à quibus tamen inuiſibilis dicitur, quia licet videant, non tamen comprehendunt, quia plenè non vident; at illum explicare de Angelis in ſtatu breuiſſimo viæ, omninò violentum eſt, & repugnans contextui, cum pro ſtatu viæ non viderint Deum, viſiones de qua Chriſtus loquebatur cum dixit: *Semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt*; ergo cum docet ab homine comprehendi non poſſe, non de homine in ſtatu huius viæ, ſed in ſtatu beatitudinis loquitur. Denique; nam Gregorius, Auguſtinus, & alij Patres relati, dicunt, Deum à creatura poſſe videri, non tamen comprehendi; ſed in hac vita videri poteſt: ergo in altera nequit comprehendi; aliàs nullum inter videri, & comprehendi diſcrimen ſubſiſtendi.

Mat. c. 18

Quartò.

100 *Secundò reſponderi poteſt. Reijcitur iſta ſolutio.* Secundo reſponderi poteſt. Deum à Patribus incomprehenſibilem prædicari à creatura ex viribus proprijs, non autem ex viribus gratiæ. Hæc tamen ſolutio corruit ex dictis; nam Patres docent, Deum videri poſſe à creatura, non tamen comprehendi, ſed ex viribus proprijs, non poteſt Deus videri à creatura, ſed ſolum ex viribus gratiæ: ergo comprehendi non poteſt etiam ex viribus gratiæ; aliàs nullum inter videri Deum à creatura, & ab ipſo comprehendi ſtatuiſſent diſcrimen; quandoquidem vtrumque poſſet à creatura præſtari ex viribus gratiæ, & neutrum ex proprijs viribus.

101 *Tertiò reſponderi poteſt. Probatur minor.* Tertio poteſt reſponderi, Deum dici incomprehenſibilem à creatura de lege ordinaria, non tamen de potentia abſoluta, & in hoc ſaluari diſcrimen inter videri Deum, & comprehendi à creatura; nam primum poteſt de lege ordinaria haberi; ſecus autem ſecundum. Sed nec iſta explicatio eſt ſufficiens; nam Deum comprehendi non poſſe à creatura, non ad legem Dei extrinſecam ſtatuentem, quod ab ipſa non comprehendatur, ſed ad intrinſecam repugnantiam reducunt Eccleſiæ Patres, vt conſtat ex Gregorio; ibi: *Ipſo pondere circumſcribimur, quo creaturæ ſumus*, & ex Auguſtino, illis verbis: *Si enim comprehendi non eſt Deus*. Et ex modo loquendi aliorum Eccleſiæ Patrum reducentium incomprehenſibilitatem diuinam ad illius ſublimitatem, & creaturæ limitationem: ergo ſentiunt, non ſolum de lege ordinaria, ſed etiam de potentia abſoluta repugnare Deum à creatura comprehendi.

S Greg. S. Aug.

Secundò. Deinde; nam Auguſtinus, omnino impoſſibile dicit, Deum comprehendi a creatura, quod autem de potentia abſoluta fieri poteſt, non eſt omnino impoſſibile, ſed poſſibile aliquo modo: ergo in Auguſtini ſententia, nec de potentia abſoluta poteſt Deus comprehendi à creatura.

102 *Denique reſpondetur.* Denique reſponderi poteſt, Eccleſiæ Patres negare, Deum poſſe à creatura comprehendi comprehenſione conſiſtente in cognitione adæquata cum obiecto entitatiuè,

ri poteſt. aut in modo cognoſcendi; non verò alio comprehenſionis genere conſiſtentis in cognitione obiecti, quoad omnia, quæ formaliter, & eminenter continet. Sed nec iſta explicatio eſt ſufficiens; nam Patrum propoſitio, cum negatiue ſit, omnem comprehenſionem, quæ propriè ſit comprehenſio Dei excludunt à creatura, vt poſſibilem: ergo *Reijcitur.* vel prædicta cognitio ſtrictè comprehenſio non eſt, vel in ſententia Patrum non eſt creaturæ poſſibilis reſpectu diuinæ naturæ. Et augetur difficultas; nam ſi prædicta cognitio eſt propriè Dei comprehenſio, & poſſibilis creatu- *Confirmatur.* ræ, hæc propoſitio eſſet in rigore vera: *Deus eſt à creatura comprehenſibilis*: ergo propoſitio Patrum, quæ illi opponitur contradictoriè, nempè, *Deus non poteſt comprehendi à creatura*, eſſet falſa.

103 *Vltimo probatur concluſio.* Denique ſuadetur concluſio; nam Deum non poſſe comprehendi à creatura, vel eſt de fide, vel ita certum non eſt, vt oppoſitum ſit temerarium; ſed in ſententia Patris Vazquij, temerarium eſt affirmare, Deum poſſe à creatura comprehendi: ergo fateri tenetur, eſſe de fide, quod à creatura non poſſit Deus comprehendi. Probo maiorem; vt enim docet Vazquez *diſp. citata cap. 2. nu. 4.* idem de *Vazq.* fide non eſt Deum eſſe à creatura incomprehenſibilem omni genere ſtrictæ comprehenſionis, quia licet ſit fide certum, non poſſe comprehendi à creatura comprehenſione conſiſtente in cognitione adæquata cum obiecto in entitate, & in modo, non tamen eſt certum, hoc ad comprehenſionem ſtrictam requiri, ſed plures probabiliter docent, ſufficere ad ſtrictam alicuius rei comprehenſionem cognoſci obiectum quoad omnia, tam intrinſece, quam extrinſeca; hoc autem modo Deum non poſſe comprehendi de fide certum non eſt; at nec temerarium eſt affirmare Deum poſſe hoc genere cognitionis cognoſci: ergo nec temerarium erit, aſſerere, Deum poſſe à creatura comprehendi; ac proinde, vel erit de fide, Deum eſſe à creatura incomprehenſibilem, vel non erit ita certum, vt oppoſitum ſit temerarium.

104 *Minor probatur 1.* Minorem oſtendo primò; nam Deum poſſe ab intellectu creato cognoſci quoad omnia, tam intrinſeca, quam extrinſece, cognitione adæquata extenſiua, docent plures, tam Antiqui, quam Moderni, quos dabimus *diſp. ſequenti*: ergo ſi in hac cognitione, ſtricte comprehenſio ſtatuitur, non erit temerarium, aſſerere, Deum poſſe comprehendi à creatura, comprehenſione, quæ ſtricte ſit comprehenſio; nam id temerarium dicitur, quod in ſe graui, & Theologica communi Theologorum conſenſui aduerſatur.

105 *Secundo.* Secundo oſtendo minorem ad hominem contra Vazquez; etenim hic Auctor fatetur *1. p. diſp. 53. cap. 3. nu. 13.* Deum ita poſſe videri ab intellectu creato, vt nihil illius lateat videntem, non aduerſari doctrinæ Patrum, imo aliqui illorum, inquit Vazquez, ita docuerunt, vt Auguſt. *S. Aug.* *Sermon. 38. de verbis Domini*, & Nazianzenus *oratio-* *Nazian.* *ne 34.* eſt tamen contra communem Scholaſticorum ſenſum; ſed quod Patribus, non aduerſatur, ſed à pluribus illorum docetur, vel ab vno Auguſtino, etſi communi Scholaſticorum ſenſui aduerſetur, temerarium non eſt; vnus enim Auguſtinus pro decem millibus computatur, pluſque, quam tota Recentiorum turba æſtimatur: ergo iuxta iſtius Doctoris doctrinam temerarium non eſt, Deum poſſe comprehendi à beatis comprehenſione conſiſtente in cognitione adæquata cum obiecto extenſiue; & conſequenter, vt temerarium ſit affirmare, Deum poſſe comprehendi ab intellectu creato, negandum eſt in præfata cognitione, ſtrictam rationem comprehenſionis ſeruari, ſed tantum in illa, quæ in modo, efficacia, & claritate adæquatur cum obiecto; eo autem ipſo, quod hoc aſſeretur, de fide erit, vt fatetur Vazquez, Deum non poſſe ab intellectu creato comprehendi; ac proinde, vel fateri debet noſtram concluſionem eſſe de fide, vel non eſſe ita certam, vt oppoſitum ſit temerarium.

---

§. Vltimus.

Argumentis in contrarium occurritur.

106 *Arguit Vazq. 1.* CONTRA noſtram concluſionem opponit Vazquez primò; nam licet omnes Scholaſtici doceant, Deum poſſe ab intellectu creato videri; non verò comprehendi; nullus tamen ante Magiſtrum Soto docuit, id eſſe de fide: ergo quamuis temerarium ſit, id negare, non tamen eſt fide certum, Deum non poſſe ab intellectu creato in ſtatu beatitudinis comprehendi. Reſpondeo, negando antecedens; nam, vt *ſupra* vidimus, Albertus Magnus, & Paludanus docuerunt, eſſe blaſphemiam contra Chriſti diuinitatè, aſſerere fuiſſe ab humanitate Chriſti comprehenſam. Falſo ergo aſſerit Vazquez, nullum ante M. Sotum docuiſſe, Dei incomprehenſibilitatem ab intellectu creato ad fidem pertinere. *Respond.*

Secundo arguit; nam omnia teſtimonia Scripturæ, & Conciliorum, in quibus aſſeritur, Deum eſſe à creatura incomprehenſibilem, ſufficienter explicantur per hoc, quod non poſſit in hac vita comprehendi, nec in alia ex viribus proprijs: quod probat primo, ſingula teſtimonia expendendo. Secundo; nā Deus etiam dicitur in Scriptura inuiſibilis; & tamen ſufficienter explicatur, per hoc, quod non poſſit ab homine in hac vita videri, nec in alia ex viribus proprijs: ergo licet ſit de fide, Deum eſſe incomprehenſibilem ab homine in hac vita mortali, de fide tamen non eſt, non poſſe ab homine in ſtatu beatitudinis ex viribus gratiæ comprehendi. 107 *Secundo arguitur.*

Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem conſtet ex dictis; licet enim verba teſtimoniorum Sacræ Scripturæ, dicta interpretatione ſaluari, videantur, mens tamen verborum iuxta Patrum intelligentiam non ſaluatur; verba autem Sacræ Scripturæ iuxta Patrum interpretationem, & intelligentiam ſunt accipienda. Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; & diſparitas habetur ex dictis; nam licet in Scriptura, Deus dicatur inuiſibilis, & incomprehenſibilis; attamen Eccleſiæ Patres, quibus ſtare debemus, noſtramque mentem ſubijcere: primum explicarunt de inuiſibilitate ſumpta pro incomprehenſibilitate, qualiter illam plures Auguſtinus accepit, vel reſpectu hominis in ſtatu vitæ præſentis, & ex viribus proprijs: ſecundum autem explicarunt de abſoluta incomprehenſibilitate Dei; & ad omnem hominis ſtatum, & cum gratiæ viribus comparata, vt iam vidimus; & ideò quamuis verba ſint eadem, ſenſus tamen verborum eſt valdè diuerſus. Vnde Auguſtinus *tom. 9. lib. de cognitione veræ vitæ capit. 3.* ait: *Deus ſpiritus eſt, eſſentia inuiſibilis omni creaturæ incomprehenſibilis*: vbi diſtinguit inter Dei inuiſibilitatem, & illius incomprehenſibilitatem; ac proinde, etſi inuiſibilitas diuina reſpectu hominis in præſenti vita, & ex viribus proprijs ſufficienter explicetur, non licet id ipſum de diuina incomprehenſibilitate colligere. 108 *Reſpondetur.* *S. Aug.*

Et quidem, ſi ſolum Sacræ Scripturæ verba, & non ſenſum à Patribus illius datum deberemus attendere, non eſſet de fide ex Scripturæ teſtimonijs eſſe de fide, Deum eſſe inuiſibilem ab homine in præſenti vita; id enim colligeretur ex eo quod Deus inuiſibilis dicitur, & ex illo: *Non videbit, me homo, & viuet* Hæc autem verba, ſi ad exteriorem ſonum tantum attenderemus, poſſent explicari de homine ex proprijs viribus, ita vt ab illo ex proprijs viribus Deum videri non poſſit, quod optimè ſtare poterat, quamuis poſſet in hac vita videri; ſicut ergo hoc non licet aſſerere, eo quod verba illa, quibus Deus dicitur inuiſibilis, à Patribus, & Scholaſticis communiter ſunt accepta de inuiſibilitate Dei in hac vita: ita pariter teſtimonia Scripturæ, in quibus Deus incomprehenſibilis dicitur à creatura, quia à Patribus ſunt intellecta de abſoluta incomprehenſibilitate, & in ordine ad omnem ſtatum creaturæ, rem faciunt de fide certam non poſſe Deum à creatura vllis viribus, aut in vllo ſtatu comprehendi. 109 *Magis ad ſenſum Sacræ Scripturæ, quam ad verba debemus attendere.*

Tertio arguitur, cognitio Dei adæquata extenſiuè, id eſt, attingens formalia, & eminentialia, intrinſece, & extrinſeca Dei, eſt vere, & ſtricte Dei comprehenſio; ſed non eſt fide Deum, à creatura cognoſci non poſſe adæquatè extenſiuè, hoc eſt, tali cognitione, quam nihil ad Deum pertinens, ſiuè intrinſecè, ſiue extrinſece lateat: ergo non eſt de fide, Deum à creatura comprehendi non poſſe. Minor videtur certa; plures enim iſtius cognitionis poſſibilitatem admittunt, quos hereſis damnare non licet. Maior autem probatur, cognitio adæquata obiecto eſt illius comprehenſio; ſed cognitio illa eſt adæquata Deo ſtricta adæquatione: ergo eſt ſtricta Dei comprehenſio. 110 *Tertio arguitur.*

Reſpondeo, negando maiorem, niſi ſimul cum adæquatione extenſiua, intenſiua reperiatur. Ad illius probationem, nego minorem; non enim eſt cognitio ſtricte adæquata obiecto, quę abſolute, & ſimpliciter adæquata nō eſt, 111 *Reſp.*

eſt, eo autem ipſo quod cognitio talis ſit conditionis, vt non adæquetur cum obiecto intenſiuè, hoc eſt in modo, efficacia, & claritate non dicitur abſolutè, & ſimpliciter adæquata cum illo, aliàs cognitio obſcura Dei, & omnium, quæ formaliter, & eminenter reperiuntur in Deo, eſſet cognitio ſimpliciter, ſtrictèque adæquata cum illo, ac proinde comprehenſio illius, quod nullus eſſeruit. Et ſimiliter amor Dei quoad omnia, quæ formaliter habet, & eminenter continet, eſſet adæquatus ſtrictè, & ſimpliciter, & ſtricte comprehenſio illius, quod nullus dixit, etiàs de facto Deus comprehenderetur in ratione amabilis per actum charitatis beatificum, per quem omnia Deo volumus.

112 *Inſtabis primo.* Sed inſtabis primo; adæquatio extenſiua eſt ſimpliciter, & ſtrictè adæquatio, vt conſtat in vna ſuperficie alteram adæquante, quæ ſimpliciter cum illa adæquatur, & tamen ſola gaudet adæquatione extenſiua; ſed cognitio illa adæquatur extenſiuè cum Deo: ergo adæquatur cum illo adæquatione ſtricta.

Secundo. Secundò; negari enim non poteſt eſſe probabile, quod prædicta cognitio eſt ſtrictè comprehenſio; ſed negari etiã non poteſt eſſe probabile, quod ſit intellectui creato poſſibilis: ergo nec poteſt negari probabilitas poſſibilis comprehenſionis diuinæ naturæ.

113 *Reſpõdet. ad primã inſtantiã* Reſpondeo ad primam inſtantiam, diſtinguendo maiorem: in linea corporali, concedo maiorem: in linea intelligibili, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiã; ratio autem traditæ diſtinctionis habetur ex dictis *contra rationem Patris Suarez*, & inter probandam noſtram concluſionem, *& ſolutione ad vltimum argumentum contra primam concluſionem*. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, prætermiſſa maiori, diſtinguo minorem: ſuppoſita probabilitate maioris, nego minorem: non ſuppoſita, concedo minorem, & nego conſequentiam; plura enim ſunt ſeorſim probabilia, quæ ſimul ſumpta, probabilitatem nequeunt habere. Vnde, vel negandum eſt, cognitionem ſic adæquatam eſſe ſtrictam comprehenſionem, vel hoc admiſſo, negande eſt talis cognitionis poſſibilitas reſpectu diuinæ naturæ. Et quidem iſte propoſitio: *Chriſtus vt quantum homo eſt Filius Dei adoptiuus*, quam docent Scotiſtæ; & iſta: *Filiatio conuenit ſuppoſito, non ratione naturæ, ſed ratione ſui*, probabiles ſunt, ſi ſeorſim accipiantur; ſimul autem aſſumptæ probabilitatem non habent, cum ex vtraque inferetur Chriſtum ratione ſuppoſiti eſſe filium Dei adoptiuum, & extraneum à Dei natura. Similiter iſtæ duæ propoſitiones: *Filiatio Chriſti ad Virginem eſt relatio realis: relatio filiationis immediatè recipitur in ſuppoſito*, probabiles ſunt: cum primã doceat vniuerſa Scoti Schola; & ſecundam D. Thom. & tamen vtraque ſimul ſumpta probabilis eſſe non poteſt; cum ex vtraque inferatur in ſuppoſito diuino recipi accidens reale immediatè, quod eſt abſurdum. Peritet ergo in præſenti.

114 *Vltimo arguitur ex D. Iſidor.* Denique argui poteſt ex Iſidoro Exod. 42. illis verbis: *Sola enim ſibi integrè nota eſt Trinitas, & humanitas ſuſcepta, quæ tertia eſt in Trinitate perſona.* Ex quibus tale argumentum conficitur. Integra Trinitatis cognitio ipſi Trinitati competens, vera eſt Deitatis comprehenſio; ſed cognitionem iſtam ſic integram attribuit Iſidorus humanitati Chriſti: ergo Chriſti humanitas Deitatem comprehendit in ſententia Iſidori; & conſequenter non eſt de fide, Deum eſſe à creatura incomprehenſibilem, niſi velimus Iſidorum propoſitionem fidei negaſſe, quod abſit de tanto Doctore aſſerere.

115 *Reſpõdit quidã Recẽtiores.* Huic obiectioni nonnulli Recentiores, reiecta D. Tho. interpretatione *in præſenti art. 1. ad* 1. reſpondent teſtimonium Iſidori falſo ita referri, ſed ita haberi *lib. 1. ſententiarum c. 3. Sola enim Trinitas ſibi integrè nota eſt, & humanitas à Chriſto ſuſcepta.* Quod verum eſt inquam Trinitatem, & humanitatem ſuſceptam ſola Trinitas integrè agnoſcit. *Reijcitur iſta ſolutio primo.* Verum iſti Recentiores animo impugnandi D. Thom. ad pauca reſpexerunt; nam licet verum ſit, quod *lib. 1. Sententiarum c. 3.* qui ad marginem D. Thom. non benè notatur, ita habeatur teſtimonium Iſidori, cæterum loco à Nobis relato habetur, vt à Nobis eſt propoſitum, & ne quis de veritate dubitet Scripturæ, & impreſſionis deputet errori, notat Iſidori Scholiator octo manuſcriptos libros, tam Longobardicis, quam noſtris characteribus ſcriptos cum iſta editione concordare. *Secundo.* Et præterea, ſi de humanitate ſuſcepta in abſtracto loquamur, falſum eſt ſolam Trinitatem integrè cognoſcere illam; nam Chriſtus, vt homo integrè, & comprehenſiuè humanitatem ſuſceptam per duplicem ſcientiam cognouit, beatam, ſcilicet, & infuſam, vt ex dicendis conſtabit.

116 *Reſp. primo ex D. Tho.* Vnde ad obiectionem factam reſpondeo primo, cum D. Thom. *in præſenti art. 1. ad* 3. Iſidorum hoc dixiſſe propter excellentiſſimam cognitionem conuenientẽ animæ Chriſti, quæ nulli alteri creaturæ eſt communis, integraque appellatur, non quia ſit comprehenſiua Dei, nec maxima omnium poſſibilium de potentia abſoluta, ſed quia eſt ſuprema inter omnes poſſibiles de lege ordinaria, à Deoque de facto ſtatuta, quemadmodum q. 7. *art. 9.* explicuimus, animam Chriſti dici plenam gratia habituali, non quia non ſit poſſibilis intenſior habitus gratiæ de potentia abſoluta, ſed quia maior non eſt poſſibilis de lege ordinaria. Vnde in forma, conceſſa maiori, nego minorem: nec infertur ex verbis Iſidori eandem cognitionem, & eodem modo integram humanitati, & Trinitati reſpectu Trinitatis competere; ſed Trinitati conuenit cognitio ſui integra, abſolute integritate, hoc eſt, tali qualis maior eſſe nequit de potentia abſoluta; humanitati vero conuenit cognitio Trinitatis integra integritate de lege ordinaria, & ſtatuta à Deo intellectui creato poſſibili.

117 *Reſpond. ſecundo.* Secundo reſpondeo, Iſidorum abſtractum pro concreto ſumpſiſſe, fuiſſeque loquutum de humanitate in concreto, & vſus fuit nomine abſtracto. Vnde D. Tho. non humanitati ſuſceptæ, ſed homini aſſumpto retulit, ſenſum magis Iſidori attendens, quam verba; ſic autem verum eſt conuenire homini aſſumpto integram, & comprehenſiuam Deitatis notitiam, non ratione humanitatis, ſed ratione Deitatis, ſuppoſitique diuini. Quod autem non de humanitate in abſtracto, ſed in concreto loquatur, patet clarè ex illis verbis: *Quæ tertia eſt in Trinitate perſona*, quæ non niſi hæreticè poſſunt ad humanitatem in abſtracto ſumptam referri, ac de illa ſic ſumpta enunciari, quod abſit de tanto Doctore affirmare.

118 *Difficultas quædã incidens reſoluitur.* Sed non leuem difficultatem ingerit, etſi ad rem præſentem non pertinentem, quomodo de humanitate in concreto, hoc eſt, de Chriſto homine à Sanctiſſimo Doctore aſſeratur eſſe tertiam in Trinitate perſonam? Verbũ enim quod factum eſt homo, non eſt tertia, ſed ſecunda perſona Trinitatis. Quomodo ergo, vel in quo ſenſu aſſerit Iſidorus, hominem aſſumptum eſſe tertiam in Trinitate perſonam? Cui difficultati reſpondendum exiſtimo, tertiam perſonam Trinitatis ab Iſidoro appellari, non origine, nam hoc modo, non Verbum, ſed Spiritus Sanctus eſt tertia Trinitatis perſona, ſed quoad numerum ternarium perſonarum conſtituendum, qualiter quæuis perſona diuina, tertia poteſt appellari, id eſt, tertia pars, aut quaſi pars numeri ternarij perſonarum diuinarum, cum vna ex tribus perſonis. *S. Iſidor.* Quo ſenſu idem Iſidorus *lib. 1. aduerſus Iudæos c. 4.* Filium appellauit tertiam Trinitatis perſonam, quam interpretationem ex Loayſa in notis ad Iſidorum, accepimus, vbi rectè animaduertit, has dicendi formas, cum apud Eccleſiæ PP. reperiantur, non tam imitandas, quam piè eſſe interpretandas, noſtræ namque æteras ordinem in diuinis perſonis ex ſola origine ſequentes, Patrem, aut Filium tertiam Trinitatis perſonam appellare refugiunt, ſolum Spiritum Sanctum tali nomine intelligentes.

119 *Corollar. ex dictis Probatur primo.* Ex dictis infero, non ſolum Deum eſſe incomprehenſibilem ab Angelis, & hominibus, ſed etiam à quacumque creatura de potentia abſoluta factibili. Quod patet; nam Eccleſiæ PP. incomprehenſibilitatem Dei à creatura fundant in limitatione creaturæ, & illimitatione diuina, quælibet autem creatura de abſoluta potentia factibilis, finita, & limitata eſt; & conſequenter impotens ad Dei comprehenſionem. *Secundo.* Secundo, ex ratione, quam fecimus; comprehenſio namque Dei eſt cognitio illi adæquata in gradu immaterialitatis, in modo cognitionis exacto cognoſcibilitati diuinæ, & in claritate, & efficacia; at cognitio ſic adæquata repugnat omni creaturæ nedum factæ, verum etiam de potentia abſoluta factibili: ergo & Dei comprehenſio. Et hæc de iſta diſputatione, applicando litteræ Magiſtri in 3. diſt. 14. §. c. ad illa verba: *Quibus reſpondentes dicimus, animã Chriſti per ſapientiã gratis datã in Verbo Dei cui vnita eſt, quod & perfectè intelligit, omnia ſcire, quæ Deus ſcit ſed non omnia poſſe, quæ poteſt.* *M. Sent.* Et diſt. 49. §. 3. illis verbis: *Solet etiam quæri vtrum aliquid de Deo, &c.*

DISPVTATIO TRIGESIMAQVARTA.

Vtrùm anima Chriſti cognouerit omnia in verbo ex vi cognitionis Verbi?

§. I.

Aperitur ſtatus difficultatis, referuntur ſententiæ, ſtatuitur prima concluſio, & variæ auctorum rationes, vt inefficaces reyciuntur.

1 QVID de ſcientia rerum extra Verbum, ſeu rerum in proprio genere ſit dicendum *quæſt. ſeq.* videbimus. Modò de cognitione in Verbo diſputamus, an ſcilicet, in diuina eſſentia cognita, & ex vi cognitionis illius, omnia, quæ Deus noſcit, anima Chriſti cognouerit? Quo in re ſupponimus

Primum præſuppoſitum. primò, aliquas creaturas poſsibiles cognouiſſe animam Chriſti in diuina eſſentia cognita, & ex vi cognitionis illius, quod de omnibus beatis in vniuerſum, oſtendimus *Tract. de Viſione Dei*, conſtatque ex dictis contra Vazqu. *diſp. præc.* §. 1. Et breuiter hac ratione ſuadetur. In cauſa

Probatur. enim perfectè continente effectum, poteſt effectus cognoſci ex vi cognitionis illius, quo circa in eſſentia proprietates, in principioque concluſiones cognoſcuntur ex vi cognitionis eſſentiæ, & principij; ſed diuina eſſentia eſt cauſa perfectiſsimè continens creaturas: ergo anima Chriſti Domini cognouit in illa cognita, & ex vi cognitionis il-

Confirmatur 1. lius aliquas creaturas poſsibiles. Quod amplius confirmari poteſt; ſi ve enim fateatur Vazq. diuina eſſentia, vt ſpecies, & cognitio, repræſentat creaturas poſsibiles, quamuis, nec ſub conceptu ſpeciei, nec in ratione cognitionis realiter referatur ad illas: ergo pariter per modum obiecti cogniti

Confirmatur 2. poteſt illas repræſentare, ſine vlla relatione. Confirmatur; & vrgetur ſecundo; diuina eſſentia ſub conceptu omnipotentiæ non minus infert creaturarum poſsibilitatem, eſtque cum illa connexa, quam ſub decreto efficaci connectatur cum futuris, & futuritionem inferat; ſed in illa, vt per decretum liberum determinata, de facto cognoſcuntur futura ex vi cognitionis illius: ergo in illa cognita ſub conceptu omnipotentiæ, cognoſcentur poſsibilia ex vi cognitionis illius.

2 *Secundū præſuppoſitum.* Secundo ſupponimus, aliquas creaturas exiſtentes, præteritas, & futuras fuiſſe ab anima Chriſti cognitas in Verbo ex vi cognitionis illius. Quod etiam *loco alleg.* de omni-

Probatur. bus beatis monſtrauimus; & hoc argumento ſuadetur; nam licet diuina eſſentia ſecundum prædicata neceſſaria non inferat rerum exiſtentiam, vel futuritionem, nec cum illis connectatur, vt tamen per decretum efficax liberum determinata, neceſſario cum rerum exiſtentia, & futuritione connectitur: ergo in illa prout ſic cognita futura, & exiſtentia poſſunt cognoſci. Imo neceſſario cognoſcuntur ex vi cognitionis illius. Quod præter Vazquez, & per paucos Recentiores ipſum in hac parte ſequutos communiter docetur, non ſolum à Diſcipulis D. Th. ſed etiam à Diſcipulis Scoti, & Theologis Societatis.

3 *Tertium præſuppoſitum.* Tertium, quod ſupponimus eſt, cognouiſſe animam Chriſti ex vi cognitionis Verbi omnia prædicata, quæ formaliter competunt Deo. Quod etiam *loco alleg.* de omni-

Probatur. bus beatis oſtendimus, nec quod de facto ita ſit, poteſt ab aliquo Theologorum negari. Imo oppoſitum contradictionem inuoluere contra aliquos Recentiores oſtendimus, hoc argumento conuictæ; nam diuina eſſentia, vt in ſe, eſt omne prædicatum diuinum; ſed implicat diuinam eſſentiam videri, & non cognoſci, vt in ſe: ergo implicat intuitiuè videri, & non cognoſci ſecundum quod eſt omne prædicatum diuinum formaliter; ac proinde implicationé inuoluit Deum intuitiuè cognoſcentem, formalitatem, vel prædicatum aliquod diuinum latere. His ita breuiter adnotatis, ad creaturas in Dei omnipotentia, tanquam in cauſa contentas, præſens difficultas deuoluitur, & quia ex his, quædam tantum ſunt poſsibiles, aliæ exiſtentes, præteritæ, vel futuræ, de illis omnibus inquirimus, an illas anima Chriſti per beatificam viſionem cognouerit?

4 *Prima ſententia.* Circa quod quatuor reperio Theologorum ſententias. Prima docet, cognouiſſe animam Chriſti in diuina eſſentia cognita per beatificam viſionem, omnia, quæ Deus cognoſcit per ſcientiam viſionis, & per ſimplicem notitiam: ac proinde cognouiſſe omnes creaturas poſsibiles, exiſtentes, præteritas, & futuras: pro qua referuntur Hugo de

Hugo de S. Vict. Sancto Victore *tom. 3. lib. de ſapient. animæ Chriſti.* Ioannes de Ripa, relatus à Capreolo *in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3.*

Ripa. M. Sentent. *in 3. diſt. 14.* §. 2. Alex. *3. p. q. 13. memb. 7.*

Magiſt. Sent. Albertus Magnus *in eadem diſt. art. 1. & 2.* Illamque

Alex. al. probabilem reputat Scotus *q. 2.* §. 3. *modo, &* §. *poteſt dici*: dubitat tamen P. Vazquez *in præſenti diſp. 50. c. 2.* An

Albertus Magnus. omnes hi Auctores loquantur de eadem cognitione, qua vidit diuinam eſſentiam, an per diuerſam? Caeterum cum

Scotus. M. Sententiarum loquatur de cognitione rerum in Verbo,

Vazq. videtur de beatifica viſione loquutum; nam cognitio rerum in proprio genere à beatifica diſtincta, non eſt cognitio rerum in Verbo. Hoc tamen inter prædictos Auctores eſt adnotandum diſcrimen, quod Hugo, & Ioannes de Ripa id concedunt animæ Chriſti, non per viſionem creatam, ſed per increatam ſcientiam, per quam ſapientem fuiſſe intellectum Chriſti creatum, ex ipſis retulimus *q. praeced. diſp. 1.* §. 5. cæteri autem id concedunt animæ Chriſti, non per actum increatum, ſed per creatam cognitionem.

5 *Secunda ſententia Durand.* Secunda docet, cognouiſſe animam Chriſti ex vi cognitionis beatificæ omnes creaturas poſsibiles, nullam tamen ex futuris. Hanc tenet Durandus *in 3. diſt. 14. q. 2. nu. 4.* ipſumque, nonnulli Recentiores quoad primam partem ſequuntur; quoad ſecundam vero diſsident, aſſerentes, aliquas ex creaturis futuris, vel exiſtentibus per beatificam viſionem ab anima Chriſti cognoſci; negant tamen

Tertia ſententia. omnia futura fuiſſe ab anima Chriſti cognita. Tertia ſententia docet, nec omnes creaturas poſſibiles nec omnes exiſtentes præteritas, aut futuras actu fuiſſe ab anima Chri-

Scotus. ſti per viſionem beatificam cognitas; benè tamen habi-

Almain. tu. Pro hac referuntur Scotus *in 3. diſt. 14. q. unica art.*

Marſil. 1. Almainus *art. 1.* Marſilius *quæſt. 10. art. 2. p. 3. art. 1.*

S. Bonau. illam tenet Bonauentura *diſt. eadem artic. 2. q. 3.* Quarta,

Quarta ſententia. & vera ſententia docet, cognouiſſe animam Chriſti Domini ex vi viſionis beatificæ omnes creaturas exiſtentes, præteritas, & futuras; non tamen omnes poſsibiles. Auctores dabimus noſtram proponentes ſententiam. Pro qua ſit.

6 *Prima concluſio.* PRIMA CONCLVSIO. *Anima Chriſti Domini non*

S. Thom. *cognouit in diuina eſſentia cognita omnes creaturas poſſibi-*

Capreol. *les ex vi viſionis beatificæ* Ita D. Th. *in 3. diſt. 24. q. 1. art.*

Palud. *2. quæſtiun. 2. ad Annibaldum in eadem diſtin. q. vnica*

M. Soto. *art. 2. de Veritate q. 20. art. 4. opuſc. 2. cap. 216. 3. Contra*

Caiet. *Gentes c. 56. 1. p. q. 12. art. 8. & in hac q. art. 2.* Angeli-

Bannez. cum Doctorem ſequuntur omnes eius Diſcipuli. Capreol.

Zumel. *in 3. diſt. 24. quæſt. 2. art. 1.* Palud. *q. 2. art. 3.* M. Soto *in*

Nazar. *4. diſt. 49. q. 3. art. 3. concluſ. 1.* Caietan. *1. p. q. 12. art. 8.*

Albeda. Vbi Bañez Zumel, Nazar. Albeda, Sancto Thoma, Rip-

S. Thom. pa, Zanardus, Diſcalceati Salmanticenſes: Medina, Al-

Rippa. uarez, Illuſtriſsimus Araujo *in præſenti*, & cæteri Re-

ten-

Nazar. Salmant. Aluar. Araũio. Molin. Vazq. Suar. Amicus. centiores Thomiſtæ. Tenent etiam ex Patribus Societatis Molina 1. p. q. 12. *art.* 8. *diſp.* 2. & *diſp.* 5. *membr.* 2. vbi oppoſitam ſententiam pluſquam periculoſam cenſendam exiſtimat, quia ex illa ſequitur, Deum comprehendi ab intellectu creato, quod eſt contra fidem Vazq. in *præſenti diſp.* 50. *c.* 3. vbi ait, quod licet hactenus, nec in Concilio, nec in Pontifice aliquid in hoc puncto ſit diffinitum, nihilominus abſurdam eſſe oppoſitam ſententiam. Suarez *diſput.* 26. *ſect.* 2. *dicto* 1. docens, concluſionem noſtram ad fidem non pertinere, ſed tantum eſſe opinionem Theologicam altera probabiliorem. Ex ea Recentioribus illam tenet Amicus 1 *p. diſp.* 9. *ſectione* 32. & nonnulli alij Nouiores ex eadem familia.

7 *Ratio P. Vazq.* Licet autem omnes Auctores relati in noſtra concluſione conueniant, in illa ſuadenda diſſident. Vazquez vbi *ſupra c.* 3. circa finem, illam exinde ſuadet; nam vel omnia poſſibilia cognoſcat anima Chriſti ex vi viſionis eſſentiæ, vel peculiari Dei reuelatione: primum eſt impoſſibile, quia ex tali modo cognitionis poſſibilium, ſequitur Deum comprehendi, quod à ſe ſupponit probatum 1. p. *diſp.* 53. ſecundum autem eſt omnino voluntarium: non *Reijcitur.* ergo omnia poſſibilia cognouit. Hoc tamen argumentum non vrget; nam licet minor pro prima parte ſit vera, vt *inferius* oſtendemus, pro ſecunda tamen eſt falſa; eo enim ipſo, quod poſſibiliſ adſtruatur omnium poſſibilium cognitio, non voluntariè, ſed magno cum fundamento, animæ Chriſti attribuitur; cum ſit maxima perfectio in determinato gradu conſiſtens, cum vnione hypoſtatica non repugnans, nec enim alia maiori perfectione; omnem autem perfectionem huius conditionis, eſſe Chriſto concedendam, conſtat ex ſæpè iam repetitis.

8 *Aliorum Recentiorum fundamentũ.* Secundo alij Recentiores, ex eo ad noſtram concluſionem defenſandam mouentur, quia vt viſio beatifica Chriſti omnia poſſibilia in omnipotentia cognoſceret, neceſſum erat, quod ſe ipſam attingeret; ſed implicat ſe ipſum attingere; cognitio namque ab obiecto ſpecificatur, ab illo dependet, illius imago eſt, illudque præſupponit; implicat autem idem à ſe ipſo ſpecificari, aut dependere, ſe ipſum ſupponere, & ſui imaginem eſſe: ergo implicat, *Puente. Hurtad.* quod anima Chriſti in Verbo omnia poſſibilia cognoſcat. Ita Puente. Hurtado *diſp.* 10. *de vnione ſect.* 3. & 4 & poſt ipſum alij Recentiores.

9 *Reijcitur 1.* Hæc tamen ratio nullius robori eſt, & reijcitur primo; nam cognitio entis vt ſic, ad ſe ipſam terminatur; cum ſit attingentia entis, non ſolum quoad id, quod explicat, ſed etiam quoad id, quod implicat; ipſa autem cognitio implicite importetur in ente, vtpote inferior ad ipſum; cognitio etiam qualitatis, vt ſic, ad ſe ipſam terminatur in ſententia aſſerentium, rationem communem non eſſe aliud, quam rationes ſub illa contentas diſiunctiuè, aut complexiuè, & in noſtra ſententia eſt cognitio ſui, ſaltim identicè, ideſt, rationis communis cum ipſa identificatæ, & in obliquo ad ſe ipſam formaliter terminatur: ergo non implicat, cognitionem ſe ipſam habere pro obiecto; ac proinde ex iſto capite, nulla repugnantia erit, in eo quod viſio beatifica Chriſti ſit omnium poſſibilium cognitio.

10 *Secundo.* Secundo; nam de facto viſio cuiuſcumq; beati eſt cognitio quidditatiua Dei, vt omnipotentia; & conſequenter poſſibile à Deo, fieri, ſecundario, & in obliquo attingit; cum cognoſci quidditatiuè omnipotentia non poſſit, non cognita ratione communi entis à Deo creabilis, & factibilis, ſed ſub hac ratione communi continetur, ipſa viſio: ergo de facto ad ſe ipſam in confuſo terminatur; & tamen hoc præſtat, ſine reali ſpecificatione, & dependentia à ſe ipſa, ſine reali ſui ſuppoſitione, ſine reſpectu reali ad ſe ipſam, & ſine eo quod ſit ſui ipſius imago: ergo etiam poterit ſe ipſam ſecundario expreſsè attingere, ſine aliqua ex his conditionibus.

11 *Tertio.* Tertio; nam ex hac ratione ſequitur, nullum Angelum comprehendere ſe ipſum naturali cognitione; conſequens eſt contra receptam; & communem Theologorum ſententiam: ergo ratio facta nullius roboris eſt. Patet ſequela; vt Angelus comprehendat ſe ipſum, neceſſario debet ea vt cognitionis ſui, proprium intellectum cognoſcere, propriamque ſubſtantiam, vt gerentem munus ſpeciei, ad ſui ipſius cognitionem; & conſequenter effectus in ſuo intellectu completè in actu primo contentos, quorum vnus eſt naturalis ipſius Angeli cognitio; ſed ſi ratio facta eſſet efficax, non poſſet cognitio naturalis, quam Angelus de ſe habet, ad ſe ipſam terminari: ergo non eſſet Angeli, cuius eſt, comprehenſio; & conſequenter nullus Angelus poſſet ſe ipſum, vt ad ordinem naturæ ſpectat, per naturalem cognitionem comprehẽdere.

12 *Quarto.* Deniq; à priori reijcitur; nam licet cognitio à primario obiecto dependeat, illius imago ſit, realiq; reſpectu reſpiciat, ac præſupponat; ab obiecto tamen ſecundario dependere non poteſt, nec illud ſupponere, aut reali relatione reſpicere; ſed viſio beatifica ſe in omnipotentia, vt poſſibilem attingens, non comparatur ad ſe, vt ad obiectum primarium, ſed tantum vt ſecundarium in omnipotentia, vt primario obiecto attactum: ergo nulla eſt repugnantia, in eo quod ſit ſui omnipotentia cognitio. Probatur maior; dependentia cognitionis ab obiecto, in qua conſiſtit, vel fundatur reſpectus realis ad illud, illiuſq; præſuppoſitio, nihil aliud eſt, quam ſpecificatio ab illo; ſed cognitio, non à ſecundario obiecto, ſed tantum à primario ſuam ſpecificationem deſumit, vnde in idem venit primarium, & ſpecificatiuum obiectum: ergo non petit à ſecundario obiecto dependere, illud ſupponere, realique reſpectu reſpicere.

13 *Oppones.* Sed oppones, perfectius quid eſt, ſe in omnipotentia attingere, quam in ſe ad ſe ipſam terminari directè; cum prior illa terminatio habeat obiectum primarium, & ſpecificatiuum perfectius; ſed implicat, quod viſio beatifica ad ſe ipſam in ſe terminetur, terminatione directa: ergo etiam implicat ad ſe in obiecto ſecundario, & indirectè terminari; ac proinde implicat, quod ſit ſui ipſius in omnipotentia cognitio. *Reſpondet.* Reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam; nam licet prior terminatio perfectior ſit, quam ſecunda, non tamen petit modus ille terminationis, quod viſio à ſe ipſa dependeat, & ſpecificetur, ſed tantum ab obiecto directe, & primario attacto; in ſecunda autem, cum non haberet obiectum à ſe ipſa diſtinctum, ſe tanquam primarium obiectum reſpiceret; & conſequenter à ſe ſpecificaretur, & dependeret, ſe ipſamq; reali reſpectu reſpiceret, quod implicat: vnde quamuis terminatio illa indirecta perfectior ſit, quam directa, poteſt conuenire viſioni, & repugnare ſecunda.

14 *Tert. aliȷ̈ Recentiores arguũt.* Tertio, alij Recentiores ſic arguunt: poſſibilis eſt actus fidei enuntians de viſione beatifica, quod in æternum ſit duratura; ſed huius nequit eſſe cognitio, etiam de potentia abſoluta: ergo nec poteſt eſſe omnium poſſibilium cognitio. Maior eſt certa; cum enim de facto ſit in æternum duratura, poteſt hoc à Deo reuelari; & conſequenter eſt poſſibilis actus fidei, quo, quis credat, & enuntiet æternam viſionis durationem. Minor autem, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur; ſi viſio beatifica eſſet illius actus, vt poſſibilis cognitio, ſemel exiſtens eſſet eſſentialiter indeſtruibilis: conſequens abſurdum eſt; non enim eſt poſſibilis creatura, quæ deſinere non poſſit, Deo ſuſpendente concurſum; ergo viſio beatifica, etiam de potentia abſoluta, nequit eſſe cognitio actus fidei poſſibilis enuntiantis de ipſa viſione, quod ſit in æternum duratura. Probatur ſequela; ſi viſio beatifica ad illum actum, vt poſſibilem terminaretur, eſſentialiter eſſet talis actus cognitio; terminatio namq; ad poſſibilia, non eſt accidens viſioni, ſed ille actus; cum ſit ſupernaturalis, eſſentialiter eſt verus, eiq; falſitas eſſentialiter repugnat: ergo eſſentialiter peteret talis actus veritatem; at viſione beatifica in æternum non durante, actus enuntians illius durationem æternam deſineret eſſe verus: ergo eſſentialiter peteret ſui æternam durationem; & conſequenter eſſentialiter illi repugnaret deſinere, & à Deo annihilari.

15 *Hoc argumentum non vrget, ad illudq; reſp.* Hoc tamen argumentum non vrget; reſponderi enim poteſt, conceſſa maiori, negando minorem: ad probationem, negando ſequelam: ad cuius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: eſſentialiter eſt verus veritate exercita, & exiſtente, nego minorem: veritate ſignata, & poſſibili, concedo minorem, & diſtinguo conſequens: eſſentialiter peteret illius actus veritatem vt poſſibilem, concedo conſequentiam: vt exercitè exiſtentem, nego conſequentiam. Minor etiam ſubſumpta diſtinguatur: deſineret eſſe verus veritate exiſtente, & exercita, concedo minorem; ſignata, & poſſibili, nego minorem, & conſequentiam. Itaque actus fidei enuntians durationem æternam viſionis, vt poſſibilis non petit veritatem ſuam formalem, nec veritatem obiectiuam; vt exiſtentem; & conſequenter non petit durationem æternam exercitam viſionis, vt exiſtentem, vel exituram, ſed tantum vt poſſibilem: ergo ex eo quod viſio beatifica ſit eſſentialiter cognitio talis actus, vt poſſibilis, non ſequitur eſſentialiter petere ſui æternam durationem vt exiſtentem vel vt futuram, ſed tantum vt poſſibilem; at cum duratione æterna poſſibili viſionis ſtat viſionem deſinere eſſe, & annihilari, quod nullus negare poteſt: ergo cum eo

quod ſit eſſentialiter cognitio actus fidei enuntiantis durationem æternam viſionis, conſiderato illo actu in ſtatu poſſibilitatis, ſtat viſionem beatificam deſinere poſſe; & conſequenter ab inconuenienti inducto, nempe, quod viſioni beatificæ repugnaret annihilari, aut deſinere eſſe, male colligitur, non poſſe terminari ad illum actum in ſtatu poſſibilitatis. Et hæc non ſolum eſt argumenti ſolutio, ſed meo iudicio euidens illius inefficaciæ demonſtratio; ſicut enim iſta conſequentia non valet: *Eſt poſſibilis actus eſſentialiter verus enuntians æternam durationem viſionis: ergo viſio in æternum durabit*: ita illa conſequentia, cui æquiualet argumentum factum, non tenet: *Viſio beatifica eſt eſſentialiter cognitio actus enuntiantis ſui durationem æternam, vt poſſibilis: ergo eſſentialiter petit ſui æternam durationem*.

16 *Alij denique ſic argumentantur.* Denique vt alia omittam ab alijs in hunc modum arguitur: viſio beatifica Chriſti, non poteſt eſſe cognitio cognitionis ſui reflexæ, quæ poſſibilis eſt: ergo nec omnium creaturarum poſſibilium. Antecedens probatur; id quod prius eſt poſſibile, nequit eſſe cognitio illius, quod poſterius poſſibile eſt; ſed viſio beatifica eſt prius poſſibilis, ſui cognitione reflexa: ergo nequit eſſe cognitio illius, vt poſſibilis. Minor videtur certa; nam obiectum cognitum eſt prius natura cognitione ad ipſum terminata; viſio autem beatifica eſt obiectum cognitionis ſui reflexæ; & conſequenter eſt illa prior. Maior autem probatur. Tùm ex hac ipſa ratione; nam obiectum cognitum debet cognitionem præcedere: ergo id, quod eſt prius poſſibile, nequit eſſe cognitio illius, quod poſterius poſſibile eſt. Tùm etiam, quia pro omni ſigno quo concipiatur cognitio, debet concipi terminata ad obiectum; ſed id, quod præcedit aliud, eſtque prius illo, pro ſigno ſuæ prioritatis, non poteſt terminari ad poſterius poſſibile, cum pro illo ſigno non ſit poſſibile: ergo id quod prius eſt poſſibile, nequit eſſe cognitio illius, quod poſterius poſſibile eſt.

17 *Reijcitur, & refutatur.* Sed nec etiam iſtud argumentum poteſt vrgere; nam maioris falſitas, quam in antecedentis probationem aſſumit, conſtat primo in cognitione, ex qua Verbum Diuinum procedit, quæ eſt prior Verbo procedente, & terminatur ad illud, Verbumque ex ſui ipſius cognitione procedere, eſt frequentior Theologorum ſententia. Et in cognitione diuina, quam eſſe attributorum omnium cognitionem negari non poteſt, & aliquibus attributis eſt prior, nempè, voluntate, miſericordia, & iuſtitia, &c. imo, & omnibus eſſe priorem, aſſerendum eſt, in ſententia ſatis plauſibili, docente actuali cognitione Dei naturam metaphyſicè conſtitui. *Cognitio poteſt eſſe ſuo obiecto ſecundario prior.* Et in ſcientia viſionis rerum, quam eſſe cauſam rerum, quas intuetur, tenet omnium Thomiſtarum ſententia; & conſequenter illis eſſe priorem. Scientia etiam ſimplicis intelligentiæ Dei prior eſt omnipotentia, ſi hæc ab intellectu, & voluntate conſtituitur diſtincta; & conſequenter prior etiam creaturarum poſſibilitate ab omnipotentia deſumpta. Non ergo eſt contra rationem cognitionis eſſe ſuo obiecto priorem; ac proinde falſa eſt maior in antecedentis probationem aſſumpta, qua aſſeritur id, quod potius eſt non poſſe eſſe poſterioris poſſibilis cognitionem. Nec vrget prima probatio maioris; nam ſolum obiectum primarium petit eſſe prius cognitione ad ipſum terminata; cognitio autem reflexa viſionis beatificæ, non eſt primarium obiectum, ſed ſecundarium illius: vndè ſicut hac ratione poteſt ſe ipſam attingere, ſine eo quod cauſetur a ſe, ita & ſine eo quod à cognitione ſui reflexa cauſetur, nec præcedatur. Nec magis premit ſecunda, nam maior aſſumpta eſt vera pro omni ſigno in *quo*, non vero pro ſigno à *quo*; ſignum autem pro *quo* cauſat ſui cognitionem reflexam, non eſt ſignum pro *quo* ab ipſa terminetur, ſed pro *quo* terminat, & cauſat illam; ac proinde neceſſarium non eſt; quod pro illo ſigno terminata ad illam intelligatur.

18 *Obijcies.* Sed dices, etſi non repugnet mutua inter duo cauſalitas in diuerſo genere cauſæ, in eodem tamen genere infimo cauſandi repugnat, vt tenet communis Philoſophorum ſententia; ſed ſi viſio beatifica ſui cognitionem reflexam, vt poſſibilem cognoſceret, ſe mutuo cauſarent, ac præcederent in eodem infimo genere cauſæ, nempè, in genere cauſæ obiectiuæ ſpecificantis: ergo viſio beatifica nõ poteſt eſſe cognitio ſuæ cognitionis reflexæ, vt poſſibilis. *Reſpondebis.* Reſpondebis, maiorem eſſe veram inter duo ſub eadem ratione, ſecus verò ſub diuerſa; viſio autem beatifica, vt exiſtens, eſt cognitio ſuæ cognitionis reflexæ, vt poſſibilis, non vt exiſtentis; hæc autem illam non vt poſſibilem, ſed vt exiſtentem attingit. Vnde non ſub eadem ratione; ſed ſub diuerſa ſe cauſant; ac proinde nulla eſt repugnantia.

Sed non ſatisfacit iſta ſolutio. Tùm, quia ex illa ſequitur, non poſſe omnia poſſibilia in Verbo cognoſci, abſque recurſu ad inconueniens comprehenſionis, conſequens non admittemus: ergo nec ſolutioni traditæ acquieſcere poſſumus. 19 *Reijcitur iſta ſolutio 1.* Patet ſequela; eſt enim poſſibilis cognitio à viſione beata diſtincta terminata ad ipſam, vt poſſibilem, ſed hanc non poſſet viſio beatifica, vt poſſibilem attingere iuxta datam ſolutionem; cum ſe inuicem cauſarent, in eodem genere infimo cauſæ, & ſub eadem ratione, nempè, inſpecta vtraque ſub ratione poſſibilis: ergo ea ſolutione tradita ſequitur, non poſſe omnia poſſibilia in Verbo cognoſci, abſque recurſu ad inconueniens comprehenſionis.

Secundo. Tùm etiam, quia ex illa ſequitur, non cognouiſſe animam Chriſti in Verbo per viſionem beatificam omnia futura, quod eſt contra D. Thom. *in præſenti art.* 2. ergo ſolutioni traditæ ſtandum non eſt. Patet ſequela, cognitio reflexa viſionis, non ſolum eſt poſſibilis, ſed etiam futura; nulla enim ratio eſſe poteſt, cur cognitio iſta excludatur à ratione futuræ, cum ſit poſſibilis; ſed iuxta iſtam ſolutionem non poteſt viſio beata ad ſui cognitionem reflexam, vt futuram, vel vt exiſtentem terminari, cum ſe cauſarent in eodem genere infimo cauſæ, & ſub eadem conſideratione: ergo cognitio reflexa viſionis beatæ futura, non attingitur ab illa; & conſequenter aliquod futurum latet viſionem beatam. *Vera obiectionis ſolutio.* Vnde aliter argumento facto reſpondeo, negando minorem; nam viſio, cum non attingat cognitionem ſui reflexam in ſe ipſa, ſed in Verbo, non cauſatur ſpecificatiuè ab illa.

---

§. II.

Ratione D. Thom. noſtra concluſio probatur.

20 *Probatur concluſio ratione D. Thom.* OMISSIS igitur his argumentandi modis, probanda eſt noſtra concluſio ratione D. Thom. ad hanc formam redacta. Cognitio omnium poſſibilium in diuina eſſentia cognita, & ex vi cognitionis illius, eſt diuinæ eſſentiæ comprehenſio; ſed implicat intellectum creatum; & conſequenter intellectum animæ Chriſti, Dei eſſentiam comprehendere: ergo implicat in diuina eſſentia cognita, & ex vi cognitionis illius omnia poſſibilia cognoſcere. Illatio eſt in forma. Minorem ſupponit Angelicus Doctor probatam *in hac quæſt. art.* 1. Noſque ex ipſo *Diſput. præcedenti* monſtrauimus. Maiorem autem ſic probo; eo modo vnum in alio cognoſcitur, quo in illo continetur; ſed creaturæ continentur in Deo, vt effectus in cauſa: ergo in illo cognoſcuntur, ſicut effectus cognoſcuntur in cauſa. Tunc ſic; ſed cognitio omnium effectuum in aliqua cauſa cognita, & ex vi cognitionis illius, eſt cauſæ comprehenſio: ergo omnium poſſibilium in diuina eſſentia cognitio ex vi cognitionis illius, eſt diuinæ eſſentiæ comprehenſio. Probat minorem, quanto enim perfectius cognoſcitur cauſa, tanto plures effectus cognoſcuntur in illa, & ex illa, ſeu ex vi cognitionis illius: ergo non poſſunt omnes effectus alicuius cauſæ poſſibiles cognoſci ex vi cognitionis cauſæ; niſi in cauſa cognita omni perfectione poſſibili; ſed cognitio cauſæ perfecta omni perfectione poſſibili, eſt cauſæ comprehenſio: ergo cognitio omnium effectuum in cauſa cognita ex vi cognitionis cauſæ, eſt cauſæ comprehenſio.

21 *Reſpondet 1. Scotus,* Reſpondebis primo ex Scoto in 3. *diſt.* 14. *q.* 2. falſum eſſe id, quod D. T. pro fundamento ſuæ probationis aſſumit, nempe, res cognoſci in Deo, ſicut effectus in cauſis; non enim ſic cognoſcuntur, ſed ſicut res cognoſcuntur in ſpeculo voluntario, vt docet Auguſt. *lib. de videndo Deum*; *S. Aug.* ac proinde quamuis ex cognitione omnium effectuum in cauſa ſequatur cauſæ comprehenſio, non ſequitur ex cognitione omnium poſſibilium in Deo, fore Deum comprehendendum. *Reijcitur. S. Thom.* Sed contra, quia vt docet D. Th. *q.* 12. *de Verit. art.* 6. res ſunt in Deo propriè, vt in cauſa, metaphoricè autem in illo ſunt, vt in ſpeculo; ſed res cognoſcuntur in aliquo eo modo, quo in illo continentur: ergo creaturæ cognoſcuntur in Deo propriè, vt in cauſa, metaphoricè autem tanquam in ſpeculo. Maior probatur; nam Deus propriè eſt cauſa creaturarum, & ſolum metaphoricè ſpeculum: ergo contineu-

uenitur in Deo propriè, vt in cauſa, & metaphoricè, vt in ſpeculo. Antecedēs pro prima parte, nequit negari: pro ſecunda vero, probatur primo ab Angelico Doctore ibi; nam ſpeculum accipit ſpecies à rebus repræſentatis; Deus autē rerum ſpecies, vel eſſentias continet, non per reſultantiam ex illis, ſed ante illas, & à ſe: ergo propriè ſpeculum rerum non eſt. Secundo id probat D. Tho. q. 20. *de Verit. art. 4. in corp.* nam ſpeculum cōtinet res diſtinctè ex parte rerum, & diſtinctè ex parte ſui, hoc eſt, per ſpecies diſtinctas iuxta rerum diſtinctionem; Deus autem res diſtinctè continet diſtinctione ex parte rerum, non verò ex parte continentis, ſed ratione vnius virtutis vniſſimè continet omnium rerū diſtinctionem: ergo propriè ſpeculum creaturarum non eſt; ſed ad ſummum metaphoricè, quatenus cum ſpeculo conuenit in repræſentatione diſtincta ex parte rerum, quæ ab ipſo repræſentatur.

Deus ſolū metaphoricè eſt ſpeculum creaturarum.

S. Thom.

22 *Reſpōdet ſecundo Scotus.*

Reſpondebis ſecundo ex eodem Scoto *vbi proximè*, quod licet cauſa perfectius cognita plurium effectuum inferat cognitionem, non tamen è contra, plurium effectuum cognitio requirit perfectiorem cognitionem cauſæ. Tùm, quia cauſa ſicut in eſſendo ab effectu non perficitur; ita nec in cognoſci ab illo vt cognito perfici poteſt. Tùm etiam, quia quæcumque cauſæ cognitio eſt potens ad cognitionem alicuius effectus; alias non eſſet cognitio cauſæ, vt cauſę, vel principij, vt principij; & conſequenter poteſt inuariata, quoad cognoſci, omnium ſuorum effectuum parere cognitionemque cum non ſit maior ratio vnius effectus, quam omnium; ac proinde D. Th. fallaciam in ſua conſequentia committit. Tùm denique; nam vnius præmiſſæ cognitione inuariata, ſi altera præmiſſa adiungatur, poteſt concluſionis cognitionem cauſare; ac proinde D. Tho. in ſua conſequentia fallaciam conſequentis commiſit.

23 *Reyicitur ſecunda ſolutio Scoti.*

Sed contra iſtam ſolutionem obſtat; nam cauſam perfectiùs, aut imperfectius cognoſci, eſt ratio adæquata, cur in illa cognita ex vi cognitionis eius, plures, vel pauciores cognoſcantur effectus, vt poſtea videbimus, & in hoc ſenſu loquutus eſt D. Thom. at ſic intellecta propoſitione, D. Thom. rectè concludit, quod ſola cauſæ comprehenſio eſt cognitio omnium effectuum in illa, & ex illa, vt cognita: ergo ſolutio Scoti ex non intelligentia rationis D. Thom. procedit. Nec Angelicus Doctor, aliquam fallaciam commiſit. Minor probatur; nam ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, & exceſſus ad exceſſum in cauſa adæquata, ita adæquatio ad adæquationem; ſed cauſam aliquæ perfectione intenſiua cognoſci, eſt ratio adæquata cognoſcendi in illa aliquos particulares effectus, & perfectius cauſam cognoſci eſt ratio adæquata cognoſcendi plures effectus: ergo ratio cognoſcendi omnes effectus in virtute cauſæ contentos, ſolum poteſt eſſe cauſam adæquatè cognoſci: & conſequenter ſolum in cauſa cognita comprehenſiuè poſſunt cognoſci omnes effectus illius.

24 *Ad primū motiuum Scoti reſp.*

Nec obſtant motiua Scoti: non primum; nam ſicut ſtante, quod cauſa in eſſendo ab effectu non perficiatur; nihilominus plures, & perfectiores effectus maiorem exigunt, & ſupponunt perfectionem in cauſa, ita quamuis cauſa in cognoſci, ab effectu vt cognito non perficiatur, ſtat quod terminatio ad plures effectus, vel ex cauſa cognita cauſata, vel in cauſa cognita habita, perfectiorem cauſæ cognitionem ſupponat, vel perfectiorem ad cauſam terminationem; & conſequenter quod adæquata ad effectus terminatio adæquatam cauſæ cognitionem requirat, & cognitio omnium effectuum in cauſa, ſit adæquata cauſæ cognitio.

Ad ſecundum.

Nec ſecundum; nam cognitio ſolum quidditatiua cauſæ, & minimæ perfectionis, ſolum petit terminari ad rationem communem effectus, non verò ad effectum aliquem in particulari, vt videbimus ſoluentes argumentum Durandi, & primum ſufficit ad hoc; quod cauſa cognoſcatur, vt cauſa. Nec ſequitur poſſe inuariata cauſæ cognitione ad omnes effectus in particulari terminari ob rationem, quam ibi aſſignabimus.

Ad tertiū.

Nec denique tertium motiuum obſtat; nam ratio D. Th. procedit in cauſa, quæ vt cognita, eſt adæquata ratio cognitionis effectus, hæc namque in ſui cognitione inuariata, non poteſt eſſe ratio cognoſcendi plures effectus, cum ratio exceſſus in terminatione ad effectus, non poſſit aliunde haberi, niſi ex exceſſu cognitionis cauſæ; obiectio autem ſumit cauſam, cuius cognitio non eſt adæquata ratio cognoſcendi concluſionem, ſed tantum inadæquata, cum indigeat altera præmiſſa, vt concauſa inferendi concluſionem, & de hac verum eſt poſſe in ſui cognitione inuariatam, cauſare cognitionem concluſionis, quam antea non cauſabat.

25 *Primo reſpondent aliqui Recentiores.*

Præter ſolutiones Scoti, quas Capreolus, Ferrar. & Caietanus ſatis efficaciter reijciunt, Noſque ex illorum doctrina reiecimus, plures alias à Recentioribus excogitatas inuenio, quibus vim rationis D. Tho. conantur eludere. Prima eſt, cognitionem omnium effectuum in eſſentia diuinæ cognita ad ſummum eſſe, exigere, vel arguere comprehenſionem diuinæ omnipotentiæ, quæ eſt virtus productiua Dei, non verò eſſentiæ comprehenſionem: comprehenſio autem diuinæ omnipotentiæ non implicat, etſi implicet comprehenſio eſſentiæ.

26 *Secundo reſp. alij.*

Secundo alij reſpondent, non comprehendi diuinam omnipotentiam per cognitionem omnium creaturarum in illa, adhuc comprehenſione extenſiua, quia cognita diuina omnipotentia ſub omni cōnexione ad creaturas, reſtat adhuc cognoſcenda ſecundum connexionem identitatis, quā habet cum alijs attributis, ſine cuius cognitione non comprehenditur omnipotentia extenſiuè. Tertio alij reſpondent, ex cognitione omnium poſſibilium in diuina eſſentia cognita, non colligi comprehenſionem extenſiuam omnipotentiæ, quia collectio omnium effectuum poſſibilium, non eſt adæquatus terminus cognoſcibilitatis diuinæ, cum etiam in omnipotentia cognita poſſint creaturæ repugnantes cognoſci, cum quibus omnipotentia connectitur, cum eo ipſo, quod aliqua creatura repugnans, non repugnans redderetur, non maneret omnipotentia diuina.

Tertio alij Recentiores rationi D. Th. occurrūt.

27 *Quarto reſpōdent alij.*

Aliorum ſolutio eſt, quod licet ex cognitione omnium creaturarum poſſibilium in diuina omnipotentia inferatur comprehenſio omnipotentiæ, non tamen colligitur ex omnium poſſibilium cognitione, quarum pars in omnipotentia diuina cognoſcatur, & pars in diuina ſcientia, vel in altero attributo connexo cum poſſibilibus; nam cognitio omnium poſſibilium ſic habita, non eſſet adæquata cognitio ſcientiæ, nec omnipotentiæ, & conſequenter nullius eſſet comprehenſio. Denique alij reſpondent, & eſt frequentior ſolutio, cognitionem omnium poſſibilium in diuina eſſentia cognita, non eſſe, nec inferre comprehenſionem intenſiuam illius, ſed tantum extenſiuam; licet autem implicet diuinam eſſentiam comprehendi intenſiuè ab intellectu creato, non tamen implicat ab illo comprehendi extenſiuè, nec contra fidem, aut temerarium eſſe id aſſerere.

Quinto reſpōdent alij frequantius.

28 *Prima ſolutio reijcitur primo.*

Sed nulla ex his ſolutionibus rationi D. Tho. ſatisfacit. Non prima; tum, quia eiuſdem rationis, eſt comprehendere eſſentiam alicuius rei, & virtutem ipſius: ergo non ſtat comprehendere omnipotentiam diuinam, & non comprehendere eſſentiam. Antecedens eſt D. Tho. *Opuſc. 2. cap. 216. circa medium*; & probatur ratione Angelici Præceptoris ibidem, nam vnumquodque agit, in quantum eſt ens in actu: ergo non ſtat comprehendere alicuius rei actiuitatem, & non comprehendere illius actualitatem.

Secundo.

Tùm etiam; nam ſicut diuina eſſentia eſt infinita, ita & diuina virtus; ſed intellectus creatus non poteſt comprehendere eſſentiam diuinam ratione ſuæ infinitatis: ergo nec diuinam virtutem. Sic ad verbum D. Thom. *quæſt. 20. de Veritate art. 5. in argumento ſecundo ſed contra*. Quod etiam docuit 3. *Contra gentes cap. 56. ratione 3.* his verbis: *Diuinam autem virtutem, cum ſit infinita, non poteſt aliquis intellectus creatus comprehendere, ſicut nec eſſentiam eius.*

S. Thom.

29 *Secunda ſolutio reijcitur.*

Nec magis ſecunda ſolutio ſatisfacit; etenim omnipotentia, non poteſt intuitiuè videri, non cognita ſub connexione identitatis cum cæteris attributis; ſed videns in diuina eſſentia creaturas, intuitiuè omnipotentiam cognoſcit: ergo non poteſt à connexione identitatis omnipotentiæ cum cæteris attributis præſcindere. Minor cum conſequentia probatione non indiget. Maior autem probatur primo; vt enim in diſputationis limine ſuppoſuimus, non poteſt diuina eſſentia videri, non viſis omnibus attributis, & diuinis relationibus, eo quod cum illis, prout in ſe identificatur; ſed connexio omnipotentiæ cum cæteris attributis identificatur cum illa, eſtque illius prædicatum formale: ergo non poteſt omnipotentia videri, & ab illa connexione præſcindi. Secundo, non poteſt diuina eſſentia videri latentibus attributis, eo quod prout eſt in ſe, qualiter viſionem terminat identificatur cum illis; ſed etiam omnipotentia eſt in re identificata cum cæteris attributis: ergo illis non viſis, non poteſt omnipotentia videri; & conſequenter omninò repugnabit videri, non viſa ſub connexione identitatis, quam habet cum attributis.

Deinde tertia ſolutio reijcitur primo ex D. Thom. 3. 30

Contra Gentes cap. 56. ratione 3. nam quantitas alicuius virtutis attenditur ſecundum ea in quæ poteſt: ergo cognitionis omnibus, in quæ poteſt, talis virtus comprehenditur ſub ratione virtutis. Secundò, ex eodem D. Tho. *q. 20 de Verit. art. 5.* propè finem corporis, illis verbis: *Ita impoſſibile eſt, vt aliquis intellectus creatus cognoſcat omnia, quæ in Verbo cognoſci poſſunt, & hæc ſunt omnia, quæ Deus poteſt facere.* Ex quibus verbis tale argumentum conficio: ad rei comprehenſionem ſufficit cognoſcere omnia, quæ in illa, & ex illa ſunt cognoſcibilia; ſed omnia quæ in virtute diuina, & ex illa ſunt cognoſcibilia, ſunt omnia poſſibilia: ergo illis omnibus cognitis, eſto impoſſibilia laterent, comprehenderetur virtus vel omnipotentia diuina.

Tertia ſolutio reijcitur 1.

Secundò.

S. Thom.

31 *Tertiò.* Tertiò; vt virtus aliqua comprehendatur ſufficit illam cognoſcere, & terminum adæquatum illius; ſed cognitis omnibus poſſibilibus, eſto impoſſibilia laterent, cognoſceretur omnipotentia diuina, & illius terminus adæquatus; nam impoſſibilia, quæ latentia ſupponuntur, non ſunt termini omnipotentiæ diuinæ, cum non habeant eſſe ab illa, nec poſſint illud habere: ergo comprehenderetur omnipotentia diuina. *Quartò.* Quartò, cognita diuina omnipotentia ſecundum omnia formalia, & eminentialia, non poteſt non comprehendi, ſed cognitis omnibus poſſibilibus eſto impoſſibilia lateant, cognoſcitur omnipotentia diuina ſecundum omnia formalia, & eminentialia; nam impoſſibilia, quæ ſupponuntur non cognita, nec formaliter, nec eminentialiter continentur in omnipotentia; cum non ſint, nec eſſe poſſint participationes illius: ergo omnibus poſſibilibus cognitis comprehenditur diuina omnipotentia.

32 *Quintò.* Denique, quia non ſtat omnia poſſibilia cognoſci, & impoſſibilia latere; ergo ex non cognitione impoſſibiliũ, cognitis omnibus poſſibilibus, non poteſt omnipotentiæ comprehenſio impediri. Antecedens probatur. Tùm, quia eo ipſo, quod omnia poſſibilia cognoſcantur, cognoſcitur quidquid ſub his poſſibilibus non continetur implicationem inuoluere. Tùm etiam, quia impoſſibilia non poſſunt in ſe ipſis cognoſci præſertim in Deo, nec immediatè in omnipotentia diuina, vt probauimus: ergo ſolum poſſunt cognoſci ratione ipſorum poſſibilium, ſicut mala per bona creata, & negationes per forma illis oppoſitas cognoſci à Deo; docuit D. Th. *1. p. q. 14. art. 9. & 10.* & conſequenter poſſibilibus omnibus cognitis comprehenſiuè, non poſſunt impoſſibilia latere. Quod ſi inquiras modum, quo poſſibilia, v. c. chimera, ratione poſſibilium cognoſcantur. Reſpondeo, hæc impoſſibilia ſemper ex aliquibus extremis poſitiuis repugnantibus componi, v. c. chimera, compoſitum eſt ex Leone, Serpente, & Capra, inter quæ extrema ad vnius compoſitionem repugnat coniunctio. In his ergo extremis comprehenſis, repugnantia coniunctionis cognoſcitur; ac proinde impoſſibilitas chimeræ in illis cognoſci poteſt, imo non eſt aliter cognoſcibilis.

S. Thom.

Impoſſibilia cognoſcuntur, cognitis extremis poſitiuis repugnantibus.

33 *Quarta ſolutio reijcitur 1.* Deinde quarta ſolutio reijcitur primo; quia vel ſcientia, quæ pro medio cognitionis medietatis poſſibilium adſtruitur, eſt ſcientia ſpeculatiua, vel practica: ſi primum, non adſtruitur medium ſufficiens; ſi ſecundum, non eſt medium ab omnipotentia diſtinctum: ergo ſolutio illa, argumentum noſtrum in ſuo robore relinquit. Minor pro ſecunda parte patet, nam in communi ſententia ſcientia practica non eſt ab omnipotentia diſtincta, & quamuis diſtincta ſit, illi omnipotentia vt dirigenti ſubordinatur; ac proinde non poſſunt poſſibilia in omnipotentia cognoſci, niſi etiam ſcientia practica ad illorum cognitionem concurrat, nec in ſcientia, niſi etiam omnipotentia concurrente; cum debeant in ſui cauſa adæquata cognoſci. Pro prima vero parte probatur; nam non quæcumque formalitas connexa cum poſſibilibus eſt ſufficiens medium ad quidditatiuam, & comprehenſiuam cognitionem illorum, ſed ſolum id, quod per modum cauſæ continet illa; vnde viſio Dei comprehenſa ab anima Chriſti Domini in plurium Theologorum ſententia per ſcientiam per ſe infuſam, quamuis cum Trinitate perſonarum eſſentialiter connexa ſit non eſt medium, in quo Trinitas perſonarum cognoſcatur quidditatiuè, quia non per modum cauſæ, ſed per modum repræſentationis, & cognitionis cum Trinitate perſonarum connectitur; at ſcientia Dei purè ſpeculatiua non eſt cauſa poſſibilium, nec illa eminenter continet, ſed ſolum eſt illorum repræſentatio, vel intellectualis attingentia: ergo in illa, vt in medio cognito, non poſſunt comprehenſiuè, nec quidditatiuè poſſibilia cognoſci.

34 *Secundò reijcitur.* Secundò reijcitur; nam dato ſcientia Dei eſſe ſufficiens medium, in quo cognitio poſſibilia comprehendantur, vel quidditatiuè cognoſcantur non poſſunt in illa aliqua poſſibilia cognoſci, quin etiam ex vi eiuſdem cognitionis eadem poſſibilia in omnipotentia cognoſcantur: ergo non poſſunt omnes creaturæ poſſibiles cognoſci in ſcientia, & omnipotentia, vt in medijs, quorum vnum, medietatem poſſibilium oſtendat, & alterum, alteram medietatem, ſed omnia in illarum qualibet debent cognoſci, ſi ſimul ab aliquo cognoſcantur. Probo antecedens, quia ſcientia, & omnipotentia in terminando viſionem intuitiuam conueniunt, & hæc ad illa prout ſunt in ſe terminatur, non poteſt ſcientias terminare ſui viſionem præciſiuè ab omnipotentia viſa, nec omnipotentia præciſiuè à ſcientia, vt in principio diſputationis notauimus, ſed etiam in ratione mouendi ad poſſibilium cognitionem conueniunt, ſemel dato, quod vtraque poſſit mouere, & aliàs cognitio poſſibilium in Deo, vt obiecto mouente ad illorum cognitionem, Deum vt eſt in ſe habet pro medio motiuo: ergo non poteſt diuina ſcientia ad alicuius poſſibilis cognitionem mouere non mouente omnipotentia, nec omnipotentia pariter ſine ſcientia mouente.

35 *Quinta ſolutio reijcitur.* Denique quinta ſolutio, quæ frequentior eſt, vt dixit, quamque ex Aureolo, & Gotfriedo, apud Capreolum *vbi ſupra* Recentiores ſumpſere, reijcitur ex doctrina D. Tho. *q. 20 de Veritate art. 5. in corpore*, quæ poteſt ad hanc formam reduci: non ſtat creaturas omnes in diuina eſſentia cognoſci, non cognita Dei eſſentia adæquatè, ad æquatione intenſiua; ſed cognitio adæquata intenſiuè diuinæ eſſentiæ, eſt illius comprehenſio: ergo non ſtat creaturas omnes in diuina eſſentia, vel omnipotentia cognoſci; non comprehenſa diuina eſſentia comprehenſione intenſiua. Conſequentia euidens eſt. Minor in ſe certa, & à contrarijs admiſſa; maior autem probatur: cauſa, quæ mouet ad ſuorum effectuum cognitionem, vt intenſiuè cognita, non poteſt in omnium cognitionem mouere, niſi cognita adæquatè intenſiuè; ſed diuina eſſentia eſt cauſa mouens ad poſſibilium cognitionem, vt intenſiuè cognita: ergo non poteſt ad omnium poſſibilium cognitionem mouere, niſi cognita adæquatè intenſiuè.

S. Thom.

36 *Maior probatur 1.* Maior conſtat primo à paritate cauſæ mouentis ad ſuorum effectuum productionem, vt intenſiuè mota, quæ non poteſt in omnium productionem mouere, niſi adæquatè intenſiuè moueatur: ergo pariter cauſa mouens, vt intenſiuè cognita non poteſt mouere in cognitionem omnium, niſi adæquatè intenſiuè cognita. *Secundò.* Secundò; quia namque omnipotentia concurrit ad ſuos effectus producendos, vt à diuina voluntate applicata, non poteſt omnes illos producere, niſi à voluntate diuina adæquatè extenſiuè, & intenſiuè, applicetur: ergo idem, quod prius. *Tertiò.* Tertiò; nam cum cauſa mouet, vt extenſiuè cognita, hoc eſt, ratione formalitatum terminantium cognitionem, non poteſt in omnium cognitionem mouere, niſi adæquatè extenſiuè cognoſcatur, hoc eſt, taliter vt nulla illius formalitas cognitionem ſubterfugiat: ergo pariter cum mouet, non vt cognita extenſiuè, ſed vt intenſiuè cognita, hoc eſt, ratione maioris intenſionis, claritatis, & penetrationis ſui, non poteſt in omnium ſuorum effectuum cognitionem mouere niſi adæquata intenſione, claritate, & penetratione cognita. *Quartò.* Denique; nam in eo, in quo exceſſus ad exceſſum requiritur, petitur etiam adæquatio ad adæquationem; ſed in cauſa mouente ad ſuorum effectuũ cognitionem, vt intenſiuè cognita, ad exceſſum cognitionis effectuum requiritur exceſſus claritatis, penetrationis, & intenſionis cognitionis cauſæ: ergo ad adæquatam poſſibilium cognitionem requiritur adæquatio intenſionis, penetrationis, & claritatis cognitionis cauſæ; & conſequenter, quod cauſa adæquatè intenſiuè cognoſcatur.

37 *Minor diſcurſus facti probatur.* Deinde minor diſcurſus facti ſuadetur; nam in cognoſcente Deum, & quodlibet aliud obiectum, duo poſſunt conſiderari, ex quibus terminatio ad obiecta ſecundaria in primario cognoſcenda prouenit, ſcilicet, id quod cognoſcitur, & modus cognoſcendi, ſcilicet claritatis, intẽſionis, & penetrationis; ſed Deus, vel diuina omnipotentia non mouet ad poſſibilium cognitionem ratione ſui, vt præſcindit à modo intenſiuo, & penetratiuo cognitionis ad ipſum terminatæ: ergo mouet ratione huius modi; & conſequenter mouet diuina eſſentia ad poſſibilium cognitionem, vt intenſiuè cognita. Minor probatur; quia poteſt diuina eſſentia, ita remiſſe cognoſci, vt nullus effectus poſſibilis in particulari cognoſcatur in illa: ergo ratio terminationis ſecundariæ ad effectus in diui-

na eſſentia cognitos non eſt ipſa ratione ſui, vt præſcindit à modo intenſionis, & penetrationis. Tùm etiam ; nam ex duobus cognoſcentibus Deum, ille plures effectus poſſibiles cognoſcit in ipſo, qui intenſius cognoſcit Deum, ipſumque magis ſua cognitione penetrat: ergo terminatio ſecundaria ad effectus in diuina eſſentia cognitos, prouenit ex modo intenſionis, & penetrationis.

38 *Denique.* Tùm denique ; nam diſcrimen in effectu non poteſt reduci niſi ad, quod eſt conuenientiæ in cauſa naturaliter cauſante ; ſed omnes videntes Deum conueniunt in diuina eſſentia cognita ; cum nulla formalitas illius lateat, vel latere poſſit cognoſcentem illum intuitiuè : ergo diuerſitas in terminatione ad creaturas poſſibiles, penès plures, vel pauciores, quæ naturaliter à cognitione, prout ad Deum terminata, vel à Deo, vt cognitio procedit, non in rem cognitam, in qua omnes Deum videntes conueniunt, ſed in modum cognoſcendi intenſiorem, vel remiſſiorem debet reduci. Quam rationem breuiter his aureis

S. Thom. verbis complexus eſt D. Thom. loco proximè allegato ad finem corporis articuli: *Et ita patet, quod ex quo cognoſcere aliquid in Verbo, pendet ex modo cognitionis Verbi, ſicut impoſſibile eſt, quod aliquis intellectus creatus pertingat ad perfectum modum cognoſcendi Verbum, vt cognoſcibile eſt: ita impoſſibile eſt, vt aliquis intellectus creatus cognoſcat omnia, quæ in Verbo cognoſci poſſunt, & hæc ſunt omnia, quæ Deus poteſt facere.*

39 *Reſpondẽt contrarij Auctores.* Reſpondent contrarij Auctores. Exceſſum in numero poſſibilium in terminatione ad illa ex vi omnipotentiæ cognitæ, oriri quidem ex modo cognitionis primario ad omnipotentiam terminatæ, & ab exceſſu in modo talis cognitionis ; non tamen ex maioritate intenſiua, ſed extenſiua, quæ prouenit, non ex maiori intenſione viſionis, aut luminis, ſed ex diuerſa perfectione indiuiduali : vnde etiam concedunt terminationem ad plura poſſibilia ex vi omnipotentiæ cognitæ, naſci ex maiori penetratione omnipotentiæ, non quidem maiori intenſiuè, ſed extenſiuè: ex quo ſolum ſequitur, non poſſe omnia poſſibilia cognoſci abſque penetratione omnipotentiæ, cum illa extenſiuè adæquata ; non autem, quod debeat eſſe penetratio adæquata cum omnipotentia intenſiuè ; quod tamen neceſſarium erat, vt ex cognitione omnium poſſibilium in omnipotentia cognita, ſequeretur comprehenſio omnipotentiæ, vel vt talis cognitio eſſet comprehenſio illius.

40 *Hæc ſolutio ex dictis reijcitur.* Hæc tamen ſolutio ex dictis præcluſa manet ; ſumpta namque omnipotentia, vt diſtincta à poſſibilibus, ab omnibus beatis attingitur adæquatè adæquatione extenſiua ; cum nullum prædicatum omnipotentiæ conueniens, latere poſſit intellectum alicuius beati : ergo terminatio ad omnia poſſibilia non poteſt naſci, ex adæquatione extenſiua cum omnipotentia, vt diſtincta à poſſibilibus, qua ratione eſt obiectum primarium prædictæ cognitionis. Patet conſequentia ; diſcrimen namque in terminatione ad obiectum ſecundarium, non poteſt oriri ex terminatione ad primarium, ſecundum id, in quo omnes cognitiones ad ipſum primario terminatæ conueniunt ; ſed omnes viſiones beatificæ penetrant omnipotentiam adæquatè extenſiuè : ergo quod vna ad plura poſſibilia, vel ad omnia ſecundario terminetur, non poteſt oriri ex adæquatione extenſiua cum omnipotentia, vt diſtincta à poſſibilibus.

41 *Si dicatur.* Si forte dicatur, omnes viſiones beatificas adæquari cum omnipotentia adæquatione extenſiua formali, non autem adæquatione extenſiua virtuali ; & hoc ideo, quia licet omnes beati cognoſcant omnia prædicata omnipotentiæ ſecundum eſſe formale ; non tamen omnes cognoſcunt omnes formalitates omnipotentiæ, vt ſunt ratio cognoſcendi omnia poſſibilia, quod neceſſarium erat, vt omnes viſiones beatificæ adæquarentur cum omnipotentia adæquatione virtuali extenſiua.

42 *Obſtat in contrariũ.* In contrarium obſtat ; nam quod omnipotentia taliter cognoſcatur, quod ſit ratio obiectiua cognoſcendi omnia poſſibilia, & ad omnium cognitionem moueat obiectiue : naſcitur ex eo quod adæquate penetratur ; ſed penetrari adæquate, eſt intenſiue adæquate cognoſci : ergo ſolum cognita adæquate intenſiue poteſt eſſe ratio obiectiue mouens ad cognitionem omnium poſſibilium ; & conſequenter cognitio omnium poſſibilium ex vi omnipotentiæ cognitæ, eſt illius comprehenſio.

43 *Confirmatur.* Quæ omnia confirmari poſſunt ; nam cognitio ſummè clara omnipotentiæ, eſt illius comprehenſio ; ſed cognitio omnipotentiæ ſecundum omnia formalia, & eminentialia eſt cognitio ſumme clara, quæ poteſt de illa haberi : ergo eſt omnipotentiæ comprehenſio ; ac proinde ex cognitione omnium poſſibilium in Deo ſequitur comprehenſio Dei. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur ; non enim eſt poſſibilis clarior omnipotentiæ cognitio, quam illa, quæ omnia formalia, & eminentialia omnipotentiæ repræſentat : ergo talis cognitio eſt cognitio ſumme clara, quæ poteſt haberi de omnipotentia.

Dices, talem cognitionem eſſe quidem ſumme claram extenſiue, & hoc modo non poſſe ab aliqua cognitione terminata ad omnipotentiam excedi ; non tamen eſſe ſumme claram intenſiue, ſed hoc modo eſſe poſſibilem aliam cognitionem clariorem, nempè illam, quæ cum maiori intenſione in omnipotentia cognita omnia poſſibilia attingeret ; ac proinde prædicta cognitio non eſt comprehenſio omnipotentiæ ; ad hoc enim opus erat, quod eſſet ſumme clara intenſiue. 44 *Dices.*

Sed contra ; nam ſi eſſet poſſibilis cognitio intenſiue clarior, illa quę in omnipotentia cognita, omnia poſſibilia attingeret, ſequeretur poſſe cognitionem vnius creaturę poſſibilis ex vi omnipotentiæ cognitę, excedere in claritate cognitionem terminatam ad omnia poſſibilia in omnipotentia, conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Sequela patet ; nam poſſet cognitio vnius creaturę poſſibilis excedere in intenſione cognitionem omnium poſſibilium : ergo poſſet cognitio vnius tantum poſſibilis excedere in claritate cognitionem omnium poſſibilium in omnipotentia cognita. Minor autem oſtenditur primo ; nam cognitio omnium poſſibilium in omnipotentia penetrat magis omnipotentiam, quam cognitio vnius poſſibilis tantum ; cum illa prima penetret penes ordinem ad plura connotata, quam ſecunda cognitio : ergo hęc non poteſt excedere in claritate cognitionem omnium poſſibilium habitam ex vi omnipotentię cognitę. 45 *Sed contra*

Secundo probatur minor ; nam ex oppoſito fieret, poſſe cognitionem vnius poſſibilis in omnipotentia cognita eſſe ſubſtantialiter perfectiorem cognitione omnium poſſibilium in eadem omnipotentia ; conſequens eſt falſum ; alias poſſet magis beatus minorem poſſibilium numerum in omnipotentia cognoſcere, quam minus beatus, quod communi ſententiæ aduerſatur : ergo cognitio vnius tantum poſſibilis in omnipotentia non poteſt in claritate excedere cognitionem omnium poſſibilium ex vi omnipotentię vt cognitę. Probatur ſequela. Poſſet cognitio vnius tantum poſſibilis in omnipotentia excedere in modo intenſiuo cognitionem omnium poſſibilium in illa ; ſed exceſſus in modo intenſiuo, exceſſus ſubſtantialis, eſt & talis ſimpliciter: ergo poſſet cognitio vnius tantum poſſibilis in omnipotentia eſſe ſubſtantialiter perfectior cognitione omnium poſſibilium in illa. Probatur minor ; nam Deus, & beatus reſpectu vnius tantum poſſibilis idem cognoſcunt ; & tamen cognitio diuina ratione modi intenſioris excedit cognitionem cuiuſcumque beati exceſſu infinito ſimpliciter : ergo ratione ſolius modi intenſioris poſſet cognitio vnius tantum poſſibilis habita in omnipotentia eſſe ſubſtantialiter perfectior cognitione omnium poſſibilium in illa ; ac proinde poſſet magis beatus minorem numerum poſſibilium in omnipotentia cognoſcere, quam minus beatus. 46 *Secundo probatur minor.*

§. III.

Obiectionibus contra rationem iſtam occurritur.

Contra rationem iſtam, qua ex D. Tho. noſtram concluſionem oſtendimus, argumentari poſſumus primo ex eodem D. Tho. q. 20. *de veritate art. 4. ad 9.* deſumptum ex Iſidoro aſſerente: *Quod homo aſſumptus non æquatur Verbo in ſcientia ; & conſequenter nec in numero ſcitorum*, ita reſpondet : *Dicendum, quod homo aſſumptus non æquatur Verbo in numero ſcitorum, quamuis ſciat infinita, quia adhuc non ſequitur, quod ſciat omnia, quæ Deus poteſt facere, vt ex dictis patet. Dato etiã, quod omnino ſciret omnia, quæ ſcit Verbum, non æquaretur numero ſcitorum quãtũ ad modum ſciendi, quamuis eſſet æqua-* 47 *Arguitur 1. contra rationem D. Tho.*

æqualis numerus vtrobique: Ergo ſentit D. Thom. ex cognitione omnium poſſibilium in Verbo, non ſequi in cognitione modum infinitum per eſſentiam; at, vt ex cognitione omnium poſſibilium in Verbo inferatur comprehenſio Verbi, omnino neceſſarium eſt, quod ex terminatione ad omnia poſſibilia inferatur modus infinitus per eſſentiam in cognitione ad illa terminata, vt conſtat ex dictis: ergo ex cognitione omnium poſſibilium in Verbo, non infertur comprehenſio Verbi.

48 *Reſpondetur.* Reſpondeo, D. Thomam duplicem ſolutionem nono argumento dediſſe: primam ex propria ſententia, quam in illo articulo explicuerat, nempè, animam Chriſti cognouiſſe omnia, quæ ſcit Verbum ſcientia viſionis, non autem omnia, quæ ſcit Verbum ſcientia ſimplicis intelligentiæ; & iuxta iſtam ſententiam, primam dedit ſolutionem, ſcilicet, non æquari animam Chriſti in numero ſcitorum cum Verbo, quia licet cognouerit infinita, non cognouit omnia, quæ Deus poteſt facere; quæ tamen cognoſcit Verbum. Solutionem autem ſecundam, quæ argumento nono occurrit, dedit D. Th. iuxta ſententiam ipſi contrarium aſſerentem, animam Chriſti omnia, quæ ſcit Verbum, quocumque modo cognoſcere, & in terminis illius. Et quia Auctores iſtam tenentes ſententiam taliter docent animam Chriſti æquari in numero ſcitorum cum Verbo, quod ſimul negant adæquari in modo ſciendi, ſcilicet, infinito per eſſentiam cum Verbo ideo Angelicus Præceptor, illorum ſcientiam admittens, & in illorum terminis loquens, aſſeruit, dato, quod omnino ſciret omnia, quæ ſcit Verbum, nempè, eo modo, quo ab Auctoribus huius ſententiæ defenditur, ſolum colligi inter animam Chriſti, & Verbum æqualitatem in numero ſcitorũ, non autem æqualitatem in ſcientia, quæ penes modum magis, quam penes quantitatem ſcibilium penſatur; non autem id docuit D. Tho. quia ſentiret poſſe æqualitatem omnimodam in numero ſcitorum ſaluari, ſine æqualitate in modo ſciendi cum Verbo; cum in corpore eiuſdem articuli expreſſe docuerit ſolum comprehendentem Verbum, poſſe omnia, quæ in illius potentia continentur cognoſcere; & *art. 5. ſequenti*, ſolam cognitionem in modo adæquatam cum diuina cognoſcibilitate, poſſe in diuina eſſentia ad omnia, quæ virtute continet terminari.

49 *Secundo arguitur.* Secundo arguitur; Angelus inferior non cognoſcit ſuperiorem comprehenſiue, ſed tantum quidditatiue, vt cum Caietano 1 *p. q. 56. art. 2.* tenent frequentius Thomiſtæ; & tamen cognoſcit, nedum prædicata, quæ formaliter ſuperiori conueniunt; ſed etiam omnia, quæ in ipſo intra ordinem naturæ eminenter; aut virtualiter continentur; aliàs poſſet inferior a ſuperiori de naturalibus illuminari contra D Tho. 1 *p q. 109. art. 3. ad 2.* vbi docet de his, quæ pertinent ad cognitionem naturalem, nullum Angelum, alterum illuminare, ſed tantum de his, quæ ſupra naturam ſunt; ergo ex cognitione alicuius virtutis quoad omnia, quæ formaliter dicit, & eminenter continet, non ſequitur eius comprehenſio; & conſequenter ex cognitione omnium poſſibilium in diuina omnipotentia, illius comprehenſio non ſequitur.

50 *Reſpõdẽt aliquid.* Huic argumento reſpondent aliqui, conſequentiam D. Thom. non eſſe formalem tenentem in omni materia, ſed materialem, & quæ ſolum tenet in Deo; ac proinde ex eo quod Angelus inferior omnia, quæ in ſuperiori continentur cognoſcat abſque, illius comprehenſione, non ſequitur id ipſum de cognitione poſſibilium in omnipotentia dicendum; hæc namque cum infinita ſint, non poſſunt ſine infinito lumine cognoſci, & quia lumen infinitum dabile non eſt extra Deum; fit conſequens, quod per materialem conſequentiam deducatur comprehendi omnipotentiam, ſi in illa omnia poſſibilia cognoſcantur.

51 *Reijcitur 1.* Hæc tamen ſolutio omnino inſufficiens eſt, & reijcitur primo; nam D. Tho. *q. 20 de veritate art. 4 & 5. & 1. p. q. 12. art. 8. & alijs in locis*, quæ ſuperius allegauimus, vt probet, non poſſe omnia poſſibilia in omnipotentia cognoſci, hoc principium aſſumit: *Nullus intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus, & omnes rationes effectuum, quin cauſam totaliter comprehendit.* Quod principium generale eſt omni cauſæ, tam creatæ, quam increatæ: ergo D. Thom. ex ratione generali, & communi omnipotentiæ, & cauſis creatis procedit; ac proinde conſequentia, quæ ex cognitione omnium poſſibilium infert illius comprehenſionem, non materialis, *Secundo.* ſed formalis eſt. Secundo; nam conſequentia D. Thom. non fit ex cognitione omnium poſſibilium in ſe ipſis extra Verbum, ſed ex illorum cognitione in Verbo, vt conſtat ex verbis adductis, & ipſum conſulenti euidenter cõſtabit, ſed per conſequentiam mediatam, & materialem ex omnium poſſibilium cognitione in ſe ipſis extra Verbum infertur omnipotentiæ, & diuinæ eſſentiæ comprehenſio; cum cognitio omnium poſſibilium in ſe ipſis, ſine infinito lumine non ſit poſſibilis in frequentiori ſententia, & hoc lumen infinitum extra Deum non eſt dabile; ergo ex omnium poſſibilium cognitione in omnipotentia per formalem conſequentiam infertur eius comprehenſio.

Tertio; nam D. Thom. exinde probat, vt vidimus, cognitionem omnium poſſibilium in omnipotentia, eſſe, aut inferre illius comprehenſionem, quia ſola cognitio adæquans in modo, vel claritate, diuinam eſſentiam cognitam poteſt in illa omnia poſſibilia cognoſcere; cognitio autem ſic adæquans Dei eſſentiam comprehendit; at cognitio ſolum intenſiue infinita non adæquaret diuinę eſſentię cognoſcibilitatem in modo, vel claritate: ergo quamuis omnia poſſibilia in omnipotentia attingeret eius comprehenſio non eſſet; & conſequenter, non ex eo quod cognitio creata infinitè intenſionis repugnet, colligit D. Tho. ex omnium poſſibilium cognitione in diuina eſſentia cognita, illius comprehenſionem, ſed quia ex terminis, & per formalem conſequentiam infertur. 52 *Tertio.*

53 *Vera ſolutio.* Vnde omiſſa hac ſolutione, & prætermiſſa maiori, de qua 1 *p. q. 56. art. 2.* nego minorem. Ad illius probationem, nego ſequelam, vt enim inferior Angelus illuminari à ſuperiori non poſſit, de his, quæ poſſunt naturaliter cognoſci, ſufficit, quod ipſe omnia cognoſcat ad ordinem naturæ attinentia, quæ ab Angelo ſuperiori cognoſcuntur, eſto illa, quæ in virtute Angeli ſuperiori continentur, non in Angelo ſuperiori, aut ratione illius, ſed in ſe ipſis cognoſcat; & quia Angelus inferior omnia ad ordinem naturæ ſpectantia in ſe ipſis cognoſcit, vt *loco allegato* docetur à D. Thom. conſequens fit, quod non poſſit ab Angelo ſuperiori de illis illuminari, eſto ſuperiorem Angelum non comprehendat, quia ad hoc neceſſarium erat, quod ea, quę in ſuperiori Angelo virtualiter continentur, in ipſo, & ex ipſo ex vi cognitionis ad ſuperiorem Angelum terminatę cognoſceret.

54 *Tertio arguitur ex Scoto.* Tertio arguitur ex Scoto; quando duo, vni ordinatè conueniunt, ſi ex cognitione primi comprehenſio non ſequitur, nec infertur ex cognitione ſecundi; ſed Deo cõueniunt ordinatè infinitas intenſiua, & infinitas extenſiua, & iſta ei conuenit, ratione illius, & ex primæ cognitione, Dei comprehenſio non ſequitur, aliàs quilibet beatus Dei eſſentiam comprehenderet, cum quilibet infinitatem intenſiuam cognoſcat: ergo nec ex cognitione infinitatis extenſiuæ diuinæ, Dei comprehenſio colligitur; & conſequenter ex cognitione omnium effectuum in diuina omnipotentia, non ſequitur comprehenſio omnipotentiæ Diuinæ; cum huiuſmodi cognitio ſolum ſit cognitio infinitatis extenſiuæ diuinæ. Quod amplius explicari poteſt, Deo conuenit infinitas in eſſendo, & infinitas in cauſando, & hæc illi conuenit ratione primæ infinitatis; at ex cognitione infinitatis diuinæ in eſſendo, non ſequitur comprehenſio Dei, aliàs quilibet beatus de facto Deũ comprehenderet: ergo nec infertur ex cognitione infinitatis diuinæ in cauſando; at ex cognitione omnium effectuum in diuina omnipotentia, ſolum ſequitur cognitio infinitatis diuinæ in cauſando: ergo ex omnium poſſibilium cognitione, Dei comprehenſio non infertur. *Confirmatur, & explicatur.*

55 *Reſpondetur.* Reſpondeo ex Capreolo in 3. *diſt. 15. art. 3. ad 1.* conceſſa maiori, & minori, & prima conſequentia, negando ſecundam; nam beatus videns Deum, vtramq; infinitatẽ cognoſcit, ſcilicet, Deum infinita in ſe continere, & illa continuare infinitè, & vtramq; infinitatẽ cognoſcere, ſi duplex infinitas eſt; & tamen neutram cõprehendit: ſi vero omnia poſſibilia in diuina eſſentia cognoſceret, Deum comprehenderet, quia infinitatem intenſiuã, & extenſiuã cognoſceret modo per eſſentiam infinito, propter rationem, qua noſtram concluſionem probauimus; & conſequenter Dei eſſentiam comprehenderet. Et ex his ad explicationem, *Ad confirmationem.* conceſſa prima conſequentia, diſtinguo minorem: cognitio adæquans in modo omnipotentiam, vt cognoſcibilem, concedo minorem; non adæquans, nego minorem, & conſequentiam; nam licet beatus cognoſcens, vt de facto cognoſcit infinitam virtutem cauſandi, illam non comprehendat, quia illa non cognoſcit modo infinito per eſſentiam, quia tamen ſi anima Chriſti omnia poſſibilia in diuina eſſentia cognoſceret, illam modo infinito per eſſentiam attingeret; fit, quod illam comprehenderet.

56 *Inſtabis.* Sed dices, ex cognitione in diuina eſſentia cognita infinitatis intenſiuæ, & aliorum, quæ in illa conueniunt formaliter, non ſequitur diuinæ eſſentiæ comprehenſio, ſed infinitas intenſiua, & alia, quæ Deo formaliter inſunt, eſt ratio, quare illi inſint eminenter omnes creaturæ poſſibiles: ergo ex cognitione omnium poſſibilium in diuina eſſentia cognita, Dei comprehenſio non ſequitur. Patet conſequentia ex dictis; nam quando duo vni inſunt ordinate, ſi ex cognitione primi non ſequitur comprehenſio, nec infertur ex cognitione ſecundi; at conuenientia Deo formaliter, ſunt ratio conueniendi eminentialiter Deo omnia poſſibilia: ergo ſi ex cognitione omnium, quæ Deo conueniunt formaliter, Dei comprehenſio non ſequitur, nec infertur eius comprehenſio ex cognitione omnium poſſibilium, quæ illi inſunt eminenter.

57 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ex cognitione comprehenſiua in diuina eſſentia, illorum, quæ inſunt formaliter, nego maiorem: ex cognitione tantum quidditatiua illorum, concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam; quia omnia, quæ in Deo eminenter continentur, non poſſunt cognoſci, niſi comprehenſiue cognoſcantur; & conſequenter quin diuina virtus, etiam comprehendatur, illa vero, quæ formaliter competunt Deo, poſſunt cognoſci quidditatiue, & non comprehenſiuè, & idcirco ex cognitione omnium attributorum Dei in diuina eſſentia cognita, non ſequitur comprehenſio eſſentiæ, & naturæ Dei; benè tamen ex omnium poſſibilium cognitione infertur omnipotentiæ comprehenſio.

58 *Vrgebis.* Inſtabis, ideo poſſunt, quæ formaliter competunt Deo cognoſci, & non comprehendi, quia poſſunt modo finito cognoſci; ſed etiam omnia poſſibilia poſſunt finito modo cognoſci ergo poſſunt omnia cognoſci, & non comprehendi. Probatur minor, ideo non poſſent modo finito cognoſci, quia cognoſcuntur in Deo, tanquam in cauſa; ac proinde illorum cognitio pendet ex modo adæquato cognitionis cauſæ, qua ratione ex Angelico Doctore vſi ſumus; at hæc ratio obſtare nequit, ſi perfectiones attributales Deo conuenientes formaliter, poſſunt in diuina eſſentia cognoſci, vt finito modo cognita: ergo poſſunt omnia poſſibilia cognoſci, & non comprehendi in diuina eſſentia cognita. Probatur minor etiam perfectiones attributales cognoſcuntur in diuina eſſentia, vt in cauſa illarum virtuali; & tamen poſſunt omnes cognoſci in diuina eſſentia cognita modo finito, & ſibi non adæquato: ergo quamuis poſſibilia cognoſcantur in diuina eſſentia, vt in cauſa, poterunt omnia cognoſci in diuina eſſentia cognita modo finito, & ſibi non adæquato.

59 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo primo, negando cauſalem maioris; ſed quia ad comprehenſionem diuinarum perfectionum, non ſufficit illas in diuina eſſentia cognoſcere, ſed inſuper eſt neceſſarium cognoſcere in illis omnia, quæ eminenter continent, & quia poſſunt omnes perfectiones diuinæ, in diuina eſſentia cognoſci, quin in illis cognoſcantur ea, quæ eminenter continent; fit conſequent, quod poſſint omnes cognoſci, & non comprehendi, quæ ratio reſpectu poſſibilium non militat, vt ex dicendis conſtabit.

60 *Reſpondetur 2.* Secundo reſpondeo, prætermiſſa maiori, negando minorem; ad cuius probationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam; ratio autem diſcriminis traditur à Caietano 1. p. q. 12. art. 8. §. *Ad 1. Scoti.* Sumiturque ex D. Th. q. 20. *de Veritate art.* 5. *in corp.* nam ea, quæ

S. Thom. conueniunt alicui formaliter, illo viſo ſtatim cognoſcuntur, quia ſunt de apparentibus manifeſtè. Vnde ſicut viſio cauſæ modum cognitionis non petit, ſed ſolam cognitionis ſubſtantiam, ita quæ formaliter cauſæ conueniunt, non modum, ſed ſubſtantiam cognitionis cauſæ ſequuntur, & idcirco poſſunt, & debent omnia, quæ formaliter competunt Deo, viſa illius eſſentia quantumuis modo limitato, & finito, cognoſci. Cæterum quæ eminenter, & vnitè continentur in cauſa, qualiter creaturæ continentur in Deo, non apparent manifeſtè, ſed latent in cauſa, & ideo non cognoſcuntur ex vi cognitionis cauſæ quoad ſubſtantiam cognitionis, ſed ſequuntur modum cognitionis, & penetrationis cauſæ; ac proinde vt omnia, quæ eminenter in cauſa continentur, videantur, neceſſum eſt cauſa modo ſibi adæquato cognoſci; & per conſequent comprehendi.

61 *Quarto arguitur & replicatur ſupra dicta.* Quarto arguitur, & inſtatur contra iſtam ſolutionem. Vt omnia poſſibilia cognoſcantur comprehenſiuè in Verbo, non requiritur cognitio diuinæ eſſentiæ, illi adæquata intenſiuè: ergo ex cognitione, etiam comprehenſiua omnium poſſibilium in Verbo, non ſequitur comprehenſio Verbi. Conſequentia ex dictis tenet. Antecedens

Antecedens probatur 1. autem oſtenditur primo, collectio omnium poſſibilium in ratione cognoſcibilis, non adæquat intelligibilitatem diuinam, ſicut entitas, vel immaterialitas collectionis poſſibilium, non adæquat entitatem, vel immaterialitatem diuinam; cognoſcibilitas namque ſupra entitatem, & immaterialitatem fundatur: ergo poſſibilium collectio ad ſui adæquatam, & comprehenſiuam cognitionem, non petit cognitionem eſſentiæ diuinæ illi intenſiuè adæquatam.

62 *Secunda.* Secundo probatur; cognitio, qua Deus omnia poſſibilia cognoſcit, non tantum eſt comprehenſio, ſed etiam eſt ſuper comprehenſio; cum ſit infinita per eſſentiam; collectio autem poſſibilium infinita per eſſentiam non ſit; ſed ſi omnium poſſibilium collectio ad ſui comprehenſionem peteret cognitionem diuinæ eſſentiæ adæquatam intenſiuè, cognitio, qua Deus omnia poſſibilia cognoſcit, non eſſet ſuper comprehenſio, ſed tantum comprehenſio illorum; cum tantum id haberet, quod poſſibilium cognoſcibilitas expoſceret ab intrinſeco: ergo omnium poſſibilium collectio ad ſui comprehenſionem non petit cognitionem eſſentiæ diuinæ illi intenſiuè adæquatam. Tertio probatur entitas collectionis poſſibilium non petit à

Tertio. ſui productionem, eminentialemque continentiam, omnem Dei infinitatem, etſi de facto hæc infinitas diuinæ eſſentiæ conueniat: ergo cognoſcibilitas collectionis omnium poſſibilium non petit ex proprijs meritis ad ſui comprehenſionem, & continentia adæquatam intelligibilem, cognitionem per eſſentiam infinitam; & conſequenter non petit cognitionem eſſentiæ diuinæ illi intenſiuè adæquatam.

63 *Reſpondetur ad primam antecedentis probationem.* Reſpondeo negando antecedens: ad primam probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: ad ſui cognitionem in ſe ipſa, concedo conſequentiam: ad ſui cognitionem in Verbo, aut in diuina eſſentia, vel omnipotentia cognita, nego conſequentiam: itaque, vt inquit D. Th. q. 20. *de Veritate art.* 5. *ad* 1. quidquid Deus poteſt facere, eſt minus, quam ipſe Deus, & facilius poſſet ab anima Chriſti cognoſci, ſi animæ Chriſti per ſe, hoc eſt, in ſe ipſo poſſet offerri; ſi autem conſideretur, quidquid Deus poteſt facere, id eſt, omnium poſſibilium collectio, non vt in ſe cognoſcenda, ſed vt cognoſcenda in Verbo, non eſt minus, quam Deus ipſe in ratione intelligibilis, quia prout ſic, ipſa Dei intelligibilitate, intelligibile conſtituitur. Et ex his ad ſecundam probationem,

Ad ſecundam. diſtinguo maiorem: cognitio terminata ad collectionem poſſibilium in ſe ipſis ex parte medij cognoſcendi, ſi talis cognitio datur, concedo maiorem: cognitio poſſibilium in Verbo, nego maiorem: & conceſſa minori diſtinguatur conſequens, diſtinctione maioris. Nec contra diſtinctionem obſtat maioris probatio; nam licet tota poſſibilium collectio in ſe ipſa, finita ſit per eſſentiam, quia tamen non in ſe ipſa, ſed in diuina eſſentia, & ratione illius diuinam terminat cognitionem, & cognitio effectuum in cauſa dependet ex modo cognitionis cauſæ, vt ex D. Thom. vidimus, fit, vt cognitio ad poſſibilium comprehenſionem exacta, non ſit penes illorum intrinſecam cognoſcibilitatem penſanda, ſed penes cognoſcibilitatem cauſæ, in qua, & ratione cuius cognoſcuntur, cumque cauſa, in qua cognoſcuntur, infinita ſit per eſſentiam, cognitionem per eſſentiam infinitam ad ſui in tali cauſa comprehenſionem expoſcunt.

64 *Ad 3. probationem.* Ad tertiam, diſtinguo antecedens: omnem infinitatem, tam ad intra, quam ad extra, concedo antecedens: infinitatem per eſſentiam ad extra, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque licet tota creaturarum collectio ad ſui actiuam continentiam, non petat ab intrinſeco per ſe in quarto modo, infinitam Dei fecunditatem ad intra; fecunditatem tamen, ſeu vim productiuam ad extra infinitam per eſſentiam expoſcunt, & cum illa terminatiuè adæquantur, etſi non entitatiuè, ex quo potius argumentum pro Nobis, quam contra Nos ſumi poteſt; nam ſi non obſtante, quod collectio poſſibilium ſit per eſſentiam finita, per ſe petit vim productiuam per eſſentiam infinitam, ita vt ex terminis repugnet in cauſa non ſic infinita adæquatè contineri, pariter non obſtante, quod tota poſſibilium collectio in ratione cognoſcibilis ſit per eſſentiam finita, poterit ad ſui adæquatam continentiam in ratione intelligibilis, cognitionem infinitam per eſſentia exigere.

65 Sed dices, ſequi ex ſolutione data ad ſecundam probatio-

tionem, non ſolum totam collectionem poſſibilium, verum etiam quodlibet ex poſſibilibus petere ad ſui comprehenſionem in Verbo, cognitionem infinitam per eſſentiam; conſequens eſt falſum; alias nulla creatura poſſibilis poſſet in diuina eſſentia comprehendi ab intellectu creato, quod nullus Theologorum aſſerit, eſtque contra D. Thom. *in præſenti art. 2.* ergo ſolutio illa non ſubſiſtit. Patet ſequela; nam etiam cognitio cuiuſcumque creaturæ, poſſibilis in Deo, tanquam in cauſa, pendet ex modo cognitionis Dei, prout eſt cauſa poſſibilium: ergo ſi propterea collectio omnium poſſibilium in Deo, tanquam in cauſa petit cognitionem per eſſentiam infinitam, quia pendet ex modo cognoſcendi cauſam, idem erit dicendum de quolibet ſingulari poſſibili; & conſequenter non poterit in Deo, tanquam in cauſa ab intellectu creato comprehendi. (*Inſtabis.*)

66 (*Reſpondetur.*) Reſpondeo negando ſequelam: ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam eſto modus cognitionis intenſiuus, & penetratiuus cauſæ, ad effectiuum in illa cognitionem exigatur; modus tamen adæquatus, & adæquatè penetratiuus cauſæ, non ad ſingulos effectus, ſed ad terminum adæquatum exigitur; ac proinde, etſi ad totius collectionis poſſibilium cognitionem in Deo, tanquam in cauſa cognitio per eſſentiam infinita, quæ ſola poteſt eum diuinæ eſſentiæ adæquari, exigatur, non ſequitur, etiam exigi ad cognitionem cuiuslibet ſingularis poſſibilis.

67 (*Quinto arguitur.*) Quinto arguitur; cognoſcens vnum effectum in Verbo, non comprehendit diuinam omnipotentiam, quatenus eſt cauſa illius: ergo cognoſcens omnia poſſibilia in Verbo, non comprehendit diuinam omnipotentiam, vt eſt cauſa omnium poſſibilium, & conſequenter ex cognitione omnium poſſibilium in Verbo, non infertur comprehenſio diuinæ omnipotentiæ.

68 (*Reſpōdet Capreolus Caietanus, & Ferrara.*) Huic argumento Capreolus, Caietanus, & Ferrara, locis vbi *ſupra* relatis, reſpondent, negando antecedens, loquendo de cognitione vnius effectus poſſibilis ſecundum omnes rationes, omneſque illius habitudines; ſic enim ille effectus comprehenditur, & Verbum, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſolum prout eſt illius effectus cauſa, quod eſt ſecundum quid comprehendi.

69 (*Illorū ſolutio explicatur, & defenditur.*) Quam ſolutionem aliqui Recentiores ſequuntur, noſque illi libenter acquieſcimus, ſi comprehenſio iſta, non ad increatam perfectionem, qua Verbum in ratione cauſæ conſtituitur, ſed ad reſpectum rationis, quem nos in Deo, vt alicuius poſſibilis cauſa eſt, apprehendimus; ſi verò de eo quod Verbum in ratione cauſæ poſſibilium importat in recto, procedat, nequaquam illi aſſentimur, eo quod per eandem virtutem indiuiſibilem, nedum realiter, verum etiam virtualiter, eſt Deus cauſa vnius, & omnium poſſibilium; ac proinde contradictionem inuoluit, comprehendi, vt eſt cauſa vnius poſſibilis, & non comprehendi, vt eſt cauſa omnium, & in priori ſenſu accipiendi, ſunt Capreolus, Caietanus, & Ferrara: quod ſatis inſinuauit Capreolus, illis verbis: *Et ideo poteſt dici comprehendere Verbum, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, prout eſt cauſa talis effectus*, ita quod comprehenſio magis referatur ad reſpectum, quam ad abſolutum cauſæ. Et ex his ad argumentum, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia vnus effectus poſſibilis, non eſt terminus omnipotentiæ adæquatus; omnia vero poſſibilia adæquant terminatiuè omnipotentiam; virtus autem cauſæ non comprehenditur, niſi in illa adæquatus terminus cognoſcatur, & idcirco ex cognitione vnius poſſibilis comprehenſio omnipotentiæ non ſequitur; benè tamen ex cognitione omnium. Quam ſolutionem dedit ſecundo loco Capreolus *ad ſecundum argumentum Scoti*. (*Capreol.*)

70 (*Inſtabis.*) Sed oppones primo; etſi vnus effectus poſſibilis non ſit terminus adæquatus omnipotentiæ abſolutè, eſt tamen adæquatus terminus omnipotentiæ prout eſt cauſa talis effectus; & tamen ex adæquata cognitione vnius particularis effectus, non ſequitur comprehenſio omnipotentiæ, nedum abſolutè, verum nec vt cauſæ illius: ergo pariter ex omnium poſſibilium cognitione, non ſequitur comprehenſio omnipotentię ſecundum quod eſt omnium poſſibilium cauſa.

71 (*Secunda.*) Secundo, diuina eſſentia, prout eſt idæa hominis, non comprehenditur homine in illa, & ex illa adæquatè, & comprehenſiuè cognito; & tamen homo cognitus eſt terminus adæquatus diuinæ eſſentiæ, prout idæa hominis eſt; cum ſub diuerſa ratione Deus ſit idæa hominis, equi, & aliorum, & alias in Deo non eſſent plures idææ: ergo quamuis omnes creaturę poſſibiles ſint terminus adęquatus omnipotentiæ diuinæ, & illarum cognitione, non ſequitur comprehenſio omnipotentiæ.

72 (*Tertio.*) Tertio, etiam ſi daremus omnipotentiam diuinam ſub ratione virtualiter diuerſa, eſſe productiuam hominis ab illa, qua eſt productiua equi, adhuc ex comprehenſione hominis, non colligeretur comprehenſio omnipotentiæ, vt hominis productiuè; & tamen tunc caſus homo eſſet adęquatus terminus omnipotentiæ ſub illa virtualitate. ergo quamuis omnia poſſibilia ſint terminus adæquatus omnipotentiæ diuinæ, non infertur comprehenſio illius omnium poſſibilium cognitione. Maior probatur, dato per impoſſibile, quod Deus eſſet, & tantum forent poſſibiles, homo, equus, & formica, tres iſtæ ſpecies poſſibiles, eſſent terminus adæquatus omnipotentiæ; & tamen ex illarum cognitione, non ſequeretur comprehenſio omnipotentiæ; cum hæc, vtpote infinita, infinitam claritatem ad ſui comprehenſionem exigeret; cognitio autem illarum trium ſpecierum infinitæ claritatis non eſſet: ergo pariter quamuis omnipotentia diuina ſub ratione virtualiter diuerſa eſſet productiua hominis, & aliarum ſpecierum, ex cognitione comprehenſiua hominis, non ſequeretur comprehenſio omnipotentiæ, prout hominis productiuæ.

73 (*Quarta.*) Denique obijcies; nam eſt ſententia probabilis, Dei omnipotentiam ſub eadem ratione virtualiter indiuiſibili eſſe productiuam perſonarum ad intra; & creaturarum ad extra; ac proinde omnes creaturas poſſibiles non eſſe terminum omnipotentiæ adæquatum: ergo ſi ex vnius poſſibilis cognitione, non ſequitur comprehenſio omnipotentiæ, quia illius terminus adæquatus non eſt, nec ex cognitione omnium, omnipotentiæ comprehenſio inferetur.

74 (*Ad 1. inſtantiam reſpond.*) Reſpondeo ad primam inſtantiam, negando maiorem; cum enim omnipotentia diuina ſub eadem ratione virtualiter indiuiſibili, ad vnum ex poſſibilibus, & ad omnia comparetur, vnum particulare poſſibile non eſt terminus adæquatus omnipotentiæ, etiam prout eſt cauſa illius, ly *prout* reduplicante id quod in recto ex parte omnipotentiæ; vt eſt virtus productiua importatur.

(*Ad ſecundam. S. Thom.*) Ad ſecundam dicatur, idæam in veriori ſententia conſiſtere in diuina eſſentia cognita, vt imitabili à creatura. Vnde Diuus Thomas *quæſtione 3. de Veritate art. ſecundo in corpore*, docet, quod diuina eſſentia non habet rationem idæ, vt cognita abſolutè, ſed vt cognita a Deo cum proportione creaturarum ad ipſam. Iuxta quam doctrinam duo importat idæa hominis; ſcilicet, perfectionem diuinam principaliter, & in recto, & completiuè in obliquo, vel reſpectum rationis, per quem idææ multiplicantur, vel extrinſecam denominationem proportionis creaturarum ad ipſam, vt cognitam a Deo: reſpectu primi, homo terminus adæquatus non eſt propriæ idææ, ſed eadem diuina perfectio virtualiter indiuiſibilis ſortitur rationem idææ omnium factibilium à Deo, & ſub iſta ratione non multiplicantur idęæ; reſpectu ſecundi, homo eſt terminus adęquatus ſuę idęę, prout diſtinctæ ab idæa equi, & aliorum, primum non comprehenditur ex hominis comprehenſione, benè vero ſecundum.

75 (*Ad tertiā.*) Ad tertiam, nego maiorem: ad illius probationem, nego antecedens, nec in illo caſu omnipotentia eſſet virtus infinita in ratione cauſatiuæ; implicat enim cauſa in ratione cauſæ infinita, niſi reſpectu termini, vel actu, & cathegorematicè infiniti, vel ſaltim infiniti in potentia. Cum ergo in data hypoteſi, terminus factibilis ab omnipotentia Dei, nulla infinitate gauderet, infinita in ratione cauſæ non eſſet; ac proinde ad ſui adæquatam cognitionem in ratione cauſæ, & virtutis claritatem infinitam per eſſentiam non peteret, ſed poſſet ſub hac ratione comprehendi cognitione claritatis limitatæ, & finitæ.

76 (*Ad quartam.*) Ad vltimam, prætermiſſa maiori, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: ex cognitione omnium poſſibilium ad extra, concedo conſequentiam, ad intra, & ad extra, nego conſequentiam; ratio autem Diui Thomæ inferens ex omnium poſſibilium cognitione, comprehenſionem omnipotentiæ Dei procedit in ſententia aſſerente adæquatum terminum omnipotentiæ eſſe omnes creaturas poſſibiles, quod ſatis clarè expreſſit *quæſtione 20. de Veritate art. quinto in corpore*, docens, omnia,

quæ

quæ poſſunt in Verbo, hoc eſt, in diuina omnipotentia, cognoſci, eſſe omnia poſſibilia: vel non excludendo perſonas ad intra productas, ſed potius illas cognitas ſupponendo; nam ratio D. Thom. procedit de cognitione omnium creaturarum in diuina eſſentia cognita intuitiuè, non autem poteſt diuina eſſentia intuitiuè cognoſci, non cognitis tribus perſonis, vt in diſputationis limine ſuppoſuimus, fuſèque oſtendimus *Tractatus de Viſione Dei art. 7.*

77 *Sexto arguitur.* Sexto arguitur: poſſunt omnes creaturæ poſſibiles quidditatiuè, & non comprehenſiuè cognoſci, ſed ea cognitione quidditatiua, & non comprehenſiua omnium creaturarum poſſibilium in Verbo, non ſequitur comprehenſio eſſentiæ, vel omnipotentiæ diuinæ: ergo ea omnium poſſibilium cognitione in Verbo, diuinæ eſſentiæ comprehenſio non ſequitur. Conſequutio eſt legitima. Minor conſtat in potentia generatiua Patris, cuius adæquatus terminus, ſcilicet, Filius, quidditatiuè à quolibet beato cognoſcitur; & tamen, quia non cognoſcitur comprehenſiuè non comprehendunt beati potentiam generatiuam Patris. Non ergo ſufficit cognitio quidditatiua termini adæquati potentiæ productiuæ ad inferendam illius comprehenſionem. Et deinde hac ratione ſuadetur; ſola namque adæquata termini adæquati cognitio inferre poteſt potentiæ productiuæ comprehenſionem; at cognitio quidditatiua, & non comprehenſiua omnium creaturarum poſſibilium, non eſt adæquata cognitio termini adæquati diuinæ omnipotentiæ: ergo ea cognitione ſolum quidditatiua omnium poſſibilium, non ſequitur omnipotentiæ, aut diuinæ eſſentiæ comprehenſio.

78 *Maior probatur 1. Secundò.* Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, oſtenditur primo; quilibet effectus poſſibilis, poteſt quidditatiuè cognoſci, & non comprehendi in Verbo: ergo & omnes collectiuè. Secundo, vt homo v. c. comprehendatur, non ſufficit, quod omnia ad ipſum intrinſecè, & extrinſecè attinentia cognoſcantur, ſed inſuper eſt neceſſarium, quod illa, quæ ad hominem comparantur vt effectus, in illo cognoſcantur, & ea vi cognitionis illius, vt conſtat ex dictis *in ſolutione ad ſecundum argumentum*; & idem eſt de quauis alia creatura dicendum; ſed poſſunt omnia poſſibilia cognoſci, quin ea, quæ ad hominem comparantur, vt effectus, cognoſcantur in illo; & idem de quacumque alia creatura: ergo poſſunt omnia poſſibilia cognoſci in diuina eſſentia, & non comprehendi in illa.

79 *Tertiò.* Tertio; nam poſſunt omnia poſſibilia cognoſci maiori, & minori claritate ſed cognita claritate minori, non comprehenduntur, ſed tantum cognoſcuntur quidditatiuè: ergo poſſunt cognoſci omnia poſſibilia, quidditatiuè, & non comprehenſiuè. Minor conſtat ex dictis inter probandam noſtram concluſionem; vt enim omnia poſſibilia comprehendantur in Verbo neceſſarium eſt terminare cognitionem infinitam per eſſentiam, qua maior in claritate eſſe nequit: ergo cognitis omnibus poſſibilibus claritate minori non comprehenduntur. Maior autem conſtat primo; nam ſingula poſſibilia poſſunt cognoſci cognitionibus in claritate inæqualibus: ergo & omnia collectiuè. Secundo; nam omnia, quæ virtualiter continentur in Gabriele v. c. minori claritate cognoſcuntur ab ipſo, quam ab Angelo ſupremo, & minori claritate à ſupremo Angelo cognoſcuntur, quam à Deo: ergo pariter omnia, quæ in omnipotentia continentur, terminare poſſunt, etiam ſumpta collectiuè, cognitiones in claritate inæquales. Denique; nam poteſt viſio beatifica gradualiter intendi erga Deum; & conſequenter ipſum cum maiori claritate cognoſcere, quin ex vi cognitionis intenſioris, & clarioris plura in diuina eſſentia cognoſcantur effectus, vel eiuſdem effectus plures cognoſcantur rationes, ſed ſolum idem clariori, intenſiorique cognitione cum in hoc nulla repugnantia inueniatur: ergo maior claritas cognitionis eſſentiæ diuinæ, non ſe habet conuertibiliter, cum cognitione plurium effectuum; & conſequenter omnium poſſibilium cognitio ſupremam claritatem cognitionis diuinæ eſſentiæ non infert. Ex quo vlterius per euidentem conſequentiam infertur, poſſe totam poſſibilium collectionem cognoſci per actus in claritate inæquales.

80 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando maiorem; cum enim cognitis omnibus poſſibilibus nihil ſit, quod lateat in aliquo ex illis, & alius modus cognitionis in Verbo, non ſit inferior illi, quem poſſunt in ſe ipſis exigere; conſequens ſit, vt non poſſint omnia poſſibilia quidditatiuè, & non comprehenſiuè cognoſci. Ad primam probationem maioris, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, *Ad primã maioris probationem.* quia vnus effectus poſſibilis, homo v. gr. poteſt cognoſci quoad genus, & differentiam, quin alia ad quæ dicit habitudinem à cognoſcente attingantur, & id circo poteſt quidditatiuè cognoſci, & non comprehenſiuè. Eo autem ipſo, quod omnia poſſibilia cognoſcantur, nihil poſſibilium latet, & alius modus exactus ab illorum cognoſcibilitate non deficit, & idcirco eſſe non poteſt, quod omnia poſſibilia quidditatiuè cognoſcantur, & non comprehenſiuè.

Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: in illo in ſe ipſo, 81 *Ad ſecundam.* vel in aliquo illum continente eminenter, concedo maiorem: neceſſario in ſe ipſo, nego maiorem: & prætermiſſa minori, nego conſequentiam: itaque vt homo v. g. cognoſcatur comprehenſiuè, ſufficit, quod omnes effectus in illius virtute cauſatiua contenti, cognoſcantur in illo, vel in aliquo hominem eminenter continente. Quod patet; quia non eſt magis de ratione comprehenſionis cauſæ terminari ad effectus in illa contentos, quam ipſam in ſe cognoſcere; non autem tollitur ratio comprehenſionis cauſæ per hoc, quod ipſa non in ſe, ſed in alia, illam continente eminenter cognoſcatur, aliàs Deus nullam creaturam ſua cognitione comprehenderet; cum nullam in ſe ipſa, vt medio cognoſcendi intueatur, ſed in ſua eſſentia vt medio; & conſequenter obſtare nequit rationi comprehenſionis cauſæ creatæ, quod virtualiter in illa contenta, non in illa, nec ex vi illius, ſed in Deo ipſam continente eminẽter ratione diuinæ eſſentiæ cognitæ terminent cognitionem. Quia ergo videns in Verbo omnes effectus poſſibiles, cognoſcit omnia in homine contenta, in cauſa eminenter continente hominem; fit conſequens, quod hominem comprehendat, eſto in hominem cognito, quæ in ipſo continentur non videat.

Sed dices, videns effectus hominis, non in homine, 82 *Inſtabis.* non cognoſcit hominem quantum ipſe cognoſcibilis eſt; cum ſit cognoſcibilis, vt ratio cognoſcendi proprios effectus, qualiter non cognoſcitur ex vi talis cognitionis; ſed comprehenſio eſt adæquata cognitio, id eſt, cognitio obiecti, quantum cognoſcibile eſt, & ex ſe petit cognoſci: ergo videns hominem, & illius effectus, ſi illos non videat in homine, non comprehendit hominem.

Reſpondeo, negando maiorem, nec obſtat non *Reſpõdet.* videri hominem, prout in ſe ipſo eſt ratio cognoſcendi proprios effectus; nam cum iſti effectus cognoſcantur in Deo, hominem continente eminenter, hoc ſufficit, vt homo cognoſcatur quantum cognoſcibilis eſt, id eſt, non minori cognitione, nec imperfectiori modo, quam homo petit cognoſci; exceſſus enim in cognitione, & in medio cognitionis obeſſe non poteſt comprehenſioni; bene tamen cognitionis, & medij inferioritas.

Ad tertiam probationem maioris, nego maiorem; ad 83 *Ad tertiã probationem maioris reſpõd.* cuius primam probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia ſinguli effectus poſſibiles, poſſunt in diuina eſſentia cognoſci, ſecundum plures, & pauciores rationes; & conſequenter ex maiori, & minori diuinæ eſſentiæ penetratione; nam quo magis Dei eſſentia penetratur, eo plures effectus, vel rationes effectuum cognoſcuntur; cognitis autem omnibus poſſibilibus *collectiuè*, non reſtant plures rationes in effectibus cognoſcibiles; ac proinde nec eſſentia diuina magis remanet penetrabilis, nec perfectiori modo viſibilis.

Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, nego conſequen- *Ad ſecundam.* tiam: & ratio diſcriminis eſt; nam omnes effectus in Gabriele v. g. virtualiter contenti, non petunt ad ſui adæquatam cognitionem in Gabriele, vt cauſa cognita, niſi claritatem, perfectionemque cognitionis exactam à cognoſcibilitate Gabrielis, & quia hæc ſuprema non eſt, ſed poteſt maior claritas dari, & de facto datur in cognitione diuina, & in cognitione Angeli, qui ſuperior eſt Gabriele; fit conſequens, vt omnes effectus in Gabriele contenti, vt in cauſa, poſſint cognitionibus inæqualis claritatis cognoſci: omnes autem diuinæ omnipotentiæ effectus petunt ad ſui cognitionem in diuina omnipotentia cognitionem claritatis, efficaciæ, & penetrationis ab omnipotentia exactæ, qua maior, nec dari, nec imaginari poteſt, & idcirco, non poſſunt omnes collectiuè cognoſci per cognitiones in claritate inæquales.

Ad tertiam, nego antecedens; nam Dei eſſentiam vt cau- 84 *Ad tertiã* ſam creaturarum intenſius, & clarius cognoſci, eſt intimius penetrari; cauſam autem, in quantum cauſam, magis, & in-

minus penetrari; cauſam autem, in quantum cauſam, magis, & intimius penetrari, in nullo alio conſiſtere poteſt, quam in eo quod plures in illa cognoſcantur effectus, vel plures eiuſdem effectus rationes, formalitates, vel habitudines, nec aliud percipi poteſt; vnde non poteſt intenſius, clariuſque diuina eſſentia, vt creaturarum cauſa videri, niſi extenſiuè augeatur cognitio erga obiectum ſecundarium, plures, ſcilicet, formalitates creatas ſecundario attingendo.

85 *Vltimo arguitur contra rationem D. Th.* Denique arguitur; cognitio etiam comprehenſiua totius collectionis poſſibilium in diuina eſſentia cognita, ex terminis, ſolum petit cognitionem eſſentiæ diuinæ infinitam intenſiuè; ſed diuina omnipotentia ad ſui comprehenſionem petit ex terminis cognitionem infinitam per eſſentiam: ergo ex omnium poſſibilium cognitione non colligitur ex terminis; & conſequenter per formalem conſequentiam, comprehenſio diuinæ omnipotentiæ. Conſequutio euidens eſt. Minor à Nobis *Diſputatione præcedenti* probata. Maior autem, in qua ſola eſt poſita difficultas, probatur; ſi eſſet poſſibilis cognitio creata intenſionis infinitæ comprehenderet in diuina omnipotentia totam collectionem creaturarum poſſibilium: ergo hæc ad ſui comprehenſionem ex terminis, ſolum petit cognitionem infinitam intenſiuè. Conſequentia euidens eſt; eo namque ipſo, quod negata cognitione per eſſentiam infinita, & poſita cognitione infinita intenſiuè, ſubſiſtat omnium poſſibilium comprehenſio, non petitur ex terminis ad comprehenſionem omnium poſſibilium cognitio infinita per eſſentiam, ſed ſufficit cognitio creata intenſionis infinitæ. Antecedens autem probatur, cuilibet gradui intenſiuo cognitionis creatæ correſpondet aliqua creatura poſſibilis; cum maior viſionis beatificæ intenſio penès ordinem ad plures creaturas cognitas in diuina eſſentia ſumatur: ergo cognitioni habenti actu infinitos gradus intenſionis correſpondent infinitæ creaturæ poſſibiles; & conſequenter cognitio creata intenſionis infinitæ, ſi detur, terminabitur ad omnes creaturas poſſibiles in diuina omnipotentia.

86 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando maiorem. Ad probationem, nego antecedens. Ad illius probationem, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, nego ſecundam, quod, nempè, cognitio intenſionis infinitæ comprehenderet in diuina omnipotentia omnes creaturas poſſibiles; nam adhuc cognitis infinitis poſſibilibus per cognitionem infinitam intenſiuè, reſtarent infinities infinita poſſibilia contenta in omnipotentia Dei tali cognitione non cognita, ac proinde ex eo quod ſit dabilis cognitio intenſionis actu, & cathegorematicè infinitæ, terminata ad creaturas poſſibiles infinitas, non ſequitur per talem cognitionem omnia poſſibilia cognoſci.

87 *Inſtabis.* Sed dices; eo ipſo, quod creaturæ poſſibiles ſint infinities infinitæ, etiam gradus intenſiui luminis, & viſionis beatificæ ſunt infinities infiniti in potentia, etſi non cathegorematicè; ſed eo ipſo, quod ſit poſſibilis viſio infinita in actu intenſiuè, etiam eſt poſſibilis viſio actu infinita, omnibus illis gradibus, qui ſunt infinities infiniti in potentia correſpondens: ergo eo ipſo, quod ſit poſſibilis viſio infinitæ intenſionis in actu, eſt poſſibilis viſio creata comprehendens omnia poſſibilia, quantumuis ſint infinities infinita. Conſequentia patet; nam gradibus infinities infinitis in potentia correſpondent omnia poſſibilia, vt potentialiter cognoſcibilia: ergo his gradibus, vt actu coniunctis, & ad actum reductis reſpondent omnia poſſibilia, quantumuis infinities infinita, vt actualiter cognita; id enim, quod præſtant potentialiter gradus, vt poſſibiles, actu præſtant iidem gradus, vt actualiter exiſtentes. Minor etiam non minus nota videtur, quia ſemel admiſſa poſſibilitate infinitæ intenſionis in actu, nulla poteſt repugnantia aſſignari impoſſibilitatis intenſionis actu infinities infinitæ. Deinde maior argumenti probatur. Tùm, quia quæuis creatura poſſibilis, poteſt terminare aliquem gradum intenſiuum viſionis beatificæ: ergo eo ipſo, quod ſint poſſibiles creaturæ infinities infinitæ, ſunt etiam poſſibiles infinities infiniti gradus intenſiui viſionis beatificæ. Tùm etiam, quia Deus non eſt minus potens in ordine ad gradus intenſiuos luminis, & viſionis beatificæ, quam in ordine ad creaturas poſſibiles; ſed quia in ordine ad iſtas infinitè potens eſt, ſunt poſſibiles creaturæ infinities infinitæ: ergo ex eadem ratione erunt poſſibiles gradus intenſiui luminis, & viſionis beatificæ infinities infiniti.

88 *Reſpondebis.* Si forte dicatur; non poſſe actu exiſtere lumen intenſionis gradualis infinities infinitæ, eſto admittatur poſſibile lumen infinitæ intenſionis, eo quod ex illius exiſtentia, ſequeretur potentiam Dei productiuam intenſionis gradualis luminis omnino exhauſtam manere, quod implicat, ſicut etiam implicat potentiam Dei productiuam creaturarum omnino exhauriri. *Contra.* In contrarium obſtat, nam quidquid ſit, an prædicta exhauſtio ſequatur, & an illam admittere, ſit inconueniens; ſaltem eſt verum, quod ſi eſſet poſſibile lumen intenſionis gradualis infinities infinitæ, & cognitio ſimilis intenſionis, omnia poſſibilia poſſent in omnipotentia cognoſci; ſed etiam eſt verum, tali cognitione non poſſe omnipotentiam comprehendi ob rationem num. 85. aſſignatam, quia, nempe, omnipotentia ad ſui comprehenſionem petit lumen, & cognitionem infinita per eſſentiam: ergo ex cognitione omnium poſſibilium in omnipotentia, non ſequitur per conſequentiam formalem comprehenſio omnipotentiæ.

89 *Vera inſtantiæ ſolutio.* Vnde euaſione hac prætermiſſa ad inſtantiam factam reſpondeo, conceſſa maiori, & omiſſa minori, diſtinguendo conſequens: eo ipſo eſt poſſibilis cognitio creata comprehendens in omnipotentia omnia poſſibilia diuiſiuè, tranſeat conſequens: omnia poſſibilia collectiuè, nego conſequentiam. Nec amplius probatione conuincitur, imo diſtinctio tradita, doctrina in probatione aſſumpta firmatur; gradibus enim intenſiuis luminis, & cognitionis, vt poſſibilibus, non correſpondent omnia poſſibilia, vt poſſibiliter cognoſcibilia in omnipotentia collectiuè, ſed vt poſſibiliter cognoſcibilia diuiſiuè; ac proinde, ex eo quod prædicti gradus, vt actu exiſtentes præſtent actu, id ipſum, quod vt poſſibiles præſtant poſſibiliter, non ſequitur, quod illis actu exiſtentibus correſpondeant omnia poſſibilia actu collectiuè cognita in omnipotentia, ſed ſolum actu cognita in omnipotentia diuiſiuè, ſicut ex eo quod omnes cognitiones, quæ poſſibiles ſunt, eſſent de facto exiſtentes, non ſequeretur omnia poſſibilia collectiuè de facto in omnipotentia cognoſci, ſed ſolum quod cognoſcerentur actu omnia poſſibilia diuiſiuè, & quod actu exiſteret collectio cognitionem creaturarum omnium poſſibilium diuiſiuè: & hoc ideo, quia prædictæ cognitiones actu exiſtentes non præſtarent actu, niſi ſolum id, quod vt poſſibiles præſtant poſſibiliter; vt autem poſſibiles, non præſtant poſſibiliter repræſentationem omnium poſſibilium in omnipotentia collectiuè, ſed tantum repræſentationem omnium poſſibilium diuiſiuè: & ideo illis actu exiſtentibus, ſolum reſponderent omnia poſſibilia diuiſiuè cognita in omnipotentia; non autem omnia poſſibilia actu cognita collectiuè. Et quidem cognitio prædictæ intenſionis actu exiſtens, non plus actu præſtaret, quam præſtarent actu omnes cognitiones poſſibilium actu exiſtentes; iſtæ autem, ſi actu exiſterent, non repræſentarent actu omnia poſſibilia collectiuè, nec per illas omnia poſſibilia collectiuè cognoſcerentur actu in omnipotentia, ſed ſolum omnia poſſibilia diuiſiuè, *vt proximè dicebamus*, & ratione iam aſſignata, quia, nempè, vt poſſibiles non repræſentant poſſibiliter omnia poſſibilia in omnipotentia collectiuè, ſed tantum omnia diuiſiuè; ac proinde per illas actu exiſtentes non omnia collectiuè, ſed tantum omnia diuiſiuè actu cognoſcerentur: ergo pariter cognitione intenſionis prædictæ actu exiſtente, non cognoſcerentur actu omnes creaturæ poſſibiles collectiuè in omnipotentia, ſed ſolum omnes creaturæ poſſibiles diuiſiuè.

---

§. IV.

Argumentis contra concluſionem occurritur.

90 *Contra concluſionem arguitur 1.* CONTRA noſtram concluſionem arguitur primò argumento Magiſtri Sententiarum deſumpto, ex illo Ioannis 3. *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum Filio.* Ex quo infert: ergo dona Spiritus-Sancti ſunt in Chriſto ſine menſura; ſed inter hæc dona connumeratur ſapientia: ergo in Chriſto fuit ſapientia ſine menſura; at, qui quædam ſcit, quædam vero non ſcit, non habet ſcien-

tiam

etiam ſine menſura : ergo Chriſtus ſecundum humanitatem omnia ſciuit ; & conſequenter omnia poſſibilia cognouit. Quod amplius confirmat ; nihil enim ſcit aliquis, quod illius anima ignorat ; ſed Chriſtus, ſecundum
Confirmatur. omnium conceſſionem, ſcit omnia : ergo anima Chriſti ſcit omnia.

Reſpondeo, diſtinguendo primum conſequens : ſine menſura reſpectiuè ad creaturas, concedo conſequentiam:
91 *Reſp. 1.* ſine menſura reſpectiuè ad Deum, nego conſequentiam : & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Itaque ſicut gratia dicitur data Chriſto ſine menſura, non quia infinita ſit, nec maxima ex poſſibilibus de potentia abſoluta, ſed quia eſt maxima ex poſſibilibus de lege ſtatuta à Deo, & comparatiuè ad creaturas, etiam ſumptas collectiuè, ita ſcientia animæ Chriſti dicitur ſine menſura, quia ex rerum cognitione, quas Deus creaturis manifeſtare in Verbo, aut extra Verbum decreuit, nullius cognitionem Chriſti humanitati negauit ; ſed plures, quam omnes creaturæ, etiam ſimul ſumptæ cognouit, non autem, quia omnia cognouerit, quæ terminant cognitionem diuinam.

92 Vel ſecundo poteſt dici, ſcientiam fuiſſe humanitati
Reſpondetur 2. Chriſti ſine menſura conceſſam reſpectu eorum, quæ Deus ſcit ſcientia viſionis, quæ omnia fuiſſe cognita ab humanitate Chriſti *concluſione ſequenti* dicemus, non autem reſpectu illorum, quæ Deus ſcit, ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Ad confirmationem, diſtinguo maiorem : ſi ſolum ea anima conſtet, concedo maiorem : ſi
Ad confirmationem reſp. præter animam aliam habeat naturam, nego maiorem : & conceſſa minori, nego conſequentiam : quia cum in Chriſto præter naturam humanam, etiam reperiatur diuina, ex eo quod omnes concedant Chriſtum omnia ſcire, non licet colligere, illius animam omnia ſcire ; cum id poſſit verificari de Chriſto ratione diuinæ naturæ.

93 Secundo arguit e a Fulgentio, quem non benè in ſer-
Secundo arguitur. mone quodam citat Magiſter, quod in cauſa fuit, vt Vazquez de fide Magiſtri dubitans, teſtimoniumque non inueniens, argumentum inſolutum reliquerit. Te-
Fulgent. ſtimonium ergo Fulgentij habetur *lib. ad Ferrandum Diaconum reſponſione* 3. vbi plura docet in fauorem ſententiæ Magiſtri, quæ difficilem ſolutionem admittunt. Primo, animam Chriſti, ideo dici non ad menſuram accepiſſe ſpiritum, quia totum ſpiritum ſcientiæ accepit : *Vbi enim*, inquit Fulgentius, *menſura non*
Ad Coloſſenſ. 2. *eſſe dicitur plenitudo perfectionis, & perfectio plenitudinis inuenitur*. Secundo illud Pauli ad Coloſſenſes 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*, non ſolum ad Chriſti diuinitatem, ſed etiam ad eius humanitatem referri : *Si enim*, inquit Fulgentius, *non ad menſuram accipit ſpiritum ſapientiæ, & ſcientiæ, neceſſe eſt, vt omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ habeat, quod ſi ei aliquid eius plenitudinis demitur, conſequens eſt, vt ad menſuram accepiſſe ſpiritum prædicetur*. Et paucis interpoſitis, ita proſequitur : *In quantum enim ſpiritus datur, in tantum cognitio diuinitatis accipitur ; vbi autem ſpiritus non eſt menſura, neceſſe eſt, vt plena ſit diuinitatis immenſa cognitio*. Et poſt pauca hæc verba ſubiungit : *Non enim exiſtimo illi animæ in aliquo plenam diuinitatis deeſſe notitiam, cuius vna eſt cum Verbo perſona, quam ſic ſapientia ſuſcepit, vt eadem ſapientia ipſa ſit, quæ rerum omnium, in tantum facta eſt domina, vt cum ipſa diuinitate ſua, vna ſit in Trinitate perſona, quod ſi anima Chriſti minorem habet in aliquo Deitatis ſuæ notitiam, non in ſe habet totam ſapientiam, totamque virtutem. Participium ergo habet non ipſa eſt Chriſtus, ſi partem habet notitiæ diuinitatis*. Hæc, & alia ibi Fulgentius, ex quibus manifeſtum videtur, ſenſiſſe, nihil ex ſcitis à Deo animam Chriſti ignoraſſe; & conſequenter omnia poſſibilia cognouiſſe.

94 Quod amplius confirmari poteſt ; vt enim inquit Ful-
Confirmatur. gentius, non habetur plenitudo veritatis, quando ipſius veritatis aliquid ignoratur, ſed in anima Chriſti Domini fuit plenitudo veritatis, vt ibi explicat Fulgentius, teſtimonium illud Ioannis. *Plenum gratiæ, & veritatis* : ergo anima Chriſti nihil veritatis ignora-
Fulgent. uit. Ex quo ſic infert Fulgentius : *Sic eſt ergo Chriſtus plenus gratiæ, & veritatis, vt ſicut eſt in diuinitate eius, plena humanitatis eius ſuſceptio, ſicut in humanitate eius plena ſit diuinitatis cognitio* : ergo ſentit, quod ſicut nihil eſt in humanitate Chriſti, non aſſumptum à Verbo, ita nihil eſt formale, aut eminentialem in diuinitate aſſumente, non cognitum ab humanitate aſſumpta ; ſi namque de his, quæ formaliter Deitati conueniunt, loqueretur, nihil ſpeciale humanitati Chriſti attribueret ; cum omnes beati, clarè, quæ formaliter in Deo reperiuntur, cognoſcant.

Reſpondeo, id iuxta Fulgentium, ſine menſura dari, 95
quod plenè datur ; plenitudo autem eſt duplex, alia per *Reſp.*
conuenientiam formæ cum omni perfectione poſſibili de potentia abſoluta, alia per conuenientiam formæ cum omni perfectione poſſibili de lege ordinaria : Dicitur ergo à Fulgentio in prioribus verbis ſpiritus ſapientiæ datus animæ Chriſto ſine menſura, quia datus plenè, non plenitudine perfectionis poſſibilis de potentia abſoluta, ſed de lege ordinaria, quia, ſcilicet, ex his, quæ Deus creaturis omnibus manifeſtare decreuit, quædam his, quædam alijs, animæ verò Chriſti omnia manifeſtauit, & omnia humanitas Chriſti cognouit. Et iuxta hanc explicationem intelligenda ſunt, quæ ſequuntur, nempè, in anima Chriſti fuiſſe omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quos creaturis decreuit communicare ; non verò omnes, quos in ſe ipſa, & ſibi diuinitas habet. Et etiam, quæ tertio adiunguntur, eadem explicationem admittunt, ſcilicet, animæ Chriſti non deeſſe plenam diuinitatis notitiam, plenitudine poſſibili creaturæ de lege ordinaria, & ſtatuta ; non verò plenitudine, qua Deus ipſe ſe noſcit, nec plenitudine poſſibili de potentia abſoluta.

Ad confirmationem dicatur, iuxta qualitatem plenitu- 96
dinis ſcientiæ competentis animæ Chriſti, nihil ignoraſ- *Ad confirmationem*
ſe ; cognouit enim omnia, quæ Deus decreuit manifeſta- *reſp.*
re omnibus creaturis, collectiuè, cumque plenitudo ſcientiæ conueniens animæ Chriſti, ſit reſpectu illorum, quæ decreuit à creatura cognoſci, nihil ignorauit ex pertinentibus ad illam plenitudinem, alia verò, quæ non cognouit ad plenitudinem iſtam non pertinent, nec illorum habuit ignorantiam priuatiuam, ſed tantum negatiuam, quæ nec imperfectio eſt, dedecens animam Chriſti, nec ignorantia propriè dicitur. Ad verba vltimo loco e a Fulgentio adducta, dicatur, æquiparari à Fulgentio diuinitatem, vt cognitam ab humanitatem cum ipſa humanitate, vt ſuſcepta. Tùm, quoad formalia diuinitatis ; ſicut enim nihil eſt in humanitate formaliter, non ſuſceptum, & aſſumptum à Verbo : ita nihil eſt in diuinitate formaliter ab humanitate Chriſti non cognitum. Tùm etiam, quoad omnia eminentialia, non abſolutè, ſed ea his, quæ ab omnibus creaturis ſimul ſumptis cognoſcuntur, & quæ Deus illis decreuit manifeſtare, ex quibus nihil humanitas Chriſti ignorauit.

Tertio arguitur ; collectio omnium creaturarum poſ- 97
ſibilium, eſt cognoſcibilis ab intellectu creato : ergo *Tertio*
de facto fuit ab anima Chriſti cognita. Conſequentia *arguitur.*
euidens eſt ex ſæpè iam dictis. Antecedens autem probatur ; intellectus creatus poteſt, ſaltim de potentia abſoluta cognoſcere, quidquid continetur ſub obiecto ſpecificatiuo, & eſſentiali illius, quod à nullo poteſt negari ; ſed collectio omnium creaturarum poſſibilium continetur ſub obiecto eſſentiali, & ſpecificatiuo intellectus creati ; illius enim obiectum eſt ens ſub ratione entis, ſub quo omnium poſſibilium collectio continetur ; collectio enim poſſibilium eſt ens, imo & ens creatum : ergo eſt cognoſcibilis ab intellectu creato, ſaltim de potentia
abſoluta. Reſpondeo, negando antecedens : ad illius *Reſpondetur.*
probationem, conceſſa maiori, vel nego minorem, vel illam claritatis gratia diſtinguo : collectio poſſibilium ſumpta *collectiuè*, nego minorem : ſumpta *diuiſiuè*, concedo minorem, & nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens diſtinctione minoris. Ad eius probationem quatenus diſtinctioni traditæ obſtare poteſt, dicatur, obiectum intellectus creati eſſe ens, quod per ſe poteſt offerri intellectui, & vt finito modo cognoſcibile, collectio autem poſſibilium, ſumpta *collectiuè* : prout ſic, non poteſt offerri intellectui ; ratione quam *infra* dabimus ; in Verbo autem non poteſt finito modo cognoſci, & ideo non continetur ſub obiecto noſtri intellectus.

Sed dices, Deus eſt quid maius, & excellentius, 98
quam tota collectio poſſibilium, cum ſit infinitus per eſ- *Inſtabis.*
ſentiam ; collectio autem omnium poſſibilium infinita per eſſentiam non ſit ; ſed Deus continetur ſub obiecto noſtri intellectus, nempè, ſub ente, vt finito modo cognoſcibili : ergo pariter tota poſſibilium collectio ſub obiecto noſtri intellectus continebitur. Patet conſequentia. Tùm,

quia, qui poteſt cognoſcere, quod maius eſt, poteſt etiam cognoſcere minus. Tùm etiam, quia ſi non obſtante infinitate Dei per eſſentiam poteſt ab intellectu creato, finito modo cognoſci, nulla eſt aſſignabilis ratio, cur etiam tota poſſibilium collectio, ſumpta *collectiuè*, non poſſit cognoſci finito modo; ac proinde contineatur ſub obiecto ſpecificatiuo intellectus creati.

Reſpondetur. S. Thom. Reſpondeo ex D. Thom. *q.* 10. *de veritate art.* 5. & 3. *Contra Gentes cap.* 56. *ad finem*, & 1. *p. q.* 12. *art.* 8. conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam. Ad primam probationem dicatur; Deum ſecundum ſe maius quid eſſe, quam omnia poſſibilia in ſe ipſis, non autem eſt, quid maius, quam Deus, & omnia poſſibilia, vt cognita in ipſo, ſed magis eſt Deum, & poſſibilia ſimul cognoſcere, quam cognoſcere Deum ſolum. Vnde ex eo quod Deus ſolus poſſit ab intellectu creato cognoſci, non ſequitur poſſe cognoſci ab illo, Deum, & omnia poſſibilia in ipſo. Nec ſequitur, poſſe omnia poſſibilia in ipſo. *Tacitæ obiectioni occurritur.* Nec ſequitur, poſſe omnia poſſibilia, ſaltem in ſe ipſis cognoſci ab intellectu creato, quia vt inquit D. Tho. etſi omnia poſſibilia in ſe ipſis, infinitè excedantur à Deo, non tamen poſſunt in ſe ipſis offerri intellectui creato, & idcirco non poſſunt ab ipſo cognoſci.

99 *Ad ſecundam probationem.* Ad ſecundam probationem dicatur, cognitionem Dei, qui cauſa eſt creaturarum, non determinare, modum, ſed tantum dicere cognitionis ſubſtantiam. Vnde quantumcumque debiliter Deus cognoſcatur à nobis, ſemper Dei ſubſtantia cognoſcitur; cognitio autem poſſibilium in Deo dependet ex modo intenſiuo, & penetratiuo Dei, prout eſt creaturarum cauſa cuius ſignum eſt, quod qui Deũ perfectius cognoſcit, plures in illo videt creaturas poſſibiles, & ideo non poſſunt omnes in Deo, tanquam in cauſa cognoſci, niſi Deus cognoſceretur perfectiſſimo modo poſſibili, quod eſt infinitè per aſſentiam videri. Doctrina eſt D. Th. *q.* 20. *de Veritate art.* 5. *in corp.* qua vſi ſumus §. 2. ad inferendam comprehenſione Dei ex omnium poſſibilium cognitione.

Denique arguitur argumento Durandi; intellectus 100 *Vltimo arguitur argumen. Durandi.* creatus clarè videns diuinam eſſentiam, neceſſario videt in ipſa, omnia, quæ naturaliter repræſentat; ſed diuina eſſentia naturaliter, repræſentat omnes creaturas poſſibiles quoad ipſarum quidditates, ergo intellectus creatus; & conſequenter intellectus animæ Chriſti cognoſcit in diuina eſſentia cognita omnes, creaturas poſſibiles. Maior patet; nam ex parte repræſentantis impedimentum non eſt; cum naturaliter repræſentet, nec ex parte cognoſcentis, ex quo enim poteſt in diuinam eſſentiam excedentem infinitè collectionem poſſibilium, poteſt etiam omnia repræſentata per ipſam. Minor etiam conſtat; nam diuina eſſentia repræſentat creaturas poſſibiles, vt cauſa, ratione omnipotentiæ, vt illarum productiuæ, non vt actu procedentis, ſed eſſe cauſam productiuam creaturarum poſſibilium, non libera, ſed neceſſario, & naturaliter conuenit diuinæ eſſentiæ, etſi actualis productio liberè exerceatur ab illa: ergo naturaliter repræſentat omnes creaturas poſſibiles.

Hoc eſt fundamentum Durandi, quo non ſolum proba-
101 tur, poſſe omnia poſſibilia in diuina eſſentia cognoſci, ſed etiam cognoſci de facto, nedum ab anima Chriſti, ſed etiam à quocumque intellectu creato, Deum, vt eſt in ſe vidente. Quod amplius explicare, & confirmare poſſumus *Confirmatur 1.* primò; nam diuina omnipotentia, ſecundum ſuum eſſe quidditatiuum, omnia poſſibilia continet: ergo cognita ſecundum hoc eſſe, qualiter à quolibet beato cognoſcitur, neceſſario omnia poſſibilia cognoſcuntur in illa. Se- *Confirmatur 2.* cundo, diuina omnipotentia in eſſe entis, eſt neceſſario connexa cum poſſibilibus in particulari: ergo in eſſe cognito eſt cum eiſdem, ac cognitiſ neceſſario connexa; ac proinde ſicut repugnat, omnipotentiam eſſe, aliquo poſſibili repugnante quoad eſſe, ita repugnabit cognoſci, aliquo poſſibili in particulari non cognito. Patet prima conſequentiæ; nam cognoſcibilitas ſequitur entitatem: ergo entitatem cum omnibus poſſibilibus in particulari connexam, ſequitur cognoſcibilitas connexa cum illorum cognoſcibilitate. Tertio; quia namque omnipotentia eſt *Confirmatur 3.* neceſſario connexa cum poſſibilibus ſub ratione communi poſſibilis, implicat cognoſci omnipotentiam quidditatiuè, non cognita ratione communi creaturæ poſſibilis, vt cum frequentiori Theologorum ſententia docuimus *Tract. de Viſione Dei art. ſeptimo*, ſed etiam neceſſario eſt connexa cum rationibus particularibus poſſibilium: ergo non poteſt quidditatiuè cognoſci, non cognitis omnibus poſſibilibus ſecundum rationes particulares, & proprias.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: neceſſario cognoſcit omnia, quæ naturaliter repræſentat intellectui ipſam videnti, concedo maiorem: omnia, quæ naturaliter repræſentat intellectui diuino, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minorem, nego conſequentiam. Ad maioris probationem, nego antecedens pro ſecunda parte; eſt 102 *Reſp.* enim impedimentum ex parte intellectus creati, nempè, limitatio ſuæ actiuitatis, & efficaciæ, necnon, & limitatio luminis, iuxta cuius proportionem vnitur diuina eſſentia in ratione ſpeciei, & in ratione obiecti, & quæ quantum eſt de ſe, poterat omnia repræſentare, & de facto illa repræſentat intellectui diuino, cui adæquata, & comprehenſiue vnitur, intellectui creato, lumine finito perfecto, quia adæquatè non vnitur, non repræſentat, nec repræſentare poteſt omnia in ipſa cognoſcibilia, ſed tot, vel plura iuxta luminis proportionem. Nec obſtat, quod limitatio intellectus, non impediat viſionem diuinæ eſſentiæ, vt inferatur, nec poſſe impedire omnium poſſibilium cognitionem, Vt enim docet D. Th. 1 *p. q.* 12. *art.* 8. *ad* 3. licet maius ſit videre Deum, quam omnia alia, tamen maius eſt ſic videre Deum, quod omnia in eo cognoſcantur, quam videre ſic ipſum, quod plura, vel pauciora cognoſcantur in eo, quia multitudo cognitorum in Deo, conſequitur modum videndi ipſum magis, vel minus perfectum. *Cuidam obiectioni occurritur.* Hæc ſolutio eſt Capr. *in* 3. *diſt.* 15. *q. vnica art.* 3. *ad primum argumentum Durandi*, Caietani 1. *p. q.* 12. *art.* 8. & Ferrerrien. 3. *contra gentes c.* 56. ſumpta ex D. Th. *ad Annibald. lib.* 3. *diſt.* 4. *q. vnica art.* 2. *ad* 2. *q.* 8. *de Veritate art.* 4. *ad* 2. & 3. *q.* 20. *art.* 5. *ad* 1. 3. *contra gentes c.* 56. *ad finem* & 1. *p. q.* 12. *art.* 8. *ad* 3. *Capr. Caiet. Ferrar.*

Ad primam confirmationem, conceſſo antecedenti, 103 *Ad primã Confirmationem.* diſtinguo conſequens: cognita adæquatè, & comprehenſiue, concedo conſequentiam: cognita inadæquatè, & tantùm quidditatiuè, nego conſequentiam. Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: in eſſe cognito comprehenſiuo, & adæquato, concedo conſequentiam: in eſſe cognito quidditatiuo tantùm, & inadæquato, nego conſequentiam. *Ad ſecundam.* A quolibet autem beato, non adæquatè, & comprehenſiuè, ſed quidditatiuè, & inadæquatè cognoſcitur; & ideò non repræſentat intellectibus beatorum omnia poſſibilia ſecundum rationes particulares.

Ad tertiam, diſtinguo maiorem: quia eſt connexa 104 *Ad tertiã* cum ratione communi poſſibilis, vt cum termino formali, concedo maiorem; ex ratione ſola connexionis, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minorem, nego conſequentiam: vt enim potentia aliqua cognoſcatur quidditatiuè, ſufficit cognoſci terminum formalem ſuæ habitudinis, vel connexionis, & non eſt neceſſarium omnem materialem illius terminum cognoſci, vt conſtat in potentia viſiua, ad cuius quidditatiuam cognitionem non peritur cognitio omnis particularis viſibilis, ſed ſufficit cognitio viſibilis in communi, & ſic de intellectu, voluntate, & alijs tam potentijs, quam habitibus. Hoc autem eſt diſcrimen inter rationem communem creaturæ poſſibilis, & particulares rationes poſſibilium, prout ad omnipotentiam comparantur, quod illa eſt formalis terminus *quo* omnipotentiæ, prout eſt virtus productiua ad extra, cuius terminus formalis *quo*, vel ratio *ſub qua* formalis eſt diuina eſſentia, vt participabilis à creatura, vel ab illa immitabilis; rationes verò particulares poſſibilium, non ſunt terminus formalis, ſed omnino materiales connexionis omnipotentiæ ſub ratione productiuæ: & ideò non poteſt omnipotentia quidditatiuè cognoſci, non cognita ratione communi creaturæ poſſibilis, benè verò ignorantis, vel non cognitis creaturis ſecundum ſuas particulares rationes.

Sed contra iſtam ſolutionem replicabis primò; terminus 105 *Replicabis 1.* formalis eſt ille, à quo potentia ſpecificatur; ſed diuina omnipotentia, nec à poſſibili in communi, nec à poſſibilibus in particulari ſpecificatur; cum ſpecificatio dicat dependentiam, repugnet autem diuinam omnipotentiam ab aliquo extra ſe dependere: ergo ratio communis poſſibilis vel non repugnantis, non eſt terminus formalis omnipotentiæ diuinæ. *Secundo.* Secundò; eo modo connectitur omnipotentia cum creaturis, quo illas producit; cum ſit connexio potentiæ productiuæ cum termino producibili; ſed non producit rationem communem poſſibilis, ſed poſſibiles in particulari: ergo non connectitur formaliter cum ratione communi creaturæ poſſibilis, ſed cum omnibus poſſibilibus in particulari.

106 *Tertiò.* Tertiò, quilibet beatus videns intuitiuè Deum, cognoſcit omnipotentiam prout diſtinctam ab illa, quæ remaneret, ſi homo v. gr. æquus, vel quæuis alia creatura, quæ poſſibilis eſt, redderetur impoſſibilis; ſed terminus formalis omnipotentiæ, vt ſic diſtinctæ, eſt creatura poſſibilis in particulari: ergo ſi videns omnipotentiam, neceſſario videt rationem communem poſſibilis, ſeu non repugnantis, quia cum illa connectitur, vt cum termino, vel cum extremo formali, etiam neceſſario videt omnes creaturas in particulari poſſibiles. Illatio videtur bona. Minor conſtat, ille namque eſt terminus formalis alicuius potentiæ per quem ab alijs diſtinguitur; ſed omnipotentia præſens, ab altera, quæ tunc caſus confingitur, diſtinguitur per illam creaturam, quæ modò repugnans non eſt, & in illo caſu impoſſibilis repugnans ſupponitur; nam vtraque omnipotentia in alijs, præterquam in iſtius creaturæ continentia conueniunt: ergo terminus formalis omnipotentiæ diuinæ, vt diſtinctæ ab altera omnipotentia conficta, eſt creatura particularis poſſibilis. Maior autem probatur; nam quilibet beatus cognoſcit omnipotentiam quidditatiuè: ergo ſecundum omnia prædicata eſſentialia omnipotentiæ. Sed diſtinctio iſtius omnipotentiæ ab illa, quæ tunc caſus manens confingitur, ſumitur ex aliquo prædicato eſſentiali omnipotentiæ; cum diſtinctio ſit eſſentialis: ergo quilibet beatus cognoſcit omnipotentiam, quæ de facto conuenit Deo, vt diſtinctam ab altera omnipotentia, quæ tunc caſus Deo conueniret.

107 *Ad primã replicam reſpondet quidam Thomiſt. Recentior, & explicatur in ſpecificatio virtualis ſubſiſtat.* Ad primam inſtantiam Recentiores quidam Thomiſtæ reſpondent, conceſſa maiori, negando minorem; nam licet repugnet omnipotentiæ ſpecificari à creatura, ſpecificatione formali; quod autem virtuali ſpecificatione ab illa ſpecificetur, nullum inconueniens, & hoc ſufficit, vt ratio communis poſſibilis, ſit terminus formalis omnipotentiæ, ſine quo non poſſit quidditatiuè cognoſci. Sed non placet iſta ſolutio; nam ſpecificatio virtualis in eo conſiſtit, quod ita vnum cum altero comparetur, quod ſi adeſſet inter illa realis formalis diſtinctio, realis formalis ſpecificatio vnius ab alio intercederet, ſicut virtualis radicatio conſiſtit, in eo quod ſi adeſſet realis diſtinctio, realis radicatio interueniret formaliter, quo circa eſſentiam diuinam dicimus, virtualiter attributa radicare, & ens ſuas proprietates, quia ſi inter Dei eſſentiam, & ipſius attributa eſſet realis diſtinctio, eſſentia radicaret realiter attributa, & ſimiliter ens attributa tranſcendentia radicaret formaliter realiter, ſi ab illis realiter diſtingueretur, ſed diuina omnipotentia de facto diſtinguitur realiter ab ente creato in communi, & non ſpecificatur ab illo ſpecificatione reali formali: ergo nec virtualiter ab illo ſpecificatur.

108 *Reſpondebis.* Dices; virtualem ſpecificationem non explicari adæquatè per illam conditionalem, ſed ſufficere, vt vnum ab altero ſpecificetur virtualiter, taliter comparari cum illo, quod ſi eſſet capax formalis ſpecificationis ab ipſo ſpecificaretur ſpecificatione formali, & quia omnipotentia ſic comparatur cum ratione communi poſſibilis, quod ſi illi non repugnaret formalis ſpecificatio, à ratione illa communi formaliter ſpecificaretur; non verò à particularibus poſſibilibus, fit, vt de facto ſpecificetur ſpecificatione virtuali à ratione communi entis creati poſſibilis.

Contra. Sed contra; nam eo ipſo quod attributa diuina, v. g. intellectus, & voluntas poſſent realiter à diuina eſſentia diſtingui, & non radicari in illa radicatione reali formali, non radicarentur modò in diuina eſſentia radicatione virtuali: ergo virtualis radicatio conſiſtit in radicatione reali formali ſub hypotheſi realis formalis diſtinctionis inter radicans, & radicatum, vel per hanc conditionalem rectè explicatur; & conſequenter virtualis ſpecificatio in ſimili conditionali conſiſtit, vel explicatur adæquatè per illam.

109 *Suſtineri poteſt Recentiorũ Thomiſtarum ſolutio.* Sed reſpondari poteſt, ſuſtinendo traditam ſolutionem, ideò in attributis diuinis verificari antecedens, quia ſuppoſita illorum diſtinctione reali ab eſſentia, nihil eſſet, quod obſtaret, quo minus in illa radicarentur radicatione reali formali; in omnipotentia verò etiam reali diſtinctione illius à creaturis ſuppoſita, eſt ſufficiens caput repugnantiæ, vt à creaturis ſpecificetur realiter, nempè, illius omnimoda independentia ex ratione entis à ſe, cui repugnat à creaturis dependere; & ideò dependentia virtualis ſufficienter explicatur per hoc, quod ſi capax eſſet formalis ſpecificationis, illam ſumeret formaliter à ratione communi poſſibilis; cum tamen quamuis in omnipotentia eſſet ad ſpecificationem formalem capacitas, non ſpecificaretur à creaturis ſumptis in particulari.

110 *Secundo & melius reſpondet ad primã replicam.* Sed melius reſpondetur ſecundo, diſtinguendo maiorem: terminus formalis ordinis tranſcendentalis, concedo maiorem: terminus formalis connexionis realis abſolutæ ab ordine tranſcendentali, nego maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: non eſt terminus formalis omnipotentiæ vt relatæ tranſcendentaliter, concedo conſequentiam; vt realiter connexæ cum creaturarum poſſibilitate, nego conſequentiam: nam ſicut terminus formalis potentiæ, vt reſpicientis, eſt ille, ratione cuius alia reſpiciuntur à potentia: ita terminus formalis, ſeu formale extremum potentiæ, vt realiter connexæ, ille dicitur ratione cuius cum alijs eadem potentia connectitur. Quia ergo omnipotentia diuina connectitur cum ratione communi poſſibilis ratione ſui, & ratione illius cum poſſibilibus in particulari; ideò ratio communis poſſibilis, ſeu non repugnantis eſt terminus formalis, ſeu formale extremum connexionis omnipotentiæ, vt eſt virtus productiua, & poſſibilia in particulari ſunt terminus, vel extremum materiale, non tamen ſpecificatur à ratione illa communi, quia ad hoc neceſſarium erat, quod reali habitudine tranſcendentali ad creaturas referretur.

111 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: eo modo, quo illas producit quantum ad rationem *quæ* terminandi productionem, concedo maiorem: quoad rationem *quæ* productam, nego maiorem, & diſtinguo minorem: non producit rationem illam communem, vt rationem *quæ* productam, concedo minorem: vt rationem *quæ* terminandi productionem diuinam, nego minorem, & conſequentiam: nam ſicut potentia viſiua, etſi non videat coloratum in communi *vt quod*, quia tamen videt illud *vt quo*, id eſt, quia colores particulares attigit ratione coloris ſumpti in communi, vel communiter ſumpti, non ſpecificatur formaliter ad hoc, vel illo colore, ſed à colorato ſumpto communiter: ita omnipotentia diuina, non cum hoc, vel illo particulari poſſibili connectitur, connexione formali, ſed tantum cum ratione communi entis creati poſſibilis, quia licet hanc rationem non producat *vt quod*, quidquid tamen producit, ſub ratione entis in communi producit.

112 *Ad tertiã.* Ad tertiam conceſſa maiori, nego minorem, cum enim continentia equi, non diſtinguatur virtualiter à continentia actiua hominis in diuina omnipotentia, non poteſt homo, aut equus eſſe formale extremum, aut formalis terminus continentiæ actiuæ ſui, nec omnipotentia vera, ab omnipotentia conficta per hominis continentiam diſtinguitur, ſed in ratione entis veri: nam ab ente rationis, & ab ente confictò diſtinctio habetur ex ratione communi entis veri, ſicut homo à lapide per rationem viuentis diſtinguitur, & à planta per rationem ſenſibilis; ab equo autem, & alijs animalibus per vltimam ſui differentiam, nempè, rationalitatem. Et ratio eſt: nam diſtinctio præſtita à differentia, eſt reſpectu conuenientium in genere immediatè per illam contracto: vt ergo omnipotentia vera à conficta per continentiam hominis, vel equi diſtingueretur, neceſſarium erat quod inter vtramque omnipotentiam in alijs omnibus vera conuenientia eſſet, quod non ita contingit: nam inter veram, & confictam omnipotentiam, non eſt vera conuenientia in continentia aliorum poſſibilium: nam quod verum ens non eſt, veram conuenientiam non poteſt habere cum alio, nec vt omnipotentia cognoſcatur quidditatiuè, neceſſarium eſt cognoſcere in illa id, per quod diſtinguitur ab alia omnipotentia ſecundum conuenientiam fictam, ſed tantum id, per quod ab illa diſtinguitur ſecundum ea, quæ confictæ omnipotentiæ verè conueniunt, quod nihil eſt aliud, quam quod ſit ens fictum, & implicans contradictionem. Per quod ad minoris probationem conſtat ſolutio.

§. V.

Secunda concluſio ſtatuitur, & primum argumentum contra illam diluitur.

113 *Secunda concluſio.* SECVNDA CONCLVSIO. *Anima Chriſti actu cognouit in Verbo ex vi viſionis beatificæ omnia quæ ſunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis.* Ita D. Thom. locis, vbi ſupra relatis, & præter omnes Thomiſtas frequentius cæteri Theologi, adeoque certum exiſtimat Vazquez *in præſenti, diſputatione 31. cap. 2.* cognouiſſe animam Chriſti Domini omnia enumerata obiecta abſtrahendo à modo cognitionis illorum intra, vel extra Verbum ex vi cognitionis Verbi, vel diuerſæ cognitionis, vt aſſerat, eſſe certa fide tenendum, eo quod, quamuis in nullo Generali, aut Prouinciali Concilio hacteous fuerit ab Eccleſia diffinitum; habetur tamen in illa per indubitatæ fidei traditionem. *Iſtam concluſionem eſſe de fide docet P. Vazq.* Quod probat; nam Sancti PP. ita vno ore id pronunciant, vt oppoſitum damnent tanquam errorem, quod ſignum eſt generalis, & indubitatæ traditionis. Antecedens deducit ex Iuſtino Martyre *q. 58. ad orthodoxo,* dicente: *Impium eſſe Chriſto aliquam ignorantiam tribuere.* *Iuſtinus Martir.* ex Clemente Alexandrino *lib. Pedagogi cap. 6. in principio,* vbi ait: *Abſurdiſſimum eſt aſſerere Chriſto aliquid defuiſſe, atque oportuiſſe aliquid diſcere.* *Clemens Alexand.* Ex Hilario, Hieronymo, Ambroſio, & Gregorio aſſerentibus, Chriſtum diem iudicij non ignoraſſe, alias ipſum eſſe incarnatam Sapientiam cum blaſphemio oporteret negare: *Hilarius. Hieron. Ambr. Greg.* ſentiunt ergo Eccleſiæ PP. erroneum eſſe Chriſto, etiam vt homini, aliquam ignorantiam tribuere; & conſequenter omnia præterita, præſentia, & futura cognouiſſe ex Eccleſiæ traditione habetur.

114 *Reijcitur 1.* Leui tamen fundamento fuit motus Vazquez ad tam rigidam cenſuram: & reijcitur primo: nam plures Theologi ex Antiquis, & Recentioribus oppoſitæ adhærent ſententiæ: ergo noſtra non poteſt per generalem traditionem haberi. *Secundo.* Secundo: nam ignorantia, quam impium eſt Chriſto, vt homini, attribuere, non negatiua, ſed priuatiua eſt, alias omnium poſſibilium eſſet illi concedenda cognitio, cum defectus cognitionis, cuiuſuis rei poſſibilis, ignorantia negatiua ſit; quæ melius neſcientia, quam ignorantia appellatur: at Chriſtum, vt hominem, non cognouiſſe omnia præterita, præſentia, & futura, non induceret in illo ignorantiam priuatiuam, ſed ſolum negatiuam in doctrina Auctorum contrariæ ſententiæ, nec quod ignorantia priuatiua ſit, poteſt euidenter probari: ergo ex dictis Patrum, male infert Vazquez, noſtram concluſionem ad fidem pertinere. *In Chriſto non potuit eſſe ignorantia priuatiua, ſed tantum negatiua.* Minor oſtenditur primo: carentia actualis cognitionis illius, quod habitualiter ſcitur, non dicitur propriè ignorantia priuatiua, ſed negatiua, ſed contrarij Auctores negantes Chriſto, homini, cognitionem omnium, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt, concedunt humanitati Chriſti habitualem illorum omnium cognitionem: ergo non attribuunt Chriſto ignorantiam priuatiuam, ſed tantum negatiuam. Secundo: nam carentia cognitionis, quæ poſſibilis non eſt, priuatiua ignorantia non eſt, ſed tantum negatiua; at contrarij Auctores aſſerunt, cognitionem illorum obiectorum eſſe impoſſibilem, nec poſſunt euidenter conuinci, vt illorum argumenta proponentes videbimus: ergo non poteſt euidenter monſtrari ignorantiam, quæ ex carentia talis cognitionis infertur, eſſe priuatiuam.

115 *Tertio reijcitur.* Tertio reijcitur; nam etiam ſi cognitio omnium exiſtentium, futurorum, & præteritorum, Chriſto, vt homini negetur, non ſequitur fuiſſe Chriſto opus, aliquid diſcere: ergo quamuis PP. abſurdum cenſeant aſſerere Chriſto, vt homini, opus fuiſſe, aliquid addiſcere, non ſequitur illius humanitatem, præfatam cognitionem habuiſſe. Probatur antecedens, quod ſcitur habitualiter, quamuis actu non cognoſcatur, non dicitur per addiſcentiam haberi, quando actualiter cognoſcitur; ſed contrarij Auctores aſſerunt, omnia illa obiecta cognouiſſe habitualiter: ergo etiam ſi ea obiecta actu diſtinctè non cognouerit, non ſequitur ei opus fuiſſe, aliquid de nouo addiſcere.

116 Denique; quia non eſt eadem ratio de die iudicij, ac de alijs rebus futuris ergo quamuis PP. aſſerant, negantes Chriſto, vt homini, ſcientiam diei iudicij cum Neſtorianis ſentire, non ſequitur, ipſum dicendum, denegantibus humanitati Chriſto aliorum futurorum notitiam. *Quarto reijcitur.* Antecedens oſtenditur primo; quia Chriſtum, vt hominem, diem iudicij cognouiſſe, diffinitum eſt *in 6. Synodo actione 12. in Epiſtola Sofronij,* vt referunt Recentiores; de alijs autem futuris talis diffinitio non extat: ergo non eſt eadem ratio, vel idem ferendum iudicium, de ſcientia huius diei, ac de ſcientia aliorum futurorum. *De fide eſt Chriſtum vt hominem diem iudicij cognouiſſe, non ſic de alijs futuris.* Secundo: quia dies iudicij pertinet ad Chriſtum, vt Iudicem, eſtque proprius dies illius; plura autem alia futura, nempè, cogitationes aliæ, quæ poteſt diem iudicij eliciuntur à beatis ad iudicaturam Chriſti non pertinent, vt contrarij Auctores aſſerunt; eſt autem humanitati Chriſti attribuenda omnium illorum cognitio, quæ ad ipſum, vt iudicem, ſpectant: ergo non eſt eadem ratio de ſcientia diei iudicij, ac de omnibus futuris. Vnde hæc cenſura relicta.

117 *Probatur concluſ. ratione D. Tho.* Probatur Noſtra concluſio ratione D. Th. in hunc modum. Et enim omnes beati cognoſcunt in diuina eſſentia cognita ex vi viſionis beatificæ, ea quæ ad ipſum ſtatum pertinent; ſed ad ſtatum Chriſti, vt hominis, ſpectant omnia, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, ſecundum quodcumque tempus: ergo hæc omnia cognouit in diuina eſſentia cognita ex vi viſionis beatificæ. Minor conſtat; nam Chriſtus ſecundum quod homo, eſt Dominus omnium, iuxta illud Matthæi vltimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Et Pſal. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Et Ioanni 13. c. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* *Matth. Vltimo. Pſal. 8. Ioannis cap. 13.* Eſt etiam omnium creaturarum rationabilium Iudex, vt conſtat ex illo Ioannis 5. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio:* ergo ad ipſum ratione dominij pertinent omnia, & ratione iudiciariæ poteſtatis omnes rationales creaturæ, omneſque illarum actus, ſiue boni, ſiue mali. *Ioannis 5.* Maior autem conſtat primo ex Concilio Senonenſi in decretis fidei *Decreto 13.* vbi vt probet preces noſtras à beatis audiri, docet: *In diuinitatis ſpeculo innoteſcere illis, quidquid eorum interſit.* *Conc. Senonenſ.* Deinde hac ratione: nam rationabiliter quilibet beatus deſiderat ſcire omnia ad ipſum ſpectantia, ſed de ratione beatitudinis eſt omne rationabile beati deſiderium ſatiare: ergo omnium cognitio habetur per beatificam viſionem in Verbo.

118 *Reſp. 1.* Reſpondebis primo: de ratione beatitudinis non eſſe, omnia ad beatos ſpectantia illis à principio manifeſtari in particulari, & diſtinctè, ſed ſufficit, quod principuos euentus diſtinctè cognoſcant ſtatim ex vi viſionis beatificæ; cæteros autem confuſè, & poſtea ſucceſſu temporis in particulari, & diſtinctè per reuelationem extra Verbum, vt docet Magiſter Soto *in 4. diſtin. 49. q. 3. art. 3. concluſ.* 10. quem ſequuntur Recentiores Thomiſtæ, ac proinde ex ratione facta non conuincitur, Chriſtum per viſionem beatificam actu cognouiſſe omnia ad ipſum ſpectantia, nec omnia, quæ in quocumque tempore habitura ſunt exiſtentiam. *M. Soto.* Vel ſecundo reſpondebis: viſionis beatificæ non repugnare ſucceſſionem circa obiecta ſecundaria; ac proinde ex eo quod Chriſtus, vt homo, per ipſam omnia cognouerit, non inferri omnia actu cognouiſſe à principio beatitudinis, ſed quod illa ſucceſſiuè cognouerit. *Reſpondebis 2.*

119 *Reſp. 3.* Reſpondebis tertio: de ratione beatitudinis non eſſe, quod ſe ipſa formaliter ſatiet omne rationabile deſiderium beati, ſicut nec omnem inclinationem innatam, ſed formaliter, vel radicaliter; non enim ſatiatur per viſionem, in qua eſſentia beatitudinis conſtituitur à nobis, inclinatio innata appetitiua, ſed ſolum radicaliter, nempè, radicando amorem, ipſam ſatiantem formaliter; ac proinde ex ratione facta non conuincitur, quod omnia ad Chriſtum ſpectantia debuerint ab ipſo cognoſci per beatificam viſionem, ſed vel per ipſam, vel per alias cognitiones à beatifica viſione petitas, & in illa radicatas. *Reſp. 4.* Vel denique reſpondebis, quod licet cogitationes omnes hominum, & Angelorum, quæ finale iudicium præcedunt, pertineant ad Chriſtum, vt iudicem; illæ tamen, quæ finale iudicium ſequuntur ad ipſum, prout ſic non ſpectant, cum pro illis præmium non ſint accepturi, qua ſolum ratione Chriſto, vt iudici, cogitationes noſtræ ſubduntur; ac proinde ex eo quod omnia ad Chriſtum ſpectantia fuerint ab ipſo cognita per beatificam viſionem formaliter, non ſequitur omnes cogitationes beatorum per illum cognouiſſe.

120 Sed nulla ex his ſolutionibus argomento ſatiſfacit: non prima; etenim omnes beati cognoſcunt in Verbo om-

nia

Prima ſolutio reijcitur. nia ad ipſos ſpectantia modo ſibi debito, & decenti; ſed ad Chriſtum, vt hominem, attinent omnia, quæ in quocumque tempore habitura ſunt exiſtentiam, ratione dominij, iudiciariæque poteſtatis; & alias ratione ſupremæ dignitatis illum cognitio confuſa non decet, ſed debetur clara, & diſtincta: ergo omnia in particulari, & diſtinctè cognouit, quidquid de alijs beatis, quos, quia Chriſti dignitate non gaudent, confuſa cognitio non dedecet.

121 *Secunda ſolutio reijcitur 1. S. Thom.* Nec ſecunda, quæ reijcitur primo; nam ea, quæ beati vident in Verbo, ex vi viſionis formaliter, non vident ſucceſſiuè, ſed ſimul à principio: ergo ſi Chriſtus in Verbo prædicta obiecta cognouit, non ſucceſſiuè, ſed ſimul, & ab initio ſuæ beatitudinis ſciuit. Antecedens eſt D. Th. 1. p. q. 12. art. 10. & 1. 2. q. 3. art. 4. ad 2. q. 8. de Veritate art. 20. in 4. diſtinct. 45. q. 3. art. 1. in præſenti art. 2. & alibi ſæpe. Probaturque primo ex D. Auguſtino lib. 15. de Trinitate c. 16. circa finem, vbi de homine in ſtatu beatitudinis loquens, ſic ait: *Non erunt volubiles noſtræ cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram, vno ſimul conſpectu videbimus*: In quibus verbis ſupra vnitatem viſionis beatificæ ſimultaneitatem in terminatione ad obiecta ſtatuit: ergo Auguſtinus

Beatos in Verbo omnia ſimul, & nō ſucceſſiuè cognoſcere probatur 1. ea, quæ à beatis intra Verbum videntur, ſimul à principio videri. Secundo probatur ratione D. Th. 1. p. q. 12. art. 10. etenim viſionem beatificam ſimul à principio ad

Secundo. omnia ſua obiecta terminari, eſt poſſibile, & alias maximè congruit ſtatui beatifico: ergo ſimul, & non ſucceſſiuè ad ſua obiecta terminatur. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur; nam intellectum noſtrum, plura ſimul non cognoſcere, prouenit, ex eo quod illa per plures ſpecies cognoſcit; vnde omnia illa, quæ per vnam ſpeciem repræſentantur, ſimul poteſt intelligere; ſed quæ à beatis videntur in Verbo, vna ſpecie cognoſcuntur, ſcilicet, diuina eſſentia illorum mentibus per modum ſpeciei vnita: ergo poſſunt ſimul omnia à beatis

Secundo reijcitur 2. ſolutio. cognoſci. Secundo reijcitur ſolutio; nam infinita nequeunt ſucceſſiuè pertranſiri, ſcilicet, vnum poſt aliud, & in hoc ſenſu infinitum impertranſibile dicitur; at obiecta, quæ anima Chriſti per ſcientiam beatam cognouit, ſunt infinita, vt videbimus: ergo non poſſunt ſucceſſiuè cognoſci; ac proinde, vel aſſerendum eſt, omnia non cognouiſſe, vel illa cognouiſſe ſimul.

122 *Tertia ſolutio reijcitur.* Deinde tertia ſolutio reijcitur; eſt namque de ratione beatitudinis ſatiare formaliter omne rationabile deſiderium beati, quod formaliter, & ſe ipſa poteſt ſatiare; ſed deſiderium beati videndi omnia, quæ attinent ad ipſum, rationabile eſt, poteſtque viſio beatifica illud ſatiare formaliter, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit: ergo eſt de ratione illius formaliter prædictum deſiderium ſatiare; & conſequenter non radicaliter, ſed formaliter, ſe ipſa petit manifeſtare beatis omnia ad ipſos ſpectantia.

123 *Quarta ſolutio reijcitur 1.* Tandem vltima ſolutio reijcitur primo; nam cognitiones beatorum, quas poſt finale iudicium habebunt, pertinent ad illorum præmium accidentale, ſed ad iudicem ſpectant, non ſolum actiones remunerandæ, aut præmiandæ, ſed etiam, quæ in premium dantur, ſiuè ad præmium eſſentiale, ſiuè ad accidẽtale præmium pertineant: ergo illæ cogitationes pertinent ad Chriſtum, vt hominem.

Secundo. Secundo: nam eſto cogitationes illæ non pertineant ad Chriſtum, vt iudicem; ad ipſum tamen ratione dominij, non poſſunt non pertinere: ergo debent ab illius humanitate per beatificam viſionem cognoſci. Antecedens probatur, Chriſto, et homini, ſunt omnia ratione dominij ſubiecta, quæ in cœlis ſunt, & in terra, ob quam rationem ad illum, vt Dominum pertinent minutiſſimæ creaturæ: ergo etiam beatorum cogitationes habitæ poſt diem iudicij.

124 *Contraria ſententia cum ſuis auctoribus refertur.* Contrariam noſtræ concluſionis ſententiam tenuere ex Antiquis Henricus, Scotus, Gabriel, Richardus, Marſilius, Paludanus, & alij plures, quos refert, ſequiturque Pater Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 4. ſect. 7. vbi ait, ſententiam iſtam ſe probabiliorem putaturum, niſi auctoritas Angelici Præceptoris in contrarium obſtaret. Eandem etiam aliqui Recentiores ſequuntur, in quorum fauorem, & contram concluſionem plura poſſunt opponi, quæ viſionem creaturarum exiſtentium in Verbo, & decretorum cognitionem per beatificam viſionem oppugnant. Cæterum, quæ hæc beatos in communi concernunt, ſpectantque ad Tract. de viſione Dei 1. p. q. 12. art. 7. & 8. ideo illis omiſſis ea ſolum proponemus, quæ ſpecialiter procedunt contra vniuerſalitatem cognitionis animæ Chriſti.

Arguitur primo; nam ſequitur ex noſtra ſententia, animam Chriſti ſcientiam viſionis Dei comprehendere; conſequens eſt falſum: ergo falſum etiam eſt animam Chriſti actu cognouiſſe in Verbo ex vi viſionis beatificæ omnia, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis. Probatur ſequela; cognitio termini adæquati alicuius potentiæ, aut virtutis, eſt illius comprehenſio, vel ſaltem infert potentiæ comprehenſionem, vt §. 2. diximus: ergo pariter cognitio obiecti adæquati ſcientiæ, infert ſcientiæ comprehenſionem; ſed ſi anima Chriſti cognoſceret omnia, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt, ſecundum quodcumque tempus, cognoſceret adæquatum obiectum ſcientiæ viſionis diuinæ; cum hæc ſolum ad illa, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt, terminetur: ergo comprehenderet illã. 125 *Arguitur 1.*

Huic argumento Suarez diſp. 26. ſect. 3. tres adhibet ſolutiones. Prima eſt, ex cognitione omnium creaturarum exiſtentium, non ſequi comprehenſionem ſcientiæ viſionis, quia ſub illa, non ſolum creaturæ exiſtentes, ſed etiam ipſe Deus, vt exiſtens, continetur, & omnes perfectiones diuinæ; cumque Deus non comprehendatur ab anima Chriſti Domini, fit, quod neque etiam comprehendat illius ſcientiam viſionis. Sed non placet hæc ſolutio; nam ſcientia viſionis Dei, quatenus libera eſt, non terminatur ad Deum, ſed ſolum ad creaturas exiſtentes, & libera decreta, de quibus eadem eſt difficultas, ac de ſcientia viſionis: ergo licet ex non comprehenſione Dei, rectè colligat Suarez, non comprehendi illius ſcientiam viſionis, quatenus eſt neceſſaria, qua ratione terminatur ad Deum; non tamen infert benè, ſcientiam viſionis, vt liberam, non cognoſci comprehenſiuè. 126 *Reſpondet Suarez 1.* *Reijcitur eius ſolutio.*

Secundo reſpondet, cognitionem omnium, ad quæ ſciẽtia viſionis ſe extendit, idcirco, non eſſe, nec inferre comprehenſionem ſcientiæ viſionis, quia non cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini in ſcientia viſionis vt cognita; vt autem potentia aliqua, vel actus comprehendatur, non ſufficit cognoſcere adæquatum terminum, vel obiectum illius, niſi in illo, vt obiecto cognito cognoſcatur. Sed nec placet iſta ſolutio, & reijcitur primo; quia ſcientia viſionis Dei, non minus eſt connexa cum creaturis exiſtentibus, quam libera decreta diuina, & vtrumque ab anima Chriſti cognoſcitur, ſed quia decreta libera connectuntur cum creaturis exiſtentibus, cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini in decretis, tanquam in obiecto cognito, & ex vi cognitionis illorum: ergo & in ſcientia viſionis iſto modo cognoſcentur. Secundo; nam anima Chriſti Domini cognoſcit creaturas exiſtentes in decretis liberis Dei, tamquam in obiecto cognito: ergo ſi omnia obiecta decretorum cognoſcit, decreta libera comprehendit; ſed hoc conceſſo nullum eſt inconueniens concedere, quod etiam comprehendat ſcientiam viſionis, et liberam: ergo ſolutio tradita vim argumenti non euacuat. 127 *Reſpondet 2.* *Reijcitur 1.* *Secundo.*

Tertio reſpondet, non comprehendi ſcientiam viſionis Dei ab anima Chriſti Domini, quamuis adæquatum illius obiectum cognoſcat; quia quamuis adæquet ſcientiam viſionis Dei, quoad numerum ſcibilium, non tamen adæquat in modo claritatis, quo Deus eadem obiecta cognoſcit, & conſequenter non comprehendit ipſam claritatẽ, & eminentiam, qua Deus illa intuetur, & ideo, nec ſcientiam viſionis Dei, prout in ipſo Deo eſt. Hæc tamen ſolutio, etſi veram doctrinam contineat; non tamen videtur conſequens ad ea, quæ ſect. 1. eiuſdem diſp. prædictus Auctor addiderat: ibi enim concluſ. 3. docuit, cognitionẽ pertingentem eum gradum perfectionis, vt in obiecto clarè, & diſtinctè cognoſcat, quidquid in eo eſt formaliter, & eminenter, etſi nihil aliud habeat, eſſe talis obiecti comprehenſionem: ergo ſi viſio beatifica humanitatis Chriſti, clarè, & diſtinctè cognoſcit ſcientiam viſionis Dei, quoad ea, quæ formaliter dicit; & terminatiuè continet, eſto in modo claritatis cum ea, non adæquetur, erit illius comprehenſio, ſi conſequenter ad doctrinam traditam à Suarez ſit procedendum, atque adeo ex defectu adæquationis in modo penetrationis, & claritatis, nõ poterit cum conſequentia in doctrina prædictam cognitionem à ratione comprehenſionis ſcientiæ viſionis excludere. 128 *Tertio reſpondet Suarez.* *Reijcitur ratione inconſequentia in doctrina.*

Quarto alij reſpondent; ſcientiam viſionis Dei conſiderari poſſe dupliciter, nempè, ſub ratione actualitatis, & nexus, & ſecundum conceptũ liberæ terminationis ad obiecta exiſtentia. Qua diſtinctione ſuppoſita diſtinguunt cõſequens, illudque concedunt de ſcientia viſionis Dei ſub conceptu connotationis, & terminationis liberæ ad creatu- 129 *Quarto reſpond. alij.*

res exiſtentes, negant vero de eadem ſcientia viſionis ſub conceptu actualitatis, quia ſub hac conſideratione eſt eadem indiuiſibilis formaliter, & virtualiter cum ſcientia neceſſaria. Vnde cum hæc comprehendi nequeat à creatura, nec cum creaturis exiſtentibus, obiectiuè adæquetur, nec ſcientia libera viſionis, prout ſic conſiderata adæquatur cum illis, nec à creatura comprehendi poteſt. Solutio iſta colligitur ex doctrina Capreoli *in 3. diſt. 14 q. 2. art. 3. ſolut. ad 2. contra 2. concluſionem*, & Caietani *1. p. q. 12. art. 8. ad 2. Scoti*, aſſerentium Deũ comprehendi poſſe à creatura, prout eſt cauſa suius effectus, quia hoc non eſt comprehendi ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, illamque doctiſſimis viris placuiſſe refert Mag. Medina *in præſenti art. 2. dub. 2.*

Capreol. *Caiet.* *Medin.*

130 *Reijcitur.* Et quidem ſcientia viſionis libera ſolum adderet ad neceſſariam, vel extrinſecam denominationem ab obiecto deſumptam, vel ſolum reſpectum rationis, nullum eſſet inconueniens admittere comprehendi poſſe à creatura ſcientiam liberam Dei, prout diſtinctam à ſcientia neceſſaria, & ſecundum id, quod ad illam ſuperadderet. Quia tamen frequentior, & verior ſententia, ſcientiam viſionis, prout liberam, non per reſpectu rationis, nec per extrinſecam denominationem, docet conſtitui, ſed per aliquid intrinſecum defectibile ſub conceptu denominationis, vel ſub conceptu terminationis, & indefectibile ſub conceptu entitatis, falſam reputo traditam ſolutionem hac ductus ratione; non enim comprehendi poteſt ſcientia libera viſionis ſub conceptu terminationis liberæ, non comprehenſa ſub ratione entitatis, & actualitatis; ſed ſub ratione entitatis, & actualitatis, non poteſt comprehendi à creatura: ergo nec comprehendi poteſt ab illa ſub conceptu terminationis, ſeu defectibilis denominationis. Minor eſt certa; entitas enim, & actualitas, ſcientiæ liberæ, non eſt diſtincta ab actualitate, ſeu entitate ſcientiæ neceſſariæ; alias adderet ad ſcientiam neceſſariam actualitatem, & entitatem; ac proinde ſub conceptu actualitatis, & entitatis defectibilis eſſet, cum defectibilis ſit ſecundum id quod ad ſcientia neceſſariam ſuperaddit; ſed actualitas ſcientiæ neceſſariæ, vel illius entitas, nequit comprehendi à creatura; ergo nec ſcientia libera ſub ratione entitatis, & actualitatis. Maior autem probatur; nam terminatio intrinſeca libera claudit in ſe per traſcendentiam realem formalem; entitatem, & actualitatem diuinam, ſed quia ſic claudit nequit intuitiuè, & quidditatiuè videri ſub conceptu terminationis, non viſa ſub ratione entitatis & actualitatis; ſicut nec omnipotentia ſine viſione eſſentiæ: aut è contra: ergo à fortiori comprehendi non poterit ſub ratione terminationis, non comprehenſa ſub conceptu entitatis; cum comprehenſio ſit adæquatior cognitio, quam viſio ſolum quidditatiua.

131 *Vera argumenti ſolutio. Ad probationem ſequela reſpond. 1.* Vnde ad argumentum factum reſpondeo, negando ſequelam: ad illius probationem reſponderi poteſt primo, conceſſo antecedenti, & admiſſo cõſequenti, negando minorem; nam obiectum adæquatum ſcientiæ viſionis Dei non ſolum ſunt entia poſitiua, quæ aliquando habitura ſunt exiſtentiam, ſed etiam negationes rerum, quas Deus non producere decreuit; vnde ex eo quod omnia entia poſitiua, præterita, præſentia, & futura cognoſcat anima Chriſti, dummodo non cognoſcat omnes rerum negationes, non ſequitur comprehendere obiectum adæquatum ſcientiæ viſionis liberæ Dei.

132 *Secundo reſp.* Secundo reſponderi poteſt, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; nam cognitio omnium ad quæ ſe extendit aliqua potentia, vel virtus, neceſſario illam adæquat in modo exacto ab illius cognoſcibilitate, vt conſtat ex dictis §. 3. & 4. ac proinde, eſt, vel infert comprehenſionem illius: ceterum cognitio omnium ad quæ ſcientia libera terminatur, non eſt neceſſarium, quod ſcientiam liberam in modo intenſiuo ſuæ cognoſcibilitatis adæquet, cumque hoc neceſſarium ſit ad eius comprehenſionem conſequens ſit, quod ex cognitione omnium ad quæ ſcientia libera ſe extendit non inferatur ſcientiæ liberæ comprehenſio. Quæ ſolutio fundamentum habet in D. Tho. *in præſenti art. 2. ad 3.* vbi docet, ſcientiam animæ Chriſti, quam habet in Verbo, parificari ſcientiæ viſionis, quam Deus habet in ſeipſo, quantum ad numerum ſcibilium; infinitè tamen ab illa quoad claritatem excedi, & hæc eſt quantitas perfectionis præcipuè in ſcientia attendenda. Quod ſi rationem huius diſcriminis petas, ea eſt, quia, nempè, cognitio effectuum in cauſa habetur ex vi penetrationis cauſæ; & ideo, vt ad omnes effectus in aliqua cauſa contentos terminetur, adequata cauſæ penetratio requiritur. Ceterum cognitio exiſtentium, in ſcientia, vel in decreto, non habetur ex vi penetrationis decreti, ſed tantum ex vi reuelationis illius. Vnde, vt in decreto, vel ſcientia, obiecta decretata, vel cognita cognoſcantur, penetratio ſcientiæ liberæ non petitur; & conſequenter nec adæquatio in modo cum eius cognoſcibilitate.

S. Thom.

133 *Replicabis.* Sed dices: exiſtentia cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini in diuina ſcientia cognita, non ſolum quoad *an eſt*, ſed etiam quoad *quid iſt*; at cognitio quidditatiua nõ habetur ex vi ſolius reuelationis, ſed ex vi penetrationis medij, in quo vt in obiecto prius cognito cognoſcitur: ergo cognitio exiſtentium in diuina ſcientia cognita habetur ex vi penetrationis illius. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: in diuina ſcientia prout libera, nego maiorem: in diuina ſcientia quatenus neceſſaria, permitto maiorẽ: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens diſtinctione maioris: tantum enim ſequitur cognitionem quidditatiuam rerum exiſtentium prouenire ex penetratione diuinæ ſcientiæ, prout neceſſaria eſt, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ: non autem infertur, cognitionem rerum exiſtentium quoad *an eſt*, quæ ſolum ex vi ſcientiæ liberæ habetur, ex illius penetratione prouenire. Nec etiam colligitur, cognitionem exiſtentium, in qualibet differentia temporis, eſſe, vel ſupponere comprehenſionem ſcientiæ neceſſariæ Dei; nã omnia iſta obiecta non adæquant ſciẽtiam neceſſariam, quæ etiã ad purè poſſibilia ſe extendit. *Reſpondetur.*

134 *Inſtabis.* *S. Thom.* Inſtabis ex D. Th. *1. p. q. 12. art. 8. ad* finem corporis, illis verbis: *Horum, quæ Deus facit, vel facere poteſt, tanto aliquis intellectus plura cognoſcit, quanto perfectius Deũ videt*: ergo ſentit D. Th. cognitionem nedum poſſibilium, verum etiam exiſtentium in Verbo, ſequi ad modum perfectum, vel imperfectum cognitionis Verbi, ſed cognitionem poſſibilium, conſequi ad penetrationem diuinæ eſſentiæ cognitæ, exinde colligebamus *ſupra*, quia conſequitur ad modum cognitionis illius, & non ad ſolam cognitionis ſubſtantiam; ergo cognitio exiſtentium in diuina ſcientia libera cognita, habetur ex vi penetrationis ſcientiæ liberæ, aut decreti, in quo cognoſcuntur. Et confirmabis; nam exinde §. 3. *ad 3. argum.* inferebamus, cognitionem poſſibilium in diuina eſſentia cognita, conſequi, non ad ſolam cognitionis diuinæ ſubſtantiam, ſed ad modum maioris, vel minoris penetrationis illius, quia poſſibilia nõ ſunt de manifeſtis in cauſa, ſed de his, quæ in illa latent, cum poſſit diuina eſſentia cognoſci quidditatiuè, nullo particulari poſſibili cognito; at etiam creaturæ exiſtentes, ſunt de non manifeſtis in diuina ſcientia libera, & de his, quæ in illa latent, cum poſſit ſcientia libera cognoſci, non cognitis omnibus creaturis exiſtentibus; alias quilibet beatus ſcientiam Dei liberam cognoſcens, cognoſceret omnia exiſtentia ſecundum quodcumque tempus: ergo cognitio exiſtentium in ſcientia libera cognita habetur ex vi penetrationis illius. *Confirmabis.*

135 *Reſpondetur ad inſtantiam.* Reſpondeo ex *proximè* dictis, cognitionem horum, quæ Deus facit, conſiderari poſſe dupliciter: vel prout terminatam ad illorum quidditates: vel prout terminatam ad illa prout exiſtentiam. Priori modo ſumpta, plurium cognitio perfectiorem Dei cognitionem, & illius eſſentiæ, vt cauſæ penetrationem ſupponit. Secundo autem modo, maiorem penetrationem diuinæ eſſentiæ non petit ſed tantũ decreti liberi decernentis exiſtentium reuelationẽ. Vnde quandoque minus beatus plura de exiſtentibus cognoſcit, quam videat magis beatus, vtpote ſi plura ad illius, quam ad iſtius ſtatum pertineant, quin ex hoc inferatur Deum perfectius videre; alias minus beatus non eſſet, de quo *1. p. q. 12. art. 7. & 8.* Ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem; nam ſcientia libera conſiderari poteſt dupliciter, nempè, *entitatiuè*, qua ratione eſt neceſſaria, nec eſt medium cognitionis exiſtentium, & *terminatiuè*, qualiter libera eſt, & medium, in quo creaturæ exiſtentes cognoſcuntur: priori modo ſumpta, verum eſt, quod in illa nõ manifeſtantur creaturæ: ſumpta autem ſecundo modo, non latent in ipſa, ſed patent creaturę exiſtentes, implicat enim cognoſcere ſcientiam Dei liberam, prout liberè terminatam ad hominem, non cognito homine: idemque dicendum de alijs exiſtentibus ſumptis in particulari. *Ad confirmationem.*

136 *Vrgebis.* Sed vrgebis, cognita omnipotentia *terminatiuè*, hoc eſt, ſecundum conceptum terminationis ad hominem v. c. neceſſariò manifeſtat hominem, & idem reſpectu cuiuſcumque alterius creaturę; implicat enim cognoſcere omnipotentiam, vt terminatam ad hominem, & hominem ignorare, etſi poſſit *entitatiuè* cognoſci, homine

non

non cognito; & tamen homo, & aliæ creaturæ poſſibiles, non ſunt de manifeſtis, ſed de latentibus in omnipotentia: ergo quamuis creaturæ exiſtentes, neceſſario cognoſcantur in ſcientia libere cognita *terminatiuè*, non erunt de manifeſtis, ſed de latentibus in ſcientia libera:

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: cognitæ omnipotentia *terminatiuè*, pro eo quod dicit, tam in recto,
137 *Reſpondetur.* quam in obliquo, concedo maiorem: ſolum pro eo quod dicit in recto, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam; nam ſcientia libera Dei, non poteſt cognoſci ſecundum totum id, quod dicit in recto, prout eſt ſcientia libera hominis, & hominem non cognoſci, eo quod addit ad ſcientiam neceſſariam terminationem liberam defectibilem ſub concepto terminationis, & indefectibilem ſub conceptu entitatis, & terminatio iſta libera diuerſa eſt iuxta obiectorum diuerſitatem, non minus, quam libera terminatio decreti ad illorum diſtinctionem multiplicatur; ſicut homine v.g. non exiſtente, vt potuit non exiſtere, & exiſtente equo defeciſſet Deo libera terminatio ad hominem, perſeuerante libera terminatione ad equum, & ſeparabilitas ſignum eſt diſtinctionis virtualis; eo autem ipſo, quod terminationes libere virtualiter inter ſe diſtinguuntur, non poſſunt ſub conceptu terminationis, ſecundum totum, quod importat in recto cognoſci, non cognitis illarum obiectis ſumptis in particulari. Terminatio autem actiua omnipotentiæ ſumpta, etiam *terminatiuè*, eadem eſt virtualiter reſpectu hominis, equi, & omnium poſſibilium. Tùm quia diſtinguitur virtualiter ab actualitate omnipotentiæ, quæ non multiplicatur virtualiter ad poſſibilium diuerſitatem. Tùm etiam; quia terminatio omnipotentiæ ad hominem, non eſt ſeparabilis à terminatione ad equum; ac proinde nullum adeſt fundamentum, inter vnam, & aliam terminationem. Ex quo infertur, poſſe omnipotentiam ſumptam *terminatiuè* cognoſci, ſecundum totum illud, quod dicit in recto, nullo poſſibili cognito in particulari, & ideo poſſibilia, non ſunt de manifeſtis, ſed de latentibus in omnipotentia; exiſtentia verò ſunt de manifeſtis in diuina ſcientia libera.

138 *Tertio reſpond. ad probationem ſequelæ.* Tertio reſponderi poteſt ad probationem ſequelæ, diſtinguendo conſequens: cognitio obiecti adæquati ſcientiæ ſecundum actualitatem, & entitatem illius eſt talis ſcientiæ comprehenſio, concedo conſequentiam: cognitio obiecti adæquati ſcientiæ ſecundum conceptum expreſſum liberæ terminationis, nego conſequentiam; cum enim terminatio libera comprehendi non poſſit, etiam ſub conceptu liberæ terminationis, niſi etiam comprehendatur ſub conceptu entitatis, & actualitatis, quam tranſcendentaliter imbibit; conſequens fit, quod vt comprehendatur, etiam ſub conceptu liberæ terminationis, neceſſarium ſit comprehendi obiectum adæquatum illius, non ſolum ſub expreſſo conceptu liberæ terminationis, verum etiam ſub conceptu actualitatis; licet autem omnes creaturæ exiſtentes ſecundum quodcumque tempus ſint obiectum adæquatum ſcientiæ liberæ Dei ſub expreſſo conceptu liberæ terminationis; non tamen ſunt obiectum adæquatum illius ſub conceptu actualitatis; cum hæc ſit ipſa actualitas actus neceſſarij, à quo in ratione actualitatis non differt; ac proinde ad obiecta purè poſſibilia extendatur; vt de ex cognitione omnium creaturarum exiſtentium, non infertur comprehenſio ſcientiæ liberæ Dei, etiam prout libera eſt, & ſecundum id, quod addit ad ſcientiam neceſſariam.

Sed oppones; ſtat comprehendi ſcientiam liberam ſub
139 *Oppones. Antecedens probatur 1.* conceptu liberæ terminationis, quin comprehendatur ſub conceptu actualitatis, & entitatis: ergo ſolutio tradita eſt nulla. Antecedens oſtenditur primo; de facto comprehenditur à Deo, pro ſigno poſſibilitatis rerum, ſcientia libere ſub conceptu actualitatis, non comprehenſa ſub conceptu liberæ terminationis: ergo è contra poterit comprehendi ſub conceptu liberæ terminationis, quin comprehendatur ſub ratione actualitatis. Secundo,
Secundo. ſtat poſſe deficere à Deo ſub conceptu liberæ terminationis, quin deficiat, aut deficere poſſit ſub conceptu entitatis, & actualitatis: ergo pariter poterit comprehendi ſub conceptu liberæ, & defectibilis terminationis, quin comprehendetur ſub conceptu entitatis, & actualitatis.
Confirmatur, & probatur 3. antecedens. Et confirmabis; non minus eſt contra Dei perfectionem poſſibilitas deficiendi, quam eſſe comprehenſibilem ab intellectu creato; ſed quod ſcientia libera potuerit Deo deficere ſub conceptu intrinſeco liberæ terminationis, contra Dei perfectionem non eſt: ergo pariter contra Dei perfectionem non erit, quod ſcientia libera ipſius poſſit comprehendi ab intellectu creato ſub conceptu liberæ terminationis.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; 140 *Reſpond. ad 1. antecedentis probationem.*
quia libera terminatio, pro ſigno poſſibilitatis, cognoſcibilis non eſt cum exiſtens pro illo ſigno, non ſit; nec aliquid cum ille, vt exiſtente connexum; & ideo comprehendi poteſt pro tunc ſub concepto actualitatis, non comprehenſa nec cognita, ſub ratione liberæ terminationis, vt exercite exiſtentis; at vero ſub hoc conceptu, nequit in aliquo ſigno cognoſci, in quo illius actualitas cognoſcibilis non ſit, & ideo comprehendi non poteſt ſub conceptu liberæ terminationis, non cognita ſcientia libera ſub ratione actualitatis.

Ad ſecundam, conceſſo antecedenti nego conſequentiam; ratio autem diſcriminis eſt: nam actualitas ſcientiæ liberæ Dei, non eſt intra ſphæram defectibilitatis ſub 141 *Ad ſecundam.*
conceptu actualitatis; & ideo defectibilitas, vel actualis defectus ſcientiæ liberæ ſub conceptu liberæ terminationis; non eſt neceſſum extendi ad illius actualitatem ſub conceptu actualitatis, quia tamen ſub hoc conceptu continetur intra ſphæram cognoſcibilitatis liberæ terminationis, quæ circa cognoſcit nequit libere terminatio, prout ſic, illius actualitate non cognita, comprehendi nequit ſub ratione liberæ terminationis, non comprehenſa ſub conceptu actualitatis. Sicut in ſimili iſta conſequentia non valet: *De facto communicatur Filio natura, non communicata paternitate: ergo poterit videri natura paternitate non viſa*: quia, nempè, paternitas intra lineam cognoſcibilitatis eſſentiæ continetur, non tamen intra lineam communicabilitatis illius. Similiter iſta conſequentia non tenet: *Poteſt de eſſe Filio paternitas, quin ei diuina eſſentia non competat: ergo poterit videri paternitas diuina eſſentia non viſa*. Et ex hic ad confirmatio- *Ad confirmationem reſp.*
nem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam: quia ſtat defectibilitas liberæ terminationis ſub conceptu terminationis, cum indefectibilitate eiuſdem ſub conceptu actualitatis, non ſic de comprehenſione, & ideo illius defectibilitas ſub conceptu liberæ terminationis imperfectionem non arguit in Deo; benè vero illius comprehenſibilitas ab intellectu creato.

---

§. VI.

Cætera argumenta ſoluuntur.

Secundo arguitur; anima Chriſti Domini non cognouit in Verbo ipſam viſionem beatificam: ergo non 142 *Secundo arguitur. Antecedens probatur 1.*
cognouit omnia exiſtentia. Antecedens oſtenditur primo; obiectum namque petit eſſe prius prioritate naturæ, cognitione ſui; ſed nihil poteſt eſſe prius ſe ipſo prioritate naturæ; alias ſe ipſum cauſaret, quod implicat, cum inter cauſam, & effectum debeat eſſe realis diſtinctio: ergo per viſionem rerum in Verbo, non cognouit ipſam viſionem beatificam. Secundo; nam ſi viſio beatifica eſſet ſui ipſius cognitio, etiam eſſet cognitio ſuæ durationis æ- *Secundo.*
ternæ, & decreti, quod Deus ſtatuit, illam conſeruare in æternum; ſed hoc eſſe nequit: ergo anima Chriſti non cognouit in Verbo ipſam viſionem beatificam, nec iſta poteſt eſſe ſui ipſius cognitio. Probatur minor; ſi eſſet cognitio iſtius decreti, & ſuæ perpetuæ durationis, repugnaret illi eſſentialiter deſinere eſſe, vel annihilari à Deo: conſequens eſt falſum; non enim eſt dabilis creatura, cui eſſentialiter repugnet, redigi in nihilum Deo ſuſpendente concurſum: ergo viſio beatifica non poteſt eſſe cognitio decreti ſtatuentis illius conſeruationem in æternum. Probatur ſequela; viſioni beatificæ conuenit eſſentialiter veritas illique eſſentialiter repugnat falſitas; ſed ſi cognita per illam, ſui perpetua duratione, non in perpetuum duraret, deſineret eſſe vera: ergo ſi eſt cognitio ſuæ durationis perpetuæ, repugnat illi eſſentialiter annihilari vel deſinere eſſe.

Confirmatur primo: viſio beatifica non poteſt eſſe cognitio cognitionis reflexæ ſui habitæ per ſcientiam 143
infuſam: ergo non eſt omnium exiſtentium cognitio. *Confirmatur 1.*
Probatur antecedens; non ſtat inter duo mutua cauſalitas in eodem genere infimo cauſæ; ſed ſi eſſet cognitio

ſuæ

ſuæ cognitionis reflexæ, iam daretur inter illas mutua cauſalitas in eodem genere infimo cauſæ, nempè, in genere cauſæ obiectiuæ; tum obiectum ſpecificet ſui cognitionem, & viſio beata eſſet obiectum ſuæ cognitionis reflexæ, & hæc eſſet obiectum illius: ergo non eſt cognitio ſuę cognitionis reflexæ.

144 *Confirmatur 2.* Confirmatur ſecundo, creaturæ præteritæ, vel futuræ, quarum exiſtentiæ decretum, non præceſſit decretum viſionis beatificę Chriſti; per illam non cognoſcuntur; ergo non omnia futura, præterita, & præſentia cognoſcuntur ab anima Chriſti in Verbo. Probatur antecedens; obiectum notitiæ intuitiuæ petit eſſe prius ipſa, ordine naturæ: ergo creaturæ decretatæ exiſtere poſt decretum viſionis beatificæ Chriſti, per illam non cognoſcuntur.

Confirmatur 3. Confirmatur tertio; peccata futura, quorum permiſſio ſuppoſuit decretum viſionis beatificæ Chriſti per illam non cognoſcuntur: ergo idem quod prius. Antecedens probatur, non poteſt Deus decernere viſionem peccati futuri, quin prius permittat futurum: ergo peccata, quorum permiſſio decretum viſionis beatificæ Chriſti non præceſſit, non cognoſcuntur per illam. Probatur antecedens; ſi decerneret viſionem peccati ante ipſius permiſſionem, virtualiter vellet peccatum, cum ſine illo, viſio exiſtere non poſſit; at Deus non poteſt virtualiter velle peccatum: ergo nec decernere viſionem peccati ante ipſius permiſſionem.

Confirmatur 4. Denique confirmatur; eſto abſolutè poſſit prius decerni viſio peccati, quam ipſius peccati permiſſio, connaturaliter tamen non poteſt; eſt enim connaturalius, prius decernere obiectum, vel illius permiſſionem, quam obiecti viſio decernatur: ergo peccata poſt decretum iſtius viſionis permiſſa, non ſunt obiectum illius, nec per illam cognoſcuntur.

145 *Viſio beata, & cognitio reflexa ipſius fuerunt ab anima Chriſti cognita in Verbo.* Hoc argumento quidam Recentiores conuicti, negant viſionem beatificam fuiſſe in Verbo ab anima Chriſti cognitam, & ſimiliter cognitionem reflexam ipſius viſionis beatificæ; ac denique illa obiecta, quorum decretum ſuppoſuit in ordine prædeſtinationis diuinæ decretum viſionis beatificæ animæ Chriſti. Ita Philippus Moncæus in ſelectis *diſp. 2. cap* 12. & Cardinalis Lugo in *præſenti diſp.* 19. quos alij Recentiores ſequuntur. Leui tamen fundamento ad iſtam exceptionem ducuntur: ad illud reſpondeo, negando antecedens. *Ad argumentum reſp.* Ad primam probationem dicatur, veram eſſe maiorem de obiecto primario cognitionis illam in ſe terminante; falſam autem de obiecto ſecundario cognito in alio; hoc enim cum non ſpecificet actum, non eſt illa prius prioritate naturæ: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: non potuit per viſionem beatificam, ipſa in ſe, & primario cognoſci, concedo conſequentiam: *Ad 1. antecedentis probationem.* ſecundario, & in diuina eſſentia primario cognita, nego conſequentiam. Et quidem eodem argumento probaretur; Angelum naturali ſua cognitione ipſam cognitionem, vt poſſibilem, non cognoſcere; ac proinde ſe non comprehendere, cum ad rei comprehenſionem petatur, terminari in illa, vt cognita ad omne, quod in illa continetur perfectè, quale in Angelo ſui cognitionem contineri, negari non poteſt.

146 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, nego ſequelam: ad cuius probationem dicatur: viſioni beatificæ non competere eſſentialiter, terminari ad ſui durationem, vt abſolutè perpetuam, ſed ſolum ex ſuppoſitione decreti liberi Dei, de illius perpetuitate; ac proinde ex eo, quod illi competat eſſentialiter veritas, & repugnet eſſentialiter falſitas, tantum infertur repugnare viſioni beatificæ deſitionem, ſeu annihilationem, non eſſentialiter, ſed tantum ex ſuppoſitione dicti decreti, quod inconueniens non eſt, ſed neceſſario admittendum. Vnde miror valde Recentiorem quemdam Societatis Theologum, hoc argumentum conuictum aſſeuerare auſum fuiſſe, poſſe de potentia abſoluta, viſionem beatificam falli, & ſolum connaturaliter illi repugnare eſſe falſam.

147 *Ad primam confirmationem reſp.* Ad primam confirmationem, nego antecedens: ad probationem, nego minorem; nam viſio beatifica ſpecificat ſui cognitionem reflexam, eo quod eſt obiectum primarium illius; non autem ſpecificatur ab illa, quia non in ſe ipſa, & primario, ſed ſecundario, & in alio, nempè, in Deo primario cognito, ſui cognitionem reflexam attingit.

Ad 2. reſpond. 1. Ad ſecundam, nego antecedens: ad probationem conſtat ex dictis; obiectum enim primarium debet eſſe prius cognitione ſui, non autem ſecundarium obiectum: creaturæ autem non primario, ſed ſecundario per beatificam viſionem cognoſcuntur; ac proinde, quod poſterius decernantur, non obeſt, quin viſionem beatificam terminent. *Secundo.* Præterquamquod poteſt dici, cum poſterioritate decreti creaturarum futurarum in vno genere cauſæ ſtare poſſe prioritatem in alio, nempè, in genere cauſæ ſpecificantis. Et quidem cognitio diuina prior eſt poſſibilitate creaturarum, quam tamen cognoſcit: notitia etiam, ex qua Verbum procedit, prior eſt Verbo, & Spiritu Sancto, non prioritate *in quo*, ſed *à quo*; & tamen eſt illorum intuitiua cognitio: cum ex notitia intuitiua ſui, & Spiritus Sancti Verbum dimanè procedere, ſit frequentior Theologorum ſententia; notitia etiam practica effectiua entis rationis prior eſt ente rationis, & tamen ad illud terminatur. Quorum omnium ratio eſt, vel quia non ſemper prioritas obiecti ad ſui cognitionem exigitur, vel quia dato, quod exigatur, non repugnat cum prioritate in vno genere cauſæ, poſterioritas in alio.

Ad tertiam, nego antecedens: ad illius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, nego maiorem: voluntas enim efficax alicuius, non eſt virtualis voluntas omnium, ſine quibus exiſtere nequit, ſi talia ſint, quod ad ſui exiſtentiam, non voluntatem poſitiuam, ſed tantum permiſſiuam expoſcant, vt multis oſtendimus t. 5. *tract. de Prædeſtinat. q. 23. art. 2.* peccatum autem videndum, ſine cuius exiſtentia viſio beatifica non terminaretur ad illud, non requirit, vt exiſtat voluntatem Dei poſitiuam, ſed tantummodo permiſſiuam; ac proinde decretum efficax viſionis peccati, vt futuri; eſto illius permiſſionem præcedat, non eſt virtualis voluntas exiſtentiæ peccati, ſed permiſſionis illius, qua poſita ex parte Dei, infallibiliter peccatum exiſtet, non à Deo, ſed à nobis. Et quidem complacentia alicuius rei perfecta, eſt virtualis complacentia aliorum, quibus nequit exiſtere, ſi capacia ſint complacentiæ; & tamen complacentia perfecta Dei de viſione peccati, non eſt virtualis complacentia in exiſtentia peccati, quia non eſt capax terminandi complacentiam diuinam. Pariter ergo in præſenti. Contra quam ſolutionem plura obſtant, quæ tamen non ſunt huius loci, ſed ſpectant *ad tract. de Prædeſtin.* vbi omnibus fuſiſſimè occurrimus. 148 *Ad tertiam confirmationem reſp.*

Ad vltimam confirmationem, nego antecedens ſi viſio talis ſit conditionis, vt poſſit eſſe ſine permiſſione peccati, qualis eſt viſio beatifica Chriſti. Vel ſecundo, diſtinguo antecedens: illudque permitto, ſi viſio ad peccatum terminetur primario; nego autem ſi ſecundario ſolum ad illud terminetur, & nego conſequentiam; nam viſio peccati in Verbo, non primario, ſed ſecundario ad peccatum terminatur. 149 *Ad vltimam.*

Tertio arguitur; anima Chriſti non cognoſcit per viſionem beatificam in Verbo ſuos actus liberos futuros: ergo nec omnia exiſtentia. Probatur antecedens; ſi namque illos actus cognoſceret, non maneret Chriſtus liber in illorum eliciendis; conſequens eſt falſum: ergo non cognoſcit Chriſtus per viſionem beatificam in Verbo ſuos actus liberos futuros. Probatur ſequela primo; id ex quo infertur infallibiliter actus, ſi in noſtra poteſtate non ſit, & exiſtentiam actus antecedat, tollit libertatem ab actu; cum inducat neceſſitatem antecedentem, ex qua libertatem lædi, eſt conſtans Theologorum ſententia; ſed ex viſione beatifica Chriſti ad ſuos actus, vt futuros terminata, infallibiliter infertur talium actuum ſuo tempore exiſtentia: & alias in libera Chriſti, vt hominis, poteſtate conſtituta non eſt, & iſtorum actuum exiſtentiam antecedit: ergo tollit libertatem à Chriſto in iſtorum actuum eliciendis. 150 *Tertium argumentum.* *Sequela probat. 1.*

Secundo; qui non poteſt tollere antecedens bonæ conſequentiæ, nec poteſt conſequens talis conſequentiæ impedire; ſed hæc eſt bona conſequentia: *Chriſtus videt ſuos actus, vt futuros: ergo tales actus erunt;* & voluntas Chriſti humana non poteſt antecedens vitare; cum talis viſio libera Chriſto non ſit: ergo nec poteſt conſequens impedire; ac proinde non poteſt non operari; at cum impotentia negationis operandi, non ſubſiſtit in operando libertas: ergo cum terminatione viſionis beatificæ Chriſti ad proprios actus futuros, non ſtat liberè prædictos actus elicere. 151 *Secundo.*

Denique, vt alia omittamus, probatur ſequela; ſi ſuppoſita exiſtentia viſionis terminatæ ad iſtos actus, tales actus non exiſterent pro tempore, pro quo tanquam futuri videntur, falſificaretur viſio; ergo ſi illa ſuppoſita poſſunt actus non exiſtere, poteſt viſio falſificari; ſi namque actualis negatio exiſtentiæ, ſuppoſita viſione exiſtentiæ, eſt actualis viſionis falſificatio, poſſibilis negatio exiſtentiæ actus viſi, illius viſionis ſuppoſita, erit poſſibilis viſio- 152 *Tertio.*

nis falſificatio; ſed non eſt voluntati Chriſti poſſibilis viſionis beatificæ falſitas: ergo nec eſt ei poſſibilis negatio exiſtentiæ actus viſi ſuppoſita illius viſione; & conſequenter cum illa non ſtat in Chriſto libertas in ordine ad proprios actus futuros.

153 *Confirm.* Quod amplius confirmari poteſt; nam ſi anima Chriſti ſuos actus liberos, vt futuros cognoſceret, ſequeretur, eſſe in illa ſcientiam mediam concedendam, conſequens nō admittemus: ergo nec quod cognouerit ſuos actus liberos, vt futuros. *Sequela probatur 1.* Probatur ſequela primo: nam ſcientia media dicitur, quæ non eſt *ſubiectiuè* libera; benè tamen *obiectiuè*: ſed ſi Chriſtus per viſionem beatificam ſuos actus liberos, vt futuros cognoſceret, eſſet illa cognitio libere *obiectiuè*, vtpote ad proprios actus liberos *obiectiuè* terminata, non tamen *ſubiectiuè*; cum nullum actum liberum ſupponeret ex parte ſubiecti: ergo eſſet ſcientia media. *Secundo.* Secundo, & explicatur magis hoc ipſum; aſtruentes ſcientiam mediam in intellectu diuino, in hoc illius eſſentiam conſtituunt, quod ex parte ſubiecti liberum decretum imperans, non ſupponat, *obiectiuè* tamen liberum decretum diuinum inuoluat; et viſio animæ Chriſti, vt ad proprios actus liberos, vt futuros terminata, decretum liberæ Chriſti ſubiectiuè non ſupponit; illud tamen obiectiuè inuoluit; cū ad illa terminetur: ergo eſt ſcientia media reſpectiuè ad animam Chriſti. *Tertio.* Tertio, eo ipſo, quod actum liberum imperantem, non ſupponat, non eſt ſcientia libera Chriſto, & eo ipſo, quod illos obiectiuè inuoluat non eſt ſcientia, omnino neceſſaria Chriſto; cum nō extitiſſet, niſi ex ſuppoſitione, quod eſſet libere operaturus: ergo eſt media inter ſcientiam neceſſariam, & liberam; & conſequenter verè, & propriè eſt ſcientia media.

154 *Reſpondetur ad 3. argumentū. Ad 1. probationē ſequelæ.* Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem, nego ſequelam. Ad cuius primam probationem, diſtinguo maiorem: ſi libertatem actus non connotet, inferat, & inuoluat, concedo maiorem: ſi libertatem actus connotet, illam inferat, & inuoluat *obiectiuè*, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam: quia viſio beatifica Chriſti, terminata ad ſuos actus futuros, etſi illos antecedat, & in Chriſti libera poteſtate non ſit, inuoluit tamen *obiectiuè*, ſolum ſubſtantiam actuum, verum etiam libertatem illorum, eamque connotat, & infert, & ideo libertatem prædictorum actuum, non deſtruit. *Inſtatur argumentum multipliciter.* Et inſto argumentum in ſcientia diuina Chriſti, quæ actus humanitatis, vt futuros cognoſcebat in illius poteſtate non erat; & tamen libertatem prædictorum actuum non impediuit. Inſto etiam in præcepto Chriſto impoſito, quod ab illius poteſtate libera fuit independens, & actum adimpletiuum præcepti infallibiliter intulit; & tamen libertatem iſtius actus non abſtulit. Item, in ſcientia increata Dei, qua ab æterno cognouit, quid Deus in tempore eſſet facturus; & tamen non tollit, quin in tempore libere ſuos effectus operetur. Similiter argumentum factum inſtantiam patitur in cognitione illa Petri, qui aſſenſum præbuit diuinæ reuelationis de trina negatione futura; & tamen quamuis infallibiliter negationes illas intulerit, & in Petri libera poteſtate non extiterit, impedimentum non fuit, illius libertati in negando. Imo reuelatio Dei vera non extitiſſet, niſi libere negaſſet: quæ omnia ideo vera ſunt, quia quamuis infallibiliter inferant, antecedenter ſe habeant, & libere non conueniant; connotant tamen *obiectiuè*, inuoluunt, & inferunt, non ſolum ſubſtantiā actuum, verum etiam modum libertatis illorū.

155 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam probationem, diſtinguo maiorem: non poteſt impedire conſequens potentia conſequenti, & vitatione conſequentis cum antecedentis veritate compoſita, vel in ſenſu compoſito, concedo maiorem: potentia antecedenti, & vitatione conſequentis ſumpta *diuiſiuè* à veritate antecedentis, vel in ſenſu diuiſo, nego maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens, diſtinctione maioris; nec ſequitur cum viſione Chriſti ſui actus futuri, libertatem non componi; nam ad libertatem in actu ſufficit potentia antecedens ad illius negationem, ſeu potentia ad illam in ſenſu diuiſo, & hanc habet Chriſtus, etiam viſione ſuppoſita: nam licet non poſſit ad negationem actus, vt componendam cum viſione actus futuri, habet tamen potentiam ad negationem actus *diuiſiuè*, hoc eſt ſecundum ſe inſpectam, & præciſiuè à ratione coniunctionis cum viſione actus futuri, inſtoque omnibus exemplis adductis.

156 *Ad tertiū.* Ad tertiam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiā, quæ etiam in adductis exemplis manifeſtam habet inſtantiam, & inſuper in hac conſequentia: *Negatio conſenſus, prædiffinitione, & diuina ſcientia de illius futuritione ſuppoſitis, eſſet prædiffinitionis fruſtratio, & diuinæ ſcientiæ falſificatio: ergo negatio poſſibilis conſenſus, ſcientia Dei, & prædiffinitione de illius futuritione ſuppoſitis, eſt poſſibilis fruſtratio prædiffinitionis, & falſificatio ſcientiæ*: in qua antecedens à nullo poteſt negari. Et ratio omnium eadem eſt, quia nempè, in antecedenti fit ſenſus compoſitus, cum in actuali ſua exiſtentia negationis præciſio ab accidentibus dari non poſſit, quorum vnum eſt coniunctio cum ſcientia, & prædiffinitione ſuppoſitis; in conſequenti autem fit ſenſus diuiſus; nam negatio, vt terminus potentiæ, vel negatio ſumpta, vt poſſibilis, poteſt ſumi *præciſiuè* ab accidentibus, quæ illam, vt hic, & nunc exiſtentem, neceſſario comitarentur; & conſequenter poteſt ſumi *diuiſiuè* à coniunctione cum ſcientia, prædiffinitione, & viſione actus futuri, qualiter accepta, falſificatio ſcientiæ diuinæ, aut viſionis Chriſti adhuc poſſibiliter non eſt, nec poſſibilis prædiffinitionis fruſtratio. Vel claritatis gratia poteſt conſequens diſtingui: poſſibilis negatio actus viſione actus præſuppoſita, vt componibilis cum viſione actus, eſt falſificatio poſſibilis viſionis, concedo conſequentiam: negatio actus, vt poſſibilis præciſiuè à coniunctione cum viſione actus præſuppoſita, nego conſequentiam: quod ad libertatem ſufficit, nec falſitatem viſionis beatificæ, vt ad actū futurum terminatæ, vt poſſibilem infert. Sed de his plura *1. p. q. 14. art. 13. q. 19. art. 8. q. 21. art. 4. & tractatu de auxiliis*, vbi multa, quæ contra doctrinam iſtam poſſunt opponi facili negotio à diſcipulis D. Thom. ſoluuntur, Noſque in allegatis locis diluimus, ac deniq; infra *tract. de morte Chriſti*, eius impeccabilitatem cum præcepto moriendi ſibi impoſito componentes fusè explicabimus.

Vnica tamen ſupereſt obiectio, quæ contra doctrinam 157 *Inſtabis.*
iſtam peculiariter obſtare videtur: vt enim libere operetur voluntas requiritur potentia expedita ad negationem actus, vt coniungibilem cum omni, quod ex parte actus primi ſe tenet, etſi non requiratur potentia ad negationē actus, vt componibilem cum omni concurrente per modū applicationis ad actum ſecundum, quo circa cum præmotione phyſica ad actum, & illius prædiffinitione efficaci ſoluatur libertas in actu, quia adeſt in voluntate facultas ad coniungendam negationem actus prædiffiniti, cum ſe tenentibus ex parte actus primi, licet non vt coniungendam, vel coniungibilem cum prædiffinitione efficaci, & phyſica prædeterminatione applicatiuè ad actum concurrentibus, non per modum actus primi: cum iudicio autem neceſſario non ſubſiſtit in voluntate libertas, quia non habet poteſtatem ad negationem actus coniungendam cum tali iudicio, quod ex parte actus primi ſe tenet; ſed viſio beatifica humanitatis Chriſti terminata ad illius actus futuros, ex parte actus primi ſe tenet: ergo vt humanitas libere prædictos actus eliciat, requiritur in illa facultas ad negationem actuum, vt coniungibilem cum viſione talium actuum, cumque huiuſmodi facultas in Chriſti humanitate non detur; aliàs poſſet illius falſitatem inducere. Conſequens fit quod cum viſione ſuorum actuum futurorum non ſaluetur libertas in illorum elicientia. Probatur minor: iudicium regulans actum, & illius obiectum proponens, ex parte actus primi ſe tenet; cum non ſit voluntas ad operandum per modum actus primi completa ante obiecti propoſitionem, ſicut nec intellectus eſt in actu primo completus ante ſpeciem impreſſam illum determinantem ad actum; ſed viſio beatifica concurrit ad operationes Chriſti proponendo obiecta *regulatiuè*, ſaltem ad actum charitatis, quem etiam vt liberum regulari à ſcientia beata docent frequentius Thomiſtæ: ergo ex parte actus primi ſe tenet; & conſequenter ad libertatem voluntatis Chriſti in actu charitatis requiritur facultas expedita ad negationem actus charitatis, vt coniungibilem cum viſione beatifica.

Huic obiectioni reſponderi poteſt primo, negendo
maiorem, intentio namque efficax ex parte actus primi 158 *Reſp. 1.*
ſe tenet reſpectu electionis; & tamen quamuis vnum tantum ſit medium eligendum, libertatem electionis nō tollit etiamſi illam efficaciter inferat. Imperium etiam ex parte actus primi ſe tenet reſpectu actus voluntatis, qui dicitur *vſus*, illumque efficaciter infert; & tamen illius libertatem non impedit. Ac denique præceptum, vt cognitum, ex parte actus primi ſe tenet reſpectu actus obedientiæ, quem infallibiliter in humanitate Chriſti inferebat ratione impeccabilitatis ſuppoſitæ, & tamen libertatem in obediendo non abſtulit. Auxilium etiam efficax in plurium Thomiſtarum ſententia, non ſolum applicatiuè,

ſed

ſed etiam completiuè per modum cōplementi actus primi ad operationem concurrit; & tamen licet infallibiliter inferat operationem, & operationis negatio cum illo non ſit coniungibilis, libertatem actus non deſtruit, ſed infert, & confirmat: non ergo requiritur coniunctio poſſibilis negationis actus cum omni, quod ex parte actus primi ſe tenet, ſed ſufficit poſſibilitas coniunctionis negationis actus cum voluntate ſecundum ſe inſpecta, & quod ſecundum hanc facultatem operetur voluntas, vt libere operationem eliciat, nec omne ex parte actus primi ſe tenens, & operationem infallibiliter inferens, impedit libertatem illius, ſed ſolum id, quod libertatem actus non connotat, nec obiectum cum indifferentia proponit, vel voluntatem ergo obiectum non indifferenter propoſitum ad ad operandum iuuat: & quia viſio beatifica non tollit iudicium indifferens, & aliàs non ſolum ſubſtantiam operationum, quas videt inuoluit, & infert, ſed etiam modum libertatis illarum; conſequens ſit, quod quamuis in voluntate Christi non ſit facultas ad negationem prædictarum operationum, vt coniungibilem cum viſione beatifica, & ex parte actus primi ſe teneat, nihilominus, libertatem iſtarum operationum non deſtruat, ſed potius inferat.

159 *Secundo reſpond.* Secundo reſponderi poteſt, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: quatenus terminatur ad actus, vt futuros, nego minorem: quatenus obiecta iſtorum actuum proponit, tranſeat minor, & diſtinguo conſequens: ad negationem, vt coniungibilem cum viſione, vt proponente obiecta, concedo conſequentiam: cum viſione actuum, vt ad ipſos terminata, nego conſequentiam. Itaque viſio beatifica in ordine actum charitatis, v. c. conſiderari poteſt dupliciter: primo prout eſt viſio illius, & prout ſic regulat actuum charitatis Christi; & conſequenter ex parte actus primi non ſe tenet reſpectu illius. Secundo, vt proponit Deum amandum, prout eſt ratio diligendi creaturas, & prout ſic actum charitatis regulat, & ex parte actus primi ſe tenet: vt ergo ſaluetur in actu charitatis libertas, ſufficit, quod ſit in voluntate poteſtas ad negationem actus charitatis, vt coniungibilem cum viſione beatifica, quatenus obiectum proponit, & hanc in voluntate Christi concedimus, non autem requiritur facultas expedita ad eamdem negationem vt coniungibilem cum viſione beatifica, vt terminata ad exiſtentiam, vel futuritionem actus charitatis, & hanc ſolam facultatem negamus.

160 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, nego ſequelam: ad primam probationem diſtinguo maiorem: quæ non eſt *ſubiectiuè* libera Deo, bene tamen *obiectiuè* concedo maiorem reſpectu alterius à Deo, nego maiorem: & permiſſa minori, nego conſequentiam. Nam ſcientia media re ipſa, quid *Scientia Media ab anima Christi excluditur.* quid ſit de nomine *Media*, quod pluribus ex illius profeſſoribus diſplicet, conſiſtit in eo, quod taliter ad ſua obiecta feratur, vt nulli medio infallibiliter antecedenter connexo cum illis innitatur, & quia eo ipſo, quod taliter conſtituatur in Deo, quod pro tunc ſcientiæ, non ſupponat liberum decretum diuinum, nulli medio pro tunc exiſtenti *ſubiectiuè* connexo infallibiliter cum euentu futuro cognito poteſt inniti; ideo eo ipſo quod in Deo modus iſte cognoſcendi admittatur, ſcientia media conſtituitur reſpectu autem illorum ſubiectorum non ſic; nam etiam ſi illorum actus liberos *ſubiectiuè* non ſupponat, ſupponit tamen liberum decretum diuinum infallibiliter cum futuris cognitis connexum, cui innititur tanquam medio cognitionis; & ideo, etſi conſtituamus in Christo cognitionem *ſubiectiuè* non liberam inuoluentem *obiectiuè* ſuorum actuum libertatem, non inde cogimur eſſentiam ſcientiæ mediæ in illius intellectu concedere.

161 *Ad 2. probationem. Ad tertiam.* Et ex his ad ſecundam ſequelæ probationē conſtat ſolutio. Ad tertiam nego antecedens pro ſecunda parte: libertas enim ſcientiæ non ex obiecto cognito libero, vel non libero ſumitur, ſed ex libertate *ſubiectiuè* ſuppoſiti: quia ergo ſcientia hæc futurorum in Christo non dependet *ſubiectiuè* ab ipſius libertate, ſed manifeſtatione liberi decreti diuini ſuppoſita, neceſſario ad illud terminatur, & ad obiecta futura ex tali decreto illata; fit conſequens, vt quamuis pro obiecto habeat actus liberos humanitatis Christi, non liberam, ſed neceſſaria ſit Christo.

162 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur; nam ſequitur ex noſtra ſententia, cognouiſſe animam Christi multitudinem actu infinitam per beatificam viſionem prout ſcientia viſionis eſt; conſequens eſt falſum ergo Christus per beatificam viſionem non cognouit in Verbo omnia exiſtentia ſecundum quodcumque tempus. Sequela ex dictis conſtabit. Minor autem oſtenditur primo ex D. Tho. *in præſenti art. 3. in corpore*, illis verbis: *Quantum igitur ad primum modum ſcientiæ* (ſcilicet ſcientiæ viſionis) *anima Christi non ſcit infinita, quia non ſunt infinita in actu, etiam ſi accipiantur omnia quæcumque ſunt in actu ſecundum quodcumque tempus, eo quod ſtatus generationis, & corruptionis non durat in infinitum.* *Minor probatur 1. S. Thom.* Ergo iuxta D. Th. anima Christi per beatificam viſionem acceptam, vt viſio eſt non cognouit multitudinem actu infinitam. Secundo, quod repugnat eſſe, repugnat etiam per veram cognitionem cognoſci; ſed repugnat multitudo actu infinita: ergo repugnat ab anima Christi Domini multitudinem actu infinitam cognoſci. *Secundo.*

Tertio, cognitio multitudinis infinitæ non poteſt, non eſſe infinita; ſed implicat cognitio infinita: ergo etiam 163 implicat cognitio terminata ad multitudinem infinitam. *Tertio.* Minor cum conſequentia tenet. Maior autem oſtenditur primo: nam cognitio accipit ab obiecto ſpeciem, & perfectionem: ergo ab obiecto infinito accipit perfectionem infinitam. Secundo, cognitio æquiualens infinitis cognitionibus, neceſſario eſt infinita; finitum namq; infinito æquipollere non poteſt; ſed cognitio actu terminata ad multitudinem infinitam æquipollet cognitionibus infinitis ad ſingula illius multitudinis terminatis: ergo cognitio terminata ad multitudinem infinitam, debet eſſe neceſſario infinita. Tertio probatur maior; cognitio terminata ad duo obiecta eſt perfectior illa, quæ terminatur ad vnum, & terminata ad tria perfectior eſt illa, quæ terminatur ad duo, & quoad plura obiecta terminatur, eo eſt perfectior cognitio: ergo illa, quæ ad infinita obiecta terminatur eſt perfectionis actu infinitæ.

Reſpondeo, concedendo ſequelam in ſenſu ſtatim explicando, & negando minorem: ad primam probationem, 164 reſpondet Caietanus *in præſenti art. 3. §. Ad hoc dicitur*, *Ad 1. probationem minoris reſpondet Caiet.* D. Thom. loqui de *ſimpliciter* entibus in actu, ſcilicet, de ſubſtantijs, quæ ſunt entia in actu *ſimpliciter*, & de his veriſſimum eſt non videri ab anima Christi Domini multitudinem actu infinitam; eo quod cum generationes, & corruptiones ceſſaturæ ſint motu cœli ceſſante multitudo ſubſtantiarum, etiam ſucceſſiue exiſtentium, infinita non erit; non autem negat D. Thom. videri ab anima Christi multitudinem infinitam *ſecundum quid* entium in actu, ſcilicet, accidentium; videt enim cogitationes omnes omnium beatorum, & damnatorum; quæ quia per totam æternitatem ſunt à parte poſt duraturæ, neceſſario ſunt infinitæ ſucceſſiuè in proprijs durationibus, & actu in æternitate. Et quod hæc ſit mens D. Tho. conſtat primo; nam ratio ſumpta, ex eo quod generationes, & corruptiones ceſſabunt, ſolum probat de ſubſtantijs, quæ ſunt per generationem à motu cœli pendentem: non autem de his accidentibus, quæ à motu cœli non dependent. Secundo; nam in *præſenti art. 2.* docet, animam Christi videre in diuina eſſentia cognita omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis; ſed *1. p. q. 14. art. 12.* docuerat D. Thomas Deum ſcientia viſionis infinita cognoſcere: ergo iuxta D. Thom. anima Christi in Verbo infinita in actu cognoſcit: ac proinde cum hic negat infinita cognoſcere per notitiam rerum, ſecundum, quod ſunt in actu, loquitur de infinitis *ſimpliciter* entibus, ſcilicet, de ſubſtantijs, non de infinitis *ſecundum quid* entibus, nimirum, de accidentibus.

Ad ſecundam minoris probationem, conceſſa maiori, 165 diſtinguo minorem: repugnat multitudo actu infinita in *Ad ſecundam.* propria duratione, concedo minorem: actu in *nunc* æternitatis cum ſucceſſione in propria duratione, nego mi- *Ad tertiā* norem, & conſequentiam. Ad tertiam, nego maiorem: ad primam probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: ſi obiectum infinitum infinita efficacia attingatur, concedo conſequentiam: ſi attingatur efficacia finita, vt in præſenti contingit, nego conſequentiam: Deus namque non dat viſioni ſui infinitam perfectionem, *S. Thom.* quia finita efficacia attingitur. Ita D. Thom. *q. 20. de Veritate art. 4. ad 4.* Ad ſecundam Caietanus *in præſenti art. 3. §. Sed ex hoc litera*, reſpondet, negando maiorem: vnum enim indiuiduum ordinis ſuperioris, excedit *Solutio Caietan.* infinita indiuidua ordinis inferioris, & vna ſpecies ordinis ſuperioris, excedit ſpecies infinitas ordinis inferioris. Vnde ex hoc, quod viſio beatifica humanitatis Christi æquipolleat infinitis cognitionibus, non ſequitur eſſe infinitam, ſed tantum infertur, quod ſit ſuperioris ordinis ad illas.

166 *Contra illam opponunt Recentiores.* Sed contra iſtam ſolutionem objiciunt Recentiores Theologi: nam viſio beatifica humanitatis Chriſti non eſt ordinis ſuperioris ad beatificam viſionem hominum, & Angelorum, ſed eiuſdem ordinis cum illa: ergo ex ratione ſuperioritatis in ordine, non ſequitur poſſe æquiualere infinitis viſionibus hominum, & Angelorum. Hæc tamen impugnatio omnino inefficax eſt. Tum, quia Auctor, cuius argumentum Caietanus ſoluebat, loquebatur de infinitis cognitionibus ſpecifice diſtinctis; ac proinde non in Verbo, ſed in ſe ipſis ad creaturas terminatis; nam reſpectu creaturarum in Verbo non dantur cognitiones ſpecifice diſtinctæ; at reſpectu iſtarum cognitionum ſuperioris ordinis eſt viſio beatifica; nam licet cum illis in ordine ſupernaturali conueniat, viſio tamen beatifica eſt in ordine ſupernaturali *terminatiuè* increato, illæ vero cognitiones ſunt in ordine ſupernaturali creato *ſubiectiuè, & obiectiuè*: ergo impugnatio facta ſolutionem Caietani non eneruat. *Non vrget impugnatio, & reijcit. 1.*

167 *Secundo.* Secundo; nam licet viſio beatifica humanitatis Chriſti non ſit ordinis ſuperioris ſpecifica ad beatificas viſiones hominum, & Angelorum, eſt tamen in doctrina Caietani ordinis ſuperioris ad illas indiuidualiter, ſicut de gratia Chriſti docetur à D. Th. *ſupra q. 7. art. 12. ad 3.* quod ſit ſuperioris ordinis ad gratiam in puris hominibus repertam, ob quam cauſam quantumuis alterius hominis gratia magis, ac magis augeatur, nunquam poteſt ad quantitatem gratiæ Chriſti peruenire, vt ibidem docet Angelicus Doctor; ſed non minus poteſt indiuiduum ſuperioris ordinis æquiualere infinitis indiuiduis ordinis inferioris, quam ſpecies ſuperioris ordinis ſpeciebus ordinis inferioris: ergo poterit viſio beatifica Chriſti æquiualere infinitis viſionibus hominum, & Angelorum.

168 *Aliter impugnatur Caietani ſolutio.* Vrgentius tamen contra Caietani ſolutionem poteſt inſtari: nam ex illa ſequitur, poſſe ratione ſolius ſuperioritatis in ordine æquiualere viſionem Chriſti beatam omnibus cognitionibus omnium poſſibilium in Verbo; conſequens eſt falſum: ergo & ſolutio Caietani. Sequela patet à paritate rationis: falſitas autem conſequentis probatur: nam ſequeretur vlterius, cognouiſſe omnia poſſibilia in Verbo, quod eſt contra hucuſque tradita, & à Caietano admiſſa. Patet ſequela: omnes cognitiones poſſibiles omnium poſſibilium in Verbo terminantur in diuina eſſentia cognita ad omnes creaturas poſſibiles: ergo ſi viſio beatifica Chriſti omnibus illis æquiualeret, eſſet omnium poſſibilium cognitio.

169 *Ad 2. probationem maioris reſpõdet M. Zipp.* Magiſter Zippullus *in præſ. art. 3.* poſtquam ſolutionem Caietani, & aliorum impugnauerat, reſpondet ad ſecundam maioris probationem, negando maiorem: quia bene poteſt aliquod finitum æquiualere infinitis, non ſolum ſi illud finitum ſuperioris ordinis ſit, vt conſtat in Gabriele æquiualente, imo, & in perfectione excedente infinita indiuidua materialia, verum etiam ſi eiuſdem ordinis ſit, dummodo adæquetur cum alio, in quo infinita continentur, vt conſtat in quantitate palmari, quæ æquiualet infinitis partibus proportionalibus contentis in alia quantitate palmari, quia adæquatur cum quantitate palmari partes illas continente: quia ergo viſio beatifica Chriſti adæquatur cum cauſa creata, in qua infinitæ cognitiones prædictorum poſſibilium, nempè cogitationum, quæ in æternum, ſine, ſine ſuccedent; conſequens ſit, quod poſſit quantumuis finita ſit, infinitis cognitionibus illorum poſſibilium æquiualere.

170 *Reijcitur.* Hæc tamen doctrina non placet; quantitas enim palmaris, ideo æquiualet infinitis partibus proportionalibus alterius quantitatis palmaris: quia ipſa etiam in ſe infinitas partes proportionales continet, & quia partes proportionales, cum ſe inuicem contineant extenſionem non addunt, nec infinitam extenſionem continent; viſio autem beatifica Chriſti non continet in ſe infinitatem illarum cognitionum, quibus æquiualere defenditur, & aliàs vna cognitio ſupra aliam, determinatam addit perfectionem: ergo exemplum, cui innititur doctrina ſolutionis illi non fauet.

171 *Vera ſolutio.* Quare his omiſſis, ad ſecundam probationem maioris, reſpondeo, diſtinguendo maiorem: non poteſt cognitio finita infinitis æquiualere quoad illarum perfectionem, concedo maiorem: quantum ad terminationem, ſubdiſtinguo maiorem: ſi illarum infinita perfectio ex meritis obiectis petatur, concedo maiorem: ſi tantum permittatur, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam multitudo infinita cognita per viſionem beatificam humanitatis Chriſti; non petit, ſed permittit infinitudinem cognitionum, quæ ad ſingula illius multitudinis obiecta terminari poſſunt; cum cognoſci poſſint ſigillatim, & ſeorſim ab alijs, vel vnum ſimul cum alio, & cognita hoc ſecundo modo non petant infinitam multitudinem cognitionum, ac proinde viſio beatifica Chriſti terminari poterit ad totam illam multitudinem, abſque eo quod æquiualeat infinitis cognitionibus illorum poſſibilium ſigillatim quantum ad illarum perfectionem.

172 *Ad 3. probationem maioris reſpond. Caiet.* Ad tertiam maioris probationem, Caietanus 1. p. q. 12. art. 10. *ad ſecundum argum. Scoti*, reſpondet, negando conſequentiam; eo quod videre finita, aut infinita in Deo, non ſpecificat, aut per ſe modificat, aut quantificat viſionem Dei, ſed eius cauſa, ſcilicet, perfectius, aut imperfectius videre Deum; Nec ſequitur, videt adeo perfectè, vt videat infinita: ergo videt infinitè, quoniam viſis infinitis vnius ordinis, reſtant infinita alterius ordinis, & nunquam omnia videri poſſunt. Hæc Caietanus, cuius ſolutionem ſequitur Magiſter Aluar. *in præſenti diſp. 56. ad primum argumentum*; vbi ait, cum obiecta in ſe ipſis immediate cognoſcuntur per proprias ipſorum ſpecies, quo plura ſimul, & diſtinctè cognoſcuntur, eo eſſe perfectiorem cognitionem; ac proinde ſi infinita cognoſcantur, conſequenter ad illam doctrinam erit infinita cognitio, non autem quando ſunt obiecta ſecundaria cognita in alio obiecto prius cognito; tunc enim perfectio cognitionis non creſcit iuxta numerum obiectorum, quæ ſecundario attinguntur, eo quod materialiter comparantur ad illam, ſed ea modo perfectiori, quo obiectum primario cognitum penetratur, & quia anima Chriſti Domini non videt infinitas cogitationes in ſe ipſis immediate, ſed in eſſentia diuina tanquam in obiecto primario, quam finito modo attingit; conſequens ſit, quod vt infinitas cogitationes cognoſcat, non requiratur infinitas cognitionis. *Magiſter. Aluar.*

173 *Solutio Caiet. nõ eſt vndequaque ſufficiens.* Hæc ſolutio veriſſima eſt, ſi de infinitate eſſentiali cognitionis intra lineam cognitionis procedat; nam cum eſſentia cognitionis, non à ſecundario obiecto, ſed à primario ſumatur, eo ipſo, quod hoc, vel finitum ſit, vel quamuis ſit infinitum, finito modo attingatur, cognitio erit finita ſecundum eſſentiam, eſto obiecta ſecundario cognita in numero ſint infinita. Si autem de infinitudine intenſiua loquatur, niſi amplius explicetur non ſufficit; quamuis enim obiecta ſecundario cognita in Deo, non dent ſpeciem cognitioni, quo tamen plura cognoſcuntur, eo intenſius Dei eſſentia penetratur, vt vidimus §. 2. & 3. fateturque Caietanus 1. p. q. 12. art. 8. & Aluar. *in ſolutione ad 2.* ex quo intelligimus non poſſe omnia poſſibilia in diuina eſſentia videri, niſi cognitione infinita per eſſentiam, adæquateque Dei eſſentiam penetrante: creſcit ergo intenſio viſionis Dei iuxta numerum obiectorum, quæ ſecundario attinguntur; etſi non à priori, bene tamen à poſteriori; & conſequenter reſtat rationem reddere, vt argumentum ſoluatur, cur ſi ad plura ſecundario cognoſcenda exigitur intenſior diuinæ eſſentiæ cognitio, ad infinita cognoſcenda ſecundario, non requiratur cognitio intenſionis actu infinitæ. *Reijcit. 1.* *Intenſio viſionis Dei creſcit iuxta numerum obiectorũ etiam ſecundarie cognitorũ in ipſa.*

174 *Confirmatur 1.* Et augetur difficultas; quia namque ad plura obiecta eſſentialiter diſtincta in ſe ipſis cognoſcenda requiritur cognitio eſſentialiter perfectior, creſcitque eſſentialis cognitionis perfectio ad numerum obiectorum, vt infinita iſto modo cognoſcantur, infinita cognitio ſecundum eſſentiam cognitionis requiritur, vt admittit Aluarez conſequenter ad ſolutionis doctrinam, ſed etiam creſcit, ſi non perfectio eſſentialis, bene tamen intenſio cognitionis creaturarum in Deo iuxta incrementum obiectorum, quæ ſecundario cognoſcuntur, quamuis non à priori, ſed à poſteriori: ergo vt infinita obiecta iſto modo cognoſcantur, neceſſaria erit cognitio intenſionis infinitæ, niſi aliunde tradita ſolutio iuuetur. Explicatur; & vrgetur ſecundo, etſi creaturæ poſſibiles non quantificent ratione ſui à priori cognitionem ſui in Verbo, vt tamen omnes nulla dempta cognoſcantur, requiritur cognitio diuinæ eſſentiæ illis adæquata intenſiue; ergo ex hoc ſolum principio, quod multitudo infinita ſecundario cognita in Verbo, non ſpecificet, nec quantificet ſui cognitionem in Verbo, non probatur, quod non petat cognitionem intenſionis infinitæ. *Confirmatur 2.*

175 *Vera ſolutio.* Vnde hac ſolutione in ſua probabilitate relicta, vel ad ſubjiciendam reducta, ad ſecundam maioris probationem reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: illa, quæ terminatur ad obiecta infinita cognita in cauſa finita, nego conſequentiam: in cauſa finita, vel infinita eſſentia, non cognita, tranſeat conſequens: pro quo bene aduertit Zippullus *in præſenti art. 3. in ſolutione 3. obiectionis*, cogitationes futuras per totam æternitatem *Zippul.*

quia, qui poteſt cognoſcere, quod maius eſt, poteſt etiam cognoſcere minus. Tùm etiam, quia ſi non obſtante infinitate Dei per eſſentiam potuit ab intellectu creato, finito modo cognoſci, nulla eſt aſſignabilis ratio, cur etiam tota poſſibilium collectio, ſumpta *collectiuè*, non poſſit cognoſci finito modo; ac proinde contineatur ſub obiecto ſpecificatiuo intellectus creati.

Reſpondetur. S. Thom. Reſpondeo ex D. Thom. *q.20. de veritate art.5. & 3. Contra Gentes cap.56. ad finem, & 1.p. q.12. art. 8.* conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam. Ad primam probationem dicatur; Deum ſecundum ſe maius quid eſſe, quam omnia poſſibilia in ſe ipſis, non autem eſt, quid maius, quam Deus, & omnia poſſibilia, vt cognita in ipſo, ſed magis eſt Deum, & poſſibilia ſimul cognoſcere, quam cognoſcere Deum ſolum. Vnde ex eo quod Deus ſolus poſſit ab intellectu creato cognoſci, non ſequitur poſſe cognoſci ab illo, Deum, & omnia poſſibilia in ipſo. Nec ſequitur, poſſe omnia poſſibilia in ipſo.

Tacita obiectioni occurritur. Nec ſequitur, poſſe omnia poſſibilia, ſaltem in ſe ipſis cognoſci ab intellectu creato, quia vt inquit D. Tho. etſi omnia poſſibilia in ſe ipſis, infinitè excedantur à Deo, non tamen poſſunt in ſe ipſis offerri intellectui creato, & idcirco non poſſunt ab ipſo cognoſci.

99 *Ad ſecundam probationem.* Ad ſecundam probationem dicatur, cognitionem Dei, qui cauſa eſt creaturarum, non determinare; modum, ſed tantum dicere cognitionis ſubſtantiam. Vnde quantumcumque debiliter Deus cognoſcatur à nobis; ſemper Dei ſubſtantia cognoſcitur; cognitio autem poſſibilium in Deo dependet ex modo intenſiuo, & penetratiuo Dei, prout eſt creaturarum cauſa cuius ſignum eſt, quod qui Deū perfectius cognoſcit, plures in illo videt creaturas poſſibiles, & ideo non poſſunt omnes in Deo, tanquam in cauſa cognoſci, niſi Deus cognoſcatur perfectiſſimo modo poſſibili, quod eſt infinitè per eſſentiam videri. Doctrina eſt D. Th. *q.20. de Veritate art.5. in corp.* qua vſi ſumus §. 2. ad inferendam comprehenſione Dei ex omnium poſſibilium cognitione.

100 *Vltimo arguitur argumen. Durandi.* Denique arguitur argumento Durandi; intellectus creatus clarè videns diuinam eſſentiam, neceſſario videt in ipſa, omnia, quæ naturaliter repræſentat; ſed diuina eſſentia naturaliter repræſentat omnes creaturas poſſibiles quoad ipſarum quidditates, ergo intellectus creatus; & conſequenter intellectus animæ Chriſti cognoſcit in diuina eſſentia cognita omnes, creaturas poſſibiles. Maior patet; nam ex parte repræſentantis impedimentum non eſt; cum naturaliter repræſentet, nec ex parte cognoſcentis, ex quo enim poteſt in diuinam eſſentiam excedentem infinitè collectionem poſſibilium, poteſt etiam omnia repræſentata per ipſam. Minor etiam conſtat; nam diuina eſſentia repræſentat creaturas poſſibiles, vt cauſa, ratione omnipotentiæ, vt illarum productiuæ, non vt actu procedentis, ſed eſſe cauſam productiuam creaturarum poſſibilium, non liberè, ſed neceſſario, & naturaliter conuenit diuinæ eſſentiæ, etſi actualis productio liberè exerceatur ab illa: ergo naturaliter repræſentat omnes creaturas poſſibiles.

101 Hoc eſt fundamentum Durandi, quo non ſolum probatur; poſſe omnia poſſibilia in diuina eſſentia cognoſci, ſed etiam cognoſci de facto, nedum ab anima Chriſti, ſed etiam à quocumque intellectu creato, Deum, vt eſt in ſe vidente. Quod amplius explicare, & confirmare poſſumus

Confirmatur 1. primo; nam diuina omnipotentia, ſecundum ſuum eſſe quidditatiuum; omnia poſſibilia continet: ergo cognita ſecundum hoc eſſe, qualiter à quodlibet beato cognoſcitur; neceſſario omnia poſſibilia cognoſcuntur in illa.

Confirmatur 2. Secundo, diuina omnipotentia in eſſe entis, eſt neceſſario connexa cum poſſibilibus in particulari: ergo in eſſe cognito eſt cum eiſdem, vt cognitis neceſſario connexa; ac proinde ſicut repugnat, omnipotentiam eſſe, aliquo poſſibili repugnante quoad eſſe, ita repugnabit cognoſci, aliquo poſſibili in particulari non cognito. Patet prima conſequentia; nam cognoſcibilitas ſequitur entitatem: ergo entitatem cum omnibus poſſibilibus in particulari connexam, ſequitur cognoſcibilitas connexa cum illorum cognoſcibilitate.

Confirmatur 3. Tertio; quia namque omnipotentia eſt neceſſario connexa cum poſſibilibus ſub ratione communi poſſibilis, implicat cognoſci omnipotentiam quidditatiuè, non cognita ratione communi creaturæ poſſibilis, vt cum frequentiori Theologorum ſententia docuimus *Tract. de Viſione Dei art. ſeptimo*, ſed etiam neceſſario eſt connexa cum rationibus particularibus poſſibilium: ergo non poteſt quidditatiuè cognoſci; non cognitis omnibus poſſibilibus ſecundum rationes particulares, & proprias.

102 *Reſp.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: neceſſario cognoſcit omnia; quæ naturaliter repræſentat intellectui ipſam videnti, concedo maiorem: omnia, quæ naturaliter repræſentat intellectui diuino, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Ad maioris probationem, nego antecedens pro ſecunda parte; eſt enim impedimentum ex parte intellectus creati, nempè; limitatio ſuæ actiuitatis, & efficaciæ, necnon, & limitatio luminis, iuxta cuius proportionem vnitur diuina eſſentia in ratione ſpeciei, & in ratione obiecti, & quæ quantum eſt de ſe, poterat omnia repræſentata, & de facto illa repræſentat intellectui diuino, cui adæquatè, & comprehenſiuè vnitur, intellectui creato, lumine finito perfecto; quia adæquate non vnitur, non repræſentat; nec repræſentare poteſt omnia in ipſa cognoſcibilia, ſed tot, vel plura iuxta luminis proportionem.

Cuidam obiectioni occurritur. Nec obſtat; quod limitatio intellectus, non impediat viſionem diuinæ eſſentiæ, vt inferatur, nec poſſe impedire omnium poſſibilium cognitionem, Vt enim docet D Th. *1.p. q.12. art.8. ad 3.* licet maius ſit videre Deum, quam omnia alia, tamen maius eſt ſic videre Deum, quod omnia in eo cognoſcantur, quam videre ſic ipſum, quod plura, vel pauciora cognoſcantur in eo, quia multitudo cognitorum in Deo, conſequitur modum videndi ipſum magis, vel minus perfectum.

Capr. Caiet. Ferrar. Hæc ſolutio eſt Capr. *in 3. diſt.15. q. vnica art.3. ad primum argumentum Durandi.* Caietani *1.p. q. 12. art. 8.* & Ferrarien. *3. contra gentes c.56.* ſumpta ex D. Th. *ad Annibald. lib.3. diſt.4. q. vnica art.2. ad 2. q. 8. de Veritate art.4. ad 2. & 3. q.20. art.5. ad 1. 3. contra gentes c. 56. ad finem & 1.p. q. 12. art. 8. ad 3.*

103 *Ad primā Confirmationem.* Ad primam confirmationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: cognita adæquatè, & comprehenſiuè, concedo conſequentiam: cognita inadæquatè, & tantùm quidditatiuè, nego conſequentiam.

Ad ſecundam. Ad ſecundam, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: in eſſe cognito comprehenſiuo, & adæquato, concedo conſequentiam: in eſſe cognito quidditatiuo tantùm, & inadæquato, nego conſequentiam. A quolibet autem beato, non adæquate, & comprehenſiue, ſed quidditatiuè, & inadæquatè cognoſcitur; & ideò non repræſentat intellectibus beatorum omnia poſſibilia ſecundum rationes particulares.

104 *Ad tertiā* Ad tertiam, diſtinguo maiorem: quia eſt connexa cum ratione communi poſſibilis, vt cum termino formali, concedo maiorem: ex ratione ſola connexionis, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: vt enim potentia aliqua cognoſcatur quidditatiue, ſufficit cognoſci terminum formalem ſuæ habitudinis, vel connexionis, & non eſt neceſſarium omnem materialem illius terminum cognoſci, vt conſtat in potentia viſiua, ad cuius quidditatiuam cognitionem non petitur cognitio omnis particularis viſibilis, ſed ſufficit cognitio viſibilis in communi, & ſic de intellectu, voluntate, & alijs tam potentijs, quam habitibus. Hoc autem eſt diſcrimen inter rationem communem creaturæ poſſibilis, & particulares rationes poſſibilium, prout ad omnipotentiam comparantur, quod illa eſt formalis terminus *quo* omnipotentiæ, prout eſt virtus productiua ad extra, cuius terminus formalis *quo*, vel ratio *ſub quo* formalis eſt diuina eſſentia, vt participabilis à creatura, vel ab illa imitabilis; rationes verò particulares poſſibilium, non ſunt terminus formalis, ſed omnino materialis connexionis omnipotentiæ ſub ratione productiuæ: & ideò non poteſt omnipotentia quidditatiuè cognoſci, non cognita ratione communi creaturæ poſſibilis, benè verò ignorantis, vel non cognitis creaturis ſecundum ſuas particulares rationes.

105 *Replicabis 1.* Sed contra iſtam ſolutionem replicabis primo; terminus formalis eſt ille, à quo potentia ſpecificatur; ſed diuina omnipotentia, nec à poſſibili in communi, nec à poſſibilibus in particulari ſpecificatur; cum ſpecificatio dicat dependentiam, repugnet autem diuinam omnipotentiam ab aliquo extra ſe dependere: ergo ratio communis poſſibilis; vel non repugnantis, non eſt terminus formalis omnipotentiæ diuinæ.

Secundo. Secundo; eo modo connectitur omnipotentia cum creaturis, quo illas producit; cum ſit connexio potentiæ productiuæ cum termino producibili; ſed non producit rationem communem poſſibilis, ſed poſſibilis in particulari: ergo non connectitur formaliter cum ratione communi creaturæ poſſibilis, ſed cum omnibus poſſibilibus in particulari.

106 *Tertio.* Tertio; quilibet beatus videns intuitiuè Deum, cognoſcit omnipotentiam prout diſtinctam ab illa, quæ remaneret, ſi homo v. gr. equus, vel quæuis alia creatura, quæ poſſibilis eſt, redderetur impoſſibilis; ſed terminus formalis omnipotentiæ, vt ſic diſtinctæ, eſſet creatura poſſibilis in particulari: ergo ſi videns omnipotentiam, neceſſario videt rationem communem poſſibilis, ſeu non repugnantis, quæ cum illa connectitur, vt cum termino, vel cum extremo formali, etiam neceſſario videt omnes creaturas in particulari poſſibiles. Illatio videtur bona. Minor conſtat, ille namque eſt terminus formalis alicuius potentię per quem ab alijs diſtinguitur; ſed omnipotentia præſens, ab altera, quæ tunc caſus confingitur, diſtinguitur per illam creaturam, quæ modo repugnans non eſt, & in illo caſu impoſſibili repugnans ſupponitur; nam vtraque omnipotentia in alijs, præterquam in iſtius creaturæ continentia conueniunt: ergo terminus formalis omnipotentiæ diuinæ, vt diſtinctę ab altera omnipotentia conficta, eſt creatura particularis poſſibilis. Maior autem probatur; nam quilibet beatus cognoſcit omnipotentiam quidditatiuè: ergo ſecundum omnia prędicata eſſentialia omnipotentię. Sed diſtinctio iſtius omnipotentiæ ab illa, quę tunc caſus manens confingitur, ſumitur ex aliquo prędicato eſſentiali omnipotentiæ; cum diſtinctio ſit eſſentialis: ergo quilibet beatus cognoſcit omnipotentiam, quę de facto conuenit Deo, vt diſtinctam ab altera omnipotentia, quæ tunc caſus Deo conueniret.

107 *Ad primã replicam reſpondēt quidam Thomiſtæ Recentiores, & explicatur in ſpecificatio virtualis cōſiſtat.* Ad primam inſtantiam Recentiores quidam Thomiſtę reſpondent, conceſſa maiori, negando minorem; nam licet repugnet omnipotentię ſpecificari à creatura, ſpecificatione formali; quod autem virtuali ſpecificatione ab illa ſpecificetur, nullum inconueniens, & hoc ſufficit, vt ratio communis poſſibilis, ſit terminus formalis omnipotentiæ, ſine quo non poſſit quidditatiuè cognoſci. Sed non placet iſta ſolutio; nam ſpecificatio virtualis in eo conſiſtit, quod ita vnum cum altero comparetur, quod ſi adeſſet inter illa realis formalis diſtinctio, realis formalis ſpecificatio vnius ab alio interecederet, ſicut virtualis radicatio conſiſtit, in eo quod ſi adeſſet realis diſtinctio, realis radicatio interueniret formaliter, quo circa eſſentiam diuinam dicimus, virtualiter attributa radicare, & ens ſuas proprietates, quia ſi inter Dei eſſentiam, & ipſius attributa eſſet realis diſtinctio, eſſentia radicaret realiter attributa, & ſimiliter ens attributa tranſcendentia radicaret formaliter realiter, ſi ab illis realiter diſtingueretur, ſed diuina omnipotentia de facto diſtinguitur realiter ab ente creato in communi, & non ſpecificatur ab illo ſpecificatione reali formali: ergo nec virtualiter ab illo ſpecificatur.

108 *Reſpondebis.* Dices; virtualem ſpecificationem non explicari adæquatè per illam conditionalem, ſed ſufficere, vt vnum ab altero ſpecificetur virtualiter, taliter comparari cum illo, quod ſi eſſet capax formalis ſpecificationis ab ipſo ſpecificaretur ſpecificatione formali, & quia omnipotentia ſic comparatur cum ratione communi poſſibilis, quod ſi illi non repugnaret formalis ſpecificatio, à ratione illa communi formaliter ſpecificaretur; non verò à particularibus poſſibilibus, fit, vt de facto ſpecificetur ſpecificatione virtuali à ratione communi entis creati poſſibilis.

Contra. Sed contra; nam eo ipſo quod attributa diuina, v. g. intellectus, & voluntas poſſent realiter à diuina eſſentia diſtingui, & non radicari in illa radicatione reali formali, non radicarentur modo in diuina eſſentia radicatione virtuali: ergo virtualis radicatio conſiſtit in radicatione reali formali ſub hypoteſi realis formalis diſtinctionis inter radicans, & radicatum, vel per hanc conditionalem rectè explicatur; & conſequenter virtualis ſpecificatio in ſimili conditionali conſiſtit, vel explicatur adæquatè per illam.

109 *Suſtinetur ſolutio Recentiorũ Thomiſtarum ſolutio.* Sed reſponderi poteſt, ſuſtinendo traditam ſolutionem, ideò in attributis diuinis verificari antecedens, quia ſuppoſita illorum diſtinctione reali ab eſſentia, nihil eſſet, quod obſtaret, quo minus in illa radicarentur radicatione reali formali; in omnipotentia verò etiam reali diſtinctione illius à creaturis ſuppoſita, eſt ſufficiens caput repugnantiæ, vt à creaturis ſpecificetur realiter, nempè, illius omnimoda independentia ex ratione entis à ſe, cui repugnat à creaturis dependere; & ideò dependentia virtualis ſufficienter explicatur per hoc, quod ſi capax eſſet formalis ſpecificationis, illam ſumeret formaliter à ratione communi poſſibilis; cum tamen quamuis in omnipotentia eſſet ad ſpecificationem formalem capacitas, non ſpecificaretur à creaturis ſumptis in particulari.

Sed melius reſpondetur ſecundo, diſtinguendo maiorem: terminus formalis ordinis tranſcendentalis, concedo maiorem: terminus formalis connexionis realis abſolutę ab ordine tranſcendentali, nego maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: non eſt terminus formalis omnipotentiæ vt relatæ tranſcendentaliter, concedo conſequentiam; vt realiter connexæ cum creaturarum poſſibilitate, nego conſequentiam: nam ſicut terminus formalis potentiæ, vt reſpicientis, eſt ille, ratione cuius alia reſpiciuntur à potentia; ita terminus formalis, ſeu formale extremum potentiæ, vt realiter connexæ, ille dicitur ratione cuius cum alijs eadem potentia connectitur. Quia ergo omnipotentia diuina connectitur cum ratione communi poſſibilis ratione ſui, & ratione illius cum poſſibilibus in particulari; ideò ratio communis poſſibilis, ſeu non repugnantis eſt terminus formalis, ſeu formale extremum connexionis omnipotentiæ, vt eſt virtus productiua, & poſſibilia in particulari ſunt terminus, vel extremum materiale, non tamen ſpecificatur à ratione illa communi; quia ad hoc neceſſarium erat, quod reale habitudine tranſcendentali ad creaturas referretur. 110 *Secunda & melius reſpondet ad primã replicam.*

Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: eo modo, quo illas producit quantum ad rationem *quo* terminandi productionem, concedo maiorem: quoad rationem *quo* productam, nego maiorem, & diſtinguo minorem: non producit rationem illam communem, vt rationem *quo* productam, concedo minorem: vt rationem *quo* terminandi productionem diuinam, nego minorem, & conſequentiam: nam ſicut potentia viſiua, etſi non videat coloratum in communi *vt quod*, quia tamen videt illud *vt quo*, ideſt, quia colores particulares attigit ratione coloris ſumpti in communi, vel communiter ſumpti, non ſpecificatur formaliter ad hoc, vel illo colore, ſed à colorato ſumpto communiter: ita omnipotentia diuina, non cum hoc, vel illo particulari poſſibili connectitur, connexione formali, ſed tantum cum ratione communi entis creati poſſibilis, quia licet hanc rationem non producat *vt quod*, quidquid tamen producit, ſub ratione entis in communi producit. 111 *Ad ſecundam.*

Ad tertiam conceſſa maiori, nego minorem, cum enim continentia equi, non diſtinguatur virtualiter à continentia actiua hominis in diuina omnipotentia, non poteſt homo, aut equus eſſe formale extremum, aut formalis terminus continentiæ actiuæ ſui, nec omnipotentia vera, ab omnipotentia conficta per hominis continentiam diſtinguitur, ſed ex ratione entis veri: nam ab ente rationis, & ab ente conficto diſtinctio habetur ex ratione communi entis veri, ſicut homo à lapide per rationem viuentis diſtinguitur, & à planta per rationem ſenſibilis; ab equo autem, & alijs animalibus per vltimam ſui differentiam, nempè, rationalitatem. Et ratio eſt: nam diſtinctio præſtita à differentia, eſt reſpectu conuenientium in genere immediatè per illam contracto: vt ergo omnipotentia vera à conficta per continentiam hominis, vel equi diſtingueretur, neceſſarium erat quod inter vtramque omnipotentiam in alijs omnibus vera conuenientia eſſet, quod non ita contingit: nam inter veram, & confictam omnipotentiam, non eſt vera conuenientia in continentia aliorum poſſibilium: nam quod verum ens non eſt, veram conuenientiam non poteſt habere cum alio, nec vt omnipotentia cognoſcatur quidditatiuè, neceſſarium eſt cognoſcere in illa id, per quod diſtinguitur ab alia omnipotentia ſecundum conuenientiam fictam, ſed tantum id, per quod ab illa diſtinguitur ſecundum ea, quæ confictæ omnipotentiæ verè conueniunt, quod nihil eſt aliud, quam quod ſit ens fictum, & implicans contradictionem. Per quod ad minoris probationem conſtat ſolutio. 112 *Ad tertiã.*

§. V.

Secunda concluſio ſtatuitur, & primum argumentum contra illam diluitur.

113 *Secunda concluſio.* SECVNDA CONCLVSIO. *Anima Chriſti actu cognouit in Verbo ex vi viſionis beatificæ omnia quæ ſunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis.* Ita D. Thom. loco ſupra relato, & præter omnes Thomiſtas frequentius cæteri Theologi, adeoque certum exiſtimat Vazquez *in præſenti, diſputatione* 51. *cap.* 2. cognouiſſe animam Chriſti Domini omnia enumerata obiecta abſtrahendo à modo cognitionis illorum intra, vel extra Verbum ex vi cognitionis Verbi, vel diuerſæ cognitionis, vt aſſerat, eſſe certa fide tenendum, eo quod, quamuis in nullo Generali, aut Prouinciali Concilio haſtenus fuerit ab Eccleſia diffinitum; habetur tamen in illa per indubitatam fidei traditionem. *Quod probat;* nam Sancti PP. ita vno ore id pronuntiant, vt oppoſitum damnent tanquam errorem, quod ſignum eſt generalis, & indubitatæ traditionis. Antecedens deducit ex Iuſtino Martyre q. 58. *ad orthodoxo*, dicente: *Impium eſſe Chriſto aliquam ignorantiam tribuere.* ex Clemente Alexandrino *lib.* *Pedagog. cap.* 6. *in principio.* vbi ait: *Abſurdiſſimum eſt aſſerere Chriſto aliquid defuiſſe, eique opus fuiſſe, aliquid diſcere.* Ex Hilario, Hieronymo, Ambroſio, & Gregorio aſſerentibus, Chriſtum diem iudicij non ignoraſſe, alias ipſum eſſe incarnatam Sapientiam cum blaſphemio oporteret negare; ſentiunt ergo Eccleſiæ PP. erroneum eſſe Chriſto, etiam vt homini, alicuius ignorantiam tribuere; & conſequenter omnia præterita, præſentia, & futura cognouiſſe ex Eccleſiæ traditione habetur.

Iſtam concluſionem eſſe de fide docet P. Vazq. — *Iuſtinus Martir.* — *Clemens Alexand.* — *Hilarius. Hieron. Ambr. Greg.*

114 *Reijcitur* 1. Leui tamen fundamento fuit motus Vazquez ad tam rigidam cenſuram: & reijcitur primo: nam plures Theologi ex Antiquis, & Recentioribus oppoſitæ adhærent ſententiæ: ergo noſtra non poteſt per generalem traditionem haberi. *Secundo.* Secundo: nam ignorantia, quam impium eſt Chriſto, vt homini, attribuere, non negatiua, ſed priuatiua eſt, alias omnium poſſibilium eſſet illi concedenda cognitio, cum defectus cognitionis, cuiuſuis rei poſſibilis, ignorantia negatiua ſit; quæ melius neſcientia, quam ignorantia appellatur: at Chriſtum, vt hominem, non cognouiſſe omnia præterita, præſentia, & futura, non inducit in illo ignorantiam priuatiuam, ſed ſolum negatiuam in doctrina Auctorum contrariæ ſententiæ, nec quod ignorantia priuatiua ſit, poteſt euidenter probari: ergo ex dictis Patrum, male infert Vazquez, noſtram concluſionem ad fidem pertinere. Minor oſtenditur primo: carentia actualis cognitionis illius: quod habitualiter ſcitur, non dicitur propriè ignorantia priuatiua, ſed negatiua; ſed contrarij Auctores negantes Chriſto, homini, cognitionem omnium, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt, concedunt humanitati Chriſti habitualem illorum omnium cognitionem: ergo non attribuunt Chriſto ignorantiam priuatiuam, ſed tantum negatiuam. Secundo: nam carentia cognitionis, quæ poſſibilis non eſt, priuatiua ignorantia non eſt, ſed tantum negatiua; at contrarij Auctores aſſerunt, cognitionem illorum obiectorum eſſe impoſſibilem, nec poſſunt euidenter conuinci, vt illorum argumenta proponentes videbimus: ergo non poteſt euidenter monſtrari ignorantiam, quæ ex carentia talis cognitionis infertur, eſſe priuatiuam.

In Chriſto non potuit eſſe ignorantia priuatiua, ſed tantum negatiua.

115 *Tertio reijcitur.* Tertio reijcitur; nam etiam ſi cognitio omnium exiſtentium, futurorum, & præteritorum, Chriſto, vt homini negetur, non ſequitur fuiſſe Chriſto opus, aliquid diſcere: ergo quamuis PP. abſurdum cenſeant aſſerere Chriſto, vt homini, opus fuiſſe, aliquid addiſcere, non ſequitur illius humanitatem, præfatam cognitionem habuiſſe. Probatur antecedens, quod ſcitur habitualiter, quamuis actu non cognoſcatur, non dicitur per addiſcentiam haberi, quando actualiter cognoſcitur; ſed contrarij Auctores aſſerunt, omnia illa obiecta cognouiſſe habitualiter: ergo etiam ſi ea obiecta actu diſtinctè non cognouerit, non ſequitur ei opus fuiſſe, aliquid de nouo addiſcere.

116 Denique; quia non eſt eadem ratio de die iudicij, ac de alijs rebus futuris ergo quamuis PP. aſſerant, negantes Chriſto, vt homini, iſtius diei notitiam cum Nelianis ſentire, non ſequitur, ipſum dicendum, denegantibus humanitati Chriſto aliorum futurorum notitiam. Antecedens oſtenditur primo; quia Chriſtum, vt hominem, diem iudicij cognouiſſe, diffinitum eſt in 6. *Synodo actione* 12. *in Epiſtola Sofronij*, vt referunt Recentiores; de alijs autem futuris talis diffinitio non extat: ergo non eſt eadem ratio, ex eadem ſententiam iudicium, de ſcientia huius diei, ac de ſcientia aliorum futurorum. Secundo: quia dies iudicij pertinet ad Chriſtum, vt Iudicem, eſtque proprius dies illius; plura autem ex futuris, nempè, cogitationes aliæ, quæ poteſt diem iudicij eliciunt à beatis, ad iudicaturam Chriſti non pertinent, et contrarij Auctores aſſerunt; eſt autem humanitati Chriſti attribuenda omnium, illorumque cognitio, quæ ad ipſum, vt iudicem, ſpectant: ergo non eſt eadem ratio de ſcientia diei iudicij, ac de omnibus futuris. Vnde hæc cenſura relicta.

Quarto reijcitur. — *De fide eſt Chriſtum vt hominem diem iudicij cognouiſſe, non ſic de alijs futuris.*

117 *Probatur concluſ. ratione D. Tho.* Probatur Noſtra concluſio ratione D. Th. in hunc modum. Ea enim omnes beati cognoſcunt in diuina eſſentia cognita ex vi viſionis beatificæ, ea quæ ad ipſum ſtatum pertinent; ſed ad ſtatum Chriſti, vt hominis, ſpectant omnia, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, ſecundum quodcumque tempus: ergo hæc omnia cognouit in diuina eſſentia cognita ex vi viſionis beatificæ. Minor conſtat; nam Chriſtus ſecundum quod homo, eſt Dominus omnium, iuxta illud Matthæi vltimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra;* Et Pſal. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Et Ioanni 13. c. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Eſt etiam omnium creaturarum rationabilium Iudex, vt conſtat ex illo Ioannis 5. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio:* ergo ad ipſum ratione dominij pertinent omnia, & ratione iudiciariæ poteſtatis omnes rationales creaturæ, omneſque illarum actus, ſiue boni, ſiue mali. Maior autem conſtat primo ex Concilio Senonenſi in decretis fidei *Decreto* 13. vbi vt probet preces noſtras à beatis audiri, docet: *In diuinitatis ſpeculo cognoſcere illos, quidquid eorum interſit.* Deinde hac ratione: nam rationabiliter quilibet beatus deſiderat ſcire omnia ad ipſum ſpectantia; ſed de ratione beatitudinis eſt omne rationabile beati deſiderium ſatiare: ergo omnium cognitio habetur per beatificam viſionem in Verbo.

Matth. vltimo. — *Pſal. 8.* — *Ioannis cap. 13.* — *Ioannis c. 5.* — *Conc. Senonenſ.*

118 *Reſp.* 1. Reſpondebis primo: de ratione beatitudinis non eſſe, omnia ad beatos ſpectantia illis à principio manifeſtari in particulari, & diſtinctè, ſed ſufficit, quod præcipuos euentus diſtinctè cognoſcant ſtatim ex ea viſione beatificæ; cæteros autem confusè, & poſtea ſucceſſu temporis in particulari, & diſtinctè per reuelationem extra Verbum, vt docet Magiſter Soto *in* 4. *diſtin.* 49. *q.* 3. *art.* 3. *concluſ.* 10. quem ſequuntur Recentiores Thomiſtæ, ac proinde ex ratione facta non conuincitur, Chriſtum per viſionem beatificam actu cognouiſſe omnia ad ipſum ſpectantia, nec omnia, quæ in quocumque tempore habitura ſunt exiſtentiam. Vel ſecundo reſpondebis: viſionis beatificæ non repugnare ſucceſſionem circa obiecta ſecundaria; ac proinde ex eo quod Chriſtus, vt homo, per ipſam omnia cognouerit, non inferri omnia actu cognouiſſe à principio beatitudinis, ſed quod illa ſucceſſiuè cognouerit.

M. Soto. — *Reſpondebis.*

119 *Reſp.* 3. Reſpondebis tertio: de ratione beatitudinis non eſſe, quod ſe ipſa formaliter ſatiet omne rationabile deſiderium beati, ſicut nec omnem inclinationem innatam, ſed formaliter, vel radicaliter; non enim ſatiatur per viſionem, in qua eſſentia beatitudinis conſtituitur à nobis, inclinatio innata appetitiua, ſed ſolum radicaliter, nempè, radicando amorem, ipſam ſatiantem formaliter; ac proinde ex ratione facta non conuincitur, quod omnia ad Chriſtum ſpectantia debuerint ab ipſo cognoſci per beatificam viſionem, ſed vel per ipſam, vel per alias cognitiones à beatifica viſione petitas, & in illa radicatas. Vel denique reſpondebis, quod licet cogitationes omnes hominum, & Angelorum, quæ finale iudicium præcedunt, pertineant ad Chriſtum, et iudicem; illæ tamen, quæ finale iudicium ſequuntur ad ipſum, prout ſit non ſpectant, cum pro illis præmium non ſint accepturi, qua ſolum ratione Chriſto, vt iudici, cogitationes noſtræ ſubduntur; ac proinde ex eo quod omnia ad Chriſtum ſpectantia fuerint ab ipſo cognita per beatificam viſionem formaliter, non ſequitur omnes cogitationes beatorum per illam cognouiſſe.

Reſp. 4.

Sed nulla ex his ſolutionibus argumento ſatisfacit: non prima; etenim omnes beati cognoſcunt in Verbo om- 120

nia

Prima ſolutio reijcitur. nia ad ipſos ſpectantia modo ſibi debito, & decenti, ſed ad Chriſtum, vt hominem, attinent omnia, quæ in quocumque tempore habitura ſunt exiſtentiam, ratione dominij, iudiciariæque poteſtatis, & alias ratione ſupremæ dignitatis illum cognitio confuſa non decet, ſed debetur clara, & diſtincta: ergo omnia in particulari, & diſtinctè cognouit, quidquid de alijs beatis, quos, quia Chriſti dignitate non gaudent, confuſe cognitio non dedecet.

121 *Secunda ſolutio reijcitur 1. S. Thom.* Nec ſecunda, quæ reijcitur primo; nam ea, quæ beati vident in Verbo, ex vi viſionis formaliter, non vident ſucceſſiuè, ſed ſimul a principio: ergo ſi Chriſtus in Verbo prædicta obiecta cognouit, non ſucceſſiuè, ſed ſimul, & ab initio ſuæ beatitudinis ſciuit. Antecedens eſt D. Th. 1. p. q. 12. art. 10. 2. 2. q. 83. art. 4. ad 2. q. 8. de Veritate art. 12. in 4. diſtinct. 45. q. 3. art. 1. in præſenti art. 2. & alibi ſæpe. Probaturque primo ex D. Auguſtino lib. 15. de Trinitate c. 16. circa finem, vbi de homine in ſtatu beatitudinis loquens, ſic ait: *Non erunt volubiles noſtræ cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram, vno ſimul conſpectu videbimus.* In quibus verbis ſupra vnitatem viſionis beatificæ ſimultatē *Beatis in Verbo omnia ſimul, & nõ ſucceſſiuè cognoſcere probatur 1.* adiecit in terminatione ad obiecta; ſtatuit ergo Auguſtinus ea, quæ à beatis intra Verbum videntur, ſimul à principio videri. Secundo probatur ratione D. Th. 1. p. q. 12. *Secunda.* art. 10. etenim viſionem beatificam ſimul à principio ad omnia ſua obiecta terminari, eſt poſſibile, & alias maximè congruit ſtatui beatifico: ergo ſimul, & non ſucceſſiuè ad ſua obiecta terminatur. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur; nam intellectum noſtrum, plura ſimul non cognoſcere, prouenit, ex eo quod illa per plures ſpecies cognoſcit; vnde omnia illa, quæ per vnam ſpeciem repræſentantur, ſimul poteſt intelligere; ſed quæ à beatis videntur in Verbo, vna ſpecie cognoſcuntur, ſcilicet, diuina eſſentia illorum mentibus per modum ſpeciei vnita: ergo poſſunt ſimul omnia à beatis *Secundo reijcitur 2. ſolutio.* cognoſci. Secundo reijcitur ſolutio: nam infinita nequeunt ſucceſſiuè pertranſiri, ſcilicet, vnum poſt aliud, & in hoc ſenſu infinitum impertranſibile dicitur; at obiecta, quæ anima Chriſti per ſcientiam beatam cognouit, ſunt infinita, vt videbimus: ergo non poſſunt ſucceſſiuè cognoſci; ac proinde, vel aſſerendum eſt, omnia non cognouiſſe, vel illa cognouiſſe ſimul.

122 *Tertio ſolutio reijcitur.* Deinde tertia ſolutio reijcitur; eſt namque de ratione beatitudinis ſatiare formaliter omne rationabile deſiderium beati, quod formaliter, & ſe ipſa poteſt ſatiare; ſed deſiderium beati videndi omnia, quæ attinent ad ipſum, rationabile eſt, poteſtque viſio beatifica illud ſatiare formaliter, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit: ergo eſt de ratione illius formaliter prædictum deſiderium ſatiare; & conſequenter non radicaliter, ſed formaliter, & ſe ipſa petit manifeſtare beatis omnia ad ipſos ſpectantia.

123 *Quarta ſolutio reijcitur 1.* Tandem vltima ſolutio reijcitur primo; nam cognitiones beatorum, quas poſt finale iudicium habebunt, pertinent ad illorum præmium accidentale, ſed ad iudicem ſpectant, non ſolum actiones remunerandæ, aut præmiandæ, ſed etiam, quæ in premium dantur, ſiuè ad præmium eſſentiale, ſiuè ad accidētale præmium pertineant: ergo illæ cogitationes pertinent ad Chriſtum, vt homi- *Secundo.* nem. Secundo: nam eſto cogitationes illæ non pertineant ad Chriſtum, vt iudicem; ad ipſum tamen ratione dominij, non poſſunt non pertinere: ergo debent ab illius humanitate per beatificam viſionem cognoſci. Antecedens probatur, Chriſto, vt homini, ſunt omnia ratione dominij ſubiecta, quæ in cælis ſunt, & in terra, ob quam rationem ad illum, vt Dominum pertinent minutiſſimæ creaturæ: ergo etiam beatorum cogitationes habitæ poſt diem iudicij.

124 *Cõtraria ſententia cum ſuis auctoribus refertur.* Contrariam noſtræ concluſionis ſententiam tenuere ex Antiquis Henricus, Scotus, Gabriel, Richardus, Marſilius, Paludanus, & alij plures, quos refert, ſequiturq; Pater Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 4. ſect. 7. vbi ait, ſententiam iſtam ſe probabiliorem putaturum, niſi auctoritas Angelici Præceptoris in contrarium obſtaret. Eandem etiam aliqui Recentiores ſequuntur, in quorum fauorem, & contram concluſionem plura poſſunt opponi, quæ viſionem creaturarum exiſtentium in Verbo, & decretorum cognitionem per beatificam viſionem oppugnant. Cæterum, quia hæc beatos in communi concernunt, ſpectantque ad Tract. de viſione Dei 1. p. q. 12. art. 7. & 8. ideo illis omiſſis ea ſolum proponemus, quæ ſpecialiter procedunt contra vniuerſalitatem cognitionis animæ Chriſti.

Arguitur primo; nam ſequitur ex noſtra ſententia, animam Chriſti ſcientiam viſionis Dei comprehendere; conſequens eſt falſum; ergo falſum etiam eſt animam Chriſti actu cognouiſſe in Verbo ex vi viſionis beatificæ omnia, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis. Probatur ſequela; cognitio termini adæquati alicuius potentiæ, aut virtutis, eſt illius comprehenſio, vel ſaltim infert potentiæ comprehenſionem, vt §. 2. docuimus: ergo pariter cognitio obiecti adæquati ſcientiæ, infert ſcientiæ comprehenſionem; ſed ſi anima Chriſti cognoſceret omnia, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt, ſecundum quodcumque tempus, cognoſceret adæquatum obiectum ſcientiæ viſionis diuinæ; cum hæc ſolum ad illa, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt, terminetur: ergo comprehenderet illā. *125 Arguitur 1.*

Huic argumento Suarez diſp. 26. ſect. 3. tres adhibet ſolutiones. Prima eſt, ex cognitione omnium creaturarum exiſtentium, non ſequi comprehenſionem ſcientiæ viſionis, quia ſub illa, non ſolum creaturæ exiſtentes, ſed etiam ipſe Deus, vt exiſtens, continetur, & omnes perfectiones diuinæ; cumque Deus non comprehendatur ab anima Chriſti Domini, fit, quod neque etiam comprehendat illius ſcientiam viſionis. Sed non placet hæc ſolutio; nam ſcientia viſionis Dei, quatenus libera eſt, non terminatur ad Deum, ſed ſolum ad creaturas exiſtentes, & libere decreta, de quibus eadem eſt difficultas, ac de ſcientia viſionis: ergo licet ex non comprehenſione Dei, recte colligat Suarez, non comprehendi illius ſcientiam viſionis, quatenus eſt neceſſaria, qua ratione terminatur ad Deum; non tamen infert benè, ſcientiam viſionis, vt liberam, non cognoſci comprehenſiuè. *126 Reſpondet Suarez 1. Reijcitur eius ſolutio.*

Secundo reſpondet, cognitionem omnium, ad quæ ſciētia viſionis ſe extendit, ideirco, non eſſe, nec inferre comprehenſionem ſcientiæ viſionis, quia non cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini in ſcientia viſionis vt cognita; vt autem potentia aliqua, vel actus comprehendatur, non ſufficit cognoſcere adæquatum terminum, vel obiectum illius, niſi in illo, vt obiecto cognito cognoſcatur. Sed nec placet iſta ſolutio, & reijcitur primo, quia ſcientia viſionis Dei, non minus eſt connexa cum creaturis exiſtentibus, quam libere decreta diuina, & vtrumq; ab anima Chriſti cognoſcitur, ſed quia decreta libera connectuntur cum creaturis exiſtentibus, cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini in decretis, tanquam in obiecto cognito, & ex vi cognitionis illorum: ergo & in ſcientia viſionis iſto modo cognoſcentur. Secundo; nam anima Chriſti Domini cognoſcit creaturas exiſtentes in decretis liberis Dei, tamquam in obiecto cognito: ergo ſi omnia obiecta decretorum cognoſcit, decreta libera comprehendit; ſed hac conceſſo nullum eſt inconueniens concedere, quod etiam comprehendat ſcientiam viſionis, vt liberam: ergo ſolutio tradita vim argumenti non euacuat. *127 Reſpondet 2. Reijcitur 1. Secundo.*

Tertio reſpondet, non comprehendi ſcientiam viſionis Dei ab anima Chriſti Domini, quamuis adæquatum illius obiectum cognoſcat; quia quamuis adæquet ſcientiam viſionis Dei, quoad numerum ſcibilium, non tamen adæquat in modo claritatis, quo Deus eadem obiecta cognoſcit, & conſequenter non comprehendit ipſam claritatē, & eminentiam, qua Deus illa intuetur, & ideo, nec ſcientiam viſionis Dei, prout in ipſo Deo eſt. Hæc tamen ſolutio; etſi veram doctrinam contineat; non tamen videtur conſequens ad ea, quæ ſect. 1. eiuſdem diſp. prædictus Auctor addiderat: ibi enim concluſ. 3. docuit, cognitionē pertingentem eum gradum perfectionis, vt in obiecto clarè, & diſtinctè cognoſcat, quidquid in eo eſt formaliter, & eminenter, etſi nihil aliud habeat, eſſe talis obiecti comprehenſionem: ergo ſi viſio beatifica humanitatis Chriſti, clarè, & diſtinctè cognoſcit ſcientiam viſionis Dei, quoad ea, quæ formaliter dicit; & terminatiuè continet, eſto in modo claritatis cum ea, non adæquetur, erit illius comprehenſio, ſi conſequenter ad doctrinam traditam à Suarez ſit procedendum, atque adeo ex defectu adæquationis in modo penetrationis, & claritatis, nõ poterit cum conſequentia in doctrina prędictam cognitionem à ratione comprehenſionis ſcientiæ viſionis excludere. *128 Tertio reſpondet Suarez. Reijcitur vt non in cõſequentia in doctrina.*

Quarto alij reſpondent; ſcientiam viſionis Dei conſiderari poſſe dupliciter, nempè, ſub ratione actualitatis, & actus, & ſecundum conceptū liberæ terminationis ad obiecta exiſtentia. Qua diſtinctione ſuppoſita diſtinguunt cōſequens, illudque concedunt de ſcientia viſionis Dei ſub conceptu connotationis, & terminationis liberæ ad creatu- *129 Quarto reſpond. alij.*

tas

ras exiſtentes, negant vero de eadem ſcientia viſionis ſub conceptu actualitatis, quia ſub hac conſideratione eſt eadem indiuiſibilis formaliter, & virtualiter cum ſcientia neceſſaria. Vnde cum hæc comprehendi nequeat à creatura, nec cum creaturis exiſtentibus, obiectiuè adæquetur, nec ſcientia libera viſionis, prout ſic conſiderata adæquatur cum illis, nec à creatura comprehendi poteſt. Solutio iſta colligitur ex doctrina Capreoli *in 3. diſt. 14. q. 2. art. 3. ſolut. ad 2. contra 2. conclusionem*, & Caietani *1. p. q. 12. art. 8. ad 2. Scoti*, aſſerentium Deũ comprehendi poſſe à creatura, prout eſt cauſa vnius effectus, quia hoc non eſt comprehendi ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, illamque doctiſſimis viris placuiſſe refert Mag. Medina *in præſenti art. 2. dub. 2.*

Capreol. Caiet. Medin.

130 Reijcitur. Et quidem ſcientia viſionis libera ſolum adderet ad neceſſariam, vel extrinſecam denominationem ab obiecto deſumptam, vel ſolum reſpectum rationis, nullum eſſet inconueniens admittere comprehendi poſſe à creatura ſcientiam liberam Dei, prout diſtinctam à ſcientia neceſſaria, & ſecundum id, quod ad illam ſuperadderet. Quia tamen frequentior, & verior ſententia, ſcientiam viſionis, prout liberam, non per reſpectum rationis, nec per extrinſecam denominationem, docet conſtitui, ſed per aliquid intrinſecum defectibile ſub conceptu denominationis, vel ſub conceptu terminationis, & indefectibile ſub conceptu entitatis, falſam reputo traditam ſolutionem hac ductus ratione; non enim comprehendi poteſt ſcientia libera viſionis ſub conceptu terminationis liberæ, non comprahenſa ſub ratione entitatis, & actualitatis; ſed ſub ratione entitatis, & actualitatis, non poteſt comprehendi à creatura: ergo nec comprehendi poteſt ab illa ſub conceptu terminationis, ſeu defectibilis denominationis. Minor eſt certa; entitas enim, & actualitas, ſcientiæ liberæ, non eſt diſtincta ab actualitate, ſeu entitate ſcientiæ neceſſariæ; alias adderet ad ſcientiam neceſſariam actualitatem, & entitatem; ac proinde ſub conceptu actualitatis, & entitatis defectibilis eſſet, cum defectibilis ſit ſecundum id quod ad ſcientia neceſſariam ſuperaddit; ſed actualitas ſcientiæ neceſſariæ, vel illius entitas, nequit comprehendi à creatura; ergo nec ſcientia libera ſub ratione entitatis, & actualitatis. Maior autem probatur; nam terminatio intrinſeca libera claudit in ſe per traſcendentiam realem formalem entitatem, & actualitatem diuinam, ſed quia ſic claudit nequit intuitiuè, & quidditatiuè videri ſub conceptu terminationis, non viſa ſub ratione entitatis & actualitatis; ſicut nec omnipotentia ſine viſione eſſentiæ: aut è contra: ergo à fortiori comprehendi non poterit ſub ratione terminationis, non comprahenſa ſub conceptu entitatis; cum comprehenſio ſit adæquatior cognitio, quam viſio ſolum quidditatiua.

131 Vera argumenti ſolutio. Ad probationem ſequelæ reſpond. 1. Vnde ad argumentum factum reſpondeo, negando ſequelam: ad illius probationem reſponderi poteſt primo, conceſſo antecedenti, & admiſſo cõſequenti, negando minorem; nam obiectum adæquatum ſcientiæ viſionis Dei, non ſolum ſunt entia poſitiua, quæ aliquando habitura ſunt exiſtentiam, ſed etiam negationes rerum, quas Deus non producere decreuit: vnde ex eo quod omnia entia poſitiua, præterita, præſentia, & futura cognoſcat anima Chriſti, dummodo non cognoſcat omnes rerum negationes, non ſequitur comprehendere obiectum adæquatum ſcientiæ viſionis liberæ Dei.

132 Secundo reſp. Secundo reſpondari poteſt, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; nam cognitio omnium ad quæ ſe extendit aliqua potentia, vel virtus, neceſſario illam adæquat in modo exacto ab illius cognoſcibilitate, vt conſtat ex dictis §. 3. & 4. ac proinde, eſt, vel infert comprehenſionem illius: ceterum cognitio omnium ad quæ ſcientia libera terminatur, non eſt neceſſarium, quod ſcientiam liberam in modo intenſiuo ſuæ cognoſcibilitatis adæquet, cumque hoc neceſſarium ſit ad eius comprehenſionem conſequens fit, quod ex cognitione omnium ad quæ ſcientia libera ſe extendit non inferatur ſcientiæ liberæ comprehenſio. Quæ ſolutio fundamentum habet in D. Tho. *in præſenti art. 2. ad 3.* vbi docet, ſcientiam animæ Chriſti, quam habet in Verbo, parificari ſcientiæ viſionis, quam Deus habet in ſeipſo, quantum ad numerum ſcibilium; infinitè tamen ab illa quoad claritatem excedi, & hæc eſt quantitas perfectionis præcipuè in ſcientia attendenda. Quod ſi rationem huius diſcriminis petas, ea eſt, quia, nempè, cognitio effectuum in cauſa habetur ex vi penetrationis cauſæ; & ideo, vt ad omnes effectus in aliqua cauſa contentos terminetur, adequata cauſæ penetratio requiritur. Ceterum cognitio exiſtentium, in ſcientia, vel in decreto, non habetur ex vi penetrationis decreti, ſed tantum ex vi reuelationis illius. Vnde, vt in decreto, vel ſcientia, obiecta decretata, vel cognita cognoſcantur, penetratio ſcientiæ liberæ non petitur; & conſequenter nec adæquatio in modo cum eius cognoſcibilitate.

S. Thom.

133 Replicabis. Sed dices: exiſtentia cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini in diuina ſcientia cognita, non ſolum quoad *an eſt*, ſed etiam quoad *quid eſt*; at cognitio quidditatiua nõ habetur ex vi ſolius reuelationis, ſed ex vi penetrationis medij, in quo vt in obiecto prius cognito cognoſcitur: ergo cognitio exiſtentium in diuina ſcientia cognita habetur ex vi penetrationis illius. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: in diuina ſcientia prout libera, nego maiorem: in diuina ſcientia quatenus neceſſaria, permitto maiorẽ: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens diſtinctione maioris: tantum enim ſequitur cognitionem quidditatiuam rerum exiſtentium prouenire ex penetratione diuinæ ſcientiæ, prout neceſſaria eſt, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ: non autem infertur, cognitionem rerum exiſtentium quoad *an eſt*, quæ ſolum ex vi ſcientiæ liberæ habetur, ex illius penetratione prouenire. Nec etiam colligitur, cognitionem exiſtentium, in qualibet differentia temporis, eſſe, vel ſupponere comprehenſionem ſcientiæ neceſſariæ Dei; cũ omnia iſta obiecta non adæquent ſciẽtiam neceſſariam, quæ etiã ad purè poſſibilia ſe extendit. Reſpondetur.

134 Inſtabis. S. Thom. Inſtabis ex D. Th. *1. p. q. 12. art. 8.* ad finem corporis, illis verbis: *Horum, quæ Deus facit, vel facere poteſt, tanto aliquis intellectus plura cognoſcit, quanto perfectius Deũ videt*: ergo ſentit D. Th. cognitionem nedum poſſibilium, verum etiam exiſtentium in Verbo, ſequi ad modum perfectum, vel imperfectum cognitionis Verbi, ſed cognitionem poſſibilium, conſequi ad penetrationem diuinæ eſſentiæ cognitæ, exinde colligebamus *ſupra*, quia conſequitur ad modum cognitionis illius, & non ad ſolam cognitionis ſubſtantiam; ergo cognitio exiſtentium in diuina ſcientia libera cognita, habetur ex vi penetrationis ſcientiæ liberæ, aut decreti, in quo cognoſcuntur. Et confirmabis; nam exinde §. 3. *ad 3. argum.* inferebamus, cognitionem poſſibilium in diuina eſſentia cognita, conſequi, non ad ſolam cognitionis diuinæ ſubſtantiam, ſed ad modum maioris, vel minoris penetrationis illius, quia poſſibilia nõ ſunt de manifeſtis in cauſa, ſed de his, quæ in illa latent; cum poſſit diuina eſſentia cognoſci quidditatiuè, nullo particulari poſſibili cognito: at etiam creaturæ exiſtentes, ſunt de non manifeſtis in diuina ſcientia libera, & de his, quæ in illa latent; cum poſſit ſcientia libera cognoſci, non cognitis omnibus creaturis exiſtentibus; alias quilibet beatus ſcientiam Dei liberam cognoſcens, cognoſceret omnia exiſtentia ſecundum quodcumque tempus: ergo cognitio exiſtentium in ſcientia libera cognita habetur ex vi penetrationis illius. Confirmabis.

135 Reſpondetur ad inſtantiam. Reſpondeo ex *proximè* dictis, cognitionem horum, quę Deus facit, conſiderari poſſe dupliciter: vel prout terminatam ad illorum quidditates: vel prout terminatam ad illa prout exiſtentiam. Priori modo ſumpta, plurium cognitio perfectiorem Dei cognitionem, & illius eſſentiæ, vt cauſæ penetrationem ſupponit. Secundo autem modo, maiorem penetrationem diuinæ eſſentiæ non petit ſed tantũ decreti liberi decernentis exiſtentium reuelationẽ. Vnde quandoque minus beatus plura de exiſtentibus cognoſcit, quam videat magis beatus, vtpote ſi plura ad illius, quam ad iſtius ſtatum pertineant, quin ex hoc inferatur Deum perfectius videat alias minus beatus non eſſet, de quo *1. p. q. 12. art. 7. & 8.* Ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem: nam ſcientia libera conſiderari poteſt dupliciter, nempè, *entitatiuè*, qua ratione eſt neceſſaria, nec eſt medium cognitionis exiſtentium, & *terminatiuè*, qualiter libera eſt, & medium, in quo creaturæ exiſtentes cognoſcuntur: priori modo ſumpta, verum eſt, quod in illa nõ manifeſtantur creaturæ: ſumpta autem ſecundo modo, non latent in ipſa, ſed patent creaturę exiſtentes, implicat enim cognoſcere ſcientiam Dei liberam, prout liberè terminatam ad hominem, non cognito homine: idemque dicendum de alijs exiſtentibus ſumptis in particulari. Ad confirmationem.

136 Vrgebis. Sed vrgebis, cognita omnipotentia *terminatiuè*, hoc eſt, ſecundum conceptum terminationis ad hominem v. g. neceſſariò manifeſtat hominem, & idem reſpectu cuiuſcumque alterius creaturę; implicat enim cognoſcere omnipotentiam, vt terminatam ad hominem, & hominem ignorare, etſi poſſit *entitatiuè* cognoſci, homine

non

non cognito ; & tamen homo, & aliæ creaturæ poſſibiles, non ſunt de manifeſtis, ſed de latentibus in omnipotentia ; ergo quamuis creaturæ exiſtentes, neceſſario cognoſcantur in ſcientia libere cognitæ *terminatiuè*, non erunt de manifeſtis, ſed de latentibus in ſcientia libere :

137 Reſpondeo, diſtinguendo maiorem : cognita omnipotentia *terminatiuè*, pro eo quod dicit, tam in recto, quam in obliquo, concedo maiorem : ſolum pro eo quod dicit in recto, nego maiorem : & conceſſa minori, nego conſequentiam ; nam ſcientia libera Dei, non poteſt cognoſci ſecundum totum id, quod dicit in recto, prout eſt ſcientiæ liberæ hominis, & hominem non cognoſci, eo quod addit ad ſcientiam neceſſariam terminationem liberam defectibilem ſub conceptu terminationis, & indefectibilem ſub conceptu entitatis, & terminatio iſta libera diuerſa eſt iuxta obiectorum diuerſitatem, non minus, quam libera terminatio decreti ad illorum diſtinctionem multiplicatur ; ſicut homine v. g. non exiſtente, vt potuit non exiſtere, & exiſtente equo defeciſſet Deo libera terminatio ad hominem, perſeuerante libera terminatione ad equum, & ſeparabilitas ſignum eſt diſtinctionis virtualis ; eo autem ipſo, quod terminationes liberæ virtualiter inter ſe diſtinguantur, non poſſunt ſub conceptu terminationis, ſecundum totum, quod importat in recto cognoſci, non cognitis illorum obiectis ſumptis in particulari. Terminatio autem actiua omnipotentiæ ſumpta, etiam *terminatiuè*, eadem eſt virtualiter reſpectu hominis, equi, & omnium poſſibilium. Tùm quia diſtinguitur virtualiter ab actualitate omnipotentiæ, quæ non multiplicatur virtualiter ad poſſibilium diuerſitatem. Tùm etiam ; quia terminatio omnipotentiæ ad hominem, non eſt ſeparabilis à terminatione ad equum ; ac proinde nullum adeſt fundamentum, inter vnam, & aliam terminationem. Ex quo infertur, poſſe omnipotentiam ſumptam *terminatiuè* cognoſci, ſecundum totum illud, quod dicit in recto, nullo poſſibili cognito in particulari, & ideo poſſibilia, non ſunt de manifeſtis, ſed de latentibus in omnipotentia ; exiſtentia verò ſunt de manifeſtis in diuina ſcientia libere.

Reſpondetur.

138 Tertio reſponderi poteſt ad probationem ſequelæ, diſtinguendo conſequens : cognitio obiecti adæquati ſcientiæ ſecundum actualitatem, & entitatem illius eſt talis ſcientiæ comprehenſio, concedo conſequentiam : cognitio obiecti adæquati ſcientiæ ſecundum conceptum expreſſum liberæ terminationis, nego conſequentiam ; cum enim terminatio libera comprehendi non poſſit, etiam ſub conceptu liberæ terminationis, niſi etiam comprehendatur ſub conceptu entitatis, & actualitatis, quam tranſcendentaliter imbibit ; conſequens fit, quod vt comprehendatur, etiam ſub conceptu liberæ terminationis, neceſſarium ſit comprehendi obiectum adæquatum illius, non ſolum ſub expreſſo conceptu liberæ terminationis, verumetiam ſub conceptu actualitatis ; licet autem omnes creaturæ exiſtentes ſecundum quodcumque tempus ſint obiectum adæquatum ſcientiæ liberæ Dei ſub expreſſo conceptu liberæ terminationis ; non tamen ſunt obiectum adæquatum illius ſub conceptu actualitatis ; cum hæc ſit ipſa actualitas actus neceſſarij, à quo in ratione actualitatis non differt ; ac proinde ad obiecta purè poſſibilia extendatur ; vt de ex cognitione omnium creaturarum exiſtentium, non infertur comprehenſio ſcientiæ liberæ Dei, etiam prout libera eſt, & ſecundum id, quod addit ad ſcientiam neceſſariam.

Tertio reſpond. ad probationem ſequelæ.

Sed opponės ; ſtat comprehendi ſcientiam liberam ſub

139 conceptu liberæ terminationis, quin comprehendatur ſub conceptu actualitatis, & entitatis : ergo ſolutio tradita eſt nulla. Antecedens oſtenditur primo ; de facto comprehenditur à Deo, pro ſigno poſſibilitatis rerum, ſcientia libera ſub conceptu actualitatis, non comprehenſa ſub conceptu liberæ terminationis : ergo è contra poterit comprehendi ſub conceptu liberæ terminationis, quin comprehendatur ſub ratione actualitatis. Secundo, ſtat poſſe deficere à Deo ſub conceptu liberæ terminationis, quin deficiat, aut deficere poſſit ſub conceptu entitatis, & actualitatis : ergo pariter poterit comprehendi ſub conceptu liberæ, & defectibilis terminationis, quin comprehendatur ſub conceptu entitatis, & actualitatis. Et confirmabis : non minus eſt contra Dei perfectionem poſſibilitas deficiendi, quam eſſe comprehenſibilem ab intellectu creato ; ſed quod ſcientia libera potuerit Deo deficere ſub conceptu intrinſeco liberæ terminationis, contra Dei perfectionem non eſt : ergo pariter contra Dei perfectionem non erit ; quod ſcientia libera ipſius poſſit comprehendi ab intellectu creato ſub conceptu liberæ terminationis.

Opponet. Antecedens probatur 1.

Secundo.

Confirmatur, & probatur 3. antecedens.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam ; quia libera terminatio, pro ſigno poſſibilitatis, cognoſcibilis non eſt cum exiſtens pro illo ſigno, non ſit, nec aliquid cum illa, vt exiſtente connexum ; & ideo comprehendi poteſt pro tunc ſub conceptu actualitatis, non comprenſa nec cognita, ſub ratione liberæ terminationis, vt exercite exiſtentis ; at vero ſub hoc conceptu, nequit in aliquo ſigno cognoſci, in quo illius actualitas cognoſcibilis non ſit, & ideo comprehendi non poteſt ſub conceptu liberæ terminationis, non cognita ſcientia libera ſub ratione actualitatis. 140

Reſpond. ad 1. antecedentis probationem.

Ad ſecundam, conceſſo antecedenti nego conſequentiam ; ratio autem diſcriminis eſt : nam actualitas ſcientiæ liberæ Dei, non eſt intra ſphæram defectibilitatis ſub conceptu actualitatis ; & ideo defectibilitas, vel actualis defectus ſcientiæ liberæ ſub conceptu liberæ terminationis ; non eſt neceſſum extendi ad illius actualitatem ſub conceptu actualitatis, quia tamen ſub hoc conceptu continetur intra ſphæram cognoſcibilitatis liberæ terminationis, quæ circa cognoſcit nequit libera terminatio, prout ſic, illius actualitate non cognita, comprehendi nequit ſub ratione liberæ terminationis, non comprehenſe ſub conceptu actualitatis. Sicut in ſimili iſta conſequentia non valet: *De facto communicatur Filio natura, non communicata paternitate: ergo poterit videri natura paternitate non viſa* : quia, nempè, paternitas intra lineam cognoſcibilitatis eſſentiæ continetur, non tamen intra lineam communicabilitatis illius. Similiter iſta conſequentia non tenet : *Poteſt de eſſe Filio paternitas, quin ei diuina eſſentia non competat : ergo poterit videri paternitas diuina eſſentia non viſa*. Et ex his ad confirmationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam : quia ſtat defectibilitas liberæ terminationis ſub conceptu terminationis, cum indefectibilitate eiuſdem ſub conceptu actualitatis, non ſic de comprehenſione, & ideo illius defectibilitas ſub conceptu liberæ terminationis imperfectionem non arguit in Deo ; benè vero illius comprehenſibilitas ab intellectu creato. 141

Ad ſecundam.

Ad confirmationem reſp.

---

§. VI.

Cætera argumenta ſoluuntur.

SEcundo arguitur ; anima Chriſti Domini non cognouit in Verbo ipſam viſionem beatificam : ergo non cognouit omnia exiſtentia. Antecedens oſtenditur primo ; obiectum namque petit eſſe prius prioritate naturæ, cognitione ſui ; ſed nihil poteſt eſſe prius ſe ipſo prioritate naturæ ; aliàs ſe ipſum cauſaret, quod implicat, cum inter cauſam, & effectum debeat eſſe realis diſtinctio : ergo per viſionem rerum in Verbo, non cognouit ipſam viſionem beatificam. Secundo ; nam ſi viſio beatifica eſſet ſui ipſius cognitio, etiam eſſet cognitio ſuæ durationis æternæ, & decreti, quod Deus ſtatuit, illam conſeruare in æternum ; ſed hoc eſſe nequit : ergo anima Chriſti non cognouit in Verbo ipſam viſionem beatificam, nec iſta poteſt eſſe ſui ipſius cognitio. Probatur minor ; ſi eſſet cognitio iſtius decreti, & ſuæ perpetuæ durationis, repugnaret illi eſſentialiter deſinere eſſe, vel anihilari à Deo : conſequens eſt falſum ; non enim eſt debilis creaturæ, cui eſſentialiter repugnet, redigi in nihilum Deo ſuſpendente concurſum : ergo viſio beatifica non poteſt eſſe cognitio decreti ſtatuentis illius conſeruationem in æternum. Probatur ſequela ; viſioni beatificæ conuenit eſſentialiter veritas illique eſſentialiter repugnat falſitas ; ſed ſi cognita per illam, ſui perpetua duratione, non in perpetuum duraret, deſineret eſſe vera : ergo ſi eſt cognitio ſuæ durationis perpetuæ, repugnat illi eſſentialiter anihilari vel deſinere eſſe. 142

Secundo arguitur. Antecedens probatur 1.

Secundo.

Confirmatur primo : viſio beatifica non poteſt eſſe cognitio cognitionis reflexæ ſui habitæ per ſcientiam infuſam : ergo non eſt omnium exiſtentium cognitio. Probatur antecedens ; non ſtat inter duo mutua cauſalitas in eodem genere infimo cauſæ ; ſed ſi eſſet cognitio 143

Confirmatur 1.

ſitu cognitionis reflexæ, iam daretur inter illas mutua cauſalitas in eodem genere inſimo cauſæ, nempè, in genere cauſæ obiectiuæ; cum obiectum ſpecificet ſui cognitionem, & viſio beata eſſet obiectum ſuæ cognitionis reflexæ, & hæc eſſet obiectum illius: ergo non eſt cognitio ſuę cognitionis reflexæ.

144 *Confirmatur 2.* Confirmatur ſecundo, creaturæ præteritæ, vel futuræ, quarum exiſtentiæ decretum, non præceſſit decretum viſionis beatificę Chriſti, per illam non cognoſcuntur; ergo non omnia futura, præterita, & præſentia cognoſcuntur ab anima Chriſti in Verbo. Probatur antecedens; obiectum notitiæ intuitiuæ petit eſſe prius ipſa, ordine naturæ: ergo creaturæ decretæ exiſtere poſt decretum viſionis beatificæ Chriſti, per illam non cognoſcuntur.

Confirmatur 3. Confirmatur tertio; peccata futura, quorum permiſſio ſuppoſuit decretum viſionis beatificæ Chriſti per illam non cognoſcuntur: ergo idem quod prius. Antecedens probatur, non poteſt Deus decernere viſionem peccati futuri, quin prius permittat futurum: ergo peccata, quorum permiſſio decretum viſionis beatificæ Chriſti non præceſſit, non cognoſcuntur per illam. Probatur antecedens, ſi decerneret viſionem peccati ante ipſius permiſſionem, virtualiter vellet peccatum, cum ſine illo, viſio exiſtere non poſſit; at Deus non poteſt virtualiter velle peccatum: ergo nec decernere viſionem peccati ante ipſius permiſſionem.

Confirmatur 4. Denique confirmatur; eſto abſolutè poſſit prius decerni viſio peccati, quam ipſius peccati permiſſio, connaturaliter tamen non poteſt; eſt enim connaturalius, prius decernere obiectum, vel illius permiſſionem, quam obiecti viſio decernatur: ergo peccata poſt decretum iſtius viſionis permiſſa, non ſunt obiectum illius, nec per illam cognoſcuntur.

145 *Viſio beata, & cognitio reflexa ipſius fuerunt ab anima Christi cognita in Verbo.* Hoc argumento quidam Recentiores conuicti, negant viſionem beatificam fuiſſe in Verbo ab anima Chriſti cognitam, & ſimiliter cognitionem reflexam ipſius viſionis beatificæ; ac deinque illa obiecta, quorum decretum ſuppoſuit in ordine prædeſtinationis diuinæ decretum viſionis beatificæ animæ Chriſti. Ita Philippus Moncæus in ſelectis *diſp.* 1. *cap.* 12. & Cardinalis Lugo in *præſenti diſp.* 19. quos alij Recentiores ſequuntur. Leui tamen fundamento ad iſtam exceptionem ducuntur: ad illud reſpondeo, negando antecedens. *Ad argumentum reſp.* Ad primam probationem dicatur, veram eſſe maiorem de obiecto primario cognitionis illam in ſe terminante; falſam autem de obiecto ſecundario cognito in alio; hoc enim cum non ſpecificet actum, non eſt illa prius prioritate naturæ: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: non potuit per viſionem beatificam, *Ad 1. antecedentis probationem.* ipſa in ſe, & primario cognoſci, concedo conſequentiam: ſecundario, & in diuina eſſentia primario cognita, nego conſequentiam. Et quidem eodem argumento probaretur; Angelum naturali ſua cognitione ipſam cognitionem, vt poſſibilem, non cognoſcere; ac proinde ſe non comprehendere, cum ad rei comprehenſionem petatur, terminari in illa, vt cognita ad omne, quod in illa continetur perfectè, qualiter in Angelo ſui cognitionem contineri, negari non poteſt.

146 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, nego ſequelam: ad cuius probationem dicatur: viſioni beatificæ non competere eſſentialiter, terminari ad ſuę durationem, vt abſolutè perpetuam, ſed ſolum ex ſuppoſitione decreti liberi Dei, de illius perpetuitate; ac proinde ex eo, quod illi competat eſſentialiter veritas, & repugnet eſſentialiter falſitas, tantum infertur repugnare viſioni beatificæ deſitionem, ſeu annihilationem, non eſſentialiter, ſed tantum ex ſuppoſitione dicti decreti, quod inconueniens non eſt, ſed neceſſario admittendum. Vnde miror valde Recentiorem quemdam Societatis Theologum, hoc argumentum conuictum aſſeuerare auſum fuiſſe, poſſe de potentia abſoluta, viſionem beatificam falli, & ſolum connaturaliter illi repugnare eſſe falſam.

147 *Ad primam confirmationem reſp.* Ad primam confirmationem, nego antecedens: ad probationem, nego minorem: nam viſio beatifica ſpecificat ſui cognitionem reflexam, eo quod eſt obiectum primarium illius; non autem ſpecificatur ab illa, quia non in ſe ipſa, & primario, ſed ſecundario, & in alio, nempè, in Deo primario cognito, ſui cognitionem reflexam attingit.

Ad 2. reſpond. Ad ſecundam, nego antecedens: ad probationem conſtat ex dictis: obiectum enim primarium debet eſſe prius cognitione ſui, non autem ſecundarium obiectum: creaturæ autem non primario, ſed ſecundario per beatificam viſionem cognoſcuntur; ac proinde, quod poſterius decernantur, non obeſt, quin viſionem beatificam terminent. *Secundo.* Præterquamquod poteſt dici, cum poſterioritate decreti creaturarum futurarum in vno genere cauſæ ſtare poſſe prioritatem in alio, nempè, in genere cauſæ ſpecificantis. Et quidam cognitio diuina prior eſt poſſibilitate creaturarum, quam tamen cognoſcit: notitia etiam, ex qua Verbum procedit, prior eſt Verbo, & Spiritu Sancto, non prioritate *in quo*, ſed *à quo*; & tamen eſt illorum intuitiua cognitio: cum ex notitia intuitiua ſui, & Spiritus Sancti Verbum diuinū procedere, ſit frequentior Theologorum ſententia; notitia etiam practica effectiua entis rationis prior eſt ente rationis, & tamen ad illud terminatur. Quorum omnium ratio eſt, vel quia non ſemper prioritas obiecti ad ſui cognitionem exigitur, vel quia dato, quod exigatur, non repugnat cum prioritate in vno genere cauſæ, poſterioritas in alio.

Ad tertiam, nego antecedens: ad illius probationem, 148 *Ad tertiā confirmationē reſp.*
nego antecedens. Ad cuius probationem, nego maiorem: voluntas enim efficax alicuius, non eſt virtualis voluntas omnium, ſine quibus exiſtere nequit, ſi talia ſint, quod ad ſui exiſtentiam, non voluntatem poſitiuam, ſed tantum permiſſiuam expoſcant, vt multis oſtendimus 1. p. *tract. de Prædeſtinat.* q. 23. *art.* 2. peccatum autem videndum, ſine cuius exiſtentia viſio beatifica non terminaretur ad illud, non requirit, vt exiſtat voluntatem Dei poſitiuam, ſed tantummodo permiſſiuam; ac proinde decretum efficax viſionis peccati, vt futuri, eſto illius permiſſionem præcedat, non eſt virtualis voluntas exiſtentiæ peccati, ſed permiſſionis illius, qua poſita ex parte Dei, infallibiliter peccatum exiſtet, non à Deo, ſed à nobis. Et quidem complacentia alicuius rei perfecta, eſt virtualis complacentia illorum, quibus nequit exiſtere, ſi capacia ſint complacentiæ; & tamen complacentia perfecta Dei de viſione peccati, non eſt virtualis complacentia in exiſtentia peccati, quia non eſt capax terminandi complacentiam diuinam. Pariter ergo in præſenti. Contra quam ſolutionem plura obſtant, quæ tamen non ſunt huius loci, ſed ſpectant *ad tract. de Prædeſtin.* vbi omnibus fuſiſſimè occurrimus.

Ad vltimam confirmationem, nego antecedens: ſi viſio 149 *Ad vltimam.*
talis ſit conditionis, vt poſſit eſſe finis, permiſſionis peccati, qualis eſt viſio beatifica Chriſti. Vel ſecundo, diſtinguo antecedens: illudque permitto, ſi viſio ad peccatum terminetur primario; nego autem ſi ſecundario ſolum ad illud terminetur, & nego conſequentiam; nam viſio peccati in Verbo, non primario, ſed ſecundario ad peccatum terminatur.

Tertio arguitur; anima Chriſti non cognoſcit per viſio- 150 *Tertio arguitur.*
nem beatificam in Verbo ſuos actus liberos futuros: ergo nec omnia exiſtentia. Probatur antecedens; ſi namque illos actus cognoſceret, non maneret Chriſtus liber in illorum elicientia; conſequens eſt falſum: ergo non cognoſcit Chriſtus per viſionem beatificam in Verbo ſuos actus liberos futuros. Probatur ſequela primo; id ex quo *Sequela probat. 1.* infertur infallibiliter actus, ſi in noſtra poteſtate non ſit, & exiſtentiam actus antecedat, tollit libertatem ab actu; cum inducat neceſſitatem antecedentem, ex qua libertatem lædi, eſt conſtans Theologorum ſententia; ſed ex viſione beatifica Chriſti ad ſuos actus, vt futuros terminata, infallibiliter infertur talium actuum ſuo tempore exiſtentia: & alias in libera Chriſti, vt hominis, poteſtate conſtituta non eſt, & iſtorum actuum exiſtentiam antecedit: ergo tollit libertatem à Chriſto in iſtorum actuum elicientia.

Secundo, qui non poteſt tollere antecedens bonæ conſe- 151 *Secundo.*
quentiæ, nec poteſt conſequens talis conſequentiæ impedire; ſed hæc eſt bona conſequentia: *Chriſtus videt ſuos actus, vt futuros: ergo tales actus erunt*; & voluntas Chriſti humana non poteſt antecedens vitare; cum talis viſio libera Chriſto non ſit: ergo nec poteſt conſequens impedire; ac proinde non poteſt non operari; ac cum impotentia negationis operandi, non ſubſiſtit in operando libertas: ergo cum terminatione viſionis beatificæ Chriſti ad proprios actus futuros, non ſtat liberè prædictos actus elicere.

Denique, vt alia omittamus, probatur ſequela; ſi ſup- 152 *Tertio.*
poſita exiſtentia viſionis terminata ad iſtos actus, tales actus non exiſterent pro tempore, pro quo tanquam futuri videntur, falſificaretur viſio; ergo ſi illa ſuppoſita poſſunt actus non exiſtere, poteſt viſio falſificari; ſi namque actualis negatio exiſtentiæ, ſuppoſita viſione exiſtentiæ, eſt actualis viſionis falſificatio, poſſibilis negatio exiſtentiæ actus viſi, illius viſionis ſuppoſita, erit poſſibilis viſio-

nia

nis falſificatio ; ſed non eſt voluntati Chriſti poſſibilis viſionis beatificæ falſitas : ergo nec eſt ei poſſibilis negatio exiſtentiæ actus viſi ſuppoſita illius viſione ; & conſequenter cum illa non ſtat in Chriſto libertas in ordine ad proprios actus futuros.

153 Confirm. Quod amplius confirmari poteſt ; nam ſi anima Chriſti ſuos actus liberos, vt futuros cognoſceret, ſequeretur, eſſe in illa ſcientiam mediam concedendam, conſequens nõ admittemus: ergo nec quod cognouerit ſuos actus liberos, vt futuros. Probatur ſequela primo : nam ſcientia media

Sequela probatur 1. dicitur, quæ non eſt *ſubiectiuè* libera ; benè tamen *obiectiuè* ; ſed ſi Chriſtus per viſionem beatificam ſuos actus liberos, vt futuros cognoſceret, eſſet illa cognitio libera *obiectiuè*, vtpote ad proprios actus liberos *obiectiuè* terminata, non tamen *ſubiectiuè* ; cum nullum actum liberum ſupponeret ex parte ſubiecti : ergo eſſet ſcientia media ;

Secundo. Secundo, & explicatur magis hoc ipſum ; adſtruentes ſcientiam mediam in intellectu diuino, in hoc illius eſſentiam conſtituunt, quod ex parte ſubiecti liberum decretum imperans, non ſupponat, *obiectiuè* tamen liberum decretum diuinum inuoluat ; at viſio animæ Chriſti, vt ad proprios actus liberos, vt futuros terminata, decreta libera Chriſti ſubiectiuè non ſupponit ; illa tamen obiectiuè inuoluit ; cũ ad ille terminetur : ergo eſt ſcientia media reſpectiuè ad animam Chriſti. Tertio, eo ipſo, quod

Tertio. actum liberum imperantem, non ſupponat, non eſt ſcientia libera Chriſto, & eo ipſo, quod illos obiectiuè inuoluat non eſt ſcientia, omnino neceſſaria Chriſto ; cum nõ extitiſſet, niſi ex ſuppoſitione, quod eſſet libere operaturus: ergo eſt media inter ſcientiam neceſſariam, & liberam ; & conſequenter verè, & propriè eſt ſcientia media.

Reſpondeo, negando, antecedens: ad probationem, ne-

154 Reſpondetur ad 3. argumentũ. Ad 1. probationẽ ſequelæ. go ſequelam. Ad cuius primam probationem, diſtinguo maiorem: ſi libertatem actus non connotet, inferat, & inuoluat, concedo maiorem : ſi libertatem actus connotet, illam inferat, & inuoluat *obiectiuè*, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam : quia viſio beatifica Chriſti, terminata ad ſuos actus futuros, etſi illos antecedat, & in Chriſti libera poteſtate non ſit, inuoluit tamen *obiectiuè*, ſolum ſubſtantiam actuum, verum etiam libertatem illorum, eamque connotat, & infert, & ideo libertatem prædictorum actuum, non deſtruit. Et

Inſtatur argumentum multipliciter. inſto argumentum in ſcientia diuina Chriſti, quæ actus humanitatis, vt futuros cognoſcebat in illius poteſtate non erat ; & tamen libertatem prædictorum actuum non impediuit. Inſto etiam in præcepto Chriſto impoſito, quod ab illius poteſtate libera fuit independens, & actum adimpletiuum præcepti infallibiliter intulit ; & tamen libertatem illius actus non abſtulit. Item, in ſcientia increata Dei, quæ ab æterno cognouit, quid Deus in tempore eſſet facturus ; & tamen non tollit, quin in tempore libere ſuos effectus operetur. Similiter argumentum factum inſtantiam patitur in cognitione illa Petri, qua aſſenſum præbuit diuinæ reuelationis de trina negatione futura ; & tamen quamuis infallibiliter negationes illas inferret, & in Petri libera poteſtate non extiterit, impedimentum non fuit, illius libertatis in negando. Imo reuelatio Dei vera non extitiſſet, niſi libere negaſſet: quæ omnia ideo vera ſunt, quia quamuis infallibiliter inferant, antecedenter ſe habeant, & libere non conueniant ; connotant tamen *obiectiuè*, inuoluunt, & inferunt, non ſolum ſubſtantiã actuum, verum etiam modum libertatis illorũ.

155 Ad ſecundam. Ad ſecundam probationem, diſtinguo maiorem : non poteſt impedire conſequens potentia conſequenti ; & vitatione conſequentis cum antecedentis veritate compoſita, vel in ſenſu compoſito, concedo maiorem : potentia antecedenti, & vitatione conſequentis ſumpta *diuiſiuè* e veritate antecedentis, vel in ſenſu diuiſo, nego maiorem : & conceſſa minori, diſtinguo conſequens, diſtinctione maioris ; nec ſequitur cum viſione Chriſti ſui actus futuri, libertatem non componi ; nam ad libertatem in actu ſufficit potentia antecedens ad illius negationem, ſeu potentia ad illam in ſenſu diuiſo, & hanc habet Chriſtus, etiam viſione ſuppoſita : nam licet non poſſit ad negationem actus, vt componendam cum viſione actus futuri, habet tamen potentiam ad negationem actus *diuiſiuè*, hoc eſt ſecundum ſe inſpectam, & præciſiuè à ratione coniunctionis cum viſione actus futuri ; inſtoque omnibus exemplis adductis.

156 Ad tertiũ. Ad tertium, conceſſo antecedenti, nego conſequentiã, quæ etiam in adductis exemplis manifeſtam habet inſtantiam, & inſuper in hac conſequentia : *Negatio conſenſus, prædiffinitione, & diuina ſcientia de illius futuritione ſuppoſitis, eſſet prædiffinitionis fruſtratio, & diuinæ ſcientiæ falſificatio ergo negatio poſſibilis conſenſus, ſcientia Dei, & prædiffinitione de illius futuritione ſuppoſitis, eſt poſſibilis fruſtratio prædiffinitionis, & falſificatio ſcientiæ* : in qua antecedens è nullo poteſt negari. Et ratio omnium eadem eſt, quia nempè, in antecedenti ſit ſenſus compoſitus, cum in actuali in exiſtentia negationis præciſio ab accidentibus dari non poſſit, quorum vnum eſt coniunctio cum ſcientia, & prædiffinitione ſuppoſitis ; in conſequenti autem ſit ſenſus diuiſus ; nam negatio, vt terminus potentiæ, vel negatio ſumpta, vt poſſibilis, poteſt ſumi *præciſiuè* ab accidentibus, quæ illam, vt hic, & nunc exiſtentem, neceſſario comitarentur ; & conſequenter poteſt ſumi *diuiſiuè* à coniunctione cum ſcientia, prædiffinitione, & viſione actus futuri, qualiter accepta, falſificatio ſcientiæ diuinæ, aut viſionis Chriſti adhuc poſſibiliter non eſt, nec poſſibilis prædiffinitionis fruſtratio. Vel claritatis gratia poteſt conſequens diſtingui : poſſibilis negatio actus viſione actus præſuppoſita, vt componibilis cum viſione actus, eſt falſificatio poſſibilis viſionis, concedo conſequentiam : negatio actus, vt poſſibilis præciſiuè a coniunctione cum viſione actus præſuppoſita, nego conſequentiam : quod ad libertatem ſufficit, nec falſitatem viſionis beatificæ, vt ad actũ futurum terminatæ, vt poſſibilem infert. Sed de his plura 1. *p.* q. 14. *art.* 13. q. 19. *art.* 8. q. 23. *art.* 4. & *tractatu de auxilijs*, vbi multa, quæ contra doctrinam iſtam poſſunt opponi facili negotio à diſcipulis D. Thom. ſoluuntur, Noſque in allegatis locis diluimus, ac deniq; infra *tract. de merito Chriſti*, eius impeccabilitatem cum præcepto moriendi ſibi impoſito componentes fusè explicabimus.

Vnica tamen ſupereſt obiectio, quæ contra doctrinam 157 Inſtabis.
iſtam peculiariter obſtare videtur ; vt enim libere operetur voluntas requiritur potentia expedita ad negationem actus, vt coniungibilem cum omni, quod ex parte actus primi ſe tenet, etſi non requiratur potentia ad negationẽ actus, vt componibilem cum omni concurrente per modũ applicationis ad actum ſecundum, quo circa cum præmotione phyſico ad actum, & illius prædiffinitione efficaci ſaluatur libertas in actu, quia adeſt in voluntate facultas ad coniungendam negationem actus prædiffiniti, cum ſe tenentibus ex parte actus primi, licet non vt coniungendam, vel coniungibilem cum prædiffinitione efficaci, & phyſica prædeterminatione applicatiue ad actum concurrentibus, non per modum actus primi : cum iudicio autem neceſſario non ſubſiſtit in voluntate libertas, quia non habet poteſtatem ad negationem actus coniungendam cum tali iudicio, quod ex parte actus primi ſe tenet ; et viſio beatifica humanitatis Chriſti terminatæ ad illius actus futuros, ex parte actus primi ſe tenet : ergo vt humanitas libere prædictos actus eliciat, requiritur in illa facultas ad negationem actuum, vt coniungibilem cum viſione talium actuum, cumque huiuſmodi facultas in Chriſti humanitate non detur ; aliàs poſſet illius falſitatem inducere. Conſequens fit quod cum viſione ſuorum actuum futurorum non ſaluetur libertas in illorum elicientia. Probatur minor ; iudicium regulans actum, & illius obiectum proponens, ex parte actus primi ſe tenet ; cum non ſit voluntas ad operandum per modum actus primi completa ante obiecti propoſitionem, ſicut nec intellectus eſt in actu primo completus ante ſpeciem impreſſam illum determinantem ad actum ; ſed viſio beatifica concurrit ad operationes Chriſti proponendo obiecta *regulatiue*, ſaltem ad actum charitatis, quem etiam vt liberum regulari à ſcientia beata docent frequentius Thomiſtæ: ergo ex parte actus primi ſe tenet ; & conſequenter ad libertatem voluntatis Chriſti in actu charitatis requiritur facultas expedita ad negationem actus charitatis, vt coniungibilem cum viſione beatifica.

Huic obiectioni reſponderi poteſt primo, negando 158
maiorem, intentio namque efficax ex parte actus primi Reſp. 1.
ſe tenet reſpectu electionis ; & tamen quamuis vnum tantum ſit medium eligendum, libertatem electionis nõ tollit tametſi illam efficaciter inferat. Imperium etiam ex parte actus primi ſe tenet reſpectu actus voliſitatis, qui dicitur *vſus*, illumque efficaciter infert ; & tamen illius libertatem non impedit. Ac denique præceptum, vt cognitum, ex parte actus primi ſe tenet reſpectu actus obedientiæ, quem infallibiliter in humanitate Chriſti inferebat ratione impeccabilitatis ſuppoſitæ, & tamen libertatem in obediendo non abſtulit. Auxilium etiam efficax in plurium Thomiſtarum ſententia, non ſolum applicatiue,

ſed

166 *Contra illam opponunt Recentiores.* Sed contra iſtam ſolutionem obijciunt Recentiores Theologi: nam viſio beatifica humanitatis Chriſti non eſt ordinis ſuperioris ad beatificam viſionem hominum, & Angelorum, ſed eiuſdem ordinis cum illa: ergo ex ratione ſuperioritatis in ordine, non ſequitur poſſe æquiualere infinitis viſionibus hominum, & Angelorum. Hæc tamen impugnatio omnino inefficax eſt. Tum, quia Auctor, cuius argumentum Caietanus ſoluebat, loquebatur de infinitis cognitionibus ſpecifice diſtinctis, ac proinde non in Verbo, ſed in ſe ipſis ad creaturas terminatis; nam reſpectu creaturarum in Verbo non dantur cognitiones ſpecifice diſtinctæ; at reſpectu iſtarum cognitionum ſuperioris ordinis eſt viſio beatifica; nam licet cum illis in ordine ſupernaturali conueniat, viſio tamen beatifica eſt in ordine ſupernaturali *terminatiuè* increato, illæ vero cognitiones ſunt in ordine ſupernaturali creato *ſubiectiuè, & obiectiuè*: ergo impugnatio facta ſolutionem Caietani non eneruat. *Non vrget impugnatio, & reijcit. 1.*

167 *Secundo.* Secundo; nam licet viſio beatifica humanitatis Chriſti non ſit ordinis ſuperioris ſpecifice ad beatificas viſiones hominum, & Angelorum, eſt tamen in doctrina Caietani ordinis ſuperioris ad illas indiuidualiter, ſicut de gratia Chriſti docetur à D. Th. *ſupra q. 7. art. 11. ad 3.* quod ſit ſuperioris ordinis ad gratiam in puris hominibus repertam, ob quam cauſam quantumuis alterius hominis gratia magis, ac magis augeatur, nunquam poteſt ad quantitatem gratiæ Chriſti peruenire, vt ibidem docet Angelicus Doctor; ſed non minus poteſt indiuiduum ſuperioris ordinis æquiualere infinitis indiuiduis ordinis inferioris, quam ſpecies ſuperioris ordinis ſpeciebus ordinis inferioris: ergo poterit viſio beatifica Chriſti æquiualere infinitis viſionibus hominum, & Angelorum.

168 *Aliter impugnatur Caietani ſolutio.* Vrgentius tamen contra Caietani ſolutionem poteſt inſtari: nam ex illa ſequitur, poſſe ratione ſolius ſuperioritatis in ordine æquiualere viſionem Chriſti beatam omnibus cognitionibus omnium poſſibilium in Verbo; conſequens eſt falſum: ergo & ſolutio Caietani. Sequela patet à paritate rationis: falſitas autem conſequentis probatur: nam ſequeretur vlterius, cognouiſſe omnia poſſibilia in Verbo, quod eſt contra hucuſque tradita, & à Caietano admiſſa. Patet ſequela: omnes cognitiones poſſibiles omnium poſſibilium in Verbo terminantur in diuina eſſentia cognita ad omnes creaturas poſſibiles: ergo ſi viſio beatifica Chriſti omnibus illis æquiualeret, eſſet omnium poſſibilium cognitio.

169 *Ad 2. probationem maioris reſpōdet. M. Zipp.* Magiſter Zippullus *in præſ. art. 3.* poſtquam ſolutionem Caietani, & aliorum impugnauerat, reſpondet ad ſecundam maioris probationem, negando maiorem: quia bene poteſt aliquod finitum æquiualere infinitis, non ſolum ſi illud finitum ſuperioris ordinis ſit, vt conſtat in Gabriele æquiualente, imo, & in perfectione excedente infinita indiuidua materialia, verum etiam ſi eiuſdem ordinis ſit, dummodo adæquetur cum alio, in quo infinita continentur, vt conſtat in quantitate palmari, quæ æquiualet infinitis partibus proportionalibus contentis in alia quantitate palmari, quia adæquatur cum quantitate palmari partes illas continente: quia ergo viſio beatifica Chriſti adæquatur cum cauſa creata, in qua infinitæ cognitiones prædictorum poſſibilium, nempè cogitationum, quæ in æternum, ſine, ſine ſuccedent; conſequens ſit, quod poſſit quantumuis finita ſit, infinitis cognitionibus illorum poſſibilium æquiualere.

170 *Reijcitur.* Hæc tamen doctrina non placet; quantitas enim palmaris, ideo æquiualet infinitis partibus proportionalibus alterius quantitatis palmaris: quia ipſa etiam in ſe infinitas partes proportionales continet, & quia partes proportionales, cum ſe inuicem contineant extenſionem non addunt, nec infinitam extenſionem continent; viſio autem beatifica Chriſti non continet in ſe infinitatem illarum cognitionum, quibus æquiualere defenditur, & aliàs vna cognitio ſupra aliam, determinatam addit perfectionem: ergo exemplum, cui innititur doctrina ſolutionis illi non fauet.

171 *Vera ſolutio.* Quare his omiſſis, ad ſecundam probationem maioris, reſpondeo, diſtinguendo maiorem: non poteſt cognitio finita infinitis æquiualere quoad illarum perfectionem, concedo maiorem: quantum ad terminationem, ſubdiſtinguo maiorem: ſi illarum infinita perfectio ex meritis obiecti petatur, concedo maiorem: ſi tantum permittatur, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam multitudo infinita cognita per viſionem beatificam humanitatis Chriſti; non petit, ſed permittit infinitudinem cognitionum, quæ ad ſingula illius multitudinis obiecta terminari poſſunt; cum cognoſci poſſint ſigillatim, & ſeorſim ab alijs; vel vnum ſimul cum alio, & cognita hoc ſecundo modo non petant infinitam multitudinem cognitionum, ac proinde viſio beatifica Chriſti terminari poterit ad totam illam multitudinem, abſque eo quod æquiualeat infinitis cognitionibus illorum poſſibilium ſigillatim quantum ad illarum perfectionem.

172 *Ad 3. probationem maioris reſpond. Caiet.* Ad tertiam maioris probationem, Caietanus 1. *p. q. 12. art. 10. ad ſecundum argum. Scoti*, reſpondet, negando conſequentiam; eo quod videre finita, aut infinita in Deo, non ſpecificat, aut per ſe modificat, aut quantificat viſionem Dei, ſed eius cauſa, ſcilicet, perfectius, aut imperfectius videre Deum; Nec ſequitur, videt adeo perfectè, vt videat infinita: ergo videt infinitè, quoniam viſis infinitis vnius ordinis, reſtant infinita alterius ordinis, & nunquam omnia videri poſſunt. Hæc Caietanus, cuius ſolutionem ſequitur Magiſter Aluar. *in præſenti diſp. 56. ad primum argumentum*; vbi ait, cum obiecta in ſe ipſis immediate cognoſcuntur per proprias ipſorum ſpecies, quo plura ſimul, & diſtinctè cognoſcuntur, eo eſſe perfectiorem cognitionem; ac proinde ſi infinita cognoſcantur, conſequenter ad iſtam doctrinam erit infinita cognitio, non autem quando ſunt obiecta ſecundario cognita in alio obiecto prius cognito; tunc enim perfectio cognitionis non creſcit iuxta numerum obiectorum, quæ ſecundario attinguntur, eo quod materialiter comparantur ad illam, ſed ex modo perfectiori, quo obiectum primario cognitum penetratur, & quia anima Chriſti Domini non videt infinitas cogitationes in ſe ipſis immediate, ſed in eſſentia diuina tanquam in obiecto primario, quam finito modo attingit; conſequens ſit, quod vt infinitas cogitationes cognoſcat, non requiratur infinitas cognitionis. *Magiſter. Aluar.*

173 *Solutio Caiet. nō eſt vndequaque ſufficiens. Reijcit. 1.* Hæc ſolutio veriſſima eſt, ſi de infinitate eſſentiali cognitionis intra lineam cognitionis procedat; nam cum eſſentia cognitionis, non à ſecundario obiecto, ſed à primario ſumatur, ex ipſo, quod hoc, vel finitum ſit, vel quamuis ſit infinitum, finito modo attingatur, cognitio erit finita ſecundum eſſentiam, eſto obiecta ſecundario cognita in numero ſint infinita. Si autem de infinitudine intenſiua loquatur, niſi amplius explicetur non ſufficit; quamuis enim obiecta ſecundario cognita in Deo, non dent ſpeciem cognitioni, quo tamen plura cognoſcuntur, eo intenſius Dei eſſentia penetratur, vt vidimus §. 2. & 3. fateturque Caietanus 1. *p. q. 12. art. 8.* & Aluar. *in ſolutione ad 2.* ex quo intulimus non poſſe omnia poſſibilia in diuina eſſentia videri, niſi cognitione infinita per eſſentiam, adæquateque Dei eſſentiam penetrante: creſcat ergo intenſio viſionis Dei iuxta numerum obiectorum, quæ ſecundario attinguntur, etſi non à priori, bene tamen à poſteriori; & conſequenter reſtat rationem reddere, vt argumentum ſoluatur, cur ſi ad plura ſecundario cognoſcenda exigitur intenſior diuinæ eſſentiæ cognitio, ad infinita cognoſcenda ſecundario, non requiratur cognitio intenſionis actu infinitæ. *Intenſio viſionis Dei creſcit iuxta numerum obiectorū etiam ſecundario cognitorū in ipſa.*

174 *Confirmatur 1.* Et augetur difficultas; quia namque ad plura obiecta eſſentialiter diſtincta in ſe ipſis cognoſcenda requiritur cognitio eſſentialiter perfectior, creſcitque eſſentialis cognitionis perfectio ad numerum obiectorum, vt infinita iſto modo cognoſcantur, infinita cognitio ſecundum eſſentiam cognitionis requiritur, vt admittit Aluarez conſequenter ad ſolutionis doctrinam, ſed etiam creſcet, ſi non perfectio eſſentialis, bene tamen intenſio cognitionis creaturarum in Deo iuxta incrementum obiectorum, quæ ſecundario cognoſcuntur, quamuis non à priori, ſed à poſteriori: ergo vt infinita obiecta iſto modo cognoſcantur, neceſſaria erit cognitio intenſionis infinitæ, niſi aliunde tradita ſolutio innotet. Explicatur; & vrgetur ſecundo, etſi creaturæ poſſibiles non quantificent ratione ſui à priori cognitionem ſui in Verbo, vt tamen omnes nulla dempta cognoſcantur, requiritur cognitio diuinæ eſſentiæ illi adæquata intenſiue; ergo ex hoc ſolum principio, quod multitudo infinita ſecundario cognita in Verbo, non ſpecificet, nec quantificet ſui cognitionem in Verbo, non probatur, quod non petat cognitionem intenſionis infinitæ. *Confirmatur 2.*

175 *Vera ſolutio.* Vnde hac ſolutione in ſua probabilitate relicta, vel ad ſubijciendam reducta, ad ſecundam maioris probationem reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: illa, quæ terminatur ad obiecta infinita cognita in cauſa finita, nego conſequentiam: in cauſa finita, vel finita eſſentia, non cognita, tranſeat conſequens: pro quo bene aduertit Zippullus *in præſenti art. 3. in ſolutione 3. obiectionis*, cogitationes futuras per totam æternitatem *Zippul.*

conſiderari poſſe dupliciter, vel prout exiſtentes in menſura æternitatis, vel ſub ratione poſſibilium: ſumptæ primo modo, quantumuis ſint infinitæ, infinitatem in ſui viſione non petunt, eo quòd non petitur maius lumen, nec ſimiliter perfectior cognitio ad rem cognitam, vt poſſibilem, cognoſcendam ſub exercitio exiſtentiæ. Vnde ſi et cognoſcantur ſub ratione poſſibilium, infinitum lumē, nec infinitam petunt cognitionem, nec illam ad ſui cognitionem expoſcunt, vt ſtans ſub exercitio exiſtentiæ. Sumptæ autem ſub ratione poſſibilium non cognoſcuntur in ſe, ſed in intellectu creato, in cuius virtute continentur, & qui non poteſt comprehenſiue cognoſci, ſine illarum cognitione. Vnde cum ad comprehenſionem intellectus creati, non requiratur infinita cognitio; conſequens fit, quod neque etiam requiratur ad cognoſcendas infinitas cogitationes poſſibilium.

176 *Inſtabis 1.* Sed oppones primo; poſſunt cogitationes hominis immediatè in diuina eſſentia cognoſci, abſque eo quod medie intellectus creatus, vt medium ſecundarium ad illarum cognitionem; at in iſto caſu cognitio talium cogitationum erit neceſſario infinita, cum ſit de infinitis obiectis, non cognitis in cauſa creata, ſed in cauſa diuina: ergo etiam ſi in cauſa creata, vt in medio cognoſcantur, poſtulabunt infinitam cognitionem. Patet conſequentia; nam cognitio illarum in intellectu creato, vt in medio ſecundario, non minus perfecta eſt, quam cognitio earum in ſola eſſentia diuina. *Secundo.* Secundo, nam licet cogitationes cognoſcantur in cauſa creata, cognitio duorum eſt perfectior cognitione vnius, & ſic deinceps, quo plures cognoſcuntur in illa, eo eſt perfectior cognitio: ergo per argumentum calculatorium infertur ad infinitas, etiam in cauſa creata cognoſcendas, infinitam cognitionem requiri. *Tertio.* Denique; nam ſequitur ex hac ſolutione, poſſe omnia poſſibilia in diuina eſſentia cognoſci per cognitionem finitam; conſequens eſt falſum: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela; poſſunt ſingula poſſibilia in cauſis creatis cognoſci; ſed cognitio infinitorum habita in cauſa finita, non eſt neceſſario infinita: ergo poſſunt omnia poſſibilia in diuina eſſentia cognoſci per finitam cognitionem, ſi vera eſt noſtra ſolutio.

177 *Ad 1. inſtantiam reſpond.* Reſpondeo ad primam inſtantiam, conceſſa, permiſſa maiori, negando minorem; nam diuina eſſentia eſt medium ad illarum cognitionem, prout continet eminenter cauſam illarum creatam. Vnde ſicut cognitio illarum cogitationum habita in cauſa creata, non eſt perfectionis infinitæ: ita nec cognitio earundem habita in eſſentia diuina. Quod ſi admittamus poſſe in diuina eſſentia cognoſci, non conſiderata, vt eminenter cauſam illarum continente; adhuc nihil contra ſolutionem infertur; nam cognitio talium cogitationum in intellectu creato, & diuina eſſentia, vt eminenter illum continente, perfectior eſt cognitione earundem cogitationum in diuina eſſentia immediatè, abſque reſpectu ad intellectum creatum; ac proinde ſi illa prior, infinitæ perfectionis non eſt, pariter nec ſecunda cognitio infinitæ perfectionis erit.

178 *Ad ſecundam.* Ad ſecundum, diſtinguo antecedens: quo plures cognoſcuntur, eo eſt perfectior cognitio intra limites perfectionis finitæ eſſentialiter, & gradualiter, concedo antecedens: ſine hac limitatione, nego antecedens, & conſequentiam; vt enim liceret inferre per calculationem infinitam perfectionem, neceſſarium eſt arguere ſine prædicta limitatione. Ratio autem illius, quoad præſens attinet, eſt; nam tota latitudo effectuum cognoſcibilium in cauſa, non poteſt ad ſui cognitionem exigere perfectionem non exactam a cauſa ad ſui comprehenſionem; cum ergo cauſa creata, quia eſt cognoſcibilitatis finitæ, non poſſit ad ſui comprehenſionem, infinitam perfectionem eſſentialem, vel gradualem exigere; conſequens fit, quod quamuis vnius cogitationis cognitio aliquam perfectionem expoſcat, & duarum cognitio petat perfectionem maiorem, & quo plures cognoſcuntur, eo petant maiorem perfectionem, ſemper reſtringendum ſit ad limites perfectionis finitæ, finitudine eſſentiali, & etiam graduali.

179 *Vrgebis.* Si dicas, peti in hac ſolutione principium: nam aduerſarij contendunt obiectorum infinitudinem exigere infinitam cognitionis perfectionem, ſicut aliorum pluralitas petit cognitionem perfectiorem; ac proinde recurrere ad cauſam finitam, in qua infinita obiecta cognoſcantur, videtur petitio principij. *Reſpōdet.* Reſpondeo, nihil minus ſequi, imo rationem à priori, & demonſtratiuam damus; nam effectus in cauſa contenti, non petunt perfectionem maiorem ad ſui adæquatam cognitionem, quam cauſa ad ſui comprehenſionem: ergo ſi infiniti effectus continentur in cauſa finita; cum hæc ad ſui comprehenſionem, infinitam cognitionis perfectionem non poſtulet; nec illam exigent infinita obiecta in tali cauſa contenta. Præterquam quod; ſi cauſa continens prædictos effectus, non petit ad illorum continentiam phyſicam, efficaciam, ſeu virtutem infinitam, pariter, nec ad illorum continentiam intelligibilem, infinitam intelligibilitatem requiret; ac proinde in illa finitè cognita, poterunt infiniti cognoſci, ſicut in illa entitatiuè finita eſſentialiter, & gradualiter, infiniti continentur continentia entitatiua.

Ad 3. inſtantiam. Ad tertiam, nego ſequelam; quia intra lineam poſſibilium, non ſolum continentur infinities infiniti effectus cauſarum ſecundarium, ſed etiam infinities infinitæ cauſæ non cauſabiles, niſi a Deo; ac proinde cum cauſæ infinities infinitæ, non poſſint in aliquo creato cognoſci, nec omnia poſſibilia, poſſunt in diuina eſſentia per finitam cognitionem cognoſci.

---

§. VII.

Statuitur tertia concluſio, & argumentis in contrarium occurritur.

181 *Tertia concluſio. Negatio alterius mundi v. c. pro poſteriori ad decretum dei. le non producendo, habet in exiſtentiam gratuitam. Promo ſe cognoſci a Deo per ſcientiam liberam viſionis, & talis negatio eſt ens reale negatiuum.*

TERTIA CONCLVSIO. *Anima Chriſti per beatificã viſionem cognoſcit contingentes negationes omnium rerum poſſibilium, etiam in particulari, non vero negationes neceſſarias.* Ante cuius probationem aduerto, ex his quæ docui *Tract. de Scientia Dei Diſp.* 3. negationes rerum poſſibilium v. c. negatio exiſtentiæ alterius mundi poſſibilis conſiderari poſſe dupliciter; vel prout pro priori ad omne decretum Dei habent rationem poſſibilium: vel pro poſteriori ad decretum Dei liberum, quo ſtatuit illas non producere, ſed intra ſtatum puræ poſſibilitatis relinquere, qualiter iam habent exiſtentiam ſuo modo, videlicet, negatiuam, cuius tantum ſunt capaces. Secundo ex ibidem dictis aduerto, hoc ſecundo modo inſpectas, cognoſci a Deo per ſcientiam viſionis liberam, eo quod cognoſcuntur, vt habentes exiſtentiam remotiuam; quia licet ſint nihil, vt nihil opponitur enti reali poſitiuo, ſunt tamen aliquid reale negatiuum, & remotiuum, & exiſtens ſuo modo.

182 *Prima pars concluſionis probatur 1. ex D. Th.* His poſitis, primam partem concluſionis, probo primo ex D. Th. q. 20. *de Veritate art.* 4. *ad* 9. 3. *ad Annibald. diſt.* 14. *q. vnic. art.* 2. *ad* 1. *ex argumentis factis ſecundo loco, & in præſenti art.* 3. *ad* 3. In quibus locis poſtquam determinauerat, animam Chriſti in Verbo, ſcire omnia, quæ ſcit Verbum ſcientia viſionis, non autem omnia, quæ ſcit Verbum ſcientia ſimplicis intelligentiæ, cum ſibi obiecisſet, ſequi ex hoc ſcientiam animæ Chriſti æquari diuinæ ſcientiæ viſionis. Reſpondet, concedendo æquari cum diuina ſcientia viſionis, quoad numerum ſcibilium, non in modo claritatis, & ſimplicitatis, & ideo non æquari cum diuina ſcientia abſolutè, quia quantitas perfectionis in ſcientia præcipuè attenditur penes modum efficaciæ, & claritatis. Ex qua doctrina tale argumentum conficio; eſt iuxta D. Thom. Scientia beata humanitatis Chriſti; eſt æqualis cum ſcientia libera viſionis, quam Deus habet rerum in ſe ipſo, quantum ad numerum ſcibilium, & ſolum eſt illi inferior in modo claritatis, & efficaciæ; ſed Deus in ſe ipſo, non ſolum videt entitates poſitiuas exiſtentes, ſed etiam omnes negationes exiſtentes, præteritas, & futuras: ergo has omnes cognoſcit anima Chriſti per beatificam viſionem in Verbo.

183 *Confirmatur.* Quod amplius confirmo; nam ſi D. Thom. ſentiret animam Chriſti in Verbo non cognouiſſe omnes rerum negationes, quas tamen Deus in ſe ipſo cognoſcit per ſcientiam viſionis, petita eſſet argumenti ſolutio, negando ſequelam: quia licet cognoſceret omnia entia poſitiua, à Deo per ſcientiam viſionis cognita, non tamen cognoſceret negationes omnes cognitas à Deo per ſcientiam viſionis; at D. Th. ſic argumentum non ſoluit, ſed ad inæqualitatem in modo cognoſcendi recurrit, vt ſolueret argumentum: ergo ſentit manifeſtè in alijs, præterquam in modo, æqualitatem ſcientiæ liberæ viſionis Dei; & conſequenter etiam ſentit animam Chriſti per beatificam viſionem in Verbo omnium rerum negationes cognoſcere.

Secun-

Secundo probatur; nam Chriſto Domino eſt conceden-
184 *Secundò probatur ratione.* da omnis perfectio, ſiue dignitas poſſibilis non repugnans cum vnione hypoſtatica, nec cum viſione beatifica, nec cum alia maiori perfectione, ſed intuitiua iſtarum omniũ negationum cognitio, eſt aliqua dignitas, & perfectio; aliàs eſt poſſibilis, & nulli alteri maiori perfectioni repugnans: ergò omnes iſtas negationes cognoſcit intuitiuè anima Chriſti per beatificam viſionem in Verbo. Conſequutio eſt in forma. Minor pro prima, & tertia parte probatione non indiget; & pro ſecunda ex argumentorum ſolutione conſtabit. Maior autem conſtat ex dictis ſupra *quæſt. 7. art. 1. 1. & q. 9. art. 2. diſput. 31.* vbi ex hoc principio intulimus, quod ſi non repugnaret gratia intenſiuè infinita, eſſet humanitati Chriſti attribuenda. Et ſimiliter, quod ſi non repugnaret, intellectum creatum per intellectionem increatam intelligere, de facto anima Chriſti Domini per illam intellexiſſet.

185 *S. Thom.* Et præterea probatur primo ex D. Thom. *quæſtione 20. de veritate art. 5. ad 5.* vbi cum ſibi oppoſuiſſet, id quod non dicit defectum in Deo communicante, nec in eo, cui communicatur, eſſe animæ Chriſti attribuendum, omnium autem poſſibilium cognitio eſt iſtius conditionis: ergo eſt animæ Chriſti attribuenda. Reſpondet: *Ad 5. dicendum, quod ponere animã Chriſti cognoſcere omnia, quæ Deus poteſt facere, importat defectũ ex parte ipſius Dei ſcilicet ipsũ Deũ comprehendi ab anima Chriſti, quod derogat infinitati eius:* ergo manifeſtè ſentit Angelicus Doctor, quidquid perfectionis non dicens defectum ex parte Dei, nec ex parte animæ Chriſti, vel perfectionis maioris, eſſe illi concedendum. Secundo probatur; nam ea, quæ humanitati Chriſti tribuuntur a Deo, communicantur ratione dignitatis illi à Verbo prouenientis; ſed hæc dignitas ſine termino eſt; & conſequenter extenditur ad omne, quod perfectionem importat: ergo omne, perfectionem dicens cum maiori perfectionem non pugnans, & in determinato gradu conſiſtens, eſt humanitati Chriſti attribuendum, ita vt potentia Dei abſoluta in ordine ad humanitatem dignificandam, & perficiendam, ordinaria ſit reſpectu humanitatis Chriſti, vtpotè illi debita ob ſui ſupremam dignitatem.

186 *Secunda pars concluſionis probatur.* Deinde ſecunda pars concluſionis probatur; etenim negationes neceſſariæ non poſſunt in decreto, ſed in omnipotentia cognoſci, non immediatè, ſed mediatè; at in omnipotentia omnes cognoſci, repugnat: ergo non fuerunt cognitæ ab anima Chriſti per beatificam viſionem. Maior pro prima parte conſtat. Tùm; quia cognoſcuntur à Deo per ſcientiam neceſſariam; & conſequenter pro priori ad omne decretum, quod autem anteuertit omne liberum decretum, non poteſt per illud, vel eo mediante cognoſci. Tùm etiam; quia quod eſt independens à libero decreto quoad eſſe, nequit illo mediante cognoſci. Pro ſecunda etiam parte non minus aperta videtur; eſt enim omnipotentia medium in quo Deus omnia neceſſaria cognoſcit. Quod autem non immediatè, ſed mediatè, ſcilicet, medijs entibus poſitiuis, vt poſſibilibus negationes iſtæ cognoſcantur, conſtat ex dictis ſupra §. 3. nam omnipotentia ſolum eſt medium cognoſcendi illa, quæ continet eminentialiter; ſed negationes iſtæ non continentur eminenter in omnipotentia; cum non ſint effectus illius, nec ab illa poſſint cauſari: ergo non cognoſcuntur in illa immediatè, ſed medijs entibus poſitiuis, quibus vniri, v. gr. ad chimeram conſtituendam repugnat, vt repugnantia, ſeu negatio poſſibilitatis exiſtendi chimeræ, ex capite Leonis, corpore Hominis, & cauda Serpentis conflatæ, medijs his extremis poſitiuis, quibus huiuſcemodi vnio, ſeu compoſitio repugnat, in diuina eſſentia cognoſcitur.

Negationes nõ cognoſcuntur in omnipotentia, vt in medio.

187 *Omne quod cognoſcitur in omnipotentia vt in medio viſo, debet cognoſci quidditatiuè, & non ſolum quoad an eſt.* Minor autem probatur; quæ namque in omnipotentia, vt in medio viſo cognoſcuntur, neceſſario debent cognoſci quidditatiuè, & non ſolum quoad *an eſt*; ſed non poſſunt omnes quidditatiuè in omnipotentia cognoſci: ergo omnes cognoſci in omnipotentia repugnat. Maior conſtat; nam omnipotentia eſt medium cognitionis aliorum extra Deum, vt connexa cum illis, & vt ſic, vel ſic penetrata; ſic autem cognita, illa repræſentat quidditatiuè; & conſequenter repugnat aliquid illa cognoſci, & non cognoſci quidditatiuè. Minor autem probatur; non ſtat repugnantiam, v. gr. chimeræ, ex prædictis extremis cognoſci quidditatiuè, niſi extremis repugnantibus quidditatiuè cognitis; non enim poteſt cognoſci quidditatiuè repugnantia vnionis inter Leonem, Hominem, & Serpentem, niſi naturæ illorum quidditatiuè cognoſcantur, & idem eſt de quouis alio repugnante dicendum: ergo vt negationes exiſtentiæ; ſeu poſſibilitatis entitatum repugnantium cognoſcantur quidditatiuè, omnia poſſibilia debent quidditatiuè cognoſci; at repugnat animam Chriſti Domini omnia poſſibilia quidditatiuè cognoſcere; cum ex hoc ſequatur comprehenſio omnipotentiæ, vt conſtat ex dictis: ergo non poteſt omnes negationes neceſſarias quidditatiuè cognoſcere.

188 *Contra 1. partem concluſionis argumentum 1.* Contra primam partem concluſionem objicies primo; nam ex illa ſequitur, cognouiſſe animam Chriſti per beatificam viſionem omnia poſſibilia in particulari; conſequentia conſtat primo ex communi Thomiſtarum doctrina aſſerentium, humanitatem Chriſti non cognouiſſe omnia poſſibilia in particulari. Secundo ex D. Thom. *in præſenti art. 2.* aſſerente cognouiſſe animam Chriſti Domini omnia, quæ ſcit Deus ſcientia viſionis, non autem omnia, quæ ſcit Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ; at ſi omnia poſſibilia in particulari cognoſceret, ſciret omnia, quæ ſcit Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ: ergo conſequens eſt falſum. S. Thom. Tertio ex eodem D. Thom. *q. 20. de Verit. art. 5. ad 4. argum.* vbi docet: *Quod ſicut non poteſt eſſe, quod ſit factum, quidquid Deus poteſt facere, quia ſic Deus feciſſet tot, quot non poſſet plura, & ſic omnipotentia eſſet limitata ad creaturas actu exiſtentes: ita non poteſt poni, quod alicui creaturæ ſit manifeſtatum, quidquid Deus poteſt facere, vel manifeſtare.* Verba ſunt D. Tho. ex quibus clarè videtur colligi implicationem inuoluere, quod Deus manifeſtet alicui creaturæ omnia poſſibilia in particulari; cum iam nihil aliud illi manifeſtare poſſet; & conſequenter illius vis manifeſtatiua penitus exhauſta maneret, quod non minus inconueniens reputat D. Thom. quam quod illius vis effectiua per actu exiſtentia, actuque producta exhauriatur.

Sequela autem ſic oſtenditur; non enim cognoſci poteſt negatio exiſtentiæ hominis v. c. non cognito homine, idem eſt de cuiuſuis alterius enti negatione dicendum; eo quod negatio eſſentialem habitudinem ad id cuius eſt negatio importat; implicat autem habitudinem cognoſci, niſi illius terminus cognoſcatur: ergo ſi anima Chriſti cognoſcit per viſionem beatificam negationes omnium rerum, quas Deus decreuit, non producere omnia pure poſſibilia in particulari cognouit; aliàs cognoſcit, etiam omnia, quæ Deus decreuit producere: ergo ſi cognoſcit omnes rerum negationes per beatificam viſionem, cognouit de facto per illam omnes creaturas poſſibiles ſecundum ſuas rationes particulares. 189 *Sequela probatur.*

Reſpondeo, diſtinguendo conſequens: cognitione poſſibilium in particulari quoad *an eſt*, concedo ſequelam: cognitionem quidditatiua, & quoad *quid eſt*, nego ſequelam, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nec obſtant traditæ diſtinctioni tres minoris probationes: non prima, & ſecunda; nam D. Th. & Thomiſtæ dum negant animæ Chriſti cognitionem omnium poſſibilium, loquuntur de cognitione illorum quidditatiua; non vero negant cognitionem illorum quoad *an eſt*: Quod patet primo; nam D. Tho. illam cognitionem omnium poſſibilium in particulari negat, ex qua ſequitur comprehenſio omnipotentiæ; ex cognitione autem omnium poſſibilium in particulari quoad *an eſt*, omnipotentiæ comprehenſio non ſequitur; benè verò ex illorum quidditatiua notitia; & conſequenter hanc, & non illam negat Angelicus Doctor, & cum illo omnes Thomiſtæ humanitati Chriſti reſpectu omnium poſſibilium. 290 *Reſpond.*

Anima per viſionem beatificã cognouit omnia poſſibilia in particulari quoad an eſt.

191 Tùm etiam; nam duo docet D. Th. Primum eſt, animam Chriſti cognoſcere per viſionem beatificam omnia à Deo in ſe cognita per ſcientiam viſionis & conſequenter, vt ſupra intulimus, non ſolum poſitiua exiſtentia, ſed etiam rerum negationes. Secundum eſt, non cognouiſſe omnia à Deo in ſe cognita per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; at ex primo ſequitur, cognoſcere cognitione quoad *an eſt* omnia quæ Deus per ſimplicem notitiam cognoſcit, nempè, omnia poſſibilia in particulari: ergo vt primi veritas, cum ſecundi veritate ſubſiſtat intelligendus eſt D. Tho. de cognitione quidditatiua; cum negat animæ Chriſti omnium poſſibilium notitiam. Et ex his ad tertiam minoris probationem dicatur, loqui D. Tho. de manifeſtatione in diuina eſſentia perfecta, hoc eſt, omnium poſſibilium quidditatiuè manifeſtatiua, ſeu repræſentatiua, cum dicit, non poſſe fieri, vt alicui creaturæ ſit actu manifeſtatum, quidquid Deus poteſt manifeſtare; non vero de manifeſtatione imperfecta, & repræſentatiua illorum quoad *an eſt*.

192 *Inſtabis.* Sed opponet aduerſus iſtam ſolutionem primo; poſſibilitas eſt prædicatum eſſentiale creaturarum poſſibilium: ergo non eſt dabilis cognitio quoad *an eſt* poſſibilium, quæ non ſit quidditatiua; & conſequenter ſi omnia poſſibilia in particulari cognoſcit anima Chriſti, cognoſcat illa quidditatiuè. *Secundo.* Secundo; cognitio alicuius rei habita per propriam ſpeciem, vel per ſpeciem illam eminenter continentem, eſt cognitio quidditatiua; ſed cognitio rerum in Verbo habetur per aliquid illas eminenter perfectiſſimè continens, ſcilicet, per eſſentiam diuinam: ergo eſt cognitio quidditatiua; & conſequenter ſi ad omnia poſſibilia terminatur, omnium eſt quidditatiua cognitio.

193 *Tertio.* Tertio; negationes rerum ſi ab anima Chriſti cognoſcuntur in Verbo, non tantum *intuitiuè*, & quoad *an eſt*, ſed etiam *quidditatiuè* cognoſcuntur: ergo ſi ad entitates, cuius ſunt negationes terminatur viſio beatifica Chriſti, eſt omnium entitatum quidditatiua cognitio. Antecedens probatur. Tùm; quia cognitio negationis intuitiua, & non quidditatiua eſt imperfecta cognitio; & conſequenter non eſt animæ Chriſti attribuenda. Tùm etiam; quia entia poſitiua, quæ anima Chriſti in diuina eſſentia videt, non ſolum intuitiuè, ſed etiam quidditatiuè cognoſcit: ergo pariter negationes, quas vidit. Tùm tertio; nam viſio beatifica reſpectu obiecti primarij, eſt ſimul intuitiua, & quidditatiua cognitio: ergo reſpectu omnis ſecundarij obiecti vtramque rationem, nempè, intuitiuæ, & quidditatiuæ cognitionis ſortitur. Petet conſequentiæ primo; quia attingit obiecta ſecundaria ratione primarij; & conſequenter ſub eadem ratione notitiæ. Secundo; nam notitia quoad *an eſt*, & cognitio quoad *quid eſt*, eſſentialiter diſtinguuntur; viſio autem beatifica, vt terminata ad obiectum primarium, non differt eſſentialiter à ſe ipſa, vt ad ſecundarium obiectum terminate; & conſequenter ſi reſpectu primarij eſt quidditatiua cognitio, etiam obiectum ſecundarium attingit quidditatiuè.

194 *Reſpondetur ad 1. inſtantiã.* Reſpondeo ad primam inſtantiam, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; nam Deo eſſentialiter conuenit exiſtentia; & tamen in via per fidem Deum quoad *an eſt*, vt ſupernaturalem Auctorem cognoſcimus, & vt Auctorem naturalem per lumen naturalis rationis, quin aliqua ex his cognitionibus ſit quidditatiua Dei cognitio: benè ergo poteſt cognoſci creatura poſſibilis quoad *an eſt* poſſibilitatis, cognitione, quæ quidditatiua non ſit, quamuis poſſibilitas ei eſſentialiter conueniat.

Ad ſecundam. Ad ſecundam, conceſſa maiori, nego minorem: nam terminatio viſionis beatificæ Chriſti ad entitates omnes, quarum negationes repræſentat intuitiuè, non habetur ex vi eſſentiæ, vel omnipotentiæ diuinæ, vt connexæ cum illarum poſſibilitate, ſed ex vi decreti liberi decernentis negationes, ſeu negationum exiſtentiam; hoc autem decretum non eſt cauſa poſſibilium illa continens eminenter, ſed potius eſt cauſa, vt non ſint; ac proinde non cognoſcuntur ab anima Chriſti in Verbo iſtæ entitates poſſibiles per aliquid gerens vicem ſpeciei illas eminenter continentis.

195 *Ad 3. reſpõdetur.* Ad tertiam; prætermiſſo antecedenti, nego conſequentiam. Tùm; quia terminus negationis exiſtentiæ immediatus, non eſt eſſentia rei non exiſtentis, ſed ipſius exiſtentiæ; ac proinde eſto daremus ad cognoſcendam aliquam negationem quidditatiuè, exigi cognitionem quidditatiuam termini, non inferretur deberet eſſentias omnium poſſibilium quidditatiuè cognoſci, ſed tantum exiſtentias illorum; res autem creatæ exiſtentia cum ab illa realiter diſtinguatur, benè poteſt quidditatiuè cognoſci, non cognita quidditatiuè eſſentia, cuius eſt exiſtentia. Tum etiam, quia ſicut viſio rei poteſt quidditatiuè cognoſci, non cognito eius obiecto quidditatiuè, ſed præciſè quoad *an eſt*, non obſtante, quod importet eſſentialem reſpectum ad illud, vt conſtat in viſione beatifica cognita à Chriſto Domino quidditatiuè per ſcientiam infuſam, quin per illam Trinitas perſonarum quidditatiuè attingatur; ita quamuis negatio eſſentialem habitudinem ad entitatem negatam importet, non ſequitur, quod vt negatio cognoſcatur quidditatiuè, entitas cuius eſt negatio quidditatiuè cognoſcatur, ſed ſufficit quoad *an eſt* cognoſci.

196 *Reſpõd. 2.* Vel ſecundo reſponderi poteſt negando antecedens. Ad primam probationem, diſtinguo antecedens: eſt imperfecta *priuatiuè*, aut *ſubiectiuè*, nego antecedens: *negatiuè*, hoc eſt, non ita perfecta, ſicut cognitio quidditatiua, concedo antecedens, & nego conſequentiam: quia plures cognitiones *negatiuè* imperfectæ, quia *ſubiectiuè* priuatiuæ non ſunt, hoc eſt, excludentes à ſubiecto aliquam perfectionem maiorem, conceduntur animæ Chriſti vt conſtat ex dictis *quæſtione præcedenti*. Ad ſecundam, concedo antecedens, & nego conſequentiam; nam ad omnia entia poſitiua exiſtentia cognoſcenda quidditatiuè ex vi penetrationis omnipotentiæ diuinæ fuit ſufficiens lumen beatificum Chriſti, non autem ad omnium rerum negationes, eo quod ad omnes negationes cognoſcendas quidditatiuè, poteſt quis maxima cum probabilitate affirmare exigi cognitionem quidditatiuam rerum, cuius negationes; ac proindè vt lumen Chriſti beatificum eſſet ſufficiens ad omnes negationes quidditatiuè attingendas, neceſſarium eſt, quod ſufficiat ad cognitionem quidditatiuam prædictarum entitatum. Ex quo vlterius fieret, habere vim ſufficientem ad cognitionem omnium rerum poſſibilium; cum iam ſupponatur per ipſum entia omnia poſitiua exiſtentia cognoſci quidditatiuè.

Si dicas; poſſe hoc negari, vt concedatur lumini beatifico Chriſti vis ad quidditatiuè cognoſcendas omnium rerum negationes; ac proinde vitabitur inconueniens. Reſpondeo, hoc potuiſſe ita contingere, ſed cum neceſſarium ſit, vel reſpectu poſitiuè exiſtentium, vel reſpectu negationum negare animæ Chriſti vniuerſalem cognitioné quidditatiuam; & aliàs ſit conuenientius, quod perfectè cognouerit entia poſitiua exiſtentia cognitione perfecta, quam negationes rerum non exiſtentium; conſequens fit, quod cum maximo fundamento concedamus animæ Chriſti quidditatiuam cognitionem rerum poſitiuè exiſtentium, illamque reſpectu negationum negemus. 197 *Obijcies. Reſp.*

Ad tertiam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad primam probationem dicatur; ex eo quod ſecundarium obiectum ratione primarij attingatur, ſolum inferri eſſe eiuſdem ſpeciei in comparatione ad vtrumque non autem quod ſi ad primarium comparate, eſt quidditatiua cognitio, hoc idem reſpectu ſecundarij ſortiatur, ſicut nec ſequitur, quod ſi eſt intuitiua primarij, etiam ſit intuitiua ſecundarij; cum reſpectu poſſibilium, quæ ſecundario in diuina eſſentia attingit, non ſit intuitiua, ſed abſtractiua notitia. Ad ſecundam probationem dicatur, quidditatiuam eſſentialiter diſtingui à notitia quoad *an eſt* reſpectu eiuſdem obiecti, non autem in comparatione ad diuerſa, ordine primarij, & ſecundarij ſe habentia, qualiter in præſenti contingit. Et quidem cognitio Angeli de ſe, reſpectu ſui, eſt cognitio quidditatiua, Deum autem ſolum quoad *an eſt* attingit, quin ex hoc eſſentiale diſcrimen colligatur in comparatione ad ſe, & comparatiuè ad Deum. 198 *Ad tertiã* *Cognitio quidditatiuè, & quoad an eſt diſtinguuntur eſſentialiter reſpectu eiuſdem obiecti, nõ verò reſpectu diuerſorum, & ſubordinatorum.*

Secundo, aduerſus ſecundam partem noſtræ concluſionis obijcies; nam ex illa ſequitur non adæquari viſionem beatificam Chriſti, quantum ad numerum ſcibilium cum ſcientia viſionis Dei; conſequens non poteſt ſtare cum primo argumento, quo primam partem concluſionis oſtendimus: ergo anima Chriſti per beatificam viſionem in Verbo, etiam omnes negationes neceſſarias cognouit. Sequela conſtat, & minor probatur; ex eo namque primam partem concluſionis probauimus: quia iuxta D. Thom. viſio ſpecifica Chriſti, & ſcientia viſionis Dei, ſolum non adæquantur in modo: ergo in numero ſcibilium adæquantur inter ſe; aliàs D. Thom. locis *proximè* adductis argumento pro inconueniente inferenti ſcientiæ Chriſti cum ſcientiæ viſionis Dei æqualitatem, poſſet occurrere, abſque effugio ad illarum inæqualitatem in modo, quod *ibidem* ponderauimus. Reſpondeo D. Thom. non comparaſſe ſcientiam beatificam Chriſti cum ſcientia viſionis Dei neceſſaria reſpectu ſecundarij obiecti, ſed ſolum cum ſcientia viſionis libera, & vt inæqualitatem eum ſcientia libera viſionis ſaluaret, recurrit ad diſparitatem modi. 199 *Cõtra ſecundam partẽ concluſionis argum.* *Reſpõdet.*

§. Vltimus.

Corellaria præcedentis doctrinæ.

200 *Coroll. Cognouit anima Chriſti per viſionem beatam omnia libera decreta.*

EX DICTIS in diſcurſu diſputationis colligo primo; cognouiſſe animam Chriſti per beatificam viſionem omnia libera decreta Dei, tam omnimode abſoluta, quam abſoluta *ſubiectiuè*, & conditionata *obiectiuè*: conſtat hoc ex ratione, qua tertiam concluſionem probauimus, adæquatur namque ſcientia beatifica Chriſti cum ſcien-

…ta Dei abſoluta ſubiectiuè, & obiectiuè conditionata. ſcientia viſionis libera Dei, quantum ad numerum ſcibilium; ſed omnia decreta libera cognoſcit Deus in ſe ipſo per ſcientiam liberam viſionis: ergo omnia illa cognouit anima Chriſti per beatificam viſionem.

Opponet primò. Si opponas primò; Deum habere decreta conditionata circa omnia poſſibilia; & conſequenter non poſſe omnia decreta cognoſci omnibus poſſibilibus non cognitis, quod tamen non eſt animæ Chriſti attribuendum.

Reſpondetur. Reſpondeo, ad cognoſcenda omnia decreta conditionalia ſufficere cognitionem omnium poſſibilium quoad *an eſt*, iſtam autem cognitionem animæ Chriſti attribuere nullum inconueniens eſt, vt conſtat ex *proximè dictis*.

201 *Opponetur.* Si opponas ſecundò; decreta libera Dei ſunt infinita; ſed infinita decreta non poſſunt per beatificam viſionem ab anima Chriſti cognoſci: ergo non cognouit omnia libera decreta Dei. Maior conſtat ex probabili ſententia aſſerente, Deum habuiſſe decreta conditionata circa omnes combinationes poſſibiles, tam poſitiuas, quàm negatiuas; cum autem iſtæ combinationes ſint infinities infinitæ, videtur neceſſario admittendum, eſſe in voluntate Dei actu infinita decreta. Minor autem probatur; nam obiecta actu infinita non poſſunt per finitam cognitionem attingi, niſi in aliquo finito, vt conſtat ex dictis §. 6. *ad vltim. argum.* ſed infinita decreta non poſſunt cognoſci in aliqua entitate finita, ſed vel in ſe ipſis, vel in eſſentia diuina, quæ infinita eſt per eſſentiam: ergo non poſſunt ab anima Chriſti per viſionem finitam cognoſci.

202 *Reſpond.* Reſpondeo, decreta libera Dei, quantumuis ſint infinita, poſſe per finitam cognitionem attingi, non in aliquo finito, nec in ſe ipſis immediatè, ſed in eſſentia diuina finito modo cognita; nam eo ipſo, quod obiectum primario cognitum, etiam ſi infinitum ſit, finito modo attingatur; poſſunt in illo obiecta infinita per finitam cognitionem attingi.

203 *Inſtabis.* Sed dices; diuina eſſentia cognita finito modo, non poteſt eſſe ratio cognoſcendi decreta infinita in actu: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur antecedens; diuina eſſentia cognita finito modo, non poteſt eſſe medium *in quo* omnia poſſibilia cognoſcantur; ſed ad hoc eſt neceſſarium, quod infinito modo per eſſentiam cognoſcatur, vt diximus §. 2. *&* 3. ergo pariter diuina eſſentia, vt finito modo cognita, non poteſt eſſe ratio cognoſcendi infinita decreta, quorum multitudo adæquatur multitudini poſſibilium.

Reſpōdet. Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego conſequentiam: ratio autem diſcriminis eſt; nam poſſibilia ſunt de his, quæ in omnipotentia, & in diuina eſſentia latent; ac proinde, quorum maior, vel minor cognitio prouenit ex maiori, vel minori eſſentiæ penetratione. En quo *ſupra* inferebamus, omnium poſſibilium cognitionem præexigere cognitionem diuinæ eſſentiæ illi intenſiuè adæquatam. Cæterum decreta libera non ſunt de his, quæ in diuina eſſentia latent, ſuppoſita libera voluntate diuina de illorum manifeſtatione, ſed ſtatim, atque Deus vult illa beatis manifeſtare, ſtatim per viſionem diuinæ eſſentiæ cognoſcuntur, quin ad hoc aliquod incrementum intenſiuum viſione requiratur. Vnde ſicut hac ratione, vt omnes formalitates neceſſarias beatus in diuina eſſentia cognoſcat, non indiget infinita viſione, etiam ſi admittamus, vt plures volunt, eſſe numero infinitas, quia, ſcilicet, ſunt de his, quæ in diuina eſſentia patent, ita ad decreta libera infinita cognoſcenda, infinitas viſionis beatificæ neceſſaria non eſt.

204 *Vrgebis.* Inſtabis; decreta libera Dei ſub ratione poſſibilium, non ſunt de manifeſtis in diuina eſſentia cognita, ſed de his, quæ in illa latent: ergo ſaltem ſic ſumpta non poſſunt omnia in diuina eſſentia per finitam cognitionem attingi; ſed nequeunt, vt exiſtentia cognoſci, quin etiam, vt poſſibilia attingantur, vt per ſe manifeſtum videtur: ergo non poſſunt omnia ſimul ſumpta videri in diuina eſſentia per cognitionem finitam. Antecedens probatur; non enim ſunt de manifeſtis in diuina eſſentia neceſſario; aliàs omnis videns Deum omnia decreta libera, vt poſſibilia in particulari cognoſceret; & conſequenter omnes creaturas poſſibiles in particulari, ſaltem quoad *an eſt* cognoſceret. Nec ſuppoſita libera voluntate diuina de illorum manifeſtatione; nam manifeſtatio libera non eſt decretorum, vt poſſibilium; cum illorum poſſibilitas à libera voluntate non ſit dependens: ergo ſumpta vt poſſibilia non ſunt de manifeſtis in diuina eſſentia cognita.

205 *Reſpōdet.* Reſpondeo; decreta prout poſſibilia dupliciter cognoſci poſſe: vno modo in diuina voluntate, prout libera in actu primo: alio modo, quaſi in eorundem exiſtentia, cognitione poſſibilitatis illata, vel quaſi illata ex eorum cognitione, quatenus ſunt exiſtentia. Primo modo non ſunt de manifeſtis in diuina eſſentia cognita, nec neceſſario, nec liberè: vnde omnia nequeunt cognoſci, niſi in voluntate diuina, prout libera in actu primo cognita adæquatè intenſiuè; ac proinde comprehenſa. Secundo autem modo ſunt de manifeſtis in diuina eſſentia liberè; nam eo ipſo, quod illorum exiſtentia ſit nota, libera manifeſtatione ſuppoſita, etiam hac ſuppoſita eſt illorum poſſibilitas manifeſta; hoc ſecundo manifeſtationis, & cognitionis modo, nec alius modus cognitionis decretorum ſub ratione poſſibilium neceſſarius eſt ab illa cognoſcenda, vt exiſtentia, Deo illa manifeſtante.

206 *Secundũ corollar. Cognouit anima Chriſti per viſionem beatam omnia, quæ in potentia creaturæ continentur.* Secundo colligitur, cognouiſſe animam Chriſti per beatificam viſionem omnia, quæ continentur in virtute, aut potentia creaturæ. Quod docuit D. Thom. *in præſenti art.* 2. & probatur eius ratione; nam comprehendit in Verbo eſſentiam omnis creaturæ; & conſequenter illius potentiam, & virtutem; ſed non poteſt virtus cauſæ comprehendi, niſi omnes illius effectus cognoſcantur in illa, & ex illa, vel ſaltem in alia cauſa ipſam eminenter continente: ergo cognouit anima Chriſti per beatificam viſionem omnes effectus contentos in virtute cuiuſcumque creaturæ. Minor probatur; non poteſt virtus cauſæ comprehendi, niſi cognoſcatur, quantum cognoſcibilis eſt; ſed virtus cuiuſcumque cauſæ eſt cognoſcibilis in ordine ad omnes ſuos effectus, & vt ratio cognoſcendi illos: ergo non poteſt virtus cauſæ comprehendi, non cognitis omnibus eius effectibus.

207 *Confirmatur 1.* Quod amplius confirmari poteſt; nam ſi ſufficeret ad comprehenſionem cauſæ cognitio effectuum illius ſub ratione ſpecificante, & communi, ſequeretur de facto comprehendi Deum ab intellectu creato, prout eſt cauſa creaturarum; cum à quolibet beato cognoſcatur ratio communis poſſibilis, ſeu non repugnantis; cum qua, vt cum formali extremo omnipotentia connectitur, conſequens eſt falſum: ergo ad comprehenſionem cauſæ non ſufficit cognitio effectuum illius ſub ratione ſpecificante, & communi, ſed requiritur neceſſario cognitio omnium effectuum in particulari. *Confirmatur 2.* Et augetur difficultas; plus enim requiritur ad comprehenſionem cauſæ, quam ad illius quidditatiuam cognitionem ex parte effectuum, qui in illius virtute continentur; ſed ad quidditatiuam cognitionem cauſæ ſub ratione cauſæ, requiritur cognitio effectuum illius ſub ratione communi effectus formaliter terminantis habitudinem virtutis cauſatiuæ, & contentiuæ: ergo ad eius comprehenſionem huiuſmodi cognitio non ſufficit; & conſequenter requiritur cognitio omnium effectuum ſecundum ſuas particulares rationes.

208 *Obijcies primo.* Obijcies primo; quilibet Angelus comprehendit ſuam eſſentiam; & tamen non cognoſcit omnia, ad quæ in potentia exiſtit: ergo ad rei comprehenſionem non petitur cognitio omnium, quæ ſunt, vel continentur in illius potentia, aut virtute. Probatur minor; eſſentia Angeli eſt in potentia obedientiali paſſiua ad gratiam habitualem, & in potentia actiua mediata, ſiue remota ad beatificam viſionem, & ad alios ſupernaturales actus; ſed Angelus naturali cognitione non cognoſcit gratiam, nec viſionem beatificam, nec alios ſupernaturales actus, etiam ſub ratione poſſibilium; vt modo ſuppono *ex Tractatu de Viſione, & Tractatu de Beatitudine, & alijs locis*, vbi hoc ab omnibus Thomiſtis docetur: ergo Angelus naturali cognitione non cognoſcit omnia, quæ in potentia, ſeu virtute ſuæ eſſentiæ virtualiter continentur.

Reſpōdet. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: comprehendit ſuam eſſentiam ſecundum potentiam naturalem illius, concedo maiorem: ſecundum potentiam obedientialem, vel paſſiuam, vel actiuam, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nec probatio minoris diſtinctioni traditæ poteſt obeſſe; nam gratia, & ſupernaturales actus vitales, non continentur in potentia naturali Angeli, ſed in potentia obedientiali, vel paſſiua, vel actiua: Angelus autem non comprehendit ſe ipſum ſecundum omnem potentiam, ſed tantum ſecundum potentiam, & virtutem naturalem: vnde cognitio, quam de ſe habet, non dicitur abſolutè comprehenſio, ſed cum addito, ſcilicet, comprehenſio naturalis.

209 *Replicabis.* Inſtabis; nam Angelus comprehendit ſe ipſum ſecundũ ſuas naturales potentias; & tamen non cognoſcit omnes effectus, qui continentur in ſua naturali virtute: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur minor; in virtute

naturali intellectus Angelici continentur cognitiones omnium entium naturalium poſſibilium; cum omnia poſſit naturaliter cognoſcere, ſi illorum ſpecies haberet; & tamen non cognoſci omnes iſtas cognitiones poſſibiles: ergo Angelus non cognoſcit omnes effectus, qui contigentur in ſua naturali virtute, & conſequenter ſtat comprehenſio naturalis virtutis alicuius rei abſque cognitione omnium effectuum, qui in tali virtute naturaliter continentur. Probatur minor, ſi omnes prædictas cognitiones ſe ipſum comprehendendo cognoſceret, ſequeretur cognoſcere omnia entia naturalia poſſibilia; cum nequeat actus cognitionis comprehenſiuè cognoſci, non cognito illius obiecto, & omnes cognitiones naturales Angelo poſſibiles ad omnia naturalia poſſibilia in particulari, vt ad obiecta terminentur; conſequens eſt falſum, & contra communem Theologorum doctrinam, aſſerentium, Angelum naturali cognitione ſolum cognoſcere, quæ ſpectant ad ordinem vniuerſi, non autem, quæ in ſtatu puræ poſſibilitatis manſerunt, quia illorum tantum ſunt debitæ Angelo ſpecies: ergo non cognoſcit Angelus naturali cognitione omnes cognitiones in ſui naturali virtute contentas.

10 *Reſpondetur.* *Qui effectus debeant cognoſci, vt cauſa comprehendatur.*

Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: omnes effectus in illius naturali virtute complectè, & perfectè contentos, nego minorem: contentos inchoatè, imperfectè, & incompletè, concedo minorem, & diſtinguo conſequens diſtinctione minoris: quam diſtinctionem non impugnat minoris probatio; Angelus enim non habet virtutem ad intelligendum completam, niſi per ſpeciem impreſſam obiecti determinetur; ſolum autem habet ſpecies obiectorum poſſibilium attinentium ad ordinem vniuerſi, quod Deus decreuit producere; non verò obiectorum, quæ purè ſunt poſſibilia; ac proinde ſolum ad cognitiones obiectorum primi generis eſt in potentia completa; vt autem virtus cauſæ comprehendatur, non exigitur cognitio omnium contentorum in illa, ſed illorum, quæ in ſe continet perfectè; ac proinde vt Angelus comprehendet ſe ipſum, ſufficit in ſe cognoſcere cognitiones poſſibiles obiectorum poſſibilium ad ordinem vniuerſi ſpectantium; non autem eſt neceſſarium, quod in ſe ipſo cognoſcat cognitiones terminabiles ad entia purè poſſibilia.

211 *Inſtabis.*

Inſtabis; ſequi ex iſta ſolutione Angelum naturali virtute comprehendere ſuam potentiam obedientialem; conſequens eſt contra dicta: ergo ſolutio tradita vera non eſt. Probatur ſequela; vt enim *in prima ſolutione* dicebamus, ad comprehenſionem alicuius potentiæ, non requiritur cognitio effectuum, quos imperfectè in ſe continet; ſed potentia obedientialis non continet complete, & perfectè formas, ad quas eſt in potentia: ergo ad illius comprehenſionem non requiritur harum formarum cognitio; ac proinde quamuis Angelus illas non cognoſcat naturali virtute comprehendet naturaliter potentiam obedientialem.

Reſpondetur. *Angelus naturali virtute, nõ comprehendit, nec quidditatiuè cognoſcit potentiã obedientialem.*

Reſpondeo, negando ſequelam. Ad cuius probationem dicatur; non poſſe comprehendi, imo nec cognoſci quidditatiuè potentiam non cognito termino formali illius, etiam ſi illum non perfectè, ſed imperfectè contineat, Vnde doctrina traditæ ſolutionis intelligenda eſt de illis effectibus, qui non formalitèr, ſed materialitèr terminant habitudinem potentiæ; terminus autem formalis obedientialis potentiæ, prout à naturali diſtinctæ, eo modo quo ab illa diſtinguitur, eſt ratio entis ſupernaturalis communis omnibus, quæ in ſe recipere poteſt, & quia hunc terminum non cognoſcit Angelus naturali virtute; conſequens fit, quod non comprehendat potentiam obedientialem. Sed de his videantur, quæ fusè diximus *Tractatu de Beatitudine*.

212 *Tertium Corollarium ſcientia rerum in actu co*

Tertio colligitur; ſcientia rerum in potentia cognouiſſe animam Chriſti infinitas ſubſtantias; ſecus vero per ſcientiam rerum in actu; per hanc autem cognouit infinita accidentia. Ita D. Th. *in præſenti art.* 3. Et prima pars probatur: cognouit enim anima Chriſti omnia, quæ in potentia creaturæ continentur; ſed in virtute creaturarum, quas anima Chriſti comprehenſiuè cognouit continentur infinitæ ſubſtantiæ, ſaltim numero diſtinctæ, & de facto cauſarentur ab illis, ſi cælorum motus, & rerum generationes, in perpetuum durarent: ergo cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini infinitæ ſubſtãtiæ poſſibiles, ſaltim numero diſtinctæ. An autem infinitæ ſubſtantiæ poſſibiles ſpecificè diſtinctæ cognoſcantur ab illa, pendet ex phyſica quæſtione, an, ſcilicet, in virtute limitata creaturarum exiſtentium infinitæ ſpecies ſubſtantiales poſſibiles contineantur; ſi continentur, fuerunt ab anima Chriſti cognitæ; ſecus autem ſi non continentur.

gnouit Chriſtus infinita accidentia, non vero infinitas ſubſtantias.

Secunda pars probatur.

Secunda pars corollarij probatur; nam per ſcientiam rerum in actu, ſolum cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini, quæ in æternitate continentur; at infinitæ ſubſtantiæ in æternitate non continentur; cum non ſint ſucceſſiuè in proprijs durationibus futuræ; eo quod ceſſante motu cæli, rerum generationes ceſſabunt: ergo non cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini per ſcientiam rerum in actu infinitæ ſubſtantiæ.

Tertia probatur.

Tertia pars corollarij conſtat ex dictis §. 6. *ad vltimum*.

213 *An cognouerit anima Chriſti multitudinem actu infinitam.* *Sub diſtinctione reſpõdetur.*

An autem ſit concedendum cognouiſſe animam Chriſti multitudinem actu infinitam, quæſtionis eſt inter Theologos omnes, quos pro noſtra ſententia allegauimus, conueniunt, in eo quod ly *actu* determinante ſcientiam eſt concedendum actu cognouiſſe infinitas; ſi vero determinet multitudinem, alij affirmant, negant alij, ſed quæſtio eſt de modo loquendi. Mihi videtur, concedendum eſſe, cognouiſſe multitudinem actu infinitam reſpectu ad æternitatem, eo quod in illa actu ſunt infinitæ cogitationes; ſecus autem reſpectiuè ad propriam menſuram, eo quod in illa nunquam datur multitudo actu infinita, & quia abſolutè conueniunt, quæ in ordine ad propriam menſuram; non vero quæ in ordine ad aliam competunt alicui rei, non eſt abſolutè dicendum, cognouiſſe animam Chriſti multitudinem actu infinitam.

214 *Quartum corollarium.* *Anima Chriſti clarius videt diuinam eſſentiam qualibet alia creatura.*

Quarto colligitur; animam Chriſti videre diuinam eſſentiam clarius qualibet creatura; ſic D.Th. *in hac q. art.* 4. & probatur eius ratione; nam maior, vel minor claritas in viſione beatifica prouenit ex maiori, vel minori lumine gloriæ, de quo 1. *p. q.* 12. *art.* 6. ſed lumen gloriæ conceſſum animæ Chriſti eſt maius, hoc eſt, intenſius perfectiuſque lumine cuiuſuis creaturæ: ergo clarius Deum vidit qualibet alia creatura. Probatur minor; perfectio luminis commenſuratur cum perfectione gratiæ habitualis ad quam conſequitur, vt proprietas; ſed gratia habitualis Chriſti eſt maior omnium creaturarum gratia, eo quod, quo aliquod receptiuum eſt proximius cauſæ influenti, tanto magis de illius influxu participat; anima autem Chriſti proximior eſt Deo, qui eſt cauſa, & principium gratiæ qualibet alia creatura: ergo lumen beatificum, illius animæ conceſſum, maius eſt lumine gloriæ cuiuſuis alterius creaturæ.

Viſio beatifica Chriſti nõ excedit infinitè ſimpliciter beatitudinem aliorũ, ſed tantũ extrinſecè, & ſecundum quid.

An autem infinitè excedat, vel tantum finitè beatitudinem aliorum, diſceptatur inter Theologos, verum mihi certum videtur non excedere infinitè ſimpliciter ſed ſecundum quid, & extrinſecè infinitè: quod patet; nam viſio animæ Chriſti non eſt infinita intrinſecè, & ſimpliciter, ſed ſolum extrinſecè, & ſecundum quid, quatenus infinita in diuina eſſentia cognoſcit, quæ ab alijs non cognoſcuntur: ergo non excedit beatitudinem aliarum creaturarum infinitè intrinſecè ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, & extrinſecè.

215 *Quintum corollarium.* *Probatur.*

Denique infertur; beatitudinem animæ Chriſti eſſe maiorem beatitudine cuiuſuis creaturæ poſſibili de lege ordinaria, non autem eſſe intenſiuè maiorem, omni beatitudine poſſibili puræ creaturæ de potentia abſoluta; ſic D.Th. *in præſenti art.* 4. *ad* 3. & prima pars corollarij conſtat ex dictis. Secunda vero probatur; nam beatitudo animæ Chriſti non eſt intenſiuè infinita, ſed potuit intenſior eſſe de potentia abſoluta, vt conſtat ex dictis *Tractatu de Gratia Chriſti quæſt.* 7. potuitque cum maiori intenſione cuilibet alteri creaturæ communicari: ergo potuit beatitudo alterius creaturæ eſſe maior intenſiuè beatitudine Chriſti de potentia abſoluta. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Mag. *licet vbi præcedens Diſputatio.* Hæc etiam *de quæſt.* 10. dicta ſufficiant.

M. Sent.

TRACTATVS NONVS.

De Scientia per ſe infuſa, & Scientia per ſe acquiſibili.

Quæſtio vndecima

Articulus primus.

*D*E *quo D. Th.* in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunculis 6. ad Annibaldum iu eadem diſtinct. q. vnica art. 4. q. 20. de Veritate art. 3. & 6. opuſc. 2. eap. 216. in hac 3. p. q. 11. & q. 12. *Quæſtionem vndecimam diuidit Angelicus Præceptor in ſex Articulos: docens iu primo, animam Chriſti ſecundum ſcientiam inditam, vel infuſam, cognouiſſe omnia, quæ ab homine cognoſci, poſſunt per virtutem luminis intellectus agentis, & quæcumque per reuelationem diuinam hominibus innoteſcunt, ſiue pertineant ad donum ſapientiæ, ſiue ad donum prophetiæ, ſiue ad quodcumque Spiritus Sancti donum; eo quod oportuit, quod in anima Chriſti omuis eius potentialitas eſſet ad actum reducta: eſt autem anima humana in potentia ad omnia iſta cognoſcenda, & ideo illa omnia abundantius, & plenius cæteris, anima Chriſti cognouit.*

Articulus ſecundus.

In ſecuudo Art. docet; potuiſſe animam Chriſti per ſcientiam infuſam intelligere, ſine conuerſione ad phantaſmata, eo quod Chriſtus erat ſimul viator, & comprehenſor: eſt autem hæc conditio animæ comprehenſoris, vt nullo modo ſuo corpori ſubdatur, aut ab illo dependeat, ſed totaliter ei dominetur: ex hoc autem anima viatoris indiget conuerti ad phantaſmata, quod eſt corpori obligata, ei quodammodo ſubiecta, & ab eo dependens: ergo anima Chriſti corpori non obligata, nec ab eo dependens, vtpote plene habeutis facultatem comprehenſoris, potuit intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata. Notat autem Caietanus, & benè, quod licet D. Th. non intulerit pro eonclusione potuiſſe Chriſtum per ſcientiam infuſam intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata; hoc tameu ſubintelligitur, & probata independentia intellectus animæ Chriſti à corpore ratione ſtatus comprehenſoris, euidenter infertur; eo quod vſui huius ſcientiæ ſine conuerſione ad phanſtaſmata, ſolum poterat obſtare obligatio intellectus ad corpus. Vnde hac obligatione ab anima Chriſti ſublata, ob ſtatum comprehenſoris, recte colligitur potuiſſe hac ſcientia vti ſine conuerſione ad phantaſmata. Nec ex hoc ſequitur, fruſtra fuiſſe potentias ſenſitiuas in anima Chriſti Domini; cum ſenſus dati ſint homini, vt intellectui deſeruiant: vt enim inquit D. Th. ſolutione ad 3. etſi anima Chriſti potuerit intelligere, non conuertendo ſe ad phantaſmata, poterat tamen iutelligere ſe ad phantaſmata conuertendo, & ideo ſenſus in ipſa fruſtra non fuerunt. Ex qua doctrina inferunt noſtri Thomiſtæ, Angelicum Doctorem ſentire, potuiſſe animam Chriſti ſcientia per ſe iuſuſa vtendo, ſe ad phantaſmata conuertere. Cæterum cum D. Th. non de ſcientia per ſe infuſa, ſed abſolute loquatur, nec ad ſolutionem argumenti neceſſarium ſit, quod fuerit de ſcientia per ſe infuſa loqnutus: illatio ex illius doctrina facta neceſſaria non eſt. An autem id ſit poſſibile, iufra examinabimus.

Articulus tertius.

Iu articulo tertio ſuppoſita diſtinctione ſcientiæ diſcurſiuæ, nempè, quoad acquiſitionem, quia per diſcurſum acquiritur, & ab illo iu ſui acquiſitione dependet, qualiter in nobis contingit, & diſcurſiuæ quoad vſum, quia nempè, illa habita intellectus vtitur diſcurrendo: docet Angelicus Doctor, ſcientiam animæ Chriſti (intellige per ſe inſuſam) *non fuiſſe priori modo diſcurſiuam, quia hæc ſcientia fuit ſibi diuinitus indita, non per inueſtigationem rationis acquiſita, bene tamen ſecundo modo; poterat enim anima Chriſti ex vno ad aliud diſcurrere, vt ſibi placebat,* quod intelligeudum eſt, vtendo prædicta ſcientia; cum de eadem ſcientia loqnatur, de qua loquitur cum negat eſſe diſcurſiuam quoad acquiſitionem. *Ex quo ſolutione ad primum docet, non omne conſilium, nec omnem electionem excludi ab anima Chriſti, ſed ſolum conſilium, quod eſt cum dubitatione, & electio ad ipſum ſequuta.*

Articulus quartus.

In quarto articulo docet, ſcientiam iuditam animæ Chriſti quantum ad id, quod habuit à cauſa influente, fuiſſe excellentiorem ſcientia Angelorum, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad ſcientiæ certitudinem, eo quod lumen ſpiritualis gratiæ, quod eſt iuditum animæ Chriſti, eſt multo excellentius, quam lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam; at ſecundum id quod habuit ex ſubiecto recipiente ſcientia indita animæ Chriſti eſt infra ſcientiam Augelicam, ſcilicet quantum ad modum cognoſcendi, qui eſt naturalis animæ humanæ, qui eſt per conuerſionem ad phantaſmata, & per collationem, & diſcurſum.

ſum, Doctrina iſtius articuli de ſcientia per ſe indita ſupernaturali intelligitur. Tum; quia exceſſum probat D. Thom. eo quod lumen ſpiritualis gratiæ eſt excellentius lumine naturali Angelorum, quæ ratio ſolum de ſcientia infuſa ſupernaturali procedit. Tùm etiam; ſcientia indita naturalis animæ Chriſti, quam eſſe illi concedendam tract. 7. diſp. 32. monſtrauimus, inferior eſt ſcientia per ſe infuſa Angelorum, non ſolum ex parte ſubiecti, & modi, ſed etiam ex parte luminis; cum ſit eiuſdem rationis cum illa, quæ infunditur animæ rationali in ſtatu ſeparationis à corpore, quam eſſe infra ſcientiam Angelicam ex dicendis diſput. 36. conſtabit; ex eadem videtur inferri, Angelicum Doctorem ſentire potuiſſe animam Chriſti ſcientia per ſe infuſa vti cum conuerſione ad phantaſmata, cum doceat eſſe ex hac parte inferiorem ſcientia Angelica.

Articulus quintus. *In quinto docet, hac ſcientiam fuiſſe habitualem, eo quod vnumquodque recipitur ad modum recipientis: eſt autem hic modus connaturalis animæ humanæ, vt quandoque ſit intelligens in actu, quandoque in potentia; medium autem inter puram potentiam, & actum completum eſt habitus, & ideo aſſerendum eſt, quod ſcientia indita animæ Chriſti fuit habitualis, & poterat ea vti, quando volebat. Solutione ad primum ſtatui D. Th. diſcrimen inter ſcientiam beatam animæ Chriſti, & ſcientiam infuſam; qua res cognouit in proprio genere: quod prima, quia non proportionatur modo naturæ humanæ eſt ſimpliciter perfectiſſima, & ideo ſemper in actu: ſecunda autem; quia accommodatur modo ſubiecti cui infunditur, non eſt omnium perfectiſſima ſimpliciter, ſed in genere cognitionis humanæ, & ideo non oportuit, quod eſſet ſemper in actu.* Cuius doctrinæ ſenſus eſt, ſed etiam beatam animæ Chriſti, quia non accommodatur modo naturæ humanæ, nec illi quoad vſum ſubordinatur, eſſe ſimpliciter perfectiſſimam, ideſt, excedentem omnem aliam ſcientiam, non ſolum in ſubſtantia, ſed etiam in modo, & idcirco eſt ſemper in actu: ſcientiam vero inditam, quia proportionatur modo naturæ humanæ, etſi quoad ſubſtantiam omnem aliam ſcientiam rerum in proprio genere excedat, non tamen excedit in modo, & ideo non oportet, quod ſemper in actu ſit. Vnde illa verba. *In genere cognitionis humanæ*, non limitant exceſſum ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti ad humanas cognitiones; cum articulo præcedenti docuerit eſſe perfectiorem Angelica ex parte cauſæ influentis, ſed explicant modum exceſſus, ideſt, excedit, vt cognitio humana, per quod datur intelligi excedere omnem aliam ſcientiam rerum in proprio genere in ſubſtantia, non tamen in modo.

Articulus ſextus. *In ſexto articulo docet, ſcientiam inditam animæ Chriſti eſſe vnam ex parte luminis, plures autem ex parte ſpecierum, eo quod eſt connaturale animæ humanæ, vt recipiat ſpecies in minori vniuerſalitate quam Angeli, ita ſcilicet, quod diuerſas naturas ſpecificas, per diuerſas ſpecies intelligibiles cognoſcat, ſcientia autem indita animæ Chriſti habuit modum connaturalem animæ humanæ.*

Quæſtio 12. Articulus primus. *QVÆSTIONEM Duodecimam diuidit Angelicus Præceptor in quatuor articulos, docens in primo, ſcientiam acquiſitam fuiſſe in anima Chriſti Domini, ne actio intellectus agentis eſſet otioſa, quæ facit intelligibilia in actu, & ſicut per ſcientiam infuſam ſciuit anima Chriſti omnia illa, ad quæ intellectus poſſibilis eſt quocumque modo in potentia: ita per ſcientiam acquiſitam, ſciuit omnia illa, quæ poſſunt ſciri per actionem intellectus agentis.*

Articulus ſecundus. *In ſecundo docet, Chriſtum, etſi in alijs ſcientijs non profecerit ſecundum habitum, in quo eſſentia ſcientiæ conſiſtit, in ſcientia vero acquiſita profecit, non ſolum ſecundum actum, ſed etiam ſecundum habitum noua abſtractione ſpecierum; conueniens enim fuit, hanc etiam habuiſſe actionem.*

Articulus tertius. *In tertio docet, Chriſtum nihil ab homine didiciſſe; nam primum mouens in quolibet genere non mouetur ſecundum illam ſpeciem motus; Chriſtus autem conſtitutus eſt à Deo caput hominum ſecundum influxum gratiæ, & doctrinæ, & ideo non fuit illius dignitati conueniens, vt ab aliquo homine doceretur.*

Articulus quartus. *In quarto articulo docet, nec etiam ab Angelis aliquid didiciſſe. Tùm; quia docuit Angelos, non autem eſt eiuſdem docere, & doceri. Tum etiam; nam anima Chriſti, ſecundum quod nata eſt perfici à ſenſibilibus, non egebat lumine Angelico, ſed ſufficiebat lumen intellectus agentis, vt ab illis ſpecies abſtraheret, prout autem eſt nata perfici ex conuerſione ad ſuperiora, ſufficienter fuit perfecta ſecundum ſcientiam infuſam immediate acceptam à Deo; ſicut enim ſupra communem modum creaturæ anima illa vnita eſt Verbo in vnitate perſonæ, ita ſupra communem modum hominum immediate ab ipſo Dei Verbo repleta eſt ſcientia, & gratia, non autem mediantibus Angelis. Hæc D. Thom. pro quorum explicatione ſequentes diſputationes ſubijcimus.*

DISPVTATIO TRIGESIMA QVINTA.

An omnia obiecta creata poſſint ab anima Chriſti per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognoſci?

§. I.

Referuntur ſententiæ, & ſtatuitur prima concluſio.

1 *Diſputationis ſen ſus aperitur.*

DVAS ſcientias per ſe infuſas in anima Chriſti Domini fuiſſe, naturalem, ſcilicet, & ſupernaturalem, conſtat ex dictis *tract. 7. diſp. 32.* modo eſſentiam ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturalis, quæ præcipuè conſideratur à Theologis explicare conantes, ab illius obiecto incipimus cum Angelico Præceptore: & merito quidem, nam cum ſcientia ſuam ſpeciem ab obiecto recipiat, non aliter melius eſſentiam iſtius ſcientiæ explicabimus, quam illius extenſionẽ, & obiectum examinantes; ex obiectis enim materialibus, ad quæ poteſt terminari, illuſtrationem formalem obiectiuam inferemus. Inquirimus ergo: an tanta ſit ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturalis extenſio, vt per illam Chriſtus Dominus omnia creata cognouerit, hoc eſt, tam ea, quæ per lumen naturale intellectus poſſunt cognoſci, quam illa, quæ naturales vires intellectus excedunt, vel quia in ſua entitate ſupernaturalia ſunt, videlicet, quæ ad ordinem gratiæ ſpectant, vel quæ licet ad ordinem naturalem quoad ſuas entitates pertineant; in ſui tamen cognitione excedunt naturæ vires, vt cogitationes cordis, & futura libera contingentia.

2 *Prima ſententia.* Quæ in re prima ſententia negat, omnia iſta obiecta per ſcientiam infuſam ab anima Chriſti cognoſci. *Secunda.* Secunda per oppoſitum docet, non ſolum entia naturalia, & ſupernaturalia exiſtentia, verum etiam omnia poſſibilia non ſolum *diuiſiuè*, ſed etiam *collectiuè*, fuiſſe ab anima Chriſti *Tertia & vera ſententia.* per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognita. Tertia, & verior ſententia defendit, omnia entia naturalis, & ſupernaturalis ordinis, quæ Deus decreuit producere, fuiſſe cognita ab anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, & aliqua ex poſſibilibus, non vero omnium collectionem. Auctores dabimus noſtram proponentes ſententiam. Pro qua ſit.

3 *Prima concluſio.* PRIMA CONCLVSIO. *Omnia, quæ poſſunt ab homine per virtutem intellectus agentis cognoſci, fuerunt cognita ab anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam.* Ita Caietanus, & Medina *in præſenti art.* 1. Aluarez *diſp.* 57. Illuſtriſſimus Araujo *dub.* 2. *concluſ.* 2. Zippullus *dub.* 1. Cornejo *dub. etiam* 1. & omnes D. Thomæ Diſcipuli. Tenent etiam ex PP. Societatis Suarez *diſput.* 29 *ſect.* 1 & 3. Becanus *c.* 9. *q.* 3. *concl.* 2. Raguſa *diſp.* 90. Cardinalis de Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 2. & 3. Granadus *controu.* 1. *de Incarnat. tractat* 8. *diſp.* 3. *ſect.* 4. quos alij Recentiores ſequuntur. *Caiet. Medin. Aluar. Araujo. Zippul. Cornejo. Suar. Becan. Raguſa. Lugo. Gran.* *Aliqui rã probant.* Probant aliqui ratione D. Thom. *in præſenti art.* 1. nam per ſcientiam infuſam ſupernaturalem fuit reducta ad actum omnis potentialitas animæ Chriſti naturalis, & obedientialis; ſed ratione potentiæ naturalis, eſt in potentia ad intelligendum illa, quæ poſſunt per lumen intellectus agentis cognoſci: ergo hæc omnia per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognouit. *Ratio iſta nõ placet.* Hæc tamen ratio non placet, nec maior aſſumpta eſt vera, nec à D. Thom. intenta, vt conſtat ex dictis *q.* 9. *diſp.* 32. non enim per formam ſupernaturalem poteſt ad actum formaliter reduci, & ſatiari potentiæ naturalis, vt *ibidem* oſtendimus. Non ergo rectè colligitur, cognouiſſe animam Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam omnia, quæ poſſunt intelligi per lumen, ſeu mediante lumine intellectus agentis, ex eo quod per illam debuerit ad actum reduci naturales animæ Chriſti potentia.

4 *Secundo alij Recentiores arguunt.* Secundo alij Recentiores ſic probant; nam Chriſto, vt viatori concedenda eſt ſupernaturalis cognitio entium intrinſecè naturalium. Tum; quia huiuſcemodi cognitio eſt poſſibilis; & conſequenter Chriſto attribuenda. Tum etiã; quia de facto Angeli, & homines in via per fidem plures naturales veritates cognouerunt, vt cœlum, terramque à Deo fuiſſe creatam: ergo & Chriſtus, vt viator ſupernaturali cognitione veritates naturales cognouit; alias vt viator minoratus fuiſſet ab Angelis, & alijs hominibus in cognitione naturalium obiectorum; ſed hæc cognitio ſupernaturalis, non pertinebat ad fidem, quæ in anima Chriſti non fuit: ergo pertinuit ad ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem. *Non vrget hoc argumentũ.* Sed nec vrget hoc argumentum, niſi aliunde iuuetur; poſſet enim anima Chriſti entia naturalia cognoſcere per teſtimonium diuinum cognitum euidenter, euidentia in atteſtante; at ſi hæc cognitio Chriſto, vt viatori competeret, non eſſet inferior Angelis, & hominibus viatoribus; cum eſſet cognitio excedens fidem in claritate; & alias ad ſcientiam per ſe infuſam non pertineret, vt ex dicendis conſtabit: ergo argumento facto non ſuadetur efficaciter, entia naturalia ab humanitate Chriſti cognoſci per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem.

5 *Tertio probari ſolet communiter.* Tertio probari ſolet communiter; congruum enim fuit, quod animæ Chriſti Domini altiori, & perfectiori cognitione obiecta naturalia cognoſceret in ſe ipſis extra Verbum, quam cognoſcuntur ab Angelis; ſed ſi illa non cognoſceret ſupernaturali cognitione, ſed tantum naturali, hac perfectione caruiſſet; cognitio enim naturalis poſſibilis animæ Chriſti, ſiue per ſpecies infuſas, ſiue per ſpecies ex genere ſuo acquiſitas, inferior eſt Angelorum cognitione: ergo cognouit veritates naturales in ſe ipſis ſupernaturali cognitione. *Iſta ratio eſt optima congruentia ſuppoſita poſſibilitate.* Quæ ratio prima congruentia eſt rei poſſibilitate ſuppoſita, illam tamen oportet oſtendere.

6 *Probatur concluſio ratione D. Th.* Vnde ſuadenda eſt concluſio ratione D. Tho *in præſenti art.* 1. ad hanc formam redacta. Scientia per ſe infuſa ſupernaturalis eſt illa, per quam res in proprio genere ſupernaturaliter cognoſcuntur; ſed anima Chriſti Domini cognouit entia naturalia in proprio genere, & in ſe ipſis ſupernaturali cognitione; ergo cognouit illa per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. Illatio eſt in forma. Maior ex dicendis conſtabit. Minor autem probatur; entia naturalia ſunt cognoſcibilia in ſe ipſis ſupernaturali cognitione: ergo anima Chriſti Domini eſt in potentia obedientiali ad illa, vt ſic cognoſcenda; ſed decuit, vt potentia obedientialis animæ Chriſti ad actum reduceretur, ne maneret imperfecta, vtpote in potentia relicta: ergo cognouit entia naturalia in ſe ipſis ſupernaturali cognitione.

7 *Antecedens probatur 1.* Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur primo: nam entitas materialis poteſt per actum ſpiritualem attingi, & de facto terminat intellectualem cognitionem: ergo entitas naturalis terminare poterit cognitionem ſupernaturalem. *Secundo.* Secundo; nam ex eo obiectum non poſſit ſui cognitionem excedere exceſſu ordinis, quo circa nec entitas ſpiritualis, materiali cognitione, nec ſupernaturalis, cognitione naturali poſſunt cognoſci; non tamen eſt neceſſarium, quod ab illa non excedatur; vnde entitas finita, infinitam cognitionem terminare poteſt: ergo non obſtat naturalitas obiecti, quo minus valeat cognitionem ſupernaturalem in ſe ipſo terminare. *Tertio* Denique probatur

tur antecedens ; nam eſto obiectum naturale ſub ratione naturali obiectiua nequeat attingi per cognitionem ſupernaturalem ; poteſt tamen ſub ratione ſupernaturali obiectiua ; at in entibus naturalibus eſt dabilis hæc ratio obiectiua ſupernaturalis, vt ex dicendis conſtabit : ergo poſſunt terminare ſupernaturalem cognitionem.

§. II.

Oppoſitæ ſententiæ argumentis occurritur.

8 *Oppoſita ſententia cum ſuis Auctoribus proponitur.* OPpoſitam ſententiam tennere Scotus, & alij, quos refert Suarez *loco ſupra allegato*. Illam etiam tenet Vazquez *in præſenti diſp.52. cap.1. nu.5.* nam licet doceat, fuiſſe entia naturalia per ſcientiam per ſe infuſam ab anima Chriſti cognita, loquitur de ſcientia per ſe infuſa naturali ; nam per ſupernaturalem negat cognoſci, & omiſſis Scoti argumentis, quibus intendit probare, non poſſe ſingularia per ſpecies per ſe infuſas repræſentari, eo quod deberent dari ſpecies actu infinitæ, de quo 1. *p. q.55. art.3.* Contra noſtram concluſionem arguitur primo ;

9 *Primo arguitur. Antecedens probatur 1.* Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalē infuſam, non cognouit omnia indiuidua naturæ humanæ : ergo non cognouit omnia entia naturalia. Antecedens oſtenditur primo ex D.Th. *in 3 diſt.14. q.1. art.3 quæſtiunc.1. in corp.* vbi docet, geſta particularia hominū, non fuiſſe ab anima Chriſti cognita per ſcientiam infuſam, eo quod non pertinent ad perfectionem intellectus, nec ſecundum naturam, nec ſecundum gratiam: ergo non cognouit per illam omnia indiuidua naturæ humanæ. *Secundo.* Secundo probatur ; nam ex entibus naturalibus illa cognoſcuntur ab anima Chriſti per ſcientiam infuſam, quæ ab ipſa cognoſci poſſunt per lumen intellectus agentis: ſed indiuidua non poſſunt per lumen intellectus agentis cognoſci ; ſpecies enim ab intellectu agente cauſatæ; cum per abſtractionem fiant, non cōtinent ſingularia : ergo non poſſunt per ſcientiam ſupernaturalem infuſam ab anima Chriſti cognoſci. *Tertio.* Tertio probatur ; nam indiuidua naturæ humanæ v.c. non cognouit per vnam ſpeciem, nec per plures ſpecies infuſas: ergo illa nō cognouit. Antecedens pro ſecunda parte conſtat; nam ſi pluribus ſpeciebus hæc indiuidua cognouiſſet eſſent infuſæ intellectui Chriſti, tot ſpecies, quot ſunt hominis indiuidua; cumque hæc ſint infinita in potentia eſſent ei infuſæ infinitæ ſpecies in actu, quod implicat.

10 Pro prima vero parte probatur ; nam indiuidua hominis ſunt infinita in potentia ; ſed vna ſpecies nequit repræſentare infinita : ergo non poteſt omnia indiuidua naturæ humanæ repræſentare. Minor probatur; nam ſola ſpecies infinita poteſt infinita repræſentare. Tum ; quia ſpecies ab obiecto ſpecificatur ; & conſequenter ab obiecto infinito, infinita conſtituitur. Tum etiam ; quia eo ipſo, quod infinita repræſentet, æquiualet infinitis ſpeciebus ; finitum autem infinito æquiualere non poteſt. Tum tertio ; nam quo plura per ſpeciem repræſentantur, eo perfectior eſt ſpecies, & conſequenter ſpecies, qua repræſentantur infinita, neceſſario eſſet infinitæ perfectionis ; ſed ſpecies infinita repugnat: ergo repugnat ſpecies repræſentans infinita indiuidua. Denique probatur ratione ex D.Th. vbi *ſupra* deſumpta ; Chriſtus enim per ſcientiam infuſam ſupernaturalem, ſolum cognouit ea, quæ pertinent ad perfectionem naturæ, vel gratiæ ; ſed cognitio geſtorum hominum in particulari, non pertinent ad perfectionem intellectualis naturæ ; cum ſingularia non conſiderentur ab intellectu per ſe, nec ad perfectionem gratiæ ; tùm ex eadem ratione : tùm etiam; quia gratia Chriſti, & noſtra ſunt eiuſdem ſpeciei ; non autem debetur nobis prædicta cognitio ; & conſequenter nec Chriſto ratione gratiæ : ergo non cognouit illa Chriſtus per ſcientiam infuſam ſupernaturalem.

11 *Reſpond. Ad 1. antecedentis probationem. Ad 2. reſpond. 1.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad primā probationem dicatur cum Caietano *in præſenti art.1. §. ad 3 dub.* D.Th. ſententiam, quam in allegatis locis docuerat, expreſsè *in hoc art. in ſolut. ad 3.* retractaſſe. Ad ſecundam, nego maiorē; cognouit enim anima Chriſti per huiuſmodi ſcientiam Angelos quidditatiuè ; quos tamen per virtutē intellectus agentis nequit cognoſcere. Et ratio eſt ; nam anima Chriſti, qua ratione beatitudinis, etſi eſſet corpori vnita ; non tamen erat corpori ad intelligendum ſubiecta, erat naturaliter potens intelligere, nedum per conuerſionem ad phantaſmata per ſpecies à rebus acceptas, ſed etiam per conuerſionem ad ſuperiora, & per ſpecies per ſe infuſa, vt vidimus *q.9.* & ideo per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem, non ſolum cognouit illa, quæ virtute intellectus agentis poſſunt cognoſci, ſed etiam, quæ per ſpecies infuſas poſſunt repræſentari.

12 *Secundo reſpond.* Vel ſecundo, prætermiſſa maiori, diſtinguo minorem : directè, concedo minorem : reflexè, nego minorem, & conſequentiam ; nam licet ſingularia nequeant cognoſci per virtutem intellectus agentis directè, eo quod ſpecies per abſtractionem à conditionibus indiuiduantibus in repræſentando cauſantur; reflexè tamen poſſunt per illius virtutem cognoſci, vt docent *Thomiſtæ* Thomiſtæ *lib.1. Phyſicor. & lib.1. de Anima*. Et ideo oportuit, quod per ſcientiam infuſam à Chriſto cognoſcerentur, non reflexè, ſed directè, eo quod ſpecies per ſe infuſæ non fiunt per abſtractionem, ſed ſunt participationes diuinarum idæarum, à quibus directè repræſentatur natura, vt in indiuiduis contracta. Vnde etiam ipſæ ſpecies habitæ per infuſionem à Deo, non repræſentant naturam à ſingularibus abſtractam, ſed vt contractam in illis.

13 *Ad tertiū* Ad tertiam, nego primam partē antecedentis. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, nego minorem : nec obſtat prima minoris probatio. Tùm; quia vt docet D.Th. *q.20. de Verit. art.4. ad 2.* cognitio attingens infinita, efficacia finita, non euadit infinita; cognitio autem, qua Chriſtus infinita indiuidua cognoſcit, efficacia infinita non gaudet. Tùm etiam; quia vt docet idem D.Tho. *loco allegat. ſolut. ad 1. & q. præcedenti art.3. ad 2.* cum obiectum intellectus ſit, *quod quid eſt*, vt illius actus infinitetur, oportet, quod erga obiectum infinitæ quidditatis verſetur ; indiuidua autem humanæ naturæ, etſi infinita ſint in potentia infinitudine quantitatis diſcretè ; omnia tamen ſunt quidditatis limitatæ, & finitæ ; & idcirco non communicant ſuæ comprehenſiuæ cognitioni infinitatem intrinſecam in ratione cognitionis. Nec ſecunda ; ſpecies enim ſuperioris ordinis, poteſt infinitis inferioris ordinis æquiualere, imo & illas excedere. Vnde viſio beatifica, etſi limitata ſit, & finita, æquiualet, imo excedit infinitas cognitiones ordinis naturæ, & gratiæ rerum extra Verbum Quatenus circa Deū quidditatiuè attingit, quem infinitæ illæ cognitiones non poſſunt ſpecies autem per ſe infuſæ animæ Chriſti, ſunt ordinis ſuperioris ad ſpecies abſtractas a ſenſibus ; ac proinde vna illarū poteſt infinitis à ſenſibus abſtractis æquiualere. Quę doctrina eſt Caiet. *q. præcedenti art.3. § in hac reſp.*

14 *Inſtabis.* Si dicas, infinita indiuidua naturæ humanæ, poſſe repræſentari ſpeciebus infinitis per ſe infuſis ſupernaturalibus ac proinde eiuſdē ordinis cum illis, per quā Nos aſſerimus omnia repræſentari, cum nulla ſit repugnantia, in eo quod vna ſpecie repræſentetur natura in vno tantum indiuiduo ; & conſequenter in eo quod multiplicentur, tot ſpecies quot ſunt indiuidua ; ſed non poteſt vna ſpecies æquiualere infinitis eiuſdem ordinis: ergo non poteſt vna ſpecies repræſentare infinita indiuidua naturæ humanę. *Reſpōdet.* Reſpōdeo ex dictis *q. præced. diſp.24. §.6. ad vlt.* permiſſa maiori, diſtinguendo minorem : quoad terminationem ad obiecta, nego minorem : quoad perfectionem, ſubdiſtinguo : ſi illarum infinita perfectio ea meritis obiecti petatur, concedo minorem : ſi tanto permittatur, nego minorem, & conſequentiam ; nam infinitas hæc ſpecierum per ſe infuſarum, non petitur à naturæ humanæ indiuiduis, cum poſſint plura illorum vna ſpecie repræſentari ; ac proinde ad ſummum poteſt permitti.

15 *Ad 3. probationem* Nec denique obſtat tertia minoris probatio, reſpondeo enim ex dictis vbi *proximè*, nimirum, quo plura indiuidua per ſpeciem repræſentantur, eo eſſe perfectiorem intra limites perfectionis finitæ, non ſine hac limitatione : eo autem ipſo, quod incrementum perfectionis ſpeciei in plurium indiuiduorum repræſentatione fit cum hac limitatione, non ſequitur vt infinita repræſententur, exigi perfectionem infinitam in ſpecie repræſentante. Ratio autem limitationis eſt ; nam cum omnia indiuidua naturæ humanæ contineantur ſub ſpecie quidditatiuè finita, & ratione illius repræſententur, nequeunt ad ſui adæquatam, & comprehenſiuam repræſentationem exigere in ſpecie impreſſa infinitam perfectionem.

16 *Ad vltimā antecedentis probationem.* Ad vltimam antecedentis probationem reſpondeo cum D.Th. *in præſenti art.1. ad 3.* quod licet ſingularia contingentia non pertineat ad perfectionem intellectus ſpeculatiui, pertinent tamen ad intellectus practici perfectionem; ad prudentiam enim exigitur memoria præteritorum, co-

gnitio

gnitio præſentium, prouidentiaque futurorum, quæ ſingularia contingentia ſunt; Chriſtus autem per ſcientiam ſupernaturalem infuſam debuit cognoſcere, non ſolum ea, quæ intellectum ſpeculatiuum perficiunt, ſed etiam ea, quorum cognitio intellectum practicum perficit.

17 *Oppones 1.* Si oppones primo, ad prudentiam non pertinere, niſi tantum ſingularia agibilia cum ſit recta ratio agibilium in ordine ad finem honeſtum: ergo ex eo quod ſingularium cognitio intellectum practicum ratione prudentiæ perficiant, ſolum infertur, debere à Chriſto per ſcientiam infuſam cognoſci ſingularia agibilia hoc eſt, quæ ad illius actiones, vt dirigibiles in fine honeſtum ſpectant, nõ vero alia ſingularia, vt cogitationes aliorum, & indiuidua materialia. *Reſpond.* Reſpondet Caietanus in *præſenti art. 1. § ad 3. dub.* quod licet ad prudentiam monaſticam, ſolum ſpectent ſingularia agibilia; ad politicam vero, & regalem; imo & Monarchicam totius vniuerſi prudentiam omnia indiuidua totius vniuerſi ſpectant, & quia in Chriſto hæc fuit, eo quod omnia fuerunt illi à Patre ſubiecta conſequens fit, quod omnium indiuiduorum cognitio ad intellectum Chriſti practicum ſpectet.

18 *Oppones 2.* Si opponas ſecundo, ex hoc, quod ſingularium cognitio ſit de perfectione intellectus practici in Chriſto, tantum ſequitur, debuiſſe ab illo per prudentiam naturalem, vel ſupernaturalem cognoſci, non vero per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem: ergo ſolutio tradita non ſubſiſtit. Probatur antecedens; nam per hoc ſolum, quod à Chriſto Domino per prudentiam cognoſcatur, non deeſt illi intellectus practici perfectio: ergo nulla eſt neceſſitas, quod per aliud lumen in ſe ipſis cognoſcantur. *Reſpond.* Reſpondeo negando antecedens; vt enim docet D. Th. *art. 1. in corp.* omnia, quæ ab intellectu noſtro naturaliter cognoſcuntur, & per diuinam reuelationem, oportuit, quod à Chriſto Domino per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognoſceretur; eo quod ad illa ſic cognoſcenda eſt in intellectu Chriſti potentia. Vnde ſicut ex eo quod obiecta naturalia cognitione naturali cognoſcantur, non ſequitur ſuperfluere cognitionem ſupernaturalem eorundem habita per ſcientiam infuſam: ita ex eo quod agibilia; & factibilia ab intellectu Chriſti cognoſcantur, non ſequitur ſuperfluere illorum ſupernaturalem cognitionem per ſcientiam ſupernaturalem infuſam; nam etiam ad illa ſic cognoſcenda, ſcilicet, per ſpecies per ſe infuſas ſupernaturales, eſt in intellectu Chriſti capacitas, quæ proinde expleri debuit.

19 *Inſtabis.* Inſtabis; ſequi ex iſta ſolutione, ſuperfluum fuiſſe, imo impoſſibilem Chriſto cognitionem practicam agibilium, quæ eſt actus prudentiæ infuſæ; conſequens eſt falſum: ergo ſolutio. Patet ſequela quoad primam partem; eo quod agibilia perfectè cognoſcuntur à Chriſto per habitum ſcientiæ infuſæ: ergo ſuperfluet eorundem agibilium cognitio per habitum infuſum prudentiæ. Pro ſecunda vero probatur non enim poteſt eidem intellectui ſimul, & pro eodem tempore duplex cognitio eiuſdem ordinis, & circa idem obiectum conuenire: ergo admiſſa cognitione ſupernaturali agibilium per habitum ſcientiæ infuſæ, non eſt in intellectu Chriſti capacitas ad eorundem cognitionem per habitum infuſum prudentiæ.

20 *Reſpondetur.* Reſpondeo, negando vtramque partem ſequelæ. Ad primæ probationem dicatur, quod ſicut non ſuperfluit cognitio rerum in proprio genere, quæ habetur per ſcientiam infuſam, non obſtante quod eadem obiecta per ſcientiam beatã cognoſcantur à Chriſto, nec ſuperfluit naturalis cognitio rerum in proprio genere quamuis etiam ſupernaturaliter cognoſcantur, nec ſuperfluit ſcientia naturali per ſe infuſa rerum, quas Chriſtus per ſcientiam acquiſitam cognoſcit: ita licet ſingularia per ſcientiã per ſe infuſam cognoſcantur ab anima Chriſti, non ſuperfluit cognitio eorundem ſingularium per habitum infuſum prudentiæ, & omnium ratio habetur ex dictis; tanta eſt enim dignitas humanitatis Chriſti, vt illi, non ſolum ſit debita omnium obiectorum cognitio, ſed etiam omnis cognitionis modus ad quem eſt in illa capacitas. Ad probationem ſecundæ partis dicatur, verum eſſe antecedens, ſi circa idem obiectum formale, & materiale verſentur ſecus autem, ſi differant penès formale, quamuis in materiali obiecto coincidant, ſicut in præſenti contingit; ſcientia enim per ſe infuſa, cum ſpecie diſtinguatur à prudentia ſupernaturali, neceſſario ab illa differt penès obiectum formale. Præterquamquod ad ſummum inferebatur, non poſſe eſſe ſimul actus ab vtroque habitu elicitus, non vero, quod pro diuerſis temporibus, non poſſit humanitas Chriſti ſingularia agibilia cognoſcere per ſcientiam per ſe infuſam, & per habitum infuſum prudentiæ.

Secundo arguitur; ſingularia, vt exiſtentia non cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam: ergo non cognoſcuntur per illam omnia entia naturalia, ſaltim intuitiuè, quando exiſtunt. *21 Secundo arguitur.* Antecedens probatur; quæ cognoſcuntur per ſcientiã ſupernaturalem infuſam repræſentantur per ſpecies per ſe infuſas; ſed iſtæ non repræſentant ſingularia, vt exiſtentia: ergo non cognoſcuntur prout ſic per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. Minor oſtenditur primo; quod namque eodem modo repræſentat, ſiuè exiſtat res, ſiuè non, nequit illam, vt exiſtentem repræſentare; ſed ſpecies per ſe infuſæ repræſentat eodem modo, ſiuè res exiſtat, ſiuè non exiſtat: ergo non repræſentat illam, vt exiſtentem. Secundo; nam hæc eſt differentia inter complexiones contingentes, & neceſſarias, quod iſtæ, quia ſunt de eſſentia ſubiecti repræſentantur per ſpeciem quidditatiuam illius; complexiones autem contingentes, cum nõ ſint de eſſentia, per extremorum non repræſentantur per illorum ſpecies; at exiſtentia contingenter comparatur ad rem cuius eſt exiſtentia; ergo non poteſt per illius ſpeciem repræſentari, ſed per aliam, quæ propria exiſtentiæ ſit ab obiecto, vt exiſtente producta; ac proinde res, vt exiſtens per ſpeciem per ſe infuſam repræſentari non poteſt.

Reſpondeo, negando antecedens: ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad cuius primam probationem reſpondeo cum Caietano *in præſenti art. 1.* diſtinguendo maiorem; quod eodem modo repræſentat, tam ex parte ſui, quam ex parte obiecti repræſentat, concedo maiorem: ex parte ſui ſolum cum diuerſitate ex parte obiecti repræſentati, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam licet ſpecies per ſe infuſa inuariata ex parte ſui, repræſentet rem exiſtentem, & non exiſtentem; ex parte vero obiecti diuerſimode repræſentat; nam cum exiſtit, repræſentat exiſtentiam, vt exercitam: ſecus autem quando non exiſtit, ſicut eſſentia diuina, cuius eſt ſpecies per ſe infuſa participatio, rem, vt exiſtentem diuerſimode repræſentat, ac repræſentabat, quando non exiſtebat; non quidem diuerſitate ſe tenente ex parte diuinæ eſſentiæ, ſed ex parte rei repræſentatæ. Ad ſecundam, nego maiorem, nec obſtat complexiones contingentes eſſe extra eſſentiam ſubiecti; nam etiam propriæ paſſiones de eſſentia ſubiecti non ſunt; & tamen per ſpeciem infuſã quidditatis ſubiecti repræſentantur, & diuina eſſentia, vt idea nedũ complexiones neceſſarias, ſed etiam contingentes repræſentat inuariata ex parte ſui. *22 Reſpondetur.*

Denique arguitur; ens naturale non poteſt per cognitionem ſupernaturalem cognoſci: ergo comprehendi nequit ſub obiecto ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis. Conſequentia patet; nam omne, quod ſub obiecto hoius ſcientiæ continetur, poteſt per illius actus attingi; actus autem ſupernaturalis ſcientiæ ſupernaturales ſunt: ergo non potens, ſupernaturale actũ terminare, ſub obiecto ſcientiæ ſupernaturalis non comprehenditur. *23 Vltimo arguitur.* Antecedens autem probatur primo ens ſupernaturale non poteſt cognoſci, ſaltim euidenter per actum naturalem: ergo è contra; ens naturale per cognitionem ſupernaturalẽ non poteſt cognoſci quidditatiuè. *Antecedens probatur. 1.* Secundo; inter actum, & obiectum debet proportio intercedere, ſed inter actum ſupernaturalem, & obiectum naturale propoſitio non inuenitur: ergo ens naturale non poteſt ſupernaturalem actum terminare. *Secundo.* Tertio; nam actus naturalis, & actus ſupernaturalis differunt penès obiecta; ſed ens naturale eſt obiectum actus naturalis: ergo eſſe nequit obiectum actus ſupernaturalis; aliàs in obiecto non differrent. *Tertio.* Denique; nam ſpecies actus ſumitur ab obiecto: ergo ſpecies actus ſupernaturalis ab obiecto ſupernaturali, & naturalis à naturali deſumuntur; at in ente naturali in ſe, & ratione ſui cognito, nulla eſt ſupernaturalitas: ergo in ſe, & ratione ſui non poteſt ſupernaturali cognitione cognoſci. *Quarto.*

Ex quo præcluditur aliquorum inſtantia, nimirum, viſionis beatificæ, quæ ſupernaturalis eſt; & tamen entitates naturales attingit; viſio namque beatifica nõ verſatur erga creaturas primario, & ratione ſui ſed ſecundario, & ratione Dei, quatenus eſt primarium eius obiectum, & ens ſupernaturale; ac proinde non mirum, quod quamuis ſupernaturalis ſit, entitates naturales attingat. Excluditur etiã aliorum inſtantiam ſumpta ex actu fidei, qui ſupernaturalis eſt; & tamen erga obiecta naturalia verſatur. Fides namque nõ verſatur erga veritates creatas primario, ſed ſecundario, & ratione Dei, vt Auctoris ſupernaturalis, qui *24 Aliquorũ ſolutio præcluditur. Aliorum ſolutio reijcitur.*

vt

vt ſic eſt illius obiectum formale *quod*, & vt ſtant ſub diuina reuelatione ſupernaturali, quæ eſt ratio formalis *ſub qua*; & ideo quamuis ſupernaturalis ſit poteſt entitates naturales attingere; nam ſpecies non à ſecundario obiecto, ſed à primario deſumitur; ſcientia autem per ſe infuſa per ſe primo erga entitates creatas verſatur, illaſque in ſe, & ratione ſui, non ratione diuinæ reuelationis attingit; ac proinde ſcientia naturalia ſub illius obiecto continentur, ab illa in ſe, & ratione ſui attinguntur. Vnde viget difficultas poſita, quomodo cum ſit ſupernaturalis poſſit erga obiectum naturale verſari illud in ſe, & ratione ſui attingendo.

25 *Reſpond. ad 1. antecedentis probationem.* Reſpondeo negando antecedens. Ad primam probationem, nego conſequentiam; ratio autem diſcriminis eſt; nam cognitio quidditatiua connectitur cum ſuo obiecto, & illius exiſtentiam expoſcit; nulla autem eſt repugnantia, in eo quod ſupernaturalis cognitio cum ente naturali connectatur, & illius exigat exiſtentiam: quod vero cognitio naturalis exigat exiſtentiam entis ſupernaturalis, & cum illo connectatur, repugnat; eſt enim de ratione entis ſupernaturalis eleuari ſupra omnem exigentiam naturæ; & ideo poteſt ſupernaturalis cognitio erga obiectum naturale verſari; ſecus autem cognitio naturalis erga obiectum ſupernaturale.

26 *Ad ſecundam. Inter actū & obiectū non requiritur entitatiua proportio.* Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: proportio entitatiua, nego maiorem: proportio habitudinis, & in ratione obiecti formaliter, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiā; nā vt obiectum attingatur per actum, non petitur conueniētia entitatiua; Deus namque per viſionem creatam quidditatiue cognoſcitur, etſi entitatiuè diſtet infinite ab illa, quia eius habitudinem terminat, & intra obiectum intellectus continetur. Similiter res ordinis naturalis ſupernaturali fide creduntur, etſi entitatiuè in ordine conueniant cum illa. Licet autem entia naturalia non conueniant entitatiuè in ordine cum ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali; conueniunt tamen cum illa conuenientia habitudinis, quia illius habitudinem terminant, & in ratione obiecti cognoſcibilis qualiter ſupernaturalia ſunt, vt mox explicabimus.

27 *Ad tertiā.* Ad tertiam, diſtiguo maiorem: penes obiectum formale, concedo maiorem: penes materiale obiectum, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam in ente naturali eſt attingibilitas per actum naturalem, quæ naturalis eſt *entitatiuè*, & *obiectiuè*, & attingibilitas per actum ſupernaturalem, quæ licet *entitatiuè* ſit naturalis, eſt ſupernaturalis *obiectiuè*: ſub prima ſpecificat actum naturalem, ſub ſecunda ſupernaturalem. Vnde etſi in materiali obiecto coincidant, differunt penes formale.

28 *Ad vltimā reſpondens aliqui. Reijcitur illorum ſolutio.* Ad vltimam antecedentis probationem variè occurritur ab Auctoribus noſtræ ſententiæ. Prima ſolutio eſt: ſpecificationem actus ſumi ab obiecto, & à modo tendendi in illud; ac proinde, vt actus ſupernaturalis, & naturalis eſſentialiter diſtinguantur, ſufficit diuerſus modus tendendi in obiectum, etſi obiectum, tam formale, quam materiale reſpectu vtriuſque ſit idem: Sed contra; nam modus tendendi non eſt extra eſſentiam actus, ſed illi eſſentialis; aliàs ex diuerſo modo tendendi non ſumeretur eſſentialis actuum diſtinctio, qualis eſt, quæ verſatur inter actum naturalem, & actum ſupernaturalem: ergo diſtingui penès diuerſum modum tendendi, eſt diſtingui per habitudines eſſentialiter diſtinctas; ſed iſtæ habitudines nequeunt eſſe vltima diſtinctiua, ſed illorum diſtinctio ſumitur ab obiecto; potentias enim per actus, actuſque per obiecta diſtingui, eſt communis Philoſophorum doctrina: ergo diſtinctio actus naturalis à ſupernaturali ſumenda eſt ex diuerſa ratione formali obiectiua.

29 *Secunda aliorum ſolutio.* Dices, & eſt ſecunda ſolutio; rationem formalem obiecti eſſe triplicem, nempè, rationem formalem *qua*, & rationem formalem *ſub qua*, ſeu *motiuam*, & rationem *formaliſſimam*, quæ vltima in nullo alio conſiſtit, quam in paſſiua attingibilitate per actum, vel potentiam, & hanc vltimam conuenire obiecto per refuſionem modi, quo actus, vel potentia tendit in ipſam: vt ergo actus naturalis, & ſupernaturalis eſſentialiter diſtinguantur, illorumq; diſtinctio ex obiecto deſumatur; non eſt neceſſarium, quod ratio *qua* obiectiua per illos cognita ſit diſtincta, vt omnes fatentur, nec quod ratio formalis *ſub qua*, ſeu *motiua* diuerſa ſit in comparatione ad vtrumque, ſed ſufficit rationem *vltimam*, & *formaliſſimam* eſſe diuerſam, quod rectè ſaluatur in ente naturali, vt cognito per actum naturalem, & ſupernaturalem; nam licet ratio *qua* cognita per vtrumque ſit eadem, & ſimiliter ratio *ſub qua*; ſeu *motiua*, nam medium cognoſcendi idem eſt, v. c. in hac propoſitione. *Homo eſt riſibilis*, eſſentia hominis eſt medium *in quo*, per vtrumque actum cognoſcitur; eſt tamen in ente naturali duplex attingibilitas *obiectiuè* diuerſa altera in ordine ad actum naturalem, & altera in ordine ad ſupernaturalem, quæ attingibilitates, etſi *entitatiuè* non differant, diſtinguuntur tamen *obiectiuè*, & ſub vna ſpecificant actum naturalem; & actum ſupernaturalem ſub altera.

30 *Reijcitur.* Sed non placet iſta ſolutio. Primo; quia iuxta illam, non tam actus diſtinguuntur per obiecta, quam obiecta per actus, & in hoc circulus vitioſus committitur: ſi namque inquiramus, cur actus ſit ſupernaturalis, & à naturali diſtinguantur? Reſponderi debet, quia ratio formaliſſima obiecti vtriuſque eſt diſtincta, in vno naturalis, & ſupernaturalis in altero; huius autem rationem inueſtiganti, reſpondendum eſt iuxta hanc ſolutionem, quia attingibilitas vnius, naturalis eſt, & alterius attingibilitas eſt ſupernaturalis. Et rurſus inquirenti, cur vnius attingibilitas ſit ſupernaturalis, & alterius ſit naturalis? Reſpondendum eſſet iuxta hanc ſolutionem, quia eſt attingibile per actum naturalem, & etiam per ſupernaturalem: ergo iam redditur pro ratione ſupernaturalitatis actus, ſupernaturalitas obiecti, & pro ratione ſupernaturalitatis obiecti ſupernaturalitas actus, quod eſt circulum vitioſum committere, & principium petere.

Secundo. Secundo; nam communis metaphyſicorum doctrina, ſolum diſtinguit in obiectis actuum, habituum, & potentiarum rationem omnino materialem, quæ ſcilicet, non ſpecificat habitudinem illorum, rationem formalem *qua*, & rationem formalem *ſub qua*, ſeu *motiuam*: ergo vlterior hæc formaliſſima ratio ſuperaddenda non eſt. Tertio; *Tertio.* nam aliàs ſuperflueret tantus metaphyſicorum labor in inueſtiganda diuerſitate obiectiua pro habitibus, & potentijs diuerſis; cum vitari facile poſſet in doctrina traditæ ſolutionis aſſerendo, diſtingui potentias, habitus, & actus per diuerſas attingibilitates obiectiuas refuſas in obiectis ex diuerſo modo, quo à potentijs habitibus, & actibus reſpiciuntur. Denique; nam ex illa ſequitur, poſſe motiuum formale fidei diuinæ per actum naturalem *Quarto.* attingi formaliter, & motiuum formale fidei humanæ per actum ſupernaturalem fidei, quod falſum eſſe, oſtendimus cum frequentiori Theologorum ſententia *Tractatu de Viſione Dei q. 12. art. 1.*

31 *Tertio reſpondent alij.* Tertio alij per extremum reſpondent concedendo primam, & ſecundam conſequentiam; nimirum, entia naturalia, non poſſe per actum ſupernaturalem cognoſci in ſe, & ratione ſui, ſed in entibus ſupernaturalibus cum naturalibus connexis; gratia enim v. c. & aliæ entitates ſupernaturales connexionem habent cum entibus naturalibus; nam gratia habitualis reſpicit animam, vt ſubiectum, viſio beatifica, & alij actus ſupernaturales, illam, vt principium actiuum reſpiciunt, cumque non poſſit reſpectiuum cognoſci, non cognitio termino habitudinis illius; conſequens ſit, quod ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis, primario attingens formas ſupernaturales non poſſit, non cognoſcere in illis entia naturalia, cum quibus habent connexionem.

32 *Diſplicet iſta ſolutio & reijcitur.* Sed nec placet iſta ſolutio, & reijcitur primo; nam cognitio entis naturalis in ſupernaturalibus cognitis, nequit eſſe cognitio à priori, ſed à poſteriori tantum; at cognitio entium naturalium per ſcientiam infuſam eſt cognitio à priori vtpotè perfectior cognitione illorum naturali, quæ à priori eſt: ergo cognitio entium naturalium habita per ſcientiam infuſam, non terminatur ad illa in entibus ſupernaturalibus, vt obiectis prius cognitis. Maior probatur, entia ſupernaturalia creata, non ſunt cauſæ entium naturalium, ſed illorum effectus in genere cauſæ materialis, vel effectiuæ remotæ; ſed cognitio cauſæ in effectu, vel per effectum non eſt cognitio à priori, ſed à poſteriori: ergo cognitio entis naturalis in ſupernaturalibus prius cognitis, non eſt cognitio à priori ſed à poſteriori ſolum.

33 *Secunda.* Secundo; nam cognitio entium naturalium habita per ſcientiam infuſam, eſt quidditatiua, & comprehenſiua; ſed in entibus ſupernaturalibus, non poſſunt naturalia comprehenſiuè, nec quidditatiuè cognoſci: ergo non cognoſcuntur per ſcientiam infuſam, naturalia in ſupernaturalibus tantum. Minor oſtenditur primo; cognitio quidditatiua alicuius, ſolum poteſt haberi per ſpeciem

pro-

proprium illius, vel alterius ipſum eminenter continentis; ſed ſpecies entis ſupernaturalis creati, non eſt propria entis naturalis, vt per ſe eſt manifeſtum, nec eſt ſpecies rei continentis eminenter ens naturale; nam ens ſupernaturale, cuius propria ſpecies eſt, non continet eminenter ens naturale: ergo in ente ſupernaturali creato, non poteſt ens naturale quidditatiuè cognoſci. Secundo; nam ex tali cognitione effectus non cognoſcitur cauſa, niſi tantum quoad *an eſt*; ſed cognitio entis naturalis, ex vi ſupernaturalis entis prius cogniti, eſt cognitio cauſæ in effectu: ergo eſt tantum quoad *an ſit*, non vero quidditatiua, nec comprehenſiua.

34 *Vera ſolutio.* Quare his omiſſis ſolutionibus, ad vltimam antecedentis probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: ſpecies actus ſupernaturalis ſumitur ab obiecto ſupernaturali *entitatiuè* ſemper, nego conſequentiam, ſupernaturali *entitatiuè*, vel *obiectiuè*, & in ratione cognoſcibilis, concedo conſequentiam: & ſub eadem diſtinctione minoris ſubſumptæ, nego conſequentiam; vt enim cognitio ſupernaturalis ſit, non eſt neceſſarium, quod illius obiectũ ſit entitatiuè ſupernaturale, ſed ſufficit, quod in ratione cognoſcibilis ſupernaturale, ſit, hoc eſt, quod totam vim naturæ cognoſcitiuam excedat, vt conſtat in cognitione cogitationum cordis, futurorumque contingentium, quæ ſupernaturalis eſt *entitatiuè*; & tamen non omnes cogitationes cordium, nec omnia futura contingentia ſupernaturalia ſunt *entitatiuè*; ſed tantum in ratione obiecti cognoſcibilis, eo quod nequeant per naturæ vires cognoſci; licet autem in entibus naturalibus in ſe, & ratione ſui cogniti nihil detur *entitatiuè* ſupernaturale; eſt tamen in illis aliquid ſupernaturale, nempè, obedientialis potentia reſpectu Dei Auctoris ſupernaturalis, quæ licet *entitatiuè* ſumpta ſit naturalis, eſt ſupernaturalis *terminatiuè*, & in ratione cognoſcibilis; non enim poteſt ab homine, nec ab Angelo, nec ab aliqua natura intellectiua creabili per proprias vires cognoſci quidditatiuè; ac proinde ratione huius potentię terminare poſſunt ſupernaturalem ſcientię infuſæ cognitionem.

35 *Replicabis 1.* Sed contra iſtam ſolutionem obijcies primo; in ente ſupernaturali nihil datur, quod in ſe, & ratione ſui poſſit naturalem cognitionem terminare: ergo è contra, in ente naturali nihil reperiri poteſt, quod ratione ſui, & in ſe terminet ſupernaturalem cognitionem. *Secundo.* Secundo; nam cognoſcibilitas ſequitur entitatem: ergo ad entitatem naturalem, non poteſt ſupernaturalis cognoſcibilitas conſequi, vel in illa fundari; & conſequenter ſi potentia obedientialis eſt entitatiuè naturalis, illius cognoſcibilitas, ſupernaturalis eſſe non poteſt. Tertiò; nam ex ſolutione data, ad *Tertio.* ſummum haberi poteſt, quod potentia obedientialis, quæ in ente naturali reperitur, cognoſcatur per ſcientiam infuſam ſupernaturalem; non verò, quod per illam cognoſcantur entia naturalia, quatenus ſunt naturalia, & ſecundum ſuas naturales potentias; hoc ſecundum contendit noſtra ſententia: ergo ſolutio tradita illi conformis non eſt. *Quarto.* Denique; nam cognitio hominis, in quantum riſibilis, habita per ſcientiam infuſam eſt cognitio ſcientifica; ſed medium, & formale obiectum cognitionis ſcientificæ, eſt eſſentia paſſiones radicans: ergo obiectum formale, & motiuum illius cognitionis eſt eſſentia hominis riſibilitatem radicans, & non potentia obedientialis, quæ in homini reperitur in ordine ad formas ſupernaturales.

36 *Ad 1. replicam reſpond.* Reſpondeo ad primam obiectionem, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; quia in ente naturali poteſt dari habitudo ad formas ſupernaturales, cumque habitudo cognoſci non poſſit, non cognito illius termino, & formæ ſupernaturales viribus naturæ nequeant cognoſci, poteſt in ente naturali reperiri aliquid, non cognoſcibile, niſi per cognitionem ſupernaturalem. In ente autem ſu- *Ad ſecundam.* pernaturali nulla datur habitudo, ratione cuius poſſit naturali cognitione cognoſci; & ideo nihil poteſt dari in illo cognitionem naturalem valens terminare. Ad ſecundam, *Cognoſcibilitas ſequitur entitatem ſecundũ intrinſeca, & extrinſeca entitatis.* diſtinguo antecedens: ſequitur ad entitatem ſecundum intrinſeca, & extrinſeca entitatis, concedo antecedens: ſecundum intrinſeca ſolum, nego antecedens, & conſequentiam; nam eo ipſo, quod extrinſeca terminantia habitudinem, vel connexione alicuius entitatis naturalem cognitionem excedant, entitas ipſa, prout talem habitudinem dicit, cognitionem naturalem ſubterfugit; ac proinde prout ſic eſt ſupernaturalis in ratione cognoſcibilis.

37 *Ad tertiã.* Ad tertiam, nego maiorem; nam eo ipſo, quod potentia obedientialis in ente naturali reperta, terminet ſupernaturalem cognitionem habitam per ſcientiam infuſam;

enim hæc cognitio comprehenſiua ſit, non poteſt non terminari ad entitatem naturalem, & ad omnes formalitates eius, cum quibus obedientialis potentia identificata inuenitur; ſi nemq; videri nequit formalitas aliqua, non viſis alijs formalitatibus, cum quibus eſt identificata, à fortiori comprehendi non poterit, illis non comprehenſis, vel ſaltim quidditatiuè non cognitis.

Sed dices, poteſt entitas naturalis comprehenſiuè cognoſci non cognita potentia obedientiali cum illa identificata: ergo è contra, comprehendi poterit potentia obedientialis non cognita entitate naturali, quamuis cum illa identificata. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; nam de ratione viſionis, ſeu comprehenſionis, ſolum eſt, quod per illam cognoſcantur formalitates obiecti conuenientes inter ſe in ratione cognoſcibilis; potentia autem obedientialis, non conuenit cum naturali potentia in ratione cognoſcibilis naturali cognitione, & ideo videri poteſt entitas, vel potentia naturalis, & naturali comprehenſione comprehendi, non cognita potentia obedientiali, ſicut contingit in Angelis, naturam v. g. humanam comprehendentibus, qui tamen eius potentiam obedientialem non comprehendunt. 38 *Inſtabis.* *Reſpõdetur.*

Inſtabis, potentia obedientialis eſto identificata ſit cum entitate naturali, non poteſt ratione illius terminare naturalem cognitionem: ergo pariter entitas naturalis cum potentia obedientiali identificata nequibit ratione illius terminare ſupernaturalem cognitionem. Reſpondeo, negando conſequentiam; nam quod entitas naturalis à ſupernaturali eleuetur, & in ratione cognoſcibilis ſupernaturalis conſtituetur, nulla ratione repugnat, ſicut non repugnat, quod per formam ſupernaturalem eleuetur ad ſupernaturalem actum eliciendum: id vero, quod eſt ſupernaturale in ratione cognoſcibilis, non poteſt ratione entitatis naturalis, vel ſibi ſupperadditæ, vel ſibi identificatæ aptari, vt terminet naturalem cognitionem; nam eo ipſo, quod ſic poſſet naturali cognitione cognoſci, ſupernaturale non eſſet in ratione cognoſcibilis, ſicut in ratione entis ſupernaturale non eſſet, quod ratione entitatis naturalis, vel naturalis formalitatis ſibi identificatæ, poſſet viribus naturæ produci. 39 *Vrgebis.* *Reſpondetur.*

Ad vltimam obiectionem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: cognitionis ſcientificæ naturalis, concedo minorem: ſupernaturalis, ſubdiſtinguo minorem: eſſentia prout ſiſtens in ordine naturali, nego minorem: prout connotans formas ſupernaturales ratione potentiæ obedientialis, concedo minorem, & nego conſequentiam; nam licet cognitio ſcientifica naturalis riſibilitatis, debeat inniti tanquam medio, & rationi motiuæ, eſſentiæ hominis illam radicantis; non tamen eſt neceſſarium, quod omnis cognitio ſcientifica riſibilitatis innitatur eſſentię hominis, prout intra ordinem naturæ ſiſtenti, ſed poteſt ſupernaturalis ſcientia illi inniti, illaque, vt medio vti, non exiſtente intra purè naturalia, ſed vt ſupernaturalia ratione potentiæ obedientialis connotante. 40 *Ad quartam.*

§. III.

Statuitur ſecunda concluſio, & probatur.

41 *Secunda concluſio* SECVNDA CONCLVSIO SIT. *Chriſtus per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognouit quidditatiuè omnia dona ſupernaturalia, quæ ſunt de facto producta.* Ita Auctores, quos pro prima concluſione retulimus. Tenent etiam Durandus *in 3. diſt. 14. q. 3. n. 6.* Gabr. *q. vnic. art. 2.* & frequenter cæteri Theologi, & quidem, quod omnia hæc ſupernaturalia dona fuerint euidenter ab anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognita, eſt doctrina expreſſa D. Th. *in præſenti art. 1.* vbi ſolum Dei eſſentiam excipit ab obiecto ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ: & ratione illius probatur; nam omnia, quæ hominibus per reuelationem innoteſcunt, fuerunt ab anima Chriſti per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognita; ſed dona ſupernaturalia creata innoteſcunt hominibus per reuelationem: ergo illa cognouit Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. *Durand* *Gabriel.* *S. Thom.*

42 *S. Thom.* Quod autem illa quidditatiuè cognouerit, probatur etiam ratione Diui Th. *in hoc eodem art.* nam per ſcientiam infuſam ſupernaturalem, fuit reducta ad actum omnis potentia obedientialis, quæ in anima Chriſti inue-

nitur in ordine ad cognitionem rerum, quæ extra Verbum haberi poteſt; ſed dona ſupernaturalia creata, poſſunt extra Verbum quidditatiuè cognoſci; & conſequenter ad huiuſcemodi cognitionem eſt anima Chriſti in potentia obedientiali: ergo fuerunt ab anima Chriſti cognita quidditatiuè per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, præterquam quod ex argumentorum ſolutione conſtabit, probatur; id enim quod poteſt per ſpeciem propriam claré, & euidenter cognoſci, poteſt extra Verbum quidditatiuè cognoſci; ſed nulla eſt implicatio, in eo quod dona ſupernaturalia creata per propriam ſpeciem claré, & quidditatiuè repræſententur; cum ſint finitæ quidditatis; & conſequenter finitæ cognoſcibilitatis; ac proinde repræſentabiles per ſpeciem finitam, ſicuti, & per finitam cognitionem cognoſcibiles: ergo poſſunt extra Verbum quidditatiuè cognoſci.

43 *Confirmatur.* Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum; ſi aliqua dona creata non poſſent in ſe ipſis extra Verbum quidditatiuè cognoſci, illa eſſent, quæ cum Deo Trino, & Vno *obiectiuè* connectuntur, vt gratia habitualis, lumen gloriæ, viſio beatifica, & virtutes theologicæ; ſed hæc poſſunt cognoſci quidditatiuè extra Verbum: ergo & omnia

Viſio beata, lumen gloriæ, & omnia dona gratiæ poſſunt quidditatiuè extra Verbum cognoſci. dona gratiæ. Minor probatur; licet hæc dona obiectiuè connectantur cum Deo, poſſunt per ſpeciem propriam ſupernaturalem, & creatam in ſe ipſis quidditatiuè repræſentari; ſed quæ per propriam ſpeciem repræſentantur, poſſunt illa mediante in ſe ipſis quidditatiuè cognoſci: ergo poſſunt huiuſcemodi dona quidditatiuè extra Verbum cognoſci. Minor videtur certa; nam omnis ſpecies repræſentatiua obiecti, poteſt eſſe principium cognitionis illius; ſed ſpecies immediatè repræſentans huiuſcemodi dona nequit eſſe principium cognitionis illorum in Verbo; nam viſio beatifica, quæ ad res creatas in Verbo terminatur ſoli diuinæ eſſentiæ poteſt inniti, vt vnitæ per modum ſpeciei immediatè Deum repræſentantis, & illo mediante creaturas: ergo quæ per propriam ſpeciem repræſentantur, vel poſſunt repræſentari, poſſunt immediatè in ſe ipſis quidditatiuè cognoſci.

44 *Minor probatur 1.* Maior autem, præterquam quod conceditur à ſapientiſſimo Magiſtro Bañez, nobis in hac parte contrario, probatur primo; nam iſta dona ſunt limitatæ quidditatis: ergo finitæ repræſentabilitatis; & conſequenter per ſpeciem limitatam, & finitam, poſſunt quidditatiuè repræſentari.

Secundò. Secundo; quia namque ſunt finitæ, & limitatæ quidditatis, poſſunt per cognitionem finitam quidditatiuè attingi: ergo ea eadem ratione poſſunt quidditatiuè per ſpeciem creatam repræſentari. Denique; nam ſi non poſſent per ſpeciem finitam repræſentari quidditatiuè, maximè quia terminantur ad Deum, vt eſt in ſe, qui per ſpeciem creatam

Tertiò. repræſentari quidditatiuè non poteſt; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo poſſunt prædicta dona per ſpeciem propriam in ſe ipſis repræſentari quidditatiuè. Probatur minor; vt enim reſpectiuum alicuius extrinſeci, ſeu reſpiciens aliquem terminum repræſentetur quidditatiuè, non eſt neceſſariũ, quod terminus inſpectus repræſentetur quidditatiuè, ſed ſufficit, repræſentari quoad *an eſt*; ordo enim dependentiæ, quem creaturæ dicunt ad Deum, quidditatiuè repræſentatur termino iſtius ordinis, ſcilicet, Deo, non repræſentato quidditatiuè, ſicut quidditatiuè cognoſcitur, Deo quidditatiuè non cognito: ergo quod prædicta dona Deum reſpiciant, vt terminum, vel obiectum, non obſtat, quo minus poſſint per ſpeciem creatam quidditatiuè repræſentari, Deo ab illis inſpecto, non repræſentato quidditatiuè.

---

§. IV.

Oppoſita ſententia proponitur, & illius fundamentis occurritur.

45 *Magiſter. Banez. Aluar.* CONTRARIAM noſtræ concluſionis ſententiam tenuere Mag. Bañez 2.2.q.5.*art.*2.*dub. vnic. ad* 3. *argumentum Caiet.* Aluarez *lib.*12. *de auxilijs diſp.*118. & 119. nec oppoſitum docuit *in præſen. diſp.* 61. vt falsò illi quidam Recentiores imponunt, ſed in eadem perſiſtit ſententia, vt conſtat ex 3. *concluſione*, vbi docet, Chriſtum per ſcientiam infuſam, etſi cognouerit myſteria gratiæ euidenter euidentia teſtimonij diuini, non tamen euidentia rei in ſe ipſa, quæ eſt euidentia cognitionis quidditatiuæ. Eandem ſententiam tenuit ex PP. Societatis

Raguſa. Raguſa *in præſen. diſp.* 92. vbi ait, dona ſupernaturalia, quæ Deum, vt obiectum reſpiciunt, non poſſe extra Verbum cognoſci quidditatiuè.

In quorum fauorem, & contra noſtram ſententiam arguitur primo: non enim poteſt virtus ſeminis cognoſci quidditatiuè, niſi quidditatiuè fructus ſeminis cognoſcatur; ſed gratia, & virtutes Theologicæ ſunt ſemina beatitudinis, iuxta illud ad Romanos 6. *Gratia Dei vita æterna*: ergo non poſſunt hæc dona cognoſci quidditatiuè, ſine vita æterna, quæ in Dei viſione conſiſtit, & lumine gloriæ, quod eſt principium illius cognitis quidditatiuè; at viſio beatifica, & lumen gloriæ nequeunt quidditatiuè extra Verbum cognoſci: ergo nec gratia, & virtutes. Probatur minor; lumen gloriæ excedit omne aliud lumen creatum, & eſt ſuperioris ordinis ad illud: ergo per nullum lumen ab ipſo diſtinctum poteſt quidditatiuè cognoſci, ſed ſolum per ſe ipſum; at cognitio luminis, & viſionis beatificæ habita ex vi eiuſdem luminis eſt cognitio illius in Verbo, non extra Verbum; quidquid enim mediante lumine gloriæ cognoſcitur, non cognoſcitur in ſe ipſo, ſed in diuina eſſentia, vt obiecto prius cognito: ergo lumen gloriæ, & viſio beatifica non poſſunt extra Verbum quidditatiuè cognoſci. Quo argumento adeo fuit conuictus M. Banez ad ſuam ſententiam ſuadendam, vt oppoſitam incredibilem iudicauerit. 46 *Primum argumen.* *Ad Roman. 6.*

Ad illud quidam Recentiores reſpondent primo, permittendo maiorem de fructibus, qui phyſicè continentur in ſemine, & negando de contentis tantum moraliter; gloria autem non phyſicè, ſed moraliter continetur in gratia: ideoque vt gratia habitualis cognoſcatur quidditatiuè, non eſt neceſſaria, quidditatiua gloriæ cognitio. Secundo reſpondent, negando maiorem; poteſt enim virtus ſeminis quidditatiuè cognoſci, quin ipſius fructus vllo modo cognoſcantur, quia poteſt eſſe cognitio quidditatiua, quæ comprehenſiua non ſit; licet autem cognitio comprehenſiua virtutis, ad omnes eius fructus, vel effectus terminari petat, hoc tamen non expoſcit cognitio ſolum quidditatiua. 47 *Reſpondent a Recentiores.* *Secundò.*

Tertio reſpondent; ad cognoſcendam virtutem, etiam comprehenſiuè non peti quidditatiuam cognitionem effectuum, qui continentur in illa, ſed ſufficere abſtractiuam cognitionem effectuum, eo quod ad comprehenſiuam alicuius virtutis cognitionem ſufficit, cognoſcere effectus in illa contentos; quatenus in ipſa ſunt cognoſcibiles: ergo ſi in illa non ſunt cognoſcibiles *quidditatiuè*, ſed tantum *abſtractiuè*, quia in ipſa non continentur eminenter, ſed tantum virtualiter, & inadæquatè, non erit opus ad comprehenſionem talis virtutis, effectus ipſius *quidditatiuè* cognoſcere, ſed tantum *abſtractiuè*; beatitudo autem formalis non continetur in gratia eminenter, ſed tantum virtualiter; ac proinde, vt gratia cognoſcatur comprehenſiuè, non eſt neceſſarium beatitudinem formalem quidditatiuè cognoſci. 48 *Tertiò.*

Sed nulla ex his ſolutionibus argumento ſatisfacit: non prima, procedit enim ex falſa ſuppoſitione, nempè, gratiam habitualem ſolum moraliter in ſe continere gloriam cuius oppoſitum oſtendunt à noſtris Thomiſtis 1.2. q.110. *art.* 4. vbi docent, gratiam habitualem reſpectu facultatum ſupernaturalium proximè operatiuarum, ſe habere ſicut eſſentiam reſpectu ſuarum paſſionum, quod expreſſè affirmat D.Th. *art. citato ad* 1. loquendo de virtutibus infuſis, his verbis; *Dicendum; quod ſicut ab eſſentia animæ effluunt eius potentiæ: ita etiam ab ipſa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ mouentur ad actus.* Et probatur; nam gratia in ordine ſupernaturali obtinet rationem naturæ radicaliter, vitaliter, phyſicè operatiuæ: ſed naturæ operatiuæ radicaliter, debentur facultates proximæ, & per dimanationem effluunt ab illa; cum non alia de cauſa, à natura ordinis naturalis, v. c. a natura hominis, dimanent intellectus, & voluntas, & aliæ propriæ paſſiones, niſi quia eſt operatiua radicaliter: ergo à gratia effluunt dimanatiuè phyſicè virtutes proximè operatiuæ; at vna ex virtutibus proximè operatiuis, & inter illas præcipua eſt lumen gloriæ: ergo effluit dimanatiuè phyſicè à gratia habituali in ſtatu conſummationis; & conſequenter non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè continetur in gratia. Sed de his plura *loco citato*. 49 *Prima ſolutio reijcitur.* *Gratia habitualis phyſicè continet gloriam.* S. Thom.

Nec magis ſecunda ſolutio ſatisfacit, quæ ex non penetrata vi argumenti facti procedit; licet enim dari poſſit cognitio quidditatiua alicuius virtutis, quæ comprehenſiua 50 *Secunda ſolutio vim ar-*

ſiua non ſit; & conſequenter, quæ ad omnes effectus talis virtutis *collectiuè* non terminetur, vt conſtat in diuina omnipotentia, quæ à beatis quidditatiuè cognoſcitur, quin omnes illius effectus *collectiuè* cognoſcantur; quod autem ſit virtus cognoſcibilis quidditatiuè ab aliquo lumine, cui ex natura ſua repugnet, eſſe principium cognitionis quidditatiuè alicuius particularis effectus in illa virtute contenti, eſt impoſſibile omnino; ſed argumentũ factum non procedit de cognitione omnium effectuum gratiæ *collectiuè*, ſed de aliquo gratiæ effectu, nec de negatione actualis terminationis ad hunc effectum, ſed de repugnantia cognitionis quidditatiuæ illius per lumen aliquod extra Verbum, & ex his principijs infert, non poſſe gratiam habitualem extra Verbum cognoſci quidditatiuè: ergo ſecundùm Recentiorum ſolutio ea non benè inſpectavi argumenti facti procedit.

gumenti non penetrant.

51 *Maior probatur 1.* Maior oſtenditur primo, ab exemplo omnipotentiæ; non enim eſt dabile lumen ſufficiens ad cognitionem quidditatiuam illius, cui eſſentialiter repugnet, eſſe principium cognitionis quidditatiuæ alicuius effectus particularis in omnipotentia contenti: ergo idem eſt dicendum de quauis alia virtute phyſicè perfectè continente effe-

Secundo. ctum. Secundo, & à priori probatur maior; nam virtus perfectè continens effectum quoad eſſe entitatiuum, etiam quoad eſſe repræſentatiuum perfectè continet ipſum; & conſequenter poteſt eſſe ratio, vt in illa tanquam in obiecto cognito talis effectus quidditatiuè cognoſcatur; ſed lumini, cuius obiecto primario non repugnet perfecta repræſentatio alicuius obiecti, non poteſt eſſentialiter repugnare eſſe principium cognitionis quidditatiuæ illius: ergo non eſt poſſibile lumen quidditatiuum alicuius virtutis, cui eſſentialiter repugnet, eſſe principium cognitionis quidditatiuæ effectuum talis virtutis, qui perfectè in illa continentur.

52 *Tertia ſolutio reijcitur.* Et ex his tertia ſolutio reijcitur; eo enim ipſo, quod virtus aliqua perfectè effectum contineat, poteſt effectus cognoſci in illa quidditatiuè; ſed gratia perfectè continet viſionem beatificam: ergo poteſt viſio beatifica in illa comprehenſa cognoſci quidditatiuè. Probatur minor; gratia perfectè continet lumen beatificum, cum conſequatur ad illam in ſtatu conſummationis, vt proprietas ad eſſentiam; ſed lumen beatificum eſt cauſa naturalis viſionis beatæ illam perfectè continens: ergo gratia habitualis phyſicè perfectè continet viſionem beatificam; & conſequenter non poterit comprehendi, quin in illa viſio beata quidditatiuè ſaltim cognoſcatur.

53 *Replicabis.* Dices, adæquatam cauſam viſionis beatificæ non eſſe lumen gloriæ, ſed conflatum ex illo, & diuina eſſentia vnita per modum ſpeciei, cumque effectus non poſſit cognoſci quidditatiuè, non cognita illius cauſa adæquata; ſit conſequens, quod in gratia, etiam quatenus comprehenſa non poſſit viſio beatifica cognoſci quidditatiuè. Sed

Contra 1. contra primo; nam ad minus ſequitur, non poſſe comprehendi gratiam non cognito lumine gloriæ quidditatiuè; conſequens eſt contra Auctores ſolutionis quam impugnamus: ergo ſolutio tradita non poteſt illis fauere. Probatur ſequela; lumen gloriæ ſequitur ad gratiam, vt ad cauſam adæquatam radicatiuam illius, non autem ad conflatum ex gratia, & diuina eſſentia; ſed in cauſa adæquata cognita comprehenſiuè, non poteſt non cognoſci effectus, ſaltim quidditatiuè, vt docet D.Tho. *q. præcedenti art. 2. & 3.* ergo non poteſt cognoſci gratia comprehenſiuè,

Secundo. non cognito lumine gloriæ, ſaltim quidditatiuè. Secundo; nam ſequitur ex ſolutione tradita, nullum effectum poſſe quidditatiuè cognoſci in virtute cauſæ creatæ; conſequens eſt falſum, & contra D.Thom. loco *proximè* allegato: ergo & ſolutio. Probatur ſequela nullus effectus continetur adæquatè in virtute cauſæ ſecundæ, niſi adiuncta omnipotentia diuina, vt parata ad concurrendum cum illa: ergo ſi viſio beatifica nequit in gratia, quatenus comprehenſa cognoſci quidditatiuè, quia non continetur in virtute gratiæ adæquatè, ſed in conflato ex illa, & diuina eſſentia, vt ſpecie, in virtute nullius cauſæ creatæ, poterunt illius effectus cognoſci quidditatiuè.

54 *Opponet.* Si opponas; doctrinam à Nobis traditam *q. præcedenti Diſp. 34. §. vltimo in ſecundo corollario*, vbi diximus, poſſe intellectum Angeli comprehendi, non cognitis in illo omnium poſſibilium cognitionibus in particulari, quia non habet intellectus Angelicus ratione ſuæ entitatis virtutem completam ad illas, ſed ex adiunctis ſpeciebus compleri in ratione continentis; non autem habet ſpecies ad omnium poſſibilium cognitiones eliciendas; at intellectus cum gratia habituali, & lumine gloriæ, non habet completam virtutem ad efficientiam viſionis, ſed indiget per diuinam eſſentiam, tanquam per ſpeciem compleri: ergo in conflato ex intellectu gratia habituali, & lumine etiam quatenus comprehenſo, non poteſt viſio beatifica quidditatiuè cognoſci. Reſpondeo, negando

Reſpondetur. conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt; nam intellectus Angelicus, nec eſt completus per ſpecies omnium rerum poſſibilium, nec petit ab intrinſeco, aut ex natura ſua talibus ſpeciebus compleri; vt autem in cauſa creata comprehendatur effectus, neceſſarium eſt, quod vel in ſe illum adæquatè contineat, vel ab intrinſeco petat, quod ei deficit ad completam continentiam effectus; & ideo in intellectu Angelico, etiam quatenus comprehenſo, non poſſunt omnes cognitiones poſſibiles cognoſci quidditatiuè. Cæterum conflatum ex gratia habituali, lumine gloriæ, & intellectu, etſi ratione ſui non contineat vndequaque completè viſionem beatificam, ſed indigeat complemento proueniente à diuina eſſentia vnita per modum ſpeciei; petit tamen ab intrinſeco per diuinam eſſentiam, tanquam per ſpeciem compleri; & ideo in hoc conflato cognito comprehenſiuè, poteſt beatifica viſio quidditatiuè cognoſci.

Inſtabis: nequit effectus cognoſci quidditatiuè cognitione mediata, & in cauſa, niſi in cauſa ſui adæquata cognita quidditatiuè, ſed conflatum ex gratia habituali, intellectu, & lumine, non eſt cauſa adæquata viſionis, ſed ſimul cum diuina eſſentia vnita per modum ſpeciei: ergo in prædicto conflato cognito comprehenſiuè, non poteſt viſio beatifica quidditatiuè cognoſci, niſi ſimul quidditatiuè ſaltim, Dei eſſentia cognoſcatur, quatenus per modum ſpeciei ad viſionem beatificam cum intellectu concurrit; cumque diuina eſſentia prout ſic, nequeat quidditatiuè cognoſci per lumen creatum à lumine gloriæ diſtinctum; ſit conſequens, quod ſolum per lumen gloriæ, poſſit viſio beatifica quidditatiuè cognoſci. 55 *Inſtabis.*

Reſpondeo, negando maiorem; aliàs vt *ſupra* argumentabamus in nulla cauſa creata poſſet effectus cognoſci quidditatiuè; cum nulla illarum ſit cauſa adæquata illius, niſi adiuncta diuina omnipotentia, vt parata ad concurrendum cum illa. Sufficit ergo vt virtus alicuius cauſæ ſit medium ad cognitionem quidditatiuam effectus, quod ſit in ſuo genere completa; & aliàs cætera ad abſolutam continentiam exacta, ab intrinſeco poſtulare; & quia conflatum ex gratia, intellectu, & lumine gloriæ, eſt in ſuo genere completum; & aliàs ab intrinſeco petit diuinam eſſentiam ſibi per modum ſpeciei vniri ſit conſequens, quod prædictum conflatum, quatenus comprehenſum, ſit ſufficiens medium ad quidditatiuam cognitionem viſionis; aliàs nulla virtus ſupernaturalis eſſet medium ſufficiens ad quidditatiuam proprij actus cognitionem; cum illum ratione ſui adæquatè non contineat, ſed cum dependentia à potentia, tanquam comparte cauſæ, quæ ex potentia, & virtute ſupernaturali conflatur. 56 *Reſpond.*

Quare his modis dicendi omiſſis, ad argumentum reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, & prima conſequentia, nego minorem ſubſumptam. Ad cuius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; non enim requiritur conuenientia ſpecifica, & vniuoca inter obiectum, & principium, ſeu lumen cognoſcitiuum ad cognitionem quidditatiuam obiecti, ſed ad ſummum poteſt hæc conuenientia requiri ad obiecti comprehenſionẽ. Conſtat hoc in lumine gloriæ, quod eſt principium cognitionis quidditatiuæ Dei; & tamen cum Deo non conuenit ſpecificè athome, imo nec genericè conuenit cum diuina eſſentia cognita: & dato, quod requiratur vniuoca conuenientia, non eſt neceſſaria in gradu ſpecifico athomo, ſed ſufficit conuenientia in gradu immaterialitatis generico. Quæ doctrina non poteſt à Mag. Bañez negari; ipſe namque 1 *p. q. 56. art. 2. dub 2.* vt indubitatum ſupponit, Angelum inferiorem quidditatiuè ſuperiorem cognoſcere, & vt probabilius docet, illum comprehendere; & tamen Angelus inferior exceditur ſpecificè in gradu immaterialitatis ab Angelo ſuperiori: quamuis ergo lumen beatificum ſuperioris ordinis ſit, ſpecificeque excedat in ratione entitatis, & in ratione immaterialitatis ſcientiam ſupernaturalem infuſam, & quoduis aliud lumen creatum ab ipſo diſtinctum, & à Deo non ſpecificatum, poterit virtute illius quidditatiuè cognoſci. An autem hæc ſuperioritas obſtet, vt per tale lumen poſſit comprehendi per ſcientiam ſupernaturalem infuſam *§. ſequenti* videbimus.

57 *Vera argumenti ſolutio. Ad cognitionem quidditatiuã obiecti, non requiritur conuenientia ſpecifica, & vniuoca illius cum lumine cognoſcitiuo.*

58 *Secundo arguitur, & replicatur contra traditam ſolutionē.* Sed contra iſtam ſolutione obſtat ſecundum argumentum; non enim poteſt viſio beatifica cognoſci quidditatiuè, niſi Deus, vt eſt in ſe Trinus, & Vnus quidditatiuè cognoſcatur; ſed ſolum per viſionem beatificam poteſt Deus quidditatiuè, & vt eſt in ſe cognoſci: ergo ſolum per ſe ipſam poteſt beatifica viſio quidditatiuè cognoſci; ac proinde per ſcientiam rerum extra Verbum, de quibus in præſenti loquimur, non poteſt cognoſci quidditatiuè. Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, oſtenditur primo: *Maior probatur 1.* non poteſt viſio beatifica cognoſci, non cognito Deo, prout eſt obiectum illius, nec euidenter cognoſci, niſi Deus euidenter cognoſcatur: ergo nec poteſt quidditatiuè cognoſci, niſi Deo cognito quidditatiuè. Secundo; non *Secundo.* poteſt effectus quidditatiuè cognoſci, non cognitis quidditatiuè cauſis, vel principijs illius; ſed viſio beatifica eſt effectus Dei, vt eſt in ſe in genere cauſæ obiectiuæ: ergo niſi Deus, vt eſt in ſe quidditatiuè attingatur, non poteſt viſio beatifica quidditatiuè cognoſci.

59 *Tertio.* Tertio; viſio beatifica eſt formalis participatio diuinæ intellectionis, quatenus eſt in ſe ab omni ente creato, & ab omni alia Dei perfectione diſtincta: ergo non poteſt quidditatiuè cognoſci, niſi euidenter hoc cognoſcatur, nempè, diuinam intellectionem participare prout eſt in ſe, & vt eſt ab omni alia perfectione diſtincta; ſed hoc non poteſt euidenter cognoſci, non cognita diuina intellectione; & conſequenter ipſo Deo quidditatiuè: ergo nequit viſio beatifica cognoſci quidditatiuè, Deo quidditatiuè non cognito. Probatur minor; non ſtat cognoſcere quidditatiuè, & euidenter imaginem Petri, prout diſtincti ab alijs, niſi ipſe Petrus, prout ab alijs diſtinctus, cognoſcatur quidditatiuè: ergo non poteſt cognoſci quidditatiuè *Confirmatur.* participatio formalis diuinæ intellectionis, prout in ſe, & ab alijs diſtinctæ, niſi cognita diuina intellectione quidditatiuè. Et augetur difficultas; viſio beatifica diſtinguitur ab alijs cognitionibus Dei, quia ad Deum prout eſt in ſe terminatur; ſed non poteſt cognoſci quidditatiuè, non cognito diſtinctiuo illius: ergo nequit quidditatiuè cognoſci, non cognito Deo, vt in ſe; ac proinde quidditatiuè.

60 *Reſpondetur. Ad 1. probationem maioris.* Reſpondeo, negando maiorem. Ad primam probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, & illam inſto in habitudine dependentiæ creaturarum à Deo, quæ non poteſt cognoſci, Deo non cognito, nec cognoſci euidenter, Deo, vt illius termino euidenter non cognito; & tamen poteſt cognoſci quidditatiuè, Deo quidditatiuè non cognito; alias extra viſionem beatificam, non poſſet cognoſci quidditatiuè ordo dependentiæ creaturarum à Deo. Et ratio omnium eſt; nam cognitio quiddita- *Non eſt eadem cognitio quidditatiua ac cognitio euidens quidditatis.* tiua ſupra cognitionem euidentem quidditatis rei addit, quod per propriam ſpeciem fiat, vel per ſpeciem rem ipſam eminenter, vel ſaltim virtualiter continentis; vt autem cognoſcatur viſio beata quidditatiuè, ſufficit, cognoſci Deum, vt illius habitudinem terminantem, in ipſa viſione beatifica, vt obiecto prius cognito, quæ, cum Deum eminenter non contineat, non poteſt ducere in cognitionem quidditatiuam quidditatis Dei; benè tamen in cognitionem euidentem quidditatis diuinæ.

61 *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, nego maiorem; poteſt enim effectus alicuius cauſæ in ſe ipſo per propriam ſpeciem quoad omnia prædicata eſſentialia cognoſci, in quo quidditatiua cognitio conſiſtit; ac proinde poteſt quidditatiuè cognoſci, quamuis illius cauſæ, & principia non cognoſcantur quidditatiuè, ſed ſolum quoad *an eſt* in effectu in ſe cognito; alias nullus Dei effectus quidditatiuè extra Verbum poſſet cognoſci.

62 *Ad tertiā.* Ad tertiam, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, nego minorem ſubſumptam: vt enim cognoſcantur, viſionem beatificam participare diuinam intellectionem, vt in ſe, ſufficit, cognoſcere euidenter quoad *an eſt* intellectionem diuinam, hoc eſt, non cognitione, immediata in ſe ipſa, ſed mediata, & in alio, nempè, in viſione beata cognita quidditatiuè; & idem eſt dicendum de imagine quoad id, quod eſt in obiecto imaginis eſſentiale, non quoad alia, quæ per accidens ad imaginem comparantur. Vnde ſi imago Petri eſſentialiter dependeret ab ipſo, prout ab alijs diſtincto, in ipſa cognita quidditatiuè, ſufficienter cognoſceretur Petrus, prout eſt ab alijs diſtinctus, quin vlterior illius cognitio, neceſſaria eſſet ad quidditatiuam imaginis cognitionem.

63 *Ad confirmationē.* Ad confirmationem, conceſſa maiori, & minori, diſtinguo conſequens: non cognito Deo, vt in ſe ex parte rei cognitæ, concedo conſequentiam: ex parte medij, & modi cognoſcendi, nego conſequentiam; vt enim viſio cognoſcatur quidditatiuè, neceſſarium eſt, cognoſcere, Deum prout in ſe, eſſe terminum, & obiectum illius, non autem eſt neceſſarium, quod Deus in ſe immediatè, & ratione ſui cognoſcatur, ſed ſufficit, cognoſci immediatè in ipſa viſione cognita, quæ Dei cognitio quidditatiua non eſt, vt conſtat ex dictis.

Tertio arguitur; vnio humanitatis ad Verbum, non 64 *Tertium argumen.* poteſt quidditatiuè per ſcientiam infuſam cognoſci: ergo non cognoſcuntur per illam quidditatiuè omnia dona ſupernaturalia, quæ Deus decreuit producere. Probatur antecedens; vnio humanitatis ad Verbum pertinet ad ordinem hypoſtaticum ſuperiorem ordine gratiæ creato, ad quem ſpectat ſcientia ſupernaturalis infuſa; ſed cognitio ad inferiorem ordinem ſpectans, nequit eſſe quidditatiua rei ſpectantis ad ordinem ſuperiorem: ergo cognitio habita per ſcientiam per ſe infuſam, non poteſt repræſentare quidditatiuè vnionem humanitatis ad Verbum. Minor probatur; cognitio naturalis nequit repræſentare quidditatiuè gratiam habitualem, quia eſt inferioris ordinis ad illam: ergo per actum, ſeu cognitionem ordinis inferioris, non poteſt res ordinis ſuperioris quidditatiuè cognoſci. Confirmatur, non minus diſtat or- *Confirmatur.* do hypoſtaticus ab ordine gratiæ, quam ordo gratiæ ab ordine naturæ; ſed pertinentia ad ordinem gratiæ nequeunt quidditatiuè cognoſci per actum ordinis naturæ ergo ſpectantia ad ordinem hypoſtaticum, non poſſunt cognoſci quidditatiuè per cognitionem ordinis ſupernaturalis.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad cuius probatio- 65 *Reſpõdet.* nem, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, diſtinguo tanſalem antecedentia: quia eſt inferioris ordinis inferioritate generica, concedo antecedens; inferioritate tantum ſpecifica, nego antecedens, & diſtinguo conſequens diſtinctione antecedentis. Ad confirmatio- *Ad confirmationem reſpond. 1.* nem, nego maiorem; diſtantia enim ordinis gratiæ a natura eſt diſtantia generica ordinis, diſtantia autem vnionis hypoſtaticæ à gratia, eſt diſtantia ſpecifica ordinis cum conuenientia generica in ordine ſupernaturali. Vnde in ratione ordinis minus diſtant gratia, & vnio hypoſtatica, quam gratia, & natura Vel diſtinguo maiorem: diſtantia entitatiua, tranſeat maior: diſtantia habitudinis, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam.

Inſtoque argumentum, & confirmationem; Deus enim 66 *Secundo Minus diſtat vnio hypoſtatica ab ordine gratiæ, quam gratia a natura, ſaltem diſtantia habitudinis.* prout in ſe, ſuperioris ordinis eſt ad lumen beatificum, pluſque ab illo diſtat diſtantia entitatiua, quam gratia à natura, & quam Angelus a potentia viſiua; & tamen poteſt Deus quidditatiuè cognoſci, mediante lumine gloriæ, & gratia non poteſt cognoſci quidditatiuè per actum naturalem, nec Angelus poteſt à potentia viſiua videri: quia licet plus diſtet Deus à lumine gloriæ in genere entis, quam gratia à natura, & quam Angelus à potentia viſiua; non tamen tantum diſtat diſtantia habitudinis; Deus enim continetur intra obiectum noſtri intellectus, & luminis gloriæ, ſecus vero gratia intra obiectum naturæ, & Angelus intra obiectum ſpecificatiuum potentiæ viſiuæ; id ipſum à fortiori dicimus *in præſenti*; quod licet ordo hypoſtaticus plus diſtet entitatiuè ab ordine gratiæ, quam ordo gratiæ ab ordine naturæ; non tamen ita diſtat diſtantia habitudinis; continetur enim intra obiectum actiuitatis gratiæ. Vnde ſicut hac ratione poteſt cadere ſub merito congruo actuum procedentium à gratia, & per actum fidei ſupernaturalis credi, ita per actum ſcientiæ infuſæ poteſt quidditatiuè cognoſci.

Sed dices, diſtantia habitudinis prouenit ex diſtantia 67 *Replicabis* entitatiua: ergo ſi ordo hypoſtaticus plus diſtat ab ordine naturæ entitatiuè, quam gratia à natura, etiam plus diſtat diſtantia habitudinis. Reſpondeo, negando antecedens, cuius falſitas conſtat ex doctrina *proximè* tradita; cum diſtantia namque infinita Dei à creatura in ra- *Reſpond.* tione entitatiua, ſtat conuenientia habitudinis ratione proportionis eſſentialis in ratione obiecti, & potentiæ. Vnde quamuis ordo hypoſtaticus diſtet infinitè ab ordine gratiæ in ratione entitatis, poterit non diſtare ab illo diſtantia habitudinis, ſed intra obiectum intelligibile gratiæ contineri.

Inſtabis; non alia ratione ordo gratiæ diſtat ab ordine 68 *Inſtabis.* naturæ diſtantia habitudinis, & proportionis obiectiuæ, niſi quia ab illo diſtat diſtantia entitatiua: ergo ſi eſt maior diſtantia entitatiua ordinis hypoſtatici ab ordine gratiæ, non poteſt non diſtare magis ab illo diſtantia habitu-

Reſpondetur. bitudinis, & proportionis obiectiuæ. Reſpondeo, negando antecedens; ſi enim ea ſola diſtantia entitatiua inferretur diſtantia habitudinis, ſeu non conuenientia obiectiua, Deus non conueniret cum intellectu creato in ratione obiecti, & potentiæ, nec ſub obiecto illius poſſet contineri. Ratio ergo cur ordo gratiæ non continetur ſub obiecto naturæ, ordo autem hypoſtaticus ſub obiecto gratiæ continetur, eſt; nam ratio ſupernaturalitatis, vel conſiſtit in eleuatione ad omnem exigentiam naturæ, vel illam, ſaltem eſſentialiter dicit; eo autem ipſo, quod contineretur ſub obiecto cognoſcibili quidditatiuè per naturam, non ſic eleuaretur; nam cognitio alicuius quidditatiua, eſſentialiter cum ſuo obiecto connectitur, & illius veritatem expoſcit; ordo autem hypoſtaticus, etſi ſuperior ſit ad ordinem gratiæ creatæ; non tamen conſiſtit in eleuatione ſupra omnem exigentiam illius, nec exceſſum iſtum eſſentialiter petit. Vnde per actum fidei ſupernaturalis credimus Myſterium Incarnationis; fides autem veritatem ſui obiecti eſſentialiter expoſcit; & ideo non obſtante ſuperioritate entitatiua ordinis hypoſtatici ſupra ordinem gratiæ, poteſt ſub illius obiecto contineri, & ab illa non diſtare diſtantia habitudinis.

69 *Vltimum argumen.* Denique arguitur; dona ſupernaturalia creata, non ſunt amabilia ratione ſui, ſed tantum ratione Dei; aliàs daretur in nobis virtus ſupernaturalis amicitiæ diſtincta à charitate Theologica, per quam proximum diligeremus amicabiliter ratione gratiæ habitualis, & donorum ſupernaturalium, contra frequentiorem Thomiſtarum ſententiam, quam ſecuti fuimus *ſecunda ſecundæ q. 23. art. 5.* ergo pariter non ſunt intelligibilia ſupernaturaliter in ſe, & ratione ſui, ſed tantum in Deo, & ratione diuinæ eſſentiæ; at iſto modo cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini per habitum luminis gloriæ, & non per ſcientiam ſupernaturalem infuſam: ergo per huiuſcemodi ſcientiam non cognoſcuntur à Chriſto. Patet conſequentia; nam ſcientia ſupernaturalis infuſa diſtincta à lumine gloriæ, non poteſt ad dona ſupernaturalia terminari, ratione diuinæ eſſentiæ, ſed in ſe, & ratione ſui: ergo ſi in ſe, & ratione ſui intelligibilia non ſunt, non poſſunt cognoſci per ſcientiam ſupernaturalem infuſam.

70 *Reſpõdet.* Reſpondeo, negando antecedens; poſſunt enim ratione ſuæ bonitatis amari; quia tamen regulariter non ratione ſui mouent, ſed ratione bonitatis diuinæ, cuius ſunt participationes; hinc fit, quod præter charitatem virtutem Theologicam, non detur alius virtutis habitus inclinans in illarum amorem ratione propriæ bonitatis abſolutæ habitus namque virtutum non dantur, niſi ad actus regulariter accidentes: regularis autem cognitio donorum ſupernaturalium non eſt intra Verbum, ſed extra illud in ſe ipſis regulariter cognoſcuntur, cuius cognitionis principium non eſt lumen gloriæ, ſe aliud ab illis ſpecificatum. Sed de his plura loco in argumento allegato.

§. V.

Explicatur modus, quo ſupernaturalia cognoſcuntur per ſcientiam infuſam.

71 *Tertia concluſio.* TERTIA CONCLVSIO. *Viſio beatifica, vnio hypoſtatica, & alia dona intrinſecè ſupernaturalia, cognoſcuntur comprehenſiuè ab anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam.* Ita, præter Suarez, Auctores, quos præcedenti concluſione retulimus; & frequenter alij Theologi. Illam probant

Prima Recentiorum ratio Recentiores; nam iuxta Eccleſiæ Patrum, & communem Theologorum ſententiam, incomprehenſibilitas ab intellectu creato, eſt ſolius Dei attributum, conſtatque ex illo ad Timotheum 6. *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem*: ergo omnia *Ad Timoth. 6.* dona creata quantumuis cum Deo, vt obiecto, vel termino immediato connexa, comprehendi poſſunt ab intellectu creato; ac per conſequens de facto comprehenſiuè cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini per habitum ſcientiæ infuſæ. Hoc tamen argumentum non vrget;

Ratio iſta non vrget comprehendi enim poſſunt hæc dona ab intellectu creato per habitum luminis gloriæ, quod contrarij Auctores non negant: ergo ex eo quod ſolus Deus incomprehenſibilis ſit ab intellectu creato, non colligitur cognoſci comprehenſiuè per ſcientiam infuſam ſupernaturalem.

Secundo ſic arguunt; ad rei comprehenſionem non petitur adæquatio cognitionis cum extrinſeca illius cognoſcibilitate, ſed ſufficit adæquare cognoſcibilitatem intrinſecam; aliàs nulla res naturalis poſſet comprehendi à creatura, cum omnis entitas naturalis creata, vtpote dependens à Deo, ipſum reſpiciat, vt terminum habitudinis, qui ab intellectu creato comprehendi non poteſt; ſed cognitio ſcientiæ infuſæ poteſt adæquare cognoſcibilitatem intrinſecam viſionis beatificæ; cum hæc finita, & limitata ſit; & conſequenter poteſt exhauriri per aliquam cognitionem creatam: ergo quamuis non adæquet illius cognoſcibilitatem extrinſecam, hoc eſt terminum, vel obiectum viſionis, nempè diuinam eſſentiam, poteſt illam comprehendere. 72 *Secundo arguunt.*

73 *Secunda ratio eſt ineſſicax.* Sed nec vrget hoc argumentum. Tùm; quia maior illius eſt falſa, ſi vniuerſalis ſit; creaturæ namque extrinſecè comparantur ad Deum; & tamen ad Dei comprehenſionem, omnium creaturarum cognitio requiritur. Tùm etiam; quia minor inſufficienter probatur; nam ex eo quod viſio beatifica finita ſit, & limitata, ſolum ſequitur poſſe illius cognoſcibilitatem exhauriri per cognitionem finitam, quod contrarius Auctor non negat, cum doceat per ſe ipſam adæquatè, & comprehenſiuè cognoſci; ac proinde à ſe exhauriri, non autem probatur, adæquari, & exhauriri poſſe per cognitionem diſtinctam à ſe, & elicitam medio lumine inferiori, quale eſt lumen infuſum diſtinctum à lumine gloriæ, quod neceſſarium erat, vt intentum noſtræ concluſionis conuinceret.

74 *Tertio arguunt Recentiores.* Denique arguunt; ſi namque viſio beatifica non comprehenderetur per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, vel eſſet, quia per illam non cognoſcitur modo omnium perfectiſſimo, vel quia non omnis illius perfectio per talem ſcientiam cognoſceretur; ſed primum ad comprehenſionem viſionis beatificæ neceſſarium non eſt; aliàs nulla creatura poſſet ab alia comprehendi, cum omnis creatura à Deo cognoſci poſſit, cuius cognitionis perfectio non poteſt ab intellectu creato adæquari: ſecundum autem eſt falſum; nam omnes perfectiones viſionis beatificæ limitatæ ſunt, & finitæ; ac proinde omnes poſſunt exhauriri per finitam cognitionem: ergo poteſt viſio beatifica comprehenſiuè cognoſci per ſcientiam ſupernaturalem infuſam.

75 *Nec hoc argumentum conuincit.* Sed nec etiam hoc argumentum conuincit; nam licet ad rei comprehenſionem non requiratur cognoſci modo omnium perfectiſſimo extrinſeco, & ab illa non exacto, ſed tantummodo permiſſo; requiritur tamen cognoſci, modo perfectiſſimo exacto ab obiecto, quatenus cognoſcibili, vt conſtat ex dictis *q. præced. Diſp. 33. & 34.* ergo ad comprehenſionem viſionis beatificæ, neceſſarium eſt cognoſci per cognitionem, cuius modus, etſi non adæquet modum cognitionis diuinæ; adæquet tamen modum cognoſcibilitatis illius, & quæ tanta ſit in ratione cognitionis, quanta eſt viſio beatifica in ratione cognoſcibilis; & conſequenter, vt probetur efficaciter, comprehendi poſſe per habitum ſcientiæ infuſæ, neceſſarium eſt probare, quod cognitio ab illo elicita, adæquet modum cognoſcibilitatis illius, & quod non petat ab intrinſeco per cognitionem perfectiorem cognoſci; ſed hoc, argumento facto non perſuadetur, ergo eſt omnino inefficax ad noſtram concluſionem ſuadendam.

76 *Probatur concluſio.* Vnde his argumentis, vt inefficacibus relictis, probatur concluſio hac ratione: cognitio adæquans obiectum intelligibile *intenſiuè*, & *extenſiuè*, eſt illius comprehenſio; ſed poſſunt viſio beatifica, vnio hypoſtatica, & conſequenter cætera dona ſupernaturalia relata, per ſcientiam ſupernaturalem infuſam diſtinctam à lumine gloriæ, cognoſci adæquatè *intenſiuè*, & *extenſiuè*; ergo poſſunt per illam comprehendi. Illatio eſt legitima. Maior conſtat ex dictis *q. præced. Diſp. 33. & 34.* Minor autem quoad adæquationem extenſiuam probatur: poteſt beatifica viſio per ſcientiam infuſam cognoſci, quoad omnia prædicata formalia, vt conſtat ex dictis *concl. præc.* & quoad omnia, quæ virtualiter continet; nihil enim virtualiter contentum in illa poterit aſſignari, quod per ſcientiam infuſam nequeat quidditatiuè cognoſci, ſed cognitio omnium, quæ formaliter, & virtualiter in obiecto continentur, eſt illi ſaltem *extenſiuè* adæquata: ergo poteſt viſio beatifica per ſcientiam ſupernaturalem infuſam adæquatè *extenſiuè* cognoſci. *Scientia infuſa adæquatur extenſiuè cum viſione beatifica.*

77 *Etiam intenſiuè.* Quod vero etiam poſſit cognoſci adæquatè *intenſiuè*, probatur: etenim hæc adæquatio intenſiua conſiſtit in æqualitate, & adæquatione cum modo cognoſcibilitatis obiecti; ſed cognitio ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis, poteſt adæquare modum cognoſcibilitatis viſionis beatificæ: ergo poteſt illi *intenſiuè* adæquari. Probatur minor; adæquare modum cognoſcibilitatis obiecti, eſt illud cognoſcere, eo modo, quo petit cognoſci; ſed viſio beatifica in ratione cognoſcibilis, non petit perfectiori modo cognoſci, quam cognoſcatur per ſcientiam infuſam: ergo poteſt cognitio ſcientiæ infuſæ modum cognoſcibilitatis beatificæ viſionis adæquare.

78 *Reſpõd. 1. Contra.* Reſpondebis primo; ſcientiam ſupernaturalem infuſam non adæquare viſionem, vt cognoſcibilem adæquatione extenſiua; quia non attingit Deum quidditatiuè; Deus autem, vtpote obiectum viſionis, pertinet ad cognoſcibilitatem extenſiuam illius. Sed contra; nam in viſione, vt cognita, non poteſt Deus quidditatiuè cognoſci, vt conſtat ex dictis; ſed adæquatio extenſiua cum obiecto in ratione cognoſcibilis non petit cognitionem terminari, niſi ad illa, quæ in obiecto poſſunt, & petunt cognoſci ex vi cognitionis illius: ergo quod ſciẽtia infuſa non attingat Deũ quidditatiuè, non tollit quominus cum viſione beata adæquetur *extenſiuè* in ratione cognoſcibilis.

79 *Confirmatur 1.* Quod amplius confirmari poteſt; quia namque in Angelo cognito, nequit Deus quidditatiuè cognoſci, poteſt Angelus comprehendi, cognoſcique adæquatè adæquatione extenſiua, Deo quidditatiuè non cognito; alias Angelus extra viſionem beatam non poſſet adæquatè, & comprehenſiuè cognoſci; at in viſione beatifica, nequit Deus cognoſci quidditatiuè: ergo poteſt viſio adæquatè *extenſiuè* cognoſci Deo quidditatiuè non cognito. *Confirmatur 2.* Et augetur difficultas; quia namque in viſione beata non poteſt Deus cognoſci comprehẽſiuè, poteſt viſio comprehendi, quin Deus comprehendatur; aliàs nec per ſe ipſam comprehenderetur viſio, cuius oppoſitum docet Suarez: ergo ſi Deus non poteſt cognoſci quidditatiuè in viſione beatifica, poterit viſio cognoſci adæquatè *extenſiuè*, etiam ſi Deus quidditatiuè non cognoſcatur.

80 *Reſpond. 2.* Reſpondebis ſecundo, quod licet poſſit adæquatè *extenſiuè* extra Verbum cognoſci, non tamen adæquatè *intenſiuè*; eo quod viſio beata petit per ſe ipſam cognoſci; modus autem viſionis beatificæ perfectior eſt modo cognitionis ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ; ac proinde hæc cognitio non adæquat modum paſſiuæ cognoſcibilitatis viſionis: quod neceſſarium erat, vt eum illa in ratione cognoſcibilis *intenſiuè* adæquaretur. *Reÿcitur ſecunda ſolutio.* Sed contra; nam viſio beatifica non eſt cognitio ſui in ſe, ſed in Deo prius cognito: ergo in ratione cognoſcibilis in ſe, non petit modum ſui in ratione cognoſcentis; ſed modum cognitionis inferiorẽ viſioni beatificæ; & conſequenter in ratione cognoſcibilis in ſe, & ratione ſui cognoſcitur adæquatè *intenſiuè* per actum ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ, & per ſe ipſum comprehenditur, quod ſolum intendit noſtra concluſio. Secunda conſequentia ex prima euidenter colligitur. Prima vero probatur; nam viſio, in ratione cognoſcibilis in ſe, petit modum aliquem cognitionis; ſed non petit modum ſui: quia per ſe ipſam non in ſe, ſed in Verbo cognoſcitur: ergo petit modum cognitionis ab ipſa diſtinctæ, & ad illam in ſe, & ratione ſui terminatæ; ac proinde inferioris perfectionis ad beatificam viſionem prout eſt actiuè cognitio.

81 *Reſpõd. 1. Contra primo.* Reſpondebis primo cum Suarez *loco vbi ſupra*, viſionem beatificam poſſe per ſe ipſam in ſe, & ratione ſui cognoſci, & non ſolum intra Verbum, vt obiectum prius cognitum; ac proinde, in ratione cognoſcibilis in ſe, petere modum actiuũ ſui, prout eſt cognitio. Sed contra primo; nam vt viſio ſe, in ſe, & ratione ſui cognoſceret, deberet ad ſe ipſam vt obiectum primarium terminari; ſed hoc concedi non poteſt; nam obiectum primarium ſpecificat cognitionem; nihil autem poteſt ſe ipſum ſpecificare, ſicut nec ſe ipſum cauſare, nec à ſe ipſo realiter dependere: ergo viſio beatifica non eſt ſui in ſe ipſa cognitio, ſed tantum ad ſe intra Verbum terminatur.

82 *Secundo.* Secundo; nam alia à viſione beatifica diſtincta, non cognoſcuntur per ipſam in ſe, & ratione ſui, ſed in Deo, vt obiecto prius cognito: ergo viſio ipſa; non in ſe, & ratione ſui, ſed in Deo vt obiecto prius cognito, per ſe ipſam cognoſcitur. Antecedens ſupponimus; aliàs ſcientia infuſa à lumine gloriæ diſtincta, eſſet omnino ſuperflua; cum non alia ratione admittatur, niſi ad res creatas in ſe ipſis cognoſcendas. Conſequentia vero probatur; non enim alia de cauſa, res creatæ non in ſe, & ratione ſui, ſed in Deo prius cognito terminant cognitionem beatificam, niſi quia comparantur ad lumen gloriæ, quod eſt principium illius, vt obiecta ſecundaria; Deus autem, vt obiectum eius primarium: ſed hæc ratio pari efficacia militat in viſione beata; cum etiam in ratione cognoſcibilis, vt *quod*, comparetur ad lumẽ gloriæ vt obiectum ſecundarium: ergo non poteſt in ſe, & ratione ſui per ſe ipſam cognoſci.

Reſpondebis ſecundo; ratione facta ſolum probari, cognoſci viſionem beatificam per ſcientiam infuſam quanti eſt in ſe ipſa cognoſcibilis, non vero quantum eſt cognoſcibilis abſolutè; petit enim cognoſci per ſe ipſam intra Verbum; ac proinde in ratione cognoſcibilis poſtulat modum ſui in ratione cognitionis, quem non adæquet ſcientia ſupernaturalis infuſa; conſequens fit, quod non adæquet modum paſſiuæ cognoſcibilitatis viſionis; ac proinde quod ipſam non comprehendat. 83 *Reſpond. 2.*

Sed contra primo; nam ad minus viſio beata cognoſcitur per ſcientiam infuſam quantum eſt in ſe ipſa cognoſcibilis: ergo cõprehenditur per illam, prout in ſe cognoſcibilis, quidquid ſit, an comprehendantur ſecundum omnem modum cognoſcibilitatis illius. Secundo; nam vel viſio beatifica non petit in Deo cognoſci, vel id poſtulant omnes entitates creatæ: ſi primum, non exigetur ad illius comprehenſionem cognitio adæquans modum cognitionis in Verbo; cum modus ille non ſit exactus, ſed permiſſus à viſione in ratione cognoſcibilis ſi ſecundum dicatur, idem colligitur; nam etiam ſi res creatæ petant in Deo, vt in ſui cauſa cognoſci, poſſunt adæquatè, & comprehenſiuè attingi extra viſionem beatam per cognitionem rerum extra Verbum: ergo pariter licet beatifica viſio petat intra Verbum cognoſci, poterit extra Verbum comprehendi. 84 *Contra 1.* *Secundo.*

§. VI.

Contraria ſententia refertur, & tribus argumentis occurritur.

CONTRARIAM noſtræ concluſioni ſententiam docere tenentur Bañez, & Aluarez *§. præced. ſolatt.*, quibus etiam adiungendus eſt Lorca *in præſenti diſp. 50. n. 11.* vbi negant, viſionẽ beatã per ſcientiam per ſe infuſam cognoſci quidditatiuè, & à fortiori comprehenſiuè. Tenet etiã Suarez *in præſenti diſp. 17. ſect. 3. in fine*, vbi docet, entia ſupernaturalia, quæ Deum reſpiciunt, vt obiectum, vel terminum immediatum, etſi poſſint extra viſionem beatam cognoſci quidditatiuè; non tamen poſſe extra ipſam comprehendi. Argumentum, quo conuincitur eſt; tunc enim obiectum comprehenditur; cum cognoſcitur quantum cognoſcibile eſt; ſed viſio beata non cognoſcitur per ſcientiam infuſam quantum cognoſcibilis eſt: ergo per illam nõ comprehenditur. Probat minorem; quo enim perfectius cognoſcitur terminus habitudinis, vel obiectum actus, eo actus, vel habitudo perfectius cognoſcitur; ſed Deus, qui eſt obiectum immediatum viſionis beatificæ, perfectius per ipſam cognoſcitur, quam per ſcientiam ſupernaturalem infuſam: ergo viſio perfectius per ſe ipſam quam per ſcientiam infuſam cognoſcitur; ac proinde per huiuſcemodi ſcientiam non cognoſcitur quantum cognoſcibilis eſt. 85 *Oppoſita ſententia, cum ſuis Auctoribus, & argumentis proponitur. Arguitur 1. ex Suar.*

Reſpondeo, hoc argumentum ſi quid probat, conuincere, nec per ſe ipſam poſſe viſionem comprehendi, ſed tantum per cognitionem diuinam; nam ſolũ per illam cognoſcitur omnino perfectè obiectum viſionis; cum per ſolam Dei cognitionem comprehendatur, & vndequaque perfectè cognoſcitur Deus, qui eſt obiectum viſionis beatificæ: ergo ſi creſcit perfectio cognitionis actus, ad incrementum cognitionis obiecti incremento ab illo exacto, ſolum per diuinam cognitiõnem cognoſcetur viſio beatifica, quantum cognoſcibilis eſt; ac proinde ſolum per illam poterit comprehendi: Deinde, eodem argumento probatur, ſi aliquid valet, habitudinem dependentiæ creaturarum à Deo, ſolum per viſionem beatificam comprehendi poſſe; cum ſolum per illam, Deus, qui eſt terminus dependentiæ perfectè cognoſcatur. 86 *Inſtatur argumentum 1.* *Secundo inſtatur.*

Conceſſa igitur maiori, nego minorem. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem: ſi exceſſus cognitionis termini habeatur ea vi cognitionis habitudinis, concedo maiorem: ſi non in illa, & ex illa habeatur talis exceſſus, ſubdiſtinguo maiorem: perfectius cognoſcitur habitudo, exceſſu 87 *Ad argumentum reſpond.*

exceſſu exacto ab illius cognoſcibilitate, nego minorem: exceſſu non exacto, ſed tantum permiſſo, tranſeat minor, & diſtinguo conſequens: exceſſu exacto, à viſione in ratione cognoſcibilis, nego conſequentiam; exceſſu non exacto, tranſeat conſequens; ex quo non infertur, non comprehendi viſionem per ſui cognitionem extra Verbum; nam ad rei comprehenſionem non exigitur, cognoſci omne perfectione, qua poteſt cognoſci, ſed qua ab intrinſeco cognoſci poteſt; exceſſus autem ille cognitionis viſionis beatificæ, qui habetur ex cognitione quidditatiua Dei; cum non habeatur in ipſa viſione, vt cognita, non petitur à viſione in ratione cognoſcibilis, à qua prout ſic tantum petitur cognitio Dei, quæ in ipſa viſione, vt cognita, haberi poteſt, non quæ aliunde poteſt venire; ac proinde defectus talis exceſſus, comprehenſioni viſionis obſtare nequit.

88 *Inſtabis.* Sed dices: eſto in viſione, vt cognita, non poſſit Deus quidditatiuè cognoſci; in Deo tamen quidditatiuè cognito, poteſt ipſa viſio cognoſci, & talem modum cognitionis, non ſolum permittit, ſed etiam petit; at illo modo perfectius cognoſcitur, quam per cognitionem immediatam ſui in ſe ipſa: ergo per cognitionem ad illam in ſe ipſa terminatam, non cognoſcitur perfectione, quam petit; & conſequenter non comprehenditur. Reſpondeo,

Reſpondetur. diſtinguendo vltimam partem maioris: viſio beatifica petit modum iſtum cognitionis prout eſt mediatè, & in alio cognoſcibilis, permitto maiorem: prout cognoſcibilis in ſe, ratione ſui, & immediatè, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens: non comprehenditur hoc genere cognitionis, prout eſt cognoſcibilis mediatè, & in alio, concedo conſequentiam: prout eſt cognoſcibilis in ſe immediatè, & ratione ſui, nego conſequentiam: & hoc ſufficit, vt abſolutè dicatur comprehendi hoc genere cognitionis; alias nulla res creata poſſet comprehendi extra viſionem beatam, vt *ſuperius* arguebamus.

89 *Secundo arguitur.* Secundo arguitur; potentia obedientialis creata, non comprehenditur per ſcientiam ſupernaturalem infuſam: ergo neque omnia dona ſupernaturalia creata. Antecedens probatur; vt virtus, vel potentia comprehendatur, neceſſarium eſt cognoſci omnia, quæ continentur in ipſa, iuxta D. Thom. *q. præcedenti art. 2.* vbi docet, cognouiſſe animam Chriſti omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ, quia illius virtutem comprehenſiuè cognouit: & inſuper; nam ſi omnia, quæ in virtute continentur innoteſcant ipſam cognoſcenti, non cognoſcitur quantum cognoſcibilis eſt, cum non cognoſcantur in illa omnia, quæ in virtute illius poſſunt cognoſci; ſed Chriſtus per ſcientiam infuſam non cognouit omnia, ad quæ extenditur potentia obedientialis creata; cum extendatur ad omnia dona gratiæ poſſibilia, quæ non fuerunt ab anima Chriſti cognita: ergo non comprehendit potentiam obedientialem creatam.

90 *Reſp. 1.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem: quæ continentur completè, concedo maiorem: quæ imperfectè, incompleteque, continentur, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Recolantur dicta à Nobis *q. præced. Diſp. 34.* Vel ſecundo reſpondeo, diſtinguendo maiorem:

Reſp. 2. debent cognoſci omnia, quæ in virtute continentur, cognitione quoad *quid eſt*, nego maiorem: ſi virtus imperfectè tales effectus contineat, cognitione quoad *an eſt*, tranſeat maior: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam: nam licet anima Chriſti non cognouerit omnia dona gratiæ poſſibilia cognitione quidditatiua; illa tamen quoad *an eſt* in particulari cognouiſſe, *loco allegato* docuimus, & modus iſte cognitionis illorum ſufficit, ad comprehenſionem potentiæ obedientialis creatæ, in qua non perfectè, ſed imperfectè continentur.

91 *Tertio arguitur.* Tertio arguitur; ſcientia infuſa non adæquat paſſiuam cognoſcibilitatem luminis gloriæ; & conſequenter, nec viſionis beatificæ: ergo eſſe nequit principium comprehenſionis illorum. Conſequentia patet; nam comprehenſio eſt cognitio adæquans obiecti cognoſcibilitatem: ergo debet procedere à principio adæquante in ratione cognoſcitiui obiectum in ratione cognoſcibilis paſſiuè; ac proinde, ſi ſcientia ſupernaturalis infuſa, non adæquat in vi actiua cognoſcendi paſſiuam luminis cognoſcibilitatem, cognitio in virtute illius elicita, eſſe nequit luminis comprehenſio. Antecedens autem probatur; entitas ſcientiæ infuſæ non adæquat entitatem luminis gloriæ, vt omnibus eſt manifeſtum: ergo vis cognoſcitiua illius non adæquet luminis gloriæ paſſiuam cognoſcibilitatem.

Patet conſequentia primo; nam cognoſcibilitas, & vis cognoſcitiua ſequuntur ad entitatem, & commenſurantur cum illa: ergo vis cognoſcitiua entitatiuè in perfectione inferioris, non poteſt adæquare paſſiuam cognoſcibilitatem entitatis ſuperioris. Secundo; quia omnis paſſiua cognoſcibilitas conſequitur entitatem, & commenſuratur cum illa, non ſtat cum exceſſu inter duas entitates ſpirituales, æqualitas inter illas in ratione cognoſcibilium; vnde, quia lumen gloriæ excedit *entitatiuè* ſcientiam ſupernaturalem infuſam, paſſiua cognoſcibilitas luminis, etiam ſuperat paſſiuam cognoſcibilitatem ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis, ſed etiam vis actiua cognoſcendi, ſequitur entitatem, & commenſuratur cum illa: ergo lumen *entitatiuè* inferius, nequit in vi actiua cognoſcendi, adæquare cognoſcibilitatem paſſiuam obiecti ſuperioris *entitatiuè*. — 92 *Conſequentia probatur 1. Secundo.*

Tertio; quia non ſtat adæquatio in vi actiua cognoſcendi ad paſſiuam obiecti cognoſcibilitatem, cum inferioritate in ratione immaterialitatis; ſed eo ipſo, quod ſcientia ſupernaturalis infuſa excedatur *entitatiuè* à lumine gloriæ, etiam ab illo exceditur in ratione immaterialitatis: ergo eo ipſo, non poteſt adæquare eius paſſiuam cognoſcibilitatem. Denique nam Angelum ſuperiorem non poſſe ab inferiori comprehendi, nec in ratione cognoſcibilis ab ipſo, vt cognoſcitiuo adæquari, eſt ſententia inter Thomiſtas probabilis, & fortaſſis probabilior, de quo 1. p. q. 56. art. 3. et non alia ratione, niſi quia entitas Angeli ſuperioris eſt perfectior ſpecificè entitate Angeli inferioris; & conſequenter illius immaterialitas eſt ſpecificè maior: ergo ſcientia ſupernaturalis infuſa, quæ eſt *entitatiuè* inferior lumine gloriæ; & conſequenter immaterialitatis ſpecificè inferioris, non poteſt in ratione cognoſcitiuæ adæquare lumen gloriæ in ratione cognoſcibilis; & conſequenter nec ipſum comprehendere. — 93 *Tertio.* *Quarto.*

Reſpondeo, negando antecedens: ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad cuius primam probationem, concedo antecedentem, & diſtinguo conſequens; adæquatione abſoluta, concedo conſequentiam: adæquatione propriæ lineæ, hoc eſt, virtutis cognoſcitiuè ad obiectum cognoſcibile, nego conſequentiã, vt enim obiectum comprehendatur, ſicut non requiritur, quod cognitio, qua comprehenditur, cum obiecto comprehenſo entitatiuè, & abſolutè adæquetur, ſed ſolum adæquatione proportionis conſiſtente in eo quod tanta ſit cognitio in ratione cognitionis, quantum eſt obiectum in ratione cognoſcibilis, & quod perfectiorem modum cognitionis non petat, ita vt potentia ſit, per modum principij proximi comprehenſiua obiecti, non petitur, quod adæquet obiectum adæquatione abſoluta, ſed ſufficit æqualitas proportionis, id eſt, quod tanta ſit in ratione virtutis proximè cognoſcitiuæ, quantum eſt obiectum in ratione cognoſcibilis, & quod obiectum ab intrinſeco, non petat vim proximam perfectius cognoſcitiuam, & ſicut prædictæ æqualitati inter cognitionem, & obiectum non obeſt entitatiua inæqualitas: ita æqualitati proportionis exactæ inter facultatem proximè cognoſcitiuam, & obiectum cognoſcibile, non obſtat, quod vis cognoſcitiua ab obiecto entitatiuè excedatur. — 94 *Reſpõdet. Ad 1. probationem conſequentia.*

Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam æqualitas duorum obiectorum in ratione cognoſcibilium deberet eſſe abſoluta, quæ non ſtat cum inæqualitate entitatiua immateriali; æqualitas autem inter vim cognoſcitiuam proximam, & obiectum cognoſcibile, non debet eſſe abſoluta, ſed æqualitas proportionis, quæ cum inæqualitate entitatiua componitur. Ad tertiam dicatur, veram eſſe maiorem de inferioritate in gradu; ſecus autem in ſpecie immaterialitatis; hæc enim non obſtat in facultate proxima, vt in ratione intellectiuæ adæquet paſſiuam obiecti intelligibilitatem, vt conſtat in intellectum Angeli, qui adæquatur in ratione proximè intellectiui cum ſubſtantia, à qua dimanat in ratione intelligibilis; & tamen ſubſtantia cognita excedit ſpecificè immaterialitatem intellectus cognoſcentis; ſcientia autem infuſa eſt eiuſdem gradus immaterialitatis cum lumine gloriæ; ac proinde quamuis ab illo ſpecificè excedatur, poteſt in ratione proximè intellectiuæ adæquare lumen gloriæ in ratione intelligibilis. — 95 *Ad ſecundam.* *Ad tertiã*

Ad vltimam antecedentis probationem, prætermiſſa maiori, diſtinguo minorem: quia eſt perfectior, & immaterialior ſpecificè, facta comparatione cum principio proxi- — 96 *Ad quartam.*

proximo, & radicali intelligendi, concedo minorem; tantum cum principio proximo, nego minorem, & conſequentiam; nam ad comprehenſionem alicuius obiecti, in ſententia quam in maiori ſupponimus, non eſt neceſſarium, quod principium proximum illius, ſit eiuſdem perfectionis, eiuſdemque immaterialitatis cum obiecto comprehenſo, ſed ſufficit, quod principium radicale intelligendi, adæquet ſpecificè immaterialitatem obiecti; aliàs nullus Angelus comprehenderet ſe ipſum, cum nullius Angeli intellectus ſuam ſubſtantiam adęquet, nec in entitate, nec in ratione immaterialitis. Quia ergo in Angelo inferiori comparato ad ſuperiorem, non ſolum intellectus, qui eſt principium proximum intellectioni, ſed etiam natura, quæ eſt principium radicale, eſt inferioris immaterialitatis ſpecificæ ad ſubſtantiam Angeli ſuperioris; conſequens fit, quod illam non comprehendat. In noſtro autem caſu, licet ſcientia ſupernaturalis infuſa, quæ eſt proximum principium intelligendi, non adæquet luminis perfectionem; gratia tamen, quæ eſt principium radicale, lumen gloriæ, & viſionem beatificam ſuperat, quia eſt in ordine ſupernaturali natura, à qua lumen gloriæ, vt proprietas dimanat; natura autem in quocumque ordine ſuas excedit proprietates: & conſequenter gratia habitualis perfectior eſt ſpecificè lumine gloriæ, & viſione beatifica; ac proinde cognitio proximè procedens à ſcientia infuſa, & à gratia radicaliter, poteſt eſſe illorum comprehenſio, ad æquareque paſſiuam eorum intelligibilitatem.

97 *M. Zippul.* Quod rectè, acuteque excogitauit Mag. Zippullus *in præſenti dub. 5. §. 2. ad prima obiectionem*: & rationem reddit, quia, nempè, proximum intelligendi principium eſt inſtrumentum ſubſtantiæ intelligentis, inſtrumentum autem non petit cum effectu adæquari. Hæc tamen ratio non placet; falſum enim eſt, quod principium proximum intelligendi inſtrumentaliter ad intellectionum concurrat, vt cum communi Thomiſtarum ſententia docuimus *Tractatu de Charitate art. 2.* Vnde legitima ratio eſt, quia ex principio radicali, ex potentia, & virtute potentiæ conflatur adæquata cauſa intellectionis, non vt ex cauſis partialibus, ſed vt ex partibus cauſæ, non autem eſt neceſſarium, quod effectus partem cauſæ non excedat, ſed quod non ſuperet adæquatam ſui cauſam; ac proinde vt intellectio, comprehenſio ſit alicuius obiecti, non requiritur, quod potentia, quæ eſt pars cauſę adæquet entitatem obiecti, ſed ſufficit, quod cauſa adæquata, ratione principij radicalis, vel proximi, ſit æqualis perfectionis cum illo. Alia huius argumenti ſolutio ex proximè dicendis conſtabit.

---

§. VII.

Tribus alijs argumentis occurritur.

98 *Quarto arguitur, & contra dicta replicatur.* QVarto arguitur, & vis præcedentis argumenti magis explicatur. Viſio beatifica in ratione intellectiuæ excedit ſcientiam infuſam: ergo etiam illam excedit in ratione intelligibilis. Patet conſequentia: nam intellectualitas actiua, & paſſiua conſequuntur in viſione ad eandem entitatem, & eandem immaterialitatem: ergo non eſt maior vis actiua viſionis, illius intelligibilitate paſſiua. Patet conſequentia: nam quæ ad eadem radicem conſequuntur, non poſſunt non adæquari: vnde quia intelligibilitas paſſiua Dei, & actiua intellectualitas conſequuntur ad eandem immaterialitatem, omnino inter ſe adæquantur, & vtraque eſt infinita: & quia actiua, & paſſiua intelligibilitas entitatis ſupernaturalis conſequuntur ad radicem ſupernaturalem, vtraque eſt ſupernaturalis ordinis; ſed vis actiua viſionis, & paſſiua intelligibilitas illius, conſequuntur ad vnam, & eandem entitatem, & ad eandem immaterialitatem: ergo viſio non eſt magis intellectiua, quam intelligibilis, nec eſt maior intellectualitas actiua viſionis beatificæ, quam paſſiua intelligibilitas eiuſdem.

99 *Reſpond.* Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem: quæ conſequuntur ad vnam, & eandem radicem, & in eadem comparatione, concedo maiorem: comparatione ad diuerſa extrema, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam actiua intellectualitas viſionis, ſumitur per comparationem ad Deum, paſſiua autem illius intelligibilitas, dicitur comparatiue ad eius cognitionem reflexam ab ipſa ſpecificatam: & quia Deus, vt quidditatiuè cognoſcibilis, excedit viſionem noſtram beatam, vt cognoſcibilem, etiam comprehenſiue, & cognitionem comprehenſiuam illius; fit conſequens, vt quamuis duplex ille conceptus, conſequatur ad eandem entitatem, ad eandemque immaterialitatem, ſit maior actiua intellectualitas viſionis, paſſiua intelligibilitate ipſius.

Ex quo vlterius fit, quod licet viſio beata in ratione intellectionis, excedat ſcientiam infuſam in ratione intellectiuæ, & ſumpta in ratione intelligibilis, excedat intelligibilitatem paſſiuam ſcientiæ infuſæ: non tamen excedat ſumpta in ratione intelligibilis ſcientiam infuſam in ratione intellectiuæ, ſed tanta ſit ſcientia infuſa in ratione intellectiuæ, quanta eſt viſio beata in ratione intelligibilis, quod ſufficit, vt comprehendatur per illam, non obſtante exceſſu entitatiuo; aliàs cognitio, qua Angelus cognoſcit ſe ipſum, non eſſet Angeli comprehenſio; cum entitatiue excedatur à ſubſtantia Angeli cognitſ. Sicut ergo hæc cognitio eſt Angeli comprehenſio, quia tanta eſt in ratione cognitionis, quantus eſt Angelus in ratione cognoſcibilis; eo quod Angelus cognitus perfectiorem cognitionem non petit, quamuis perfectiorem cognitionem permittat, & quamuis ab illo entitatiue excedatur: ita cognitio per ſcientiam infuſam habita comprehendit viſionem beatam: quia hæc in ratione cognoſcibilis perfectiorem cognitionem non petit; vnde eſt tanta in ratione cognitionis, quanta eſt viſio in ratione cognoſcibilis exactiuè, quamuis non quanta eſt entitatiue, & in ratione cognoſcibilis permiſſiuè. 100 *Quæ adæquatio ad comprehenſionem requiratur?*

Ad exempla in contrarium dicatur, non ideo ſolum Deum eſſe infinitum in ratione cognoſcibilis, quia eſt in ratione entis infinitus, ſed inſuper quia cognoſcibilitas ſequitur in comparatione ad intellectum infinitum, à quo poteſt, & petit cognoſci, & quem petit adequare. De ratione autem ſupernaturalitatis dicatur, ideo entitatem ſupernaturalem, conſequi cognoſcibilitatem ſupernaturalem: quia ratio ſupernaturalitatis conſiſtit in eleuatione ſupra exigentiam naturæ. Et quia, entitate excedente exigentiam totius naturæ, non poteſt illam non excedere cognoſcibilitas ad talem entitatem ſequuta; fit, vt non poſſit non eſſe ſupernaturalis cognoſcibilitas in entitate ſupernaturali fundata. 101 *Exempla nō vrgēt.*

Sed dices: etiã cognoſcibilitas viſionis conſequitur entitatem in comparatione ad eandem viſionem, vt cognoſcitiua eſt: ergo cognoſcibilitas Dei adæquat eius vim cognoſcitiuam, quia conſequitur ad eandem entitatem, & in comparatione ad vim cognoſcitiuam diuinam, etiam viſionis cognoſcibilitas adæquat vim cognoſcitiuam ſui. Probatur antecedens: ideo cognoſcibilitas Dei conſequitur entitatem diuinam in comparatione ad ipſum in ratione cognoſcitiui, quia Deus eſt à ſe ipſo intelligibilis; ſed etiam viſio beata eſt à ſe ipſa cognoſcibilis: ergo eius cognoſcibilitas conſequitur illius entitatem in comparatione ad ipſam in ratione cognoſcitiuæ; & conſequenter adæquat ſuã vim cognoſcitiuam. 102 *Replicabis.*

Reſpondeo, negando antecedens. Ad illius probationem diſtinguo maiorem: quia eſt cognoſcibilis Deus à ſe, in ſe, & ratione ſui, vt mouente, & formaliter terminante, concedo maiorem: in alio, & ratione alterius, nego maiorem, & diſtinguo minorem: viſio beata eſt cognoſcibilis à ſe, in ſe, & ratione ſui, motiuè, aut terminatiuè formaliter, nego minorem: eſt cognoſcibilis à ſe, in alio, & ratione alterius, nempè, diuinę eſſentię prius cognitę per ipſam, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nam adęquatio cognoſcibilitatis paſſiuę cum actiua, non eſt ſumenda penes cognitionem in alio, quia cognitum in alio non ſpecificat cognitionem, ſed penes ordinem ad cognitionem in ſe, & ratione ſui, quia iſtam cognitionem ſpecificat ratione ſui. Vnde, quamuis viſio beata ſit cognoſcibilis à ſe in Verbo, non ſequitur adęquare in ratione cognoſcibilis à ſe ipſam in ratione cognitionis; aliàs nullum ens poſſet extra Verbum comprehendi; cum nulla cognitio entis creati in ſe ipſo adęquare poſſit cognitionem ſui in Verbo; & conſequenter nec ſui in Verbo cognoſcibilitatem. 103 *Reſpond.*

Inſtabis: cognoſcibilitas viſionis adęquat ſui cognitionem in Verbo: ergo ſolutio eſt nulla. Probatur antecedens: ſi non adęquaret ſe ipſam, vt ſe cognoſcentem in 104 *Inſtabis.*

Verbo

Verbo, eſſet ſuper comprehenſio ſui; ſed non poteſt eſſe ſuper comprehenſio ſui, cum petat ſe ipſam in ratione cognitionis; & conſequenter viſio in ratione cognitionis, non excedat exigentiá ſui in ratione cognoſcibilis: ergo.
Reſpond. Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem; eſſet ſuper comprehenſio ſui, vt in ſe cognoſcibilis, concedo maiorem: ſui vt cognoſcibilis in Verbo, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Itaque ſicut cognitio omnium nego conſequentiam. Itaque ſicut cognitio omnium poſſibilium in Verbo, eſt ſupercomprehenſio collectionis poſſibilium, quatenus in ſe cognoſcibilis; non autem reſpectu illorum, vt cognoſcibilium in Verbo, & ratione Verbi: ita cognitio viſionis in Verbo eſt ſupercomprehenſio illius, vt in ſe, & ratione ſui cognoſcibilis, quia, prout ſic, talem cognitionem non petit; non autē reſpectu viſionis, vt in Verbo cognoſcibilis, quia prout ſit, ratione Verbi, petit ſe ipſam in ratione cognitionis. Ex quibus ſolum ſequitur, ſcientiam infuſam non eſſe comprehenſionem viſionis, vt in Verbo cognoſcibilis; non autem, quod non ſit comprehenſio viſionis, quatenus in ſe cognoſcibilis. Et ex his etiam fit, vt ſcientia infuſa abſolutè ſit dicenda comprehenſio viſionis beatificæ, quia eſſe vel non eſſe abſolutè comprehenſionem, penſandum eſt penes merita obiecti vt cognoſcibilis ratione ſui; non autem penes cognoſcibilitatem in alio, & ratione alterius; aliàs, vt *proximè* dicebamus, nullum ens ſaltem ſupernaturale, poſſet abſolutè extra Verbum comprehendi.

105 *Vrgebis.* Vrgebis: nam ſequitur ex hac ſolutione, poſſe Angelum inferiorem comprehendere cognitionem, qua ſuperior ſe comprehendit, eſto teneamus, non poſſe ſuperioris Angeli ſubſtantiam comprehendere: conſequens a nullo admittitur ex his, qui hanc ſententiam tenent: ergo. Probatur ſequela; cognitio, qua Angelus ſuperior propria comprehendit ſubſtantiam, eſt ſuper comprehenſio cognitionis ſui; cum illam, non in ſe ipſa, ſed in propria ſubſtantia cognoſcat; propria autem ſubſtantia ſit maior in ratione cognoſcibilis, quam ipſa cognitio, vtpotè, cum illam in ratione entis excedat; & conſequenter in ratione cognoſcibilis: ergo Angelus inferior, eſto non poſſit adæquare cognoſcibilitatem Angeli ſuperioris, nec cognoſcibilitatem cognitionis illius, vt cognitæ ratione ſubſtantiæ, poterit tamen adæquare cognoſcibilitatem cognitionis, qua ſuperior ſe cognoſcit, prout eſt in ſe, & ratione ſui cognoſcibilis; & conſequenter illam prout ſic comprehendere.

106 *Reſpõdes.* Reſpondeo, negando ſequelam. Ad cuius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; non quia non poſſit illam adæquatè cognoſcere, prout cognoſcitur in ſubſtantia Angeli ſuperioris, ſed quia non poteſt illam adæquatè cognoſcere vt in ſe ipſa, & ratione ſui cognoſcibilis eſt, quod neceſſarium erat, vt inferior Angelus cognitionem, qua ſuperior ſe cognoſcit, comprehenderet. Et hoc ideò, quia cognitio propria Angeli ſuperioris, non ſolum poteſt ab ipſo cognoſci in ſubſtantia prius cognita, ſed etiam petit cognoſci ab illo in ſe ipſa per cognitionem immediatam reflexam; cognitio autem Angeli ſuperioris, qua reflexè, & immediatè propriam cognitionem cognoſcit, perfectior eſt cognitione elicita ab Angelo inferiori, vtpotè, elicita ab intellectu ſuperioris, qui perfectior eſt intellectu inferioris; & conſequenter Angelus inferior, non ſolum non cognoſcit talem cognitionem ea perfectione, qua cognoſcitur à ſuperiori, in ſubſtantia propria, vt prius cognita, ſed nec eam cognoſcit ea perfectione, qua poteſt, & petit cognoſci in ſe ipſa; ideoque, non comprehendit, cuius oppoſitum in noſtro caſu contingit; nam viſio beatifica non petit in ſe ipſa cognoſci ratione ſui cognitione perfectiori, illa, qua per ſcientiam infuſam cognoſcitur. Vnde cognitio elicita à lumine ſcientiæ infuſæ adæquat illam, vt in ſe, & ratione ſui cognoſcibilem; ac proinde comprehendit viſionem, eſto non adæquet perfectionem cognitionis, qua cognoſcitur in Verbo, & ratione Verbi, quia huiuſcemodi adæquatio neceſſaria non eſt, vt habetur ex dictis.

107 *Inſtabis adhuc.* Sed dices: etſi cognitio, qua Angelus ſuperior comprehendit ſe ipſum, debeat eſſe perfectior cognitione, qua inferior, ſubſtantiam Angeli ſuperioris cognoſcit; non tamen oportet, vt cognitio, qua Angelus ſuperior cognoſcit, propriam cognitionem reflexè immediatè, perfectior ſit cognitione, qua inferior Angelus eandem cognitionem cognoſcit: ergo ex eo quod illa cognitio petat cognoſci per cognitionem elicitam à proprio intellectu, non probatur, petere perfectiorem cognitionem; & conſequenter non ſequitur, quod non poſſit comprehendi ab inferiori. Conſequentia eſt euidens; antecedens autem probatur: licet namque perfectiſſima cognitio perfectioris intellectus debeat eſſe perfectior omni cognitione intellectus inferioris; non tamen omnis cognitio elicita a ſuperiori intellectu petit excedere omnem cognitionem elicitam ab inferiori; ſed cognitio, qua Angelus ſuperior ſuam ſubſtantiam comprehendit, eſt perfectiſſima, in quam poteſt naturaliter; ſecus autem cognitio reflexa ſuæ propriæ cognitionis: ergo quamuis prima excedat omnem cognitionem elicitam ab Angelo inferiori; ſecunda verò talem exceſſum non petit.

Reſpondeo, quod licet verum ſit, non omnem actum potentiæ ſuperioris debere excedere in perfectione omnem actum elicitum à potentia inferiori, vt conſtat in actu fidei, quam non ſolum in morali æſtimatione, verum etiam in perfectione phyſica, & entitatiua ab actu charitatis excedi, docet frequentior ſententia; omnis tamen actus intellectus ſuperioris attingens idem obiectum, & ſeruato eodem ordine, & eodem modo attingendi, neceſſarium eſt, quod excedat actum elicitum ab intellectu inferiori circa vnum, idemque obiectum, ſeruata identitate ordinis, & modi attingendi. Cuius ratio eſt; nam, vt actus potentiæ inferioris excedat, vel adæquet actum ſuperioris potentiæ; oportet vt exceſſus genericus, qui conuenit actui, vt elicito à potentia ſuperiori, reſarciatur in differentia ſpecifica ob aliquem modum in illa repertum, in quo actus ſuperioris potentiæ excedatur: qui exceſſus non poteſt ſpecificæ differentiæ competere actus eliciti à potentia inferiori, ſi vterque erga idem obiectum verſetur, & actus in eodem ordine ſint, & ſeruent eundem modum tendendi penes certitudinem, vel claritatem. Quia ergo intellectus Angeli ſuperioris perfectior eſt intellectu Angeli inferioris, & obiectum cognitum eſt idem, nempè, cognitio propria ſuperioris, & actus in eodem ordine ſunt, & vterque clarus, & certus, non poteſt non eſſe perfectior cognitio, qua Angelus ſuperior propriam cognitionem in ſe ipſa reflexè cognoſcit, cognitione, qua ab Angelo inferiori eadem cognitio cognoſcitur. 108 *Reſpõdes.*

Quod ſi adhuc inſiſtas: ideo namque Angelus inferior non comprehendit ſuperioris ſubſtantiam, quia tam principium proximum, quam radicale intelligendi conueniens ſubſtantiæ inferiori, ſunt minoris immaterialitatis, quam ſubſtantia ſuperioris: ſed hæc ratio reſpectu cognitionis, qua ſuperior ſe cognoſcit, non militat; nam ſubſtantia Angeli inferioris, quæ eſt principium radicale intelligendi, eſt entitatiuè perfectior tali intellectione; & conſequenter excedit illam, quamuis non in gradu, ſaltim in ſpecie immaterialitatis: ergo illam comprehendere poteſt. 109 *Replicabis adhuc.*

Reſpondeo, quod quamuis valeat benè ſubſtantia inferioris exceditur à ſubſtantia ſuperioris: ergo illam non comprehendit; non tamen è contra valet: ſubſtantia inferioris excedit accidentia ſuperioris in entitate: ergo illa comprehendere poteſt. Et inſtatur in anima rationali, quæ quidem entitatiuè perfectior eſt accidentibus Angeli; & tamen illa comprehendere non poteſt. Et ratio eſt: nam accidentia ſuperioris petunt ab ipſo in ſe ipſis cognoſci, & conſequenter petunt terminare, & mouere ad cognitionem perfectiorem illa, quæ poteſt elici ab inferiori intellectu; ac proinde ab intellectu inferiori comprehendi non poſſunt. *Reſpond.*

Quinto arguitur, & inſtatur contra dicta: implicat ex terminis intellectiuum intelligibile, magis intellectiuum, quam intelligibile: ergo viſio beata non eſt magis intellectiua, quam intelligibilis; & conſequenter, ſi in ratione intellectionis excedit ſcientiam infuſam, excedit illam in ratione intelligibilis. Antecedens probatur: implicat ex terminis principium productiuum producibile, quod ſit magis productiuum, quam producibile: ergo implicat ex terminis principium intellectiuum, & intelligibile, quod ſit magis intellectiuum, quam intelligibile. Antecedens patet: quia aliàs poſſet producere effectum magis producibilem; & conſequenter perfectiorem ſe, nam excedens in ratione producibilis, excedit in ratione perfectionis: ſicut excedens in ratione productiui, excedit etiam in perfectione. Conſequentia autem probatur: item ideo aſſerebamus ſtare in eadem entitate minor intelligibilitas, quamuis intellectiua, quia licet conſequantur ad eandem entitatem, comparantur ad diuerſa; ſed etiam ratio productiui, & ratio producibilis, etſi conſequantur ad eandem entitatem, eſt comparatiuè ad diuerſa: ergo, ſi, hoc non obſtante, implicat principium productiuum, & producibile 110 *Quinto arguitur, & inſtatur contradicta.*

ducibile, quod ſit magis productiuum, quam producibile, non obſtabit comparatio ad diuerſa in intellectiuo, & intelligibili, quominus implicet intellectiuum intelligibile, magis intellectiuum, quam intelligibile.

111 Reſpõd. Reſpondetur, negando antecedens. Ad probationem reſpondetur, prætermiſſo antecedenti, negando conſequẽtiam: ad cuius probationem, diſtinguo cauſalem: quia comparantur ad diuerſa, inter quæ datur exceſſus, concedo maiorem: inter quæ exceſſus repugnat, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam viſio in ratione intellectiui comparatur ad Deum vt obiectum: in ratione intelligibilis, comparatur ad intellectionem ſui reflexam, vt obiectum illius. Et quia Deus in ratione obiecti perfectior eſt ipſa viſione in ratione obiecti, & cognitione reflexa, quam terminat, & ſpecificat; hinc fit, vt viſio in ratione intellectiuæ ſit perfectior ſe ipſa in ratione intelligibilis. Cauſa autem in ratione productiuæ comparatur cum effectu producibili, in ratione producibilis cum cauſa productiua ſui; effectus autem ab aliqua cauſa principali productus, non poteſt excedere ipſam; & conſequenter non poteſt excedere cauſam ſuæ cauſæ: ac proinde comparatio productiui, & producibilis fit ad extrema, inter quæ repugnat exceſſus: ideoque non poteſt principium productiuum producibile, eſſe magis in ratione productiui, quam in ratione producibilis; quia ad hoc neceſſarium erat, vt eſſet producibile à cauſa, quæ non eſſet ita perfecta, ac eſt effectus producibilis, quod implicat. Licet enim nepos non dependeat ab auo per ſe: quia tamen filius non poteſt excedere patrem, nec ipſe pater ſuum patrem excedere poteſt, fit, vt nepos non poſſit excedere auum, quamuis non dependeat ab illo, niſi ſolum per accidens.

112 Sexto arguitur. Deinde arguitur ex D. Tho. q. 16. *de Malo art. 8. in corp.* vbi docet, ſpecies exiſtentes in Angelo ſuperiori, non poſſe comprehendi per ſpecies exiſtentes in Angelo inferiori, nec ab illius intellectu perfectè, hoc eſt comprehenſiuè, cognoſci, quia ſunt magis vniuerſales; ſed viſio beatifica eſt magis vniuerſalis, quam ſcientia infuſa, cum quidditatiuè Deum cognoſcat; ſecus autem ſcientia infuſa, & inſuper omnia obiecta per ſcientiam infuſam cognita: ergo. Vide pro ſolutione huius Auctoritatis Salmanticenſes, & Illuſtriſſimum Araujo 1. p. q. 56. art. 3. defendentes, Angelum ſuperiorem comprehendi ab inferiori.

Salmant. Araujo.

113 Reſpond. Ad noſtrum intentum dicatur, cauſalem D. Thomæ ſic accipiendam: quia ſunt vniuerſaliores formaliter, & in radice, ratione cuius debentur, ſcilicet, ſubſtantia Angeli ſuperioris, à qua poſſunt, & petunt cognoſci, & conſequenter in ratione cognoſcibilium excedunt vim cognoſcitiuam intellectus, & ſubſtantiæ Angeli inferioris. Viſio autem beata, etſi vniuerſalior ſit formaliter ſcientia infuſa; non tamen radice ſcientiæ infuſæ, nempè, gratia habituali, in qua vtraque radicatur; & alias in ratione cognoſcibilis non petit principium perfectius: ideoque poteſt adæquatè per ſcientiam infuſam cognoſci, ac per conſequens comprehendi.

§. VIII.

Vltimum argumentum diluitur.

114 *Vltimo arguitur. Maior probatur primo.* DENIQVE arguitur; Chriſtus per ſcientiam infuſam non comprehendit vnionem hypoſtaticam; at hæc vnio eſt aliquod donum ſupernaturale creatum: ergo non comprehendit omnia dona ſupernaturalia creata. Maior probatur primo: nam ad rei comprehenſionem requiritur, quod principium, ſaltim radicale, adæquet obiectum cognitum in perfectione, & immaterialitate, vt *proximè* dicebamus; ſed nec principium proximum, videlicet, ſcientia infuſa, nec principium radicale, nempè, gratia habitualis adæquant perfectionem vnionis hypoſtaticæ, cum ſint dona accidentalia; vnio vero ſubſtantialis: ergo non comprehenditur ab anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam.

115 *Secundo.* Secundo; quia namque principium proximum, & principium radicale, quibus Angelus inferior intelligit, exceditur in perfectione ab Angelo ſuperiori, non comprehenditur ſuperior ab inferiori, vt *proximè* dicebamus; ſed tam principium proximum, quam radicale, quibus anima Chriſti res creatas in ſe ipſis intelligit, ſunt inferioris perfectionis, modo vnionis hypoſtaticæ: ergo illum non comprehendit. Tertio; quia namque ordo hypoſtaticus eſt ſuperior ordine gratiæ; licet poſſit cadere ſub merito congruo, quod eſt imperfectum meritum, actuum procedentium à gratia ſub merito illorum condigno, quod eſt perfectum meritũ, cadere non poteſt: ergo ex eadem ratione, licet poſſit per actus à gratia procedentes cognoſci quidditatiuè, quod eſt imperfectè cognoſci; comprehenſiuè tamen non poterit; quia comprehenſio eſt perfecta rei cognitio. *Tertio.*

116 *Quarto.* Quarto, & explicatur magis hoc ipſum; quia meritum condignum petit æqualitatem cum præmio, & actus ordinis gratiæ non adæquant vnionem hypoſtaticam, nequeunt illam condignè mereri; ſed comprehenſio petit adæquari cum obiecto, & cognitio ſupernaturalis non poteſt adæquare vnionem hypoſtaticam: ergo nequit eſſe illius comprehenſio. Quinto probatur maior; ſi daretur ſubſtantia ſupernaturalis creata, non poſſet comprehendi per ſcientiam ſupernaturalem infuſam; cum eſſet perfectior gratia habituali, & ſcientia infuſa, maiori exceſſu perfectionis, illo, qui verſatur inter Angelum ſuperiorem, & inferiorem: ergo pariter modus vnionis hypoſtaticæ, nequit per cognitionem radicaliter procedentem à gratia, & proximè à ſcientia infuſa, comprehenſiuè cognoſci. Denique nam licet vnio hypoſtatica ſit finitæ perfectionis nequit effectiuè phyſicè in cauſa limitata contineri: ergo licet ſit intelligibilitatis finitæ, non poterit intelligibiliter comprehenſiuè contineri in cognitione, & principio cognoſcendi finito. *Quinto.* *Sexto.*

117 *Inſtatur argumentum.* Hoc argumentum, ſi quid probat, conuincit, nec per cognitionem beatam comprehendi modum vnionis hypoſtaticæ, imo nec poſſe comprehendi ab aliqua creatura poſſibili, niſi poſſibilis admittatur ſubſtantia ſupernaturalis creata; omnia enim dona ſupernaturalia creabilia, cum accidentalia ſint, exceduntur à modo vnionis hypoſtaticæ; ac proinde ſi quia excedit ſcientiam ſupernaturalem infuſam, & gratiam habitualem, non poteſt comprehendi cognitione ab illis procedente, nec per lumen gloriæ, nec per aliud principium poſſibile de potentia abſoluta comprehendi poterit ab intellectu creato.

118 *Ad argumentum. reſpond. Ad primã probationem maioris reſpond. Recentiores.* Ad illud reſpondeo, negando maiorem. Ad cuius primam probationem Recentiores quidam reſpondent primo, negando abſolutè maiorem. Æqualitas enim entitatiua principij cum obiecto cognoſcendo, impertinens eſt ad illius comprehenſionem: nam principium inferioris perfectionis poteſt cognoſcere obiectum cognitione æquali ei, qua idem obiectum adæquatè cognoſcitur à principio ſibi æquali, v. g. cognitio, qua inferior Angelus ſibi ſuperiorem cognoſcit, æqualis eſt cognitioni, qua ſuperior Angelus ſe adæquatè cognoſcit; cum omnia, quæ continentur in Angelo ſuperiori eminenter, vel formaliter, Angelus inferior cognoſcat, & hæc ſolum ab Angelo ſuperiori de ſe ipſo cognoſcantur. Licet ergo vnio hypoſtatica gratiam habitualem, ſcientiamque ſupernaturalem infuſam excedat, poterit cognitione ab illis procedente comprehendi.

119 Secundo, prætermiſſa maiori, negant minorem; nam in Chriſto vnio hypoſtatica complet intelligendi principium; ac proinde quamuis in perfectione ſuperet ſcientiam infuſam, & gratiam habitualem, datur in Chriſto aliquid ex parte principij, ratione cuius poſſit adæquatè, & comprehenſiuè cognoſci. Tertio reſpondent, etiam negando minorem; nam compoſitum ex humanitate Chriſti, & gratia habituali, etſi in morali æſtimatione excedatur ab vnione hypoſtatica; illam tamen perfectione phyſica excedit; cum plures in hoc conflato perfectiones eluceant, quam in modo illo incompleto vnionis hypoſtaticæ. *Reſp. 2.* *Reſp. 3.*

120 *Prima ſolutio reijcitur.* Sed nulla ex his ſolutionibus argumento ſatisfacit: non prima; nam ſententia petens ad rei comprehenſionem æqualitatem principij cum obiecto cognoſcendo, eſt inter Theologos probabilis, & forſitan oppoſita probabilior; ſententia autem docens, modum vnionis hypoſtaticæ comprehendi ab anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, vel ſaltim per ſcientiam beatam, eſt communis inter Theologos: ergo illius defenſio non eſt huic, vel illi ſententiæ alliganda, ſed in omnibus ſententijs probabilibus inter Theologos, eſt argumentum ſoluendum. Nec exemplum in ſolutione adductum veram continet doctrinam; nam licet cognitio qua inferior Angelus ſibi ſuperiorem cognoſcit, ſit æqualis *extenſiuè*, cognitioni, qua

qua ſe cognoſcit ſuperior, vtpotè tot perfectiones attingens in Angelo ſuperiori, quot per illum attinguntur, non tamen illi *intenſiuè* adæquatur, vtpote ab illa deficiens in modo, & actualitate.

121 *Secunda reyicitur.* Nec magis ſecunda ſolutio ſatisfacit; etenim modus vnionis licet compleat humanitatem, vt agat; non tamen concurrit ad operationes humanitatis, vt principium, *quo agendi*: ergo ratione illius nequit humanitas Chriſti operationem aliquam phyſicè continere, quam ratione ſui, & donorum ſupernaturalium non continet phyſicè; ac proinde ſi ratione ſui, & donorum ſupernaturalium, non poſſet comprehenſionem vnionis hypoſtaticæ elicere, nec poterit ex adiuncto modo vnionis. Secunda conſequentia ex prima euidenter colligitur: prima verò probatur; nam perfectior operatio petit perfectiorem formam, ratione cuius in agente continetur; ſed quod non eſt ratio, vel principium *quo* agendi, ſed tantum conditio, vel complementum principij, non dat agenti continentiam actionis: ergo ſi vnio hypoſtatica non eſt humanitati ratio, vel principium *quo* agendi, ſed tantum conditio, non poteſt ratione illius continere phyſicè operationem, quam ratione ſui, & donorum ſupernaturalium non continet.

122 *Confirmatur 1.* Quod amplius explico, & in hunc modum confirmo; intellectio elicita ab humanitate Chriſti, ſiuè naturalis, ſiue ſupernaturalis ſit eſt eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ elici poteſt ab humanitate ſeparata à Verbo: ergo ſi elicita ab humanitate à Verbo ſeparata, nequit eſſe comprehenſio vnionis hypoſtaticæ, nec elicita ab humanitate Verbo coniuncta illius comprehenſio eſſe poterit.

123 *Confirmatur 2.* Et augetur difficultas, intellectioni elicitæ ab humanitate Chriſti nulla perfectio phyſica conuenit, quæ non poſſit ipſi conuenire elicitæ ab humanitate ſeparata à Verbo: ergo ſic elicita non poſſet eſſe comprehenſio vnionis hypoſtaticæ, nec elicita ab humanitate Verbo coniuncta, eſſe poterit illius comprehenſio. Conſequentia patet; nam ratio comprehenſionis conuenit intellectioni, ratione ſuæ phyſicæ perfectionis: ergo inuariata phyſicè intellectione, nullaque perfectione phyſica ſuperaddita, nequit de non comprehenſione in comprehenſionem tranſire. Antecedens autem probatur primo; intellectui, voluntati, & alijs potentijs humanitatis, nulla perfectio phyſica conuenit ex coniunctione illius ad Verbum, quæ eidem humanitati non poſſet ſeparatæ a Verbo competere: ergo pariter intellectioni ab humanitate elicitæ nulla conuenit phyſica perfectio ex coniunctione humanitatis ad Verbum, quæ illi, ſeparata humanitate à Verbo, conuenire non poſſet. Secundo; nam omnis *Indiuiduatio accidentiũ, non à ſuppoſito, ſed à ſubiecto inhæſionis deſumitur.* perfectio intellectionis, vel eſt ſpecifica, vel indiuidualis, vel intenſiua; ſed non conuenit intellectioni aliqua eſſentialis perfectio ratione coniunctionis ad Verbum, aliàs ſpecificè differret ab intellectione elicita, ab humanitate à Verbo ſeparata, nec illi conuenit noua indiuidualis perfectio; aliàs differret numero ab intellectione elicita extra ſtatum coniunctionis: quod eſſe falſum, conſtat primo; nam indiuiduatio operationis, cæterorumque accidentium ſumitur à ſubiecto inhæſionis, non à ſubiecto denominationis, qualiter ſolum ad illa comparatur ſuppoſitum. Secundo; quia ſi intellectio variaretur numero ratione ſuppoſiti, etiam cætera accidentia ex illo variarentur numericè; ac per conſequens ſi humanitas relinqueretur à Verbo, nouus, & diſtinctus numero intellectus reſultaret in illa, nouaque, & numero diſtincta voluntas, quod nullus hucuſque ſomniauit: ergo idem de intellectione eſt dicendum. Nec denique eſt imperfectio intenſiua; hæc namque ſumitur ex maiori intenſione principiorum elicientium, non vero à ſuppoſito, quod principium elicitiuum non eſt: ergo in intellectione elicita ab humanitate Chriſti nulla eſt perfectio phyſica, ratione ſolius coniunctioni ad Verbum, quæ eidem intellectioni elicitæ ab humanitate ſeparata à Verbo conuenire non poſſit.

124 *Tertia ſolutio reyicitur 1.* Tandem vltima ſolutio reijcitur primo; quia communis Theologorum ſententia cõcedit modo vnionis creato humanitatis ad Verbum, ex ſuppoſitione quod detur exceſſum, non ſolum in morali æſtimatione, verum etiam in perfectione phyſica ad omnia creata naturalia, & ſupernaturalia: ergo vt argumentum ſoluatur communis *Secundò.* hæc ſententia deſerenda non eſt: Secundo; nam gratia habitualis, quia pertinet ad ordinem ſuperiorem ordine naturæ, excedit non ſolum ſubſtantiam naturæ intellectualis ratione ſui, ſed etiam quoduis coniunctum ex rebus ad ordinem naturæ ſpectantibus; ſed modus ſubſtantialis vnionis hypoſtaticæ, pertinet ad ordinem ſuperiorem ordine naturæ, & gratiæ: ergo non ſolum excedit humanitatem, & gratiam ſeorſim, ſed etiam conflatum ex gratia, & humanitate; cum omnis pars huius conflati ad ordinem inferiorem pertineat.

Tertio; nam exceſſus phyſicus conflati ex humanitate, 125 & gratia, & alijs donis ad modum ſubſtantialem vnionis *Tertio.* hypoſtaticæ, vel prouenit, quia vnio eſt aliquid incompletum, vel quia in illo conflato plures, quam in modo vnionis perfectiones elucent: non ex primo capite; aliàs non ſolum conflatum, ſed quælibet pars illius phyſicè vnionem excederet; cum quælibet ex his partibus entitas completa ſit. Nec prouenit ex ſecundo capite: quia idem inconueniens ſequitur; nam etiam in humanitate elucent vis ſenſitiua, vegetatiua, & intellectiua, quæ perfectiones in modo vnionis non competent, & in gratia habituali, quod ſit phyſica Dei naturæ participatio, radicaliter intellectiua Dei per modum principij *quo*, & ſanctitas noſtra, vt forma, quæ perfectiones in modo vnionis hypoſtaticæ non reperiuntur; non enim Dei naturam participat, nec per modum principij *quo* operationes radicat, nec eſt ſanctitas humanitatis Chriſti formaliter, vt oſtendimus *Diſp.21. à num.67* ergo ſi ratione elucentiæ plurium perfectionum in conflato ex donis gratiæ, & humanitate reſultante, licet argumentari exceſſum phyſicum conflati ad modum vnionis, non ſolum conflatum ex humanitate, & donis ſed etiam partes ſeorſim, phyſicè vnionem excederent.

Denique; nam ſpectantia ad ordinem inferiorem quantumcumque in perfectionibus creſcant, numquam pertingere poſſunt perfectionem phyſicam rei pertingentis ad ordinem ſuperiorem quocirca quantumcumque actus naturales augeantur, & in perfectione creſcant, numquam adæquare poſſunt perfectionem phyſicam minimi actus ſpectantis ad ordinem ſupernaturalem, & quantumcumque creſcant actus virtutum infuſarum, numquam poſſunt adæquare perfectionem phyſicam minimi actus charitatis, idemque de actu fidei reſpectu viſionis beatæ eſt dicendum; ſed modus vnionis hypoſtaticæ, eſt ordinis ſuperioris ad gratiam, & naturam, & ad conflatum ex illis ergo quantumcumque augeantur in perfectione gratia, & natura, & conflatum ex illis, numquam peruenire poſſunt ad phyſicam perfectionem modi vnionis hypoſtaticæ. 126 *Quarto. Res ordinis inferioris non poteſt pertingere ad perfectionem phyſicã rei ad ordinem ſuperiorẽ ſpectãtis.*

Quare his reiectis ſolutionibus ad primam probationem maioris reſpondeo diſtinguendo maiorem: quando obiectum ab intrinſeco petit principium intellectiuum proximum, vel radicale ſibi in perfectione adæquatum, concedo maiorem: quando hoc ab intrinſeco non petit, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam modus vnionis hypoſtaticæ non petit ab intrinſeco cognoſci per principium ſibi æquale in perfectione, cum tale principium repugnet, & intrinſeca exigentia ad repugnans terminari non poſſit. Solum autem petitur ad rei comprehenſionem, quod a principio rei cognitæ æquali procedat, quando talis res ex ſe, & ab intrinſeco petit à principio ſibi æquali cognoſci; eo quod comprehenſio eſt cognitio adæquata obiecto *extenſiuè*, & *intenſiuè*, vt autem cognitio adæquetur cum obiecto *intenſiuè*, neceſſarium, eſt quod ſit tantæ perfectionis, quanta petitur ab obiecto; & quia cum obiectum ab intrinſeco petit principium cognoſcitiuum ſibi in perfectione æquale, cognitio à principio inferiori procedens, nõ pertingit ad perfectionem exactam ab intrinſeco ab obiecto; cum vero id non poſtulat poteſt cognitio à principio inferiori procedens totam perfectionem in ratione cognitionis habere, quam obiectum ab intrinſeco petit; conſequens ſit, quod tunc ſolum requiratur ad rei comprehenſionem principiũ adæquans obiectum in perfectione, quando obiectum talis conditionis eſt, quod ab intrinſeco petit cognoſci per principium ſibi in perfectione æquale, vel adæquatum. 127 *Vera ſolutio primæ probationis maioris.*

Et ex his ad ſecundam, & quintam probationem conſtat ſolutio; nam ſubſtantia Angeli ſuperioris petit ab intrinſeco per ſe ipſam, vt principium radicale cognoſci, & ſimiliter ſubſtantia ſupernaturalis creata, ſi eſſet poſſibilis, expoſceret ab intrinſeco cognoſci per ſe ipſam, vt principiũ radicale; & ideo cognitio procedens ab inferiori principio, illis adæquata *intenſiuè* eſſe non poteſt, nec illorum comprehenſio, & idcirco, Angelus inferior non poteſt ſuperiorem cognoſcere cognitione tantæ perfectionis, quantam ab intrinſeco ſubſtantia ſuperioris expoſcit, nec ratione gratiæ habitualis, poteſt elici cognitio pertin- 128 *Ad 2. & 5. probationem.*

tingens perfectionem cognitionis exactæ ab intrinſeco à ſubſtantia ſupernaturali creata; ac per conſequens, nec Angelus inferior poteſt ſuperiorem comprehendere; nec ratione gratiæ habitualis, & principiorum ipſam conſequentium, poſſet ſubſtantia ſupernaturalis creata adæquatè *intenſiuè*, nec comprehenſiuè cognoſci. Vnio au-
129 tem hypoſtatica non petit ab intrinſeco terminare cognitionem elicitam à principio ſibi æquali, non enim petit cognitionem à ſe elicitam; cum ipſa principium cognoſcitiuum non ſit, nec radicale, nec proximum, nec petit ab intrinſeco cognitionem elicitam à ſubſtantia ſupernaturali creata. Tùm; quia hæc ſubſtantia in communi Theologorum ſententia implicat. Tum etiam; quia licet non implicaret; cum eſſet perfectior modo vnionis hypoſtaticæ non peteret modus iſte ab intrinſeco in ratione cognoſcibilis vim cognoſcitiuam ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ; & ideo cognitio elicita proximè per ſcientiam infuſam, & radicaliter per gratiam habitualem poteſt totam illam perfectionem habere in ratione cognitionis, quam petit ab intrinſeco modus vnionis in ratione cognoſcibilis, in quo adæquatio intenſiua cognitionis cum obiecto conſiſtit, & cum aliàs nihil ſit in modo vnionis, quod per illam non cognoſcatur, adæquatur cum illo *extenſiuè*, & *intenſiuè*; ac proinde eſt illius comprehenſio.

130 *Sed dices.* Sed dices; modus vnionis hypoſtaticæ ex ſe, & ab intrinſeco petit cognoſci per lumen gloriæ, & per viſionem beatam; ſed cognitio elicita à gratia habituali *radicaliter*, & *proximè* à ſcientia ſupernaturali infuſa, nō adęquat perfectionem viſionis beatificæ: ergo non adæquat *intenſiuè* modum vnionis hypoſtaticæ in ratione cognoſcibilis; & conſequenter non eſt illius comprehenſio. Maior probatur; immaterialitas, & perfectio viſionis non excedit perfectionem, aut immaterialitatem vnionis hypoſtaticæ: ergo non eſt cur non poſtulet ex ſe, & ab intrinſeco per lumen gloriæ, & beatificam viſionem cognoſci.

131 *Reſp. 1.* Reſpondeo primo, negando maiorem. Ad cuius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Rationem autem eſt; nam viſio beatifica ſpecificatur à Deo, qui eſt illius obiectum primarium, & infinitè excedit modum vnionis hypoſtaticæ, obiectum autem inferius nequit exigere cognitionem primario terminatam ad obiectum ſuperius, ſed ſolum illam, quam per
Reſp. 2. ſe ipſum ſpecificare poteſt. Vel ſecundo reſpondeo, diſtinguendo maiorem: petit ab intrinſeco cognoſci per viſionem beatam, ſecundum quod eſt in ſe, & ratione ſuè intelligibilis, nego maiorem: ſecundum quod eſt intelligibilis mediatè, & in alio, permitto maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam; nam ad intenſiuam adæquationem cognitionis cum obiecto in ratione intelligibilis, non petitur æqualitas cum modo cognitionis illius obiecti in alio, ſed cum modo cognitionis in ſe, & ab intrinſeco exacto; eo quod hanc, & non illam cognitionem ſpecificat, & hæc, & non illa eſt propria talis obiecti cognitio.

132 *Ad 3. probationem minoris.* Ad tertiam probationem maioris, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam ad meritum condignum requiritur æqualitas cum præmio in morali æſtimatione, quam attingere non poſſunt actus ſupernaturales eliciti à pura creatura reſpectu vnionis hypoſtaticæ: ad comprehenſionem autem non petitur, nec phyſica, nec moralis æqualitas cognitionis cum obiecto comprehenſo, ſed ſolum, quod nihil obiecti lateat, & quod ab obiecto modus perfectior cognitionis ab intrinſeco non petatur, quod totum poteſt in cognitione ſupernaturali reſpectu vnionis hypoſtaticæ reperiri, & ideo eſſe poteſt illius comprehenſio.

133 *Ad 4. & quintam, Ad ſextā reſpond.* Ex ea his ad quartam probationem conſtat ſolutio. Ad quintam patet ex dictis *ad primam probationem*. Ad vltimam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; & ratio diſcriminis eſt; nam vnio extremorum, ex quibus concretum phyſicum reſultet, non poteſt phyſicè cauſari ab agente, quod non ſit eiuſdem formæ cum illa, quæ conſtituit concretum, vel formæ ſuperioris, vnde homo licet non generetur per animæ productionem, ſed tantum per illius vnionem ad materiam, non poteſt, niſi ab homine generari. Et ratio eſt; quia agens phyſicum producens vnionem formæ, illam materiæ, & concreto reſultanti communicat; nihil autem poteſt, quod in ſe non habet, phyſicè communicare: & inſuper intendit concretum, quod producendo vnionem cauſat, ſibi in forma aſſimilare; ac proinde debet per formam communicandam aſſectui, vel per ſuperiorem conſtitui. Comprehenſio autem vnionis non petit continentiam adæquatam extremorum in ſe intelligibili; ac proinde poteſt intelligibiliter adęquatè contineri in principio, non continente adęquate in eſſe intelligibili perfectionem extremorum, ſed ſolum continentia imperfecta, & quoad an *eſt*.

Sed contra hucuſque dicta objicies; ex eo quod repu- 134 *Replicabis contradicta.*
gnet principium cognoſcitiuum adęquans *entitatiuè* vnionem hypoſtaticam, non ſequitur ſcientiam infuſam in ratione cognoſcitiua adæquare vnionem in ratione cognoſcibilis: ergo non adæquat; & conſequenter non comprehendit. Antecedens probatur primo; nam etſi non petat principium cognoſcitiuum creatum æqualis perfectionis, quia ſupponitur impoſſibile, petit tamen *Antecedens probatur 1.*
cognoſci à Deo modo perfectiori illo, quo ſcientia infuſa cognoſcitur, & modo cognitionis actiuo ſcientiæ infuſæ conueniente: ergo ſcientia infuſa non adæquat exigentiam vnionis in ratione cognoſcibilis. Secundo; nam eſto *Secundo.*
abſolutè non petat principium cognoſcitiuum adæquans in perfectione, ſi tamen tale principium daretur, peteret ab illo cognoſci: ergo non adæquat exigentiam conditionatam vnionis in ratione cognoſcibilis, quod ſufficit, vt illam non comprehendat.

Tertio; nam eſto non petat principium æqualis perfe-
ctionis, quia implicat, petit tamen à nullo principio in- 135
ferioris perfectionis adæquari in ratione cognoſcibilis: *Tertio.*
ergo ex eo quod repugnet principium æquale, non ſequitur ſcientiam infuſam adæquare vnionem hypoſtaticam in ratione cognoſcibilis. Conſequentia eſt bona. Antecedens autem probatur primo; etſi effectus phyſicus cui repugnat principium æqualis perfectionis, tale principium non petat; petit tamen in nullo principio inferioris perfectionis adæquatè, vt in cauſa contineri: ergo pariter licet vnio hypoſtatica in ratione cognoſcibilis, non petat principium æquale *entitatiuè*, quia implicat, petit tamen in nullo principio *entitatiuè* inferiori in ratione intelligibilis adæquatè contineri. Secundo; etſi meritum infinitum non petat *poſitiuè* præmium infinitum in actu, quia implicat; petit tamen ab intrinſeco à nullo præmio finito in ratione meriti adæquari, & à nullo præmio finito exhauriri: ergo pariter licet vnio hypoſtatica non petat *poſitiuè* principium cognitionis ſui, ſibi æquale *entitatiuè* quia implicat; petit tamen à nullo principio inferiori *entitatiuè* adæquari in ratione cognoſcibilis.

Tertio; licet offenſa mortalis, quæ infinita eſt, non pe- 136
tat *poſitiuè* ſatisfactionem à puro homine elicitam æqualem in morali æſtimatione, quia implicat; petit tamen à nulla ſatisfactione à pura creatura exhibita in ratione offenſæ adæquari: ergo pariter licet vnio hypoſtatica non petat *poſitiuè* principium ſui cognoſcitiuum, ipſi *entitatiuè* æquale, petit tamen à nullo principio cognoſcitiuo ſibi *entitatiuè* inferiori adæquari in ratione cognoſcibilis. Confirmatur; eſto offenſa mortalis non ſit in ratio- *Confirmatur.*
ne offenſæ ſimpliciter infinita; quia tamen ſuperioris ordinis eſt, petit non adæquari ſatisfactione finita: ergo pariter vnio hypoſtatica, quamuis infinita non ſit; quia tamen eſt in ordine ſuperiori ad omne principium creatum intellectiuum, petit à nullo principio creato adæquari in ratione cognoſcibilis.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam proba- 137 *Reſpōdet.*
tionem diſtinguo antecedens: petit modum cognitio- *Ad 1. Antecedētis probationem.*
nis diuinæ, vt excedentem, transeat antecedens: vt ſibi adæquatum, nego antecedens, & conſequentiam: quia ex modo ſuperexcedente exacto, non tollitur à modo inferiori adæquari. Vel ſecundo, nego antecedens; nam vnio hypoſtatica non eſt cognoſcibilis à Deo in ſe ipſa *motiuè*, & *terminatiuè* formaliter, ſed in alio, nempè, in Deo prius cognito, vt obiecto motiuo, & terminatiuo; ex quo ſolum ſequitur, ſcientiam infuſam non adæquate cognoſcibilitatem vnionis in Verbo; non autem quod non adæquet cognoſcibilitatem vnionis in ſe, & ratione ſui, quod ſufficere ad eius comprehenſionem, con- *Ad ſecundam.*
ſtat ex dictis. Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, nego ſuppoſitum conſequentis, nempè, dari exigentiam in vnione perfectioris cognitionis, & perfectioris principij *ſubiectiuè* abſolutam, & conditionatam *obiectiuè*; nam in noſtris principijs huiuſmodi exigentiæ non admittuntur, vt conſtat ex communi Thomiſtarum doctrina 1. p. q. 25. & q. 34. vbi eiuſmodi exigentiæ ab omnipotentia excluduntur,

Ad tertium, diſtinguo antecedens; à nullo principio inferiori *entitatiuè*, nego antecedens: inferiori in ratione cognoſcitiui, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad primam antecedentis probationem, quatenus diſtinctioni traditæ obſtare poteſt, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam in effectu phyſico, prima æqualitas exacta cum cauſa eſt entitatiua: vnde iſta deficiente, non poteſt effectus contineri in illa, vt in cauſa efficiente adæquata. Æqualitas autem primo exacta ad comprehenſionem, non eſt entitatiua, ſed in linea intelligibili, quæ poteſt abſque æqualitate entitatiua ſubſiſtere, vt patet in cognitione, qua Angelus comprehendit ſe ipſum, quæ tanta eſt in ratione cognitionis, quantus eſt Angelus in ratione cognoſcibilis; & tamen *entitatiuè* Angelum non adæquat; & ideo quamuis vnio hypoſtatica petat non cognoſci adæquatè à principio inferiori in ratione cognoſcitiui ad ipſam in ratione cognoſcibilis; non tamen petit adæquatè non cognoſci à principio *entitatiuè* inferiori.

138 *Ad tertiũ. Ad 1. antecedentis probationem.*

139 *Ad ſecundam.*

Ad ſecundam antecedentis probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam de ratione meriti infiniti, eſto non ſit ordo ad præmium infinitum in actu, eſt tamen ordo ad præmia ſine termino in infinitum, ideoque petit nullo præmio finito adæquari, & exhauriri; cognoſcibilitas autem vnionis hypoſtaticæ finita eſt, & limitata, vnde exigere non poteſt cognitionem ſine termino, nec principium cognoſcitiuum, ſed aliquo principio determinatæ, & finitæ perfectionis debet eſſe contenta, cumque ſubſtantiale eſſe non poſſit, neceſſario erit accidentale, quo dato non eſt cur lumen ſcientiæ infuſæ, illius exigentiam non adæquet; nam quodcumque principium cognoſcitiuum accidentale aſſignetur, eſt inferius *entitatiuè* vnione hypoſtatica: ergo quod ſcientia infuſa ſit accidens, & *entitatiuè* inferior, non obſtat exigentiæ vnionis in ratione cognoſcibilis. Et ex his ad vltimam probationem

Ad tertiũ. conſtat ſolutio; nam offenſa, quia infinita, petit ſatisfactionẽ ſine termino in infinitum, cuius oppoſitũ in cognoſcibilitate vnionis contingit, quia finita, & limitata eſt.

140 *Ad confirmationẽ.*

Ad confirmationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam vnio hypoſtatica quamuis in eſſe entis ſit ſuperioris ordinis ad ſcientiam infuſam; in ratione tamen cognoſcibilis ſuperioris ordinis ad illam non eſt, quia ad hoc neceſſarium erat, quod in ratione cognoſcibilis lumen altius, & ſuperioris ordinis peteret: cum ergo lumen altius ordine ad ſui cognitionem non poſtulet, non eſt ſuperioris ordinis in ratione cognoſcibilis; & bene tamen in genere entis. Ex quo ſolum ſequitur, non poſſe ſcientiam infuſam cum illa *entitatiuè* adæquari, non vero quod non poſſit adæquari cum illa in ratione cognoſcibilis.

141 *Opponet.*

Sed dices; quia offenſa eſt ſuperioris ordinis ad ſatisfactionem puræ creaturæ in genere entis moralis, vel in genere moris, eſt ſuperioris ordinis ad illam in ratione ſatisfactibilis: ergo ſi vnio hypoſtatica eſt ſuperioris ordinis ad ſcientiam infuſam in genere entis, eſt etiam ſuperioris ordinis ad illam in genere cognoſcibilis.

Reſpond. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt; nam inter ſatisfactionem, & offenſam, requiritur per ſe primo æqualitas in morali æſtimatione, vt ſit ſatisfactio æqualis; ac proinde eo ipſo, quod in morali æſtimatione, offenſa ſit ſuperioris ordinis, etiam excedit in ordine in ratione ſatisfactibilis; æqualitas autem per ſe primo exacta inter cognitionem, & obiectum, non eſt entitatiua, ſed in genere cognoſcibili, quæ cum diuerſa genera ſint, poteſt contingere æqualitas in vno cum inæqualitate in alio, & ideo ex ſuperioritate ordinis in genere entis non ſequitur ſuperioritas ordinis in genere cognoſcibili.

---

§. IX.

De cogitationibus cordium, & futuris contingentibus.

142 *Quarta concluſio.*

QVarta Concluſio. *Cognouit anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam omnes cordium cogitationes, & futura libera contingen-*

tia. Ita Auctores relati pro noſtra ſententia concluſionibus præcedentibus, & ſequentibus cæteri Theologi. Vtramque pars concluſionis colligitur manifeſte ex doctrina Diui Thomæ *in præſenti articulo primo*, vbi docet: *Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe omnia, quæ per reuelationem hominibus innoteſcunt*; ſed homines per reuelationem cogitationes cordium, & futura contingentia cognoſcunt; multa enim ex his ſunt manifeſtata Prophetis: ergo cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. Secundo, id etiam colligitur ex Angelico Præceptore *in eodem art.* aſſerente: *cognouiſſe animam Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam omnia, præter Dei eſſentiam*: ergo ſentit cogitationes cordium, & futura contingentia, comprehendi ſub obiecto ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis.

Vtraque pars probatur ex D. Thom.

143 *Prima pars probatur ratione.*

Deinde prima pars concluſionis probatur; nam licet cogitationes cordium non poſſint naturaliter cognoſci, niſi à Deo, vel ab ipſo cogitante, quod autem in ſe ipſis ſupernaturaliter cognoſcantur, non implicat, & alias ad perfectionem Chriſti pertinet, quod illas in ſe ipſis cognoſcat: ergo ſic cognouit de facto; & conſequenter per ſcientiam ſupernaturalem, quæ eſt principium cognitionis rerum in ſe ipſis. Maior, in qua ſola eſt poſita difficultas, oſtenditur primo; non enim poteſt aſſignari implicatio in eo, quod cogitationes cordium in ſe ipſis ſupernaturaliter cognoſcantur. Secundo; nam Deus illas in ſe ipſis cognoſcit; at nulla eſt ratio, cur hæc perfectio cognitionis diuinæ nequeat ſupernaturaliter creaturæ communicari: ergo poteſt, & de facto fuit Chriſto communicata. Tertio; nam in ſe ipſis habent determinatam veritatem, cognoſcibilitatem, & repræſentabilitatem: ergo poteſt produci à Deo ſpecies, quæ illas in ſe ipſis repræſentet; & conſequenter poterunt in ſe ipſis ſupernaturaliter cognoſci. Denique; nam dominium voluntatis creatæ in proprias cogitationes, ratione cuius nequeunt ab altero, quàm à Deo naturaliter cognoſci, non obſtat quominus cognoſci valeant ab homine mediante diuina reuelatione: ergo nec poteſt obſtare, quo etiam poſſint in ſe ipſis cognoſci per ſpeciem ſupernaturalem immediatè à Deo cauſatam.

Maior probatur 1. Secundo. Tertio. Quarto.

144 *Secunda pars concluſionis probatur.*

Deinde ſecunda pars concluſionis eodem argumento probatur; omnis enim perfectio poſſibilis cum maiori perfectione non incompatibilis eſt tribuenda animæ Chriſti; ſed cognitio futurorum contingentium in ſe ipſis eſt poſſibilis, & cum maiori perfectione non incompatibilis: ergo eſt Chriſto concedenda; & conſequenter per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, quæ eſt principium cognitionis rerum in ſe ipſis fuerunt de facto ab anima Chriſti cognita. Illatio eſt legitima. Maior conſtat ex ſæpè dictis in diſcurſu materiæ. Minor pro ſecunda parte probatione non indiget; non enim eſt dabilis aliqua maior perfectio, cum qua incompatiatur futurorum contingentium cognitio. Pro prima vero præterquamquod ex argumentorum ſolutione conſtabit; oſtenditur primo; Deus enim futura libera contingentia in ſe ipſis cognoſcit; & non eſt ratio, cur hæc perfectio diuinæ cognitionis, non ſit creaturæ ſupernaturaliter communicabilis: ergo eſt poſſibilis cognitio creata futurorum contingentium in ſe ipſis. Secundo; nam futura contingentia ex ſuppoſitione decreti liberi Dei, de illorum exiſtentia in tempore, habent in ſe veritatem determinatam obiectiuam: ergo poſſunt per ſpeciem à Deo infuſam, vt in ſe ipſis repræſentari; ac proinde poſſunt in ſe ipſis ab intellectu creato ſupernaturaliter cognoſci.

---

§. X.

Contraria ſententia cum tribus argumentis proponitur.

145 *Oppoſita ſententia cum ſuis Auctoribus refertur.*

SEntentiam noſtræ concluſioni oppoſitam, tenuere Scotus *in 3. diſtinctione 14. quæſtione 3.* Gabriel *q. vnica art. 2. concluſione 3.* & Almaynus *quæſt. 3. art. 2.* quos refert Vazquez *in præſenti diſp. 53. cap. 3.* negantes vniuerſaliter animæ Chriſti cognitionem ſingularium, vt exiſtentium, per ſcientiam infuſam, illamque quoad cognitionem cogitationum cordium, futurorumque contingentium, vt probabiliorem ſequitur Lorca *in præ-*

ſenti diſp.50. num.1 c. in quorum fauorem, & contra vtramque partem noſtræ concluſionis, arguitur primo ex D.Tho. *in 3. diſt.14. q.1. art.3. quæſtiuncula prima, & in Veritate quæſtione 20. art.6.* illis verbis: *Sed quædam ſunt, ad quæ naturalis cognitio nullo modo poteſt ſe extendere, ſicut eſt ipſa diuina eſſentia, futura contingentia, cogitationes cordium, & alia huiuſmodi, & horum anima Chriſti non habuit ſcientiam per modum iſtum, ſed cognouit ea in Verbo*: ergo iuxta D. Thom. non cognouit anima Chriſti futura contingentia, nec cogitationes cordium per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, quod eſt cognitionis rerum extra Verbum principium.

Contra vtramq; partem cõcluſionis arguitur ex D. Thom.

146 Reſpondet Bergomenſis *in tabula aurea dub.* 1017. primo D.Th. ſolum negare animæ Chriſti cognitionem ſpeculatiuam prædictorum obiectorum, non vero practicam cognitionem. Secundo reſpondet, loqui de ſcientia Chriſti prout eſt ſingularis perſona; ſic enim non extenditur ad cogitationes cordium, vel futura contingentia; non autem negare, quod a Chriſto cognoſcantur per ſcientiam infuſam illi conuenientem, vt eſt Caput Eccleſiæ, ſupremuſque omnium iudex. Sed contra vtramque ſolutionem facit Diuum Thomam negare animæ Chriſti iſtorum obiectorum cognitionem extra Verbum, illamque intra Verbum concedere; ergo eo modo, quo hæc obiecta intra Verbum cognouit, non cognouit illa per ſcientiam infuſam extra Verbum: aliàs non ſubſiſteret diſcrimen, & contrapoſitio Diui Thom. ſed hoc ſaluari non poteſt iuxta ſolutiones datas: ergo ad mentem D.Th. non ſunt. Probatur minor: nam vel futura contingentia cognoſcuntur in Verbo ſpeculatiuè, vel practicè tantum: ſi primum, etiam extra Verbum, poterunt ſpeculatiuè cognoſci; ſi ſecundum: ergo cognoſcuntur eo modo, quo per ſcientiam infuſam; & conſequenter non ſaluatur contrapoſitio facta à D. Thoma inter ſcientiam beatam, & infuſam, quantum ad cognitionem futurorum contingentium, & cognitionem cogitationum cordium iuxta primam ſolutionem.

Duplex ſolutio Bergomẽſis.

Vtramque ſolutio reijcitur.

147 Quod autem non ſaluetur in ſecunda ſolutione, probatur; nam quod Chriſtus Dominus cogitationes cordium, & futura contingentia cognouerit per ſcientiam beatam, vel prouenit ex ratione ſcientiæ beatæ capitis, & iudicis vniuerſalis, vel ex eius plenitudine, vt eſt ſcientia perſonalis: ſi primum: nullum ſubſiſtit diſcrimen, inter vnam, & alteram ſcientiam quoad terminari ad futura, ſi quidem per vtramque attinguntur, quia ſcientiæ capitis ſunt, & per nullam, prout ſunt ſcientiæ perſonales; ſi ſecundum, etiam per ſcientiam infuſam, prout eſt ſcientia perſonalis cognoſcentur ab humanitate Chriſti, cogitationes cordium, & futura contingentia; cum non minus ſcientiæ infuſæ Chriſti, quam ſcientiæ beatæ ſit debita plenitudo in proprio genere.

148 Quod amplius confirmari poteſt; nam Chriſto eſt debita plenitudo gratiæ, non ſolum quia eſt Caput Eccleſiæ, ſed etiam ex ratione talis perſonæ, quia nempè, illius humanitas ad Deum, qui eſt cauſa, & origo gratiæ, propinquiſſimè accedit; ergo plenitudo ſcientiæ eſt illi debita, non ſolum quia Caput eſt, verum etiam ex dignitate ipſius perſonali. Sed ad plenitudinem ſcientiæ pertinet omnium futurorum contingentium, & cogitationum cordium cognitio: ergo iſta cognitio conuenit Chriſto, non ſolum ex ratione capitis, iudicíſque vniuerſalis, vt aſſerit ſecunda ſolutio, verum etiam titulo perſonalis dignitatis.

Confirm.

149 Vnde his ſolutionibus omiſſis, & in ſua probabilitate relictis, ad argumentum reſpondeo cum Caietano *in præſenti art.1. circa ſolutionem ad 3.* D.Thomam ſententiam, quam in allegatis locis tenuerat, retractaſſe *in præſenti art.1.* præcipuè *in ſolutione ad tertium* illis verbis: *Quia igitur Chriſtus habuit plenitudinem prudentiæ ſecundum donum conſilij; conſequens eſt, quod cognoſcat omnia ſingularia præſentia, præterita, & futura.*

Vera ſolutio.

150 Sed dices, ex his verbis non colligitur, fuiſſe hæc obiecta cognita ab anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam: ergo quoad cognitionem per huiuſmodi ſcientiam non retractauit ſuam ſententiam D. Thom. Probatur antecedens: ſcientia ſupernaturalis infuſa, diſtincta eſt à prudentia infuſa, & à dono conſilij; ſed cognitio, de qua *in præſenti* loquitur D.Tho. eſt elicita à virtute prudentiæ, vel a dono conſilij: ergo cognitio futurorum de qua *in præſenti art.* loquitur D.Tho. non procedit à ſcientia ſupernaturali infuſa. Probatur minor: cognitio, de qua *in præſenti* loquitur Angelicus Præceptor, eſt illa, quæ requiritur ad prudentiæ plenitudinem; ſed cognitio ſingularium ſufficiens ad plenitudinem prudentiæ, eſt, quæ pertinet ad partes poteſtatiuas prudentiæ, ad ipſam virtutem prudentiæ, & ad donum conſilij: ergo cognitio, de qua loquitur *in præſenti*, eſt cognitio harum virtutum, non vero ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ, quæ ab illis diſtinguitur.

Replicabis.

151 Reſpondeo, negando antecedens cuius falſitas conſtat ex titulo articuli, quo inquirit. *Vtrum per ſcientiam inditam Chriſtus cognouerit omnia?* Et ex reſolutione, quæ habetur in corpore vbi docet D. Th. *Omnia, quæ per reuelationem hominibus innoteſcunt, fuiſſe ab anima Chriſti cognita per ſcientiam infuſam*: ergo in *ſolutione ad 3.* loquitur Angelicus Doctor de cognitione ſingularium habita per huiuſcemodi ſcientiam. Ad antecedentis probationem, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem, nego etiam minorem; nam ad rectè iudicandum, conſiliandum, & præcipiendum, qui ſunt actus prædictarum virtutum, requiritur memoria præteritorum, cognitio præſentium, futurorumque prouidentia, & quia omnes iſti actus, perfectè debuerunt eſſe in Chriſto, oportuit in illo eſſe habitum intellectualem infuſum, quo præterita, præſentia, & futura in ſe ipſis clarè, & perfectè cognoſceret, quod non præſtatur per habitus annexos prudentiæ, per prudentiam, nec per donum conſilij; ac proinde ex plenitudine prudentiæ, quam oportuit eſſe in Chriſto, rectè intulit Angelicus Magiſter præterita, præſentia, & futura cognoſci ab anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam à prædictis donis diſtinctam.

Reſpondetur. S. Thom.

152 Secundo arguit Lorca; nam Chriſtus habuit ſcientiam horum obiectorum in Verbo: ergo non eſt neceſſarium multiplicare aliam illorum ſcientiam in proprio genere. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; vt enim fatetur Lorca, Chriſtus per hanc ſcientiam cognouit ſubſtantias ſpirituales, entia naturalia, & myſteria gratiæ; & tamen illorum omnium habuit cognitionem in Verbo: ergo ex eo quod futura contingentia, cordiumque cogitationes, Chriſtus in Verbo cognouerit, male infert, non fuiſſe in proprio genere ab anima Chriſti cognita. Et omnium ratio eſt iam tradita, quia nempè, animæ Chriſti, non ſolum eſt concedenda omnium obiectorum cognitio, ſed etiam omnis modus cognitionis poſſibilis, & non incompatibilis cum maiori perfectione: quia ergo hæc obiecta ſunt cognoſcibilia in ſe ipſis, & modus iſte cognitionis non pugnat cum maiori aliqua perfectione; conſequens fit, quod licet cognoſcantur ab anima Chriſti in Verbo, oportuerit etiam in ſe ipſis immediatè ab anima Chriſti cognoſci.

Secundò arguitur. Reſpõdet.

153 Sed inſtat Lorca, Chriſto non eſt concedenda omnis cognitio poſſibilis, ſed tantum, quæ debetur intellectui creato in ordine naturæ, vel gratiæ; ſed cognitio ſecretorum cordium, & futurorum contingentium in ſe ipſis, non eſt debita intellectui creato in ordine naturæ, vel gratiæ: ergo non eſt animæ Chriſti tribuenda. Reſpondeo, negando maiorem; vt enim conſtat ex dictis *q. 7. 9. & 10.* Chriſto concedenda eſt omnis perfectio in determinato gradu conſiſtens, & non incompatibilis cum maiori perfectione, eſto intellectui creato, nec in eſſe naturali, nec in eſſe ſupernaturali debeatur; eo quod decentia ex dignitate perſonali proueniens, ratione cuius fuit anima Chriſti Domini donis ſupernaturalibus exornata, ad omnem perfectionem ſine termino extenditur. Quod traditum videtur à D. Thom. *in præſenti art.1. in corpore*, vbi docet, oportuiſſe, vt omnis animæ Chriſti potentia, non ſolum naturalis, ſed etiam potentia obedientiæ ad actum reduceretur; potentia autem obedientiæ, ſeu potentia obedientialis non ſolum eſt ad perfectiones debitas naturæ, vel gratiæ, ſed etiam ad omnem perfectionem poſſibilem ergo iuxta D. Tho. omnis perfectio ſupernaturalis poſſibilis, eſto non ſit debita intellectui creato, nec ratione ſui, nec vt eleuato ad ordinem ſupernaturalem, eſt animæ Chriſti tribuenda.

Inſtabis.

Reſp.1.

154 Vel ſecundo reſpondeo, permiſſa maiori, diſtinguendo minorem: illamque concedo de intellectu creato in ſtatu ſupernaturali non pleno, nego autem de intellectu creato exiſtente ſub plenitudine gratiæ, qualis eſt intellectus animæ Chriſti; ſicut enim gratiæ in ſtatu plenitudinis, quem obtinet in anima Chriſti, debetur virtus iuſtitiæ commutatiuæ ad Deũ, quamuis illi non debeatur extra ſta-

Reſp. 2.

tum

tum plenitudinis, & vt in pure creatura exiſtenti: ita ſecretorum cordis cognitio, futurorumque contingentium in ſe ipſis ordini gratiæ debetur, non vt in pura creatura, ſed vt in homine Deo, in quo gratiæ plena eſt in ordine appetitiuo; ac proinde etiam in ordine intellectiuo.

155 *Tertio arguitur contra 1. partem concluſionis.* Tertio contra primam partem concluſionis arguitur; nam iuxta D.Tho. 1.p.q.57. art.4. vnus Angelus non poteſt cogitationes liberas alterius cognoſcere: *Quia voluntas rationalis creaturæ ſoli Deo ſubiacet, & ipſe ſolus in eam operari poteſt; & ideo ea, quæ ex voluntate ſola dependent, vel quæ in voluntate ſola ſunt, ſoli Deo ſunt nota.* Verba ſunt D. Tho. Sed hæc ratio pari efficacia militat in anima Chriſti; cum Auctor voluntatis noſtræ non ſit Chriſtus, vt homo, nec illi, vt ſic noſtra ſubiaceat voluntas, nec in illam phyſicè operari poſſit: ergo cogitationes liberas, quæ à ſola voluntate dependent, non poteſt in ſe ipſis cognoſcere.

156 *Reſpond. Cogitationes cordis ſolus Deus naturaliter cognoſcit.* Reſpondeo, D.Thom. ſolum intendere, non poſſe cogitationes cordis ſecretas vnius Angeli, vel hominis ab alio præterquam à Deo naturaliter cognoſci; eo quod cum liberæ ſint, & ſoli voluntati creatæ, Deoque quoad eſſe ſubiectæ, etiam illi ſubijciuntur quoad cognoſci; ac proinde nõ poſſunt cognoſci ab aliquo naturaliter, niſi ipſe cogitans, qui eſt Dominus ſuarum cogitationum, eas alteri manifeſtet, & hoc non ſolum conuincit de Angelis ſed etiam de Chriſto, vt homine; non enim Chriſtus vt homo poteſt viribus naturæ ſecreta cordis cognoſcere. Sicut autem iura libertatis creatæ in proprias cognitationes non obſtant, quo minus poſſint cogitationes vnius ab altero cognoſci, Deo illas reuelante: ita obſtare nequeunt, quominus poſſint ab anima Chriſti in ſe ipſis extra Verbum cognoſci, Deo per ſuam gratiam ſpecialiter iuuante, & ſpecies repræſentatiuas illarum prout in ſe ſunt infundente.

157 *Opponeo.* Dices; ideo vnius Angeli cogitationes nequeunt ab altero viribus naturæ cognoſci, quia illi ſecundum ſuam naturam non ſubiacent, ſed ſolum voluntati cogitantis, & Deo; ſed nec ſubiacent illi, nec humanitati Chriſti, vt ad ordinem gratiæ eleuatis, & in illo conſtitutis: ergo non poſſunt cogitationes vnius Angeli ab alio Angelo, nec ab humanitate Chriſti viribus gratiæ cognoſci; ſi namque non ſubiectio, vel non ſubordinatio vnius alteri ſecundum ſuam naturam in cogitationibus liberis, infert impotentiam ad illas cognoſcendas per vires naturæ, cur non ſubiectio earundem cogitationum ad vires gratiæ reſidentes in alio, non infert impotentiam virium gratiæ ad illarum cognitionem?

158 *Reſpond. Cogitationes cordis poſſunt ex auxilio gratia à creatura cognoſci.* Reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam; etenim eo ipſo, quod cogitationes liberæ cognoſcantur à Deo, poſſunt etiam à quacumque creatura cognoſci, ſicut Deo reuelante, ita etiam Deo ſpecialiter auxiliante, ſpeciesque indebitas infundente, quæ cogitationes prout ſunt in ſe repræſentent, nam ſicut non eſt contra iura libertatis creatæ, quod actus liberi vnius ab altero per reuelationem diuinam cognoſcantur, ita nec illis opponitur, quod cognoſcantur ab alio ex ſpeciali auxilio Dei præſtito ſupra omne debitum ad illorum cognitionem. Cum ergo non ſubiectio voluntatis vnius Angeli ad alterum, non occultet Deo eius liberas cogitationes, neque alteri Angelo, vt cognoſcenti ea Dei reuelatione, ita nec illas reddit occultas alij Angelo, vel homini, vt cognoſcenti ex ſpeciali ſubordinatione ad Deum, vt ad illorum cognitionem iuuantem per ſuam gratiam ſupra omne creaturæ debitum.

---

§. XI.

Vltimum argumentum proponitur, & varij modi dicendi examinantur.

159 *Quarto arguitur contra ſecundam partem concluſionis.* QVarto arguitur contra ſecundam partem concluſionis: ſi Chriſtus futura cognoſceret per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, vel illa cognoſceret in ſuis cauſis contingentibus ſumptis prout in actu primo, vel in Dei reuelatione, vel in decreto libero de illorum futuritione, vel in ſe ipſis, & in ſua veritate obiectiua; nullo ex his modis futura contingentia per huiuſcemodi ſcientiam cognoſcit: ergo nullatenus illa cognoſcit. Conſequentia eſt euidens; nam in maiori numerantur omnes modi, quibus poſſunt futura contingentia cognoſci. Minor autem per ſingulas partes probatur; in primis namque non cognoſcit illa in cauſis contingentibus ſumptis prout in actu primo; nam cauſa futuri contingentis in actu primo eſt indifferens ad eſſe, & non eſſe illius; at in principio indifferenti implicat certo cognoſci aliquid determinatum, vt fuſe contra Molinam oſtendimus *Tract. de ſcientia conditionatorum*, quod etiam maior pars Theologorum Societatis fatetur: ergo per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, nequeunt futura contingentia in ſuis cauſis, prout in actu primo cognoſci. *Minor pro prima parte probatur.*

Deinde pro ſecunda parte probatur; obiectum namque ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ, eſt ens creatum, vt in ſe, & ratione ſui cognoſcibile, quod autem cognoſcitur mediante diuina reuelatione, vel teſtimonio diuino, non in ſe, & ratione ſui, ſed per extrinſecum medium cognoſcitur: ergo per ſcientiam ſupernaturalem infuſam nequeunt futura contingentia in teſtimonio diuino, vel diuina reuelatione cognoſci. Et ex his etiam probatur: non cognoſci in decreto libero Dei, quod enim in decreto diuino cognoſcitur, non in ſe, & ratione ſui, ſed in alio cognoſcitur; ſcientia autem infuſa ad res creatas in ſe ipſis immediate terminatur: ergo non in decreto libero Dei. Deinde; nam aliter cognoſcuntur futura per ſcientiam infuſam, atque per ſcientiam beatam; ſed per hanc cognoſcuntur in decreto libero Dei: ergo ſcientia infuſa ad illa in decreto libero terminari non poteſt. Denique; nam extra viſionem beatam non cognoſcitur decretum liberum Dei niſi mediante clara, vel obſcura reuelatione; at ſcientia infuſa non poteſt mediante diuina reuelatione ad ſua obiecta terminari: ergo per ſcientiam ſupernaturalem infuſam non cognoſcitur decretum liberum Dei; & conſequenter in illo non cognoſcuntur futura. 160 *Pro ſecunda.* *Pro tertia probatur 1.* *Secundo.* *Tertio.*

Tandem vltima pars minoris ſuadetur primo ex D.Th. 1.p.q.57.art.3. illis verbis: *Alio modo cognoſcuntur futura in ſe ipſis, & ſic ſolius Dei eſt, futura cognoſcere; quia Deus videt omnia in ſua æternitate, quæ cum ſit ſimplex, omni tempori adeſt, & illud includit*: ergo anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam nequit futura contingentia in ſe ipſis immediate cognoſcere. Tum; quia ſic illa cognoſcere, ſolius Dei eſt, vt inquit. D.Tho. Tum etiam; quia ſcientia infuſa non menſuratur æternitate, nec in æternitate poteſt futura cõtingentia cognoſcere, ſola autem cognitio menſurata æternitate vel in illa ſuum obiectum attingens, poteſt ad futura contingentia, prout in ſe ipſis ſunt, terminari. Secundo probatur; etenim futurum contingens antequam ſit, non eſt determinatum ad eſſe: ergo antequam phyſice in ſe ipſo exiſtat, nequit certa cognitione cognoſci. Tertio; nam futura cognoſci in veritate obiectiua, etiam ab intellectu diuino communiter à Thomiſtis reijcitur *prima p. q. 14. art.13.* ergo nec ab anima Chriſti poſſunt futura cognoſci in ſua veritate obiectiua. 161 *Vltima pars minoris probatur 1.* *Secundo.* *Tertio.*

Huic argumento non eodem modo reſpondetur ab Auctoribus noſtræ ſententiæ. Aluarez *in præſenti diſp.59. ad 2.* reſpondet, futura contingentia cognoſci ab anima Chriſti in decreto libero de illorum futuritione abſoluta, quod per ſcientiam infuſam ab anima Chriſti cognoſcitur; ac proinde in illo cognito futura libera contingentia poſſunt cognoſci; eandem ſolutionem tradiderat prius Magiſter Medina *art.1. difficultate 2.* qualiter autem cognoſcatur decretum liberum Dei per ſcientiã ſupernaturalem infuſam, non explicat Aluarez. Ex illius tamen principijs colligitur, per diuinam reuelationem cognoſci. Secunda ſolutio eſt Magiſtri Medina *in præſenti art.1. difficultate 2.* & Suarij *diſp.27 ſect.2* aſſerentium, medium cui hæc ſcientia innititur, eſſe diuinam reuelationem includentem in ſe auctoritatem diuinam, & teſtificationem, clarè, & euidentèr per ſcientiam infuſam cognitam. Tertia ſolutio eſt Nazarij *in præſenti art.1. controverſ. vnica q.4. concluſ. vlt. & in ſolut. ad 1.* vbi ait futura contingentia cognoſci ab anima Chriſti in decreto libero Dei cognito per ſcientiam infuſam, mediante ſpecie ſupernaturali repræſentante immediatè liberam determinationem voluntatis diuinæ, non intuitiuè, nec quidditatiuè, ſed tantum quoad *an eſt*, vel quia eſt. 162 *Reſpõdit 1. Aluarez, & Medina.* *Secundò reſpondit Medina, & Suarez.* *Tertio reſpõdet Nazarius.*

Sed omnes iſti modi dicendi à veritate deficiunt, & præterquàquod ex dictis in probatione minoris impugnati relinquuntur reijciuntur hac ratione: nam vnus, atque idem actus non poteſt entia creata in ſe ipſis ratione ſui 163 *Omnes iſtæ ſolutiones ſimul reijciuntur.*

attingere, & in diuino teſtimonio, vel in libero decreto Dei, ſed ſcientia ſupernaturalis infuſa eſt vnus habitus ſpecie, vt modò ſupponimus, & fatentur Auctores, quos impugnamus, & res aliquas creatas in ſe ipſis, & ratione ſui attingit, quod ipſi non negant: argo non poterit alias in diuino teſtimonio, vel libero decreto Dei cognoſcere.

Scientia infuſa nō poteſt res creatas in ſe ipſis & ſimul in teſtimonio vel decreto libero Dei attingere. Maior, in qua eſt poſita difficultas, oſtenditur primo; habitus namque diuerſificantur ſpecificè penes diuerſa motiua, vel media cognoſcendi; ſed teſtimonium diuinum, decretum liberum Dei, & prædicata intrinſeca rerum creaturarum ſunt media, & motiua cognoſcendi valde in mouendo diuerſa; ergo non poſſunt ab eodem habitu reſpici. Secundo probatur; vnus, & idem habitus non poteſt res creatas in diuina eſſentia cognoſcere, & in ſe, & ratione ſui; aliàs ſcientia infuſa non eſſet habitus à lumine gloriæ diſtinctus, quod eſſe falſum plures ex contrarijs affirmant, & ex *infra* dicendis conſtabit: ergo pariter vnus, & idem habitus non poteſt res creatas in ſe ipſis, & ratione ſui cognoſcere, & in teſtimonio diuino, vel decreto libero Dei.

164 *Solutio Nazarij ſpecialiter impugnatur primo.* Deinde ſpecialiter reijcitur modus dicendi Nazarij. Primo; non enim eſt dabilis ſpecies immediate repræſentans decretum liberum Dei clarè, & euidenter quoad *an eſt*: argo in illo vt cognito per huiuſmodi ſpeciem nequeunt futura cognoſci. Antecedens oſtenditur primo; nam ſpecies repræſentans obiectum abſolutè, & immediate, eſt ſpecies quidditatiua illius; ſed repugnat ſpecies creata quidditatiua decreti liberi Dei, vt fatetur Nazarius: ergo repugnat ſpecies creata ipſum immediate repræſentans quoad *an eſt*. Secundo; non eſt poſſibilis ſpecies immediatè repræſentans Deum quoad *an eſt*, vt poſtea videbimus: ergo nec poteſt dari ſpecies creata immediatè repræſentans decretum Dei liberum quoad *an eſt*.

165 *Secundo.* Secundo reijcitur ad hominem contra Nazarium: ipſe namque ea conducitur, vt aſſerat, ſcientiam ſupernaturalem infuſam non poſſe futura contingentia cognoſcere in diuino teſtimonio clarè, & euidenter cognitio: quia res aliquas creatas in ſe ipſis, & ratione ſui attingit, & teſtimonium diuinum, propriaque rerum creaturarum natura, ſunt media, & motiua diuerſa; ac proinde ab eodem habitu reſpici nequeunt (ſic arguit *loco allegato concl. 2.*) ſed etiam decretum liberum Dei eſt medium, & motiuum diuerſum à propria rerum creatarum natura: ergo ſcientia infuſa per quam res aliquæ creatæ in ſe, & ratione ſui cognoſcuntur, nequit eſſe principium cognitionis rerum in decreto libero Dei.

Minor probatur 1. Minor oſtenditur primo; diuina eſſentia, & propria rerum creatarum natura, ſunt media, & motiua adeò diuerſa; et ab eodem habitu reſpici nequeant; aliàs, vt *proximè* dicebamus, ſcientia infuſa nō eſſet habitus ſpecificè à lumine gloriæ diſtinctus, quod eſſe falſum ex dicendis infra conſtabit, & Nazarius admittit: ergo pariter decretum liberum Dei, & propria rerum creatarum natura, non poſſunt, vt motiua cognoſcendi ab eodem habitu reſpici.

Secundo. Secundo probatur; medium, in quo futura cognoſcuntur per ſcientiā beatam, non eſt diuina eſſentia ſecundum prædicata neceſſaria, ſed vt determinata per decretum liberum Dei; ſed mediū ſcientiæ beatæ ad futura cognoſcenda, eſt diuerſum à propria illarum natura: ergo decretum liberum, & natura creaturarum ſunt media, & motiua adeò diuerſa, vt ab eodem habitu reſpici nequeant; ac proinde ſcientia infuſa per quam res creatæ in ſe ipſis cognoſcuntur non poteſt eſſe principium cognitionis illarum in decreto libero Dei.

166 *Opponit.* Sed opponet in fauorem ſecundi modi dicendi, cognitio futurorum in teſtimonio Diuino clare, & euidenter cognito, eſt poſſibilis, de quo 2. 2. q. 5. *art.* 1. eſtq; compatibilis cum vnione hypoſtatica, viſione clara Dei, & cum omni alia perfectione maiori; at omnis perfectio poſſibilis, & cum maiori perfectione compatibilis, eſt animæ Chriſti tribuenda: ergo concedenda eſt Chriſto cognitio futurorum contingentium in diuino teſtimonio; & conſequenter huius cognitionis principium; at principium illius cognitionis non eſt lumen gloriæ per quod ſolum cognoſcuntur obiecta creata in Verbo, vel in eſſentia diuina, quæ eſt obiectum primarium illius; nec fides, quæ in Chriſto Domino non fuit: ergo principiū illius eſt ſcientia ſupernaturalis infuſa; nam præter fidem, & lumen gloriæ nullum aliud reſtat principium. Secunda conſequentia ex prima colligitur. Prima ex præmiſſis. Minor conſtat ex ſæpe dictis in diſcurſu tractatus: & maior pro tertia parte, in qua ſola videtur poſita difficultas, probatur; nam cognitio fidei, idem eſt enim eiſdem clara eiuſdem obiecti incompatibilis, quia eſt obſcura *primariò*, & *ſubiectiuè* de quo 2. 2. q. 1. art. 5. ſed cognitio futurorum in diuino teſtimonio clare, & euidenter cognitu, non eſt *primariò* obſcura, imo eſt euidens quoad *an eſt*: ergo non repugnat cum viſione clara Dei, aut cum cognitione euidenti futurorum in ſe ipſis, & conſequenter non pugnat cum maiori aliqua perfectione.

167 *Reſpondet Suarez.* Huic obiectioni Suarez *vbi ſupra ad 3. difficultatem* reſpondet, ſuppoſito, quod poſſibilis ſit cognitio futurorum in ſe ipſis, ſuperfluere modum iſtum cognitionis futurorum in teſtimonio diuino clare, & euidenter cognito. Quid enim attinet (inquit Suarez) per teſtimonium etiā euidens audire, quod quis clare in ſe ipſo cognoſcit? Et ideirco dato in Chriſto primo cognitionis modo, ſecundus eſt ab illo relegandus.

Eius ſolutio reijcitur 1. Diſplicet tamen iſta ſolutio, & reijcitur *primo*; nam ſuppoſita cognitione futurorum in Verbo per beatificam viſionem, non ſuperfluit eorundem cognitio in ſe ipſis, & ratione ſui, vt fatetur Suarez, quia hoc pertinet ad perfectionem Chriſti, quod ſcilicet, non ſolum omnia cognoſcat, verum etiam omni modo, & genere cognitionis poſſibili; & cum maiori perfectione non incompatibili: ergo ſi cognitio futurorum in teſtimonio euidenti, non eſt incompatibilis cum cognitione eorundem immediata, & in ſe ipſis, non eſt cenſenda ſuperflua, adhuc cognitione futurorum immediata in anima Chriſti ſuppoſita.

168 *Secundo.* Secundo; nam ſuppoſita cognitione futurorum in ſe ipſis ex parte rei cognitæ, & in diuina eſſentia, vt in medio cognoſcendi, per beatificam viſionem, non ſuperfluit cognitio eorundem futurorum in teſtimonio euidenti, vt ibidem fatetur Suarez: ergo nec eſt cenſenda ſuperflua, ſuppoſita in anima Chriſti Domini cognitione futurorum in ſe ipſis, vt ratione, & medio cognoſcendi. Patet conſequentia; nam ſi ſuppoſita cognitione euidenti futurorum in diuina eſſentia, vt motiuo, & medio cognitionis non ſuperfluit cognitio futurorum mota à teſtimonio euidenti, cur eſt ſuperflua cenſenda ſuppoſita cognitionē futurorum illorum entitati, tanquam motiuo innitente, maximè, cum cognitio innitens diuinæ eſſentiæ perfectior ſit cognitione immediata illorum in ſe ipſis? Et planè non video; quid ad ſuperfluitatem cognitionis futurorum in diuino teſtimonio conducat, quod ſupponatur cognita in ſe ipſis immediatè, magis quam quod ſupponatur cognita ratione eſſentiæ diuinæ.

169 *Reſpondebis.* Si dicas, non ſuperfluere ſuppoſita cognitione futurorum in diuina eſſentia, cognitionem illorum in diuino teſtimonio, quia illa cognitione ſuppoſita debent etiam in proprio genere cognoſci: vnde ſi non eſt poſſibilis cognitio futurorum in ſe ipſis, admittenda eſt cognitio illorum in teſtimonio euidenti; cæterum admiſſa cognitione futurorum in ſe ipſis, iam in proprio genere cognoſcuntur; ac proinde ſuperfluit cognitio illorum in teſtimonio euidenti.

Contra 1. In contrarium obſtat primo; cognitionem futurorum in teſtimonio euidenti non eſſe cognitionem illorum in proprio genere: ergo à non ſuperfluitate cognitionis futurorum in proprio genere, malè colligitur, non ſuperfluere cognitionem illorum teſtimonio euidenti. Probatur antecedens; cognitio futurorum in eſſentia diuina non eſt cognitio illorum in proprio genere, quia licet ad futura in ſe ipſis terminetur ex parte rei cognitæ, non tamen ex parte medij, & motiui cognoſcendi, ſed ratione eſſentiæ diuinæ, tanquam medij, & obiecti motiui; ſed cognitio futurorum in teſtimonio euidenti non terminatur ad illa ratione propriæ entitatis tanquam obiecti motiui; ſed pro motiuo, & ratione cognoſcendi habet teſtimonium extrinſecum: ergo non eſt cognitio illorum in proprio genere.

170 *Contra 2.* Secundo; ſi namque nomine cognitionis futurorum in proprio genere accipiatur illorum cognitio extra Verbum, etiam ſi extrinſeco teſtimonio innitatur, non aliunde poteſt non ſuperflua cenſeri, ſuppoſita cognitione futurorum in Verbo, niſi quia in anima Chriſti eſt ad talem modum cognitionis capacitas; & aliàs non eſt cum maiori perfectione incompatibilis, ſed etiam ſuppoſita cognitione futurorum in ſe ipſis immediata, adeſt in anima Chriſti Domini capacitas ad futurorum cognitionem in teſtimonio euidenti, & huiuſmodi cognitio non eſt cum alia maiori perfectione incompatibilis: ergo adhuc cognitione immediata futurorum in ſe ipſis ſuppoſita, non eſt cenſenda ſuperflua cognitio eorundem in teſtimonio euidenti.

Dices,

171 *Reſpondebis. Reijcitur ſolutio.* Dices, ſuppoſita cognitione futurorum in diuina eſſentia, & negata illorum cognitione in ſe ipſis, non ſuperfluere cognoſci in teſtimonio euidenti, quia ad plura vtilis eſt hæc cognitio, nempè, ad perfectam prudentiam, & prouidentiam. Sed contra: nam quidquid ad perfectè prouidendum erga futura requiritur, ſufficientiſſimè habetur per cognitionem illorum in Verbo: ergo ex iſto capite non eſt aſſerenda, vel adſtruenda, neceſſitas cognitionis illorum in teſtimonio euidenti.

172 *Ad obiectionem n. 266. poſitam reſpondet. 1.* Vnde hac ſolutione relicta ad obiectionem factam reſponderi poteſt primo, negando maiorem pro tertia parte; licet namque cognitio futurorum in teſtimonio euidenti non opponatur cum cognitione illorum in ſe ipſis ex capite obſcuritatis, opponitur tamen ex alio, nempè, quia non ſtat ſimul, ſaltim ex natura rei, moueri ad obiecti cognitionem ex motiuo intrinſeco euidenti, & ex teſtimonio extrinſeco, licet euidenter cognito. Tum; quia agens minoris efficaciæ in fortioris præſentia non agit, motiuum autem extrinſecum eſt inferioris efficaciæ ad intrinſecum; ac proinde hoc mouente, illud mouere non poteſt. Tum etiam; quia experientia ipſa conſpicitur, quando quis obiectum in ſe, & ratione ſui euidenter cognoſcit, non moueri ex alterius teſtimonio ad illius cognitionem. Quæ autem attribuenda ſunt Chriſto, debent eſſe cum maiori perfectione compatibilia, non ſolum de potentia abſoluta, ſed etiam de lege ordinaria, & attenta rei natura, & ideo cognitio futurorum in teſtimonio euidenti non eſt illi concedenda.

173 *Secundo reſpondet.* Vel ſecundo reſponderi poteſt, & melius, quoad omnes partes prætermiſſa maiori, & conceſſa minori cum prima conſequentia, negando minorem ſubſumptam; datur enim aliud lumen præter ibi enumerata, à quo cognitio futurorum in teſtimonio diuino euidenter cognito procedat, nimirum, lumen propheticum, quod à lumine gloriæ, & à ſcientia infuſa diſtingui, frequentius à Thomiſtis docetur per hoc, quod lumen beatificum creaturas in diuina eſſentia cognoſcit, ſcientia infuſa illas in ſe ipſis attingit; lumen autem propheticum in teſtimonio diuino euidenti, vel obſcuro: de quo videantur Nazarius, & Zippulus *ſupra q. 7. art. 8.*

174 *Inſtabis.* Sed oppones Diuum Thomam *q. 20. de Veritate art. 6.* vbi loquens de futuris contingentibus, & cogitationibus cordium, hæc habet: *Et horum anima Chriſti non habuit* S.Thom. *ſcientiam per modum iſtum* (ſcilicet cognitionis extra Verbum,) *ſed cognouit ea in Verbo, non autem cognitione prophetica; quia prophetia eſt quadam participatio illius viſionis, qua videntur res in Verbo, qua cum in Chriſto perfecta fuerit, imperfecta prophetia, in illo locum non habuit*; ergo iuxta D.Thom. lumen propheticum à lumine gloriæ diſtinctum in anima Chriſti non fuit; & conſequenter, ſi futura contingentia cognouit in teſtimonio euidenti, hæc cognitio non proceſſit à lumine prophetiæ, ſed à lumine diſtincto, quod aliud eſſe non poteſt, niſi ſcientia ſupernaturalis infuſa.

175 *Reſpond. 1.* Reſpondeo D.Thom. *loco allegato*, duo ab anima Chriſti excluſiſſe, nempè, ſcientiam futurorum extra Verbum, & cogitationum cordis, & lumen propheticum à lumine gloriæ diſtinctum, & ſicut primum retractauit in *præſenti art. 6.* ita ſecundum, *ſupra q. 7. art. 8.* & quidem eo ipſo, quod admittatur in anima Chriſti Domini ſcientia futurorum extra Verbum, & quod viſio beatifica prout terminata ad futura poſſit dici prophetia, admittendum eſt in Chriſto lumen propheticum à lumine gloriæ diſtinctum. Quod probo euidenter; nam cognitio futurorum in Verbo elicita à Chriſto viatore, iuxta hanc ſuppoſitionem, dicitur cognitio prophetica, quia terminatur ad illa, quæ ſunt procul à ſenſibus hominum, cum quibus Chriſtus, vt viator conuerſabatur; ſed hoc etiam competit cognitioni futurorum in ſe ipſis elicitæ à Chriſto in ſtatu viatoris: ergo debet dici prophetica cognitio; & conſequenter admitti in anima Chriſti Domini lumen propheticum à lumine gloriæ diſtinctum.

176 *Chriſtus fuit verè, & propriè Propheta.* Pro quo eſt aduertendum ferè omnes Theologos contra Abulenſem fateri, Chriſtum verè, & propriè fuiſſe Prophetam; eſt tamen inter illos diſſidium, in quo lumen propheticum in Chriſto conſiſtat. Quidam docent conſiſtere in lumine gloriæ: alij in ſcientia ſupernaturali infuſa: alij in vtroque ex his donis: alij denique in neutro ex illis, ſed in dono ab eis diſtincto conſtituendum exiſtimant: tum, quia lumen propheticum eſt fluidum ab intrinſeco: tum etiam, quia per ſe primo ordinatur in aliorum vtilitatem: tum denique, quia innititur teſtimonio extrinſeco Dei, quæ omnia lumini gloriæ, & ſcientiæ ſupernaturali infuſæ repugnant; ſunt enim ab intrinſeco permanentes, non ordinantur per ſe in aliorum vtilitatem, nec teſtimonio Dei extrinſeco, vt motiuo formali innituntur. De quo videantur Theologi *ſupra q. 7. art. 8.* & præcipuè Suarez, & Zippullus. Nos enim à litigio abſtinentes, quod aſſerimus eſt, vel viſionem beatificam rationem prophetiæ in Chriſto non obtinuiſſe, vel ſcientiam futurorum extra Verbum etiam in Chriſto viatore fuiſſe verè prophetiam, quod efficaciter oſtendimus; ac proindè D. Thom. concedendo animæ Chriſti cognitionem futurorum extra Verbum, ſententiam, quam *loco allegato* tenuit de dono prophetiæ in anima Chriſti, retractaſſe. *Theologi.*

177 *Reſpõd. 2.* Reſpondeo ſecundò, D. Thomam negaſſe animæ Chriſti propheticam cognitionem; ſecundum quod regulariter prophetia in hominibus datur, nempè, cum obſcuritate, non autem ſecundum eſſentiam prophetiæ, de cuius eſſentiali ratione non eſt obſcuritas priuatiua: quod ſatis inſinuat *loco allegato*, ſic concludens: *Imperfecta prophetia in Chriſto locum non habuit*: non ergo excluſit à Chriſto prophetiam ſecundum eſſentiam, ſed illius accidentalem imperfectionem, cum qua regulariter in hominibus reperitur, nempè, obſcuritatem ſubiectiuam.

178 *Inſtabis.* Sed dices; ratio, qua vtitur D. Thom. eſt; quia prophetia eſt imperfecta participatio viſionis, qua res videntur in Verbo; at hæc naturaliter de prophetia ſumpta ſecundum eſſentiam; nam etiam ſic ſumpta, eſt imperfecta participatio viſionis, qua res in Verbo videntur: ergo relegat ab anima Chriſti D. Thom. prophetiam quoad eſſentiam. Reſpondeo, imperfectam participationem dici dupliciter, ſcilicet, *priuatiuè*, & *negatiuè*; participatio priori modo imperfecta, non ſtat cum clara viſione; quæ autem *negatiuè*; tantum eſt imperfecta participatio, cum viſione clara compatitur; licet autem prophetia ſumpta eſſentialiter, ſit participatio imperfecta viſionis rerum in Verbo, imperfectione negatiua non tamen eſt imperfecta imperfectione priuatiua; & ideo ſumpta eſſentialiter cum viſione clara compatitur; ſecus autem ſecundum imperfectionem ſibi accidentalem, cum qua in hominibus regulariter reperitur, ſcilicet, ſecundum fidei obſcuritatem; nam ſic ſumpta eſt participatio viſionis rerum in Verbo imperfecta priuatiuè.

---

§. XII.

Traditur vera vltimi argumenti ſolutio.

179 *Vera vltimi argumenti ſolutio.* RESTAT modò, vt ad principali argumentum, occaſione cuius hæc omnia ſunt dicta, reſpondeamus. Reſpondeo ergo, negando vltimam partem minoris, quod nempè, futura in ſe ipſis non cognoſcantur ab anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. Ad cuius primam probationem dicatur, D.Thom. ſolum relegaſſe ab Angelis cognitionem futurorum contingentium, vt illis connaturalem, & hoc rectè ratione facta probare, quia nempè, ſolius Dei eſt, connaturaliter futura contingentia in ſe ipſis cognoſcere, eo quod illa in ſua æternitate intuetur, quæ cum ſit omnes temporis differentias ſub ſe ambit. Ex quo ſolum ſequitur; animam Chriſti Domini non poſſe connaturaliter futura contingentia cognoſcere; non autem quod illa per ſupernaturalia principia non cognoſcat. Solutio eſt D. Thom. *q. 12. de Veritate art. 6. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quod quia futurorum notitia Dei eſt propria, ideo non poteſt accipi, niſi à Deo, tamen non oportet, quod ipſum Deum videat quicumque à Deo futura cognoſcat.* Sentit ergo D. Thom. quod licet ſit proprium Dei proprietate connaturalitatis futura prænoſcere, & ideo nulli creaturæ poſſit competere, et ſibi connaturale; non tamen eſt proprium proprietate eſſentiali; ac proinde poteſt creaturæ communicari ex diuina reuelatione, & aliqua notitiæ Dei participatione. Id ipſum docet Diu. Thom. 2.2. *q. 95. art. 1. & q. 173. art. 1.* *Cognitio futurorũ cõtingentiũ ſoli Deo conuenit connaturaliter, creaturæ verè ex gratia.* S. Thom.

180 *Ad ſecundam probationem.* Ad ſecundam, diſtinguo antecedens; antequam ſit præſens, nec futurum, non eſt determinatum ad eſſe, concedo antecedens; antequam ſit præſens, & futurum, nego antecedens, & conſequentiam: nam licet futurum con-

tingens pro priori actus primi omnium ſuarum cauſarum, ſit omnino indifferens ad eſſe, & non eſſe; ac proinde pro-ne ſic nequeat ſubeſſe infallibili cognitioni; ſuppoſita tamen præſenti determinatione cauſæ primæ qualiter à Nobis pro ſtatu futuritionis ſupponitur, iam eſt ad eſſe determinatum, non pro tempore, pro quo dicitur futurũ, ſed ad eſſe pro illo tempore: pro quo erit exiſtat per liberam Dei voluntatem determinatur, & hac determinatione ad eſſendum ſuppoſita, ſicut poteſt à Deo in ſe ipſo clarè, & euidenter cognoſci, ita poteſt in anima Chriſti dari cognitio, quatenus participatio illius diuinæ cognitionis ad futurum, vt in ſe *terminatiuè* terminata, quæ cognitio oritur à lumine ſcientiæ infuſæ, quod eſt participatio luminis diuini, quo futura in ſe cognoſcit, & à ſpecie impreſſa ſupernaturali, quæ eſt participatio diuinæ eſſentiæ, quatenus futura in ſe ipſis, vt ſpecies repræſentat.

181
Ad vltimam probationẽ. Ad vltimam probationem dicatur, communem Thomiſtarum ſententiam aſſerere, non poſſe futura contingentia cognoſci in veritate obiectiua pro priori ad decretum liberum voluntatis diuinæ *ſubiectiuè* exiſtens in Deo, cuius contrarium ab aſſertoribus ſcientiæ mediæ defenditur: non autem negant Thomiſtæ, quod ſuppoſito decreto libero voluntatis diuinæ *ſubiectiuè* in Deo exiſtente poſſint futura cognoſci à Deo in ſe ipſis ex parte rei cognitæ, licet non ex parte medij, quod reſpectu diuinæ cognitionis ſolum eſt diuina eſſentia, ne Dei cognitio à creaturis ſuam ſpecificationem deſumat, quod cum non ſit inconueniens reſpectu cognitionis creatæ, poſſunt per illam futura cognoſci in ſe ipſis, non ſolum ex parte rei cognitæ, verum etiam ex parte medij cognoſcendi.

182
Inſtabis 1. Sed contra iſtam ſolutionem obijcies primo; futura non ſunt repræſentabilia in ſe ipſis per aliquam ſpeciem creatam: ergo nec poſſunt in ſe ipſis extra Verbum cognoſci.
Antecedens probatur 1. Probatur antecedens primo: repræſentatio ſpeciei fit per aſſimilationem; ſed aſſimilatio ad futura non eſt poſſibilis; nam ſolum res exiſtens, poteſt eſſe extremum ſimilitudinis: ergo non poſſunt per ſpeciem creatam futura repræſentari.
Secundo. Secundo; nam ſi pro tempore pro quo futura non ſunt, poſſunt per ſpeciem creatam repræſentari, poſſent ab Angelo naturaliter cognoſci, ſed certum eſt, non poſſe naturaliter cognoſci ab Angelo: ergo quia non poſſunt per ſpeciem creatam repræſentari. Tertio;
Tertio. nam vel ſpecies repræſentans futura in ſe ipſis eſſet naturalis, vel ſupernaturalis: non primum, alias eſſet alicui creaturæ debita; & conſequenter cognitio futurorum in ſe ipſis alicui creaturæ deberetur: nec ſecundum, quia plura ex obiectis futuris ſunt naturalia; ſpecies autem ſupernaturalis, ſupernaturale obiectum expoſcit: ergo per nullam ſpeciem creatam poſſunt futura in ſe ipſis repræſentari.

183
Inſtabis 2. Secundo obijcies; non ſtat cognoſci certo futura contingentia, non cognito decreto libero Dei; ſed decretum hoc non cognoſcitur per ſcientiam ſupernaturalem infuſam: ergo nec futura contingentia cognoſcuntur per illam. Maior, in qua eſt difficultas, oſtenditur primo; futu-
Maior probatur 1. rum non poteſt certo, & infallibiliter cognoſci, niſi cognoſcatur, vt ad vnam partem determinatum; ſed pro tempore futuritionis non habet aliam determinationem, quam ſibi extrinſecam è decreto libero ſumptam: ergo cognoſci non poteſt libero decreto non cognito. Secundo;
Secundo. futurum in ratione futuri conſtituitur per cauſæ determinationem ad dandam illi exiſtentiam vt fusè oſtendimus *Tract. de ſcientia conditionatorum*: ergo antequam exiſtat determinatio cauſæ ſecundæ, conſtituitur per determinationem cauſæ primæ, ſcilicet, decretum liberum Dei, & conſequenter non poterit, vt futurum cognoſci, decreto libero Dei non cognito; non enim poteſt cognoſci effectus formalis non cognita cauſa formali illius. Ter-
Tertio tio; nam futurum ſi cognoſcitur in ſe ipſo ab intellectu creato elicitur eius cognitio media ſpecie impreſſa ſupernaturali creata participata ab eſſentia diuina, prout in ratione ſpeciei futura contingentia repræſentat; ſed diuina eſſentia non repræſentat futura immediatè, ſed mediante decreto libero prius repræſentato: ergo ſpecies creata, quæ eſt illius participatio, non immediatè repræſentat futura; ſed mediante decreto libero Dei prius repræſentato, & conſequenter non poſſunt in ſe ipſis immediatè ab intellectu creato cognoſci. Quarto; Deus non
Quarto probatur maior. poteſt futura contingentia in ſe ipſis immediatè cognoſcere, ſed mediante libero decreto vt cognito: ergo ab intellectu creato non poſſunt in ſe ipſis immediatè cognoſci.

Tertio contra ſolutionem obijcies; futura contingentia non cognoſcuntur per ſcientiam infuſam *intuitiuè*, nec 184
abſtractiuè: ergo nullo modo cognoſcuntur per illam. *Inſtabis 3.*
Conſequentia patet; nam omnis cognitio eſt intuitiua, vel abſtratiua. Antecedens autem probatur pro prima parte; nam cognitio intuitiua petit obiectum ſibi coexiſtens in eadem menſura durationis; ſed cognitio ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ, & futura contingentia, non coexiſtunt *phyſicè* in eadem menſura durationis: ergo non eſt cognitio intuitiua illorum. Pro ſecunda vero probatur; nam cognitio rei exiſtentis, vt exiſtentis ad illam immediatè, & in ſe terminata, non eſt cognitio abſtractiua, cum hæc petat abſtrahere ab exiſtentia, & per iſtam abſtractionem in ratione abſtractiuæ conſtituatur; ſed cognitio futurorum habita per ſcientiam infuſam (ſi datur) non præſcindit ab illorum exiſtentia, ſed ad illa, vt exiſtentia immediatè, & in ſe terminatur: ergo non eſt abſtractiua illorum cognitio.

Reſpondeo ad primam obiectionem, negando antecedens. Ad primam probationem, diſtinguo maiorem: per 185
aſſimilationem ſumptam *formaliter relatiuè*, nego maiorem: ſumptam per conuenientia, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minorem, nego conſequentiam; nam licet res non exiſtens, nequeat eſſe extremum ſimilitudinis *prædicamentaliter* relatiuæ, poteſt tamen eſſe extremum ſimilitudinis idest, conuenientiæ, vel identitatis, & maximè illius, quæ intentionalis eſt, vt conſtatio ente poſſibilis, quod cognoſci poteſt; & conſequenter per ſpeciem repræſentari, & eſſe extremum identitatis, vel conuenientiæ intentionalis, quam ſpecies habet cum obiecto à ſe repræſentato; repræſentatio autem ſpeciei non petit ſimilitudinem relatiuam prædicamentalem, ſed tantum fundamentalem conſiſtentem in conuenientia intentionali cum obiecto, quod repræſentat.
Ad 1. inſtantiam reſp.
Ad 1. antecedentis probationem.

Ad ſecundam, nego ſequelam nam entia ſupernaturalia, & cogitationes cordium, ſunt repræſentabilia per 186
ſpeciem creatam, & tamen non poſſunt naturaliter ab Angelo cognoſci: non ergo ex eo quod futura in ſe ipſis poſſint per ſpeciem creatam repræſentari, ſequitur, quod poſſint ab Angelo naturaliter cognoſci. Ratio autem à priori huius impotentiæ difficilis eſt, & tradenda 1. p. q. 57. *art.* 3. vbi Commentatores D. Tho. maximè Magiſter Bañez videri poſſunt.
Ad 2. antecedentis probationem.

Ad tertiam antecedentis probationem, nego maiorem pro ſecunda parte. Ad cuius improbationem dicatur; 187
ad ſpeciei ſupernaturalitatem ſufficere, quod obiectum ſupernaturale ſit in ratione obiecti cognoſcibilis quamuis *entitatiuè* non ſit ſupernaturale; licet autem plura ex futuris contingentibus ſint *entitatiuè* naturalia; omnia tamen in ratione cognoſcibilium ſupernaturalia ſunt, ſicut & cogitationes cordium, eo quod à nulla creatura ordinis naturalis creata, vel creabili, poſſunt ex viribus naturæ cognoſci, quod ſicut ſufficit, vt illorum cognitio ſupernaturalis ſit *entitatiuè*, vtpote nulli creaturæ ordinis naturæ debita: ita etiam ſufficit, vt ſpecies illa in ſe repræſentans, ſupernaturalis ſit.
Ad 3. probationem antecedentis.

Ad ſecundam obiectionem reſpondeo; diſtinguendo 188
maiorem non cognito decreto immediatè in ſe ipſo, nego maiorem: non cognito mediatè, & in alio, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minorem, nego conſequentiam; nam ſicut cauſa neceſſaria poteſt cognoſci in effectu, & effectus in ipſa ita effectus contingens, vel liber poteſt cognoſci in cauſa, nempè, in decreto, & decretum in ipſo licet autem per ſcientiam infuſam ſupernaturalem non cognoſcatur decretum Dei liberum immediatè in ſe ipſo, quia non datur ſpecies creata illud in ſe repræſentans, cognoſcitur tamen in effectu contingenti futuro; nam eo ipſo, quod ſpecies infuſa repræſentet effectum contingentem immediatè in ſe ipſo, in illo, vt in effectu decretum Dei liberum repræſentat; & conſequenter poterit per ſcientiam ſupernaturalem infuſam mediatè, in alio & *abſtractiuè* cognoſci.
Ad 2. inſtantiam reſp.

Et ex his ad primam, & ſecundam probationem maio- 189
ris conſtat ſolutio. Ad tertiam quatenus diſtinctioni traditæ obſtare poteſt, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam; nam diuina eſſentia, vt ſpecies, duo habet, nempè, repræſentare futurum decreto, vt in medio, & in ſe ipſis ex parte rei repræſentatæ; & conſequenter poteſt participari per ſpeciem creatam, quoad claram repræſentationem futuri in ſe ipſo, non participata quoad repræſentationem illius in decreto, vt in medio, ſicut quãtũ prophetia ſit participatio diuinæ præſcientiæ, & Dei
Ad 1. & 2. probationẽ maioris.
Ad tertiã

ſcientia reſpiciat ordinem ad euentum, qui ordo eſt præſens ſupernaturalis tempore, & euentum ipſum, qui præſens non eſt, ſed futurum, poteſt nihilominus, vt docet D.Th. (S. Thom.) *q.10. de Veritate art.10. in corp. & ſolut. ad 2.* participari per prophetiam reſpectus ad ordinem, non participato reſpectu ad euentum, vt quando reuelatur Prophetæ ordo cauſarum, & illarum propenſio ad euentum futurum, & occultatur ordinis executio. Pariter *in præſenti* dicimus de diuina eſſentia, vt ſpecie, poſſe participari quoad rem repræſentatam, & non quoad medium, in quo repræſentat.

190 *Ad 4. probationem maioris.* Ad quartam probationem maioris, prætermiſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam cognitioni diuinæ ſub quacumque formalitate repugnat, ſpecificari à veritate creata: ac proinde nihil creatum poteſt in ſe ipſo cognoſcere, vt in medio, & ratione cognoſcendi ſed medium diuinæ cognitionis, reſpectu cuiuſcunque à ſe cogniti, debet eſſe aliqua diuina formalitas, & quia formalitates neceſſariæ, non ſunt medium ſufficiens ad cognitionem effectuum contingentium, debet eſſe aliqua formalitas libera, vel formalitas neceſſaria, vt per liberam determinata; cognitioni autem creatæ non repugnat ſpecificatio ab entitate creata: ac proinde nec illi repugnare poteſt ad entitatem creatam in ſe, & ratione ſui immediatè terminari.

191 *Opponet.* Sed dices; quia viſio beatifica eſt participatio formalis, & ſpecialis cognitionis diuinæ, & diuina cognitio non terminatur ad creaturas in ſe ipſis, ſed in diuina eſſentia, vt obiecto prius cognito; non terminatur viſio beatifica ad creaturas in ſe ipſis, ſed in diuina eſſentia, vt obiecto primario; ſed ſcientia ſupernaturalis infuſa, prout terminatur ad futura, eſt formalis participatio ſcientiæ diuinæ ad futura terminatæ, ergo ſi ſcientia diuina non terminatur ad futura in ſe ipſis immediatè, ſed in decreto, vt obiecto prius cognito, nec ſcientia infuſa terminari poterit ad futura in ſe ipſis, ſed mediante decreto, vt obiecto primario, & prius per ipſam cognito.

192 *Reſpondetur.* Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: ex communi conceptu participationis formalis diuinæ cognitionis, nego maiorem: ex conceptu talis participationis, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam: quia intra limites participationis formalis diuinæ cognitionis datur latitudo perfectionis penès magis, & minus; vnde licet viſionis beatificæ competat terminari ad creaturas in Deo, quia eſt participatio perfectiſſima diuinæ cognitionis, & idcirco cum illa conuenit in obiecto primario; non ſequitur ſcientiæ ſupernaturali infuſæ, quamuis formalis participatio ſit, id ipſum competere: eſt enim participatio formalis minus perfecta, & ideo quamuis ab illa capiat eſſe certam cognitionem futurorum in ſe ipſis, quod ſoli cognitioni diuinæ poteſt eſſe connaturale, non tamen ſumit ab illa cognoſcere futura in decreto, quod tamen viſioni beatificæ competit, non quia participatio eſt diuinæ cognitionis, ſed quia talis participatio eſt.

193 *Ad 3. inſtantiam principalē reſpondēt aliqui 1.* Ad tertiam obiectionem variè occurritur ab Auctoribus noſtræ ſententiæ: quidam exiſtimantes ad rationem notitiæ intuitiuæ ſufficere ad rem vt exiſtentem terminari, exiſtentia obiectiua, reſpondent cognitionem futurorum habitam per ſcientiam infuſam eſſe intuitiuam notitiam; & in eadem ſententia ſunt alij, qui exiſtimant ad rationem notitiæ intuitiuæ ſufficere cognoſcere rem clarè, & perfectè, & per propriam ſui ſpeciem: nam hæc omnia conueniunt ſcientiæ ſupernaturali infuſæ reſpectu futurorum contingentium; eſt enim clara, & quidditatiua illorum notitia, & per propriam, immediatamque futurorum ſpeciem habita. Alij etſi exiſtiment de ratione notitiæ intuitiuæ eſſe, terminari ad obiectum, vt exiſtens, non ſolum exiſtenti obiectiuè, ſed etiam phyſicam in menſura cognitionis, nihilominus tuentur per ſcientiam ſupernaturalem infuſam intuitiuè cognoſci futura: quia cognitio ab illa elicita, menſuratur vno inſtanti indiuiſibili, quod eſt formalis participatio æternitatis diuinæ, prout continet eminenter durationem futurorum; ac proinde eſt virtualiter diuiſibile, & futuris in ſe ipſis coexiſtit. *(Solutio aliorum.)*

§. XIII.

Statuitur quinta concluſio.

194 *Quinta concluſio.* QVINTA CONCLVSIO. Verius tamen exiſtimo cum Magiſtro Bañez *1.p. q.14. art.3. concluſ.4.* Zumel *q.57. art.3. q.3. conc.5.* Medina *in præſenti art.1. ad 2. Scoti argum.* Nazario *controu. vnic. q.4. concluſ.4. Animam Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, etſi cognouerit futura contingentia in ſe ipſis, non tamen illa cognouiſſe per notitiam propriè intuitiuam.* *(Magiſter. Banez. Zumel. Medin. Nazar.)* Quod probatur, & ſimul impugnantur ſolutiones relatæ; etenim ad rationem notitiæ propriè intuitiuæ, non ſufficit per propriam rei ſpeciem haberi, nec ad rem, vt exiſtentem *obiectiuè* terminari, ſed neceſſario requiritur, quod ad rem, vt exiſtentem extra cauſas, cognitionique coexiſtentem terminetur; ſed anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, non cognoſcit futura, vt coexiſtentia *phyſicè* cognitioni mediante hac ſcientia elicitæ: ergo non cognouit illa per huiuſcemodi ſcientiam notitia propriè intuitiua. *(Cognitio futurorū per ſcientiam infuſam non eſt notitia intuitiua propriè.)* Illatio eſt legitima. Minor conſtat; non enim coexiſtunt *phyſicè* in ſuis proprijs durationibus; cum in illis non exiſtant, neque in duratione ipſius cognitionis; cum hæc non contineat eminenter futurorum durationes, quod neceſſarium erat, vt antequam in ſe exiſterent, coexiſterent cognitioni in ipſius duratione. *(Probatur.)*

195 *Maior probatur 1.* Maior autem oſtenditur primo, ex diffinitione notitiæ intuitiuæ, quod, ſcilicet, *eſt notitia rei præſentis*, quod intelligendum eſſe de præſentia phyſica, & non tantum de obiectiua, ex eo manifeſtum videtur; quia aliàs non differret à notitia abſtractiua; cum etiam iſtius obiectum gaudeat obiectiua præſentia. Secundo ex ethymologia nominis, quod deriuatum fuit à viſione corporali, quæ ad rem ſibi non præſentem, ſibique non coexiſtentem terminari non poteſt: ergo pariter notitia intuitiua intellectualis, nequit ad obiectum non coexiſtens ſibi *phyſicè* terminari. *(Secundò.)* Tertio ex D. Th. *q.3. de Veritate art.3.* illis verbis: *Ad 8. dicendum, quod ſimplex notitia dicitur non ad excludendum reſpectum ſcientiæ ad ſcitum, qui inſeparabiliter omnem ſcientiam comitatur, ſed ad excludendam admixtionem eius, quod eſt extra genus notitiæ, ſicut eſt exiſtentia rerum, quam addit ſcientia viſionis*: ergo iuxta D. Th. ſcientia viſionis, ſeu notitiæ intuitiua terminari petit ad obiectum actu extra cauſa exiſtens, & *phyſicè* cognitioni coexiſtens. *(Tertiò. S. Thom.)*

196 *Quartò.* Quarto ex eodem D.Tho. *1.p. q.14. art 9. & 13. q.57. art.3. q.86. art.4. 2.2. q.171. art.6. 1. Contra Gentes c. 66. in 1. Sent. diſt. 38. q.1. art. 5.* Quibus in locis, & paſſim alibi ex eo probat, præterita, præſentia, & futura *intuitiuè* à Deo videri, quia ſunt ipſi in ſua æternitate præſentia, quod de præſentia phyſica intelligendum eſſe cum communi Thomiſtarum ſententia docuimus, & fusè oſtendimus *Tract. de Scientia conditionat.* ergo ad rationem notitiæ intuitiuæ exigitur, terminari ad obiectum ſibi *phyſicè* præſens.

Quinto. Quinto; nam obiectum futurum, abſolutè, & ſimpliciter eſt abſens: ergo notitia illius eſt notitia rei abſentis; & conſequenter abſtractiua, & non intuitiua. Denique; nam ſic comparatur præſentia obiecti ad notitiam intuitiuam, ſicut ad gaudium poſſeſſio; ſed ad rationem gaudij non ſufficit poſſeſſio poſſibilis, præterita, vel futura, ſed requiritur poſſeſſio obiecti actualis exercita, & phyſica: ergo ad notitiam intuitiuam non ſufficit præſentia poſſibilis, præterita, vel futura, ſed neceſſario requiritur præſentia *phyſicè* exiſtens, notitiæque coexiſtens. *(Sexto.)*

197 *Vera ſolutio tertiæ inſtantiæ principalis.* Vnde ad tertiam obiectionem reſpondeo, negando antecedens pro ſecunda parte: ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: notitia rei exiſtentis, exiſtentia poſſibili, præterita, vel futura, nego maiorem: exiſtentiæ præſenti, & cognitioni *phyſicè* coexiſtenti, concedo maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego cōſequentiam; nam cognitio futurorum habita per ſcientiam infuſam, etſi ad illa in ſe terminetur, hoc eſt, non in alio medio, & illorū exiſtentiam, vt futuram attingat, non tamen attingit futurorum exiſtentiam, vt exercitam, & ipſius cognitionis *phyſicè* coexiſtentem; & ideo intuitiua notitia propriè, & in rigore non eſt, ſed notitia abſtractiua, ad quam non peti-

tur,

tur, quod omnino ab exiſtentia obiecti præſcindat; aliàs cognitio exiſtentis, vt poſſibilis, non eſſet notitia abſtractiua, ſed quod præſcindat ab exiſtentia obiecti, et *phyſicè* præſenti, pro duratione menſurante cognitionem; nam cũ notitia intuitiua comparetur ad abſtractiuam, ſicut perfectum ad imperfectum, dummodo exiſtentia perfectè non concernatur, non conſtituitur notitia in ratione intuitiuæ, ſed quomodocumq; abſtrahatur ab illa, euadit abſtractiua notitia; perfectum enim ex integra cauſa conſurgit, imperfectum vero ex quocumque defectu.

§. XIV.

Oppoſita ſententia cum ſuis fundamentis proponitur.

198 *Mag. Herrera. Aluar. Cornejo. Caiet.* CONTRARIVM huius concluſionis tenuere Sapientiſſimus Mag. Herrera Epiſcopus Tuienſis *in manuſcriptis ad iſtum articulum*, Aluarez *diſput.* 60. Cornejo *diſp.* 1. *dub* 2. referentes Caietanum *in præſenti art.* 3. §. *ad* 2. *dubium*. Sed explicari poteſt Caietanus de notitia intuitiua, non propriè, ſed largè ſumpta, ſcilicet, pro notitia rei exiſtentis de præſenti, præterito, vel futuro. In quorum fauorem, & contra noſtram ſolutionem arguitur primo: notitia rei habita per propriam ſpeciem terminata ad illius quidditatem, exiſtentiam, & accidentia, eſt notitia intuitiua, etſi duratione, ſui obiecti exiſtentiam præcedat; ſed cognitio futurorum habita per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, habetur per propriam illorum ſpeciem, terminaturque ad illorum quidditatem, exiſtentiam, & accidentia: ergo quamuis duratione, illorum exiſtentiam præcedat, eſt propriè notitia intuitiua. *Arguitur 1. & replicatur cõtra ſolutionem traditam.*

199 *Maior probatur 1.* Maior, in qua eſt difficultas, oſtenditur primo; talis notitia non eſt abſtractiua; cum non abſtrahat ab exiſtentia obiecti, per quam abſtractionem conſtituitur notitia abſtractiua, & ab intuitiua diſtinguitur: ergo eſt notitia intuitiua. *Secundo.* Secundo; nam talis notitia perſeuerare poteſt in præſentia phyſica obiecti; cum non habeat repugnantiam cum eius præſentia phyſica, ex pore illam repræſentans, ſed obiecto reddito phyſicè cognitioni præſens, erit intuitiua illius: ergo ante phyſicam obiecti præſentiam eſt illius intuitiua notitia.

Tertio. Tertio; cognitio infuſa Petro, de Paulo exiſtente Romæ, illius exiſtentiam, quidditatem, & accidentia repræſentans, eſt notitia intuitiua Pauli, cùm ſit localiter abſens: ergo pariter cognitio obiecti quoad quidditatem, accidentia, & exiſtentiam, erit notitia intuitiua, non obſtante abſentia durationis, ſeu non coexiſtentia phyſica.

200 *Reſpond.* Reſpondeo, negando maiorem. *Ad 1. probationem maioris.* Ad primam probationem, nego antecedens: nam licet non abſtrahat omnino ab exiſtentia obiecti, abſtrahit tamen ab illa, vt *phyſicè* exercita pro tempore cognitionis, quod ad rationem notitiæ abſtractiuæ ſufficere, oſtendimus. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam, prætermiſſa maiori, nego minorem: nam præſentia rei non attacta à cognitione, non ſufficit illam conſtituere in ratione intuitiuæ, vt conſtat in cognitione, quam quis clauſis oculis habet de Petro præſenti, quæ intuitiua non eſt; quia ad præſentiam illius non attendit. Quod ſi teneamus, rationem notitiæ intuitiuæ eſſe denominationem omnino extrinſecam ab obiecto *phyſicè* præſenti deſumptam, permiſſa maiori, & minori, nego conſequentiam: nam præſente *phyſicè* obiecto adeſt forma dans *extrinſecè* notitiæ, denominationem intuitiuæ, quæ ante illius præſentiam non aderat, & ideo quamuis notitia eſſet eadem, tamen ante præſentiam obiecti intuitiua non erat. *Ad tertiũ.* Ad tertiam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: nam abſq; locali præſentia ſaluatur coexiſtentia phyſica obiecti cum cognitione, quæ ſufficit ad rationem notitiæ intuitiuæ, non tamen ſaluatur abſque coexiſtentia phyſica in ſe, coexiſtentia phyſica obiecti cum cognitione, & ideo abſque illa, ratio notitiæ intuitiuæ non ſubſiſtit.

201 *Secundo arguitur.* Secundo arguitur; cognitio Dei terminata ad futura eſt intuitiua ab æterno adæquatè ſecundum omnem virtualitatem diuinæ æternitatis; & tamen futura non ſunt præſentia in æternitate ab æterno ſecundum omnem virtualitatem diuinæ æternitatis, ſuppono ex his, quæ ſuſè cum communi ſententia docui *Tract. de Scientia contingentium*: ergo præſentialitas phyſica, ad notitiam intuitiuam neceſſaria non eſt, ſed ſufficit obiectiua; & conſequenter cognitio animæ Chriſti terminata ad futura extra Verbum, erit notitia intuitiua.

202 *Reſpondetur.* Reſpondeo, veram eſſe maiorem in ſenſu ſpecificatiuo, falſam autem ſi *reduplicatiuè* ſumatur, ideſt, quod licet diuina cognitio, quatenus eſt intuitiua menſuretur æternitate, et coexiſtente omni durationi veræ, vel imaginariæ, non tamen habet, quod ſit intuitiua ex coexiſtentia æternitatis ad omnem durationem, ſed ſolum ad illam, in qua erit præſens *phyſicè* obiectum, cuius eſt intuitio. Iuxta quam doctrinam admiſſa maiori, & conceſſa minori, nego conſequentiam; nam præſentia phyſica obiecti, ſolum eſt neceſſaria pro illa duratione, ex qua cognitio habet, quod ſit intuitiua, non autem pro illa, in qua, etſi intuitiua ſit, & dicatur, non id habet ex illa; futura autem, præſentia *phyſicè* ſunt ad æternitatem, ſecundum illam virtualitatem, ex qua habet diuina cognitio, quod intuitiua ſit, vnde nunquam ſaluatur notitia intuitiua abſque phyſica obiecti præſentia.

203 *Tertio arguitur, & replicatur contra dicta.* Tertio arguitur, & tradita ſolutio impugnatur; viſio, qua intra Verbum beati cognoſcunt futura eſt illorum intuitiua cognitio; & tamen futura non ſunt præſentia, aut *phyſicè* coexiſtentia viſioni beatificæ: ergo abſq; præſentia phyſica obiecti, ſaluatur intuitiua notitia. Maior eſt communis Thomiſtarum ſententia. Minor autem probatur; futura namq; non coexiſtunt viſioni beatificæ in ſuis proprijs durationibus, nec in menſura ipſius viſionis beatæ: ergo non ſunt *phyſicè* illi præſentia. Antecedens pro prima parte eſt certum; pro ſecunda verò probatur; vt namq; futura antequam in ſe ipſis exiſtant, coexiſtant viſioni beatificæ in ipſius duratione, neceſſarium eſt, quod duratio viſionis, futurorum durationes contineat eminenter ſecundum ſuas vltimas differentias; at duratio viſionem beatificam menſurans, non continet durationes futurorum eminenter ſecundum ſuas vltimas differentias: ergo futura antequam exiſtant in ſuis proprijs durationibus, nequeunt coexiſtere *phyſicè* viſioni beatificæ in ipſius duratione. Maior videtur certa in communi Thomiſtarum ſententia 1. *p. q.* 14. *art.* 13. aſſerentium, ideo futura antequam in ſe exiſtant in ſuis proprijs durationibus, Deo in æternitate coexiſtere *phyſicè*; quia æternitas, vt menſura ſuperior, eminenter continet vltimas, peculiareſq; differentias durationum futurorum, ideoque illa antequam *phyſicè* exiſtant in ſe, vt menſura ſuperior inadæquatè menſurat: ergo ſi futura antequam exiſtentiam in ſe ipſis, ſuiſque proprijs durationibus habeant, coexiſtunt *phyſicè* viſioni beatorum, ideo erit; quia duratio viſionis beatificæ continet eminenter durationes futurorum ſecundum vltimas, peculiareſque illorum differentias.

204 *Maior probatur 1.* Minor autem oſtenditur primo; nam duratio viſionis beatificæ eſt quid creatum; ſed nihil creatum poteſt aliud à ſe, ſecundum ſuam vltimam differentiam eminenter continere: ergo duratio viſionis beatificæ non continet eminenter durationes futurorum ſecundum ſuas vltimas differentias. *Secundo.* Secundo; nam viſio beatifica non continet eminenter durationes futurorum, ad quæ terminatur: ergo nec duratio viſionis eminenter continet durationes futurorum. Patet conſequentia primo; nam ſicut comparantur inter ſe quoad continentiam, ita inter ſe comparantur durationes illorum. Secundo; nam ideo duratio diuini eſſe, continet eminenter durationes omnium rerum, quia eſſe Dei, omnium rerum perfectiones eminentialiter continet, & è contra, idcirco æuum Angelicum aliorum durationes non continet eminenter, quia Angelus non continet eminenter illorum entitates: ergo ſi viſio beatifica, futurorum entitates non continet eminenter, duratio immediatè menſurans viſionem, non continet eminenter vltimas differentias durationum futurorum.

Tertio. Tertio probatur minor argumenti; ideo namque æuum Angelicum non coexiſtit *phyſicè* futuris, nec illorum durationes in ſe continet eminenter, quia poteſt de potentia abſoluta deſtrui antequam futura exiſtant; ſed etiam viſio beatifica, illiuſque propria duratio, poſſunt de potentia abſoluta deſinere eſſe, antequam futura in ſe ipſis exiſtant: ergo non coexiſtit illi *phyſicè*, nec illorum durationes eminenter continet.

205 *Reſpõdetur.* Huic argumento reſponderi poteſt primo ex doctrina Ferrarienſis 3. *Contra Gentes cap.* 61. quam plures ex Tho-

Vi poteſt primo ex Ferrarienſi. Thomiſtis ſequuntur, vbi docet, menſuram propriam viſionis beatificæ non eſſe aliquid creatum, ſed ipſam increatam æternitatem, quæ adæquatè, & per eſſentiam menſurat eſſe diuinum, & inadæquatè, & per communicationem menſurat omnes beatorum viſiones. Iuxta quam doctrinam videtur bene ſaluari coexiſtentia phyſica futurorum cum beatifica viſione; cum enim futura *phyſicè* coexiſtant æternitati diuinæ, & hæc ſit menſura viſionis, coexiſtunt ipſi viſioni, non in duratione creata, ſed in increata, nempè; in diuina æternitate, per quod ad omnes probationes minoris conſtat ſolutio; non enim duratio creata, ſed increata, eſt, quæ continet durationes futurorum, & per quam menſuratur eſſe viſionis beatificæ.

206 *Diſplicet iſta ſolutio primò.* Hæc tamen ſolutio vim argumenti non eleuat; eſto namque admittatur menſuram viſionis beatificæ non eſſe durationem creatam, ſed æternitatem Dei, illi extrinſecè applicatam, non tamen menſurat illam adæquatè, & ſecundum omnem ſui virtualitatem, ſed inadæquatè, & tanquam menſura ſuperexcedens viſionem: ergo ex eo quod futura *phyſicè* æternitati coexiſtant, & æternitas menſuret viſionem, non ſequitur coexiſtere *phyſicè* viſioni beatificæ; nam vt hæc illatio teneret, requirebatur, quod æternitas diuina adæquatè, & ſecundum omnem ſui virtualitatem menſuraret durationem viſionis beatificæ.

207 *Secundò.* Deindè; nam eſto æternitas Dei in ſe eminenter contineat omnes durationes creatas, non tamen illas continet, prout applicata, aut extrinſeca vnita viſioni beatificæ, ſed vt illi futura *phyſicè* coexiſterent, hoc ſecundum neceſſarium erat: ergo etiam ſi æternitas Dei menſuret viſionem beatam, non ſequitur, futura coexiſtentia *phyſicè* æternitati, viſioni beatificæ *phyſicè* coexiſtere. Conſequentia eſt bona. Minor conſtat; nam coexiſtentia naſcitur ex continentia: ergo ſi æternitas, prout eſt menſura viſionis, non continet eminenter durationes futurorum, non coexiſtunt futura æternitati, quatenus menſurat viſionem; & conſequenter, nec viſioni coexiſtunt.

Maior oſtenditur duplici exemplo. Maior, in qua eſt difficultas, duplici exemplo oſtenditur: etenim diuina natura, etſi in ſe in ratione ſanctitatis omnem ſanctitatem creatam eminenter contineat, prout tamen ſanctificat humanitatem Chriſti, tali continentia non gaudet; aliàs prout illam ſanctificans omnem ſanctitatem efficienter *phyſicè* cauſaret; cum phyſica efficientia ſupra continentiam eminentialem fundetur. Diuina etiam eſſentia tametſi in ſe ipſa ſub ratione ſpeciei omnem ſpeciem creatam eminenter contineat; prout tamen mentibus beatorum vnitur, continentiam iſtam non habet: ergo pariter, quamuis æternitas Dei in ſe eminenter contineat omnes durationes, prout tamen viſiones beatorum menſurat, illas eminenter non continet.

208 *Secundò reſponderi poteſt ex Nazario.* Secundò reſponderi poteſt ex doctrina Nazarij in *præſent. a. t. contr. vnic. q. 4. notabil. 8.* æternitatem participatam, qua viſio beatifica menſuratur, mediam eſſe inter æternitatem per eſſentiam, & æuum, quod eſt Angelicæ ſubſtantiæ menſura, eſſeque participationem formalem æternitatis diuinæ; in hoc tamen ab illa diſcere, quod æternitas per eſſentiam, ab æterno ſimul coexiſtit omnibus partibus temporis veri, vel imaginarij, quia eminenter continet totam temporis latitudinem, tam realem, quam poſſibilem; æternitas vero participata, non ab æterno, ſed in tempore coexiſtit omnibus partibus temporis realis, non autem imaginarij; non enim eſt ab æterno, nec continet eminenter latitudinem temporis realem, & poſſibilem; aliàs eſſet infinita ſimpliciter; quia tamè in ſupremo ordine durationũ creatarum eſt conſtituta, eam habet inditam excellentiam, vt ſimul actu coexiſtat omnibus realis temporis partibus, ad differentiam æui, quod licet coexiſtat omnibus partibus temporis realis, non tamen coexiſtit ſimul, ſed ſucceſſiuè extrinſeca ſucceſſione. Ex qua doctrina aperte videtur colligi, etſi id Nazarius non exprimat, quod licet æternitas participata non contineat eminenter totam temporis latitudinem veri, vel imaginarij, totam tamen realis temporis latitudinem continet eminenter. Quod patet; nam coexiſtentiam Dei ad omne tempus verum, & imaginarium, colligit Nazarius ex continentia eminentiali omnis temporis, realis, & poſſibilis: ergo cum doceat, æternitatem participatam reali tempori ſimul coexiſtere; docere etiam tenetur æternitatem participatam totam latitudinem temporis realis eminenter continere, & ratione huius continentiæ, actu ſimul omni tempori reali coexiſtere. Iuxta quam doctrinam, conceſſa maiori, neganda eſt minor; coexiſtunt enim futura viſioni beatificæ non in proprijs durationibus, ſed in menſura ipſius beatificæ viſionis, illas eminenter continente.

209 *Reijcitur primò. Secundò.* Hæc tamen ſolutio difficilis redditur primò, rationibus, quibus efficaciter (ni fallor) oſtendimus, non poſſe durationes futurorum in menſura viſionis beatificæ eminenter contineri. Secundò ex communi Thomiſtarum doctrina *ſupra q. 3. art. 2.* aſſerente, non poſſe perſonam creatam alienam terminare naturam, eo quod neceſſarium erat, illius perſonalitatem eminenter continere; nam ex continentia eminentiali vnius perſonalitatis, ſequitur, quod omnes contineat, & conſequenter, quod infinita ſit. Quam doctrinam ſequutus eſt Nazarius ibi *controuerſia vnic. notabil. 4.* ergo pariter ex continentia eminentiali vnius durationis creatæ, ſequitur eminentialis omnium continentia, & conſequenter infinitas, cumque æternitas participata, non infinita, ſed finita ſit, repugnabit, quod latitudinem temporis realis eminenter contineat.

210 *Tertiò poteſt reſponderi.* Tertiò reſponderi poteſt, negando maiorem: quod ſcilicet, viſio beatifica ſit intuitiua notitia futurorum; cum enim ad illa, vt ſibi coexiſtentia *phyſicè* non terminetur, vt manet probatum, & hæc coexiſtentia phyſica, neceſſaria ſit ad rationem notitiæ intuitiuæ, ſequitur manifeſtè, quod licet reſpectu Dei ſit intuitiua notitia, & reſpectu illorum, quæ ſibi præſentia, & coexiſtentia ſunt, reſpectu autem futurorum non intuitiua, ſed abſtractiua eſt. Sed contra iſtam ſolutionem obſtat primò communis Thomiſtarum ſententia docens oppoſitum. Secundò, nam D. Tho. *q. præced. art. 3.* diſtinguens in anima Chriſti duplicem modum ſcientiæ rerum, quas cognoſcit in Verbo, nimirum rerum ſecundum quod ſunt in actu, & rerum prout in potentia, cognitionem futurorum docuit, eſſe ſcientiam rerum ſecundum quod ſunt in actu; at cognitio rei ſecundum quod eſt in actu, eſt cognitio intuitiua: ergo iuxta D. Thom. viſio futurorum in Verbo eſt notitia illorum intuitiua.

Reijcitur primò. Secundò. Viſio beata, vt terminata ad futura eſt notitia intuitiua.

211 *Tertiò.* Tertiò; nam iuxta D. Thom. *1. p. q. 12. artic. 10.* quæ à beatis videntur in Verbo, non ſucceſſiuè, ſed ſimul videntur; at ſi cognitio futurorum in Verbo non eſſet notitia illorum intuitiua, non omnia, quæ in Verbo à beatis videntur, viderentur ſimul, ſed daretur in beatifica viſione ſucceſſio: ergo eſt intuitiua futurorum notitia. Probatur minor; cognitio futurorum in Verbo non terminaretur ad illa ab initio ſui eſſe, vt *phyſicè* ſibi præſentia, adueniente autem tempore exiſtentiæ futurorum illa, vt ſibi *phyſicè* præſentia cognoſceret: ergo non ſimul, & ab initio omnia ſua obiecta attingeret, ſed in illa daretur ſucceſſio.

212 *Quartò.* Quartò; nam viſio beatifica ſecundum terminationem ad ſua obiecta menſuratur æternitate participata; quæ eſt menſura immutabilior, quam æuum Angelicum; ſed æuum Angelicum non admittit intrinſecam ſucceſſionem in ſubſtantia, quam menſurat, vt communiter docetur à Theologis *1. p. q. 10.* ergo æternitas participata non permittit intrinſecam ſucceſſionem in viſione beatifica, prout ad ſua obiecta terminatas at ſi ab initio non eſſet intuitio futurorum, intrinſecam ſucceſſionem haberet in terminatione ad obiecta: ergo ab initio ſui, eſt intuitiua futurorum notitia. Probatur minor, ratio intuitionis non eſt denominatio extrinſeca in notitia, ſed prædicatum intrinſecum, vt ex Summulis ſuppono in probabiliori ſententia: ergo tranſitus notitiæ de non intuitiua in intuitiuam ſine intrinſeca mutatione notitiæ, non datur; & conſequenter ſi beatifica viſio ab initio intuitiua non eſſet, intrinſecè mutaretur, cum in intuitiuam tranſiret, quod eſt habere intrinſeca ſucceſſionem.

213 *Confirmatur.* Quod amplius confirmari poteſt; ſi namque notitia Dei, non ab initio, ſed in tempore rationem intuitiuæ obtineret, intrinſecè variaretur, de quo *1. p. q. 19. art. 7.* ergò viſio beatifica ſine intrinſeca variatione, & ſucceſſione intrinſeca, non poteſt tranſire de non intuitiua in intuitiuam; ac per conſequens, vel æternitate menſuranda non eſt, vel ſimul, & ab initio rationem notitiæ intuitiuæ reſpectu futurorum debet habere.

214 *Vera ſolutio tertij argumenti poſiti n. 104.* Vnde his modis dicendi omiſſis. Ad argumentum factum reſpondeo, negando minorem: ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: nam præter modos in antecedenti numeratos, reſtat alius, quo viſio beatifica poteſt futuris coexiſtere, & viſioni futura, nempè, neque in proprijs durationibus, nec in duratione menſurante viſionem, ſed vt contenta in diuina æternitate, & coexiſtentia viſionis ad futura, vt contenta in æternitate.

nitate.

nitate, quod ſufficit, vt viſio beatifica ſit illorum intuitio, ſicut coexiſtentia eorumdem futurorum ad diuinam cognitionẽ in æternitate Dei, ſufficit, vt diuina cognitio rationem intuitionis ſortiatur.

Nec obſtat futura coexiſtere cognitioni diuinæ in æternitate,
215 *Obijcies.* quæ eſt menſura ipſius cognitionis diuinæ, non autem ſic comparari ad beatificam viſionem; nam æternitas eſſentialis, in qua illi coexiſtunt futura, non eſt propria viſionis beatificæ menſura. Non, inquam, obſtat; nam licet diſcrimen aſſignatum ſit verum, non tamen ad notitiam
Reſpond. intuitiuam requiritur coexiſtentia obiecti cogniti in propria cognitionis menſura, ſed ſufficit coexiſtentia in menſura, cui coexiſtat menſura ipſius cognitionis, vt conſtat in cognitione Angelica, quæ eſt intuitio obiectorum exiſtentium, quæ tempore continuo menſurantur; & tamen non coexiſtunt Angelicæ cognitioni in tempore diſcreto, per quod ipſa menſuratur, ſed ſolum quia tempus continuum menſurans obiectum cognitum, & tempus diſcretum menſurans cognitionem Angelicam ſibi inuicem coexiſtunt: licet ergo futura non coexiſtant viſioni beatificæ in æternitate participata, per quam ipſa viſio menſuratur; dum tamen æternitas participata coexiſtat æternitati eſſentiali, & futuris, vt in illa contentis, erit verè, & propriè futurorum intuitio. Contra quam ſolutionẽ non obſtant, quæ in argumento adducuntur; nam ſaluamus coexiſtentiam viſionis beatificæ cum futuris, ad quæ terminatur, abſque continentia durationis futurorum, ſcilicet, per coexiſtentiam æternitatis participatæ viſionem menſurantis, ad æternitatem eſſentialem, vt continentem durationes futurorum, & quatenus in illa ab æterno exiſtunt futura.

Sed contra iſtam ſolutionem oppones primo; at enim vt
216 viſio beatifica coexiſteret futuris in æternitate Dei, neceſ-
Replicabis 1. ſarium erat coexiſtere æternitati diuinæ, vt continenti futura; ſed illi prout ſic non coexiſtit, ſed ſolum vt continenti durationem propriam viſionis; quæ futurorum durationes eminenter non continet: ergo non coexiſtit *phyſicè* viſio futuris, vt in æternitate contenti. Secundo; nam
Secundo. ideo Angelus, qui modo exiſtit, non coexiſtit *phyſicè* Anti-Chriſto etiam, vt in æternitate contentis quia inter ſe in proprijs durationibus *phyſicè* non coexiſtunt; ſed viſio beatifica non coexiſtit *phyſicè* de præſenti futuris, vt in proprijs durationibus: ergo nec coexiſtit illis, vt in æternitate contentis. Tertio; nam hac coexiſtentia ad futura,
Tertio. vt in æternitate continentur admiſſa, nulla eſt aſſignabilis ratio, cur extra Verbum, non poſſit dari cognitio terminata ad futura cum coexiſtentia phyſica ad illa vt contenta in æternitate; & conſequenter erit poſſibilis extra Verbum intuitiua futurorum cognitio. Sed admiſſa iſtius cognitionis poſſibilitate, debes in anima Chriſti concedi, vt ex ſæpè dictis conſtat, & aliàs pertinebit ad ſcientiam ſupernaturalem infuſam: ergo anima Chriſti per illam intuitiuè cognoſcit futura, cuius contrarium in noſtra concluſione defendimus.

Reſpondeo ad primam obiectionem, conceſſa maiori,
217 negando minorem; nam cum viſio beatifica *phyſicè* coexi-
Ad 1. replicam reſpondes. ſtat cum diuina eſſentia, vt per decretum determinata, & diuinæ eſſentia, vt ſi coexiſtat *phyſicè* cum futuris, vt in æternitate contentis; fit conſequens, quod ipſa viſio *phyſicè* coexiſtat diuinæ æternitati, vt continenti futurorum durationes.

Ad ſecundam, nego cauſalem maioris; ſed ratio eſt,
218 quia cum nunquam non ſit formalis participatio æternitatis
Ad ſecundam. diuinæ, non coexiſtit futuris niſi in proprijs durationibus; menſura autem viſionis beatificæ, eſt formalis participatio æternitatis diuinæ, in qua reperiuntur duo, nempè, continere eminenter omnes durationum differentias, & rebus creatis coexiſtere, vt in ipſa æternitate contentis, antequã ſint in ſe ipſis in ſuis proprijs durationibus, ex quibus non participat primum, quia dicit infinitatem, participat tamen ſecundum, nempè, *phyſicè* coexiſtere cum futuris, vt in æternitate contentis: quia in hoc infinitas non relucet, ſicut enim extra Verbum participatur diuina futurorum cognitio ſub conceptu euidentiæ, & certitudinis; quin participetur ſub conceptu intuitionis: ita per viſionem beatam participatur cognitio diuina ſub conceptu coexiſtentis *phyſicè* ad futura, vt in æternitate contenta, quin participetur ſub conceptu continentis eminenter differentias futurorum, vel aliorum durationes.

Ad tertiam, nego maiorem. Ratio autem ex dictis colligitur, quia nempè, coexiſtentia phyſica ad futura, vt
219 *Ad tertiã* contenta in æternitate, ſolum poteſt conuenire cognitioni menſuratæ æternitate participata; implicat autem cognitionem extra Verbum tali menſura gaudere, eo quod differentia durationum, & illarum vniformitas naſcitur ex differentia immutabilitatum; cognitio autem extra Verbum nequit adæquare immutabilitatem ſubſtantiæ Angelicæ; ac proinde, nec menſurari poteſt æternitate participata, quæ excedit, vel adæquat vniformitatem qua Angelorum ſubſtantiam menſurantis.

Denique arguitur; cognitio prophetica eſt notitia intuitiua futurorum; ſed cognitio ſcientiæ ſupernaturalis in- 220
fuſæ conuenientis animæ Chriſti eſt perfectior cognitione *Vltimo arguitur.*
prophetica: ergo eſt intuitiua futurorum cognitio. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem oſtenditur primo; nam Prophetæ in Scriptura appellantur *videntes*; ſed vi- *Maior probatur 1.*
ſio propriè accepta, eſt intuitiua cognitio: ergo cognitio prophetica eſt intuitiua futurorum. Secundo ex D. Th. *q. 12. de Veritate art. 6. ad finem corporis*, illis verbis: *Ip-* *Secundò.*
ſe ſpecies ſimul cum lumine prophetico ſpeculum æternitatis dicuntur, quia diuinum intuitum repræſentant prout in æternitate futurorum euentus præſentialiter inſpicit. Et in ſolutione ad 2. illis verbis: *Ad ſecundum dicendum, quod quamuis omnis cognitio à diuina præſcientia deriuetur, non tamen omnis cognitio repræſentat eam, vt ratione æternitatis, etiam futura præſentialiter intuetur. Vnde non poteſt dici qualibet ſcientia ſpeculum æternitatis, ſed in hoc priuilegiata oſtenditur cognitio prophetarum.* Sed ſpecies, & lumen propheticum, non repræſentant intuitum diuinum, vt in ſe, nec cognitio prophetarum repræſentat ſcientiam Dei ſumptam *entitatiuè*: ergo repræſentant intuitum, & ſcientiam diuinam ex parte obiecti terminantis ſcientiam Dei, quatenus eſt intuitio; & conſequenter repræſentans futura intuitiuè.

Tertio probatur ex eodem D. Thom. 2. 2. q. 171. *art.*
6. ad 2. illis verbis: *Quandoque reuelatio prophetica eſt* 222
impreſſa quædam ſimilitudo diuinæ præſcientiæ, prout *Tertio.*
reſpicit ipſa futura contingentia in ſe ipſis, &c. Sed diuina præſcientia, prout ad futura in ſe ipſis terminata, eſt intuitiua illorum cognitio: ergo prophetæ, cui imprimitur huius ſcientiæ participatio, intuitiuè cognoſcit futura.

Reſpondeo, negando maiorem. Ad primam probatio- 223
nem dicatur, prophetas dici videntes ratione claritatis, *Reſpondetur.*
qua cognoſcunt aliquando futura, non vero ratione intuitionis; cognitio enim clara contrapoſitiuè ad obſcuram, viſio dicitur. Ad ſecundam dicatur, in cognitione diuina *Ad 1. probationem maioris.*
reperiri quatuor, nempè, certitudinem, claritatem, quod terminetur ad futura in ſe ipſis ex parte rei cognitæ, & quod illis *phyſicè* coexiſtat, ex hoc vltimo habet, quod ſit *Ad ſecundam.*
ſtrictè intuitiua cognitio; ex tertio autem, non *ſtrictè*, ſed *largè*, & quia hoc tertium participatur à cognitione prophetica, ſic, vt poſſit dici *largè* intuitio, quia vero non participat quartum, nequit dici *ſtrictè* intuitiua futurorum cognitio. Vnde in forma reſpondetur, admiſſis, vt iacent, verbis D. Tho. & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: ſpecies, lumen, & cognitio prophetica repræſentant diuinum intuitum ex parte obiecti cum coexiſtentia phyſica ad obiectum cognitum, nego conſequentiam: repræſentant illud in ſe ſine tali coexiſtentia, concedo conſequentiam: ex quo non ſequitur, eſſe cognitionem intuitiuam *ſtrictè*, ſed *largè*. Et ex his ad vltimam probationem con- *Ad tertiã*
ſtat ſolutio.

§. XV.

De tota poſſibilium collectione.

SIT SEXTA CONCLVSIO. *Non implicat totam poſſibilium collectionem extra Verbum quidditatiuè cognoſci; de facto tamen non fuit ab anima Chriſti cognita.* 224 *Sexta concluſio.*
Moueor ad primam partem concluſionis primo auctoritate D. Th. *quæſt. 20. de Veritate art. 4. ad 1.* quod ita procedebat: *Quicumque ſcit maius, poteſt ſcire minus; ſed* *Probatur 1. ex D. T.*
Deus eſt maius, quam quidquid poteſt facere: ergo cum anima Chriſti cognoſcat Deum, multo magis poteſt cognoſcere quidquid Deus poteſt facere. Cui argumento his verbis reſpondet: *Ad primum dicendum, quod quidquid Deus poteſt facere, eſt minus, quam ipſe Deus, & facilius poſſet ab anima Chriſti cognoſci, ſi anima Chriſti per*

ſe

ſe offerretur, quidquid Deus poteſt, ſicut per ſe ei repræſentatur ipſe Deus. Nunc autem ea, quæ poteſt facere Deus, non offeruntur animæ Chriſti in ſe ipſis, ſed in Verbo, & ideo ratio non ſequitur. Id ipſum docet 3. *ad Annibald. diſt. 14. q. vnica art. 2. ad 2.* Ergo ſentit D. Th. nullam eſſe implicationem in hoc, quod tota poſſibilium collectio cognoſcatur ab anima Chriſti extra Verbum. Patet conſequentia primo; nam ſi implicaret non eſſet facilior omnium poſſibilium cognitio, cognitione clara Dei; cum hæc non implicet: id autem quod implicat, non poteſt eſſe, non implicante facilius; at D.Th. docet, eſſe faciliorem: ergo ſentit, quod non implicat. Secundo; nam quod ab anima Chriſti non cognoſcatur de facto, quidquid Deus poteſt facere, reducit D. Th. ad hoc, quod ei de facto non offertur; at ſi implicaret omnium poſſibilium cognitio, melius ad implicationem reduceretur, quod ab anima Chriſti non cognoſceretur de facto, quam ad hoc, quod de facto non offerentur: ergo ſentit Angelicus Præceptor, nullam eſſe implicationem in cognitione quidditatiua collectionis poſſibilium.

225 *Secundo probatur.* Moueor ſecundo; nam vbicumque D. Thom. negauit animæ Chriſti, vt poſſibilem cognitionem omnium poſſibilium, id probauit, quia ex illa ſequeretur comprehenſio omnipotentiæ, quæ intellectui creato repugnat; at hæc ratio in cognitione collectionis poſſibilium in ſe ipſis extra Verbum non militat: ergo cognitio collectionis poſſibilium in ſe ipſis implicationem non dicit. Maior conſtabit, D. Thom. conſulenti. Minor autem oſtenditur primo, nam comprehenſio cauſæ non infertur, niſi tantum ex cognitione ſuorum effectuum in ipſa, & ex ipſa; niſi enim iſto modo cognoſcatur, non cognoſcitur cauſa quantum cognoſcibilis eſt, quod ad illius comprehenſionem requiritur: ergo cognitio omnium poſſibilium in ſe ipſis, nec eſt comprehenſio omnipotentiæ, nec illius infert comprehenſionem. Secundo; nam tota poſſibilium collectio non adæquat diuinæ omnipotentiæ cognoſcibilitatem: ergo ex cognitione collectionis poſſibilium in ſe ipſis extra Verbum, non colligitur omnipotentiæ comprehenſio.

226 *Tertio probatur.* Moueor tertio, ratione inſinuata à D. Thom. in teſtimonio allegato; nam ſi implicaret omnium poſſibilium quidditatiua cognitio, ideo eſſet, quia infinita ſunt; at hæc ratio eſt nulla: ergo non implicat. Probatur minor; infinitas Dei eſt maior infinitate collectionis poſſibilium; cum hæc ſit tantum infinitas multitudinis, & per participationem, illa vero eſt infinitas per eſſentiam; ſed infinitas diuina non obſtat, quo minus poſſit ab intellectu creato per cognitionem finitam *quidditatiuè* cognoſci: ergo nec infinitas collectionis poſſibilium obſtare poteſt, quin ab intellectu creato per lumen, cognitionemque finitam, *quidditatiuè* valeat cognoſci.

227 *Reſpondebis.* Reſpondebis, negando conſequentiam, ob duplicem rationem diſcriminis: prima; quia poteſt Deus quidditatiuè cognoſci, non comprehendi; cognitio autem non comprehenſiua, ſed tantum quidditatiua non accipit infinitatem ab ipſo, tota vero poſſibilium collectio nequit cognoſci quidditatiue, & non comprehenſiue; atque adeo cognitio quidditatiua illius neceſſario infinita *entitatiuè*, quod implicat. Secunda; quia Deus poteſt ad ſui cognitionem mentibus Beatorum vniri per modum ſpeciei, collectio autem poſſibilium per ſe ipſam nequit vniri intellectui creato, & alias implicat ſpecies finita repræſentatiua *quidditatiuè* illius; & conſequenter implicat eius quidditatiua cognitio.

228 *Refellitur primo.* Sed contra primo; nam ideo poteſt Deus cognoſci quidditatiue ab intellectu creato, & non comprehendi ab ipſo, quia poteſt finito modo cognoſci; ſed nulla eſt ratio, cur etiam tota poſſibilium collectio nequeat finito modo cognoſci, admiſſo, vt debet admitti, poſſe Deum ſic cognoſci: ergo poteſt tota poſſibilium collectio quidditatiue, & non comprehenſiue cognoſci. Secundo; nam *Secundò.* ideo poteſt Deus cognoſci quidditatiue, & non comprehendi ab intellectu creato, quia poſſunt cognoſci omnes Dei formalitates, quin in illis, aut ex illis cognoſcantur omnia, quæ eminentialiter continet; ſed etiam poſſunt omnia poſſibilia quoad prædicata formalia cognoſci, quin in illis, aut ex illis cognoſcantur omnia, quæ virtualiter continent, vt ex ſolutione argumentorum conſtabit; ergo poſſunt omnia poſſibilia quidditatiue cognoſci ab intellectu creato, & ab ipſo non comprehendi.

229 *Tertiò.* Tertio; nam eſto admittamus, non poſſe omnia poſſibilia cognoſci quidditatiue, & non comprehenſiue, nulla tamen poteſt implicationis ratio aſſignari in illorum omnium comprehenſione per vnicam cognitionem: ergo prima ratione diſcriminis non ſoluitur argumentum. Probo antecedens; nam ſi aliqua aſſignari poſſet, maximè, quia infinita ſunt; ac proinde illorum comprehenſiua cognitio deberet eſſe infinita; at hæc ratio eſt nulla: ergo nulla poteſt implicationis ratio aſſignari, in hoc, quod cognoſcatur quidditatiue, & non comprehenſiue. Probo minorem ex doctrina D. Tho. *q. præcedenti art. 3. ad 2.* vbi *S.Thom.* docet, ſcientiam comprehenſiuam infiniti per eſſentiam, neceſſario eſſe infinitam; infiniti autem aliter v. c. multitudine, finiti tamen ſecundum eſſentiam, ſcientiam comprehenſiuam non eſſe neceſſario infinitam, eo quod ſcientiam eſt finita, vel infinita, ex finitate vel infinitate proprij obiecti; proprium autem obiectum intellectus eſt quidditas ſub ratione quidditatis, & ideo ſi quidditas eſt finita, quamuis habeat aliam infinitudinem, ſcientia comprehenſiua talis quidditatis, non eſt neceſſario infinita. Ex quo infert D. Th. quod quia anima Chriſti eſt capacitatis finitæ, id quod eſt ſimpliciter infinitum ſecundum eſſentiam, ſcilicet, Deum, attingit quidem, ſed non comprehendit; id autem infinitum, quod in creaturis eſt in potentia, poteſt comprehendi ab anima Chriſti, quia comparatur ad ipſam ſecundum eſſentiæ rationem, ex qua parte infinitatem non habet ex qua doctrina minor in hunc modum probatur; ſola comprehenſio infiniti ſecundum eſſentiam, neceſſario eſt infinita; ſed omnium poſſibilium collectio non eſt infinita ſecundum eſſentiam; ſunt enim omnes quidditatis, & eſſentiæ finitæ, & in ratione finitæ quidditatis conueniunt: ergo comprehenſio totius collectionis poſſibilium non eſt neceſſario infinita; ac proinde ex repugnantia cognitionis actu entitatiue infinitæ, non probatur repugnantia comprehenſionis omnium poſſibilium.

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum; etenim iuxta D. Thom. *loco proximè allegato*, omnia individua ſub aliqua ſpecie contenta, quantumuis ſint infinita, poſſunt comprehendi per finitam cognitionem; quia conueniunt in quidditate ſpecifica limitata, & finita, ſub qua ratione ad ſui intellectionem comparantur. Et iuxta eundem Diuum Thom. *q. 20. de veritate art. 4. ad 1.* qui cognoſceret per naturam generis infinitas ſpecies contentas ſub tali genere, finita cognitione cognoſceret, quia licet ſpecies eſſent multitudinem infinitæ, continerentur ſub natura finita; at omnes creaturæ poſſibiles; etſi ſint infinitæ multitudine, continentur ſub ratione entitatis, & quidditatis finitæ: ergo poſſunt comprehendi per cognitionem finitam. 230 *Confirmatur.*

Si dicas, indiuidua inter ſe conuenire vniuoce in vna natura ſpeciei, quæ finita, & limitata eſt, & ſimiliter ſpecies conuenire inter ſe in vna natura generis, quæ eſt vnius quidditatis finitæ, & ideo non mirum, quod per cognitionem vnam finitam omnia poſſit comprehendi. Omnia autem poſſibilia non conueniunt vniuoce in aliqua vna natura, ens enim creatum, quod tantum eſt illis ſuperius, non habet vnitatem vniuocam, ſed tantum analogam; vnde non eſt vna quidditas, ſed omnium quidditatum aggregatio; ac proinde vnam nequit terminare cognitionem. 231 *Dices.*

Sed contra; nam licet ens creatum eſſendo ſolum gaudeat vnitate analoga, in ratione tamen obiecti ſufficientem habet vnitatem, & vnam cognitionem terminare poteſt: ergo ſolutio eſt nulla. Probo antecedens; non obſtante vnitate tantum analoga, quam habet in ratione entis, habet in ratione cognoſcibilis ſufficientem vnitatem, vt vnam potentiam intellectiuam, & vnum habitum metaphyſicæ valeat terminare: ergo pariter ſufficientem vnitatem habet in ratione obiecti ad vnam terminandam, ſpecificandamque cognitionem. *Contra.*

232 *Secunda ratio diſcriminis in principali ſolutione aſſignata impugnatur.* Deinde contra eandem ſolutionem arguitur impugnando ſecundam rationem diſcriminis; nam licet verum ſit, quod collectio poſſibilium nequeat per modum ſpeciei vniri cum intellectu creato ad ſui ipſius cognitionem, nulla tamen poteſt implicationis ratio aſſignari vnius ſpeciei repræſentantis totam poſſibilium collectionem: ergo ex ſecunda ratione diſcriminis argumentum noſtrum non ſoluitur. Probo antecedens; ſi namque aliqua implicatio eſſet, maximè quia talis ſpecies deberet eſſe infinita ex infinitate obiecti: implicat autem ſpecies *entitatiuè* infinita; ſed ſpecies repræſentans totam collectionem poſſibilium non debet eſſe *entitatiuè* infinita: ergo nulla eſt implicatio.

Mi-

233 *Minor probatur.* Minor oſtenditur primo: ſola namque infinitas obiecti, in ratione quidditatis arguit infinitatem in ſpecie, ſicut ſola hæc infinitas infert infinitatem cognitionis, vt ex D. Thom. vidimus; at collectio poſſibilium, etſi coaleſcat ex quidditatibus infinitis multitudine, non eſt infinita in ratione quidditatis, ſeu quidditatiuè: ergo ex infinitudine collectionis poſſibilium, non ſequitur infinitas entitatiua in ſpecie illam repræſentante. *Secundo.* Secundo probatur: ſpecies repræſentans infinitas alicuius generis ſpecies, *entitatiuè* infinita non eſt, quia omnes continentur ſub genere quidditatiè finitæ, vt ex D. Thom. vidimus; ſed omnes creaturæ poſſibiles continentur ſub ratione analoga finita quoad quidditatem: ergo poſſunt omnes repræſentari per ſpeciem *entitatiuè* finitam. *Tertio.* Tertio: nam ſola ſpecies infinito modo repræſentans obiectum infinitum, accipit ab obiecto infinitatem; ſed ſpecies, quæ repræſentaret collectionem poſſibilium, non infinito, ſed finito modo illam repræſentaret: ergo non eſſet entitatiuè infinita.

234 *Vltimo probatur prima pars concluſionis.* Denique prima pars concluſionis probatur: nam eſto implicaret ſimul omnia poſſibilia per vnam cognitionem cognoſci; non tamen implicat omnia cognoſci ſimul per plures cognitiones: ergo non implicat omnia poſſibilia ab anima Chriſti cognoſci. Probo antecedens: nam ſpecies omnes contentæ ſub vno genere poſſunt repræſentari per vnicam ſpeciem finitam, vt ex D. Thom. vidimus: ergo omnes ſpecies contentæ ſub prædicamento ſubſtantiæ repræſentare poterunt per vnam ſpeciem finitam, & per aliam, quæ continetur ſub prædicamento quantitatis, & ſic de alijs: ergo per decem ſpecies poſſunt repræſentari omnes naturæ ſpecificæ, & omnia indiuidua contenta ſub decem prædicamentis; & conſequenter poterunt decem cognitionibus omnia cognoſci, cumque genera ſuprema non ſint plura, quam decem, poterunt decem cognitionibus omnia poſſibilia cognoſci; at licet naturaliter eſſe non poſſint plures cognitiones ſimul; ſupernaturaliter tamen, & de potentia abſoluta ſimul exiſtere poſſunt, elicique ab intellectu: ergo eſt poſſibile de potentia abſoluta omnia poſſibilia ſimul cognoſci ab intellectu creato.

235 *Confirmatur.* Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum: licet namque ſpecies poſſibiles *ſyncathegorematicè* ſint infinitæ; genera tamen ſuprema non ſunt *ſyncathegorematicè* infinita; ſed quodcumque genus cum omnibus ſuis ſpeciebus poteſt vnica ſpecie finita repræſentari; & conſequenter vna finita cognitione cognoſci: ergo omnes ſpecies poſſibiles; & idem de indiuiduis dicendum, poſſunt per ſpecies numero, & *entitatiuè* finitas repræſentari; & conſequenter per cognitiones finitas numero, & *entitatiuè*, poterunt omnia poſſibilia cognoſci, cumque ex alio capite non repugnet de potentia abſoluta coexiſtentia plurium cognitionum in eodem intellectu; ſequitur non implicare ſimul omnia poſſibilia cognoſci ab intellectu creato.

236 *Secunda pars concluſionis probatur ex D. Tho.* Deinde ſecunda pars concluſionis oſtenditur primo ex D. Thom. *q.20. de verit. art.5. ad 1.* verbis in primo argumento pro prima parte concluſionis relatis, quibus docet D. Thom. quod licet faciliùs eſſet omnium poſſibilium cognitio in ſe ipſis, quam cognitio quidditatiua Dei, addit: *Nunc autem ea, quæ poteſt facere Deus, non offeruntur animæ Chriſti in ſe ipſis, & ideo ratio non ſequitur,* quod ſcilicet, cognoſcantur. Sentit ergo D. Thom. quod licet non implicet omnia poſſibilia cognoſci, de facto tamen non cognoſci ab anima Chriſti, quia illi in ſe non offeruntur, hoc eſt, quia illi non repræſentantur. *Secundo probatur.* Secundo probatur: eſt enim inconueniens, quod plura obiecta cognoſcantur ab anima Chriſti per ſcientiam rerum extra Verbum, quam per cognitionem rerum in Verbo, ſed per hanc non cognouit totam collectionem poſſibilium: ergo nec per ſcientiam ſupernaturalem infuſam.

237 *Tertio.* Denique probatur; nam licet animæ Chriſti ratione coniunctionis ad Verbum ſit debita omnis perfectio poſſibilis, quæ illi abſque inconnaturalitate poteſt competere, quæ tamen illi conuenire non poteſt abſque inconnaturalitate, ei concedenda non eſt, niſi oppoſitum ſit reuelatum; ſed omnium poſſibilium cognitio non poteſt conuenire animæ Chriſti abſque inconnaturalitate: ergo illi attribuenda non eſt. Probatur minor; vel enim omnia poſſibilia pluribus actibus exiſtentibus ſimul cognoſcuntur, vel vnico: ſi primum cum intellectus non poſſit modo connaturali plura, vt plura ſimul intelligere, in connaturali modo omnia poſſibilia cognoſcuntur, hoc eſt, contra naturalem modum intelligendi intellectus, & contra naturalem modum exiſtendi cognitionis, quæ aliam ab ipſa diſtinctam, ipſi non ſubordinatam, petit à ſubiecto excludere. Si ſecundum, neceſſario requiritur vna ſpecies vniuerſaliſſima excedens vniuerſalitatem ſpecierum omnium Angelorum; vt autem docet D. Thom. anima Chriſti attento ſuo connaturali modo intelligendi petit ſpecies non adæquantes Angelicas in vniuerſalitate, vt enim loquit D. Th. *in hac q. art.6.* connaturale eſt animæ humanæ, vt recipiat ſpecies in minori vniuerſalitate, quam Angeli: ergo omnium poſſibilium cognitio non eſt animæ Chriſti poſſibilis, ſeruato modo connaturali intelligendi & conſequenter eſto poſſibilis ſit, non eſt illi concedenda.

Et ex his manet ſolutum argumentum, quod contra ſecundam partem concluſionis reſultare poterat ex dictis ſæpè in diſcurſu tractatus, videlicet, eſſe animæ Chriſti attribuendam omnem perfectionem poſſibilem, & cum maiori perfectione non incompatibilem; eſt enim intelligenda hæc doctrina de perfectione poſſibili ſeruato modo connaturali debito animæ rationali. Ex dictis etiam inter probandam ſecundam partem concluſionis, *& ſupra q. 20. diſp.34. §.6.* ad vltimum argumentum, colligitur plurium obiectionum ſolutio, quæ contra primam partem concluſionis poſſunt opponi. 238 *Chriſto eſt concedenda omnis perfectio poſſibilis, ſeruato tamen modo cõnaturali, & animæ rationali debito.*

---

§. Vltimus.

Occurritur argumentis in contra.

MODO aduerſus illam argumentari poſſumus primo ex D. Thom. *q.20. de verit. art 5. ad 4. ibi: Dicendum, quod ſicut non poteſt eſſe, quod ſit factum, quidquid Deus poteſt facere, quia ſic Deus feciſſet tot quot non poſſet plura, & ſic eius potentia eſſet limitata ad creatura actu exiſtentes: ita non poteſt poni, quod alicui creaturæ ſit manifeſtatum quidquid Deus poteſt facere, & manifeſtare.* Sed contradictionem implicat Deum de facto producere, quod producere poteſt: ergo iuxta D. Th. contradictionem inuoluit, quod Deus de facto manifeſtet intellectui creato quidquid poteſt facere, vel manifeſtare; & conſequenter implicat ab intellectu creato omnia poſſibilia cognoſci. 239 *Contra 1. partẽ concluſionis argumentum primo ex D. Th.*

Reſpondeo, D. Thom. in ſolutione adducta loqui de manifeſtatione omnium poſſibilium, de qua in corpore articuli probauerat eſſe impoſſibilem; quia ex illa ſequeretur comprehenſio omnipotentiæ; ſolum autem ex manifeſtatione omnium poſſibilium in Verbo infertur comprehenſio omnipotentiæ; ac per conſequens ſolam iſtam manifeſtationem negat poſſibilem in ſolutione argumenti, non vero manifeſtationem omnium poſſibilium extra Verbum, cuius poſſibilitatem in noſtra concluſione defendimus. 240 *Reſpõdet.*

Secundo arguitur; cognitio ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ, non poteſt eſſe cognitio ſui ipſius, vt poſſibilis: ergo non poteſt vnica cognitione tota poſſibilium collectio extra Verbum cognoſci. Conſequentia eſt euidens; nam hæc cognitio continetur ſub tota collectione poſſibilium: ergo ſi nequit ad ſe ipſam terminari, nequit cognitio terminari ad totam poſſibilium collectionem. Antecedens autem oſtenditur primo; vt enim docuimus *quæſt. præcedenti diſput.34 §.6.* obiectum cognitionem ſpecificans, debet realiter ab illa diſtingui, eo quod ſpecificare eſt cauſare; inter cauſam autem, & effectum, realis debet intercedere diſtinctio; nihil enim poteſt realiter à ſe ipſo dependere; ſed ſi cognitio ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ eſſet cognitio ſui in ratione poſſibilis, eſſet ſui obiectum primarium; & conſequenter ſpecificaret, & cauſaret ſe ipſam; enim cognitio ſcientiæ infuſæ petat ad ſua obiecta in ſe ipſis terminari, ad differentiam cognitionis rerum in Verbo, quæ non ad res in ſe ipſis, ſed in Verbo terminatur: ergo nequit eſſe ſui, vt poſſibilis cognitio. Secundo; non enim poteſt cognitio eadem *entitatiuè* eſſe directa, & reflexa; ſed ſi eſſet ſui, vt poſſibilis cognitio, eſſet reflexa, & directa quidem penes ordinem ad obiecta à ſe diſtincta: reflexa per terminationem ad ſe; nam cognitio reflexa eſt cognitio cognitionis, directa autem eſt rei cognitio: ergo cognitio ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ nequit ad ſe ipſam, vt poſſibilem terminari, vel eſſe ſui ipſius, vt poſſibilis cognitio. 241 *Secundo arguitur.* *Antecedens probatur 1.* *Secundo.*

Reſpon-

242 *Reſpondetur ad 1. antecedentis probationem.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad cuius primam probationem reſponderi poteſt dupliciter. Primo, quod licet non poſſit cognitio poſſibilium ad ſe in ſe ipſa immediatè terminari, ob rationem in argumento aſſignatam; poteſt tamen terminari ad ſe ipſam, non in ſe, ſed in ſua cauſa creata, ſcilicet, creato intellectu, qualiter ad ſe terminari non repugnat, cognitio namque Angeli, per quam propriam ſubſtantiam cognoſcit ad ſe ipſam, vt poſſibilem terminatur, non immediatè, ſed mediatè, mediante, ſcilicet, ſubſtantia primario cognita, & intellectu cognito in ipſa ſubſtantia. Et ratio eſt; quia cognitio in alio cognita non ſpecificat, nec cauſat, ſui cognitionem in alio.

Ad 2. Et iuxta hanc ſolutionem, ad ſecundam probationem dicatur, quod licet repugnet, quod cognitio eadem *entitatiuè* ſit directa, & reflexa, reflexione ſupra ſe immediata, non tamen repugnat, eſſe reflexam reflexione mediata, ſcilicet, mediante alio principio cognito, in quo ipſa cognitio cognoſcatur ob rationem aſſignatam.

243 *Secundo reſp. ad 1. antecedentis probationem.* Vel ſecundo reſponderi poteſt, diſtinguendo maiorem: inter obiectum adæquatum cognitionis, & cognitionem ipſam, debet realis diſtinctio intercedere, concedo maiorem: inter partem obiecti adæquati, & cognitionem, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam; nam cognitio ad totam poſſibilium collectionem terminata, non ſe reſpiceret vt obiectum adæquatum, ſed tanquam partem obiecti; ac proinde poteſt ad ſe ipſam ſine reali diſtinctione terminari; pars enim eſt propter totum in genere cauſæ finalis; totum autem ex ipſa parte componitur; & conſequenter pars finalizata, eſt pars cauſæ ipſam finalizantis, non autem requiritur maior diſtinctio inter cognitionem, & obiectum, quà inter effectũ & ſui cauſam finalem: ergo ſi poteſt effectus cauſæ finalis eſſe pars ipſius cauſæ, poterit etiam cognitio eſſe pars obiecti ſui adæquati. Et quidem cognitio entis, vt ſic, confuſe ſaltem ad ſe ipſam, vt partem ſui obiecti terminatur: ergo poterit expreſſe; non enim maior petitur diſtinctio inter obiectum, & ſui cognitionem expreſſam, quam inter obiectum, & ſui cognitionem confuſam.

244 *Ad 2.* Ad ſecundam probationem dicatur, quod ſi propriè de cognitione reflexa loquamur, ſolum illa poteſt dici, quæ eſt cognitio cognitionis in ſe, & ratione ſui ſecundum ſuam vltimam differentiam: cognitio autem totius collectionis poſſibilium non eſt ſui cognitio ſecundum ſuam vltimam differentiam vt *quo & reduplicatiuè*; non enim à differentia ſui entitatiua vt *quo*, ſumit ſpecificationem, ſed à ratione entis toti collectioni communi, & ideo *propriè* cognitio reflexa non eſt: quod autem *largè* cognitio reflexa ſit, & *ſtrictè* directa, nullam repugnantiam dicit ob rationem aſſignatam.

245 *Tertio arguitur.* Tertio arguitur. vt enim cum communi ſententia Thomiſtarum in Proœmialibus Logicæ aſſeruimus, nec habitus adæquare poteſt extenſionem potentiæ, nec actus extenſionem habitus; & conſequenter, nec potentiæ amplitudinem poterit adæquare; ſed totum ad quod poteſt intellectus noſter extendi, eſt omnium poſſibilium collectio: ergo hanc nequit ſub ſe continere vnus actus, & conſequenter implicat, totam poſſibilium collectionem vnica cognitione cognoſci.

Reſpondetur. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: quoad obiecta cognita, nego maior. maiorem: quoad rationem formalem cognoſcendi, concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam; nam intellectus omne ens poſſibile cognoſcere poteſt ſub diuerſis rationibus formalibus cognoſcendi, nempe, ſub ratione entis, tanquam ratione *ſub qua*, ſub ratione ſubſtantiæ, ſub ratione viuentis, animalis, hominis v.g. & iſto modo non poſſunt per vnam cognitionem cognoſci; nam eo ipſo, quod varietur ratio formalis *ſub qua* cognitionis, eſſentialiter variatur cognitio; ac proinde vnus actus non poteſt adæquare potentiam quoad rationes obiectiuas cognoſcendi, quod autem cum illa adæquetur, quantum ad obiecta cognita, nullum inconueniens eſt, ſicut nec in eo, quod habitus metaphyſicæ ab ente in communi ſpecificetur; & conſequenter, quod ad omne ens ſub ratione entis terminari poſſit, inconueniens aliquod inuenitur.

246 *Quarto arguitur.* Quarto arguitur; cognitio quidditatiua totius collectionis poſſibilium, neceſſario eſt infinita; ſed implicat infinita cognitio: ergo implicat totam collectionem poſſibilium vna cognitione quidditatiua cognoſci.

Antecedens prob. 1. Antecedens oſtenditur primo, nam cognitio ſpeciem accipit ab obiecto: ergo ab obiecto infinito accipit infinitatem.

Secundo. Secundo; nam eſto cognitio non adæquata cum obiecto infinito, non ſit neceſſario infinita, quę tamen adæquatur cum illo, neceſſario eſt infinita: vnde licet cognitio non adæquata cum Deo, finita, & limitata ſit, quæ tamen cum diuina eſſentia in ratione intelligibilis adæquatur, infinita eſt ſecundum eſſentiam; ſed cognitio quidditatiua totius collectionis poſſibilium eſt adęquata infiniti cognitio: ergo debet eſſe infinita. Minor probatur; cognitio comprehenſiua adæquatur cum obiecto comprehenſo; ſed cognitio quidditatiua collectionis poſſibilium eſt cognitio comprehenſiua; ergo eſt cognitio adęquata. Probatur minor; cognitio quidditatiua totius collectionis poſſibilium in Verbo eſt comprehenſiua omnium poſſibilium *collectiuè*, vt vidimus *q. præcedenti diſp. 34.* ergo pariter cognitio quidditatiua totius collectionis poſſibilium extra Verbum, erit comprehenſio omnium poſſibilium *collectiuè* in ſe ipſis.

247 *Reſpondetur ad 1. probationem antecedentis.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; nam infinitum obiectum cognitum efficacia finita, non transfert infinitatem in actum; cognitio autem totius collectionis poſſibilium non gaudet efficacia infinita, & ideo infinita non eſt, quamuis ad obiectum infinitum terminetur. Ita D. Thom. *q. 20. de Veritat. art. 4. ad 2. & 3.*

Ad 2. reſpond. 1. Ad ſecundam probationem reſpondeo dupliciter. Primo, diſtinguendo maiorem: cognitio adæquata cum obiecto infinito per eſſentiam, concedo maiorem: cognitio adæquata cum obiecto finito ſecundum eſſentiam, & aliter infinito, v.g. multitudine, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Quæ ſolutio eſt D. Thomæ *q. præcedenti art. 3. ad 2. & quæſt. 20. de Veritate art. 4.* illis verbis: *Dicendum, quod comprehenſio infiniti, videlicet; per eſſentiam, non poteſt eſſe, niſi per actionem, quæ ſit efficacia infinita; tunc enim ipſe Deus comprehenditur ab intellectu aliquo, quando intellectus tantam habet efficaciam in intelligendo, quantam habet Deus, vt intelligatur. Vnde non poteſt comprehendi, niſi ab intellectu increato; ſed cognitio infinitorum non requirit efficaciam infinitam intellectus, vt ex dictis patet, & ideo ratio non ſequitur.* S. Th. Rationem autem diſcriminis dedit D. Th. *3. p. loc. cit.* Noſque ex ipſo illam deduximus in noſtræ concluſionis probatione.

248 *Secundo reſpond.* Secundo reſpondeo, prętermiſſa maiori, negando minorem: ad illius probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam ad rei comprehenſionem non ſufficit cognitio illius ſecundum formalia, & eminentialia contenta virtualiter, niſi hæc in illa, aut in cauſa ipſam eminenter continente cognoſcantur, vt conſtat in Angelo inferiori, quem nihil latet ex his, quæ in ſuperiori ſunt eminenter, aut formaliter, & tamen illum non comprehendere, eſt probabilis multorum Thomiſtarum ſententia, eo quod illa, quæ in ſuperiori virtualiter continentur, non cognoſcuntur ab Angelo inferiori in Angelo ſuperiori, nec in aliquo eminenter Angelum ſuperiorem continente, ſed immediatè in ſe ipſis: quia ergo cognitio poſſibilium in Verbo terminatur ad effectus poſſibilium in cauſa continente eminenter res poſſibiles, quæ ſunt cauſæ; fit conſequens, quod ſit omnium comprehenſio, eſto effectus vnius rei poſſibilis, v.g. hominis, non cognoſcat in ipſo homine cognito; cognitio autem omnium poſſibilium extra Verbum, petit taliter ad illa terminari, quod effectus, v.g. hominis, non in homine, ſed in ſe ipſis attingat, & ſic de alijs, & cum alias non terminetur ad illa in cauſa ſuperiori eminenter continente, poteſt omnium eſſe cognitio, quin illorum ſit comprehenſio.

249 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur; non ſtat vnitas cognitionis abſque vnitate ſpeciei; ſed implicat vna ſpecies repræſentans omnia poſſibilia *quidditatiuè*: ergo implicat omnia poſſibilia vna cognitione quidditatiua cognoſci. Illatio eſt legitima.

Minor prob. 1. Maior conſtat ex D. Th. *1. p. q. 58. art. 2.* vbi docet, ea poſſe vna cognitione cognoſci, quæ per vnam ſpeciem repręſentari poſſunt. Minor autem oſtenditur primo, vt enim docet D. Thom. *3. Contra Gentes cap. 49. ratione 4.* omnis intelligibilis ſpecies, per quam intelligitur, v.g. quidditas, vel eſſentia alicuius rei, comprehendit in repręſentando rem illam; ſed implicat vna ſpecies comprehenſiua totius collectionis poſſibilium; nam ſpecies adæquata infiniti, infinita debet eſſe, ſpecies autem comprehenſiua eſt ſpecies adæquata; & conſequenter ſi ſit obiecti infiniti, oportet vt ſit infinita, quod implicat in ſpecie

recta: ergo implicat vna ſpecies repræſentans *quidditatiuè* totam collectionem poſſibilium.

250 *Secundò.* Secundò; quia vt docet D.Th. *ibidem ratione ſecunda, & prima par. q.*1 2.*art.*2. ſpecies quidditatiua eſt eiuſdem ſpeciei, vel ipſa ſpecies obiecti, ſed implicat vna ſpecies, quæ ſit eiuſdem ſpeciei cum tota collectione poſſibilium: ergo implicat vna ſpecies illam *quidditatiuè* repræſentans. Probatur minor; nam talis ſpecies eſſet, & non eſſet infinita; hoc implicat: ergo implicat vna ſpecies, quæ ſit eiuſdem ſpeciei cum tota collectione poſſibilium. Probatur maior; in primis namque infinita non eſſet, non enim eſt dabile in creatis aliquod infinitum in actu, deinde eſſet infinita; eſſet namque eiuſdem quidditatis cum tota poſſibilium collectione, ſed collectio poſſibilium eſt infinita: ergo ſpecies illam repræſentans *quidditatiuè* eſt actu infinita.

251 *Reſpondetur. Ad* 1. *probationem minoris reſp.* 1. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius primam probationem reſpondeo primo, D.Th. nomine comprehenſionis non intellexiſſe ſtrictam comprehenſionem, ſed *largè* illam accepiſſe pro continentia repræſentatiua omnium prædicatorum, quæ formaliter obiecto conueniunt, ſicut *ſecunda Contra Gentes cap.*98. vbi de Angelis loquens ſic ait: *Ex hoc autem, quod ſubſtantia aliqua eſt intellectualis, eſt comprehenſiua totius entis.* Quæ doctrina D.Th. à pluribus ex noſtris accipitur de comprehenſione *largè* pro cognitione quidditatiua, per quam omnia, quæ obiecto conueniunt formaliter, cognoſcuntur. *Secundo reſpond.* Secundò admiſſa maiori, vt iacet de repræſentatione perfectè comprehenſiua, nego maiorem. Ad cuius probationem conſtat ex dictis, nam doctrina aſſumpta eſt vera de infinito per eſſentiam, falſa autem de infinito multitudine, & quidditatis finitæ ob rationem ex D.Th. iam traditam, loquendo de cognitione.

252 *Ad* 2. *probationem minoris.* Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, nego minorem: Ad cuius probationem, nego maiorem; non enim ſequitur, eſſe infinitam ex infinitate obiecti. Tùm, quia illud modo finito repræſentat, vt autem ex obiecto infinito, infinitas deriuetur ad ſpeciem, debet modo infinito, infinitaque efficacia erga tale obiectum verſari, vt in ſimili loquendo de cognitione vidimus ex D Thom. conſtatque in actu attingente infinitum obiectum, à quo tamen infinitam dignitatem moralem non accipit, quia vis transfuſiua obiecti impeditur, ne infinitatem transfundat ex limitatione connatus, virtutiſque operatiuè. Tùm etiam, quia omnia poſſibilia repræſentantur ab ſpecie, vt ſtant ſub ratione, & quidditate, *quidditatiuè* finita, cuius oppoſitum neceſſarium erat, vt infinitas obiecti transfunderetur in ſpeciem, vt in ſimili de cognitione dicebamus.

253 *Inſtabis* 1. Sed obijcies primo; non ſtat Deum *quidditatiuè* contineri in ſpecie finito modo ipſum repræſentante; quia Deus infinitus eſt; ſed collectio poſſibilium eſt infinita: ergo nequit contineri *quidditatiuè* in ſpecie modo finito repræ- *Secundò.* ſentante ipſam. Secundò; quia Deus infinitus eſt, nequit repræſentari, aut cognoſci *comprehenſiuè*, niſi per ſpeciem, cognitionem, & principium efficaciæ infinitæ; ſed tota poſſibilium collectio eſt infinita: ergo nequit repræſentari, aut cognoſci *comprehenſiuè*, niſi per ſpeciem, principium, & co- *Tertiò.* gnitionem habentia efficaciam infinitam. Tertiò; vis *ſyncathegorematicè* infinita, non poteſt competere, niſi enti infinito in actu; ſed talis ſpecies haberet vim *ſyncathegorematicè* infinitam, cum poſſet eſſe principium cognitionum ſine fine erga omnia poſſibilia: ergo eſt actu *entitatiuè* in- *Quartò.* finita. Denique; nam quod obiecto conuenit in modo eſſendi naturali, conuenit ſpeciei in modo intelligibili, & intentionali; ſed collectio poſſibilium coaleſcit ex infinitis quidditatibus in modo eſſendi naturali: ergo ſpecies quidditatiua illius continet intentionaliter, & in eſſe repræſentatiuo (quod intrinſecum eſt ſpeciei) infinitas quidditates, & conſequenter eſt, ſaltim in eſſe repræſentatiuo, intrinſecè actu infinita.

254 Reſpondeo ad primam obiectionem, explicando cauſalem maioris; quia infinitus eſt in ratione quidditatis, concedo maiorem: quia infinitus eſt *vtrumque*, nego maiorem *Ad* 1. *inſtantiam reſpond.* & diſtinguo minorem: eſt infinita in multitudine, concedo minorem: infinita in ratione quidditatis, nego minorem, & conſequentiam. Ratio autem diſcriminis inter vtrumque genus infinitis eſt duplex. Prima; quia ſpecies quidditatiua debet eſſe eiuſdem immaterialitatis cum obiecto, ſaltim quoad gradum, vt cum D Th. fusè oſtendimus 1.*p.q.*1 1.*ar.*2. implicat autem ſpeciem finitam conuenire in gradu immaterialitatis tam Deo; quia gradus immaterialitatis diuinæ excludit, nedum materiam phyſicam, verum etiam metaphyſicam, quæ excluſio nulli enti finito competere poteſt; & ideo nulla entitas finita poteſt Deum *quidditatiuè* repræſentare, non vero repugnat entitati finitæ, cum tota collectione poſſibilium (quamuis ſit infinita in multitudine) in gradu immaterialitatis conuenire; & ideo non eſt repugnantia in hoc, quod tota poſſibilium collectio, *quidditatiuè* repræſentetur per ſpeciem *repræſentatiuè* finitam. Secunda diſcriminis ratio eſt; nam ſpecies quidditatiua petit vniuocam conuenientiam cum obiecto in ratione repræſentatiui, quod prædicatum eſt intrinſecum ſpeciei; repugnat autem entitati finitæ *vniuocè* conuenire cum Deo in aliquo prædicato ſibi intrinſeco; non vero repugnat entitati finitæ conuenire *vniuocè* in ratione repræſentatiui cum infinito multitudine, & quidditatis finitæ; & ideo repugnat ſpeciem *entitatiuè* finitam, infinitum per eſſentiam repræſentare *quidditatiuè*; non autem illi repugnat quidditatiua repræſentatio obiecti infiniti multitudine, & finitæ quidditatis.

255 *Ad* 2. Ad ſecundam, diſtinguo eodem modo maiorem, quia infinitus eſt per eſſentiam, & in ratione quidditatis, concedo maiorem ex communi infinitatis conceptu, nego maiorem & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis (præter illas, quas *proximè* aſſignabamus) eſt; nam ad rei comprehenſionem petitur tanta cognitionis perfectio, quanta exigitur ex intrinſecis obiecti; obiectum autem *quidditatiuè* infinitum petit ab intrinſeco cognitionem efficaciæ infinitæ, & ſpeciem *quidditatiuè* infinitam; ac proinde non niſi in ſpecie *quidditatiuè* infinita poteſt *comprehenſiuè* contineri, nec niſi per cognitionem efficaciæ infinitæ poteſt intelligibiliter comprehendi; cæterum obiectum *quidditatiuè* finitum, & ſolum infinitum in ratione multitudinis, non petit ſpeciem *quidditatiuè* infinitam, quia *quidditatiuè* eſt finitum, nec ſpeciem infinitam in ratione multitudinis non enim petitur proportio inter ſpeciem, & obiectum in ratione multitudinis; aliàs plura obiecta, non poſſent vna ſpecie repræſentari, quod falſum eſt in doctrina D.Th. nullam ergo petit infinitatem in ſpecie; ac proinde poteſt per ſpeciem *entitatiuè* finitam *comprehenſiuè* repræſentari.

256 *Ad* 3. *reſpond.* 1. Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem: ad illius probationem dicatur omnes illas cognitiones poſſibiles contineri æquiualenter in vna cognitione finita, qua poſſet intellectus animæ Chriſti omnia obiecta prædictarum cognitionum attingere: & ideo vis ſpeciei ad omnes illas *ſyncathegorematicè* infinita non eſt. Et inſtatur argumentum in Angelo, qui vna ſpecies genus aliquod comprehendit; & conſequenter poſt per modum principij influere in cognitiones omnium ſpecierum, quæ ſub genere continentur, quæ cum infinitæ ſint, poſſunt cognitiones *ſyncathegorematicè* infinitas repræſentare. Vel dicatur; omnes illas *Secundò.* cognitiones materialiter ſolum differre eo quod omnia obiecta vna ſpecie repræſentata, ſub ratione formali ſpecifica vna attinguntur; ac proinde vis ſpeciei ad prædictas cognitiones *ſyncathegorematicè* infinita non eſt. Ad quartam *Ad quartam.* conceſſis maiori, & minori, & prima conſequentia, nego ſecundam; nam licet contineat in eſſe repræſentatiuo, & intentionali infinitas quidditates poſſibiles: quia tamen illas continet ſub ratione quidditatis finitæ, & modo finito, ideo *intrinſecè* infinita non eſt, ſed tantum *extrinſecè*: Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſter *M. Sent.* *in* 3. *diſtinct.* 14. ad illa verba: *Omnia ſcire, quæ Deus ſcit.*

DISPV-

DISPVTATIO TRIGESIMASEXTA.

Vtrùm anima Chriſti per ſcientiam infuſam Myſterium Trinitatis cognouerit euidenter?

§. I.

Relatis ſententijs ſtatuitur prima concluſio.

1 *Prima ſententia. Vazq. Siluius. Gaſpar Hurt.* IN Hac Diſputatione quatuor verſantur ſententiæ. Prima docet, nec vt Vnum, nec vt Trinum fuiſſe ab anima Chriſti Deum cognitum per huiuſmodi ſcientiam. Hanc tenent Vazquez *in præſenti diſp.53.cap.2.* Siluius *in hac q. art. 1.* & Gaſpar Hurtado *diſ 11.diffic.11.*

2 *Secunda. Lorca.* Secunda ſententia docet, Deum vt vnum ſub hac ſcientia contineri; & conſequenter fuiſſe per illam ab anima Chriſti cognitum; non autem vt Trinum. Hanc tenet Lorca *in præſenti diſputat. 50. num.7 8. & 9.* *Tertia. Scotus. Caſtilla.* Tertia per extremum affirmat, Deum vt Trinum, & Vnum cognoſci ab anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, cogni ione euidenti quidditatiua abſtractiua. Hæc tribuitur Scoto *in 2. diſtinct. 3:* Illam tenet Franciſcus del Caſtillo *in præſenti diſp. 15. q.4 n.1.*docens,eſſe Scotiſtis communem.

3 *Quarta, & vera ſententia. Capreol. Ferrar. Caiet. Medin. Aluar. Nazar. Araujo. Corneio. Zippul. Suar. Raguſa. Amicus. Cabrer.* Quarta, & vera ſententia defendit, Deum vt Trinum, & Vnum cognoſci ab anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, cognitione euidenti quoad *an eſt*, non autem quidditatiua. Hanc tenent Capreolus *in 3. diſt.14. q.1.art.3.circa finem*, Ferrara 3. *Contra Gentes cap.82.§.Ad id quod vltimo*, Caietanus *in præſenti art.1. notabili 2.*Medina *in ſolutione ad 5.*Aluarez *diſp.62.* Nazarius *controuerſia vnica quaſt.6.* Araujo *dub.2.concluſione 5.* Cornejo *diſput.2.dub.2.* Zippullus *dub.7.* & cæteri Recentiores Thomiſtæ. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *diſputatione 27 ſectione quinta*, Raguſa *diſputatione 94.* Amicus *diſput.20. ſect.1.* & alij Recentiores eiuſdem familiæ communiter. Tenent etiam plures alij, quos refert, & ſequitur Cabrera *in hac quaſt. art.1.diſput.5. & 8.* Licet autem omnes iſti Auctores in ſententia conueniant, in aſſignando medio talis cognitionis diſſident. Medina, Aluarez, & Suarez docent, eſſe ſolum teſtimonium diuinum, non obſcure, ſed euidenter
4 cognitum. Alij, quos refert Cabrera *diſp.7.* tenent in affectibus naturalibus cognoſci euidenter Trinitatis myſterium. Alij in ſupernaturalibus. Alij denique immediatè in ſe ipſo fuiſſe cognitum Trinitatis Myſterium per ſpeciem immediatam Dei, non *quidditatiuè*, ſed quoad *an eſt*, vel quia eſt, Trinitatem repræſentantem. Ita Nazarius *concl. vlt.* Veram ſententiam ſequentibus aſſertionibus explico.

5 *Prima concluſio.* Prima ſit. *Anima Chriſti non cognouit per ſcientiam ſupernaturalem infuſam Dei eſſentiam quidditatiuè abſtractiuè.* Ita Theologi frequenter, præter Diſcipulos Scoti & ſuadetur primo; cognitio enim non intuitiua Dei petit ſpeciem creatam Dei repræſentatiuam; nam quæ fit mediante diuina eſſentia vnita per modum ſpeciei, neceſſario eſt intuitiua; ſed implicat ſpecies creata quidditatiua Dei ergo implicat cognitio quidditatiua Dei; & conſequenter anima Chriſti non cognouit Dei eſſentiam quidditatiuè abſtractiuè.

6 *Minor probatur 1.* Minor, in qua ſola eſt poſita difficultas, multis oſtenditur à Thomiſtis 1.p.q.13 *art.2.* & breuiter ſuadetur primo ex D.Th.*loco vbi proximè*, & 3.*Contra Gentes c 49.ratione* 2.nam ſpecies quidditatiuè repræſentans obiectum, debet eſſe eiuſdem ſpeciei, vel magis ipſa quidditas obiecti in eſſe repræſentatiuo, ſicut forma domus quę in mente Artificis eſt, eſt eiuſdem ſpeciei cum forma domus, quæ eſt in materia, vel potius ſpecies eius; ſed implicat forma creata, quæ ſit eiuſdem ſpeciei cum diuina natura, vel ipſa quidditas Dei, etiam in modo eſſendi intentionali, & intelligibili: ergo implicat ſpecies creata quidditatiuè Dei eſſentiam, vel naturam repræſentans. Secundo; nam repræſentatio, vel fundatur in dependentia, vel in conuenientia cum obiecto repræſentato; ſed repræſentatio ſpeciei non fundatur in dependentia: hæc enim eſt propria ſigni inſtrumentalis, ſpecies autem non inſtrumentaliter, ſed formaliter repræſentat: ergo fundatur in conuenientia ſpeciei cum obiecto, quod repræſentat: ergo ad repræſentandam rationem genericam, exigitur conuenientia generica, & ad repræſentandam rationem ſpecificam, ſpecifica conuenientia requiritur; ſed implicat forma creata *ſpecificè* cõueniẽs cum Deo ergo implicat forma creata repræſentans quidditatem, vel eſſentiam diuinam. *Secundo.*

Tertio, nam ſpecies, vtpote virtus obiecti, debet cum il-
7 lo conuenire in gradu immaterialitatis, ſicut potentiæ operatiuæ, quia ſunt virtutes naturæ radicaliter operatiuæ, in gradu immaterialitatis conueniunt cum illa, v.g. intellectus, & voluntas Angeli, ſunt eiuſdem gradus immaterialitatis cum Angelo, intellectus, & voluntas animæ rationalis, cum illa in grado immaterialitatis conueniunt; ſed implicat forma creata cum Deo conueniens in gradu immaterialitatis; gradus enim immaterialitatis diuinæ conſiſtit in excluſione materiæ phyſicæ, & metaphyſicæ, & totius potentialitatis, quæ excluſio omni formæ creatæ, & creabili repugnat; omnis enim entitas creata potentia is eſt ad eſſendum: ergo implicat forma creata Dei eſſentiam *quidditatiuè* repræſentãs. Deniq; probatur; non enim minor proportio, ſeu conuenientia requiratur inter ſpeciem quidditatiuam, & obiectum, quam inter potentiam connaturaliter intellectiuam, & obiectum intelligibile; ſed implicat potentia creata connaturaliter intellectiua Dei *quidditatiuè*: ergo implicat ſpecies creata repræſentatiua Dei *quidditatiuè*. *Tertiò. Quartò.*

8 *Secundo probatur concluſio.* Secundo probatur concluſio; non ſtat cognitio quidditatiua Dei, quę ipſius intuitiua non ſit, ſed Chriſtus per ſcientiam infuſam non cognouit, nec potuit cognoſcere Dei eſſentiam *intuitiuè*, vt fatetur Scotus: ergo nec *quidditatiuè*. Maior probatur, cognitio terminata ad rem exiſtentem ſub exercitio exiſtentiæ, eſt intuitiua cognitio; ſed omnis cognitio quidditatiua Dei, neceſſario terminatur ad ipſum, vt exiſtentem ſub exercitio exiſtentiæ: ergo omnis cognitio quidditatiua Dei, neceſſario eſt intuitiua; & conſequenter non ſtat cognitio Dei quidditatiua, & non intuitiua. Minor probatur, cognitio quidditatiua Dei, neceſſario terminatur ad omne prædicatum competens ipſi eſſentialiter; ſed exiſtentia, vt exercita eſſentialiter conuenit Deo: ergo cognitio omnis quidditatiua Dei, neceſſario terminatur, ad ipſum, vt exiſtentem.

Huic argumento reſpondent Scotiſtæ primo: ad ratio-
9 *Prima ſolutio Scotiſtarum.* nem notitiæ intuitiuæ non ſufficere terminari ad rem exiſtentem ſub exercitio exiſtentiæ, ſed inſuper exigi, quod ab obiecto immediatè, & per ſe ipſum dependeat, & quia cognitio quidditatiua, quam Scotus admittit, non dependet immediatè à Deo, ſed mediante ſpecie realiter à Deo diſtincta, fit, vt quamuis terminetur ad Deum, vt exercite exiſtentem, cognitio Dei intuitiua non ſit. Quam ſolutio-

Scotus. nem colligunt ex Scoto in *ſecundo diſt.5.q.11.§. Reſpond. diſt.9.q.2.ad 3.in 3.diſt.14.q.3.§. Ad q.verſu Et ſi dicatur in 4 diſt.45.q.2.§. Ad q.& diſt.49.q.11.§. Reſpondeo*, verſu *Præterea*.

10 Reijcitur primò. Hæc tamen ſolutio alijs diſcipulis Scoti diſplicuit, illãque reijciunt ex doctrina Scoti in 1 *diſtinct.3.q.6.alias 7 §. Contra iſtam opinionem,& q.7.alias 8.§. Concluſio iſta*, verſu *Sed contra* 2.in 2. *diſt.9.q.1.§. Ad q.* verſu *Poſt hæc tria,& diſt.13.q.vnic per totam*, vbi docet, cognitionem ſenſuum externorum fieri per ſpeciem ab obiecto diſtinctam, ſed iuxta eundem Scotum *in 2.diſt.3.q.9.§. Ad q.* cognitio ſenſuum externorum, maximè intuitiua eſt: ergo de ratione notitiæ intuitiuæ non eſt, quod ab obiecto cognito immediatè dependeat. Secundò. Deinde reijcitur; ſequitur namque ex illa nullius obiecti dari in intellectu, pro ſtatu coniunctionis cum corpore, intuitiuam notitiam, cum à nullo, ſaltim pro hoc ſtatu, poſſit noſter intellectus immediatè dependere, ſed medijs ſpeciebus abſtractis à phantaſmatibus: ergo de ratione notitiæ intuitiuæ non eſt, quod ab obiecto immediatè, & per ſe ipſum dependeat, ſed ſufficit, quod ad illud, vt exiſtens ſub exercitio exiſtentiæ terminetur. Tertiò. Tertio reijcitur; notitia enim intuitiua diffinitur: *Quod eſt notitia rei præſentis, vt præſentis*: ergo quidquid vltra additur, voluntariè exigitur ad rationem intuitiuæ notitiæ.

11 Secundò reſpond. Caſtillo. Secundo reſpondet Franciſcus del Caſtillo *vbi ſupra* ex Theodoro Smiſingo *1.p.lib. de Deo vno tr. 2.diſ.6.q.2.n.13.* Ad rationem notitiæ intuitiuæ, præter hoc, quod eſt terminari ad rem exiſtentem, requiri, quod procedat ab ſpecie, quæ nata ſit nata, eodem modo manere, præsente, & abſente obiecto: ſpecies autem creata Deum *quidditatiuè, abſtractiuè* repræſentans, nata eſt eodem modo manere præſente, & abſente Deo, vel exiſtente, aut non exiſtente; & ideo notitia in virtute illius elicita intuitiua Dei non eſt.

12 Si eis obijciatur. Si opponas; Deo nõ exiſtente, deſtruendã fore illam ſpeciem; ac proinde falſum eſt eodem modo manſuram Deo exiſtente, & non exiſtente. Reſpondent. Reſpondent præfati Auctores: antecedens eſſe verum ex communi conceptu dependentiæ creaturarum à Deo, non ex conceptu ſpeciali, & hoc eſt quod ipſi negant.

13 Contra 1. Sed contra primo; nam præter hoc quod eſt, eſſe notitiã rei præſentis, vt præſentis, quod ponitur in diffinitione intuitionis, quidquid aliud additur, voluntarie exigitur ad rationem notitiæ intuitiuæ; ſed notitia quidditatiua Dei terminatur ad ipſum, vt præſentem, & exiſtentem: ergo etſi conditio quam ipſi petunt non adſit, neceſſario eſt intuitiua Dei notitia.

14 Secundo. Secundo; nam deſitio, vel deſtructio ſpeciei quidditatiuæ Dei, à priori infertur ex non exiſtentia ipſius, ex peculiari prædictæ ſpeciei conceptu: ergo falſum eſt, eſſe natam eodem modo ſe habere, Deo exiſtente, & non exiſtente. Conſequentia ipſis aduerſarijs eſt nota. Antecedens autem probatur; ex defectu prædicati eſſentialis obiecto ſpeciei, prout eſt eius obiectum, à priori colligitur non eſſe, vel deſtructio ſpeciei ſecundum peculiarem conceptum illius; ſed negata Deo exiſtentia, deficit prædicatum eſſentiale Deo, prout eſt obiectum ſpeciei quidditatiuæ ſui: ergo non eſſe, vel deſtructio iſtius ſpeciei, ſecundum peculiarem eius conceptum, à priori infertur ex non exiſtentia Dei. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur; obiectum ſpeciei quidditatiuæ Dei, eſt Deus ipſe ſub ratione quidditatis: ergo quod eſt de eſſentia quidditatis diuinæ, eſt de eſſentia Dei, prout eſt obiectum ſpeciei; ſed exiſtentia, vt exercita, eſt de eſſentia quidditatis, & eſſentiæ diuinæ: ergo eſt de eſſentia Dei, vt eſt obiectum ſpeciei quidditatiuæ ſui; & conſequenter negata exiſtentia, vel Deo non exiſtente, deeſt prædicatum Deo eſſentiale, prout eſt obiectum ſpeciei quidditatiuæ ipſum repræſentantis.

15 Tertio reſponderi poteſt. Tertio reſponderi poteſt, negando maiorem. Ad probationem, concesſa maiori, negando minorem: ad illius probationem, conceſſa maiori de cognitione quidditatiua adæquata, & negata de cognitione quidditatiua inadæquata: & conceſſa minori, diſtinguendo conſequens diſtinctione maioris; tantum enim infertur cognitionem adæquatam quidditatiuam Dei, terminari ad ipſum ſub exercitio exiſtentiæ; non vero illam, quæ licet quidditatiua ſit eſt tamen inadæquata.

16 Contra. Sed nec iſta ſolutio ſatisfacit; nam omnis cognitio quidditatiua Dei terminatur ad ipſum, prout à creaturis diſtinctum; alias non Dei, ſed prædicati Deo, & creaturis communis erit quidditatiua cognitio; ſed Deo vt à creaturis diſtinguitur, eſſentialis eſt exiſtentia, vt exercita, vel *conſtitutiuè*, vel ſaltim incluſione eſſentiali: ergo implicat cognitio quidditatiua Dei ab illius exiſtentia, vt exercita præſcindens; & conſequenter, quæ intuitiua cognitio non ſit, ad quam ſolum exigitur, quod ab exiſtentia obiecti, vt exercita, non præſcindat. Argumenta, quæ contra primam rationem militant *1.p.q.12.art.2.* diluuntur. Quæ vero contra ſecundam, & ſpecialiter contra concluſionem præſentem facere poſſunt, leuia ſunt, & ex dictis in illius probatione ſolutionem accipiunt.

§. II.

Non dari ſpeciem Dei immediatam, probatur.

SECVNDA Concluſio. *Non cognouit anima Chriſti Deum, nec vt Vnum, nec vt Trinum per ſpeciem per ſe infuſam ipſum immediatè quoad* an eſt *repræſentantem*. 17 Secunda concluſio.

Prob. 1. Ita Theologi frequenter, & oſtenditur primo: ſpecies immediatè repræſentans Deum abſolutè, & non ad inſtar alterius, repræſentat ipſum *quidditatiuè*; ſed implicat ſpecies quidditatiua Dei: ergo implicat ſpecies ipſum repræſentans immediatè abſolutè, & conſequenter cognitio immediata Dei, quam in noſtra concluſione animæ Chriſti negamus. Conſequentia eſt legitima. Minor conſtat ex dictis: & maior ſuadetur; ſpecies repræſentans prædicatum eſſentiale, & quidditatiuum immediatè abſolutè, eſt ſpecies quidditatiua; ſed ſpecies repræſentans Deum immediatè quoad *an eſt*, repræſentat immediatè prædicatum eſſentiale Deo: ergo eſt ſpecies quidditatiua. Illatio tenet. Minor eſt certa: nam exiſtentia, quæ per talem ſpeciem repræſentatur, eſt prædicatum eſſentiale Deo. Maior autem probatur; ſpecies enim quidditatiua, à non quidditatiua, in nullo alio poteſt diſtingui, niſi in eo quod quidditatem repræſentet, non in alio, ſed in ſe, non mediatè, ſed immediatè: ergo ſpecies repræſentans prædicatum rei eſſentiale immediatè, eſt ſpecies quidditatiua.

Quod amplius explico, & confirmo in hunc modum, cognitio quidditatiua non diſtinguitur à non quidditatiua per hoc, quod eſt attingere quidditatem obiecti, vel vltimam differentiam illius; poteſt enim per cognitionem non quidditatiuam attingi quidditas, & vltima differentia obiecti, vt conſtat in cognitione Dei, quam ex creaturis habemus, per quam Deum, vt à creaturis cognoſcimus diſtinctum: ergo diſtinguuntur per hoc, quod cognitio quidditatiua, quidditatem attingit, vel immediatè in ſe ipſa, vel in medio illam continente eminenter, illa vero, quæ non eſt quidditatiua, quidditatem attingit in alio, vel ſaltim ad inſtar alterius, in quo perfectè non continetur; ac proinde eo ipſo, quod ſpecies aliqua, quidditatem repræſentet immediatè, & abſque connotatione, erit ſpecies quidditatiua. 18 Confirmatur.

Secundo probatur rationibus, quibus præcedentem concluſionem probauimus: ſpecies enim immediatè, & abſque connotatione repræſentans obiectum, debet cum illo conuenire, ſaltim in gradu immaterialitatis; cum virtus illius ſit, & in eſſe repræſentatiuo conuenientiam vniuocam petit cum obiecto repræſentato; ſed implicat ſpecies creata vniuoce conueniens cum Deo in eſſe repræſentatiuo, & in eodem gradu immaterialitatis exiſtens, vt conſtat ex dictis: ergo implicat ſpecies creata Deum immediatè, & quoad *an eſt* repræſentans. 19 Secundo prob.

Denique probatur; nam ſequitur ex contraria ſententia poſſe dari cognitionem intuitiuam Dei extra viſionem beatam; conſequens eſt falſum: ergo & quod poſſit dari ſpecies immediatè repræſentans Deum quoad *an eſt*. 20 Vltimo prob. concluſio. Probatur ſequela; cognitio immediata obiecti, vt præſentis *phyſicè*, eſt illius intuitio, ſed data poſſibilitate ſpeciei repræſentantis Deum immediatè quoad *an eſt*, cognitio mediante illa elicita attingit immediatè Deum, vt ſibi præſentem *phyſicè*: ergo erit cognitio intuitiua ipſius: imo ſequitur, eſſe dabilem cognitionem naturalem intuitiuam Dei: quod patet; nam iuxta Nazarium dabilis eſt, imo & de facto datur ſpecies ordinis naturalis immediatè repræſentans Deum, vt Auctorem naturæ quoad

an

an eſt, ſed cognitio, mediante hac ſpecie elicita, eſt cognitio naturalis, Deumque exiſtentem *phyſicè*, & ſibi coexiſtentem immediatè attingit : ergo eſt intuitiua cognitio Dei Auctoris naturalis.

Si reſpondeatur cum Nazario *vbi ſupra*, notitiam
21 *Reſpondet Nazarius.* iſtam non eſſe propriè, ſed impropriè, & largè intuitiuam, quam concedere extra viſionem beatam, & ex viribus naturæ reſpectu Dei, vt Auctoris naturalis, inconueniens non
Contra. eſt In contrarium obſtat; de ratione notitiæ intuitiuę *propriè* non eſſe, quod quidditatiua ſit ; in potentia namque viſiua datur notitia, quæ propriſſimè intuitiua eſt, & tamen eſt quidditatiua. Et ſimiliter in noſtro intellectu datur notitia intuitiua *propriè*, quæ quidditatiua non eſt; ſed notitiæ habitæ de Deo mediante ſpecie impreſſa, ipſum immediatè quod *an eſt* repræſentanti, nihil aliud deeſt, niſi ratio quidditatiuæ: ergo eſt *propriè* intuitiua.

Contra iſtam concluſionem argumentari poſſumus pri-
22 *Arguitur 1. ex. D. Th.* mo ex D. Thom. *q. 18. de Veritate art. 1. ad 1.* vbi de Adamo loquens in ordine ad Dei cognitionem, & triplex medium cognitionis diſtinguens: *ſub quo*, quod eſt virtus ex parte potentiæ ſe tenens, *quo* res videtur, quod eſt ſpecies rei viſæ, & aliud à *quo* accipitur cognitio rei viſæ: ita concludit: *Patet igitur, quod homo poſt peccatum triplici medio indiget ad videndum Deum, ſcilicet, ipſa creatura, qua in diuinam cognitionem aſcendit, & ſimilitudine ipſius Dei, quam ex creatura accipit, & lumine, quo perficitur ad hoc, quod in Deum dirigatur: in ſtatu vero ante peccatum indigebat duplici medio ſcilicet, medio, quod eſt ſimilitudo Dei, & medio, quod eſt lumen eleuans, vel dirigens mentem &c.* ergo iuxta D. Thom. homo in ſtatu ante peccatum cognoſcebat Deum per ſpeciem immediatam ipſius; & conſequenter dabilis eſt ſpecies Deum immediatè quoad *an eſt* repræſentans.

Secunda conſequentia ex prima euidenter colligitur. Prima vero probatur, iuxta D. Tho. homo in illo ſtatu ſolum duplici medio indigebat ad cognoſcendum Deum, ſcilicet, medio *ſub, quo* eleuante, aut dirigente, & medio *quo*, ideſt, ſpecie repræſentante; ſed ſi ſpecies immediata Dei non eſſet, indiguiſſet triplici medio, ſcilicet, creatura immediatè per ſpeciem repræſentata, mediate qua & ex qua in Dei cognitionem aſcenderet: ergo ſpecies medijs, quibus homo in ſtatu ante peccatum Deum cognoſcebat, erant immediatè repræſentatiuæ Dei.

23 *Reſpondetur ex ſecundo D. Th.* Reſp. ex eod. D. Th *1. p. q. 94. art. 1. ad 3. Medium* per quod *diſtinctum à medio* ſub quo, *& à medio quo eſſe duplex; quoddam, in quo ſimul videtur illud, quod per medium videtur; ſicut homo, videtur per ſpeculum, & ſimul videtur cum ſpeculo: aliud medium eſt, cuius notitia in aliud ignotum deuenimus, ſicut eſt medium demonſtrationis, & ſine tali medio Deus videbatur*, ſcilicet ab homine in ſtatu innocentiæ, *non tamen ſine primo medio; non enim oportebat primum hominem in Dei cognitionem deuenire per demonſtrationem ſumptam ab aliquo effectu, ſicut nobis eſt neceſſarium, ſed ſimul in effectibus præcipuè intelligibilibus Deum ſuo modo cognoſcebat.* Hæc D. Thom Ex quibus colligitur *loco* in contrarium adducto, non negaſſe homini in ſtatu innocentię indiguiſſe immediatè per ſpecies repræſentatæ vt illis mediantibus Deus repræſentaretur; cum hoc tamen diſcrimine ab homine in ſtatu naturę corruptæ, quod in hoc ſtatu indiget creatura, vt immutente ſpeciem, & vt medio prius cognito, ex cuius cognitione demonſtratiuè tranſit ad cognitionem Dei; in ſtatu autem ante peccatum ſpecies infuſas habebat non acceptas ab obiectis, & non erat neceſſarium, vt Deus ab homine cognoſceretur ex creaturis prius cognitis demonſtratiuè in Dei cognitionem venire, ſed in creaturis præcipuè intelligibilibus ſimul, & eodem actu Deus contemplatur.

24 *In forma reſp.* Iuxta quam doctrinam explicato antecedenti, nego conſequentiam. Ad cuius probationem, diſtinguo, aut explico maiorem; ly *ſolum* excludente medium *per quod*, concedo maiorem medium *in quo*, nego maiorem, & nego minorem cum enim D. Tho. ex alibi à ſe traditis, ſupponat, non eſſe dabilem ſpeciem repræſentantem Deum immediatè, ſed tantum media creatura, creaturam mediantem, vt obiectum *in quo* ſimul repræſentetur Deus ſub ſecundo medio ſcilicet, *quo* comprehendit, & ſolum cum medio *quo*, ſcilicet, ſpecie repræſentante, facit numerum medium, per quod vt per diſtinctam cognitionem cognitum, venitur in cognitionem Dei, & quia hoc medium excluſit, vt neceſſarium homini in ſtatu ante peccatum, ideo aſſeruit duplici tantum medio indiguiſſe, excludendo ſcilicet, creaturam, vt medium *per quod*, non autem vt medium *in quo* ſimul Deus cognoſcatur, & repræſentetur. ¶ Secundo arguitur; 25 *Secundò arguitur*
eſt dabilis, ſpecies immediata obiecti, & non quidditatiua: ergo prima ratio, qua noſtram concluſionem oſtendimus falſo fundamento nititur. Conſequentia patet, & antecedens probatur; ſpecies infuſæ animæ rationali in ſtatu ſeparationis, quibus iuxta D. Th. *1. p. q. 89. art. 2.* ſubſtantias ſeparatas intelligit, immediatè Angelos repræſentant; alias per ſe infuſæ non eſſent; & tamen non repræſentant Angelos *quidditatiuè*: ergo dabilis eſt ſpecies immediata obiecti, non repræſentans ipſum *quidditatiuè*. Minor probatur dupliciter. Primo; nam D. Tho. *loco vbi proximè* docet, animam ſeparatam de alijs animabus perfectam cognitionem habere, de Angelis autem imperfectam, & deficientem, loquendo de cognitione naturali: ergo non cognoſcit Angelos *quidditatiuè*; & conſequenter ſpecies infuſæ animæ in ſtatu ſeparationis, nõ repræſentant Angelos *quidditatiuè*. *Minor prob. 1.*

Secundo; ſpecies quidditatiua petit conuenire cum obiecto in gradu immaterialitatis; ſed ſpecies infuſę animę in ſtatu ſeparationis non conueniunt cum Angelis in gradu immaterialitatis: ergo eſt dabilis ſpecies immediata obiecti, & non quidditatiua. Probatur minor; gradus immaterialitatis Angelicę conſiſtit in excluſione materiæ, & ordinis ad materiam; ſed hunc gradum non pertingunt ſpecies infuſæ animę, ſicut nec anima ipſa; cum ordinem ad materiam importet, & ſpecies connaturaliter in ſubiecto receptæ, illius immaterialitatem nequeant excedere: ergo non conueniunt cum Angelis in gradu immaterialitatis. 26 *Secundo.*

Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad primam illius probationem explico, & diſtinguo antecedens in perfectione intra lineam cognitionis quidditatiuæ, concedo antecedens: infra illam, nego antecedens, & conſequentiam. datur enim latitudo in linea quidditatiuæ cognitionis penes magis, & minus perfectam, vt conſtat in cognitione, qua Angelus ſuperior ſe cognoſcit, & cognitione, qua inferior Angelus cognoſcit ſuperiorem, quarum vtraque quidditatiua eſt; & tamen ſecunda in perfectione exceditur à prima, poteſtq; comparatione illius imperfecta appellari: quia ergo anima rationalis in ſtatu ſeparationis, etſi Angelos immediate cognoſcat, & conſequenter quidditatiue, non tamen ita perfecte Angeli cognoſcuntur ab anima ſicut à ſe ipſis ad inuicem cognoſcuntur; ideo docuit D. Th. animam in illo ſtatu imperfectè cognoſcere Angelos, non per defectum à ratione quidditatiuæ cognitionis, ſed per defectu ab ea cognitione, qua vnus Angelus alium cognoſcit. Et quidem cognitione quoad *an eſt* cognoſcuntur Angeli ab anima rationali coniuncta; perfectiue autem illos ſeparata cognoſcit perfectione abſoluta, etſi non perfectiue comparatiuè ad ipſam; ac proinde ſeparata, illos *quidditatiuè* cognoſcit. 27 *Reſpondetur. Ad 1. probationem minoris.*

Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, nego minorem Ad illius probationem, conceſſa etiam maiori, nego 28 *Ad 2.*
minorem; nam ſpecies animæ infuſæ in ſtatu ſeparationis, non dicunt ordinem ad materiam cum non fuerint abſtractæ à phantaſmatibus, ſed à Deo immediatè *infuſæ*, & licet poſſint conſeruari in anima vnita corpori, vt facto in anima Chriſti vnita corpori exſtiunt, non tamen conueniunt animæ prout corpori in intelligendo ſubiectæ, ſed prout ſupra corpus in intelligendo eleuatæ, vt vidimus ex D. Th. *diſp. 32. §. 5.* nec in repræſentando habent dependentiam à corpore; & conſequenter conueniunt in gradu immaterialitatis cum Angelis, quos repræſentant; cum enim inferioritas animæ rationalis ad Angelos in gradu immaterialitatis ex ordine ad corpus oriatur, & ſpecies à Deo illi infuſæ talem ordinem non dicant, non eſt vnde inferioris ordinis ſint.

Nec obſtat animam rationalem eſſe ordinis inferioris,
vt illi prædictæ ſpecies debeantur, quamuis ſint magis immateriales; non enim debentur animæ in ſtatu ſibi omnino connaturali, & prout corpori ſubiectę, ſed in ſtatu præternaturali, & vt ſupra corpus in modo operandi eleuatæ, & cum illa prout in hoc ſtatu debent ſpecies proportionari: licet autem anima rationalis in ſtatu ſeparationis ordinem ad corpus conſeruet; non tamen poteſt corpori vniri ſub reduplicatione ſtatus ſeparationis, ſub quo illi ſpecies per ſe infuſæ debentur. Sed de his in libris de anima. 29 *Cuidam obiectioni occurritur*

§. III.

Prima ſententia reijcitur.

30 *Tertia concluſio.* *Prima pars prob.*

TERTIA Concluſio: *Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit euidenter quoad an eſt Deum Auctorem, ſupernaturalem prout vnum in effectibus ſupernaturalibus, non autem in naturalibus.* Prima pars concluſionis probatur; vt enim conſtat ex dictis *diſp. præcedenti*, Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcit non ſolum quidditatiue, ſed etiam comprehenſiue effectus ſupernaturales creatos: ergo cognoſcit in illis Deum Auctorem ſupernaturalem, vt vnum. Patet conſequentia; vt enim docet D. Tho. *lib. 1. ad Annibaldum diſt. 3. q. 2. art. 1. in corpore: Quicumque perfectè intelligit aliquid, intelligit in eo, quidquid in eo repræſentatur*; ſed in effectibus ſupernaturalibus repræſentatur Deus Auctor ſupernaturalis, vt vnus: ergo Chriſtus per ſcientiam inditam cognoſcens perfectè effectus ſupernaturales, cognoſcit in illis Deum Auctorem ſupernaturalem, vt vnum. Conſequentia eſt in forma. *Maior probatur 1.* Maior præterquamquod eſt expreſſa D. Thom. conſtat primo à paritate; quia namque in effectibus naturæ repræſentatur Deus, vt Auctor naturalis, in illis perfectè cognitis, Deus, vt Auctor naturalis, cognoſcitur quoad *an eſt*, quo circa vt docet D. Th. 1. p. q. 56. *art. 3. Angelus ſe ipſum cognoſcens, per ſuam ſubſtantiam, vt cognitam, cognoſcit naturaliter Deum, quia in ſubſtantia Angeli Deus repræſentatur*: ergo vere eſt maior vniuerſaliter, quod nempe intelligens aliquid perfectè, cognoſcit quidquid in illo repræſentatur.

31 *Secundò.* Secundo, & a priori; nam cognitio perfecta petit cum obiecto in eſſe intelligibili adæquari, ſi autem non cognoſcit in obiecto quidquid in illo repræſentatur, non adæquatur cum obiecto in eſſe intelligibili; quandoquidem aliquid repræſentat, quod à cognoſcente non tangitur: ergo eo ipſo quod aliquis perfectè obiectum cognoſcat, debet in illo cognoſcere quidquid in illo repræſentatur. Minor etiam probatur primo; in effectibus naturæ repræſentatur Deus, vt Auctor naturalis: ergo in effectibus ſupernaturalibus repræſentatur Deus, prout eſt Auctor ſupernaturalis. Secundo; nam ratio propter quam effectus naturales repræſentant Deum, vt Auctorem naturæ, eſt, quia ab illo, vt Auctore naturæ dependent; ſed effectus ſupernaturales dependent à Deo, vt ſupernaturali Auctore: ergo prout ſic in illis repræſentatur. Et ratio à priori eſt; nam repræſentatio fundatur in eſſe entitatiuo, vel ratione continentiæ [& hæc eſt repræſentatio à priori] vel ratione dependentiæ, quæ eſſe poteſt medium cognitionis à poſteriori; effectus autem ſupernaturales à Deo, vt Auctore ſupernaturali dependent: ergo illum prout ſic repræſentant; & conſequenter in illis perfectè, & comprehenſiue cognitis, poteſt, & debet cognoſci.

32 *Reſpondebis.* Reſpondebis cum Auctoribus contrarij: poſſe quidem Deum vt Auctorem ſupernaturalem cognoſci vt vnum per effectus ſupernaturales cognitione quoad *an eſt*, & habita per diſcurſum, non autem habita per ſcientiam infuſam; hæc namque nec diſcurſiua eſt, nec obiectum ſolum quoad *an eſt*, ſed quidditatiuè repræſentat; ac proinde quamuis Deus Auctor ſupernaturalis vt vnus, poſſit ab intellectu animæ Chriſti cognoſci, non tamen poteſt cognoſci per ſcientiã ſupernaturalem per ſe infuſam, de qua noſtra diſputatio procedit.

33 *Contra 1.* Sed contra primo; vt enim docet D. Thom. 1. p. q. 56. art. 3. Angelus in ſe, vt obiecto cognito, & eſt comprehenſo, cognoſcit Deum, vt Auctorem naturæ cognitione euidenti quoad *an eſt*; & tamen vt docet idem D. Thom. 1. p. q. 58. *art. 3.* Angelus non intelligit diſcurrendo: ergo in effectu perfectè cognito, poteſt cauſa ſine diſcurſu cognoſci; & conſequenter Chriſtus in effectibus ſupernaturalibus ab ipſo comprehenſiue cognitis per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſam potuit ſine diſcurſu Deum vt illorum Auctorem cognoſcere cognitione euidenti.

34 *Secundò.* Secundo; nam in cauſa cognita cognoſcuntur effectus cognitione ſcientifica à priori ſine diſcurſu, ſaltim formali; aliàs Deus in ſe, vt cauſa, non cognoſceret creaturas; cum ipſi diſcurſus repugnet, nec Angelus à priori ſciret effectus per cauſas, cum Angelus, ſaltim circa obiecta naturalia diſcurrere nequeat: ergo pariter in effectu cognito poterit illius cauſa ſine diſcurſu, ſaltim formali cognoſci; & conſequenter potuit Chriſtus ſine diſcurſu formali, in effectibus ſupernaturalibus per ſcientiam per ſe infuſam cognitis, & comprehenſis, Deum, vt illorum Auctorem euidenter cognoſcere.

35 *P. Vazq. inconſequenter in doctrina notatur.* Et quidem cum Vazquez, cuius eſt ſolutio, quam impugnamus 1. p. *diſp.* 206. *cap.* 1. doceat, Angelum in ſua eſſentia, & in alijs obiectis ab ipſo naturaliter cognitis, Deum, vt naturæ Auctorem, & omnium gubernatorem ſine diſcurſu euidenter quoad *an eſt* cognoſcere, non video quomodo cum conſequentia in doctrina poſſit in præſenti negare intellectui animæ Chriſti euidentem cognitionem Dei, vt Auctoris ſupernaturalis habitam in vi cognitionis effectuum ſupernaturalium, quos per ſcientiam infuſam comprehendit: eo quod ad prædictam cognitionem ſit neceſſarius diſcurſus; ſi namque in effectu naturali, aut ex illo poteſt Deus, vt Auctor naturæ ſine diſcurſu cognoſci, cur etiam in effectu ſupernaturali non poterit ſine diſcurſu cognoſci Deus, vt Auctor illius; cum non minus, iſte, quam ille ſuum repræſentet Auctorem?

36 *Tertiò.* Denique tradita ſolutio impugnatur; vt enim docet D. Thom. *in hac q. art.* 3. ſcientia per ſe infuſa, etſi collatiua non ſit, quoad ſcientiæ acquiſitionem, eſt tamen collatiua quoad vſum, potuitque Chriſtus per illam ex vno alterum inferre: ergo licet cognitio Dei habita in creaturis cognitis, ſit diſcurſiua, potuit ab intellectu Chriſti elici per ſcientiam infuſam. Et ratio eſt; nam talis cognitio haberetur ex vi eiuſdem ſpeciei, qua primo repræſentantur ſupernaturales effectus, iſti autem repræſentantur per ſpecies per ſe infuſas; & conſequenter cognitio, etſi diſcurſiue eſſet, habita ex cognitione effectuum à ſcientia per ſe infuſa procederet, quod autem prædicta cognitio habeatur in vi ſpecierum immediate repræſentantium ſupernaturales effectus; patet; homo namque Deum ex creaturis per diſcurſum cognoſcens, non elicit Dei cognitionem per ſpeciem propriam Dei, ſed per ſpecies creaturarum, ex quarum cognitione infert cognitionem Dei: ergo pariter cognitio Dei, vt Auctoris ſupernaturalis, ex cognitione effectuum ſupernaturalium per diſcurſum illata, non haberetur per ſpeciem Dei propriam, ſed per ſpeciem prædictorum effectuum, quam eſſe per ſe infuſam ſupponitur; ſcientia enim dicitur per ſe infuſa, non ratione cognitionis elicitæ ab intellectu, ſed ratione ſpeciei, quæ eſt cognitionis principium mediatum, aut immediatum.

37 *Secunda pars concluſionis prob.* Deinde ſecunda pars noſtræ concluſionis probatur: effectus enim naturales, non repræſentant Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, ſed ſolum id poteſt in aliquo obiecto cognoſci, quod ab illo repræſentatur, vel continetur, & in ipſo repræſentatur: ergo in effectibus naturalibus non potuit Chriſtus per ſcientiam infuſam Deum Auctorem ſupernaturalem cognoſcere. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur primo, Effectus namque *Effectus naturales non repræſentant Deum vt ſupernaturalem Auctori.* repræſentant cauſam ratione dependentiæ, quam habent ab illa; ſed effectus naturales non dependent à Deo, vt Auctore ſupernaturali: ergo Deus, vt Auctor ſupernaturalis, non repræſentatur in illis. Secundo probatur; vt enim docet D. Thom. 1. *ad Annibaldum diſt. 3. q. 2. art. 1. in corpore: Quicumque perfectè intelligit aliquid intelligit in eo, quidquid in eo repræſentatur*; ſed Angelus perfectè effectus naturales cognoſcens, & comprehendens virtute naturali intellectus, non cognoſcit per virtutem naturæ Deum Auctorem ſupernaturalem: ergo effectus naturales Deum, vt ſupernaturalem Auctorem, non repræſentant.

38 *Reſpondebis.* Reſpondebis; effectus naturales non repræſentare Deum, vt Auctorem ſupernaturalem intellectui, vt naturaliter cognoſcenti, quia reſpectu intellectus prout ſic eſt obiectum improportionatum, & illius vires naturales excedens, bene tamen intellectui animæ Chriſti, vt intelligenti per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſam; quia reſpectu intellectus Chriſti, vt lumine ſupernaturali eleuati, obiectum improportionatum non eſt, nec illius vires excedit Deus Auctor ſupernaturalis, vt cognoſcibilis *abſtractiuè*, & ideo in effectibus naturæ, vt comprehenſis à Chriſto per lumen ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ, Deus vt Auctor ſupernaturalis euidenter *abſtractiuè*, cognoſcitur.

39 *Contra 1.* Sed contra primo, ex iam dictis; qui namque perfectè, hoc eſt comprehenſiue, intelligit aliquid, intelligit in eo, quidquid in eo repræſentatur; ſed Angelus per vires naturæ perfectè intelligit effectus naturales, qui ſunt in-

fre

tra ſe, quando quidem illos comprehendit, & non cognoſcat in illis Deum Auctorem ſupernaturalem: ergo Deus, vt Auctor ſupernaturalis, non repræſentatur in illis; & conſequenter Chriſtus, nec per virtutem naturalem intellectus, nec per lumen ſcientiæ infuſæ poteſt in illis cognoſcere Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, etſi per talem ſcientiam poſſit in illius cognitionem aliunde venire.

40 *Secundo.* Secundo, & explicatur magis hoc ipſum, tunc aliquid cõprehenditur cum adæquate cognoſcitur, & tunc adæquatè cognoſcitur in illo, quidquid in illo, & ex vi illius cognoſcibile eſt; ſed effectus naturales cõprehendũtur ab Angelis virtute naturali intellectus, & non cognoſcunt Deum Auctorem ſupernaturalem: ergo Deus non eſt in illis ex vi illorum prout Auctor ſupernaturalis cognoſcibilis; & conſequenter in illis, etiam vt lumine in uſo, & ſupernaturali cognitis, non poteſt prout ſic cognoſci.

41 *Tertio.* Tertio; nam in cauſa, etiam vt cognita cognitione ſupernaturali, non poteſt cognoſci effectus ſub ea ratione, ſub qua in illa non continetur: ergo in effectu, vt cognito ſupernaturaliter, non poteſt cauſa cognoſci ſub ea ratione ſub qua non terminat dependentiam effectus. Patet conſequentia, ſicut enim continentia eſt in cauſa ratio repræſentandi effectum, & vt ſit medium cognitionis illius: ita dependentia in effectu eſt ratio, vt ducat in cognitionem cauſæ: ergo ſi cauſa, etiam vt ſupernaturali lumine cognita, non eſt medium in quo effectus cognoſcitur, niſi ſub ea ratione ſub qua continet effectum, nec effectus, vt ſupernaturaliter cognitus poteſt eſſe medium in quo cognitionis cauſæ, niſi tantum ſub illa ratione, ſub qua terminat dependentiam illius; ſed Deus, vt Auctor ſupernaturalis, non terminat dependentiam effectuum naturalium: ergo in illis, etiam vt lumine infuſo, & ſupernaturali cognitis, non poteſt Deus vt Auctor ſupernaturalis cognoſci.

42 *Quarto.* Deni que tradita ſolutio reijcitur; quia namque liberum arbitrium creatum, prout in actu primo indifferens, non repræſentat intellectui creato ipſum comprehendenti conſenſum, vt determinatè futurum, inferunt communiter Theologi contra Molinam *t. 4. q. 14. art. 3.* nec Deo ipſum ſuper comprehendenti poſſe conſenſum liberum vt determinatè futurum repræſentare, & quia intellectus Angeli in libero arbitrio creato ſic ſumpto vt a ſe comprehenſo, non cognoſcat certò, & infallibiliter conſenſus futuritionem, inferunt, nec Deum in illo, vt à ſe ſuper comprehenſo, poſſe certo conſenſus liberi futuritionem cognoſcere, etſi aliunde illam cognoſcat: ergo ſi effectus naturales creati, vt ab Angelo comprehenſi, non repræſentant illi Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, nec intellectui animæ Chriſti vt ab ipſo ſuper comprehenſi per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, poſſunt repræſentare Deum, prout eſt Auctor ſupernaturalis, nec illum prout ſic poteſt intellectus animæ Chriſti in effectibus naturæ vt per ſcientiam infuſam ſupercomprehenſis cognoſcere.

43 *Reſpondebis.* Reſpondebis, negando conſequentiam, & aſſignabis rationem diſcriminis; nam in libero arbitrio creato, ſumpto prout in actu primo, ſolum continetur conſenſus liber ſub ratione poſſibilis, cum quo nullatenus eſt connexa illius futuritio; ideoque nec Angelo ipſum comprehendenti, nec Deo ſupercomprehendenti poteſt conſenſum liberum repræſentare, vt determinatè futurum. cæterum effectus naturales repræſentant Deum, vt exiſtentem, & quia Deus in ſe eſt Auctor naturæ, & gratiæ, & ſub vtraque ratione eſt cognoſcibilis quoad an eſt, continetur que ſub obiecto proportionato ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis; fit conſequens, vt in effectibus naturalibus, vt cognitis per hanc ſcientiam repræſentetur intellectui illa vtenti Deus, non ſolum vt Auctor naturæ, ſed etiam vt Auctor ſupernaturalis, & ſub vtraque ratione cognoſcatur in illis; cognitio autem naturalis non poteſt Deum vt Auctorem ſupernaturalem attingere; & ideo effectus naturales, vt cogniti naturali cognitione non repræſentant illos, vt ſic cognoſcenti, Deum Auctorem gratiæ, ſed ſolum vt Auctorem naturæ.

44 *Contra 1.* Sic, (ni me fallit memoria) in publicis diſputationibus, quoſdam reſpondentes audiui, doctrinam ſolutionis Magiſtro Curieli attribuentes, & illius Auctoritate (quæ magna abſque dubio eſt) confirmantes. Sed contra illam obſtat primo; ſequi in effectibus naturæ cognoſci per ſcientiam infuſam Deum, non ſolum prout eſt in eſſentia vnus, ſed etiam vt Trinus eſt in perſonis, quod neſcio an ſint conceſſuri traditæ ſolutionis Auctores. Quod autem ſequatur, patet; Deus namque vt in ſe exiſtens, non ſolum eſt Auctor naturæ, & gratiæ, ſed etiam vnus, & trinus, & ſub vtraque ratione poteſt per ſcientiam infuſam cognoſci euidenter quoad *an eſt*: ergo ſi per huiuſmodi ſcientiam cognoſcitur in effectibus naturæ Deus, vt Auctor ſupernaturalis, quia vt exiſtens repræſentatur in illis, & vt exiſtens non ſolum eſt Auctor naturæ, ſed etiam Auctor gratiæ; cognoſcetur per ſcientiam infuſam in effectibus naturalibus, non ſolum vt vnus in eſſentia; ſed etiam prout eſt in perſonis trinus.

45 *Secundo.* Secundo; nam licet Deus, vt Auctor ſupernaturalis, ſit cognoſcibilis euidenter quoad *an eſt* per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem, non tamen eſt cognoſcibilis per illam ex vi effectuum naturalium ergo licet Chriſtus euidenter quoad *an eſt*, Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, lumine per ſe infuſo cognouerit, non tamen illum ſub hac ratione cognouit, nec potuit cognoſcere in effectibus naturæ, vt prædicto lumine cognitis. Conſequentia eſt euidens. Antecedens autem probatur; nam licet Deus in ſe ipſo ſit Auctor naturæ, & gratiæ, non tamen terminat dependentiam effectuum naturalium ſub vtraque ratione, ſed ſolum vt eſt Auctor naturæ; ſed Deus non poteſt vi effectuum naturalium cognoſci, niſi prout terminans dependentiam illorum: ergo quamuis in ſe ſit Auctor gratiæ, & naturæ, non poteſt ſub vtraque ratione vi effectuum naturalium cognoſci, ſed ſolum ſub vna, nempè, vt Auctor naturalis.

46 *Tertio.* Deinde impugnatur ſolutio. Antecedens, quod ex ſe non infert aliquid conſequens, non poteſt illud inferre, etiam vt ſupernaturaliter cognitum ergo medium, quod ex ſe aliquid non repræſentat, non poteſt illud repræſentare, vt cognitum ſupernaturaliter; ſed effectus naturales, non repræſentant ea ſe Deum, vt Auctorem ſupernaturalem; alias illum repræſentarent Angelis illos comprehendenti: ergo etiam vt cogniti lumine infuſo ſcientiæ ſupernaturalis, non poſſunt repræſentare Deum, vt ſupernaturalem Auctorem.

47 *Quarto.* Denique reijcitur; quia namque effectus cauſati à Deo non repræſentant ex ſe Deum *quidditatiuè* nulli intellectui, nec diuino, nec creato, quocumque illuſtrato lumine poſſunt eſſe medium, in quo Deum cognoſcat *quidditatiuè*; ſed effectus naturales non repræſentant de ſe Deum vt Auctorem ſupernaturalem: ergo nulli intellectui, quouis lumine illuſtrato, eſſe poſſunt medium, in quo Deum, vt Auctorem ſupernaturalem cognoſcat euidenter quoad *an eſt*; & conſequenter licet intellectus Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, Deum vt Auctorem ſupernaturalem poſſit aliunde, & in aliis medijs cognoſcere, non tamen in effectibus ordinis naturalis quantumuis hoc lumine a ſe comprehenſis.

---

§. IV.

Argumentis in contrarium occurritur.

48 *Contra 1. p. concluſionis arguitur 1. ex D.Th.* Contra primam concluſionis partem obiiciunt contrarij Auctores primo D.Thom. *in hac qu. art. 1. in corpore*, quod ita concludit: *Ipſum tamen Dei eſſentiam per hanc ſcientiam non cognouit, ſed ſolum per primam, de qua ſupra dictum eſt.* Quæ verba adeò manifeſta cenſet Vazquez pro ſententia nobis contraria vt Thomiſtæ, qui noſtram ſententiam ſequuntur, ſimulque profitentur doctrinam Angelici Præceptoris in omnibus defendere, verba ipſius minimè legiſſe videantur; ſi namque per aliquod genus ſcientiæ infuſæ Dei eſſentia ab intellectu Chriſti fuit cognita, falſa eſſet propoſitio D.Tho. qua docet, Chriſtum per ſcientiam infuſam Dei eſſentiam non cognouiſſe.

49 *Reſpond.* Reſponden ex verbis D.Thom nihil contra noſtram ſententiam inferri. ſolum enim negat, Chriſtum per ſcientiam infuſam, Dei eſſentiam cognouiſſe cognitione quidditatiua, quo genere cognitionis per huiuſmodi ſcientiam cognouit cætera, quæ nobis per reuelationem innoteſcunt, & ipſa Dei eſſentia cognoſcitur per ſcientiam beatam; non autem negat D.Thom. Chriſtum per ſcientiam infuſam Dei eſſentiam cognouiſſe cognitione euidenti quoad *an eſt* per alienas ſpecies habita, ſcilicet per ſpecies illorum obiectorum, quæ extra Verbum quid-

di-

ditatiuè, & comprehenſiuè cognouit.

50 S.Th. Et quidem ſi verba D Thom. vt iacent, ſine explicatio-
ne admittantur, non ſolum excluditur ab intellectu Chri-
ſti creato cognitio Dei habita per ſcientiam infuſam, ve-
rum etiam omnis alia cognitio habita in vi alterius lumi-
nis à lumine gloriæ diſtincti; ait enim: *Solum per ſcientiam
beatam Dei eſſentiam cognouiſſe*. Quæ verba cum exclu-
ſiua ſint, omnem Dei cognitionem diſtinctam à cognitione
beatifica excludunt ab intellectu Chriſti creato, quod ta-
men falſum eſt, vt ipſe Vazquez fatetur, docens verba illa
D. Thomę: *Ipſam tamen Dei eſſentiam per hanc ſcien-
tiam non cognouit, ſed ſolum per primam*. Sic eſſe acci-
pienda, ac ſi diceret per nullam ſcientiam per ſe infuſam
cognoſci eſſentiam Dei, niſi per viſionem claram, in quo
ſenſu verba D. Thomæ accepta non excludunt cognitio-
nem Dei habitam per ſcientiam acquiſitam; ſi namque
licuit Vazquio verba illa D. Thom. quæ determinata
ſunt, & in ſingulari de ſcientia per ſe infuſa animæ Chri-
ſti procedunt in vniuerſali accipere, & ſingularem D. Tho.
propoſitionem in vniuerſalem conuertere, vt excluſio non
extendatur ad ſcientiam per ſe acquiſitam, cur nobis illi-
citum erit verba D. Thom. ſine vlla violentia ad genus co-
gnitionis coarctare, ita vt non excludant omnem modum
cognitionis Dei, habitam per ſcientiam infuſam, ſed tan-
tum cognitionem Dei quidditatiuam, quo genere cogni-
tionis per ſcientiam infuſam cognoſcuntur obiecta creata,
& Dei eſſentia per beatificam viſionem?

51 Sed opponens contra iſtam interpretationem primo: nam
D. Thom. verbis allegatis negat Chriſtum per ſcientiam
Opponet 1. infuſam Dei eſſentiam cognouiſſe; at nullibi Angelicus
Doctor affirmat, Deum per huiuſmodi ſcientiam cogno-
ſci ab anima Chriſti: ergo abſque vrgenti fundamento il-
lius verba limitamus, vt ſolum quidditatiuam cognitio-
nem excludant, non autem omnem aliam cognitionem
Secundo. Dei habitam vi ſcientiæ infuſæ. Secundo: nam ſi non ſo-
lum obiecta creata, quę à nobis per reuelationem cogno-
ſcuntur, ſed etiam Deus per ſcientiam per ſe infuſam co-
gnoſcitur ab anima Chriſti, præcipuum inter omnia obie-
cta ab anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognita, erit
eſſentia diuina; & conſequenter D Thom. enumerans alia
obiecta, & Dei eſſentia omittens diminutè proceſſiſſet; ſed
hoc admittendum à nobis non eſt: ergo aſſerere debemus
Dei eſſentiam nullo modo fuiſſe ab anima Chriſti per
ſcientiam infuſam cognitam, & verba D. Thom. in tota ſua
latitudine accipere.

52 Tertio; nam cognitio habita per ſcientiam infuſam, eſt
Tertiò. cognitio quidditatiua: ergo ſi Deus per illam non cogno-
ſcitur quidditatiuè, nullatenus per illam cognoſcitur,
Confirmatur. Quod amplius vrgetur, & ſolutio, quæ occurri poterat,
præcluditur; quia namque cognitio elicita medio lumine
glorię circa illius obiectum primarium, eſt cognitio quid-
ditatiua, nihil poteſt mediante lumine glorię non quiddi-
tatiuè cognoſci; ſed cognitio elicita in vi habitus ſcientiæ
infuſę erga ſuum obiectum primarium, (nempè, circa
obiecta creata) eſt non ſolum quidditatiua, ſed etiam com-
prehenſiua, ergo nihil poteſt vi illius non quidditatiuè co-
gnoſci; ac proinde excluſa à D. Th. cognitione Dei quiddi-
tatiua habita per ſcientiam infuſam, omnis alia cognitio
Dei per illam habita excluditur.

53 Reſpondeo ad primam replicam, conceſſa maiori, &
Ad 1. obiectionem reſpond. prætermiſſa minori, negando conſequentiam; nam eſtò
D. Thom. expreſſè nunquam docuerit, Deum per ſcien-
tiam infuſam ab anima Chriſti cognoſci euidenter quoad
an eſt, quod omittimus; docuit tamen cognoſci ab anima
Chriſti per huiuſmodi ſcientiam, omnia, quæ nobis per re-
uelationem innoteſcunt. Quam doctrinam de cognitione
quidditatiua, & comprehenſiua eſſe accipiendam, *Diſput.
præced.* monſtrauimus; & quia huiuſcemodi obiecta non
poſſunt quidditatiuè cognoſci, quin Deus vt Auctor ſu-
pernaturalis euidenter quoad *an eſt*, cognoſcatur, vi con-
ſequentię in doctrina aſſerere cogimur, Angelicum Do-
ctorem hanc Dei, vt Auctoris ſupernaturalis cognitionem
animę Chriſti attribuiſſe, habitam per ſcientiam infu-
ſam; & conſequenter verba ex D. Th. in contrarium addu-
cta, modo ſupra dicto explicare.

54 Ad 2. Ad ſecundam dicatur, Deum in eſſe entis, infinitè exce-
dere omnia obiecta per ſcientiam infuſam cognita; in
eſſe tamen obiecti iſtius ſcientiæ excedi ab obiectis crea-
tis, quę primario, & directè ſe habent reſpectu illius, Deus
autem indirectè, & ſecundario cum illa comparatur, per
illamque attingitur ratione connexionis, quam cum
Deo habent obiecta primario cognita, ideoque neceſſa-
rium non fuit inter obiecta ſcientię infuſę Deum enume-
rare, nec D. Thom. illius expreſſam mentionem non fa-
ciens, diminutè proceſſit; eo enim ipſo, quod obiecta crea-
ta, vt perfectè cognita per huiuſmodi ſcientiam recenſuit,
Deum vt ſecundario cognitum intra eius ambitum com-
prehendit.

55 Ad 3. Ad tertiam, diſtinguo antecedens: ſecundum prima-
riam terminationem ad obiectum, quod in ſe, & ratione
ſui attingit, concedo antecedens: ſecundum omnem ter-
minationem, nego antecedens, & conſequentiam: ſolum
enim ſequitur, Deum non eo noſci per habitum ſcientiæ
infuſæ primario in ſe, & ratione ſui, non autem quod ſe-
cundario, & in alio prius cognito per illam non attinga-
tur; ſolum enim petitur ab habitu ſcientiæ infuſę cogni-
tio quidditatiua obiecti, quod primo, & in ſe cognoſcit:
non autem illius obiecti ad quod ſecundario extenditur
ratione connexionis, quam habet cum obiecto primo co-
gnitio, qualiter Deus, vt Auctor ſupernaturalis per ſcien-
tiam per ſe infuſam cognoſcitur ab anima Chriſti.

56 Ad confirmationem. Ad confirmationem dicatur; cauſalem in maiori con-
tentam adæquatam non eſſe, nec conſequentiam forma-
lem, ſed quę tenet ratione materię, quia nempè, obie-
ctum primarium luminis gloriæ, & cognitionis beatificæ
talis conditionis eſt, quod omne ſecundario attingibile
perfectiſſimè continet, tam in eſſe entis, quam in eſſe in-
telligibili; & ideo quod ſecundario illo mediante cogno-
ſcitur, poteſt perfectè cognoſci, quæ ratio in obiecto ſcien-
tię per ſe infuſę non militat; non enim omne, quod in illo
reprę ſentatur, perfectè continetur in illo; cum aliqua
repræſentet, non vt cauſa illorum, ſed vt effectus à perfe-
ctione cauſæ deficiens; & conſequenter licet medium ſit
ad illius cognitionem, non tamen ad perfectam, & quid-
ditatiuam, ſed ad imperfectam, & tantum quoad *an eſt*,
ducere poteſt.

57 Secundò arguitur. Secundo obijciunt; cognitio Dei vnius, vt Auctoris ſu-
pernaturalis, habita ex effectibus ſupernaturalibus, eſt
diſcurſiua; ſed cognitio ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis exi-
ſtentis in anima Chriſti Domini diſcurſiua non eſt, ſed
ſimplex intuitus rei in ſe, & ratione ſui cognitæ: ergo prę-
dicta Dei Auctoris ſupernaturalis cognitio, non pertinet
ad ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem Chriſti.

58 Reſpond. primò. Huic argumento dupliciter reſpondetur ex dictis.
Primo, conceſſa maiori, & minori, negando conſequen-
tiam; ſicut enim effectus poteſt dupliciter per cauſam co-
gnoſci: primò, vna & eadem cognitione, primo terminata
ad cauſa, quæ quia cauſam comprehendit, ſecundario ad
effectum terminatur; non ex cognitione cauſæ deducendo
per diſcurſum cognitionem effectus, ſed in cauſa compre-
henſa cognoſcendo illius effectus, qui modus cognoſcendi
effectus in cauſa Deo ab omnibus attribuitur, & freqoen-
tius etiam Angelis. Secundo, cognoſcendo effectum ex cau-
ſa prius alia cognitione cognita, in quo diſcurſus conſiſtit,
qui modus cognoſcendi, eſt proprius rationalis naturæ; ita
cauſa dupliciter poteſt per effectum cognoſci. Primò ſine
diſcurſu in vi vnius cognitionis primo terminatæ ad effe-
ctum, & in effectu ſecundario terminatæ ad cauſam. Se-
cundo, cognoſcendo ipſius effectum, & vi alterius cogni-
tionis deueniendo per diſcurſum in cognitionem cauſæ;
non autem hoc ſecundo modo, ſed primo Deus in effecti-
bus ſupernaturalibus ab anima Chriſti Domini per ſcien-
tiam per ſe infuſam ſupernaturalem cognoſcitur. Vnde di-
cendum non eſt illum cognouiſſe ex effectibus ſupernatu-
ralibus, ſed in illis ex vi eiuſdem cognitionis, ſicut Deus
non dicitur cognoſcere creaturas ex ſua eſſentia, & omni-
potentia cognitis, ſed in ſua eſſentia, & omnipotentia, &
ſicut Angelus, Deum, vt Auctorem naturæ cognoſcit, non
ex obiectis creatis, ſed in illis, vt à ſe comprehenſis, aut
quidditatiuè cognitis.

59 Reſpond. ſecundò. Secundò reſponderi poteſt, conceſſa maiori, negando
minorem; vt enim docet D. Thom. *in hac q. art. 3.* licet
ſcientia per ſe infuſa intellectui animæ Chriſti diſcurſiua
Scientia Chriſti infuſa fuit diſcurſiua quoad vſũ, non tamen quantum ad acquiſitionem. non fuerit quantum ad ſcientiæ acquiſitionem, hoc eſt,
per diſcurſum acquiſita; eo quod fuit infuſa diuinitus, eſt
tamen diſcurſiua quoad vſum; potuit enim Chriſtus per
illam vnum ex alio deducere, non quidem vt de nouo ad-
diſceret, ſed voluntariè vtens ſcientia, quam infuſam ha-
bebat, & conſequenter, ex eo quod cognitio Dei Auctoris
ſupernaturalis fuerat diſcurſiua, malè colligitur non con-
uenire intellectui animæ Chriſti per ſcientiam per ſe infu-
ſam ſupernaturalem. Et quidem Pater Vazquez, ſenten-
tiam Nobis contrariam adeò expreſſam D. Th. cenſens, non
debuit, vt illam defenderet ſententiam Angelici Præce-

ptoris

ptoris negare, qua docuit, ſcientiam per ſe infuſam fuiſſe in Chriſto diſcurſiuam, niſi velit D. Thomam ſibi ipſi contradicere, doctrinam traditam *in primo articulo huius quæſtionis in 3* negare.

60 *Inſtabis.* Sed dices; cognitio ſcientifica diſcurſiua, non petit à ſcientia per ſe infuſa procedere: ergo ſi cognitio Dei Auctoris ſupernaturalis eſt diſcurſiua, non procedit a ſcientia per ſe infuſa intellectui animæ Chriſti. Probatur antecedens; quia namq; aſſenſus noſter Theologicus eſt diſcurſiuus, non procedit ab habitu per ſe infuſo, ſed ab habitu Theologiæ, quem eſſe per ſe acquiſitum, docent Theologi frequentius: ergo nullus aſſenſus diſcurſiuus petit a ſcientia per ſe infuſa procedere.

61 *Reſpondetur 1.* Reſpondeo primo, diſtinguendo antecedens: a ſcientia per ſe infuſa quoad ſpecies, nego antecedens: a ſcientia per ſe infuſa quoad habitum eleuantem potentiam, illique dantem virtutem ad operandum, tranſeat antecedens; & diſtinguo conſequens per eandem diſtinctionem: ſolum enim ſequitur, cognitionem Dei ſupernaturalis Auctoris non petere habitum per ſe infuſum eleuantem potentiam, à quo immediatè procedat; non autem quod non petat ſpecies per ſe infuſas, à quibus ex parte obiecti cauſetur; cum enim cognitio illa ab intellectu Chriſti eliciatur, mediantibus ſpeciebus effectuum ſupernaturalium, quos in ſe, & ratione ſui immediatè per ſcientiam infuſam cognoſcit, & iſtæ ſint per ſe infuſæ; conſequens fit, quod à ſcientia per ſe infuſa quantum ad ſpecies procedat, quidquid ſit, an habitus diſtinctus, potentiæ præſtans virtutem per ſe acquiſibilis ad prædictam cognitionem concurrat, nec paritas ex Theologia noſtra diſtinctioni traditæ obſiſtit; ad ſummum enim poteſt ex ratione diſcurſiuæ probari, quod aſſenſus Theologicus ab habitu per ſe acquiſibili procedat; quod autem ab ſpeciebus non per ſe infuſis oriatur ex alio capite prouenit, quia nempe, ſpecies deſeruientes fidei, & conſequenter Theologiæ, connotatiuæ ſunt obiectorum materialium, & ex phantaſmatibus abſtractæ. Quod ſi cum alijs Auctoribus aſſeratur, Theologiam noſtram eſſe habitum per ſe infuſum, quod frequentius eſt apud Theologos, qui docent, eſſe habitum ſupernaturalem, nullas vires habet obiectio, & exemplo ſolutio noſtra iuuatur, cum non obſtante quod in nobis aſſenſus Theologicus ſit diſcurſiuus formaliter, ab habitu per ſe infuſo procedat.

62 *Reſpondetur 2.* Reſpondetur ſecundo, & melius, diſtinguendo antecedens: cognitio ſcientifica diſcurſiua acquiſitiua ſcientiæ; concedo antecedens: cognitio diſcurſiua non acquiſitiua, nego antecedens, & conſequentiam, nam cognitio ſcientifica Dei Auctoris ſupernaturalis Chriſto Domino conueniens, eſto diſcurſiua ſit, non primo, ſed ſecundo modo eſt diſcurſiua; eo quod Chriſtus ſcientiæ pleniſſimè habita liberè vtitur diſcurrendo, inferendoque vnam cognitionem ex alia; cognitio autem, quæ iſto modo diſcurſiua eſt, ab habitu per ſe infuſo procedit, & habitu ſcientiæ præhabitum neceſſario præſupponit, quod non poteſt conuenire aſſenſui ſcientifico procedenti ab habitu acquiſibili per ſe; hic namque non ſupponitur neceſſario ad actum à ſe procedentem; cum petat per talem actum acquiri; & conſequenter per ſe ad illum non ſupponatur.

63 *Tertio arguitur.* Deinde argumentari poſſumus contra noſtram concluſionem ex D. Th. *lib. 1. ad Annibaldum diſt. 3. q. 1. art. 1. in ea p. & ad 2.* illis verbis: *Ad ſecundum de Angelo dicendum, quod quamuis cognoſcat diuinam bonitatem relucere in creatura; non tamen ex creatura venit in Creatorem, ſed è conuerſo:* ergo iuxta D. Tho. Angelus non cognoſcit in creatura Deum, cumque eadem ratio ſit de Chriſto, vt cognoſcente per ſcientiam per ſe infuſam, conſequenter eſt negandum, Chriſtum per huiuſmodi ſcientiam Deum in creaturis cognoſcere.

64 *Reſpondebis.* Nec ſufficit reſpondere, D. Th. ſolum negare Angelo cognitionem Dei diſcurſiuam, non autem omnem modum cognitionis Dei in creaturis, quod denotat illa particula ex, qua vtitur D. Th. ex quo non colligitur idem de Chriſto dicendum; Chriſtus enim poterat vti diſcurſu. Non inquam ſufficit; nam eo modo negat Angelo cognitionem Dei ex creaturis, quo illi attribuit cognitionem creaturarum ex Deo, vt conſtat ex illis verbis: *ſed è conuerſo*, quibus apertè concedit, Angelum cognoſcere creaturas ex Deo; ſed hæc cognitio diſcurſiua non eſt; cum Angelo diſcurſus repugnet: ergo negans Angelo cognitionem Dei ex creaturis, non ſolum cognitionem diſcurſiuam, ſed omnem cognitionem Dei Angelo conuenientem ex creaturis, etiam negare videtur. Quod amplius vrgetur; ſi namque effectus ſupernaturales repræſentarent Deum ſupernaturalem Auctorem, vt vnum, omni illos cognoſcenti, maximè comprehenſiuè, Deum repræſentarent; ſed Deo ipſos comprehendenti, Deum non repræſentant; alias Deus ſe ipſum in illis cognoſceret, cuius contrarium docuimus *Tract. de ſcientia Dei*, & ex D. Tho. monſtrauimus: ergo effectus ſupernaturales non repræſentant Deum Auctorem ſupernaturalem, vt vnum.

Contra.

Confirmatur.

65 *Hoc argumentū oppoſita ſententia non fauet.* Hoc argumentum non poteſt oppoſitæ ſententiæ fauere, quæ ſolum negat Chriſto cognitionem Dei, vt Auctoris ſupernaturalis habitam per ſcientiam infuſam; non vero omnem Dei cognitionem habitam ex creaturis, cum tamen D. Th. non loquatur de Deo, vt Auctore ſupernaturali, ſed abſolutè, ſiue vt eſt Auctor gratiæ, ſiue vt eſt Auctor naturæ. Ad illud reſpondeo, D. Tho. loqui de Angelo beato formaliter, vt beato; ſic autem verum eſt non cognoſcere Deum ex creaturis, nec formali, nec virtuali diſcurſu; eo quod viſio beatifica per ſe primo terminatur ad Deum, & ſecundario ad creaturas; ideoque vi illius non poteſt Deus ratione creaturarum, nec ex illis, nec in illis cognoſci, ſed è conuerſo, creaturæ cognoſcuntur per beatificam viſionem in Deo, & ratione Dei: non autem negat D. Th. ab Angelis cognoſci Deum in creaturis, vt cognitionis, quam habet de creaturis in ſe ipſis; cum expreſſe oppoſitum doceat 1. *p. q. 56. art. 3.* Ex hoc autem ſolum ſequitur Chriſtum per ſcientiam beatam non cognoſcere in creaturis Deum, quod libenter fatemur; non vero per ſcientiam per ſe infuſam immediatè ad creaturas terminatam Deum, vt illarum Auctorem non cognoſcere, quod in concluſione aſſerimus.

Ad illud reſpondetur.

66 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem dicatur, veram eſſe maiorem de omni intelligente capaci vtendi repræſentatione Dei in creaturis contenta, falſam autem de cognoſcente incapaci vtendi prædicta repræſentatione, qualem eſſe Deum *loco proximè allegato* monſtrauimus; eo quod vt cognoſcenti effectus creatos in illis Deus repræſentetur, eſt neceſſarium, vt Deus, in illis, & ratione illorum cognoſcatur; Deus autem eſt incapax cognoſcendi ſe ratione effectus creati; quia ad hoc oportebat, vt aliqua formalitas cognitionis diuinæ primario terminaretur ad entitatem creaturæ; & conſequenter ab illa ſpecificaretur, quod perfectioni diuinæ cognitionis non congruit, & ideo ſe in creaturis non cognoſcit: quæ ratio in intellectu animæ Chriſti non militat, nec in ſcientia per ſe infuſa, & ideo potuit Chriſtus Deum, vt Auctorem ſupernaturalem in effectibus creatis per huiuſmodi ſcientiam cognoſcere, nec ſequitur, effectus creatos non comprehendi ab intellectu diuino; eo quod non cognoſcat ratione illorum Deum, qui in ipſis repræſentatur, nam cognoſcit Deum vt terminum dependentiæ, vi alterius medij, in quo eminenter effectus creati continentur, quod ſufficit, vt illos perfectiſſimè comprehendat, licet in illis, aut ratione illorum, Deus ſe ipſum non cognoſcat.

67 *Contra 2. partem concluſionis arguitur.* Deinde contra ſecundam partem noſtræ concluſionis arguitur: vt enim *Diſput. præced. § 2. in ſolutione vltimi argumenti* docuimus, entia naturalia cognoſcuntur ab anima Chriſti per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem ſub ratione obiectiua ſupernaturali; ſed in obiecto ſupernaturali *obiectiuè*, poteſt Deus Auctor ſupernaturalis, vt vnus cognoſci: ergo in effectibus naturalibus, vt cognitis per ſcientiam infuſam, cognoſcitur ab anima Chriſti Deus Auctor ſupernaturalis, vt vnus; conſequentia tenet: maior conſtat ex dictis *loco allegato*. Minor autem probatur: obiectum enim cognitum, eſt medium, in quo aliud cognoſcitur formaliter ſub ratione obiecti: ergo in obiecto ſupernaturali *obiectiuè*, eſto ſit *entitatiuè* naturale, poteſt Deus vt Auctor ſupernaturalis cognoſci. Antecedens eſt certum. Et conſequentia probatur: nam obiectum *obiectiuè* ſupernaturale, eſto ſit *entitatiuè* naturale, neceſſario connotat in ratione obiecti, Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, & cum illo prout ſic exprimit connexionem; ſed in medio, quod *obiectiuè* ſumptum connotat Deum, vt ſupernaturalem Auctorem, & cum illo vt ſic connexo, poteſt Deus repræſentari, & conſequenter in illo cognoſci: ergo in obiecto ſupernaturali *obiectiuè*, etſi *entitatiuè* ſit naturale, poteſt Deus cognoſci, vt Auctor ſupernaturalis: & conſequenter in effectibus naturalibus, vt cognitis ab anima Chriſti per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem cognoſcitur Deus Auctor ſupernaturalis, vt vnus.

68 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, diſtinguendo conſequens: in effectibus naturalibus, prout ſunt naturales, nego conſequentiam: prout ſupernaturalitatem in ratione obiecti ſubinduunt, concedo conſequentiam; itaq; entia

natu-

naturalia conſiderari poſſunt dupliciter: primo ſecundum rationem entis naturalis, ſub qua conſideratione nullam exprimunt ſupernaturalitatem, nec in recto, nec in obliquo, & in illis prout ſic ſumptis, non poſſe Deum vt auctorem ſupernaturalem cognoſci, nec per ſcientiam naturalem, nec per ſcientiam ſupernaturalem, aſſerit noſtra concluſio. Secundo conſiderari poſſunt; prout ratione potentiæ obedientialis receptiuæ donorum ſupernaturalium, a ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali attinguntur: & quia potentia obedientialis connotat dona ſupernaturalia, & non poteſt comprehendi ſine illis, ſaltim in communi cognitis, nec dona ſupernaturalia cognoſci, non cognito Deo, vt illorum Auctore: ſit, vt entia naturalia, ſic ſumpta, Deum, vt ſupernaturalem repræſentent, & in illis prout ſic cognitis poſſit Deus, vt Auctor ſupernaturalis cognoſci, quod concluſio noſtra non negat, & ſi ſolum hoc intenderent contrariæ ſententiæ Auctores, non diſſentiremus ab illis: quia tamen non de entibus naturalibus ſub hac inſpectione loquuntur, ſed prout naturalia ſunt; nulla facta mentione potentiæ obedientialis, ratione cuius ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturali obijciuntur, idcirco ab illis recedimus.

69 *Replicabis.* Sed dices; ideo in effectibus naturalibus non poſſe Deum, vt Auctorem ſupernaturalem cognoſci probauimus quia cum non dependeant à Deo, vt Auctore ſupernaturali, ſed prout Auctore naturæ, non repræſentant Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, ſed ſolum vt naturalem; eo quod illorum repræſentatio in eorundem dependentia fundatur; ſed hæc ratio eſt nulla, ſi vera eſt noſtræ ſolutionis doctrina: ergo illa ſuppoſita poteſt Deus, vt Auctor ſupernaturalis in effectibus naturalibus prout naturales ſunt, cognoſci. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur, vt enim in argumenti ſolutione aſſeruimus Deus vt Auctor ſupernaturalis cognoſcitur per ſcientiam infuſam in effectibus naturæ ratione potentiæ obedientialis, ſub qua prædictæ ſcientiæ obijciuntur; ſed potentia obedientialis illis identificata, non eſt effectiuè à Deo, vt ſupernaturali Auctore, ſed prout Auctore naturæ; aliàs eſſet entitatiuè, vel ſaltim formaliter intrinſecè ſupernaturalis, contra frequentiorem Theologorum ſententiam: ergo quod effectus naturales prout naturales ſunt, à Deo, non vt ſupernaturali Auctore, ſed vt naturali effectiuè dependeant, non probat non poſſe ab illis repræſentari, & in illis prout ſic ſumptis Deum, vt ſupernaturalem Auctorem cognoſci; & conſequenter ſi vera eſt traditæ ſolutionis doctrina, deficit ratio, qua ſecundam partem noſtræ concluſionis monſtrauimus.

70 *Reſpondetur.* Reſpondeo entia naturalia, prout naturalia formaliter, nec in ſe, nec in aliquo ab ipſis prout ſic *extrinſecè* connotato, dependere à Deo, vt Auctore ſupernaturali, ſed tantum vt naturali; & ideo non repræſentant Deum, vt ſupernaturalem Auctorem, nec ſub hac ratione poteſt in illis cognoſci; potentia autem obedientialis ipſis identificata, licet pro eo, quod in recto importat, non dependeat à Deo, vt Auctore ſupernaturali, pro eo tamen, quod de connotato dicit, à Deo vt Auctore ſupernaturali dependet; connotat enim formas ſupernaturales dependentes à Deo, vt ſupernaturali Auctore, & quia potentia obedientialis, vt obedientialis formaliter nequit perfectè cognoſci, quin formæ ſupernaturales aliquo modo cognoſcantur; fit conſequens, vt ipſa perfectè nequeat cognoſci, non cognito Deo, vt ſupernaturali Auctore. Iuxta quam doctrinam explicata maiori propoſitione, nego minorem, quam non conuincit probatio; nam potentia obedientialis, etſi effectiuè ſit à Deo, vt Auctore naturæ; connotat tamen in ſuo formali effectu formas ſupernaturales à Deo, vt ſupernaturali Auctore effectiuè dependentes, & ratione illarum, Deum, vt ſupernaturalem Auctorem repræſentat, non quidem vt Auctorem ſui, ſed vt Auctorem termini, quem connotat, & ſine cuius cognitione ipſa cognoſci non poteſt. Effectus autem naturales, vt tales, nec in ſe, nec in termino ab ipſis, prout ſic connotato, repræſentant Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, ideoque in illis ſub hac conſideratione nullatenus poteſt cognoſci.

Potentia obedientialis nequit perfectè cognoſci Deo vt ſupernaturali Auctore non cognito.

§. V.

Myſterium Trinitatis fuiſſe per ſcientiam infuſam cognitum, probatur.

71 *Tertia concluſio.* TErtia Concluſio. *Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem cognouit Deum, vt Trinum euidenter quoad* an eſt, *in effectibus ſupernaturalibus, non vt ſunt à Deo effectiuè, ſed prout ad ipſam obiectiuè aliquo terminantur.* Ita Auctores quartæ ſententiæ: & quantum ad primam partem probatur Deus.n. non ſolum quoad vnitatem eſſentiæ, ſed etiam quoad Trinitatem perſonarum eſt cognoſcibilis extra Verbum cognitione quoad *an eſt*; ſed huiuſmodi cognitio non eſt incompoſſibilis in humanitate Chriſti cum vnione illius ad Verbum, nec cum donis conſequentibus vnionem, & alijs maximè decet dignitatem humanitatis aſſumptæ: ergo eſt ipſi concedenda. At non vi alterius luminis, quam ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ ergo cognouit Chriſtus per illam Deum vt Trinum in perſonis euidenter quoad *an eſt*. Maior, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, probatur; ideo namque Deus, vt Vnus, eſt cognoſcibilis extra Verbum euidenter quoad *an eſt*, quia entitates creatæ cum illo, vt ſic connectuntur, & poſſunt extra Verbum *quidditatiuè* cognoſci; ſed etiam dantur aliquæ entitates ſupernaturales creatæ cognoſcibiles *quidditatiuè* extra Verbum eſſentialiter cum Deo vt Trino connexæ, vt ex probatione tertiæ partis noſtræ concluſionis conſtabit: ergo Deus non ſolum vt Vnus, ſed etiam quatenus Trinus poteſt extra Verbum cognoſci euidenter quoad *an eſt*.

Prima pars concluſionis probatur.

72 *Secunda pars prob.* Deinde ſecunda pars concluſionis probatur; nam ideo in effectibus naturalibus, non poteſt Deus vt Trinus euidenter cognoſci; quia Deus non eſt cauſa illorum efficiens, vt Trinus, ſed vt Vnus per ſe, perſeitate cauſæ, vt docet D. Thom. *lib. 1. ad Annibaldam diſtinct. 3. q. 2. art. 2. in corpore*, ibi: *Et ratio huius eſt, quia Deus non habet reſpectum cauſæ ad creaturas ratione propriorum, ſed ratione appropriatorum*, id eſt ratione omnipotentiæ, quæ appropriatur Patri, ratione ſapientiæ, quæ appropriatur Filio, & ratione bonitatis, quæ appropriatur Spiritui Sancto. Et 1. p. q. 32. art. 1. in corpore, ibi: *Virtus autem creatiua Dei eſt communis toti Trinitati, vnde pertinet ad vnitatem eſſentiæ, non ad Trinitatem perſonarum*; ſed hæc ratio pari efficacia militat in effectibus ſupernaturalibus ſumptis, vt ſunt à Deo, tanquam à cauſa prima efficiente; nam Deus non eſt cauſa prima efficiens effectuum ſupernaturalium per ſe, perſeitate cauſæ, vt Trinus, ſed vt Vnus; cauſat enim ſupernaturales effectus per intellectum, vt dirigentem ad illorum productionem, per voluntatem, vt mouentem, per omnipotentiam, vt exequentem, intellectus autem, voluntas, & omnipotentia ſunt perfectiones toti Trinitati communes, vnde pertinent ad vnitatem eſſentiæ, non ad Trinitatem perſonarum, vt de virtute creatiua loquitur D. Tho. ergo in illis quamuis perfectè, & comprehenſiuè cognitis, ſumptis prout à Deo, vt à prima cauſa efficiente procedunt, non poteſt Trinitas perſonarum cognoſci cognitione euidenti quoad *an eſt*.

S. Th. Deus non vt Trinus per ſe, ſed vt vnus eſt cauſa ſupernaturalium effectuum.

73 *Confirmatur.* Quæ ratio amplius explicatur; de cauſa enim non poteſt per effectus, & ratione effectuum cognoſci, niſi ſolum id, quod per ſe conuenit cauſæ, quatenus eſt illorum cauſa; ſed Deo vt cauſæ primæ efficienti effectuum ſupernaturalium, non conuenit per ſe, quod ſit Trinus: ergo in illis quantum vis perfectè cognitis non poteſt Deus, quatenus Trinus cognoſci. Conſequentia eſt euidens: maior conſtat; effectus namque vt cogniti ducunt in cognitionem cauſæ ratione dependentiæ, quam habent ab illa; ſed ſolum id, quod conuenit cauſæ per ſe, perſeitate cauſæ, terminat dependentiam effectuum, terminatione ſaltim formali: ergo ſolum id, quod per ſe conuenit cauſæ repræſentant eius effectus; & conſequenter de cauſa ſolum id poteſt per effectus, & ratione effectuum cognoſci, quod conuenit cauſæ per ſe, quatenus eſt illorum cauſa.

74 *Minor prob.* Minor autem probatur; ideo enim Deus non eſt Trinus per ſe, perſeitate cauſæ effectuum naturalium, quia eſt cauſa illorum ratione virtutis creatiuæ, quæ eſt toti Trinitati communis, & Deo conuenit, non ratione proprietatum perſonalium, ſed ratione eſſentiæ, vt ea D. Thom.

vidi-

vidimus, cui omnes Theologi in hac parte conſentiunt, ſed eſt cauſa ſupernaturaliũ effectuum ratione eiuſdem virtutis, cum ſola differentia in modo operandi ſupra exigentiam naturæ: ergo non eſt Trinus per ſe, perſeitate cauſæ effectuum ſupernaturalium.

75 *Secundò.* Secundò eadem minor probatur; id enim non conuenit cauſæ per ſe, perſeitate cauſæ, quo non intellecto, vel per impoſſibili ablato ratio cauſæ perſeuerat; ſed non intellecta Trinitate perſonarum, intelligitur in Deo ratio cauſæ ſupernaturalium effectuum, & ſi per impoſſibile Deus non eſſet Trinus, eſſet prima cauſa efficiens illorum: ergo Trinitas perſonarum non conuenit Deo per ſe, perſeitate cauſæ ſupernaturalium effectuum. Probatur minor; non intellecta in Deo Trinitate perſonarum, intelligitur in illo potentia operatiua ad extra ſupra exigentiam naturæ, & quamuis Trinus non eſſet, poſſet ſupra exigentiam naturæ operari; ſed Deus eſt cauſa effectuum ſupernaturalium, prout eſt potens operari ſupra exigentiam naturæ: ergo non intellecta in Deo Trinitate perſonarum, intelligitur in ipſo ratio cauſæ ſupernaturalium effectuum, eſſetque illorum cauſa, quamuis per impoſſibile Trinus in perſonis non eſſet.

76 *Tertia pars concluſionis prob. Viſio beata non poteſt perfectè cognoſci, non cognito Deo, vt Trino euidenter quoad an eſt, prob. 1.* Tertia pars eiuſdem concluſionis probatur; vt enim *Diſput. præced. § 3. & 5.* docuimus, Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem cognouit quidditatiuè, & comprehenſiuè viſionem propriam beatificam, & aliorum beatorum viſiones; ſed non poteſt viſio beatifica quidditatiuè, aut comprehenſiuè cognoſci, non cognito Deo vt Trino euidenter quoad *an eſt*: ergo per ſcientiam infuſam cognouit anima Chriſti Myſterium Trinitatis euidenter quoad *an eſt*; conſequentia eſt bona: maiorem *loco allegato* monſtrauimus. Minor autem probatur primò; non enim poteſt reſpectus tranſcendentalis quidditatiuè cognoſci, non cognito illius termino euidenter quoad *an eſt*; ſed viſio beatifica dicit reſpectum tranſcendentalem ad Deum Trinum, & Vnum, quod eſt obiectum proprium illius: ergo non poteſt quidditatiuè cognoſci, non cognito Deo, vt Trino euidenter quoad *an eſt*. *Secundò.* Secundò; quia namque entitates creatæ dicunt ordinem tranſcendentalem ad Deum, quatenus vnum, vt ad cauſam efficientem, non poſſunt quidditatiuè, aut ſaltim comprehenſiuè cognoſci, non cognito Deo, vt vno euidenter quoad *an eſt*; ſed viſio beatifica dicit eſſentialiter ordinem tranſcendentalem ad Deum, quatenus Trinum, etſi non vt ad cauſam efficientem; benè tamen vt obiectum: ergo non poteſt quidditatiuè cognoſci Deo, vt Trino euidenter non cognito.

77 *Tertiò.* Tertiò; quia namque modus vnionis, quo humanitas Verbo vnitur, dicit eſſentialiter ordinem tranſcendentalem ad Verbum, vt ad extremum, non poteſt quidditatiuè cognoſci, non cognito Verbo euidenter *abſtractiuè*; ſed viſio beatifica dicit eſſentialiter ordinem tranſcendentalem ad Deum, quatenus Trinum, tanquam ad proprium obiectum: ergo non poteſt cognoſci quidditatiuè Deo, vt Trino, non cognito euidenter *abſtractiuè*. *Quartò.* Denique eadem minor probatur; non enim poteſt viſio beatifica quidditatiuè cognoſci, non cognita quidditatiuè illius veritate formali, quæ ipſi eſſentialis eſt; ſed non poteſt cognoſci euidenter, viſionem beatificam eſſe veram, veritate formali, non cognita euidenter veritate illius obiectiua, quæ in Deo Vno, & Trino conſiſtit: ergo non poteſt viſio beatifica cognoſci quidditatiuè, quin Deum, eſſe Trinum, euidenter innoteſcat.

78 *Reſpondet Lorca.* Huic argumento reſpondet Magiſter Lorca *vbi ſupra numero 11.* negando maiorem, quod nempè; viſio beatifica poſſit extra Verbum quidditatiuè cognoſci; eo quod relatio æqualitatis, vel conformitatis, non poteſt quidditatiuè cognoſci, non cognito illius termino quidditatiuè: viſio autem, & quæuis alia cognitio dicit ad obiectum ordinem conformitatis, in eſſe repræſentatiuo, ideoque viſio beatifica Deum, prout eſt in ſe repræſentans, non poteſt quidditatiuè cognoſci, niſi Deus prout in ſe cognoſcatur quidditatiuè, quod non poteſt per ſcientiam infuſam præſtari.

79 *Secundò reſpondet Vazq.* Secundò reſpondet Vazquez *Diſputatione allegata numero 5.* viſionem eſſe medium extrinſecum, ideoque in illo non poteſt euidens notitia haberi Trinitatis, prout in ſe, ſed ad ſummum poteſt vi illius obſcura cognitio deduci, quæ cum clara Dei viſione conueniente animæ Chriſti ſtare ſimul non poteſt. Additque *numero 6.* ſe alibi demonſtraſſe, quod vt Chriſtus viſiones beatificas per ſcientiam infuſam intueretur, deberet ipſam Dei eſſentiam, & Trinitatem intueri, & ita non haberet notitiam euidentem Trinitatis diſtinctam à viſione beatifica.

80 *Tertiò reſponderi poteſt.* Tertiò reſponderi poteſt; vt anima Chriſti viſionem beatificam, & alia dona cum Deo, vt Trino, connexa quidditatiuè, & comprehenſiuè cognoſcat, ſufficere, quod per ſcientiam beatam cognoſcat Deum, vt Trinum, qui eſt terminus; vel obiectum illorum; & ideo ex eo quod per ſcientiam per ſe infuſam prædicta dona quidditatiuè, & comprehenſiuè cognoſcat, non ſequitur per illam cognoſcere Trinitatem perſonarum.

81 *Quartò poteſt reſponderi.* Tandem reſponderi poteſt Trinitatem perſonarum non eſſe eſſentialem obiecto viſionis beatificæ in ratione obiecti formaliter, eo quod obiectum formale illius eſt diuina eſſentia ſecundum prædicata abſoluta: quod autem Deo in eſſe rei eſſentialiter conueniat, non ſufficit; vt in viſione beatifica poſſit, vt in obiecto prius cognito Trinitas perſonarum cognoſci, vt conſtat in Deo, vt eſt cauſa creaturarum efficiens, cui in eſſe rei eſſentiales ſunt perſonalitates diuinæ; & tamen quia in ratione cauſæ efficientis, illi eſſentiales non ſunt, non poſſunt ex vi cognitionis creaturarum, nec in illis cognoſci.

82 *Prima ſolutio reijcitur 1.* Nulla tamen ex his ſolutionibus argumento ſatisfacit, & contra primam præterea, quibus *Diſput. præcedenti §. 3. & 5.* monſtrauimus; viſionem beatificam quidditatiuè, & comprehenſiuè ab anima Chriſti cognoſci. Facit primò; nam innata illam, nec viſio beatifica, nec gratia habitualis; nec habitus fidei Theologicæ cognoſcuntur ab anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam diſtinctam à lumine gloriæ; ſed hoc expreſſè aduerſatur doctrinæ D. Thom. *in hac q. art. 1. in corpore*, vbi docet: *Omnia quæ nobis per reuelationem innoteſcunt cognoſci ab anima Chriſti per ſcientiam per ſe infuſam à lumine gloriæ diſtinctam, præter diuinam eſſentiam*; prædicta autem dona nobis reuelatione innoteſcunt: ergo ſolutionis doctrina Angelico Doctori aduerſatur; & conſequenter ſuſtinenda non eſt, præcipuè à Magiſtro Lorca; & alius doctrinæ D. Tho. addictiſſimo, & maximè in defenſione ſententiæ, quam cenſet expreſsè à D. Th. doceri. *S. Th.*

83 *Secundò.* Secundò; nam viſio beatifica non importat Deum obiectiuè viſum conſtitutiuè in recto, ſed tantum de connotato, & in obliquo; ſed alij reſpectus tranſcendentales, adeò poſſunt quidditatiuè, & perfectè cognoſci, terminis illorum quidditatiuè, non cognitis, ſed ſolum euidenter quoad *an eſt*; qui à ſolum in obliquo, & extrinſecè importantur, non autem intrinſecè, & conſtitutiuè, tanquam de illorum eſſentia: ergo poteſt viſio beata quidditatiuè cognoſci, non cognito quidditatiuè Deo, nec vt Vno, nec vt Trino, ſed ſolum cognitione euidente quoad *an eſt*. *Tertiò.* Tertiò, & explicatur magis hoc ipſum; vt enim Magiſter Lorca fatetur *Diſput. allegata numero 10.* potuit Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſam à lumine gloriæ diſtinctam cognoſcere quidditatiuè modum vnionis hypoſtaticæ; non cognito Verbo, illius reſpectum prout eſt in ſe terminante, cognitione quidditatiuâ, ſed ſolum cognitione euidente quoad *an eſt*: ergo licet viſio beata dicat reſpectum tranſcendentalem ad Deum, prout eſt in ſe, poterit intuitiuè, & quidditatiuè videri, Deo non cognito, vt in ſe quidditatiuè, & intuitiuè, ſed tantum cognitione abſtractiua euidente quoad *an eſt*.

84 *Quintò.* Præterea; nam licet viſio beata dicat reſpectum conformitatis ad Deum, eſt tamen conformitas infinitè deficiens à diuina perfectione: ergo non obſtante, quod reſpectus ille conformitatis ſit, poterit quidditatiuè cognoſci à non cognoſcente quidditatiuè Deum, & intuitiuè videri à non vidente Deum intuitiuè. Et quidem in homine, non ſolum datur reſpectus dependentiæ à Deo, ſed etiam reſpectus conformitatis cum ipſo; eſt enim imago Dei, ad rationem autem imaginis, nec ſufficit ſola ſimilitudo cum aliquo; nec procedere ab illo; ſed vtrumque requiritur, nempe, procedere ab exemplari; vt illi aliquo modo ſimile in eo, quod ipſi eſt proprium, de quo D. Th. *1. p. q. 93 art. 1 & ſequentibus*; & tamen quia ſimilitudo, & conformitas hominis cum Deo imperfecta eſt, & infinitè à diuina perfectione deficiens; poteſt reſpectus tranſcendentalis, quem homo dicit ad Deum, & homo perfectè, & quidditatiuè cognoſci, Deo quidditatiuè non cognito: ergo quamuis reſpectus viſionis ad Deum ſit reſpectus conformitatis, poterit perfectè, & quidditatiuè cognoſci, non cognito Deo quidditatiuè, & perfectè, ſed imperfectè ſolum, & abſtractiuè.

85 Denique reijcitur; nam eſto admittamus, viſionem beatificam eſſe Deo ſimilem in eſſe intentionali, & omnia

prædi-

Quinto. prædicata diuina intentionaliter continere, quod falſum eſſe. *Tract. de Viſione Dei 1. part. artic. 2.* docuimus; viſionem à Verbo eſſe diſtinctam probantes, & Verbum à beatifica viſione diſtingui, cum frequentiori Thomiſtarum ſententia oſtendentes: eſto tamen id admittatur, ſimilitudo illa in eſſe intentionali infinitè diſtat ab eſſentia Dei in eſſe naturali, illamque prout ſic, ſolum in obliquo, & extranſecè importat: ergo poterit ſimilitudo intentionalis conueniens viſioni beatificæ perfectè, & intuitiuè cognoſci non cognita eſſentia Dei, vt ſtat ſub eſſe naturali quidditatiuè, ſed ſolum cognitione abſtractiua euidenter quoad *an eſt*.

86 *Secundo; ſolutio impugnatur 1.* Deinde ſecunda ſolutio reijcitur primo: non enim minus extranſecè comparatur ad cauſam efficientem reſpectus tranſcendentalis, quem effectus dicit ad ipſam, quam cauſæ obiectiuæ, eſt extrinſecus reſpectus, quem ad illam dicit actus ſpecificatus; ſed hoc non obſtante poteſt cauſa efficiens per effectum cognitum, & ex illo, vel in illo à poſteriori euidenter cognoſci cognitione quoad *an eſt*: ergo pariter cauſa extrinſeca obiectiua, poterit euidenter a poſteriori cognoſci per actum, quem ſpecificat, & ex illo, vel in illo euidentia quoad *an eſt*; & conſequenter Deus, vt Vnus, & Trinus cognoſcitur euidenter quoad *an eſt*, mediante viſione beatifica cognita per ſcientiam infuſam.

87 *Secundo.* Secundo; nam in modo vnionis, quo humanitas Verbo vnitur cognito intuitiuè, & quidditatiuè, cognoſcitur Verbum euidenter abſtractiuè, eo quod modus ille eſſentialiter reſpicit Verbum, & non cauſatur à Verbo, prout humanitatem terminat in genere cauſæ efficientis, ſed ſolum ſpecificatiuè, & terminatiuè: ergo licet viſio beata non ſit à Deo viſo efficienter, quia tamen ab illo ſpecificatiuè cauſatur, poterit in illa, vt intuitiuè, aut quidditatiuè cognita, Deus per illam viſus euidenter abſtractiuè cognoſci euidentia quoad *an eſt*.

88 *Tertiò.* Tertio; nam omne, quod non poteſt ſine alterius cognitione cognoſci, ſi prius vt *quod* cognoſcatur, poteſt eſſe medium per *quod*, aut in *quo* alterum cognoſcatur; ſed viſio beata non poteſt intuitiuè cognoſci, non cognito Deo prout eſt obiectum illius, vt fatetur Pater Vazquez, & conſtat ex dictis, *in probatione 3. par. concluſionis*; & alias non eſt vnde probari poſſit repugnans, quod prius viſio cognoſcatur, quam Deus, qui eſt obiectum illius; ergo in illa prius cognita, poteſt Deus, vt eſt eius obiectum euidenter cognoſci; cumque huiuſcemodi cognitio reſpectu Dei intuitiua, & quidditatiua non ſit; vtpote per ſpeciem obiecti inferioris Deo habita, erit abſtractiua, & quoad *an eſt*.

89 *Tertia ſolutio reijcitur 1.* Et ex his tertia ſolutio reijcitur primo; nam licet verum ſit, ſufficere, vt viſio beata intuitiuè, aut quidditatiuè cognoſcatur, Deum intuitiuè alio lumine cognoſci; hoc tamen non tollit quominus in illa vt ratione ſui cognita Deus ipſe prout eſt obiectum viſionis, abſtractiuè cognoſcatur; ſed per ſcientiam infuſam cognoſcitur viſio beata in ſe, & ratione ſui: ergo in illa prout ſic cognita, Deus, vt illius obiectum cognoſcitur abſtractiuè, eſto aliàs per lumen gloriæ Deus intuitiuè ab anima Chriſti videatur. Conſequentia eſt bona. Minor conſtat ex dictis, & maior probatur; licet vt reſpectus tranſcendentalis creaturæ ad Deum, vt cauſam efficientem intuitiuè cognoſcatur, ſufficiat Deum in ſe intuitiuè videri, hoc tamen non obſtat, vt in creaturis cognitis ratione ſui, Deus, vt illarum cauſa, cognoſcatur euidenter abſtractiuè: ergo id ipſum eſt de beatifica viſione dicendum, quod, nempe, in illa, vt in ſe, & ratione ſui cognita, Deus cognoſcitur euidenter abſtractiuè, quamuis alio lumine intuitiuè cognitus ſupponatur.

90 *Secundò.* *S. Th.* Secundo, & explicatur magis hoc ipſum, vt enim docet D.Thom. in 1.diſt.3. q.1 art.3. in corp. *Ad hoc, quod aliquis ex creaturis in Deum deueniat, duo requiruntur, ſcilicet, quod ipſum Deum poſſit aliquo modo capere, & quod cognitio diuina in eo incipiat à creaturis, & terminetur ad creatorem; & ideo Angelis non conuenit Deum cognoſcere per creaturas, neque beatis hominibus, quia à creatoris cognitione procedunt ad creaturas.* Quam doctrinam repetit *ſolut. ad* 2. & intelligenda eſt de Angelis in quantum beatis, hoc eſt, per beatificam viſionem, vt *§. præced. ſolut. ad* 3. monſtrauimus; eo quod viſio beata non incipit in creatura, ſed in Deo, & ratione Dei ſecundario ad creaturas cognoſcendas extenditur; ergo ſentit D.Th. mediante cognitione, quæ incipit à creatura, poſſe veniri in creatoris cognitionem ratione dependentiæ, qua creatura à Creatore dependet, & ratione reſpectus tranſcendentalis, quo creatura Deum reſpicit; ſed Chriſtus per habitum ſcientiæ infuſæ cognoſcit viſionem beatificam cognitione ab illa incipiente, vtpote ad illam in ſe, & ratione ſui terminata; & aliàs viſio cognita dicit tranſcendentalem reſpectum ad Deum: ergo per illam potuit in Dei cognitionem venire, ipſumq; in illa cognoſcere euidenter abſtractiuè, quamuis alio lumine, intuitiuè cognitus ſupponatur.

Tandem vltima ſolutio reijcitur; id namque eſt eſſentiale Deo, non ſolum in eſſe entis, ſed etiam in ratione obiecti viſionis beatificæ, quod ab illa exigitur eſſentialiter in Deo, vt ab ipſa cognito; ſed viſio petit eſſentialiter Trinitatem perſonarum attingere: ergo Trinitas perſonarum conuenit eſſentialiter Deo, non ſolum in eſſe rei, ſed etiam in eſſe obiecti viſionis. Conſequentia tenet: maior eſt certa, & ab exemplo in ſolutione adducto probatur; ſi enim creaturæ eſſentialiter exigerent Trinitatem perſonarum, eſſet Deus eſſentialiter Trinus, non ſolum in eſſe entis, ſed etiam in ratione cauſæ, & principij creaturarum: ergo quod a viſione beata eſſentialiter exigitur, in Deo, vt obiecto illius, eſt Deo, nedum in ratione entis, ſed etiam in ratione obiecti eſſentiale. Minor autem probatur; nam omne, quod eſt alicui eſſentiale in eſſe rei, eſt etiam ipſi eſſentiale in ratione obiecti cognitionis, qua quidditatiuè cognoſcitur; hæc namq; ſi perfecta ſit; petit ad omnia prædicata eſſentialia terminari; ſed viſio beatifica eſt cognitio quidditatiua perfecta Dei: ergo perſonalitates Deo in eſſe rei eſſentiales, ſunt etiam ipſi eſſentiales, prout eſt obiectum cognitum per viſionem beatam. 91 *Quarta ſolutio impugnatur.*

---

§. VI.

Argumentis in contrarium occurritur.

COntra primam partem concluſionis obijciunt contrarij Auctores primo verba illa D.Thom. in hac q. art. 1. in corp. *Ipſam tamen Dei eſſentiam per hanc ſcientiam non cognouit, ſed ſolum per primam*, ſcilicet, per ſcientiam beatam: ergo iuxta D.Thom. non cognouit anima Chriſti per ſcientiam per ſe infuſam Trinitatem perſonarum. 92 *Arguitur 1. ex D. Th.*

Reſpondeo ex dictis §.4. verba ea D.Th. adducta, non excludere ab anima Chriſti Domini omnem cognitionem circa diuinam eſſentiam, ſed ſolum cognitionem quidditatiuam, qua dona creata in ſe ipſis cognoſcit per ſcientiam infuſam: ex quo tantum ſequitur, non cognouiſſe extra Verbum Trinitatem perſonarum cognitione perfecta quidditatiua; non autem quod non cognouerit Trinitatem perſonarum per ſcientiam per ſe infuſam cognitione euidente quoad *an eſt* in vi donorum, quæ per huiuſmodi ſcientiam quidditatiuè, & comprehenſiuè cognoſcit, & ſunt cum Trinitate perſonarum connexa; quam interpretationem eſſe menti Angelici Præceptoris conformem *loco allegato* monſtrauimus, & quæ illi obſtare poſſunt diluimus. *Reſpondetur.*

Secundò obijcis P. Vazquez argumentum ſupra factum contra cognitionem Dei, vt Auctoris ſupernaturalis, quam in humanitate Chriſti conceſſimus, ex vi effectuum ſupernaturalis ordinis, quæ per ſcientiam per ſe infuſam comprehenſiuè cognouit; nam Trinitas perſonarum non potuit extra Verbum cognoſci quidditatiuè, ſed ad ſummum quoad *an eſt*, nec per ſimplicem cognitionem, ſed cognitione diſcurſiua; ſed cognitio habita per ſcientiam infuſam eſt perfecta, & quidditatiua, nec diſcurſiua eſſe poteſt: ergo eſto admittatur in anima Chriſti Domini cognitio euidens Trinitatis perſonarum extra Verbum; aſſerendum tamen non eſt huiuſcemodi cognitionem per ſcientiam per ſe infuſam habuiſſe. 93 *Secundo arguitur.*

Reſpondeo ex dictis §.4. quod licet cognitio habita per ſcientiam infuſam quidditatiua ſit reſpectu obiecti primarij, nempe, entis creati, vt in ſe, & ratione ſui ſupernaturaliter cognoſcibilis, non tamen debet eſſe cognitio quidditatiua reſpectu obiecti ſecundarij, quod non in ſe, & ratione ſui, ſed in obiecto primario, prius cognito cognouit; Deus autem, nec vt Vnus, nec vt Trinus primario 94 *Reſpond. Poteſt eadē ſcientia eſſe intuitiua, et abſtractiua reſpectu diuerſi obiecti, & quidditatiua et abſtractiua cognitio.*

per

per ſcientiam per ſe infuſam cognoſcitur; & ideo Trinitatis cognitio habita per ſcientiam infuſam quidditatiua non eſt. Nec repugnat vnam, & eandem cognitionem eſſe quidditatiuam reſpectu obiecti primarij, & reſpectu ſecundarij non eſſe quidditatiuam, ſicut non repugnat vnam, & eandem notitiam eſſe intuitiuam reſpectu obiecti primarij, & reſpectu ſecundarij abſtractiuam; nam viſio beatifica eſt intuitiua Dei, ad quem primo terminatur, & abſtractiua cognitio creaturarum poſſibilium, ad quas ſecundario terminatur.

95 *Trinitas perſonarū poteſt extra Verbū euidenter ſine diſcurſu cognoſci per ſcientiam infuſā, & etiam cognitione diſcurſiua.*

Quod autem Trinitas perſonarum non poſſit cognoſci euidenter extra Verbum, niſi tantum cognitione diſcurſiua omnino falſum cenſemus; ſicut enim Deus, vt Auctor naturæ, poteſt euidenter cognoſci in effectibus cum ipſo connexis ab Angelo ſine diſcurſu, & ex illis ab homine per diſcurſum: ita Perſonarum Trinitas in donis cum illa eſſentialiter connexis, poteſt ſine diſcurſu cognoſci. Vnde ex hoc capite non repugnat eſſe euidentēr cognitam ab anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, per quam poterat ſine diſcurſo cognoſcere; & dato, quod Trinitas perſonarum cognitione diſcurſiua euidenter cognoſcatur, potuit etiam huiuſcemodi cognitio per ſcientiam infuſam haberi; vt enim *numero* 4. vidimus ex D. Thom. potuit Chriſtus per huiuſmodi ſcientiam diſcurrere; & conſequenter potuit ex cognitione donorum, quæ ſunt cum Trinitate perſonarum connexa illius euidentem cognitionem elicere per diſcurſum.

96 *Opponet.*

Sed contra iſtam doctrinam obijcies; ſequitur namque ex illa poſſe dari ſpeciem impreſſam immediatam Trinitatis, quæ quidditatiua non ſit, ſed ſolum quoad *an eſt*, illam euidenter repræſentans; conſequens eſt contra dicta *in hac Diſp.* §. 2. vbi prædictam ſpeciem impoſſibilem cenſuimus: ergo falſa eſt traditæ ſolutionis doctrina. Probatur ſequela; eo ipſo, quod Trinitas perſonarum ſit cognoſcibilis euidenter per diſcurſum ex præcognitione donorum, quæ cum illa connectuntur, neceſſario eſt concedenda ſpecies expreſſa immediata Trinitatis, quæ quidditatiua non ſit: ſed ſpecie expreſſa conceſſa, non eſt cur repugnet impreſſa eiuſdem cognitionis: ergo ex doctrina traditæ ſolutionis ſequitur eſſe dabilem ſpeciem impreſſam immediatam Trinitatis, quæ quidditatiua non ſit. Conſequentia tenet. Minor conſtat à paritate rationis; ſicut enim ſpecies impreſſa eſt ſimilitudo formalis obiecti, in principijs Thomiſtarum: ita etiam ſpecies expreſſa eſt ſui obiecti formalis ſimilitudo in eſſe intentionali; quocirca *Tract. de Viſione Dei art.* 2. cum frequentiori Thomiſtarum ſententia, implicatoriam cenſuimus ſpeciem expreſſam creatam Deum quidditatiuè repræſentantem, iudicantes euſdem rationibus illius implicationem monſtrari, quibus D. Tho. probat implicare ſpeciem impreſſam creatam repræſentantem Deum quidditatiuè: ergo admiſſa, vt poſſibili, ſpecie expreſſa immediata Dei, quæ quidditatiua non ſit, id ipſum de ſpecie impreſſa conſequenter eſt admittendum. Maior autem probatur; cognitio namque circa obiectum aliquod habita per diſcurſum ex priori cognitione, immediatè terminatur ad obiectum cognitum diſcurſiuè, quin inter illam, & proprium obiectum mediet obiectum præcognitum, ex cuius cognitione cauſatur; vt conſtat in cognitione cauſæ per effectum, & in cognitione effectus per cauſam, & ex cauſa; hæc namque immediatè terminatur ad effectum, & illa immediatè terminatur ad cauſam; ſed omni cognitione producitur Verbum, & ſpecies expreſſa obiecti, excepta viſione beata: ergo per cognitionem diſcurſiuam immediatè ad proprium obiectum terminatam producitur ſpecies expreſſa illud immediatè repræſentans; & conſequenter ſi Trinitas perſonarum cognitione diſcurſiua cognoſcitur, neceſſario eſt admittenda ſpecies expreſſa immediata Trinitatis, cumque quidditatiua non ſit, ſicut nec cognitio illam cauſans eſt cognitio quidditatiua, neceſſario eſt aſſerendum, dari ſpeciem expreſſam immediatam Trinitatis, quæ quidditatiua non ſit, ſed ſolum repræſentatiua illius euidenter quoad *an eſt*.

97 *Hoc arg. contrarijs non fauet.*

Hoc argumentum non poteſt Auctoribus contrarijs fauere, qui licet inficientur poſſibilem extra Verbum euidentem Trinitatis notitiam; concedunt tamen poſſe Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, vt trinum euidenter extra Verbum cognoſci, cognitione per diſcurſum habita ex effectibus ſupernaturalibus quidditatiuè, aut comprehenſiuè cognitis, iuuat tamen, vt videamus qualitatem ſpeciei, ſiue expreſſæ, ſiue impreſſæ, quibus perſonarum Trinitas poteſt extra Verbum repræſentari, & cognoſci. Ad illud reſpondeo, negando ſequelam: ad illius probationem, nego maiorem. ad cuius probationem, nego iterum maiorem, quod, nempè, cognitio diſcurſiua obiecti ſit illius immediata; nam licet non mediet inter illam, & proprium obiectum illud ex cuius cognitione cauſatur, tanquam terminus illius, mediat tamen vt obiectum mouens ad illam; cum enim effectus per diſcurſum ex cauſa cognoſcitur, licet cauſa non cognoſcatur per effectus cognitionem: mouet tamen cauſa ad prædictam cognitionem, & è contra, cum cauſa cognoſcitur per effectum, effectus ex cuius cognitione in cognitionem cauſæ venitur, ad hanc cognitionem mouet: ex quo tantum ſequitur ſpeciem expreſſam Trinitatis productam per cognitionem euidentem, illius habitam per diſcurſum ex effectibus præcognitis, repræſentare immediatè Trinitatem immediatione terminatiua per excluſionem, obiecti mediantis *terminatiuè* inter illam, & Trinitatem repræſentatam, non autem quod Trinitatem repræſentet immediatè *motiuè*; nam etſi effectus præcogniti non terminent repræſentationem illius, mouent tamen ad prædictam repræſentationem, ratione ſpecierum, per quas immediatè in ſe cognoſcuntur: ad modum quo cognitio immediata entis rationis producit ſpeciem expreſſam immediatam illius *terminatiuè*; quia ens reale non repræſentatur per illam; non tamen immediatam *motiuè*, eo quod ab ente reali mouetur, ad cuius inſtar, & per cuius ſpeciem ens rationis à noſtro intellectu cognoſcitur.

Ad illud reſpondetur. Cognitio diſcurſiua obiecti, nō eſt immediata illius.

98 *Inſtabis. Dabilis eſt ſpecies impreſſa creata immediatè repræſentans Deū, & Trinitatem, terminatiuè, non tamē immediata motiuè.*

Sed dices: ergo etiam erit dabilis ſpecies impreſſa Trinitatis immediata *terminatiuè*, non tamen *motiuè*, quæ illam quoad *an eſt* repræſentet; conſequens aduerſatur dictis §. 2. ergo etiam reſolutionis doctrina. Reſpondeo concedendo conſequentiam, & negando minorem, quod ſcilicet, ſpecies impreſſa immediata Dei, aut Trinitatis tantum immediatione terminatiua, dictis §. 2. aduerſetur. Ibi namque ſolum negauimus ſpeciem Dei immediatam *motiuè*, & *terminatiuè* non autem ſpeciem impreſſam, ſolum hoc ſecundo modo immediatam; ibi namque de ſpecie Dei per ſe infuſa agebamus; ſpecies autem immediata Dei, non *motiuè*, ſed *terminatiuè* ſpecies per ſe infuſa non eſt, ſed ex præconceptis cauſata. Modus autem quo hæc ſpecies poteſt haberi explicuimus *Tractat. de Exiſtentia Dei* t. 9. *quæſt.* 2. cum Capreolo *in* 1. *diſt.* 3 *q* 1. *art.* 1. *concl.* 8. ex D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art* 9. *ad* 2 illis verbis: *Ad ſecundum dicendum, quod aliquæ potentiæ cognoſcitiuæ ſunt, quæ ex ſpeciebus primo conceptis, alias formare poſſunt; ſicut imaginatio ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri format ſpeciem montis aurei: & intellectus ex præconceptis ſpeciebus generis, & differentiæ format rationem ſpeciei, & ſimiliter ex ſimilitudine imaginis formare poſſumus in nobis ſimilitudinem eius, cuius eſt imago* Vbi D. Thom. loqui de ſpecie impreſſa patet; nam loquitur de illa ſpecie, quæ eſt principium cognitionis; hæc autem non eſt ſpecies expreſſa, ſed impreſſa, & de illa docet, poſſe ex præconceptis ſpeciebus procedere; ad hunc igitur modum, non reputo impoſſibile dari ſpeciem impreſſam immediatam per hoc quod media ſpecie impreſſa repræſentante viſionem beatam, & cognitione eiuſdem, adiuncta cognitione trinitatis, ſpecies trinitatem repræſentans cauſetur; quæ quidem erit ſpecies trinitatis immediate *terminatiuè*, non autem *motiuè*, ſicut cognitio trinitatis, ex qua immediate procedit, etſi immediata *terminatiuè* Trinitatis ſit, non ab illa, ſed à viſione beata, cuius ſpecie mediante procedit, mouetur: ſicut cognitio entis rationis elicita media ſpecie entis realis, non ab ente rationis, ſed ab ente reali mouetur.

99 *S. Tho. Modus quo prædicta ſpecies cauſatur.*

100 *Ratio poſſibilitatis illius traditur.*

Ratio autem cur ſpecies impreſſa Dei immediata pure *terminatiuè* non repugnet, bene tamen ſpecies Dei immediata *motiuè*, eſt; nam ſpecies impreſſa conuenire debet in gradu immaterialitatis cū obiecto, cuius virtus eſt; non autē eſt virtus obiecti immediate terminātis, ſed obiecti immediate mouentis, ideoq; non cū Deo immediate terminā te, ſed cū obiecto immediate mouente conuenire debet: vnde ſi hoc creatum ſit, poteſt ſpecies creata concedi *motiuè* ab illo procedens, & ad Deum immediate terminata; ſecus autē ſpecies creata, quæ ſit Dei immediate *motiuè* ob rationem aſſignatam. Sed de his plura *loco proxime allegato*.

101 *Tertio arguitur.*

Tertio obijciunt: omnis enim euidens cognitio obiecti, debet eſſe, vel immediata, vel mediata; ſed nullo ex his modis poteſt extra Verbum dari cognitio euidens Trinitatis: ergo talis cognitio impoſſibilis eſt. Conſequentia cum maiori tenet. Minor pro prima parte eſt certa: nam cognitio euidens immediata Trinitatis, eſt clara intuitio illius & conſequenter indiſtincta à viſione beatifi-

ea. Pro ſecunda parte probatur: nam cognitio euidens mediata, vel per cauſam procedit in cognitionem effectus, vel per effectum in cognitionem cauſæ; ſed nullo ex his modis poteſt Trinitas mediate cognoſci: ergo non poteſt dari cognitio euidens mediata Trinitatis. Minor pro prima parte conſtat: nam Trinitas cauſam non habet, & conſequenter per cauſam, quæ realiter cauſa ſit, non poteſt euidenter cognoſci, & licet diuina eſſentia ſit cauſa virtualis illius, non tamen poteſt euidenter extra Verbum immediate cognoſci, quod neceſſarium erat vt per illam Trinitas cognoſceretur. Quod autem nec ſecundo mediationis modo cognoſci poſſit, probatur: nam effectus ſupernaturales non dependent per ſe a Deo quatenus Trino, ſed ſolum quatenus Vno, vt §. *præcedenti* docuimus; ſed mediante effectu non poteſt cauſa cognoſci, niſi tantum ſub illa ratione ſub qua effectus ab illa dependet: ergo non poteſt euidens notitia Trinitatis mediata per effectus haberi. Quod argumentum adeo efficax viſum eſt Magiſtro Lorca, vt illud euidens eſſe cenſuerit.

102 *Reſpondetur.* Reſpondeo, cognitionem euidentem Trinitatis, quam humanitati Chriſti concedimus, non eſſe immediatam, ſed mediatam, non per cauſam, ſed per effectum, habitam vi ſcientiæ infuſæ, non in omni effectu ſupernaturali, ſed in aliquibus donis neceſſario cum Trinitate connexis, vt eſt gratia habitualis, fides Theologica, & præcipuè viſio beatifica, quæ à Chriſto per ſcientiam infuſam ſunt quidditatiuè, & comprehenſiuè cognita, vt *diſp. præcedenti* §. 3. & §. 4 monſtrauimus: & quia viſio non poteſt quidditatiuè, aut comprehenſiuè cognoſci, non cognito ordine tranſcendentali ad proprium viſionis obiectum, quod eſt Deus vt Vnus, & Trinus, in illa, vt comprehenſa, mediate Trinitas perſonarum, euidenter fuit ab anima Chriſti cognita per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. Nec vrget probatio in contra: nam licet alij ſupernaturales effectus cum Deo vt Trino non connexi, non poſſint ducere in cognitionem euidentem Trinitatis, nec viſio beata id poſſit, vt effectus Dei eſt, vt cauſæ primæ efficientis præſtare, ob rationem ſupra factam, & quæ in argumento fit: quia nempe non dependet per ſe à Deo, vt cauſa prima efficiente, vt Trino, ſed tantum vt vno quia tamen præter hanc dependentia generalem in genere cauſæ efficientis, eſt alia in viſione beatifica, nempe, in genere cauſæ obiectiuæ, ſpecificatur enim a Deo; & conſequenter dependet ab illo, vt à cauſa extrinſeca formali, & in hoc genere cauſæ per ſe dependet a Deo, non ſolum, vt eſt Vnus in eſſentia, ſed etiam, vt Trinus eſt in perſonis; fit conſequens, vt in viſione beatifica vt quidditatiuè, & comprehenſiuè cognita, Deus quoad *an eſt* euidenter cognoſcatur, prout eſt Trinus in perſonis. Quod autem contra iſtam doctrinam opponit Magiſter Lorca, ſcilicet, non poſſe viſionem beatam extra Verbum quidditatiuè cognoſci, falſum eſt, vt conſtat ex dictis *in hac diſp. §. præcedenti, & diſp. 3. §. 3 & 5.*

Nec magis vrget, quod Vazquez, & alij ex ipſo contra
103 *Opponit Vazq.* iſtam doctrinam opponunt, nempe, viſionem beatam eſſe Deo vt Trino extrinſecam; per medium autem ex intrinſecum non poteſt aliquid euidenter mediate cognoſci, etiam euidentia quoad *an eſt*. Hoc inquam nihil vrget; nam
Reſpondetur. licet viſio beatifica extrinſece comparetur cum Deo, dicit tamen intrinſecum ordinem ad Deum prout eſt in ſe, & prout eſt Trinus, & Vnus, ab illoque vt ab obiecto dependet in genere cauſæ formalis extrinſecæ; medium autem quod licet extrinſecum ſit, dicit tamen intrinſecum ordinem ad aliquem terminum, & ab illo intrinſece dependet, poteſt vt cognitum ducere in cognitionem euidentem illius vt conſtat in ordine tranſcendentali effectus ad principiũ efficiens, qui licet extrinſecus ſit, ducit tamen in cognitionem euidentem illius; & conſequenter licet viſio beatifica extrinſecè comparetur ad Deum, vt Vnum, & Trinum, in illa tamen, vt quidditatiuè, & comprehenſiue cognita, poteſt, vt Vnus, vt Trinus, & Vnus, euidenter mediate cognoſci euidentia quoad *an eſt*. Nec obſtat ſi dicas; eſſe diſparem
104 *Inſtabis.* rationem inter ordinem effectus ad ſuam cauſa efficientem & ordinem viſionis ad Deum, vt ad obiectum; nam licet ordo effectus ſit extrinſecus cauſæ efficienti, eſt tamen ipſi intrinſecum effectum in ſe continere; ideoque in effectu cognito poteſt cauſa efficiens euidenter cognoſci. Deo autem, ex vna parte comparatur extrinſecè viſio, & ex alia, non eſt ipſi intrinſeca continentia viſionis; ac proinde non poteſt viſio vt cognita euidentem Dei cognitionẽ inducere.

Non inquam obſtat; ſicut enim Deo intrinſecum eſt con-
105 tinere effectus creatos in genere cauſæ efficientis; ita eſt ipſi intrinſecum continere viſionem, quam terminat in genere cauſæ obiectiuæ; non enim conſtituitur *obiectiuè* conti- *Reſpondetur.* nens viſionem per aliquod ſibi extrinſecum: ergo ſi poteſt per effectus à ſe cauſatos in genere cauſæ efficientis, euidenter abſtractiuè cognoſci, quia illorum continentia effectiua non eſt Deo extrinſeca, ſed intrinſeca, poterit etiam per viſionem beatificam, & in illa euidenter cognoſci quia intrinſeca eſt continentia obiectiua viſionis. Et quidem Deus non ſolum euidenter cognoſcitur in effectibus creatis, prout ſunt ab illo in genere cauſæ efficientis, ſed etiam prout ſunt ab illo in genere cauſæ finalis; & tamen cum Deo, vt fine, non minus extrinſecè comparantur effectus finalizati, quam cum Deo, vt obiecto, extrinſecè comparatur viſio ſpecificata: ergo ex ratione comparationis extrinſecæ ad Deum perperam colligitur non poſſe viſionem, vt cognitam, Deum euidenter quoad *an eſt*, repræſentare, & in illa vt cognita non poſſe euidenter cognoſci.

Sed contra iſtam doctrinam obſtat quartum argumentum; ideo namque in viſione beata, vt effectu Dei in gene- 106 *Vrgebis, et eſt quartũ argum.*
re cauſæ efficientis, non poteſt Trinitas perſonarum euidenter cognoſci, euidentia quoad *an eſt*, quia non dependet per ſe a Deo, vt Trino in prædicto genere cauſæ; ſed nec etiam in genere cauſæ obiectiuæ dependet per ſe à Deo quatenus trino: ergo in illa, vt *obiectiuè* dependeret a Deo, non poteſt euidenter Trinitas perſonarum cognoſci. Conſequentia eſt bona. Maior conſtat ex dictis. Minor autem probatur; vt enim §. *præcedenti* ex D. Thom. arguebamus, noſtram confirmantes ſententiam, ideo Deus non eſt per ſe Trinus, perſeitate cauſæ efficientis, & creaturæ ab illo, vt trino non dependent in genere hoc cauſandi per ſe; quia non eſt cauſa efficiens ratione proprietatum perſonalium, ſed ratione virtutis productiuę, quæ Deo conuenit ratione eſſentiæ abſolutæ; ſed etiam eſt obiectum ſpecificans viſionem beatificam, non rationem relationum ſed ratione naturæ, & eſſentiæ: ergo non eſt per ſe Trinus in ratione cauſæ ſpecificantis viſionem, nec viſio per ſe à Deo, quatenus trino dependet perſeitate cauſæ obiectiuæ. Minor, cui ſolum poteſt difficultas ineſſe, probatur, Deus enim conſtituitur in ratione cauſæ ſpecificantis viſionem per obiectum formale motiuum, & terminatiuum viſionis; ſed obiectum formale motiuum, & terminatiuum viſionis beatificæ non ſunt relationes, ſed diuina eſſentia, & natura, vt de obiecto formali diuini intellectus docuimus *tract. de ſcient. in Deo*, non eſſe ens diuinum tranſcendens, nec diuinas relationes, imo nec attributa diuina, ſed ſolum diuinam eſſentiã prout ab omni alia Dei perfectione diſtinctam: ergo non eſt per ſe Trinus, perſeitate cauſæ obiectiuæ ſpecificantis viſionem beatam, nec à Deo vt trino per ſe viſio beata dependet perſeitate cauſę obiectiuæ.

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem; 107 *Reſpondetur.*
ratione naturæ, & eſſentiæ, vt includentis in ſe relationes, & vt incluſæ in illis, concedo minorem: ratione naturæ, & eſſentiæ ſine hac incluſione, nego minorem, & conſequentiam. Contra quam diſtinctionem non obſtat probatio minoris, nam licet, non relationes, ſed eſſentia ſit obiectum formale ſpecificans viſionem, non tamen hoc habet eſſentia niſi vt exigens relationes, vt terminantes habitudinem viſionis beatificæ exigentia conueniente eſſentiæ diuinæ per ſe, nõ ſolum in eſſe entis, ſed etiam in eſſe obiecti, eo quod viſio beatifica eſt cognitio quidditatiua perfecta eſſentiæ diuinæ; de ratione autem cognitionis quidditatiuæ perfectæ alicuius obiecti, eſt attingere omnia illius prædicata eſſentialia, & quia relationes ſunt eſſentiales eſſentiæ, & naturæ diuinæ petit beatifica viſio taliter attingere eſſentiam, quod in illa, & ratione illius attingat proprietates relatiuas; ac proinde quamuis eſſentia diuina ſit obiectum formalem terminatiuum viſionis, prout diſtinguitur à relationibus; petit tamen relationes, non ſolum in eſſe rei, ſed etiam in ratione obiecti viſionis, vt cognitas per viſionem in eſſentia, & ratione eſſentię, & ideo non poteſt viſio quidditatiuè, & comprehenſiuè cognoſci, non cognitis relationibus euidenter quoad *an eſt*, vt obiectis illius habitudinem terminantibus: at omni potentia Dei, vt Deum conſtituat cauſam primam efficientem viſionis, etſi in eſſe rei petat Trinitatem perſonarum, in ratione tamen cauſæ Trinitatem perſonarum non petit, cum à creaturis, prout efficienter cauſatis poſtuletur, & id ſolum cauſæ conueniat per ſe perſeitate cauſæ, quod per ſe in illa ab effectibus exigitur, & ideo in effectibus creatis, prout ſunt a Deo in genere cauſæ efficientis, non poteſt Trinitas perſonarum euidenter cognoſci.

Sed dices; ſequi ex iſta ſolutione poſſe in viſione bea- 108
ta,

Replicabis. ta, prout eſt à Deo in genere cauſæ efficientis Trinitatem perſonarum cognoſci; conſequens eſt contra dicta *in ſecunda, & tertia parte*, concluſionis: ergo & tradita ſolutio. Probatur ſequela, nam diuina eſſentia vnita mentibus beatorum, vt ſpecies, efficienter ad beatificam viſionem concurrit; ſed ſi vera eſt noſtræ ſolutionis doctrina, ſequitur, poſſe Trinitatem perſonarum cognoſci in viſione beata, vt procedit à Diuina eſſentia, vt ſpecie: ergo ſequitur, poſſe Trinitatem perſonarum cognoſci euidenter in beatifica viſione, vt eſt effectus Dei in genere cauſæ efficientis. Probatur minor; nam, iuxta noſtræ ſolutionis doctrinam, Trinitas perſonarum cognoſcitur in beatifica viſione, prout eſt à Deo *obiectiuè*: quia obiectum terminatiuum viſionis eſt diuina eſſentia, vt exigens relationes, ſed etiam diuina eſſentia, vt ſpecies mentibus beatorum vnita, exigit relationes diuinas: ergo poſſunt relationes conſtituentes, & diſtinguentes perſonas, cognoſci euidenter quoad *an eſt* in beatifica viſione, vt dependet à diuina eſſentia vt ſpecie; & conſequenter poſſunt in illa cognoſci, ſecundum quod eſt à Deo in genere cauſæ efficientis.

109 *Reſpondetur 1.* Huic obiectioni reſponderi poteſt primo, diſtinguendo conſequens: in viſione beata, prout eſt à Deo, vt à cauſa prima effectiua, nego ſequelam: vt eſt à Deo efficienter, vt à cauſa ſpeciali *obiectiuè* concurrente ſimul cum intellectu beati, transeat conſequens: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Itaque viſio beata, vt dependens à Deo in genere cauſæ efficientis, conſiderari poteſt dupliciter. Primo ſecundum dependentiam à Deo, vt à cauſa prima dante intellectui virtutem, illam conſeruante, & *ſubiectiuè* applicante ad elicientiam viſionis, qua ratione, cum omni cauſa ſecunda concurrit ad illarum operationes. Secundo conſideratur ſecundum dependentiam à Deo, vt *obiectiuè* concurrente ſimul cum intellectu, eo quod iuxta axioma commune: *Ab obiecto, & intellectu paritur intellectualis notitia*, qui concurſus, effectiuus eſt in frequentiori diſcipulorum, Diui Thomas doctrina. Primo modo, ſumpta viſione negauimus poſſe in illa, vt effectu Dei in genere cauſæ efficientis cognoſci euidenter Trinitatem perſonarum, ſicut nec in alijs effectibus etiam ſupernaturalibus poteſt euidenter cognoſci, ſi autem ſecundo modo ſumatur, nullum inconueniens eſt, admittere in viſione beata, vt effectu Dei in genere cauſæ efficientis concurrentis concurſu ſpeciali obiectiuo poſſe euidenter Trinitatem perſonarum cognoſci, nec modus iſte cognitionis Trinitatis in beatifica viſione à nobis negatus eſt, nec à Theologis eſt tactus.

Secundo reſpondetur, negando ſequelam. Ad illius probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem explico, & diſtinguo maiorem: quia obiectum terminatiuum eſt diuina eſſentia, vt exigens relationes, vt terminantes habitudinem viſionis, & vt cognitas per illam, concedo maiorem: quia illas exigit præciſe, nego maiorem, & diſtinguo minorem: diuina eſſentia, vt ſpecies exigit relationes, vt mouentes ad viſionem, nego minorem: exigit illas, vt obiectiue viſionem terminantes, concedo minorem, & nego conſequentiam. Ratio autem diſtinctionis traditæ eſt: nam de ratione cognitionis quidditatiuæ adæquatæ, eſt, quod ipſam nullum prædicatum lateat, quod eſt obiecto eſſentiale, ſed ad omnia terminetur; non tamen petit ab omni prædicato eſſentiali obiecti moueri. Imo nec ad comprehenſionem exigitur, quod ab omni prædicato eſſentiali obiecti moueatur, vt patet in cognitione, ex qua diuinum Verbum procedit, quæ eſt Dei comprehenſiua; & tamen, etſi per ſe terminetur ad perſonas, non tamen ab illis mouetur. Vnde procedit Verbum ex cognitione ſui, & ex cognitione Spiritus Sancti, non tamen *motiuè* ingreditur Spiritus Sanctus ad prædictam cognitionem, ſed tantum *terminatiuè*, alias Verbum eſſet Spiritus Sancti imago, & quia relationes ſunt eſſentiales eſſentiæ terminanti viſionem beatificam, & viſio eſt cognitio quidditatiua illius, ideo eſſentia, vt obiectum terminatiuum viſionis, petit relationes, vt viſionem terminantes: prout tamen eſt ſpecies, etſi illas petat, vt *obiectiuè*, *terminatiuè* ſe habentes, non tamen illas petit vt ingredientes *motiuè*; & idcirco in viſione beatifica, vt cognita, poteſt Trinitatis perſonarum cognoſci ratione dependentiæ ab eſſentia, vt obiecto terminatiuo, non autem ratione dependentiæ ab eſſentia, vt obiecto motiuo, qua ratione effectiue ad beatificam viſionem concurrit. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſter *in 3. diſtinct. 14. §. 2. & in 1. ſententiarum diſt. 3. §. 6* ad illa verba: *Nunc reſtat oſtendere, an per ea, quæ perfecta ſunt aliquod Trinitatis veſtigium, vel inditium exiguum haberi poterit?* Et § 7. ad illa verba: *Nunc vero ad eam iam peruenimus diſputat. vbi in mente humana, quæ nouit Deum, vel poteſt noſſe Trinitatis imaginem reperiamus.* Circa quæ verba diſputari poteſt, an in homine, quia eſt imago Dei, vt Trini; poſſit perſonarum trinitas euidenter cognoſci?

110 *Secundo reſp.*

M. Sent.

DISPVTATIO TRIGESIMASEPTIMA.

De eſſentia, vnitate, & alijs ad ſcientiam infuſam ſupernaturalem ſpectantibus.

1 *Difficultas ſtatus aperitur.*

FVISSE in anima Chriſti Domini ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem, per quam res creatas extra Verbum in ſe ipſis cognouit *Disputat.* 32. docuimus, & monſtrauimus, cuius obiectum extenſiuum *Diſput.* 35. & 36. fuſè explicuimus. Reſtat modo illius eſſentiam, vnitatem, aliaque ad ipſam ſpectantis explicare, quæ omnia in hac Diſputatione perſtringemus. Et cum cognitio omnis ab obiecto, & potentia cauſetur, iuxta illud commune axioma: *Ab obiecto, & potentia paritur notitia*: id etiam cognitioni ſupernaturali ſcientiæ per ſe infuſæ conuenire, eſt neceſſe. Et quia obiectum creatum non ratione ſui, ſed ratione ſpeciei intelligibilis vnitur cum intellectu, & mediante ſpecie impreſſa influit in intellectionem; fit conſequens neceſſarias fuiſſe ſpecies, quibus intellectus Chriſti res creatas extra Verbum in ſe ipſis ſupernaturali cognitione cognoſceret, ex quibus, & illius intellectu tali cognitio procederet. Quarum conditio etiam eſt in hac diſputatione explicanda, & an præter illas fuerit neceſſaria alia ſupernaturalis qualitas intellectum Chriſti eleuans, & eum ſupernaturali rerum cognitione proportionans, qualis fuerat, & an vna, vel plures, qualiſque fuerit modus cognitionis mediãte iſta forma ab intellectu Chriſti cauſatæ.

§. I.

De qualitate ſpecierum.

2 *Species huic ſcientię inſeruientes circa ent ſupernaturale, ſupernaturales ſũt.*

ET principiendo à ſpeciebus, aſſerendum eſt, fuiſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam. Et quidem loquendo de illis ſpeciebus, quibus entitatiuè ſupernaturalia intellectus Chriſti per huiuſmodi ſcientiam cognouit, facili ratione probatur: nam ſpecies quidditatiua entis ſupernaturalis, neceſſario eſt ſupernaturalis; ſed huiuſmodi ſpecies quidditatiuè repræſentant entia ſupernaturalia: ergo ſunt ſupernaturales. Conſequentia tenet. Minor eſt certa, ſuppoſito, quod *Diſp.* 35. docuimus, nempe, Chriſtum per ſcientiam inditam cognouiſſe quidditatiuè entia ſupernaturalia: nam cognitio quidditatiua obiecti, non poteſt haberi ſine ſpecie quidditatiua illius. Maior autem probatur: cognitio quidditatiua obiecti, ſeu entis ſupernaturalis, neceſſario eſt ſupernaturalis, vt omnibus eſt in confeſſo: ergo ſpecies quidditatiua entis ſupernaturalis, non poteſt non eſſe ſupernaturalis. Patet conſequentia: primo a paritate rationis, Secundo: nam ideo cognitio quidditatiua entis ſupernaturalis eſt ſupernaturalis, quia habet connexionem cum illo, nihil autem naturale poteſt cum ente ſupernaturali connecti; ſed etiam ſpecies quidditatiua entis ſupernaturalis habet intrinſecam connexionem cum illo, non minus, quam cognitio illius quidditatiua: ergo ſpecies quidditatiuè repræſentans ens ſupernaturale, neceſſario eſt ſupernaturalis.

3 *Etiã ſpecies, quibus entitates ordinis naturæ cognouit, erant ſupernaturales.*

Loquendo autem de ſpeciebus, quibus intellectus Chriſti entitates ordinis naturalis cognouit: probatur, ſupponendo, quod in eadem diſputatione docuimus, nempe actus, quibus anima Chriſti huiuſmodi entitates per ſcientiam inditam cognoſcebat fuiſſe ſupernaturales. Etenim prędicta obiecta, ètſi in eſſe entis naturalia ſint, in eſſe tamen obiecti ſunt ſupernaturalia; ſed hoc ſufficit, vt ſpecies quidditatiua illorum, debeat eſſe *entitatiuè* ſupernaturalis: ergo ſpecies, quibus anima Chriſti entitates naturales per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem cognouit, ſunt *entitatiuè* ſupernaturales. Conſequentia patet: nam ſpecies illæ repræſentant quidditatiuè prędictas entitates. Maior conſtat ex dictis *Diſput.* 35. §. 1. & 2. Minor autem oſtenditur primo: nam ſupernaturalitas obiectiua illis obiectis conueniens, ſufficit, vt cognitio quidditatiua illorum ſit ſupernaturalis *entitatiuè*: ergo erit ſufficiens, vt ſpecies repræſentans quidditatiuè illa obiecta, debet eſſe entitatiuè ſupernaturalis. Secundo, explicando magis hoc ipſum: nam ſupernaturalitas prædicta obiectiua ſufficit, vt talia obiecta ſint ſupernaturalia in ratione cognoſcibilium, & vt excedant vim intellectiuam naturalem intellectus creati, alias illorum cognitio ſupernaturalis non eſſet, cuius contrarium *Diſput. proximè allegata* monſtrauimus, & in præſenti ſupponimus: ergo etiam ſufficit, vt in ratione repræſentabilium ſupernaturalia ſint, & vt excedant vim repræſentatiuam quidditatiuè omnis entitatis naturalis; & conſequenter ſufficit, vt ſpecies repręſentans quidditatiuè illa obiecta, debeat eſſe entitatiuè ſupernaturalis. Denique probatur minor: nam ſupernaturalitas illa obiectiua ſufficit, vt ſpecies talia obiecta repræſentant quidditatiuè, nulli intellectui creato ſit debita, ſed quod excedat exigentiam omnis intellectus creati eſt ſupernaturale: ergo ſufficit vt ſpecies repræſentans illa obiecta quidditatiuè, debeat eſſe ſupernaturalis. Maior probatur: cui namque non debetur quidditatiua alicuius obiecti cognitio, non poteſt deberi ſpecies quidditatiua illius, ſed ſupernaturalitas obiectiua illis obiectis conueniens, ſufficit, vt cognitio quidditatiua illorum nulli intellectui creato ſit debita: ergo etiam ſufficit, vt ſpecies repræſentans illa quidditatiuè, nulli intellectui creato debeatur.

4 *Obijcies.*

Sed contra diſcurſum iſtum obijcies: ſtat enim cognitionem aliquam eſſe indebitam intellectui creato, & ſupra illius naturam, & quod ſpecies tali cognitioni inſeruientes huius conditionis non ſint, vt conſtat in aſſenſu, quo fides veritatibus aſſentimur; hic enim ſupernaturalis eſt; & conſequenter non poteſt intellectui creato deberi; & tamen ſpecies prædicto aſſenſui inſeruientes, ſunt ordinis naturalis; ac proinde non excedunt exigentiam intellectus creati: ergo ex quod cognitio, qua anima Chriſti entitates ordinis naturæ cognoſcit ſupernaturalis ſit, & naturæ exigentiam excedat, perperam à Nobis probatur, ſpecies tali cognitioni inſeruientes, eſſe ſupernaturales, & exigentiam naturæ creatæ excedentes.

5 *Confirmatur 1.*

Confirmatur primo: nam obiectum fidei Theologicæ eſt ſupernaturale *obiectiuè*; & tamen ſpecies repræſentatiuæ illius, non ſunt ſupernaturales: ergo ex eo quod entitates naturales cognitæ per ſcientiam infuſam ſint ſupernaturales ſupernaturalitate obiectiua, non ſequitur ſpecies repræſentatiuas illarum prædictæ cognitioni inſeruientes, eſſe ſupernaturales.

6 *Confirmatur 2.*

Confirmatur, & vrgetur ſecundo: nam obiectum noſtræ fidei eſt ſupernaturale in ratione intelligibilis; quandoquidem ſpecificat habitum, & actum fidei, qui entitatiuè ſupernaturales ſunt; & tamen in ratione obiecti repręſentabilis non eſt ſupernaturale. nam ſpecies, quibus fides vtitur ſunt naturales: ergo ex eo quod entia naturalia cognita per ſcientiam infuſam ſint ſupernaturalia in ratione obiecti cognoſcibilis: non bene a Nobis infertur eſſe ſupernaturalia in ratione obiecti repræſentabilis, & non poſſe per ſpecies ordinis naturalis repræſentari quidditatiuè.

7 Reſpondeo ad obiectionem, diſtinguendo antecedens: ſpecies quidditatiuæ, nego antecedens; ſpecies con-

nota-

Reſpond. obiectioni. notatiuæ, concedo antecedens, & nego conſequentiam; nam ſpecies inſeruientes ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturali Chriſti, non connotatiuæ, ſed quidditatiuæ; imo & comprehenſiuæ ſunt; alias cognitio, cui inſeruiunt quidditatiua, & comprehenſiua non eſſet, cuius contrarium *Diſput.* 35. monſtrauimus, & in præſenti ſupponimus; ideoque non poſſunt non eſſe ſupernaturales. Species autem, quibus vtitur fides, non ſunt quidditatiuæ, ſed connotatiuæ; & ideo non eſt neceſſarium, quod ſint ſupernaturales, quamuis noſtræ fidei aſſenſus ſupernaturalis ſit.

8 *Ad 1. confirmationem.* Ad primam confirmationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Diſparitas autem eſt: nam ſupernaturalitas obiecti fidei, non repræſentatur per ſpecies; & ideo quamuis ſupernaturale ſit *obiectiuè*, non præſtat ſpeciebus ſupernaturalitatem. Species autem inſeruientes ſcientiæ infuſæ ſupernaturali, repræſentant ſupernaturalitatem, quæ in illius obiecto reperitur, ideoque ex tali obiecto ſupernaturalitatem accipiunt, non minus quam ſcientiæ infuſæ cognitio.

9 *Ad 2.* Et ex his ad ſecundam confirmationem, conceſſis maiori, & minori, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam aſſenſus fidei, & ſpecies illi inſeruientes, non habent idem obiectum formale; etenim obiectum formale aſſenſus fidei diuinæ, eſt diuina reuelatio, cui innititur; hæc autem non eſt obiectum formale ſpecierum prædicto aſſenſui inſeruientium, ſed entitas naturalis per illas repræſentata, & ad cuius inſtar ſupernaturalia obiecta per ipſas repræſentantur, ideoque quamuis obiectum fidei ſit ſupernaturale in ratione intelligibilis, & credibilis per fidem, non eſt ſupernaturale in ratione repræſentabilis; ſpecies autem quidditatiua alicuius obiecti, & cognitio habent idem obiectum formale; vt enim obiectum aliquod quidditatiuè cognoſcatur, debet repræſentari per ſpeciem ſibi propriam, illudque in ſe, & ratione ſui repræſentantem, vel per ſpeciem ipſum continentis perfectè: & ideo ex eo quod obiectum ſcientiæ per ſe infuſæ Chriſti ſit ſupernaturale in ratione intelligibilis, rectè argumentati ſumus, etiam eſſe ſupernaturale in ratione obiecti repræſentabilis per ſpecies huic ſcientiæ inſeruientes. Et quidem ſpecies, quibus fides vtitur in aſſentiendo veritatibus ſupernaturalibus reuelatis, entitatiuè non ſunt ſupernaturales; ſpecies autem, quibus ſcientia per ſe infuſa obiecta entitatiue ſupernaturalia cognoſcit, ſupernaturalia ſunt in communi ſententia: ergo ex fide ad ſcientiam infuſam inefficax ſit argumentum contra ſupernaturalitatem ſpecierum.

§. II.

Conſtituendus eſt in intellectu Chriſti habitus à ſpeciebus diſtinctus.

10 *Secunda concluſio.* DEINDE aſſerendum eſt, præter ſpecies per ſe infuſas eſſe in intellectu Chriſti habitum eleuantem potentiam, & in hoc habitu ſcientiam per ſe infuſam eſſentialiter conſiſtere. Ita Diuus Thomas *in tertio diſtinctione 14. quæſtione prima art. tertio quæſtiuncula ſecunda in principio corporis, & quæſtiuncula 4. in corpore ad finem, in hac quæſtione art. 6. ad 3. & 1. 2. q. 54. art. 4.* loquens de ſcientia in communi. Caietanus, & Medina *ibi*, & *in præſenti art. 6.* vbi Nazarius; Illuſtriſſimus Araujo, Zippullus, & Magiſter Sancto Thoma. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *diſput. 29 ſectione 2.* Beccanus *cap. 9. de Incarnatione quæſtione 4. concluſione ſecunda*, & alijs relat in Granadus *controuerſia prima de Incarnatione Tractat. 8. d. 3. ſectione ſecunda.*

S. Th. Caiet. Medina. Nazar. Araujo. Zippul. M. S. Th. Suar. Becanus. Gran.

11 *Prima pars prob.* Et quoad primam partem probatur, vt enim *Diſput.* 23. docuimus, vt potentia naturalis actum ſupernaturalem proportionate, & connaturaliter eliciat, indiget eleuari per formam ſupernaturalem permanentem: ex quo principio *ibi* intulimus, neceſſitatem gratiæ habitualis in anima Chriſti Domini, & virtutum per ſe infuſarum reſidentium in voluntate, vt anima radicaliter, & voluntas proximè in actus ſupernaturales proportionate, & connaturaliter influerent; ſed cognitio ſcientiæ infuſæ, de qua loquimur in præſenti, eſt actus ſupernaturalis; ergo vt intellectus Chriſti illam connaturaliter, & vt decuit intra ordinem gratiæ eliceret, neceſſaria fuit forma permanens ſupernaturalis, per quam vt virtutem adæquatam proximam, iuxta Noſtra ſententiam, vel vt alij volunt, tanquam partialem virtutem, eleuaretur ad illam connaturaliter eliciendam. Tum ſic; ſed hæc forma permanens, eſt habitus ſupernaturalis diſtinctus a ſpeciebus: ergo conſtituendus eſt in intellectu Chriſti creato habitus ſupernaturalis diſtinctus a ſpeciebus *obiectiuè* ad prædictam cognitionem concurrentibus.

Minor ſubſumpta, ad quam præſens difficultas tota deuoluitur, probatur primo: lumen eleuans intellectum ad viſionem beatificam diſtinguitur à ſpecie *obiectiuè* concurrente, ſcilicet, a diuina eſſentia, quæ gerit munus ſpeciei, habitus fidei intellectum eleuans ad credendum, diſtinguitur à ſpeciebus *obiectiuè* concurrentibus, habitus eleuantes voluntatem ad actus ſupernaturales honeſtos, diſtinguuntur à cognitione ſupernaturali intellectus *obiectiuè* regulante: ergo pariter habitus eleuans intellectum Chriſti Domini ad cognitionem ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturalem diſtinguitur a ſpeciebus impreſſis, quæ ex parte obiecti ſe tenent, & *obiectiuè* ad prædictam cognitionem concurrunt. 12 *Minor prob. 1.*

Secundo probatur minor: intellectus namque, & obiectum concurrunt ad cognitionem partialiter, partialitate cauſæ, iuxta illud commune axioma: *Ab obiecto, & potentia paritur notitia*; ergo vtrumque per propriam virtutem influit in actum cognitionis; ſed virtus intellectus Chriſti eſt habitus illum eleuans, & virtus obiecti ſunt ſpecies intelligibiles: ergo habitus intellectum Chriſti eleuans ad actum ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ diſtinguitur à ſpeciebus. 13 *Secundo probatur minor.*

Reſpondebis primo: intellectum influere per propriam virtutem in prædictam cognitionem, non tamen per virtutem connaturaliter, ſed tantum obedientialiter influentem in illam; & hæc à ſpeciebus diſtinguitur, non tamen eſt habitus ſupernaturalis, ſed vis obedientialis innata, & ab intellectu indiſtincta: ex quo non colligitur, ſcientiam ſupernaturalem infuſam conſiſtere in habitu à ſpeciebus diſtincto. 14 *Reſpondebis 1.*

Sed contra primo: nam intellectus Chriſti influit immediatè in cognitionem ſupernaturalem; ſed non poteſt immediatè in illam influere ratione potentiæ obedientialis, ſed ratione formæ ſupernaturalis, quæ ſit illi virtus adæquata proxima agendi, vt fusè oſtendimus *Tractatu de Viſione Dei*: ergo debet in illo forma ſupernaturalis conſtitui, ratione cuius ad cognitionem ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis concurrat. 15 *Contra 1.*

Contra ſecundo: nam etiam in ſententia aſſerente, potentiam naturalem immediate influere in actum ſupernaturalem ratione potentiæ obedientialis actiuæ, vt tamen proportionate, & connaturaliter intra ordinem gratiæ influat, indiget forma ſupernaturali ipſam intrinſece eleuante; alias ſuperfluerent virtutes morales infuſæ reſidentes in voluntate, ipſamque eleuantes intrinſece ad ſupernaturales actus eliciendos: ergo ad hunc finem conſtituendus eſt in intellectu Chriſti habitus ſupernaturalis, vt nempe, cognitionem ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis proportionate, & connaturaliter connaturalitate ordini ſupernaturalis eliciat. Quod argumentum *Tractatu de Viſione Dei, & Tractatu de Charitate*, fusè proſequuti ſumus. 16 *Contra 2.*

Contra tertio: intellectui namque, cui nihil deeſt requiſitum ex parte potentiæ, prout ab obiecto partialiter in ratione cauſæ cognitionis diſtinctæ, vt influat in cognitionem, debentur ſpecies impreſſæ, & concurſus obiecti compartialiter cum intellectu influentis in cognitionem; ſed intellectui animæ Chriſti ratione ſuæ innatæ virtutis, non debentur ſpecies inſeruientes ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturali; alias ſupernaturales non eſſent, cuius contrarium ſupponimus: ergo deeſt illi aliquid requiſitum ex parte potentiæ, prout ab obiecto in ratione cauſæ cognitionis diſtinctæ, vt ſit potens in cognitionem ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis influere; ſed hoc requiſitum in nullo alio poteſt conſiſtere, quam in habitu ſupernaturali illum eleuante intrinſece: ergo iſte habitus conſtitui debet in intellectu Chriſti creato, vt ad prædictam cognitionem concurrat. 17 *Contra 3.*

Reſpondebis ſecundo, admittendo conſtituendam eſſe in intellectu Chriſti formam, ſupernaturalem ipſum eleuantem intrinſece ad prædictam cognitionem; cæterum formam iſtam non diſtingui à ſpeciebus per ſe infuſis; cum enim ſpecies iſtæ intrinſece intellectum Chriſti afficiant, poſſunt ipſum eleuare, vt proportionate, & conna- 18 *Reſpondebis 2.*

turaliter intellectionem ſupernaturalem eliciat, & hinc aſſignabis diſcrimen inter exempla in probationem minoris inducta, & intellectum Chriſti reſpectu huius cognitionis; at enim diuina eſſentia vnita per modum ſpeciei in ordine ad viſionem beatificam non informat phyſicè intellectum beati; ideoque illum eleuare non poteſt intrinſecè, cognitio etiam regulatiuè ad actus ſupernaturales voluntatis concurrens, non informat phyſicè voluntatem, & conſequenter non poteſt illam eleuare intrinſecè, vt prædictos actus eliciat connaturaliter; ſpecies autem inſeruientes ad credendum fide diuina, non ſunt ſupernaturales; ac proinde non poſſunt intellectum eleuare ad aſſenſum ſupernaturalem fidei; ideoque in intellectu beati requiritur lumen eleuans diſtinctum à diuina eſſentia, vt ſpecie, & in voluntate habitus ſupernaturalis à cognitione diſtinctus; ac denique in noſtro intellectu conſtituitur habitus fidei ipſum eleuans ad credendum, diſtinctus à ſpeciebus, cuius oppoſitum in intellectu Chriſti contingit ob rationem aſſignatam, quia nempè, ſpecies per ſe infuſæ ſupernaturales ſunt, & intellectui inhærentes intrinſecè; ideoque ſufficientes, vt ſine alia forma diſtincta ipſum eleuent, vt connaturaliter ſupernaturalem cognitionem eliciat.

19 *Contra 1.* Sed contra primo ex iam dictis: dum namque agentia partialia in ratione cauſæ alicuius effectus diſtincta, petunt in illum influere per diſtinctas virtutes; alias non erunt duo agentia, ſed vnum, nec erunt in ratione cauſæ talis effectus diſtinctæ, ſi ambo vna virtute conſtituantur ad agendum; vt conſtat in diuinis perſonis, quæ licet perſonaliter diſtinguantur, quia vna virtute influunt in effectus creatos, non ſunt in ratione cauſæ creaturarum diſtinctæ; ſed intellectus, & obiectum ſunt duæ cauſæ cognitionis partiales in ratione cauſæ diſtinctæ: ergo non influunt in illam per vnam, ſed per diſtinctas virtutes; at ſpecies eſt virtus ſe tenens ex parte obiecti: ergo non eſt virtus ſe tenens ex parte intellectus; & conſequenter quamuis ſupernaturalis ſit, & intrinſecè intellectum afficiat, non poteſt eſſe virtus illius, nec illum eleuare, vt in cognitionem ſupernaturalem proportionatè, & connaturaliter influat; ſed ad hoc munus præſtandum, neceſſaria eſt forma ſupernaturalis ex parte intellectus ſe tenens realiter à ſpeciebus diſtincta.

20 *Contra 2.* Contra ſecundo; ſpecies obiectiuè concurrentes ad cognitionem naturalem diſtinguuntur realiter à virtute naturali intellectus, & ab habitu acquiſito dante intellectui facilitatem: ergo ſpecies concurrentes cum intellectu ad intellectionem ſupernaturalem, quamuis ſupernaturales ſint, diſtinguuntur à virtute ſupernaturali intellectum eleuante in ordine ad prædictam cognitionem, ipſumque cum illa proportionante. Patet conſequentia. Tùm à paritate rationis. Tùm etiam: nam ſi ad actum naturalem, & ad naturalitatem cognitionis concurrunt ſpecies naturales diſtinctæ realiter à virtute naturali intellectus, etiam ad ſupernaturalitatem cognitionis concurrere poterunt ſpecies ſupernaturales, quamuis realiter diſtinctæ à virtute ſupernaturali intellectum eleuante.

21 *Confirmatur.* Confirmatur, & vrgetur: dato namque per impoſſibile, intellectu ſupernaturali, cognitio ab illo elicita deberet etiam à ſpecie ſupernaturali procedere; cum ad talem cognitionem deberet, etiam obiectum concurrere, & commune axioma verificari, quo aſſeritur intellectualem notitiam pari ab obiecto, & intellectu; ſed in tali caſu ſpecies obiectiuè concurrens realiter ab intellectu ſupernaturali differret, & ab illius virtute ſupernaturali, ſicut modo ſpecies naturales realiter diſtinguuntur à virtute naturali intellectus: ergo ad ſupernaturalitatem talis cognitionis concurrent duo principia ſupernaturalia diſtincta, & ab vtroque cognitio ſupernaturalis procedere peteret; & conſequenter ex eo quod ſpecies obiectiuè concurrens ſupernaturalis ſit, non colligitur, ſufficienter in illam, ſupernaturalitatem cognitionis reduci, abſque indigentia alterius formæ ſupernaturalis eleuantis intellectum, vt connaturaliter influat.

22 *Secunda pars concl. prob.* Quod autem ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis Chriſti, non in ſpeciebus per ſe infuſis, ſed in habitu ab illis diſtincto intellectum eleuante conſiſtat: probatur, at enim docet Diuus Thomas *prima ſecundæ quæſt.* 54. *art.* 4. habitus ſcientiæ acquiſitus eſt vna qualitas ſimplex, etiam ſi ad plura obiecta extendatur: ex quo per euidentem conſequentiam infertur, Angelicum Doctorem ſentire ſcientiam acquiſitam, non in ſpeciebus obiectiuè concurrentibus, ſed in habitu ab illis diſtincto ex parte intellectus ſe tenente, illique facilitatem præſtante conſiſtere: ſpecies namque erga diſtincta obiecta, ſunt plures, nec ex illis vna efficitur: ex quo ſic ad intentum arguitur: ſcientia acquiſita non conſiſtit in ſpeciebus obiectiuè concurrentibus, ſed in habitu præſtante intellectui facilitatem ad actum, etſi ſpecies, & habitus ad intellectionem ſcientificam naturalem concurrant: ergo pariter licet ad cognitionem ſupernaturalem ſcientificam, ſpecies, & habitus eleuans intellectum concurrant, eſſentia ſcientiæ ſupernaturalis per ſe infuſæ, non in ſpeciebus conſiſtat, ſed in habitu intellectum eleuante. Conſequentia tenet à paritate rationis.

23 *Antecedens prob.* Antecedens autem, præterquamquod ex doctrina D. Th. euidenter colligitur, probatur: ſcientia namque iuxta Ariſtotelem eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus; ſed per demonſtrationem non acquiruntur ſpecies. Tùm; quia ad actum demonſtratiuum ſupponuntur. Tùm etiam; quia actus demonſtratiuus eſt ab intellectu poſſibili, ſpecies autem cauſantur per actum intellectus agentis. Tùm denique: nam habitus acquiſitus per actus, præſtat facilitatem ad actus ſimiles illis actibus, quibus acquiritur; ſpecies autem non facilitant intellectum ad actum demonſtratiuum, per quem ſcientia generatur: ergo ſcientia per ſe acquiſibilis non conſiſtit in ſpeciebus; ſed in habitu realiter ab illis diſtincto ſe tenente ex parte intellectus, illique facilitatem præſtante.

24 *Sententia contraria cum ſuis fundamentis.* Contrarium huic doctrinæ docent Gabriel *in* 3. *diſt.* 14. *art.* 2. Valentia *q.* 11. *punct.* 2. Vazquez *diſp.* 54. *cap.* 2. Hurtado Complutenſis *diſp.* 8. *difficultate* 21. & Bernal *diſp.* 5. *ſect.* 5. ducti primo: nam D. Thom. *in hac quæſt. art.* 6. probat ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem Chriſti, non vnum, ſed plures habitus eſſe, quia ſpecies per ſe infuſæ ſunt plures; at hæc ratio nulla eſſet, ſi in habitu à ſpeciebus diſtincto conſiſteret: ergo iuxta D. Thom. ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis Chriſti, non conſiſtit in habitu eleuante intellectum à ſpeciebus per ſe infuſis diſtincto.

Propoſitur 1.

Secundum. Secundo: nam in ordine ad viſionem beatificam, non datur habitus à ſpecie impreſſa diſtinctus, ſed eadem qualitas luminis gloriæ eleuat intellectum, & ex parte obiecti ſe tenet; & vt ſpecies ad illam concurrit: ergo idem dicendum eſt in ordine ad cognitionem ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ.

Tertium. Tertio: nam omne prædicatum in prædicta cognitione repertum ſufficienter reducitur in conflatum ex intellectu, & ſpeciebus: nam ſub conceptu cognitionis in intellectum reducitur, & ſub conceptu ſupernaturalis reducitur in ſpecies per ſe infuſas, vtpote ſupernaturales: ergo qualitas ab illis diſtincta ſuperfluit.

Quartum. Quarto: nam vt actus aliquis ſupernaturalis ſit, ſufficit, quod vnum ex principijs immediatè ad illum concurrentibus ſit ſupernaturale; cum eo ipſo excedat exigentiam omnis naturæ, in quo ſupernaturalitas conſiſtit; ſed ſpecies per ſe infuſæ ſunt ſupernaturales, & immediatè ad prædictam cognitionem concurrunt: ergo qualitas ab illis diſtincta eleuans intellectum Chriſti, ſuperfluit.

Quintum. Denique; quia non implicat vnam, & eandem qualitatem entitatiuè ad [illegible] obiectiuè, vt ſpeciem concurrere, & virtutem inchoatam intellectus complere: ergo aſſerendum eſt ita de facto euenire; & conſequenter non datur qualitas eleuans intellectum à ſpeciebus per ſe infuſis diſtincta.

25 *Ad 1. reſp.* Hæc tamen nihil vrgent. Ad primum, prætermiſſo [illegible] doctrina D. Thom. aſſerentis ſcientiam per ſe infuſam in plures habitus diuidi, de ſcientia per ſe infuſa, pro eo quod in recto importat accipiatur, nego minorem. Potuit enim D. Thom. ex multitudine ſpecierum diſtinctionem habituum eleuantium intellectum colligere, non quia ſpecies non diſtinguantur ab habitu ſcientiæ infuſæ, ſed quia genera ſcibilium multiplicant, & ex diſtinctione obiectorum rectè diſtinctio habituum colligitur, & in hoc ſenſu accipiunt Angelici Præceptoris doctrinam plures ex eius Diſcipulis, qui ex vna parte habitum à ſpeciebus diſtinguunt, & ex alia non eſſe vnam ſcientiam, ſed in plures habitus diuiſam, defendunt. *Secundum arg. falſam continet doct. inaniter.* Secundum argumentum falſam continet doctrinam, de qua 1. p. *quæſt.* 12. *art.* 2. vbi communis ſententia in oppoſitam inclinat.

26 *Ad 3. reſp.* Ad tertium, nego antecedens: ſicut enim cognitio naturalis, etiam ſub conceptu naturalis, non reducitur ſufficienter in ſpeciem obiectiuè concurrentem, quamuis naturalis ſit, ſed etiam in virtutem naturalem intellectus petit reduci, ita cognitio, quatenus ſupernaturalis, reduci petit, non ſolum in virtutem ſupernaturalem obiectiuam, quæ eſt ſpecies, ſed etiam in virtutem ſupernaturalem intellectus, tanquam in cauſas partiales partialitate cauſæ; ſicut enim cognitio ex communi cognitionis conceptu petit ab intellectu, & obiecto procedere, ita ex conceptu ſupernaturalis

pro-

procedere petit ab intellectu, & obiecto, vt influentibus per virtutes ſupernaturales propter; ac proinde non ſufficit ad illam ſpecies ſupernaturalis, quę eſt virtus, qua mediante influis obiectum, ſed etiam requiritur habitus ſupernaturalis dans virtutem intellectui, in Thomiſtarum ſententia adæquatam, & vt alij volunt, partialem complentem virtutem proximam inchoatam intellectus.

27 *Ad quartum.* Et ex his ad quartum argumentum reſpondeo, negando maiorem, vt enim fusè oſtendimus *tract. de Viſione Dei, & tract. de Charitate* ad ſupernaturalitatem actus requiritur, quod omnis virtus proxima effectiua illius ſit ſupernaturalis, nec aliter ſupernaturalitas actus ſaluatur modo debito, ſed indebito, & repugnante. Et dato, potentiam naturalem immediatè, immediatione virtutis, in ſupernaturalem actum influere, vt communiter Patres Societatis defendunt, vt tamen actus ſupernaturales connaturaliter intra ordinem gratiæ eliciantur, eſt neceſſarium, quod virtus intellectus, quæ de ſe inchoata, & obedientialis eſt, per formam ſupernaturalem intrinſecè inhærentem compleatur, & cum illo proportionetur. Et quidem eodem argumento probaretur, nec qualitatem ſupernaturalem, nec ſupernaturalem ſpeciem requiri ad ſupernaturalem cognitionem, etiam vt connaturaliter intra ordinem gratiæ eliciatur, ſed ſolum concurſum ſpecialem Dei ſupernaturalem extrinſecum: nam actus naturali repugnat, illum concurſum terminare; & conſequenter, ſi argumentum aliquid probat, conuincit ſolo iſto concurſu poſito, & omni alia forma ſupernaturali ſecluſa, poſſe omnino connaturaliter cognitionem ſupernaturalem exiſtere.

28 *Ad vltimum reſpondet.* Ad vltimum argumentum reſpondeo primo, prætermiſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam etiam poteſt eleuatio intellectus fieri per qualitatem diſtinctam ab illa, quæ obiectiuè concurrat, nec huius poteſt à contrarijs Auctoribus aliqua implicatio aſſignari; & tamen ipſi docent, non à duplici qualitate, ſed ab vna vtrumque præſtari: ergo ex eo quod non implicet vna qualitas præſtans vtrumque non ſequitur de facto eſſe vnam. Item Recentiores argumento facto vtentes, fatentur, potuiſſe voluntatem eleuari ad omnes actus ſupernaturales vna ſimplici qualitate, & vno indiuiſibili habitu; & tamen de facto, non vnum, ſed plures habitus dat. Denique idem Auctores docent, habitum ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ diſtingui a lumine gloriæ; & tamen non erit illis facere aſſignare implicationem in vno ſimplici habitu, qui poſſit intellectum eleuare ad videndum Deum in ſe, & creaturas in ſe ipſis cognoſcendas: ergo ex non implicatione vnius formæ ſupernaturalis obiectiuè concurrentis, intellectumque eleuantis, non ſequitur de facto vtrumque munus ab vna qualitate præſtari. Et ratio in præſenti eſſe poteſt: nam licet demus, prædictam qualitatem implicatoriam non eſſe, & quod duo agentia partialia poſſint de potentia abſoluta vna virtute conſtitui, eſt tamen connaturalius, & naturis rerum conformius, quod diſtinctis virtutibus conſtituantur, & ſemper aſſerendum eſt, Deum id efficere, quod eſt rerum naturis conformius, niſi oppoſitum ſit reuelatum.

29 *Reſp. 2.* Reſpondeo ſecundo, negando antecedens: implicat enim ſpecies, quæ entitatiuè indiuiſa, ſit habitus intellectum facilitans; implicat etiam ſpecies identificata cum virtute naturali intellectus: ergo etiam implicat ſpecies, quæ ſit eleuatio intellectus ad cognitionem ſupernaturalem, & identificata cum virtute ſupernaturali, per quam in Noſtra ſententia potens proximè conſtituitur, & in ſententia aliorum proportionatus redditur, vt intellectionem ſupernaturalem eliciat.

30 *Ratio à priori aſſignatur.* Ratio à priori implicationis prædictæ qualitatis difficilis eſt, nec mirum; ſemper enim eſt difficile omnipotentis manus ligare, poteſt tamen inde ſumi; nam ſpecies impreſſa obiectiuæ ad cognitionem concurrens, eſt ens intentionale ex ſua natura per ſe primo ad repræſentationem obiecti inſtitutum; qualitas vero dans intellectui virtutem, per ſe primo ad intellectionem ſupernaturalem eliciendam ordinatur; implicat autem vnam, eandemque entitatem per ſe primo ad diſtinctos fines deſtinata, ſicut implicatorium à Diſcipulis D. Tho. cenſentur, vnam ſimplicem entitatem ordinari per ſe primo ad eſſe, & per ſe primo ordinari ad operationem; ex quo inferunt, potentias animæ, quæ per ſe primo ſunt propter operationem, realiter non identificari cum ſubſtantia animæ per ſe primo ordinata ad exiſtendum. Implicat ergo vna qualitas obiectiuæ ad intellectionem concurrens, danſque intellectui virtutem ad eandem intellectionem.

S. III.

Habitus ſcientiæ infuſæ diſtinguitur à lumine gloriæ.

TERTIO aſſerimus: habitum ſcientiæ per ſe infuſæ eſſe realiter à lumine gloriæ diſtinctum. Ita communiter Diſcipuli D. Thom. & ex PP. Societatis Granadus *controuerſ. 1. de Incarnat. tract. 8. diſput. 3. ſection. 2.* Bernal *diſput. 3. ſection. 2.* & probabile cenſet Beccanus *cap. 9. quæſtion. 4. numer. 8.* Et probatur: habitus enim diſtinguitur per obiecta formalia; ſed obiecta formalia inſpecta a lumine gloriæ, & ab habitu ſcientiæ infuſæ, ſunt eſſentialiter diſtincta: ergo habitus ſcientiæ per ſe infuſæ, eſt realiter a lumine gloriæ diſtinctus. Maior cum conſequentia tenet; minor autem probatur: nam lumen gloriæ ſpecificatur à diuina eſſentia, vt in ſe intuitiuè cognita; lumen autem ſcientiæ infuſę ſpecificatur à veritate ſupernaturali creata; cum ad hoc intellectus Chriſti infundatur, vt obiecta ſupernaturalia creata cognoſcat in ſe ipſis, & ratione ſui, ſed diuina eſſentia, & veritas ſupernaturalis creata eſſentialiter diſtinguuntur: ergo lumen gloriæ, & habitus ſcientiæ per ſe infuſæ ſunt obiecta eſſentialiter diſtincta. *31 Scientia per ſe infuſa à lumine gloria diſtinguitur.*

Pro ſententia contraria aſſerente ſcientiam per ſe infuſam identificari cum lumine gloriæ, referuntur a Beccanus Recentiores ſine nomine, in illam inclinat Suarez *diſput. 29. ſection. 4. §. Tertius tamen modus*; etſi quia res noua eſt, noluit illam diffinire inſinuatione difficultatis, & rationis dictam ſententiam ſuadentis contentus; ratio autem, qua mouetur eſt: nam per habitum luminis gloriæ poſſunt creaturæ cognoſci, non ſolum ratione diuinæ eſſentiæ, ſed etiam in ſe ipſis, & ratione ſui; ſed ad hoc ordinatur habitus ſcientiæ per ſe infuſæ: ergo eſt à lumine gloriæ indiſtinctus. Conſequentia eſt bona; minor certa; & maiorem probat primo: nam idem habitus charitatis eſt ſufficiens ad diligendas creaturas, non ſolum ratione bonitatis diuinæ, ſed etiam propter ſe, & ratione ſui: ergo idem habitus luminis gloriæ ſufficiet ad cognoſcendas veritates creatas, non ſolum ratione eſſentiæ diuinæ, ſed etiam ratione ſui. *32 Fundamentum contrariæ ſententiæ.* *Maior prob. 1.*

Secundo probat maiorem: nam lumen gloriæ eſt ſufficiens principium cognitionis ſui in ſe, & non ſolum ratione diuinæ eſſentiæ: ergo etiam erit ſufficiens, vt per illum cognoſcantur creaturæ in ſe ipſis, & ratione ſui. Conſequentia eſt bona. Antecedens autem probat primo: quia nullum aliud lumen eſt, ita proportionatum cum ipſo in ratione cognoſcibilis, ſicut ipſum lumen gloriæ: nam ſi inferius ſit, non videtur ad eius cognitionem ſufficiens; ſuperius autem, vel repugnat, vel ſine cauſa ad illius cognitionem in ſe ipſo requiretur: ergo ipſum lumen gloriæ eſt ad ſe in ſe ipſo, & ratione ſui cognoſcendum ſufficiens. Secundo probat idem antecedens: nam lumen naturale intellectus Angelici eſt ſufficiens, non ſolum ad cognoſcendum alia, ſed etiam ad ſe ipſum cognoſcendum in ſe, & ratione ſui: ergo etiam lumen gloriæ eſt ſufficiens, non ſolum ad cognoſcendum Deum, & ſe ipſum in diuina eſſentia cognita, ſed etiam ad ſe ipſum in ſe, & ratione ſui cognoſcendum. *33 Secundo.*

Hoc tamen argumentum non vrget: nam maior aſſumpta eſt falſa; vt enim lumen gloriæ eſſet principium ſufficiens cognitionis creaturarum in ſe ipſis, & ratione ſuâ, oportebat, quod obiectum adęquatum ſpecificatiuum illius non eſſet diuina eſſentia, ſed veritas ſupernaturalis, veritati creatæ, & veritati increatę communis; ſed obiectum adæquatum ſpecificatiuum luminis glorię eſt ſola eſſentia diuina, & veritas increata: ergo non eſt ſufficiens principium cognitionis creaturarum in ſe ipſis, & ratione ſui. Conſequentia eſt bona. Maior, prę terquamquod conceditur à Suarez, conſtat primo: ideo namque in eius ſententia eodem habitu charitatis poſſunt diligi creaturæ, non ſolum ratione bonitate diuinæ; ſed etiam propter ſe ipſas, & ratione propriæ bonitatis, quia obiectum ſpecificatiuum charitatis, non eſt bonitas diuina increata, ſed bonitas diuina abſtrahens à diuina per eſſentiam, & à diuina per participationem: ergo vt per habitum luminis gloriæ, poſſint cognoſci creaturæ in ſe ipſis, *34 Maiorem arg. eſſe falſam prob.*

§. IV.

De vnitate ſcientiæ per ſe infuſæ.

Nõ implicat vnus habitus reſpectu omniũ extra Verbũ.

Prob. 1.

46 QVarto aſſerimus, eſſe de potentia abſoluta poſſibilem vnum habitum ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturalis, qui ad omnia obiecta extra Verbum ab anima Christi in ſe ipſis ſupernaturaliter cognita, extendatur. Quod probo; vt enim *diſp.* 35. §. 14. docuimus: non implicat vna ſpecies repræſentans totam collectionem creaturarum poſſibilium in ſe ipſis; eo quod licet multitudine ſint infinitæ, ſunt tamen finitæ eſſentiæ; ſed habitus ex propria natura, vel adæquat, vel excedit in ſua amplitudine ſpeciem intelligibilem; vnde vnus habitus ſcientiæ complectitur ſub ſe plura obiecta, quæ diſtinctis ſpeciebus repræſentantur: ergo non implicat vnus habitus, per quem tota creaturarum poſſibilium collectio poſſit cognoſci.

Secundò.

47 Secundò, nam omnia obiecta, quæ poſſunt ad vnum modum cognitionis reduci, conueniuntque ſub vna ratione obiectiua, poſſunt ſub eodem habitu comprehendi; ſed omnia, quæ Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſam cognouit, continentur ſub vna ratione obiectiua; nempe, ſub ratione entis creati, vt ſupernaturaliter cognoſcibilis, quæ licet in eſſe entitatiuo analoga ſit, eſt in ratione ſcibilis vna ſpecificè, & ad eundem modum cognitionis poſſunt reduci: ergo poſſunt ſub eodem ſcientiæ habitu comprehendi; & conſequenter eſt dabilis de potentia abſoluta vnus habitus eleuans Chriſti intellectum ad cognitionem omnium, quæ extra Verbum per ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem cognouit.

Lorca docet de facto eſſe duos habitus.

48 An autem de facto fuerit vnus, vel plures, non eſt vna Theologorum ſententia, Lorca *in præſenti diſp.* 51. *membro* 1. *num.* 7. etſi probabile cenſeat, eſſe vnum ſpecie habitum, probabilius tamen exiſtimat, eſſe duos habitus ſpecie diſtinctos, quorum vno obiecta naturalia, & alio ſupernaturalia obiecta fuerunt cognita ab anima Chriſti Domini, eo quod ad diſtinctionem habituum multum confert obiectorum diſtinctio: entia autem naturalia, & ſupernaturalia, etiam in ratione obiecti cognoſcibilis, diſtinguuntur; ac proinde non vno ſcientiæ habitu, ſed duplici, ſpecie diſtincto cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini.

Eius fundamentũ non vrget. 1.

49 Hoc tamen fundamentum non vrget: nam entia naturalia cognoſcuntur ab anima Chriſti Domini per habitum ſcientiæ infuſæ cognitione ſupernaturali, vt *Diſp.* 35. monſtrauimus, & Lorca ſupponit: cum doceat per habitum ſupernaturalem cognoſci; habitus autem ſupernaturalis non poteſt eſſe cognitionis naturalis principium: ergo conueniunt cum entibus ſupernaturalibus in ratione obiecti creati ſupernaturaliter cognoſcibilis; ſed omnia entia ſupernaturalia creata, ideò per eundem habitum ſcientiæ infuſæ cognoſcuntur, quia licet inter ſe diſtinguantur entitatiuè, conueniunt tamen in ratione obiecti ſupernaturaliter cognoſcibilis: ergo quamuis entia naturalia in eſſe entis à ſupernaturalibus diſtinguantur, quia tamen cum illis in ratione obiecti conueniunt eodem ſpecie habitu cognoſcuntur.

Secundò.

50 Deinde nam dato, vt concedit Lorca, vnum ſpecie habitum ſupernaturalem ad omnia entia ſupernaturalia cognoſcenda ſufficere, neceſſario eſt aſſerendum, non variari ſpecie habitum iuxta varietatem ſpecificam cognitionum, ſed poſſe vnum habitum ſpecie, eſſe plurium ſpecie cognitionum principium; ſed hoc conceſſo, non eſt cur idem habitus non poſſit ad cognitionem ſupernaturalem entium naturalium extendi; ergo illa doctrina admiſſa; nulla eſt neceſſitas conſtituendi habitum per ſe infuſum reſpectu entium naturalium ſpecificè diſtinctum ab habitu per ſe infuſo, per quem entia ſupernaturalia cognoſcuntur.

Secunda ſententia aliorum. Granad. M.S.Th. Zippul.

51 Alij tot habitus eleuantes potentiam diſtinguendos eſſe exiſtimant, quot ſunt ſpecies intelligibiles. Ita Granadus *controuerſia* 1. *de Incarnatione tract.* 8. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *concluſione* 3. Mag. S. Thom. *diſp.* 14. *art.* 3. *concluſione* 2. & Zippullus *in hac q. art.* 6. *dub. vnico*. Id probat P. Granadus: nam cognitiones ſpecificè diſtinctæ, multiplicant ſpecificè habitus; ſed iuxta diſtinctionem eſſentialem ſpecierum impreſſarum diſtinguuntur eſſentialiter cognitiones: ergo etiam diſtinguuntur eſſentialiter habitus.

Argumentũ Patris Granadi nõ vrget.

52 Hoc tamen argumentum non vrget; cum enim habitus ſit perfectio potentiæ per modum principii, conformatur cum illa in modo attingendi obiectum; potentia autem vna, ad plures ſpecie actus extenditur, nempe, ad omnes, qui tendunt in ſua obiecta ſub ratione formali ſpecificatiua potentiæ: ergo etiam vnus habitus erit plurium cognitionum principium, etiam ſi ſpecificè diſtinguantur; dummodo obiecta ab illis attacta, contineantur ſub ratione formali obiectiua ſpecificante habitum; vnde vnus habitus methaphyſicæ ad plures actus ſpecifice diſtinctos præſtat facilitatem, vno habitu, charitatis diligitur Deus, & proximus propter Deum, qui ſunt actus ſpecie diſtincti, & vno habitu fidei aſſentimur veritatibus diuinis, & veritatibus creatis, inter quos aſſenſus ſpecifica diſtinctio intercedit: ergo non ſunt multiplicandi habitus in ſcientia infuſa iuxta ſpecificam diſtinctionem cognitionum.

Aliorum fundamentum.

Magiſter Sancto Thoma, & Zippullus inde mouentur: nam quælibet ſpecies infuſa conſtituit diſtinctum genus ſcibile; ſed habitus ſcientifici ſpecificantur ab obiectis, vt ſunt in genere ſcibili: ergo quælibet ſpecies ab alia eſſentialiter diſtincta, diſtinguit ſpecificè habitum; & conſequenter tot ſunt habitus infuſi ſcientifici, quot ſunt ſpecies per ſe infuſæ. Maior probatur: quælibet ſpecies infuſa repræſentat veritates demonſtrabiles de ſubiecto media diffinitione cum tali ſubiecto adæquata, quæ eſt principium demonſtrationis; ſed multiplicatis principiis adæquatis, multiplicantur genera ſcibilium; cum aliquid ſcibile per principia conſtituatur: ergo quælibet ſpecies infuſa eſſentialiter ab alia diſtincta, conſtituit diſtinctum genus ſcibile; & conſequenter obiectiuè multiplicat habitum ſcientificum ſe tenentem ex parte potentiæ. 53

Si in contrariũ opponatur.

Si in contrarium opponatur: ſpecies rerum materialium à phantaſmatibus abſtractæ, etſi inter ſe eſſentialiter diſtinguantur, non conſtituunt diſtincta genera ſcibilium, nec habitum acquiſitum obiectiuè multiplicant; vnus enim Philoſophiæ habitus demonſtrat paſſiones de homine, equo, & de aliis contentis ſub obiecto formali Philoſophiæ, & loquendo in genere de habitibus intellectus, expreſſe docet D. Thom. 1. 2. *quæſtion.* 54 *articul.* 4. ergo pariter ſpecies per ſe infuſæ quamuis inter ſe eſſentialiter diſtinguantur, non diſtinguunt genera ſcibilium ſufficiente diſtinctione ad multiplicandos ſpecificè habitus ſupernaturales infuſos. 54

Reſpondet M.S.Tho.

Reſpondet Magiſter Sancto Thoma negando conſequentiam, & rationem diſcriminis aſſignat. Nam principia repræſentata per ſpeciem per ſe infuſam, ſunt adæquatè diſtincta a principiis per aliam ſpeciem infuſam repræſentatis, verb. grat. diffinitio hominis habita per ſpeciem infuſam, adæquatur cum homine, & adæquatè in ratione principii demonſtratiui proprietatum hominis diſtinguitur à diffinitione equi, quæ eſt principium per quod proprietates equi demonſtrantur, ideoque prædicta obiecta ſunt diſtincta in genere ſcibilis. Eadem tamen hominis diffinitio, vt per ſpecies acquiſibiles habita, non diſtinguitur in ratione principii, adæquatè à diffinitione equi, ideoque non conſtituit genus ſcibile diſtinctum, ſed homo, & equus vt, repræſentabiles per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus intra idem genus ſcibile continentur, & ab eodem habitu Philoſophiæ attinguntur. 55

Impugnatur ſolutio.

Sed vt verum fatear, non ſatis diſcrimen ab hoc Sapientiſſimo Magiſtro aſſignatum percipio: nam diffinitio hominis habita per ſpeciem infuſam, non alia ratione poteſt adæquatè in ratione principii demonſtratiui à diffinitione equi, vel alterius ſpecificæ naturæ diſtingui intra genus ſcibile, niſi quia in ratione principii illi non ſubordinatur, nec vtraque diffinitio vni tertio, ex quo proprietates hominis, & equi demonſtratiuè inferantur; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo non differunt adæquatè in ratione principii demonſtratiui in genere ſcibili; & conſequenter ſpecies per ſe infuſæ, eſſentialiter diſtinctæ, non conſtituunt diſtincta ſcibilium genera. Probatur minor: diffinitio hominis habita per ſpecies acquiſitas, non ſubordinatur diffinitioni equi, nec vtraque vni tertio principio, ex quo proprietates equi, & hominis demonſtratiuè inferantur; non enim demonſtrantur paſſiones de homine media diffinitione equi, aut è contra, nec de his naturis demonſtrantur proprietates mediante aliquo ipſis communi cum in illo non radicentur, & tamen non differunt adæquate in ratione principii in genere ſcibili: ergo ratio illa eſt nulla. 56

Reſpondebis: ideo diffinitiones hominis, & equi, 57

vt

Reſpondebis. vt habitus per ſpecies acquiſitas, non diſtingui in ratione principij adæquatè, quia attinguntur per habitum Philoſophię, vt ſtant ſub illius abſtratione obiectiua, prout autem repræſentantur per ſpecies per ſe infuſas, non inſpiciuntur ab habitu ſupernaturali ſcientifico, vt ſtant ſub aliqua ratione communi, ſed qualibet ratione ſui; & ideo in ratione principij demonſtratiui diſtinguuntur adæquatè, & genera ſcibilium diſtinguunt, obiectiueque habitus ſupernaturales multiplicant.

58 *Sed cõtra.* Sed contra: nam quod prædictæ diffinitiones non attingantur per habitum ſcientiæ infuſę, vt ſtant ſub aliqua ratione communi, vel prouenit ex eo, quod per ſpecies per ſe infuſas in ſe, & ratione ſui repræſentantur, & non ratione prædicati communis vtrique; vel quia habitui ſupernaturali repugnat erga obiecta diſtincta, vt ſtant ſub ratione aliqua communi verſari; ex neutro capite poteſt prouenire: ergo attinguntur per habitum ſcientiæ infuſæ, vt ſtant ſub aliqua ratione communi. Conſe-
Minor pro ſecunda parte conſtat. quentia cum maiori tenent. Minor pro ſecunda parte conſtat: ſi namque habitui acquiſito ſcientifico non repugnat plura attingere, vt ſtant ſub ratione illis communi, cur habitui infuſo, & ſupernaturali modus ille repugnabit? Certe non video, quo modo conceſſo habitui acquiſito modo prædicto attingendi ſua obiecta, poſſit con-
Pro prima prob. ſequenter defendi, repugnare habitui infuſo. Pro prima parte probatur; nam ſpecies acquiſita hominis repręſentat hominem, non ratione alicuius prædicati ſibi, & alijs naturis communis, ſed ratione ſui, prout ab alijs naturis diſtinguitur, idemque de ſpecie equi à phantaſmatibus abſtracta eſt dicendum; & tamen habitus Philoſophię hominem, & equum reſpicit, & illorum diffinitiones, non ſub rationibus, quibus inter ſe diſtinguuntur, ſed ſub ratione entis mobilis, homini, & equo communi: ergo quod diffinitiones habitę per ſpecies infuſas, repręſententur per illas ſecundum ea, quibus inter ſe diſtinguuntur, non probat non reſpici ab habitu ſcientię infuſę, vt ſtant ſub ratione ipſis communi, ſed ſub illis, quibus inter ſe diſtinguuntur; & conſequenter licet ſpecies per ſe infuſę hominis, & equi, illorum repręſentent naturas ſecundum rationes proprias, quibus inter ſe diſtinguuntur, & quęuis ea illis ſpeciebus cum natura ſpecifica ab ipſa repręſentata adęquetur, poterit habitus ſcientificus ſe tenens ea parte intellectus, illumque eleuans ad ſupernaturalem cognitionis actum, prędicta obiecta reſpicere, vt ſtant ſub ratione communi; ac proinde reſpectu habitus ſupernaturalis ſcientifici inadæquatè ſe habebunt; ex quo vlterius ſequitur, quod reſpectu talis habitus omnino materialiter illorum diſtinctio comparetur.

59 *Confirm.* Confirmatur: nam habitus ſupernaturalis quo Angeli cognoſcunt obiecta creata in ſe ipſis; eſt vnus, & indiuiſus, vt Mag. S. Thoma fatetur, quamuis ſpecies ſupernaturalis infuſa, non vna, ſed multiplex ſit: ergo habitui ſupernaturali ſcientifico non repugnat reſpicere plura, vt ſtant ſub ratione communi, ſed poteſt vnus habitus ſupernaturalis ſcientificus obiecta inter ſe diſtincta, & per diuerſas ſpecies infuſas repræſentata ſub ſe comprehendere; ex quo vlterius ſequitur, non eo ipſo, quod ſpecies per ſe infuſæ eſſentialiter diſtinguantur, conſtituere genera ſcibilium adæquate diſtincta in ratione obiecti ſcibilis.

60 *Reſpondebis.* Reſpondebis, hoc eſſe verum in Angelis, ſecus autem in hominibus; eo quod lumen naturale intellectus Angelici cum omnimoda vnitate ſine habitibus diſtinctis eſt ſufficiens ad omnia cognoſcibilia per ipſum intra ordinem naturæ, & quia habitus ſupernaturales in fundantur à Deo ſecundum proportionem naturalium; fit conſequens, vt in Angelis vnus habitus ſupernaturalis ad omnia obiecta creata in ſe ipſis cognoſcenda ſufficit, & quod non multiplicetur habitus potentiam eleuans ad diſtinctionem ſpecierum intelligibilium, & quod tales ſpecies non conſtituant obiecta adæquatè in genere ſcibili diſtincta; intellectus autem humanus pluribus habitibus indiget in ordine naturali ad obiecta cognoſcibilia ſcientificè; ideoque habitus ſcientifici infuſi multiplicantur in illo, nec vnus habitus ſufficit, ſed plures ſunt neceſſarij iuxta diſtinctionem ſpecierum infuſarum; nam Deus in illorum infuſione ſe accommodat cum natura, illosque iuxta proportionem naturalium infundit. Ita Mag. S. Tho. *vbi proximè*.

61 *Sed contra 1.* Sed contra primò: nã etiam ſi diſcrimen hoc admittatur, non ſequitur, tot eſſe multiplicandos habitus, quot ſunt ſpecies per ſe infuſæ; ergo ad intentum non ſufficit. Probatur antecedens: habitus acquiſiti non multiplicantur iuxta diſtinctionem ſpecierum intelligibilium, ſed vnus habitus ad plura obiecta ſe extendit per plures ſpecies repræſentata: ergo ex eo quod habitus ſcientifici ſupernaturales infundantur à Deo, ſeruata proportione ad naturam; & ad habitus acquiſitos, non ſequitur, tot habitus ſcientiæ infuſæ eſſe in Chriſto conſtituendos, quot ſunt ſpecies intelligibiles.

Contra ſecundo: nam in habitibus infuſis eleuantibus potentias, nulla eſt differentia inter Angelos, & homines, quo ad illorum vnitatem: ergo ſi in Angelis vnus habitus ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ ad omnia cognoſcenda ſufficeret, non eſt multiplicandus talis habitus in Chriſto. Conſequentia tenet iuxta ſolutionis doctrinam. 62 *Contra 2.*
Antecedens autem oſtenditur primo: nam inter ipſos Angelos iuxta diuerſitatem, & inæqualitatem ſpecificam ſeruatur inæqualitas in vnitate, & vniuerſalitate ſpecierum intelligibilium: ita vt Angelus perfectior per vniuerſaliores ſpecies intelligat; & conſequenter paucioribus ſpeciebus ad intelligendum indigeat, vt docet Diui Thom. *1.p. q.55. art.3.* & tamen quoad habitus ſupernaturales eleuantes potentias ad operandum, hoc diſcrimen non ſeruatur; ſed omnes per habitus infuſos æquè vniuerſales, & in numero æquali eleuantur: ergo pariter licet inter intellectum Angelicum, & humanum detur diſcrimen in vniuerſalitate, & vnitate ſpecierum intelligibilium; in vnitate vero, & vniuerſalitate habituum ſupernaturalium eleuantium potentias ad operandum, nullum ſeruatur diſcrimen. *Antecedẽs oſtenditur 1.*

Secundo idem antecedens probatur: nam licet quoad ſpecies, quibus vtimur ad credendum fide ſupernaturali, detur inter Angelos, & homines quoad vnitatem, & vniuerſalitatem diſcrimen quoad habitum autem fidei, per quem intellectus eleuatur ad credendum, hæc differentia non datur; ſed vnus fidei habitus ad omnia credibilia ſe extendit, tam in homine, quam in Angelo: ergo pariter quamuis in ſpeciebus per ſe infuſis, diſcrimen ſit inter Angelos, & homines quoad illarum vniuerſalitatem, in habitu ſcientifico intellectum eleuante, tale diſcrimen non datur. 63 *Secundo.*

Tertio probatur: habitus ſupernaturales eleuantes voluntatem, æquè vniuerſales ſunt in hominibus, & Angelis, vt conſtat in ſpe, charitate, & virtutibus moralibus; ſpes namque, & charitas, nec in nobis, nec in Angelis ſunt plures; virtutes autem infuſæ reſidentes in voluntate, æque multiplicantur in Angelis, & in nobis: ergo pariter habitus ſupernaturales eleuantes intellectum, eandem vniuerſalitatem, & conſequenter eandem vnitatem, habent in hominibus, & Angelis. 64 *Tertio.*

Aliorum ſententia eſt, habitum ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturalis eleuantem intellectum Chriſti ad cognoſcendas creaturas in ſe ipſis extra Verbum, eſſe vnius ſpeciei, quamuis ſpecies, quibus obiectiuè determinatur, ſint plures. Ita Petrus Borgomenſis *in tabula aurea dub.* 12. *&* 16. Magiſter Medina *in præſenti articul.* 6. & Illuſtriſſimus Araujo *dubio* 3. Eandem ſententiam ſequitur Suarez *diſputat.* 19. *ſection.* 3. pro illa referens Richardum *in* 3. *diſtinction.* 14. *articul.* 3. *quæſtion.* 4. & Marſilium *quæſtion.* 10. *articul.* 2. *part.* 4. Quibus adhærendum exiſtimo ductus primo, quia illam docuit Diui Thom. *in 3. diſtinct. 14 articul. 3. quæſtiunc. 4.* nec illam retractauit *in hac quæſtion. articul. 6.* vt ex proximè dicendis conſtabit. 65 *Tertia ſententia eligitur. Borg. Medina. Araujo. Suar. Richar. Marſil. Prob. 1.*

Secundo: nam habitus ſupernaturalis infuſus; vel multiplicandus eſt iuxta numerum ſpecierum intelligibilium; vel non eſt in plures habitus diuidendus; ſed non multiplicatur iuxta numerum ſpecierum: ergo non diuiditur in plures habitus, ſed eſt vnus ſpecie reſpectu omnium, quæ Chriſtus per ſcientiam infuſam ſupernaturalem cognouit. Conſequentia tenet. Minor conſtat *ex dictis numer.* 61. traditurque à D. Thoma *quæſtiuncula citata ad* 3. illis verbis: *Dicendum, quod non quælibet ſpecierum diuerſitas facit habitum diuerſum; alias oporteret, quod, quot ſunt res, tot eſſent ſcientiæ; ſed diuerſitas ſpecierum, quæ non reducuntur ad eundem modum cognitionis ſecundum genus.* Maior autem probatur: nam quod homo, & equus verb. grat. qui diſtinctis ſpeciebus infuſis repræſentantur, eodem habitu cognoſcantur; ideo eſt, quia conueniunt in eodem modo cognoſcibilitatis paſſiuæ per habitum ſupernaturalem in- 66 *Secundo probatur.* *S.Th.*

fuſum

fuſum ; ſed hæc eadem conuenientia inuenitur inter omnes alias entitates creatas, vt in ſe ipſis ſupernaturaliter cognoſcibiles : ergo poſſunt omnes in ſe, & ratione ſui per eundem habitum ſupernaturalem cognoſci ; ac proinde, vel habitus ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ multiplicandus eſt iuxta numerum ſpecierum infuſarum, vel non eſt in plures habitus diuidendus.

67 *Denique probatur.* Denique probatur ; vt enim *numer.* 46. monſtrauimus, eſt poſſibilis vnus habitus ſupernaturalis ſcientificus, per quem omnia à Chriſto extra Verbum cognita ; cognoſcantur ; ſed nulla eſt ratio aſſignabilis, cur talis habitus de facto non detur : ergo aſſerendum eſt intellectum Chriſti de facto per vnum habitum omnia illa obiecta in ſe ipſis cognouiſſe. Nec eſt eadem ratio de ſpeciebus obiectiuè concurrentibus : Deus namque in infuſione ſpecierum ſupernaturalium ſe accommodat cum natura, illaſque infundit iuxta proportionem ſpecierum naturalium, & quia naturæ humanæ eſt naturale per plures ſpecies diuerſa obiecta intelligere ; fit, quod Deus plures ſpecies ſupernaturales infundat, etſi de potentia abſoluta potuerint omnia obiecta creata per vnam repræſentari. Quæ ratio in habituum infuſione non militat, vt vidimus *numer.* 62. Et quidem ſpecies ſupernaturales, quibus vnus Angelus altero inferior, obiecta ſupernaturalia cognoſcit, plures ſunt, & minus vniuerſales, quam ſpecies ſupernaturales, quibus Angelus ſuperior eadem obiecta cognoſcit, ſi vera eſt ſententia D Thom. *art.*6. aſſerentis, intellectum animæ Chriſti recepiſſe ſpecies infuſas in minori vniuerſalitate, & maiori numero, quam Angeli ; & tamen habitus ſupernaturalis eiuſdem vniuerſalitatis, & vnitatis eſt in Angelo inferiori, & in Angelo ſuperiori vt noſtri Thomiſtę fatentur ; hoc autem verum eſſe non poſſet, ſi Deus in infundendis habitibus eandem proportionem ſeruaret, quam ſeruat in infuſione ſpecierum : ergo fateri tenentur, non ſeruare eandem proportionem in infundendis habitibus intellectum eleuantibus, quam ſeruat in infundendis ſpeciebus, obiectiuè concurrentibus.

68 *Obiicies. D.Tho.* Oppones, D. Thom. *articul.*6. *ad finem corporis*, illis verbis : *Et ideo ſcientia indita animæ Chriſti fuit diſtincta ſecundum diuerſos habitus* : ergo aperte ſentit D. Thom. non vno, ſed diſtinctis habitibus eſſe intellectum Chriſti eleuatum ad illa, quę extra Verbum cognitione ſupernaturali cognouit, quidquid ſit, an de potentia abſoluta potuerit per vnum habitum ſupernaturalem omnia illa obiecta cognoſcere.

69 *Reſpondetur.* Reſpondeo, ſcientiam infuſam conſiſtere in habitu eleuante potentiam, in recto importando in obliquo ſpecies intelligibiles concurrentes obiectiuè, & cum docet D. Thom. ſcientiam infuſam eſſe diſtinctam ſecundum diuerſos habitus, loqui de ſcientia infuſa, non pro eo quod dicit in recto, ſed pro eo quod importat de connotato, & in obliquo. Ita Medina, & alii Recentiores Thomiſtæ ex Bergomenſi *vbi ſupra*. Sicque accipiendam eſſe Angelici Præceptoris doctrinam : conſtat primo ; nam ſic accepta, reducitur in concordiam, quod in Sententiariis docuit, cum eo, quod docet *in præſenti art.* 6. *in corp.* Et non cogimur aſſerere, ſententiam, quam *ibi* docuit mutaſſe.

70 *Ponderatur ſolutio ad 3. D.Th.* Secundo *ex ſolutione ad* 3. vbi diſtinguens inter lumen eleuans intellectum, & ſpecies infuſas, ait : *Quod lumen diuinitus infuſum, eſt communis ratio intelligendi, quæ diuinitus reuelantur, ſicut & lumen intellectus agentis, eorum, quæ naturaliter cognoſcuntur : & ideo oportuit eſſe in anima Chriſti proprias ſpecies ſingularum rerum, ad cognoſcendum cognitione propria vnumquodque. Et ſecundum hoc oportuit, eſſe diuerſos actus ſcientiæ in anima Chriſti, vt dictum eſt.* Sentit ergo Angelicus Doctor, ſcientiam infuſam Chriſti eſſe vnam ex parte luminis eleuantis intellectum, & plures ex parte ſpecierum obiectiuè concurrentium, per quas lumen infuſum de ſe indifferens ad plura obiecta, determinatur ad propriam vniuſcuiuſque cognitionem.

71 *Quorundam explicatio excluditur.* Quod enim ab aliquibus ex noſtris aſſeritur, Diuum Thomam loqui de vnitate generica luminis eleuantis intellectum Chriſti ; non autem de vnitate ſpecifica : contextui non congruit. Primo ; ait namque D. Thom. lumen diuinitus infuſum eſſe communem rationem intelligendi, quæ diuinitus reuelantur, ſicut lumen intellectus agentis eorum, quæ naturaliter cognoſcuntur ; at lumen intellectus agentis vnum eſt vnitate ſpecifica, & ſufficiens ratio intelligendi omnia, quæ naturaliter cognoſcuntur : ergo lumen infuſum diuinitus, de quo aſſerit Angelicus Doctor eſſe vnum, eſt vnum vnitate ſpecifica. Secundo : nam loquitur de lumine infuſo diuinitus, quod per ſpecies diſtinctas determinatur ad propriam vniuſcuiuſque rei cognitionem ; ſed lumen intellectuale ſumptum genericè, non determinatur per ſpecies intelligibiles obiectorum, ſed per proprias differentias ; benè tamen ſumptum ſpecificè : ergo aſſerere, loqui D. Tho. de vnitate generica luminis infuſi diuinitus, non congruit contextui.

Sed inſtabis primo : nam D.Thom. arguit ex diſtinctione ſpecierum diuerſitatem habituum, quia ſpecies diſtincta, conſtituit diuerſum genus ſcibile ; at ex diuerſis generibus ſcibilium diſtinguuntur eſſentialiter habitus ſcientifici iuuantes vel eleuantes potentiam intellectiuam, ſecundum id quod tales habitus important in recto : ergo cum D.Tho infert, ſcientiam infuſam eſſe diſtinctam ſecundum diuerſos habitus, loquitur de ſcientia infuſa, pro eo quod importat in recto. 72 *Inſtabis 1.*

Secundo : nam D. Thom. *ſolutione ad* 1. ſtatuit diſcrimen inter ſcientiam infuſam Angelorum, & ſcientiam infuſam Chriſti, quoad hoc, quod eſt diſtingui per plures habitus ; ſed ſcientia infuſa Angelorum, quoad ſpecies, quas importat in obliquo ſecundum plures habitus diſtinguitur : ergo diſtinctio ſecundum plures habitus, quam cognoſcit in ſcientia infuſa ſupernaturali Chriſti, non eſt ſolum ſecundum ſpecies in obliquo à tali ſcientia importatas, ſed etiam ſecundum id, in quo eſſentialiter in recto conſiſtit. 73 *Secundo.*

Tertio : nam *ſolutione ad ſecundum*, concedis ſcientiæ per ſe infuſæ Chriſti diſtinctionem ſecundum diuerſos habitus, quam negat habitui fidei diuinę ; ſed diſtinctio ſecundum diuerſos habitus ratione connotati, etiam conuenit fidei diuinæ ; cum ſpecies intelligibiles inſeruientes fidei ſint plures : ergo diſtinctio ſecundum diuerſos habitus, quam concedit ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti, non eſt ſolum penes id, quod de connotato à prædicta ſcientia importatur, ſed etiam penes id, quod importat in recto ; aliàs non ſubſiſtet diſcrimen à Diuo Thoma ſtatutum. 74 *Tertiò.*

Reſpondeo ad primam replicam, Diuum Thomam loqui de diſtinctione generis ſcibilis, adæquata quidem per comparationem ad ſpecies intelligibiles, inadæquata vero per comparationem ad habitum ſe tenentem ex parte potentiæ ; hæc autem diſtinctio obiectiua, non ſufficit ad multiplicandam ſpecificè ſcientiam ſecundum id, quod dicit in recto, nempe, habitum eleuantem potentiam, ſed ſolum ſecundum id, quod importat in obliquo, & de connotato, videlicet, ſpecies, per quas habitus ſcientificus determinatur ad propriam alicuius obiecti cognitionem. 75 *Ad 1. reſpliam ſpond.*

Ad ſecundam dicatur : diſcrimen à Diuo Thoma ſtatutum inter Angelos, & homines, quantum ad ſcientiam ſupernaturalem infuſam, non eſſe accipiendum quoad diſtinctionem habituum abſolutè, hoc eſt, quod in Nobis diſtinctus habitus ſit, & in Angelis vnus, quia tam in Angelis, quam in nobis vnus eſt habitus ſupernaturalis ſcientificus eleuans potentiam, & ſpecies obiectiuè concurrentes ſunt plures ; ſed accipiendum eſt de diſtinctione, & pluralitate comparatiuè, quia nempè ſcientia infuſa noſtra, eſt diſtincta ſecundum plures habitus, quam ſcientia infuſa Angelorum ; quod verum eſt, loquendo de ſcientia infuſa ſecundum id, quod dicit in obliquo, ſcilicet, ſpecies intelligibiles ; eo quod cum ſpecies etiam ſupernaturales, vniuerſaliores ſint in Angelis, quam in nobis ; fit conſequens, quod in nobis ſint plures : ac proinde, quod ſcientia infuſa Chriſti in plures habitus diſtinguatur, quam ſcientia infuſa Angelorum. 76 *Ad 2.*

Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem. Nam licet ſpecies intelligibiles inſeruientes fidei ſint plures : non tamen determinant habitum fidei ad aſſenſum credendi, qui eſt actus à fide elicitus, ſed ſolum intellectum determinant ad ſimplicem obiecti apprehenſionem, quæ non cauſatur à fide : ſpecies autem ſupernaturales infuſæ repræſentant, non ſolum ſubiecta ſimplicia, ſed etiam veritates complexas ; ac proinde determinant lumen infuſum ad aſſenſum ſupernaturalem ſcientificum, qui eſt actus ab illo elicitus ; ideoque ſpecies iſtæ importantur à ſcientia infuſa de connotato ; à fide autem ſpecies illæ inſeruientes non ſic importantur : nam habitus ſolum connotat ſpeciem ipſum determinantem ad actum ab illo elicitum. 77 *Ad 3.*

§. V.

§. V.

De vſu iſtius ſcientiæ diſcurrendo.

78. *Non fuit diſcurſiua quoad acquiſitioné.* SCientiam iſtam non fuiſſe diſcurſiuam quoad acquiſitionem, docet D.Thom. *in hac q. art.* 3. & patet: fuit enim diuinitus indita, non inuentione humana acquiſita: ergo diſcurſiua quoad acquiſitionem non fuit; illa enim ſcientia dicitur quoad acquiſitionem diſcurſiua, quæ acquiritur per diſcurſum.

79 *Non fuit neceſſario diſcurſiua.* Quod etiam potuerit intellectus Chriſti per illam ſine diſcurſu formali intelligere, conſtat ex dictis *diſp.* 35. ſpecies enim ſcientiæ per ſe infuſæ ſeruientes, repræſentant res creatas in ſe ipſis, & ratione ſui, non ſolum quidditatiuè, ſed etiam comprehenſiuè; & conſequenter ſpecies repræſentans hominem v. gr. non ſiſtit in eſſentia hominis, ſed etiam repræſentat omnes eius proprietates: ergo potuit intellectus Chriſti per illas vno indiuiſibili actu eſſentiam rei creatæ, & omnes illius proprietates cognoſcere; at diſcurſus formalis petit plures actus realiter diſtinctos inter ſe, quorum vnus ab alio cauſetur: ergo potuit intellectus Chriſti per huiuſmodi ſcientiam ſine diſcurſu intelligere.

80 *Prima ſét. Suar. Vazq. Lugo.* Reſtat ergo difficultas, an modus iſte intelligendi, ita fuerit huic ſcientiæ adæquatus, vt intellectus Chriſti per illam non potuerit diſcurrendo intelligere. Affirmant Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 2. Vazquez *diſp.* 52. *cap.* 3. & Cardinalis Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 6. Quos alij ſequuntur. Negatiuam ſententiam tenet D.Thom. *in hac q. art.* 3. vbi docet, quod licet hæc ſcientia non fuerit diſcurſiua quoad acquiſitionem;

81 *Secunda ſententia S.Th. Caiet. Medina. Recētiores. Valentia. Granad. Beccanus. Hurt.* fuit tamen diſcurſiua quoad vſum, potuiſſeque intellectum Chriſti illa vti diſcurrendo. D.Thom. ſequuntur Caietanus, Medina, & alij Recentiores Thomiſtæ circa iſtum articulum. Et ex PP. Societatis Valentia *in præſenti art.* 3. *punct.* 2. Granadus *contr.* 1. *de Incarnat. tract.* 8. *diſp.* 3. *ſect.* 3. Beccanus *c.* 9. *q.* 5. Gaſpar Hurtado *diſp* 8. *difficult.* 5. quos alij Recentiores ex eadem familia ſequuntur.

Et probatur: potuit enim Chriſtus per habitum ſcientiæ infuſæ vna intellectione cognoſcere eſſentiam hominis, vt eſt radix riſibilitatis, & alia riſibilitatem, vt radicatam in eſſentia hominis; ſed hac cognitionum diſtinctione ſuppoſita,

82 *Hæc ſent. prob.* potuit vnam ex alia deducere: ergo potuit per hanc ſcientiam diſcurrere, & illa vti diſcurrendo. Conſequentia eſt bona. Nam diſcurſus conſiſtit in diſtinctis cognitionibus, quarum vna ex alia deducitur. Præmiſſæ autem indigent probatione. Maior ex inde conſtat. Nam ſi non poſſent

Maior cōſtat. eſſentia hominis, & riſibilitas diſtinctis intellectionibus intelligi ab anima Chriſti per habitum ſcientiæ infuſæ, ideo eſſet, quia per vnam ſpeciem infuſam repræſentantur; ſed hæc ratio nulla eſt; cum enim habitus iſte fuerit voluntati Chriſti ſubiectus quoad vſum, potuit vti inadæquatè repræſentatione ſpeciei; & conſequenter potuit non cognoſci ab intellectu Chriſti vno indiuiſibili actu omne obiectum repræſentatum per ſpeciem: ergo potuit intellectus Chriſti per habitum ſcientiæ infuſæ vna intellectione cognoſcere eſſentiam hominis, vt eſt radix riſibilitatis, & alia riſibilitatem, vt in eſſentia hominis radicatam.

83 *Minor prob.* Minor autem probatur: nam eſſentia hominis cognita, vt radix riſibilitatis, continet illam radicaliter obiectiuè: ergo cognitio eſſentiæ hominis, vt radicis riſibilitatis, continet effectiuè cognitionem riſibilitatis, vt in eſſentia hominis radicatæ; & conſequenter poteſt hæc ſecunda cognitio à prima cognitione procedere; & ex vtraque poterit diſcurſus formalis conſurgere. Hæc ſecunda conſequentia ex prima euidenter colligitur: cognitio namque aliam effectiuè continens, poteſt illam efficienter cauſare. Prima autem probatur, quod enim præmiſſæ formales effectiuè in ſe contineant, poſſintque efficienter influere in concluſionem formalem, non aliunde colligitur, niſi quia in obiecto præmiſſarum continetur obiectiuè obiectum concluſionis; ergo ſi eſſentia hominis cognita, vt radix riſibilitatis, continet obiectiuè riſibilitatem radicatam, cognitio eſſentiæ hominis, vt radicis riſibilitatis, continet effectiuè cognitionem riſibilitatis radicatæ.

84 *Arguitur* 1. Et ex his ſolutum manet præcipuum contrariorum fundamentum ſumptum ex eo quod diſcurſum formalem requiritur realis intellectionum pluralitas, quarum vna deducatur ex alia; ſed ſcientiæ per ſe infuſæ repugnat modus iſte cognoſcendi: ergo repugnat illi diſcurſus; & conſequenter non potuit Chriſtus per illam diſcurrere, aut illa vti diſcurrendo. Minor, in qua eſt difficultas, oſtenditur primò. Nam Chriſtus per ſcientiam infuſam intelligit modo Angelorum, & ad hoc ſcientiam per ſe infuſam eſſe in Chriſto conſtituendam *Diſp.* 32. docuimus; ſed modus cognoſcendi Angelorum eſt talis, vt eſſentiam, & illius proprietates vnica intellectione cognoſcant; ideoque illis repugnat diſcurſus: ergo Chriſtus per ſcientiam infuſam non poteſt proprietates, & eſſentiam per plures actus cognoſcere, ſed neceſſario illa cognoſcit vnico actu; & conſequenter repugnat ſcientiæ per ſe infuſæ Chriſti pluralitas cognitionũ ad diſcurſum neceſſaria. *Minor Prob.* 1.

Secundo probatur minor: nam eſto admittatur in Chriſto duplex actus cognitionis, quorum vno cognoſcat eſſentiam, & altero proprietates, non tamen poteſt vnam ex his cognitionibus ex alia cognitione deducere per habitum ſcientiæ infuſæ; ſed hoc ad diſcurſum requiritur: ergo ſcientiæ per ſe infuſæ repugnat modus cognoſcendi ad diſcurſum requiſitus. Maiorem probat Vazquez *vbi ſupra num.* 20. nam Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcit res ſingulas proprio, & quidditatiuo conceptu, ſicuti ſunt in ſe ipſis: ergo Chriſto vt per ſcientiam infuſam intelligenti, omnia per ſe nota ſunt, & nihil per aliud notum; ſed vt vna cognitio deducatur ex alia, oportet vt obiectum cognitionis ex alia cognitione deductæ, non ſit per ſe notum, ſed notum per aliud; nam concluſio per diſcurſum cognita, non per ſe, ſed per aliud cognoſcitur, & per aliud probatur: ergo eſto in Chriſto duplex admittatur cognitio, vna, quæ eſſentiam cognoſcat, & alia, quæ cognoſcat proprietates, non tamen poteſt per habitum ſcientiæ infuſæ vnam ex his cognitionibus ex alia cognitione deducere. 85 *Secundo.*

Tertio probant Recentiores: per ſpeciem immediatam obiecti, non poteſt illius cognitio ex alia cognitione deduci, eſt cognitionum diſtinctio intercedat; ſed Chriſtus per habitum ſcientiæ infuſæ omnia illius obiecta cognouit per ſpecies immediatas illorum: ergo non potuit vtendo habitu ſcientiæ infuſæ, vnam cognitionem ex alia deducere. Conſequentia eſt bona. Minor ab illis ſupponitur, & conſtat: nam ſcientia infuſa fuit a nobis conſtituta, vt Chriſtus per illam res creatas extra Verbum in ſe ipſis cognoſceret: ergo ſpecies illi inſeruientes repræſentant res creatas in ſe ipſis immediatè. Maior autem probatur: non enim poteſt per vnam ſpeciem idem obiectum cognoſci cognitione immediata, & cognitione mediata; cum ſint modi cognoſcendi oppoſiti, & repugnantes; ſed per ſpeciem immediatam obiecti habetur cognitio immediata illius: ergo non poteſt per illam tale obiectum mediatè cognoſci; at cognitio ex alia cognitione deducta, eſt mediata obiecti cognitio: ergo per ſpeciem immediatam obiecti, non poteſt vna cognitio deduci ex alia cognitione. 86 *Tertio.*

Denique probatur minor: nam eſto per habitum primorum principiorum, poſſint elici cognitiones diſtinctæ, non tamen poteſt per illum, vna veritas ex alia deduci; alias diſtinctus ab habitu ſcientiæ non eſſet, at hoc, non aliunde repugnat, niſi quia talis habitus eſt principium cognitionis immediatæ: ergo cum habitus ſcientiæ infuſæ inclinet in cognitionem immediatam, ſitque principium illius, non poteſt mediante illo, vna cognitio ex alia cognitione deduci; & conſequenter non potuit anima Chriſti illo mediante diſcurrere. 87 *Denique prob. minor*

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, diſtinguo maiorem: poſſibiliter, & aliqua cognitione; concedo maiorem: neceſſario, & omni cognitione, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam licet anima Chriſti per habitum ſcientiæ infuſæ potuerit intelligere modo, quo intelligunt Angeli, nempè, vno actu cognitionis, eſſentiam, & proprietates, quæ repræſentantur per vnam ſpeciem infuſam, & vt poſſet iſto modo intelligere conſtituta è Nobis fuerit *Diſp.* 32 ſcientia per ſe infuſa in anima Chriſti Domini; quia tamen iſte habitus fuit quoad vſum, illius voluntati ſubiectus, potuit pro voluntatis arbitrio illo vtendo, elicere cognitionem non adæquatam cum repræſentatione ſpeciei, per quam ſola eſſentia cognoſceretur, & aliam ad ſolas proprietates terminatam; & conſequenter potuit eſſentiam, & proprietates diſtinctis cognitionibus intelligere. Nec ex eo quod ſit in Angelorum intellectu perfectio, taliter eſſentiam, & proprietates vno actu cognoſcere, quod repugnet illis circa eſſentiam, & proprietates intellectionum pluralitas, & habitus 88 *Reſp. arg.*

bitus ſcientiæ infuſæ ſit perfectior in intellectu Angelico; ſequitur illi repugnare per plures actus attingere eſſentiā & proprietates vt enim docet D. Th *in hac q. art. 4. in corp.* etſi lumen ſcientiæ infuſæ perfectius ſit quoad ſubſtantiā lumine naturali Angelorū, fuit tamen illo inferius, quātū ad cognitionis modū, & ad hūc pertinet, quod potuerit actus cognitionis multiplicare, & diſcurrendo intelligere.

89 *Ad 2. minoris probationem.* Ad ſecunda probationē minoris, nego maiorē. Ad illius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiā. Nā Chriſtus per ſcientiam infuſam, nō ſolū cognoſcit eſſentiā ſubſtantiæ creatæ, ſed etiam eius proprietates; licet autem eſſentia ſubſtantiæ creatæ, quia eſt in propria linea primū ſuarum proprietatum principiū, ſit per ſe nota, & veritas immediatè cognoſcibilis, vtpote in alia priori veritate nō radicata; ideoq; cognita quidditatiuè vt in ſe abſq; medio cognoſcatur, proprietates antē eius in illius eſſētiā petunt reduci, vtpote in illa, vt in principio dimanationis radicatæ; & ideo quāuis quidditatiuè, & vt ſunt in ſe cognoſcantur per habitum ſcientiæ infuſæ, non ideo ſunt per ſe notæ, ſed per aliud, ſcilicet, per eſſentiam, cuius ſunt proprietates. Et quidē ſi hoc argumentū aliquid probat, conuincit, non ſolum quod per ſcientiam infuſam diſcurſiuè non cognoſcantur, ſed etiam quod non cognoſcantur ſcientificè, & quod ſcientia infuſa non ſit ſcientia, ſed habitus principiorum. Quod patet: nam veritas ſcientificè cognita, non poteſt eſſe immediata; cum per mediū probetur, & cognoſcatur: ergo ſi omne obiectum per ſcientiam infuſam cognitum, eſt per ſe, & non per aliud notum, nihil ſcientificè per talem ſcientiam cognoſcitur, & reſpectu nullius obiecti à ſe cogniti rationem ſcientiæ ſortitur.

90 *Ad 3.* Et ex his ad tertiā probationē conſtat ſolutio, prætermiſſa maiori, negando minorē. Ad illius probationē conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: immeditatione excludente eſſentiā diuinam, vt medium concedo conſequentiam: excludente omne medium, ſubdiſtinguo conſequens: reſpectu eſſentiæ ſubſtantiæ creatæ, concedo conſequentiam: reſpectu proprietatum ſubſtantiæ, nego conſequentiam. Quę diſtinctio conſtat ex dictis. Itaq; ſpecies ſcientiæ infuſæ inſeruientes repræſentant res creatas in ſe ipſis immediatè, per excluſionem eſſentiæ diuinæ, vt medij *in quo* ſuę repræſentationis. non enim repræſentant illas ratione diuinæ eſſentiæ. Et eſſentiā ſubſtantiæ creatæ, v.g. hominis repræſentant immediatè per excluſionem omnis medij, non enim repræſentant illa ratione alterius obiecti, ſed ratione ſui immediatè, at vero proprietates hominis, v.g. riſibilitatem, non repræſentant immediatè, ſed mediatè, media ſcilicet, eſſentia hominis prius repræſentata, in qua, & ratione cuius proprietates repræſētātur ex quo ad ſūmū ſequitur, quod mediante hac ſpecie, nō poſſit cognitio hominis ex alia cognitione deduci; non autem quod illa mediante, non poſſit cognitio riſibilitatis deduci ex cognitione eſſentiæ in qua radicatur, & ratione cuius repræſentatur, ſicut in ſententia oppoſita deductione virtuali, propterea quod non duplici cognitione realiter diſtincta cognoſcuntur ita in noſtra deductione reali, propter realem diſtinctionem cognitionum, quibus poſſe per ſcientiam infuſam eſſentiam hominis, & illius proprietates cognoſci, monſtrauimus.

91 *Ad vltimam.* Ex his etiam ad vlt. probationē minoris reſponden, conceſſa maiori, & minori, negando ſuppoſitū conſequentis. Vt enim *proximè* dicebamus, de repræſentatione ſpeciei infuſæ hominē repræſentantis, quod ſcilicet, eſſentiam hominis repræſentat immediatè, riſibilitatem autem mediatè: ita eſt de habitu ſcientiæ infuſæ dicendum, inclinare in cognitionem immediatam hominis quoad eius eſſentiam, quoad proprietates vero, mediatam vnde falſum eſt, quod in conſequenti ſupponitur, nempe, habitum ſcientię infuſæ inclinare ſolum in cognitionem obiecti immediatam, & in hoc ſtat diſcrimen inter habitum ſcientiæ infuſæ, & habitum principiorum: iſte namque ſiſtit in primis principiis, & ſolū eſt principiū cognitionis immediatæ, nec per illum cognoſcuntur proprietates demonſtrabiles de ſubiecto, ſed ſolum illius eſſentia; ideoq; licet plures cognitiones diuerſorum obiectorum, illo mediante eliciantur, non poteſt vna veritas ex alia per habitum principiorum deduci cuius oppoſitum in habitu ſciētiæ infuſæ, oppoſita de cauſa *proximè* explicata contingit. Et quidem ſi hoc argumētū aliquid probat, conuincit per habitum ſcientiæ infuſæ nullam veritatem cognoſci demonſtratiuè, & ſcientificè, quod non poteſt à contrarijs admitti cū doceant, rationē ſcientiæ ſortiri, illum ſciētiā appellantes; & conſequenter ſcientiam eſſe ſupponentes. Quod autem ſequatur, patet: nam per habitum principiorum nulla veritas cognoſcitur demonſtratiuè ſcientificè, ſed ſolū veritates medio carentes, quę proinde indemonſtrabiles ſunt, nec ſcientificè poſſunt cognoſci ergo ſi ex illo ad habitum ſciētiæ infuſæ efficax argumentum cenſetur, probatur, per illū habitum nihil poſſe demonſtratiuè, & ſcientifice cognoſci.

92 *Secundo arguitur.* Secūdo principaliter arguitur; vt enim in ſolutione primi argumenti ſupponimus, per habitū ſcientiæ infuſæ elicitur immediata cognitio ſubſtātiæ creatæ, quātū ad eius eſſentiā; ſed cū hoc non poteſt ſtare quod per illū eliciatur cognitio proprietatū realiter à priori cognitione diſtincta, & ex illa per diſcurſum deducta: ergo medio tali habitu non potuit intellectus Chriſti diſcurrere. Conſequentia tenet ex dictis. Maior cōſtat ex his, quæ *proximè* dicebamus. Minor autē, cui ineſt difficultas, probatur; cognitio diſcurſiua proprietatū hominis v.g. eſſētialiter diſtinguitur à cognitione obiecti immediata, & nō diſcurſiua; ſed vno, & eodē habitu nō poſſunt elici cognitiones diſtinctæ eſſentialiter; cū habitus ſpecificētur per actus; & cōſequēter ad actus eſſentialiter diſtinctos diſtincti habitus ſint neceſſarij: ergo cū elicientia cognitionis ſubiecti quoad illius eſſentiā immediatæ per habitū ſcientiæ infuſæ, nō ſtat, quod per talē habitum cognitio diſcurſiua proprietatum eliciatur.

93 *Reſpondet Granad.* Hoc argumento conuictus P. Granadus *Diſp. allegata n. 23.* reſpondet, diſtinguendo triplicē actū. Vnū, quo Chriſtus potuit cognoſcere eſſentiā v.g. hominis, & illius proprietates, qui actus adæquat ſpeciē infuſā hominis. Alium terminatū ad ſolā eſſentiam hominis: & alium terminatū ad hominis proprietates, v.g. riſibilitatē. Qua diſtinctione ſuppoſita docet, duos priores actus elici ab vno, & eodem habitu ſupernaturali infuſo; eo quod inter illos non eſt eſſentialis diſtinctio; tertium vero elici à diſtincto habitu, qui etiā infuſus, & ſupernaturalis eſt; ſpecies tamē infuſas non multiplicari in ordine ad tales actus, ſed vna, & eadē species repræſentans primo eſſentiam, & obiectiuè ad illius cognitionē determinas per ſe primo, determinat ſecūdario ad cognitionē riſibilitatis, ſicque accipiendā cenſet Angelici Præceptoris doctrinam, aſſerentis; ſcientiam per ſe infuſam Chriſti diſcurſiuam fuiſſe quoad vſum.

94 *Solutio iſta menti D. Th. nō congruit.* Hæc tamen ſolutio in primis menti D. Th. non congruit vt enim conſtat ex doctrina D. Thom. *art. 3.* eadem ſcientia, quę in Chriſto fuit diſcurſiua quoad vſum, non fuit neceſſario diſcurſiua, ſed potuit Chriſtus per illam ſine diſcurſu, & cum diſcurſu intelligere; ſed iuxta ſolutionem datam hoc verum eſſe non poteſt: nam per ſecundum habitū non potuit Chriſtus ſine diſcurſu intelligere, nec per primum cū diſcurſu: ergo ſolutio iſta ad mentem D. Tho. non eſt. Quod etiā probatur: nā de eadem ſciētia loquitur D. Th. cum docet fuiſſe diſcurſiua quoad vſum non autem quoad acquiſitionem, ſed hoc nō verificatur iuxta ſolutionis doctrinam ergo mentem D. Thom non ſaluat. Maior conſtat *ex corp. art. 3.* Minor autem probatur: nam habitus quo eſſentia hominis, & illius proprietates vno actu cognoſcuntur, diſcurſiuus quoad vſum non eſt, vt in ſolutione tradita aſſeritur. Secundus autem habitus non eſt per ſe infuſus, ſed poteſt per acquiſitionem haberi: ergo non verificatur de eodem habitu ſcientifico, eſſe diſcurſiuum quoad vſum, & non quoad acquiſitionem. Antecedens pro ſecunda parte, in qua eſt difficultas, probatur: quia namq; habitus noſtræ Theologiæ per ſe primo eſſentialiter eſt diſcurſiuus, eſto ſupernaturalis quoad ſubſtantiam adſtruatur, non ſupponitur ad aſſenſum diſcurſiuum concluſionis, ſed illo mediante acquiritur, vt ſuppono ex veriori ſentētia *prima parte quæſtione prima*, ſed ille ſecūdus habitus, quo intellectus Chriſti diſcurſum exercuit, per ſe primo eſſentialiter, & adæquatè eſt diſcurſiuus, iuxta ſolutionem traditam: ergo eſto ſupernaturalis ſit, non tamen eſt per ſe infuſus, nec ad diſcurſum ſuppoſitus, ſed per illum acquiſitus.

95 *Deinde reijcitur.* Deinde impugnatur ad hominem contra Patrem Granadum: nam duæ illæ intellectiones, quarum vna cognoſcuntur eſſentia hominis, & illius proprietates, & alia cognoſcitur ſola hominis eſſentia, diſtinguuntur eſſentialiter & tamen in ſententia Patris Granadi, ab eodem habitu eliciuntur ergo ex eo quod tertia cognitio, quæ diſcurſiua eſt, eſſentialiter diſtinguatur à cognitione ſolius eſſentiæ hominis; perperam infert Granadus, habitum diſtinctum ad illius elicientiam requiri. *Maior prob. 1.* Maior, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, probatur primo: nam cognitio ſcientifica, & non ſcientifica eſſentialiter diſtinguuntur; ſed cognitio eſſentiæ hominis, & proprietatum illius eſt cognitio ſcientifica; alias habitus infuſus, ſcientia non eſſet, cuius contrarium ſupponimus cum communi Theologorum, talem habitum ſcientiam appellantium: cognitio autem ſolius

eſſentiæ hominis,non eſt cognitio ſcientifica ; propoſitio namque ex prædicatis eſſentialibus conſtans, eſt propoſitio immediata; & conſequenter non eſt demonſtrabilis : ergo cognitiones iſtæ eſſentialiter diſtinguuntur .

96 *Secundò probatur maior*

Secundo probatur ; nam cognitio comprehenſiua alicuius obiecti,& cognitio ſolum quidditatiua illius,diſtinguuntur eſſentialiter,non minus quam cognitio quidditatiua, & cognitio ſolum quoad *an eſt* , ad idem obiectum terminatæ ; ſed cognitio ſolius eſſentiæ hominis eſt ſolum quidditatiua; cognitio autem eſſentiæ hominis , & proprietatum elicita ab habitu ſcientiæ infuſæ , eſt cognitio hominis comprehenſiua : ergo eſſentialiter diſtinguuntur ſicut viſio eſſentiæ,& omnium attributorum , & relationum diſtinguitur eſſentialiter a viſione eſſentiæ Dei præſcindente ab attributis,& diuinis relationibus , quam plures cenſent poſſibilem .

97 *Denique impugnatur ſolutio.*

Denique tradita ſolutio reijcitur:vt enim fatetur Granadus , eadem ſpecies infuſa obiectiuè ad tres illas cognitiones concurrit.ergo idem habitus ſe tenens ex parte potentiæ ſufficit ad illarum elicientiam;& conſequenter ſuperfluè nouus habitus cōſtituitur pro eliciētia cognitionis terminatæ ad proprietates ex cognitione eſſentiæ deductæ . Probatur conſequentia primo: vt enim docet Diuus Thomas 1.2. *q.*54. *art.*4. idem habitus ſcientiæ ſufficit ad plura obiecta per diſtinctas ſpecies repræſentata : ergo a fortiori ſufficit ad plura obiecta repræſentata per vnam ſpeciem impreſſam, & ad plures cognitione , quibus vna ſpecies inſeruit . Secundo:nam ideo vna ſpecies ſufficit , quia non æquè primo,ſed cum ordine ad prædictas cognitiones concurrit:ſed hæc ratio etiam conuincit de habitu, quod vnus tantum ad illas eliciendas ſufficiat : ergo admiſſo,vt admittit Granadus , vnam ſolum dati ſpeciem ad prædictas cognitiones, conſequenter eſt aſſerendum , ſufficere vnum habitum ſe tenentem ex parte potentiæ .

98 *Traditur vera ſolutio.*

Vnde prætermiſſa hac ſolutione , ad ſecundum argumentum reſpondeo,conceſſa maiori, negando minorem . Ad illius probationem,conceſſa maiori,nego minorem : vt enim: *in hac diſput. num.* 51. *& ſequentibus* docuimus , ſufficit vnus habitus ſcientificus ex parte potentiæ ſe tenens ad plures actus cognitionis eliciendos,etſi tales actus eſſentialiter inter ſe diſtinguantur:quæ doctrina eſt in via Thomiſtarum communis,& expreſſa D.Th.1.2.*q.*54.*art.*4. illamque non poſſe a Patre Granado negari , monſtrauimus *n.*95.ac proinde ex eo ſolum, quod cognitio diſcurſiua,& cognitio non diſcurſiua eſſentialiter diſtinguantur , non ſequitur,quod non poſſint per eundem habitum elici ac proinde non infertur; non potuiſſe intellectum Chriſti Domini per habitum ſcientiæ infuſæ diſcurrendo , & ſine diſcurſu intelligere .

99 *Inſtabis* 1.

Sed inſtabis aduerſus iſtam ſolutionem primo:prædicata diſtinguentia potentias a fortiori diſtinguunt habitus, nec poſſunt in eodem habitu adunata inueniri ; cum potentiæ ſint principia vniuerſaliora habitibus;ſed diſcurſiuum, & non diſcurſiuum diſtinguunt eſſentialiter potentias intellectiuas : nam intellectus humanus , & intellectus Angelicus , non aliunde diſtinguuntur , quam ex ratione diſcurſiui , & non diſcurſiui , quia nempe , intellectus hominis eſt diſcurſiuus ; ſecus autem intellectus Angelicus : ergo in eodem habitu nequeunt adunata reperiri;nec poteſt idem habitus ſimul eſſe diſcurſiuus, & intellectiuus ſine diſcurſu ; ac proinde ſi habitus ſcientiæ infuſæ eſt principium,quo intellectus Chriſti ſine diſcurſu & ſimplici intuitu intelligit , non potuit per talem habitum intelligere diſcurrendo , ſed alius habitus eſt conſtituendus,qui ſit principium cognitionis diſcurſiuæ.

100 *Inſtabis* 2.

Inſtabis ſecundo: ſcientia indita ſupernaturalis Chriſti eſt eiuſdem ſpeciei,cum ſcientia indita ſupernaturali Angelorum ; ſed ſcientiæ infuſæ Angelorum eſſentialiter repugnat diſcurſus: ergo etiam repugnat ſcientiæ infuſæ ſupernaturali Chriſti;& conſequenter per illam non potuit Chriſtus diſcurrere . Conſequentia probatione non indiget.Minor conſtat;quod enim repugnat potentiæ , in qua recipitur habitus,etiam repugnat habitui;cum habitus ſit determinatio potentiæ,& minoris amplitudinis;ſed intellectui Angelico eſſentialiter repugnat diſcurſus,non ſolum intra ordinem naturæ, ſed etiam in ordine ſupernaturali & gratuito,vt ſuppono ex communi Thomiſtarum ſententia 1.*p.q.*58.art 3. ergo habitui ſcientiæ ſupernaturalis intellectui Angelico infuſæ,eſſentialiter repugnat diſcurſus.

101 *Maior prob.*1.

Maior autem oſtenditur primo : nam gratia habitualis iuſtificans , & lumen gloriæ beatificum eiuſdem ſpeciei ſunt in Angelis,& hominibus,vt tenent frequentior, veriorque Theologorum ſententia 1.*p.q.*12. *&* 1.2.*q.*2. ergo pariter ſcientia ſupernaturalis infuſa in Angelis,& hominibus eſt eiuſdem ſpeciei . Secundo:nam dona ſupernaturalia inſunt homini,non ratione potentiæ naturalis, quæ a potentia naturali Angelorum eſſentialiter diſtinguitur; ſed ratione potentiæ obedientialis , in qua cum Angelis conuenit;ſed ſciētia,de qua in præſenti loquimur cum D. Th.non eſt aliquid naturale, ſed donū ſupernaturale gratuitū;ergo ineſt animæ Chriſti,non ratione potētiæ naturalis,quæ à capacitate naturali Angelorū diſtinguitur eſſentialiter,ſed ratione potētiæ,& capacitatis obediētialis in qua conuenit cum Angelis;& conſequenter eſt eiuſdem ſpeciei cum ſcientia indita ſupernaturali Angelorum . 102 *Secundò.*

Tertio probatur:nā iſta ſcientia conſequitur in Chriſto ad gratiā habitualē, quæ eſt eiuſdem ſpeciei cū gratia habituali Angelorum; ſed proprietates ad eandē eſſentiā cōſequutæ ſunt eiuſdem ſpeciei.ergo ſcientia Chriſto infuſa eſt eiuſdem ſpeciei cum ſcientia infuſa Angelorum. 103 *Tertiò.*

Deniq; probatur maior ſi namq; ſcientia infuſa Chriſti ſpecie diſtingueretur a ſcientia infuſa Angelorū , excederetur ab illa eſſentialiter;conſequens eſt falſum:ergo ſunt euiſdē ſpeciei.Conſequentia tenet. Minor cōſtat ex doctrina D.Th.*in hac q.art.*4.vbi docet,ſcientiam Chriſto infuſā,fuiſſe excellentiorē ſcientia Angelorū,& quantū ad certitudinē,& quantum ad multudinem cognitorū . Et inſuper nā in donis gratiæ,Chriſtus,vt homo, omnes Angelos exceſſit,etſi in donis naturæ ab Angelis ſuperetur ,ſciētia autē infuſa pertinet ad dona gratiæ,& conſequenter in illa Chriſtus Angelos ſuperauit.Sequela autē probatur:nā habitus inferioris potentiæ , neceſſario exceditur in perfectione eſſentiali ab habitu reſidēte in potentia ſuperiori ſed eo ipſo,quod ſcientia infuſa Chriſti diſtinguatur eſſentialiter à ſciantia infuſa Angelorum, conuenit intellectui Chriſti,prout ab intellectu Angelico diſtincto,quo ratione eſt illo inferior:ergo eo ipſo,quod diſtinguatur ſpecificè à ſcientiæ infuſa Angelorum,exceditur ab illa eſſentialiter. 104 *Quartò probatur maior.*

Reſp. ad primā replicam,conceſſa maiori, diſtinguendo minorem:diſcurſiuū,& non diſcurſiuū,vtroq; inadæquatè ingrediente,nego minorē: altero illorum conueniente adæquatè,concedo minorē, & diſtinguo conſequens eadē diſtinctione. Solum enim ſequitur, non poſſe in eodē habitu vtrūq; illud prædicatū reperiri ,eo modo quo potentias intellectiuas eſſentialiter diſtinguunt, nēpè,vno illorum ingrediente adæquatè, non autē quod vtroq; inadæquatè ingrediente,non poſſit vtrūq; in eodem habitu adunari Nec probatio minoris obſtat contra hanc dictionē:nā intellectus Angelicus diſtinguitur ab humano per rationē nō diſcurſiui adæquatè,ideſt, per repugnantiā eſſentialē diſcurrendi aliquo actu , non autē per rationem non diſcurſiui inadæquatè nam homo eſt inadæquatè non diſcurſiuus;ac proinde non poteſt ratio non diſcurſiui in adæquatè,inter Angelicum, & humanū intellectū eſſentialiter diſtinguere:ex quo ſolū ſequitur, nō poſſe vnum habitum eſſe diſcurſiuū adæquatè,& adæquatè non diſcurſiuum;non autē quod non poſſit eſſe diſcurſiuus per aliquos actus , & per alios non diſcurſiuus,ſeu intellectiuus ſimplici intuitu.Sicut modus agendi naturæ, adæquatè conueniens , diſtinguit agens naturale ab agente libero,nō autem modus agēdi inadæquatè per modum naturæ ; cum voluntas noſtra vtrumque modum agendi ſortiatur,ſcilicet , per modum naturę ,& per modum libertatis,vel circa diuerſa obiecta vel circa idem diuerſimodè propoſitum; Deum enim dare viſum diligit per modum naturæ , & Deum obſcurè propoſitum diligit amore libero . 105 *Ad* 1. *replicā reſpondetur.*

Ad ſecundā,nego maiorem Ad primā probationē, conceſſo antecedenti,nego conſequentia Ratio autē diſcriminis ex *proximè* dicendis conſtabit.Ad ſecundā probationē, diſtingno maiorē:dona ſupernaturalia conſecuta ad gratia habitualē,concedo maiorē:omnia dona ſupernaturalia,nego maiorē, & conceſſa minori,nego conſequentiā. Nā ſciētia ſupernaturalis infuſa animæ Chriſti,etſi donū ſupernaturale ſit,non eſt donū conſecutū ad gratiā iuſtificantem , nec in via, nec in patria ; aliàs omnibus iuſtis, vel beatis conuenirec;licet autē gratia habitualis iuſtificans,& dona ipſam conſequentia , conueniant homini ratione potentiæ obedientialis ſecutæ ad gradū intellectiui ipſi , & Angelis cōmunem,quę vna eſt in hominibus,& Angelis & ideo in illis ſunt eiuſdē ſpeciei:dona autē,quæ non conſequuntur ad gratiam habitualē,non eſt neceſſariū quod conueniant homini ratione potentiæ obedientialis ad gradum genericum ſecutæ, ſed ratione potentiæ obedientialis conſecutæ ad gradum differentialem, quæ eſſentialiter diſtinguitur à potentia obedientiali conſecutæ, ad proprias Angelorum differentias , vt conſtat in noſtra Theologia ; 106 *Ad ſecundam. Ad* 1. *probationem maioris. Ad ſecundam.*

quæ

quæ, in ſententia ſatis communi, ſupernaturalis eſt, & tamen eſſentialiter a Theologia Angelorum diſtinguitur; cum eſſentialiter ſit diſcurſiua, quod prædicatum Theologiæ Angelorum repugnat; & conſequenter non conuenit homini ratione potentiæ obedientialis conſecutæ ad gradum ſibi, & Angelis communem, ſed ratione potentiæ obedientialis conſecutæ ad gradum differentialem; & idcirco talia dona non ſunt eiuſdem ſpeciei in Angelis, & hominibus: ac proinde ex eo quod ſcientia ſupernaturalis infuſa donum ſupernaturale ſit, non ſequitur, quod humanitati Chriſti conueniat ratione potentiæ obedientialis ipſi, & Angelis communis, nec quod ſit eiuſdem ſpeciei cum ſcientia infuſa Angelorum.

107 *Doctrina ſolutionis prob. Ex D. Th. colligitur.* Et quidem ſcientia Angelorum non extenditur ad cogitationes cordium, nec ad futura contingentia in ſe ipſis cognoſcenda, quę a Chriſto per ſcientiam infuſam cognoſci *Diſp. 35.* monſtrauimus. hoc autem ſtare non poteſt abſque differentia eſſentiali: & hoc eſſe in doctrina D. Thom. aſſerendum, conſtat ex Angelico Doctore *in hac quæſtion. art. 5. ad 1.* vbi de cognitione Chriſti habita per ſcientiam infuſam docet, fuiſſe in Chriſto, *ſecundum modum proportionatum humanæ naturæ, & quod non fuit ſimpliciter perfectiſſima, ſed perfectiſſima in genere humanæ cognitionis.* Si autem conueniret animæ Chriſti ratione potentię obedientialis ipſi, & Angelis communis, non fuiſſet in Chriſto ſecundum prędictum modum, fuiſſetque perfectiſſima abſolutæ, ſicut de viſione beatifica docet D. Th. *in eadem ſolut.* quod nempe, fuit perfectiſſima in Chriſto abſolutè, & quod non fuit in illo ſecundum modum naturæ humanæ proportionatum: ergo aſſerendum eſt in doctrina D. Thom. viſionem beatificam conuenire humanitati Chriſti ratione potentiæ obedientialis conſecutæ ad gradum genericum, in quo cum Angelis conuenit; ſcientiam autem per ſe infuſam non conuenire ipſi ratione prædictæ potentiæ, ſed ratione potentiæ obedientialis conſecutæ ad gradum differentialem; ideoque ipſi conuenire ſecundum modum naturę humanæ proportionatum, & non eſſe abſolutè perfectiſſimam, ſed perfectiſſimam in genere humanæ cognitionis.

108 *Ex alia doctrina D. Th. confirmatur.* Quod etiam colligitur ex alia doctrina Angelici Præceptoris tradita *art. 6.* vbi docet, ſpecies per ſe infuſas Chriſto Domino, inſeruientes, vt per hanc ſcientiam intelligat, fuiſſe minus vniuerſales, quam ſpecies Angelorum, in qua comparatione eſto verum ſit, quod D. Th. ſolum expreſsè loquatur de ſpeciebus Angelorum naturalibus; aſt tamen neceſſario extendenda ad ſpecies ſupernaturales mentibus Angelorum infuſas; & conſequenter ſpecies infuſæ Chriſto eſſentialiter diſtinguntur à ſpeciebus ſupernaturalibus, quibus intelligunt Angeli. Ex quo vlterius fit, quod non conueniant humanitati Chriſti ratione potentiæ obedientialis ſibi cum Angelis communis, ſed ratione potentię obedientialis ſibi propriæ, & conſecutæ ad gradum differentialem.

109 *Ad 3. probationem.* Ad tertiam probationem maioris, nego maiorem: vt enim *proximè* argumentabamur, ſi ſcientia ſupernaturalis infuſa conſequeretur in Chriſto ad gratiam habitualē, vel prout eſt gratia viatoris, vel prout gratia comprehenſoris, fuiſſet in omnibus iuſtis, vel in omnibus beatis ſcientia eiuſdem ſpeciei; hoc autem falſum eſt; alias vel omnes iuſti vel ſaltim omnes beati cogitationes cordium, & futura contingentia, in ſe ipſis extra Verbum cognoſcerent, quod Chriſto ratione ſcientiæ infuſæ conuenire *Diſp. 35* docuimus: non ergo eſt proprietas conſecuta in Chriſto ad gratiam habitualem, ſed moraliter ad gratiam vnionis. Quod autem ſequatur patet: nam in omnibus beatis eſt obedientialis capacitas ad ſcientiam ſupernaturalem infuſam ſe extendentem ad cogitationes cordis, & futura contingentia in ſe ipſis, & alias non impedita: ergo ſi eſſet habitualis gratiæ proprietas, conſequeretur ad illam, & omnibus beatis conueniret. Cui doctrinæ ſtandum exiſtimo; etſi oppoſitam in præcedentibus probabilem cenſuerimus.

110 *Ad vlt. probationem.* Ad vltimam probationem maioris, nego ſequelam. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem: ab omni habitu ſuperioris potentiæ, nego maiorem: ab aliquo habitu ſuperioris potentiæ, ſubdiſtinguo maiorem: de facto exiſtente ſemper, nego maiorem: exiſtente, vel poſſibili, concedo maiorem: & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: à ſcientia infuſa Angelis de facto, nego conſequentiam: à ſcientia infuſa poſſibili in intellectu Angelorum, concedo conſequentiam. Itaque non omnis habitus potentiæ inferioris exceditur ab omni habitu ſuperioris potentiæ: nam voluntas in doctrina D. Thom. inferior eſt intellectu, & tamen habitus charitatis reſidens in voluntate, perfectior eſt, etiam phyſicè in veriori Theologorum ſententia, habitu fidei reſidente in intellectu, ſed ſufficit, quod ſupremus habitus actu, aut poſſibiliter exiſtens in potentia ſuperiori excedat in perfectione ſupremum habitum actu, aut poſſibiliter conuenientem potentiæ inferiori, vnde lumen gloriæ, quod eſt ſupremus habitus, potens conuenire intellectui, excedit in perfectione phyſica habitum charitatis, qui eſt perfectiſſimus habitus inter illos, qui poſſunt voluntati conuenire: ex quo tantum ſequitur, ſcientiam ſupernaturalem infuſam animæ Chriſti, & illius intellectus, quia ab intellectu Angelorum exceditur, excedi ab aliquo habitu poſſibiliter intellectui Angelico inhærente, & hoc verum eſt: potuit enim Deus perfectiorem ſcientiam rerum extra Verbum mentibus Angelorum infundere illa, quam infudit animæ Chriſti; non autem ſequitur, quod ſcientia Chriſti exredatur à ſcientia rerum extra Verbum actu Angelis infuſa, cum enim Deus gratioſè hæc dona communicet, & ſit poſſibilis intellectui Angelico ſcientia perfectior, & etiam ſcientia minus perfecta illa, quæ animæ Chriſti conuenit, potuit, & de facto illis infudit ſcientiam ſcientia infuſa Chriſti inferiorem, hoc exigente dignitate vnionis hypoſtaticæ, vt Chriſtus in donis gratiæ Angelis præponeretur.

---

§. VI.

De conuerſione ad phantaſmata.

Ex dictis *Diſp. 32.* colligitur, potuiſſe Chriſtum per habitum ſcientiæ infuſæ intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata; cum enim fuerit viator, & comprehenſor anima autem comprehenſoris, etſi ſit corpori vnita non eſt corpori obligata; fit conſequens, quod anima Chriſti Domini corpori obligata in intelligendo non fuerit; ac proinde, quod potuerit per habitum ſcientiæ infuſæ intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, qua ratione vſus eſt D. Tho. *in hac quæſt. art. 2.* 111 *Potuit Chriſtus intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata.*

Illam tamen Vazquez *diſp. 52. cap. 2. num. 10.* infirmam exiſtimauit ad hoc intentum probandum, eo quod ex independentia animæ comprehenſoris à corpore, tantum infertur, poſſe aliquo genere cognitionis cognoſcere ſine dependentia à corpore, & ſine conuerſione ad phantaſmata, non autem quod omni cognitione vti poſſit ſine tali conuerſione ergo ex illo principio non ſequitur, Chriſtum per ſcientiam infuſam potuiſſe intelligere independenter à corpore, & conuerſione ad phantaſmata, ſicut nec ſequitur, potuiſſe vti ſcientia ex genere ſuo acquiſita, & à ſenſibus emendicata ſine conuerſione ad phātaſmata, eo quod huiuſmodi ſcientia eſt à ſenſibus dependens. Quod amplius confirmat: nam intellectus Chriſti, non ideo non indigebat conuerſione ad phantaſmata, quia talis intellectus erat, imo ex hoc capite tali conuerſione indigeret, vtpote corpori coniunctus, ſed ex eo quod viſione clara erat præditus, quæ ſenſibus iuuari nō poteſt: ergo vt inferretur, potuiſſe intelligere per ſcientiam infuſam ſine conuerſione ad phantaſmata, neceſſum erat probare ex parte ipſius ſcientiæ non indiguiſſe huiuſmodi conuerſione; quod cum D. Th. non fecerit, minus bene videtur proceſſiſſe, & intentum non probaſſe. 112 *Contra rationem D. Th arguit Vazq.* *Confirmatur.*

Hæc tamen obiectio nullius roboris eſt ad rationem D. Thom infirmandam. Ad illam reſpondeo, diſtinguendo antecedens pro ſecunda parte: omni cognitione, cuius principium ſupponitur eſſe à corpore independens, nego antecedens omni cognitione abſolutè, & ſine hac ſuppoſitione, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam. Nam ſcientiam per ſe infuſam eſſe à corpore, independentem, ſupponitur ab Angelico Doctore, nec probatione indigebat, ſed ex terminis eſt notum ſpeciem per ſe infuſam non eſſe à Nobis acquiſibilem, nec à phantaſmatibus abſtrahibilē, cū per ſe infuſum, & acquiſibile à nobis, ex terminis opponantur: eo autem ipſo, quod anima rationalis, quamuis ſit corpori coniuncta, non ſit corpori obligata, poteſt vti cognitione, cuius principium eſt a corpore inde- 113 *Non vrget prædicta obiectio.*

dependens ſine dependentia à corpore; ac proinde ex eo quod anima Chriſti Domini, vtpote comprehenſoris, non ſit corpori obligata, rectè D. Thom. infertur, potuiſſe intelligere per habitum ſcientiæ infuſæ ſine conuerſione ad phantaſmata.

114 *Confirmatio diluitur.* Et ex his ad confirmationem reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam independentia ſcientiæ infuſæ à phantaſmatibus adeò nota eſt, vt probatione non egeat, quia tamen præter ſcientiæ independentiam à ſe, requiritur ex parte ſubiecti expeditio ad intelligendum ſine conuerſione ad phantaſmata, & huiuſmodi expeditio non datur in anima puri viatoris vnita corpori, vt illam in anima Chriſti Domini Angelicus Doctor probaret, profundiſſime recurrit, non ad hoc, quod intellectus Chriſti talis intellectus erat, ſed ad hoc, quod illius anima non erat puri viatoris, ſed ſimul comprehenſoris, anima autem comprehenſoris etiam ſi corpori vnita ſit, non eſt obligata corpori: ac proinde eſt expedita, vt per principium independens à corpore actuetur, & per illud ſine conuerſione ad phantaſmata intelligat.

115 *Proponitur difficultas.* *Vazq.* *Beccanus.* *Hurt.* Reſtat modo difficultas, an ex eo quod anima Chriſti erat corpori coniuncta, potuerit intelligere per habitum ſcientiæ infuſæ cum conuerſione ad phantaſmata? Negatiuam ſententiam tenet Vazquez *diſp. 52. cap. 2. num. 15.* quem ſequuntur Beccanus *cap. 9. quæſt. 5.* Thomas Hurtado *diſp. 8. difficultate 13.* & communiter alij Recentiores Societatis. Quorum fundamentum eſt: nam intelligere per conuerſionem ad phantaſmata non eſt ſolum phantaſiam imaginari, quod intellectus intelligit, concomitanter ſe habentibus imaginatione phantaſiæ, & cognitione intellectus, ſed cum aliqua connexione, dependentiaque intellectionis ab operatione phantaſiæ, ita vt intellectus operatione ſenſus ad intelligendum indigeat, quod denotat modus ille loquendi: nam intelligere per conuerſionem ad phantaſmata aliquem influxum ſenſus in intellectionem denotat; ſed Chriſtus per ſcientiam infuſam etſi potuerit obiecta ſenſibilia intelligere, & ſimul per phantaſiam eam imaginari, non tamen potuit operatione phantaſiæ indigere, vt prædicta obiecta intelligeret, nec cognitio habita per ſcientiam infuſam dependere potuit ab operatione phantaſiæ; cum habitus ſcientiæ infuſæ, & ſpecies illi inſeruientes, à ſenſibus non dependeant, nec potuerit Chriſtus efficere, quod hæc principia ex natura ſua à phantaſia independentia, operatione phantaſiæ indigerent: ergo non potuit per habitum ſcientiæ infuſæ intelligere cum conuerſione ad phantaſmata.

116 *Affirmatiua ſent. præfertur.* *Caietan.* *Medina.* *Nazar.* *Araujo.* *Suarez.* *Granad.* *Prob. 1.* Affirmatiuam ſententiam docet Angelicus Doctor *in hac q. art. 2. ad 3. & art. 4. in corpore*, vbi Caietanus, Medina, Nazarius, Illuſtriſſimus Araujo, aliique Recentiores Thomiſtæ. Eidem ſententiæ adhærent ex PP. Societatis, Suarez *diſp. 28. ſect. 1.* & Granadus *controuerſia 1. de Incarnatione tract. 8. diſp. 3. ſect. 3. num. 17.* Et oſtenditur primo: quia namque ſcientia per ſe infuſa, etſi ſupernaturalis ſit, fuit tamen in modo operandi proportionata humanæ naturæ, & modo naturali illius, qui eſt per diſcurſum intelligere, potuit Chriſtus illa vti diſcurrendo, ſed etiam modus connaturalis intelligendi animæ corpori vnitæ, eſt intelligere phantaſmata ſpeculando, & ſe ad illa conuertendo: ergo eadem ratione potuit Chriſtus ſcientia per ſe infuſa vti conuertendo ſe ad phantaſmata.

117 *Secundo.* Secundo probatur: nam ſi ob aliquam rationem non poſſet intelligere per ſcientiam infuſam conuertendo ſe ad phantaſmata, maximè quia ipſa de ſe eſt a corpore independens, per ſe infuſa, & à phantaſmatibus non abſtracta: at hæc ratio nulla eſt: ergo potuit Chriſtus intelligere per illam, phantaſmata ſpeculando, & ſe ad illa conuertendo. Probatur minor: ſtat enim cum independentia ſcientiæ per ſe infuſæ a corpore, & a phantaſmatibus aliquam operationem media ſcientia infuſa elicitam, à phantaſmatibus dependere: ergo ex independentia ſcientiæ infuſæ à phantaſmatibus non probatur impoſſibilitas conuerſionis ad phantaſmata in vſu prædictæ ſcientiæ. Conſequentia ipſis aduerſarijs eſt nota. Antecedens autem probo: nam habitus ſcientiæ infuſæ non ſolum non dependet à corpore, & phantaſmatibus, ſed etiam eſt independens ab alia cognitione, & diſcurſu; & tamen illo mediante elici poteſt cognitio ab alia cognitione dependens, & habita per diſcurſum, vt § *precedenti* monſtrauimus, docentque plures ex his, qui Nobis in hac parte aduerſantur: ergo etiam ſtare poterit cum independentia ſcientiæ per ſe infuſa a corpore, & phantaſmatibus, quod illa mediante eliciatur aliqua cognitio, quæ operationem phantaſiæ ſupponat, dependeatque a phantaſmatibus.

Et ex his ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, nec illam probatio conuincit: ſtat enim cum independentia ſpecierum, & habitus ſcientiæ infuſæ a corpore, & phātaſmatibus, quod cognitio ab illis elicita à phantaſmatibus dependeat. Modum autem iſtius dependentiæ explicuit D. Th. *in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3. quæſt. 1. 2. in corp.* illis verbis. *Quia Chriſtus cognouit intellectu poſſibili, cuius eſt obiectum phantaſma, ideò cognouit cum conuerſione, & comparatione phantaſmatibus, quaſi obiectis intellectus; non quidem ſicut ab eis ſpeciem accipiens, ſed ſicut ſpecies circa ea ponens, ſicut contingit in eo, qui habet habitum, & actu aliquid conſiderat.* Quibus verbis recognoſcit D. Th. in intellectu poſſibili, quod in intelligendo phantaſmatibus vtatur, non accipiendo ſpeciem à phantaſmatibus, ſed ſpecies ponendo ſuper illa, id eſt, ad phantaſmata conuertendo; ac per conſequens admittit dependentiam in intellectione a phantaſmatibus abſque dependentia ſpeciei obiectiuè concurrentis. 118 *Fundamentum oppoſitæ ſent. diluitur.* *Modus dependentia explicatur ex D. Tho.*

119 *Amplius ex eodem D. Th. explicatur.* Quod magis explicans in eodem *artic. quæſtiuncula 3.* addit: *Intellectus habet ſe ad phantaſmata dupliciter. Vno modo ſicut accipiens a phantaſmatibus ſcientiam, quod eſt in illis, qui nondum ſcientiam habent ſecundum motum, qui eſt à rebus ad animam. Alio modo ſecundum motum, qui eſt ab anima ad res, inquantum phantaſmatibus vtitur, quaſi exemplis, in quibus inſpicit, quod conſiderat, cuius tamen ſcientiam prius habebat in habitu.* Potuit ergo iuxta iſtum ſecundum modum, Chriſtus ſcientia per ſe infuſa vtendo ad phantaſmata conuerti, non vt ab eis ſpeciē acciperet, ſed ponendo ſpecies ſuper phantaſmata, & in illis obiectum ſenſibile inſpicere, quod alias in ſe ipſo poterat per tales ſpecies cognoſcere, ſicut ille, qui potēs aliquod obiectum videre in ſe ipſo, voluntariè viſum ad ſpeculum applicat, illudque in ſpeculo videt; & conſequenter potuit per ſpecies non acceptas a phantaſmatibus cognitionem ab illis dependentem elicere: cognitio namque obiecti ſenſibilis habita mediis phantaſmatibus vt exemplis, & inſpecta vt ſic in illis, phantaſmata præſupponit, & phantaſmatibus indiget, & hæc eſt inferioritas in modo intelligendi, quam D. Tho. *in hac q. art. 4.* recognoſcit in ſciētia per ſe infuſa Chriſti comparata cum ſcientia Angelorum, oriturque ex natura intellectus noſtri poſſibilis, qui ex eo quod habet pro obiecto phantaſmata, illis ad intelligendum, vt exemplis iuuatur, etiam ſcientia per ſe infuſa vtendo.

Mitto illorum ſolutionem, qui argumento facto conuicti explicant D. Th. de conuerſione ad phantaſmata, non per dependentiam aliquam cognitionis intellectus ab operatione phantaſiæ, ſed ſolum concomitanter, quatenus dum Chriſtus ſcientia per ſe infuſa vtebatur, poterat per phantaſiam idem obiectum imaginari, qui eſt improprius modus conuerſionis ad phantaſmata, & in hoc ſenſu cenſent fuiſſe D. Th. locutum. Ita Suarez, & Granadus locis vbi ſupra relatis, re ipſa oppoſitæ ſententiæ adhærentes: nam modum iſtum conuerſionis ad phantaſmata non negant contrarii Auctores, nec ab aliquo poteſt negari. 120 *Aliorum ſolutio.*

121 *Reijcitur 1.* Mitto, inquam, ſolutionem iſtam primo: nam quod Chriſtus dum ſcientia infuſa vtebatur circa aliquod obiectum, ſimul circa illud verſaretur per phantaſiam, nulla eſt imperfectio ex parte ſcientiæ infuſæ in modo intelligendi per illam; ſed D. Tho *art. 4. in corpore*, quod Chriſtus potuerit intelligere per ſcientiam infuſam conuertendo ſe ad phantaſmata, cenſuit eſſe imperfectionem ſcientiæ infuſæ in modo intelligēdi ex ſubiecto prouenientem; cum propter iſtam cauſam doceat, eſſe infra ſcientiam Angelicam in modo intelligendi. ergo non bene explicatur de conuerſione ad phantaſmata per ſolam concomitantiam.

122 *Secundo.* Secundo, nam D. Tho eodem modo loquitur de conuerſione ad phantaſmata in vſu ſcientiæ infuſæ ab anima Chriſti Domini, quo loquitur de diſcurſu; ſed diſcurſus, quem admittit in vſu prædictæ ſcientiæ, non eſt per ſolam concomitantiam, ſed per veram dependentiam vnius cognitionis ab alia, vt fatentur Suarez, in hoc puncto à Diuo Thoma recedens, & Granadus ipſum ſequens, veramque diſcurſum admittens: ergo conuerſio ad phantaſmata, de qua D. Th. loquitur, non eſt per ſolam concomitantiam, ſed per veram dependentiam actus media ſcientia infuſa eliciti à cogitatione antecedenti phantaſiæ.

123 *Tertio reijcitur.* Denique nam loquitur D. Thom de illa conuerſionè ad phātaſmata, quę cōuenit sciētiæ infuſę, & repugnat viſioni beatificę; ſed conuerſio ad phantaſmata, ſolum concomi-

nu-

mitans cognitionem circa idem obiectum, non repugnat viſioni beatificæ: nam de facto Chriſtus plura obiecta per phantaſiam cogitabat, quæ ſimul per beatificam viſionem cognoſcebat: ergo conuerſio ad phantaſmata, quam attribuit ſcientiæ infuſę, non eſt per ſolam concomitantiam, ſed cum connexione actuum, & cum dependentia cognitionis per ſcientiam infuſam elicitæ à cogitatione phantaſiæ, quæ viſioni beatificæ repugnat, non enim vt obiecta materialia cognoſcens per viſionem beatificam, poterat per phantaſmata, etiam vt exempla iuuari.

124 *Contra reſolutionẽ noſtram obycies.* Sed contra noſtram reſolutionem obijcies: vt enim *diſp. 33. num. 21. & ſequentibus*, docuimus, ſpecies naturales per ſe infuſæ, & habitus ſcientificus prædictis ſpeciebus vtens, diſtinguuntur eſſentialiter à ſpeciebus abſtractis à phantaſmatibus; & ab habitu ex illis cauſato; quia licet in obiecto materiali coincidant, differunt in obiecto formali; & hoc iden, quia ſpecies per ſe infuſæ habentur ſine conuerſione ad phantaſmata, ſpecies autem per ſe acquiſibiles per comparationem ad phantaſmata, & per abſtractionem ab illis: quam doctrinam ex D. Thom. deduximus *q. 9. art. 4. ad 3.* ergo cognitio elicita ab intellectu cum conuerſione ad phantaſmata, & per comparationem ad illa, eſſentialiter diſtinguitur à cognitione elicita ſine tali comparatione, non minus quam ſpecies per ſe acquiſibiles, & habitus ab illis cauſatus à ſpeciebus per ſe infuſis, & habitu illis vtente; & conſequenter non poſſunt ab vno, eodemque habitu ſcientiæ per ſe infuſæ procedere.

125 *Reſpondetur.* Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, loquendo de diſtinctione formali: nam licet verum ſit prædictas cognitiones eſſentialiter diſtingui, non tamen diſtinguuntur diſtinctione formali per comparationem ad habitum, ſed poſſunt ab eodem habitu ſcientiæ procedere, ſicut de cognitione diſcurſiua, & non diſcurſiua *in hac diſ. §. 5.* docuimus, quæ licet ſint eſſentialiter diſtinctæ, diſtinctio tamen illarum materialis eſt per comparationem ad habitum; ideoque ab eodem habitu ſcientiæ per ſe infuſæ ſupernaturali cauſantur. Et ratio eſt: nam cognitio ab intellectu Chriſti elicita per conuerſionem ad phantaſmata, non cauſatur media ſpecie dependente à phantaſmatibus, aut ab illis abſtracta, ſed media ſpecie per ſe infuſa, quam intellectus Chriſti ſupra phantaſmata ponit; ac proinde prouenit ab eadem ſpecie, à qua altera cognitio cauſatur, quæ fit ab intellectu Chriſti ſine conuerſione ad phantaſmata, & cum obiectum moueat ad intellectionem ratione ſpeciei impreſſæ, & per illum conſtituatur in ratione *proximè* motiui; fit conſequens, quod prędictæ cognitiones in obiecto, vt mo tuo conueniat. Ex quo vlterius ſequitur, quod quamuis inter ſe eſſentialiter diſtinguantur ex obiecto terminatiuo, materialis ſit hæc diſtinctio per comparationem ad habitum; ac proinde quod ab eodem habitu poſſint procedere.

---

§. Vltimus.

De ſcientiæ per ſe infuſæ actualitate.

126 *Non fuit neceſſario reducta ad actum ſibi adęquatum.* ACTVALITAS ſcientię conſiſtit in coniunctione cum actu ſecundo, vnde inquirere de actualitate ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti, idem eſt, atque inueſtigare, an, & quomodo fuerit coniuncta cum actuali ſuorum obiectorum cognitione? Et in primis certum eſt, non fuiſſe neceſſario coniunctam cum actu ſibi adęquato, id eſt, cum actuali omnium ſuorum obiectorum cognitione, in quo omnes Theologi conueniunt: & patet: nam principium indifferens ad plura obiecta, non poteſt neceſſario cum omnibus illis coniungi; ſed habitus ſcientiæ infuſæ eſt principium de ſe indifferens ad plura obiecta: ergo non fuit neceſſario cum omnium cognitione coniunctus. Quod amplius ex mox dicendis conſtabit.

127 *Nec cũ aliquo actu fuit neceſſario ſemper coniuncta.* Secundo ſuppono, non fuiſſe neceſſario ſemper in conſideratione actuali alicuius obiecti. In quo etiam conſentiunt communiter Theologi, & probatur ratione D. Thomę *in hac q. art. 5.* nam iſte habitus, quamuis ſupernaturalis, conuenit naturæ humanæ Chriſti ſecundum modum eius connaturalem; ſed modus connaturalis naturæ humanæ eſt, non eſſe neceſſario cum aliquo actu cognitionis coniunctam, ſed quandoque eſſe in potentia, & quandoque in actu, inter quæ extrema medius eſt habitus: ergo non fuit neceſſario cum aliquo actu ſemper coniunctus, ſed illo poterat Chriſtus vti, quando volebat. Quæ ratio poteſt aliter explicari: nam habitus ſcientiæ infuſæ, eſto ſupernaturalis, fuit voluntati humanę Chriſti quantum ad vſum ſubiectus: ergo non fuit neceſſario cum cognitione alicuius obiecti coniunctus, ſed pro nutu voluntatis potuit ad actum reduci. Conſequentia tenet. Antecedens autem probatur primo: nam habitus charitatis ſupernaturalis eſt; & tamen in ſtatu viæ ſubditur voluntati noſtrę quantum ad vſum: ergo quamuis ſcientia infuſa ſupernaturalis ſit, potuit eſſe voluntati humanæ Chriſti quantum ad vſum ſubiecta. Secundo: nam habitus iſte conuenit animæ Chriſti ſecundum proportionem cum habitibus naturalibus quantum ad modum, hæc enim proportio non obſtat illius ſupernaturalitati; ſed habitus naturales ſubduntur voluntati quoad vſum: ergo habitus ſcientiæ infuſæ fuit voluntati Chriſti quantum ad vſum ſubiectus; & conſequenter non fuit neceſſario ſemper in actuali cognitione alicuius obiecti.

Si opponas: eo ipſo, quod habitus ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis ſit, eleuat naturam humanam Chriſti ad ordinem ſupernaturalem: ergo extrahit illam à modo agendi naturali; & conſequenter non habet modum naturæ humanæ proportionatum, cuius contrarium docet D. Thom. *in præſenti art. 5.* nec potuit habere modum connaturalem operandi animæ humanæ, cuius oppoſitum docet *art. 6. in corpore.* 128 *Opponet.*

Reſpondeo, conceſſo antecedenti; diſtinguendo conſequens: extrahit à modo agendi naturali extractione ordinis, concedo conſequentiam, extractione proportionis, nego conſequentiam. Itaque extrahit à modo naturali extractione ordinis, quia conſtituit animam Chriſti potentem ad cognitionem ſupernaturalem, non tamen extrahit à modo naturali agendi extractione proportionis. Nam licet actus, quem elicit, ſupernaturalis ſit, eſt tamen cum actibus naturalibus proportionatus in modo; hæc namque proportio in modo, ſupernaturalitati non obſtat, & in hoc ſenſu accipiendus eſt Diuus Thomas *art. 5. ad primum argumentum*, cum docet, cognitionem ſcientiæ infuſæ non eſſe perfectiſſimam abſolutè, ſed perfectiſſimam in genere humanæ cognitionis, non enim vult D. Thom. eſſe perfectiſſimam in genere cognitionis humanæ naturalis, ſed in genere cognitionis humanæ quantum ad modum, ad differentiam viſionis beatificæ Chriſti, quæ cum non ſit humana, quia naturalis; nec humana quantum ad modum; non enim habet modum actionum naturalium humanitatis, abſolutè, & ſimpliciter perfectiſſima fuit. 129 *Reſpond.*

His poſitis, quod examen deſiderat, eſt, an Chriſtus per ſcientiam infuſam omnia illius obiecta cognouerit, vel ſimul, vel ſucceſſiuè, & an ſine interruptione illa ſemper vſus fuerit? Prima ſententia docet, omnia obiecta iſtius ſcientię fuiſſe ab anima Chriſti cognita in primo conceptionis inſtanti; non tamen fuiſſe ſemper in actuali omnium conſideratione, & incertum eſſe, an poſt primum inſtans omnia prædicta obiecta ſimul conſiderauerit. Ita Vazquez *diſput. 53. cap. 2.* & Thomas Hurtado *diſp. 8. difficultate 16.* quos alij Recentiores ſequuntur, etſi in modo diſſentiant: nam Vazquez docet, non vno, ſed pluribus actibus omnia obiecta ſimul cognouiſſe. Aliqui autem ex Recentioribus ſentiunt vno actu omnia prædicta obiecta ſimul conſideraſſe. 130 *Prima ſententia.* *Vazq.* *Hurt.*

Secunda ſententia docet, nunquam per ſcientiam infuſam omnia illius obiecta ſimul cognouiſſe, & incertum eſſe, an omnia ſucceſſiuè cognouerit, & an illa ſine interruptione vſus fuerit, cum hæc omnia ex libertate voluntatis Chriſti dependeant. In primo autem conceptionis inſtanti aliquem actum iſtius ſcientiæ elicuiſſe. Ita Beccanus *cap. 9. q. 5. num. 8* Granadus *contrau. 1. de Incarnat. tract. 8. diſp. 5. ſect. 1.* & Suarez *diſ. 28.* Quam ſententiam duabus concluſionibus explico. 131 *Secunda ſententia.* *Beccan.* *Granad.* *Suar.*

Prima ſit: *Potuit Chriſtus de potentia abſoluta omnia obiecta ſcientia infuſa ſimul cognoſcere, nunquam tamen illa ſimul conſiderauit.* Prima pars huius concluſionis oſtenditur primo; vt enim *diſp. 35.* verius cenſuimus, potuit dari vna ſpecies impreſſa, repræſentans omnes creaturas poſſibiles in ſe ipſis extra Verbum, etſi de facto non detur; ſed omnia, quæ poſſunt vna ſpecie repræſentari, poſſunt etiam per vnum actum cognoſci; & conſequenter ſimul: ergo potuit Chriſtus omnia obiecta, ad quæ ſcientia infuſa extenditur, ſimul cognoſcere. 132 *Prima concluſio.* *Prima pars probatur 1.*

Secundo probatur: nam etiam ſi obiecta ſcientiæ infuſæ, 133

Secundò. non vno, ſed pluribus ſpeciebus impreſſis repræſententur, poſſunt ſimul omnia cognoſci de potentia abſoluta. ergo fuit de potentia abſoluta poſſibilis ſimultanea omnium cognitio ab anima Chriſti Domini. Probatur antecedens: ex pluralitate ſpecierum ſolum ſequitur requiri plures actus cognitionis, vt omnia cognoſcantur: ſed licet plures cognitiones non ordinatæ inter ſe, non poſſint ſimul ex natura rei exiſtere, non tamen implicat ſimultanea illarum exiſtentia: ergo non implicat omnia obiecta, ad quæ ſcientia infuſa extenditur, ſimul ab intellectu Chriſti cognoſci, nec poteſt, id repugnare, eo quod neceſſaria ſit ad omnia cognoſcenda multitudo cognitionum actu infinita, vt conſtat ex dictis *diſp. 35 §. vltimo*, & ex dicendis magis conſtabit.

134 *Secunda pars concluſionis prob.* Quod autem prædicta obiecta nunquam ſimul de facto cognouerit, probatur: non enim per vnum actum, nec per plures: ergo nullo modo illa ſimul cognouit. Antecedens pro prima parte conſtat: nam in communi Theologorum ſententia, paucis exceptis, ſpecies ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti inſeruientes, ſunt plures, & in ſententia D. Thom. *artic.* 6. in maiori numero, quam ſpecies naturales Angelicæ; ſed quæ per plures ſpecies repræſentantur, non vno, ſed pluribus actibus cognoſcuntur, ſaltim ſecluſo miraculo, & attentis rerum naturis: ergo non fuerunt ſimul cognita per vnicum actum. Deinde pro ſecunda parte probatur: nam eſto ſit poſſibile de potentia abſoluta intellectum plura obiecta per plures actus non ordinatos cognoſcere, id tamen non eſt poſſibile attentis naturis rerum, & ſine magno miraculo; ſed nulla eſt neceſſitas, quod rerum naturæ inuertantur in hoc caſu, nec confugiendi ad miraculum, vt Chriſtus omnia extra Verbum ſimul de facto cognoſcat: ergo ſine fundamento adſtruitur in anima Chriſti Domini omnium ſimultanea cognitio.

135 *Reſpondebis.* Reſpondebis, neceſſitatem ad hoc aſſerendum, confugiendique ad miraculum eſſe, vt vitetur in anima Chriſti aliquarum rerum ignorantia; ſi enim Chriſtus in primo inſtanti conceptionis non cognouit actu omnia, ſequitur aliqua tunc ignoraſſe vera, propriaque ignorantia, quæ cum indecens Chriſto ſit, aſſerendum eſt vt vitetur, omnia in illo inſtanti de facto cognouiſſe.

136 *Contra 1.* Sed contra primo: nam omnia, quæ potuit Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcere, cognouit in primo inſtanti per beatificam viſionem in Verbo, vt conſtat ex dictis *Diſputat.* 34. § 5. ſed id, quod vno genere cognitionis cognoſcitur, etſi alio genere cognitionis non cognoſcatur, non poteſt dici ignorari; alias cum pluribus modis, & ſub diuerſis motiuis, poſſint creaturæ cognoſci, ſi omnibus his modis non cognoſcerentur in primo inſtanti conceptionis ab anima Chriſti Domini, illas diceretur cum proprietate ignoraſſe, quod nullus hucuſque docuit: ergo ex eo quod non fuerint omnia obiecta ſcientiæ infuſa, actu cognita per illam ab anima Chriſti Domini, non ſequitur, aliquam rem ignoraſſe ignorantia propriè ſumpta, nec talis cognitionis carentia, ignorantia dici poteſt, ſed ſolum poterit dici neſcientia, quam non oportet ab anima Chriſti vitari, ſed neceſſario debet admitti; cum nec in Verbo, nec extra Verbum omnia poſſibilia cognouerit; & conſequenter aliquorum neſcientiam habuerit.

137 *Contra 2.* Contra ſecundo: quæ namque habitualiter cognoſcuntur, etiam ſi actu non cognoſcantur non dicuntur propriè ignorari; alias omne obiectum actu ab intellectu Chriſti non cognitum per ſcientiam infuſam, diceretur cum proprietate à Chriſto ignorari. ex quo vlterius ſequeretur, non ſolum in primo inſtanti, ſed etiam pro toto tempore vitæ, debuiſſe Chriſtum actu cognoſcere omne obiectum ſcientiæ infuſæ, vt ignorantia ab illo excluderetur, cuius oppoſitum docent contrariæ ſententiæ Auctores; ſed Chriſtus per habitum ſcientiæ infuſæ, & ſpecies illi inſeruientes, omnia illius obiecta habitualiter cognoſcebat: ergo ex eo quod illa actu non cognouerit in primo conceptionis inſtanti, non ſequitur aliquid ignoraſſe, ignorantia propriè ſumpta, quæ eſt ignorantia priuatiua, ſed ſolum ignorantia negatiua, quæ impropriè ignorantia eſt, & propriè neſcientia dicatur.

138 *Reſpondebis.* Dices: ignorantiam propriè talem, non conſiſtere in ſola carentia cognitionis actu exiſtentis, quod argumento facto conuincitur, ſed in carentia cognitionis exiſtentis, & præteritæ: nam eo ipſo, quod aliquid, nec de facto cognoſcatur, nec vnquam cognitum fuerit, non habetur memoria de illo; ideoque propriè ignoratur. Id enim dicimur ignorare, quod de facto non cognoſcimus, nec memoria retinemus; ac proinde, vt Chriſtus non dicatur cum proprietate ignorare aliquid extra Verbum ſufficit, & requiritur, quod omne ab ipſo extra Verbum cognoſcibile, fuerit de facto cognitum in primo conceptionis inſtanti: nam ratione illius cognitionis, omne tale obiectum in memoria retinetur, eſto poſt primum inſtans iterum non cognoſcatur.

139 *Reijcitur ſolutio.* Sed contra primo: nam id, quod poteſt ab aliquo pro arbitrio voluntatis cognoſci, ex eo quod de facto non cognoſcatur, non niſi impropriè poteſt dici ignorari; ſed per habitum ſcientiæ infuſæ, & ſpecies illi inſeruientes intellectus Chriſti informatus, poteſt pro arbitrio voluntatis, quodcumque obiectum extra Verbum cognoſcere, quin ad hoc ſit neceſſarium, quod illud aliquando cognouerit: ergo ex eo quod cognitum de facto non fuerit, non poteſt dici cum proprietate ignorari.

140 *Secundò.* Secundo, & explicatur magis hoc ipſum: nam carentia memoriæ alicuius obiecti, quod de facto non cognoſcitur, poteſt conducere, vt ignorantia talis obiecti excludatur, quatenus ratione illius expeditur intellectus, vt poſſit per voluntatem ad conſiderationem obiecti applicari; ſed ad hoc neceſſaria non eſt in Chriſto memoria relicta ex actu præterito: ergo obiectum fuiſſe aliquando à Chriſto cognitum, nullatenus poteſt conducere, vt ignorantia ab intellectu Chriſti excludatur. Conſequentia eſt bona. Maior conſtat: nam actus iam præteritus, cum actu non exiſtat, ſolum poteſt exiſtere in habitu, ratione cuius potentia expeditur ad actualem operationem: ergo memoria relicta ex actu præterito, ſolum poteſt conducere ad excludendam ignorantiam, quatenus ratione illius expeditur intellectus ad intellectionem actualem iuxta arbitrium voluntatis: Minor autem probatur: vt enim ex Ariſtotele *lib. 3. de Anima textu* 8. docet Diuus Thomas *1. part. quæſtion. 79 artic. 6 in corpore*: *Ex hoc, quod intellectus recipit ſpecies intelligibilium, habet, quod poſſit operari cum voluerit*. *Ariſt. S. Th.* Quæ doctrina vera eſt, loquendo de intellectione naturali abſolutè, eo quod in ordine ad illam eſt de ſe intellectus potens; & conſequenter eſt vera de intellectione ſupernaturali, ſuppoſita in intellectu forma, ipſum eleuante: ergo habitu ſcientiæ in intellectu Chriſti ſuppoſito, & ſpeciebus ipſi infuſis, eſt potens quodlibet obiectum prædictæ ſcientiæ cognoſcere cum voluerit; ſed actus præteritus, aut memoria ex ipſo relicta, nullatenus conducunt vt habitus, & ſpecies conſeruentur; cum enim per infuſionem fiant, ſicut à noſtris actibus non dependent in fieri: ita nec per illos conſeruantur: ergo cognitio obiecti præterita, aut memoria ex ipſo relicta, non eſt neceſſaria in Chriſto, vt illius intellectus expeditus conſtituatur, vt poſſit per voluntatem ad conſiderationem actualem, cuiuſuis obiecti extra Verbum applicari.

141 *Denique reijcitur.* Denique tradita ſolutio reijcitur: nam ex illa ſequitur, quod vt ignorantia ab intellectu Chriſti excludatur, neceſſarium fuerit, Chriſtum, non ſolum in primo ſuæ conceptionis inſtanti, ſed etiam in alijs, omnia obiecta ſcientiæ infuſæ ſimul actu cognoſcere; conſequens eſt contra Auctores traditæ ſolutionis: ergo ſolutio tradita non poteſt ſubſiſtere. Conſequentia eſt bona. Minor conſtat ex ſententia, quam ex ipſis retulimus. Sequela autem probatur: nam memoria relicta ex cognitione tantæ multitudinis obiectorum pro vno ſolo inſtante durante, etiam in intellectu perfectiſſimo, non niſi miraculosè, potuit toto tempore vitæ Chriſti perſeuerare; ſed ceſſante, aut non perſeuerante alicuius obiecti memoria inducitur ignorantia, iuxta ſolutionis doctrinam: ergo ex illa ſequitur, quod vt ignorantia in intellectu Chriſti vitetur, neceſſarium fuerit iterum, atque iterum omnia obiecta ſcientiæ infuſæ ſimul ab intellectu Chriſti cognoſci.

142 *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur: idemnamque præfati Auctores fatentur: animam Chriſti non ſemper fuiſſe in actuali omnium conſideratione, quia ad iſtam continuationem non ſufficiebat virtus intellectus Chriſti, niſi modo extraordinario adiuta, ſed etiam vt memoria tot obiectorum ex cognitione illorum pro vno inſtante durante relicta, toto vitæ Chriſti tempore conſeruaretur, non ſufficiebat virtus intellectus Chriſti, niſi modo extraordinario adiuta: ergo talis conſeruatio eſt neganda; & conſequenter, vel aſſerendum eſt memoriam ex præcedente cognitione relictam, non fuiſſe neceſſariam in Chriſto vt ignorantia ab illo excluderetur, vel fatendum, ſimultaneam omnium cognitionem ex-

extra Verbum fuiſſe in Chriſto, non ſolum in primo ſuæ cognitionis inſtanti, ſed etiam in alijs.

143 *Ex dictis fundamentum oppoſitam enervatur.* Et ex his ſolutum manet contrariorum fundamentum ſumptum, ex eo quod carentia cognitionis præſentis, & præteritæ eſt priuatiua ignorantia; ac proinde ſi Chriſtus numquam ſimul cognouit omnia obiecta ſcientiæ infuſæ, ſemper illorum aliquid ignorauit, ignorantia oppoſita cognitioni rerum extra Verbum. Hoc, inquam, ex dictis ſolutum manet: nam licet antecedens forte ſit verum, loquendo de obiectis cognoſcibilibus per habitum ſcientiæ acquiſitum, & ſpecies illi inſeruientes; eo quod, cum ibi habitus noſtris actibus acquirantur, ab illis etiam in ſui conſeruatione, & expoſitione dependent: in habitu autem infuſo, & ſpeciebus illi inſeruientibus, oppoſita de cauſa iam explicata, non tenet.

144 *Secunda concluſio.* Secunda Concluſio. *Potuit Chriſtus toto vitæ ſuæ tempore in actibus ſcientiæ infuſæ ſine interruptione exerceri, & omnia illius obiecta ſucceſſiuè cognoſcere, & licet incertum ſit, an ita de facto euenerit, eſt tamen veriſimilius.* Ita Auctores ſecundæ ſententiæ, colligiturque ex Caietano in *hac quæſt. art. 5.* Et quoad primam partem probatur: quod enim anima puri viatoris non poſſit ſine interruptione intelligere, prouenit, ex eo quod dependet in intelligendo à ſenſibus, qui exercitio fatigantur, & tempore ſomni à ſuis operationibus impediuntur, ſed Chriſti anima ob ſtatum comprehenſoris, etiſi eſſet corpori vnita, corpori obligata non erat, nec in vſu ſcientiæ infuſæ à ſenſibus dependebat: ergo potuit ſine interruptione toto vitæ Chriſti tempore in illius actibus exerceri. Quod autem potuerit omnia obiecta ſcientiæ infuſæ intelligere ſucceſſiuè, probatur *(Prima pars prob.)* nam licet id non potuerit contingere ſucceſſiue, ſucceſſione obiectorum, eo quod ſunt infinita, quæ non poſſunt ſucceſſiuè pertranſiri, potuit tamen contingere ſucceſſiuè ſucceſſione ſpecierum, modo vna ſpecie vtendo in ordine ad obiecta per ipſam repræſentata, modo vtendo alia ſpecie: nam ſpecies de facto in intellectu Chriſti exiſtentes numero finitæ ſunt; ac per conſequens pertranſibiles; ſed omnium obiectorum prædictæ ſcientiæ ſucceſſiuæ cognitioni, ſolum illorum infinitas poſſet obſtare: ergo potuit Chriſtus omnia obiecta ſcientiæ infuſæ cognoſcere ſucceſſiuè *(Secunda pars prob.)*. Pro quo recolantur, quæ *Diſp. 35. §. vlt.* fuſius docuimus.

145 *Non eſt certũ ſemper aliquid actu conſideraſſe.* Quod vero hæc certa non ſint, probatur: nam ſcientia infuſa Chriſti applicabatur ad actum per imperium voluntatis; & conſequenter ex illius arbitrio pendebat, quod ab operatione ceſſaret, & quod hæc, vel illa obiecta cognoſcerentur; ſed nihil eſt ex quo certo poſſit colligi fuiſſe à voluntate Chriſti ſine interruptione applicatam, & ad omnia obiecta, quæ ſub illa continentur: ergo quod Chriſtus ſine interruptione ſcientia per ſe infuſa vſus fuerit, & quod omnia illius obiecta per eam conſiderauerit, veritas certa non eſt.

146 *Aliquorũ reſponſiones excluſa.* Quod enim ab aliquibus aſſeritur, colligi ex continuatione meriti; certum enim eſt Chriſtum ab inſtanti conceptionis, vſque ad inſtans mortis continuatè meruiſſe, meritum autem Chriſti ſcientia infuſa regulatur, ac proinde ſine interruptione in actibus ſcientiæ infuſæ ſe exercuit. Hoc inquam firmum non eſt: nam dato, quod continuatio meriti per totam vitam ſit certa, non ſequitur ex illa, continuatio in actibus ſcientiæ infuſæ; potuit enim Chriſti meritum regulari per ſcientiam beatam, vt ex dicendis *Tract. de Merito Chriſti* conſtabit. Quod etiam ab alijs docetur, in quolibet inſtanti, & tempore vitæ Chriſti occurriſſe obiectum aliquod ad Chriſtum pertinens, & conſequenter, quod debebat à Chriſto conſiderari: minus fundamentum habet. Tùm; quia adhuc occurrente obiecto, Chriſtus non neceſſitabatur ad illius conſiderationem. Tùm etiam; quia iſta occurrentia non poteſt certo conſtare.

147 *Vt veraſimilius defenditur.* Quia tamen habitus ſcientiæ per actum ſecundum perficitur, ſcientiaque ad actum reducta perfectior eſt ſe ipſa, prout ſolum in actu primo; & aliàs fuit poſſibile, ſcientiam per ſe infuſam animæ Chriſti ſemper eſſe cum actuali operatione coniunctam, & ſucceſſiuè cum omni ſuo obiecto in actu ſecundo coniungi; ideo id vt veroſimilius defendimus, Chriſto namque id, quod perfectius eſt, attribuere debemus, niſi vel oppoſitum ſit reuelatum, vel naturis rerum non congruat.

148 *Oppones 1.* Oppones primo: inde à D. Thom. probatur, ſcientiam per ſe infuſam Chriſti eſſe habitualem, hoc eſt, non neceſſario cum actuali operatione coniunctam, quia proportionatur cum modo naturali operandi animæ rationalis, quæ quandoque eſt in actu, & quandoque eſt in potentia; ſed anima rationalis actu corpori coniuncta, non ſolum non coniungitur neceſſario cum actu ſecundo, ſed etiam eſt illi impoſſibile naturaliter ſine interruptione intelligere: ergo vel ratio D. Thom. non excludit à ſcientia infuſa Chriſti neceſſitatem ſemper operandi, vel probat impoſſibilitatem ſemper ſine interruptione intelligendi.

Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: anima puri viatoris, concedo minorem: anima comprehenſoris, nego minorem, & conſequentiam. Anima namque in ſtatu comprehenſoris, etſi ſit corpori vnita, non eſt corpori obligata, & adeo poteſt intelligere ſine dependentia à corpore, ſicut anima in ſtatu ſeparationis, vt ſupra in *hac Diſputatione* diximus, & fusè oſtendimus *Diſp. 35.* Et quia anima Chriſti Domini, etſi eſſet corpori mortali vnita, gaudebat ſtatu comprehenſoris; fit conſequens, quod corpori obligata non eſſet, nec à ſenſibus dependeret; ac proinde, quod Chriſtus poſſet ſine interruptione intelligere, ſicut id poteſt efficere anima in ſtatu ſeparationis, & etiam corpori vnita in ſtatu comprehenſoris, cuius modum naturalem operandi imitatur ſcientia infuſa. 149 *Reſpond.*

Sed dices: anima rationalis à corpore ſeparata, non ſolum poteſt ſine interruptione intelligere, ſed etiam neceſſario ſemper aliquod obiectum intelligit, nempè, ſe ipſam, ſicut de Angelis communiter docetur à Theologis: ergo ſi ſcientia infuſa Chriſti proportionatur cum modo naturali intelligendi animæ ſeparatæ, non ſolum poterit ſine interruptione intelligere, ſed etiam neceſſario ſemper aliquod obiectum intelliget, cuius contrarium à D. Th. *art. 5.* docetur, Noſque cum illo aſſerimus. 150 *Replicabis.*

Reſpondeo, negando conſequentiam. Nam ſcientia ſupernaturalis infuſa non proportionatur cum modo, quo anima rationalis ſe intelligit in ſtatu ſeparationis, ſed cum modo quo intelligit alia à ſe, quæ etiſi non neceſſario, ſed libere intelligat, poteſt tamen circa illa ſine interruptione verſari; & ideo ex prædicta proportione rectè colligitur, potuiſſe animam Chriſti ſine interruptione intelligere per habitum ſcientiæ infuſæ: non autem ſequitur per illam, obiectum aliquod neceſſario conſideraſſe. Ratio autem doctrinæ traditæ eſt: nam quod anima rationalis in ſtatu ſeparationis ſe intelligat neceſſario, ortum ex eo quod cum intellectus naturaliter ad illam, vt propria paſſio ſequatur, eſt determinatus ad illius intellectionem, quod autem poſſit alia à ſe ſine interruptione intelligere, prouenit ex independentia in intelligendo à corpore; & quia prima ratio in habitu ſcientiæ infuſæ non militat, bene tamen hæc ſecunda, fit conſequens, quod proportionetur cum anima rationali à corpore ſeparata in modo naturali, quo intelligit alia à ſe, non autem in modo, quo ſe in prædicto ſtatu intelligit. 151 *Reſpond.*

Oppones ſecundo: D. Thom. *hac quæſt. art. 5. ad 2.* vbi cum ſibi oppoſuiſſet, fruſtra eſſe in anima Chriſti ſcientiam infuſam, ſub qua infinita continentur; cum non potuerit omnia actu conſiderare vnum poſt aliud cogitando, quia infinita non eſt enumerando pertranſire. Reſpondet Angelicus Doctor: *Quod habitus reducitur in actum ad imperium voluntatis; voluntas autem indeterminatè ſe habet ad infinita, nec tamen hoc eſt fruſtra, licet non tendat in omnia actualiter, dummodo tendat actualiter in id, quod conuenit loco, & tempori; & ideo habitus non eſt fruſtra, licet non omnia reducantur in actum, quæ habitui ſubiacent, &c.* ergo ſentit D. Thom. non potuiſſe per habitum ſcientiæ infuſæ omnia illius obiecta actu ſucceſſiuè cognoſci, eo quod ſunt infinita, & infinita pertranſiri non poſſunt vnum cognoſcendo poſt aliud. Patet conſequentia: ſi enim hoc non ſentiret, aliter ſecundo argumento occurret, nimirum, negando infinita pertranſiri non poſſe; at D. Thom. non fuit vſus hac ſolutione, ſed ea, quam ex ipſo retulimus, videlicet aſſerendo, quod licet per ſcientiam infuſam non fuerint omnia illius obiecta cognita; non tamen ob hoc fuit fruſtra, eo quod potuit per voluntatem Chriſti applicari ad ſua obiecta cognoſcenda, prout neceſſitas petebat: ergo ſentit, non poſſe infinita obiecta actu ſucceſſiuè cognoſci; quod eſt contra id, quod in noſtra concluſione aſſerimus. 152 *Oppones 2.* *S. Th.*

Reſpondeo ſolutione D. Thom. vt iacet, admiſſa, negando conſequentiam. Ad illius probationem dicatur cum Caietano *art. 5. circa ſolutionem ſecundi*, potuiſſe D. Thom. aliter ſecundo argumento occurrere, nempe, aſſerendo, quod licet infinita pertranſiri non poſſint numerando vnum poſt aliud, poſſent omnia per habitum ſcientiæ infuſæ ſucceſſiuè cognoſci, non ſucceſſione obiectorum, ſed ſucceſſione in vſu ſpecierum, quæ cum finitæ ſint, poterant 153 *Reſpond.*

terant ſucceſſiuè numerari; ideo tamen non fuit hac ſolutione vſus, quia neceſſaria non erat; vt enim non fruſtra infinita habitualiter cognoſcantur, & vt habitus ſcientificus non fruſtra ad infinita obiecta extendatur, ſufficit, quod quamuis nec ſimul, vel nec ſucceſſiuè circa omnia reducatur ad actum, voluntas, quæ indifferenter ad infinita ſe habet, poſſit vti habitu in ordine ad quod maluerit ea infinitis obiectis, quod in poteſtate voluntatis non eſſet, ſi habitus ſcientificus non ſe extenderet ad infinita.

154 *De vniuerſalitate ſpecierum.* *S.Tho.* Ex dictis in diſcurſu iſtius diſputationis, colligitur intelligentia doctrinæ D. Thomæ *in hac q. art 6.* & rationis, qua probauit, ſpecies intellectui Chriſti infuſas, & ſcientiæ infuſæ inſeruientes eſſe minus vniuerſales ſpeciebus Angelorum: quia nempè, *ſcientia indita animæ Chriſti habuit modum connaturalem animæ humanæ; eſt autem connaturale animæ humanæ, vt recipiat ſpecies in minori vniuerſalitate, quam Angeli.* Quæ doctrina non ſic accipienda eſt, vt intelligatur de connaturalitate habitudinis, & exigentiæ; cum enim ſupernaturalis ſit, nec recipitur in anima Chriſti ratione capacitatis naturalis, nec poteſt ab intrinſeco exigi ab illa, ſed de connaturalitate proportionis in modo operandi, & poteſt ſub hac forma proponi. Scientia infuſa animæ Chriſti, eſto ſupernaturalis ſit, fuit tamen in modo operandi conformis modo naturali intelligendi animæ rationalis; ſed animæ rationali, vt naturali modo intelligenti, etiam in ſtatu ſeparationis, debentur ſpecies impreſſæ in minori vniuerſalitate, quam Angelis: ergo etiā illi, vt ſupernaturaliter intelligenti per habitum ſcientiæ infuſæ reſpondent ſpecies minus vniuerſales illis, quæ infunduntur Angelis. Minor enim conſequentia tenet: Maior autem a D. Thoma ſupponitur, & poteſt probari: nam illa conformitas in modo operandi cum modo naturali intelligendi animæ rationalis non repugnat conceptui ſupernaturalitatis, cui ſolum opponitur, quod a natura exigatur; ſed Deus in eleuando naturam ad ordinem ſupernaturalem ſe conformat cum natura, omni conformitate poſſibili, non oppoſita ſupernaturalitati: ergo ſcientia infuſa Chriſti eſt conformis, & proportionata in modo operandi, cum modo naturali intelligendi animæ rationalis.

155 *De proportione ſpecierum.* Ex qua doctrina ſic explicata conſequitur, ſpecies ſcientiæ infuſæ inſeruientes, etſi proportione habitudinis, & conuenientiæ in ordine debeant proportionari cum habitu intellectum Chriſti eleuante; non tamen cum illo, ſed cum intellectu eleuato proportionari debere in ſua vniuerſalitate, eo quod cum habitus eleuans, proportionetur in modo operandi, cum modo naturali cognoſcendi intellectus Chriſti Domini, ſit conſequens quod ſpecierum ſupernaturalium vniuerſalitas proportionanda ſit cum vniuerſalitate ſpecierum naturalium. Ex quo vlterius colligitur, excedi in vniuerſalitate a ſpeciebus Angelorum.

Et quidem ſi ſpecies quoad vniuerſalitatem, non cum intellectu Chriſti, ſed cum habitu proportionem ſeruarent; cum habitus vnus ſit, & ad omnia extra Verbum cognoſcibilia extendatur, etiam ſpecies vna eſſet ad omnia repræſentanda; at iuxta communem ſententiam, non vna, ſed plures ſpecies ſupernaturales, infuſæ fuerunt animæ Chriſti de facto: ergo Deus in illarum infuſione non ſeruauit, quantum ad vniuerſalitatem, proportionem cum habitu intellectum Chriſti eleuante, ſed cum modo naturali operandi Intellectus, & animæ rationalis. ex quo ſequitur, non ſolum quod plures fuerint abſolutè, ſed etiam comparatiuè cum Angelis, hoc eſt, quod exceſſerint in numero ſpecies naturales Angelorum. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri in 3. vbi diſputationes proximè præcedentes. 156 *Confirmatur.*

157 *De ſcientia per ſe acquiſibili diuerſæ ſententiæ.* PRo complemento tractatus diſputandum reſtabat de ſcientia per ſe acquiſibili, quam fuiſſe in anima Chriſti *Diſp. 32.* docuimus, qualiter in illa fuerit, an, ſcilicet, per infuſionem a Deo? An vero proprijs actibus ab anima Chriſti acquiſita? In quo duplex è regione oppoſita, ſententia verſatur. Prima docens, fuiſſe animæ Chriſti infuſam in primo inſtanti Incarnationis. Secunda defendens, proprijs actibus, & ſucceſſu tempora fuiſſe ab anima Chriſti acquiſitam. Et licet vtraque probabilis ſit, & vtramque in diuerſis locis Angelicus Præceptor docuerit; ſecundæ tamen, vt probabiliori eſt ſtandum; quia illam docuit D. Th. *ſupra q 9. art. 4.* & in præſenti *q. 12 art. 1 & 2.* priorem ſententiam, quam in libris Sententiarum docuerat, expreſſè retractans. Videantur, quæ diximus *Diſp 24. §. 3. & ſeq.* vbi diſcrimen ſtatuimus inter virtutes morales, & ſcientias per ſe acquiſibiles, & rationem aſſignauimus, cur virtutes acquiſitæ debuerint animæ Chriſti in primo inſtanti conceptionis infundi; ſcientiæ autem per ſe acquiſibiles, non per infuſionem, ſed per acquiſitionem haberi. *S.Tho.*

Et hæc de Secundo Tomo Noſtri Operis, correctioni Eccleſiæ ſubiecta, in Laudem, & Gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis, Virginis Matris, Petri Apoſtolorum Principis, Parentum Auguſtini, & Thomæ, Meique, & omnium Præceptoris Angelici, cui, ſi quid diſſonum à Nobis inueniatur aſſertum, libentiſſimè retractamus.

F I N I S.

INDEX

I N D E X
LOCVPLETISSIMVS
RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc ſecundo Tomo de Incarnatione Diuini Verbi continentur.

D. *vel* Diſp. *Diſputationem*. N. *vel* Num. *Numerum marginalem denotat*.

A

Accidens.

Accidens poteſt cum Deo vniri vnione mediata, & de facto intellectus, & voluntas, aliaque accidentia propria, & communia, fuerunt media humanitate Diuino Verbo vnita. *Diſp.* 18. *n.* 119.

Accidens non poteſt a Deo aſſumi, vt illius ſubſiſtentia ſubſiſtat. *Ibid. à n.* 124.

Ex accidenti, & ſubſiſtentia diuina, ſi illi vniretur, non poſſet reſultare vnum ſuppoſitum in rigore acceptum. *Diſp.* 18. *n.* 125.

In illa hypoteſi, ex natura accidentali, & ſubſiſtentia diuina, reſultare poſſet vnum per ſe, nimirum, ſubſiſtens in natura accidentali tracta ad eſſe exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ diuinæ, non obſtante diſtantia, quæ inter Deum, & accidentalem naturam reperitur. *Ibid. n.* 126.

Si accidens eſſet capax ſubſiſtendi *per ſe*, ratione alicuius modi ſupernaturalis, licet ex ſe *per ſe* non exiſtat, poſſet cum diuina ſubſiſtentia vniri, ex talique vnione, nec perſona, nec ſuppoſitum reſultaret. *Diſp.* 18. *num.* 134.

Accidens non poteſt reddi *per ſe* exiſtens, & ſubſiſtens *poſitiuè*, ratione alicuius modi ſubſtantialis ſupernaturalis; talis enim modus repugnat, ſicuti, & ſubſtantia ſupernaturalis, cui deberet eſſe connaturalis. *Ibid n.* 136. *& ſeqq.* maximè n. 144. *&* 170.

Accidens non poteſt *mediatè* vniri Deo, vt extremo, & puro termino vnionis; non enim poteſt ex illis ſic vnitis aliquod vnum *per ſe* reſultare, vt erat neceſſarium. *Diſp.* 18 *à n.* 148.

Accidens poteſt cum diuina exiſtentia *immediatè* vniri. *Diſp.* 18. *à n.* 174. *vſque ad* 195.

Accidens poteſt exiſtere *per ſe negatiuè*, & de facto quantitas Euchariſtiæ ſic exiſtit; nulli enim ſubiecto inhæret. *Diſp.* 18 *n.* 187. *& ſeqq.*

Caſu, in quo accidens *immediatè*, cum exiſtentia diuina vniretur, ex illis ſic vnitis reſultaret vnum *per ſe*, non perſeitate entis *nominaliter* ſumpti, ſed perſeitate entis accepti *participaliter*. *Diſp.* 18. *n.* 192.

In tali caſu non poſſet cum proprietate dici, accidens eſſe aſſumptum à Deo; vnio enim illa non eſſet in ſubſiſtentia, quæ ſola poteſt fundare prædicationem accidentis de Deo: ſicut, ſi Deus ſub conceptu intellectionis vniretur cum intellectu creato, iſte non diceretur à Deo aſſumptus. *Diſp.* 18 *n.* 193. *&* 194.

Poteſt vna pars accidentis inexiſtere proprio ſubiecto vnita cum alijs partibus eidem non inhærentibus, vt contingeret, ſi dimidia pars Hoſtiæ conſecraretur, alia medietate non conſecrata *Diſp.* 18 *n.* 221. *&* 218.

Accidens inhærere ſubiecto, & exiſtere *per ſe*, eſt omnino implicatorium; iſti enim modi ſunt eſſentialiter repugnantes; cum vnus in alterius negatione conſiſtat. *Diſp.* 19. *n.* 19.

Repugnat accidens actu *infinitè* intenſum ex ſubiecto limitato eductum, & in potentia finita receptum, etiam ſi per creationem fiat. *Diſp.* 26. *n.* 38. *&* 39. & iterum *n.* 46. *& ſeqq.*

Licet, vt accidentia inexiſtant, & inhæreant ſubiecto, eſſentialiter ſupponant exiſtentiam in illo, non tamen præſupponunt eſſentialiter ſubſiſtentiam. *Diſp.* 30 *nu.* 189. *& ſeqq.*

Accidens (in plurium ſententia) poteſt abſolutè ſubſtantiã in perfectione excedere, vt beatitudo formalis, quæ in cognitione conſiſtit. *Diſp.* 31. *n.* 25.

Actio.

Actio productiua gratiæ, etſi ratione gratiæ, cum qua ab intrinſeco connectitur, habeat incompatibilitatem cum peccato; non tamen eſt forma ſanctificatiua *formaliter*, ſicut nec vnio gratiæ cum anima. *Diſp.* 21. *n.* 82. 83. 84.

Actio, quæ eſt cauſalitas agentis, licet cum illo conueniat in hoc, quod eſt efficienter concurrere, non tamen dicitur cauſa efficiens, nec cauſa agens, ſed cauſalitas cauſæ efficientis, nec correſpondet illi diſtinctus effectus, ſed vnum, & eundem diuerſo modo producunt, nempè, vt forma, & vt formæ cauſalitas. *Diſp.* 21. *n.* 99. *&* 100.

Actio vitalis ſe ipſa egreditur, & coniungitur cum principio vitali, abſque modo vnionis medio; habet enim eſſentialiter exercitium egreſſionis, & coniunctionis cum ſuo principio, & ſubiecto. *Diſput.* 31. *n.* 81.

Actvs.

VNus actus, non poteſt adęquare extenſi^one^ m habitus, vel potentiæ, quoad rationes formales obiectiuas cognoſcendi; benè tamen quoad obiecta cognita. *Diſp.* 35. *num.* 145.

Actus conditionatus, & inefficax erga materiam alicuius virtutis non ſufficit, vt talis virtus ponatur in ſubiecto, cui actus abſolutus, & efficax repugnat; vnde in Chriſto non datur virtus piæ affectionis ad credendum, nec in Angelis temperantia. *Diſp.* 24. *n.* 98.

Actvs Charitatis.

ACtus charitatis non dependet eſſentialiter, ſed tantum connaturaliter à gratia habituali; non enim exigit ea ſuis prædicatis ſpecificis permanentiam; cum ſit indifferens ad liberum, & neceſſarium: ad differentiam viſionis beatificæ, quæ quia ab intrinſeco exigit permanentiam, eſſentialiter a lumine gloriæ dependet. *Diſp.* 23. *n.* 40. *& ſeqq. & à num.* 51. *& iterum n.* 67. *& ſeqq.*

Actus charitatis non procedit per ſe eſſentialiter ab habitu charitatis ſecundum ſuam vltimam differentiam, per quam ab auxilio facile tranſeunte diſtinguitur, ſed ab vtroque indifferenter, & diuiſim; licet enim inter ſe eſſentialiter diſtinguantur, comparatiuè tamen ad actum charitatis, talis diſtinctio merè materialiter ſe habet. *Diſp.* 23. *n.* 55. *& ſeqq. & n.* 154. *& ſeqq. & Diſp.* 32. *num.* 226.

Actus ille, non indiuiduatur ab auxilio fluido determinatè, nec ab habitu charitatis determinatè, ſed ab hoc, vel illo disiunctim ſub ratione indiuidui generici: ſicut locus non ab hac, vel illa ſuperficie determinatè, ſed ab aliqua cum tali diſtantia *vagè* ſumpta, & continuè ſuccedente, indiuiduationem ſumit. *Diſp.* 23. *num.* 156. *&* 157.

Actvs Svpernatvralis.

Vide *Supernaturale.*

ACtus, qui ſupernaturalis non eſt *eliciti uè*, aut *imperatiuè*, non poteſt eſſe meritorius præmij ſupernaturalis, etiam de potentia abſoluta. *Diſput.* 23. *à num.* 81. *vſque ad* 100.

In actum ſupernaturalem, non poteſt proximè, etiam partialiter, influere principium naturale; deberet enim connecti cum actu ſupernaturali, quod eſt impoſſibile: ad differentiam actus vitalis, cuius aliquod comprincipium proximum, nimirum ſpecies, non eſt vitalis, niſi tantum *connexiuè*. *Diſp.* 31. *n.* 100.

Actvs Virtvtis Heroicę.

ACtus virtutis heroicæ, & actus virtutis non heroicæ, non poſſunt eſſe ſimul, ad differentiam actus virtutis naturalis, & ſupernaturalis, qui licet magis diſtinguantur, ſimul extitere in Chriſto. *Diſp.* 24. *n.* 17.

Actvs Vitalis.

ACtus vitalis alicuius naturæ, ab illa ſpecificationem ſumit; ideoque communicari non poteſt, natura non communicata. *Diſp.* 31. *n.* 69.

Ad actum vitalem concurrere poteſt, per modum comprincipij proximi, ſpecies impreſſa, quæ licet in ſe vitalis non ſit, eſt tamen vitalis *connexiuè*; hæc enim connexio principij non vitalis cum vitali, non repugnat: ad differentiam principij naturalis, quod in actum ſupernaturalem influere non poteſt, *proximè partialiter*, nec eſſe ſupernaturale, etiam *connexiuè*. *Diſp.* 31. *num.* 100.

Adamvs.

ADamus in ſtatu innocentiæ fomitem peccati non habuit, nec in eius poſteris reperiretur, ſi in illo ſtatu permanſiſſet; cum ſit effectus peccati, iuxta Concilium Tridentinum. *Diſp.* 24. *n.* 16.

Adamus in ſtatu innocentiæ liberè abſtinebat à peccatis venialibus, licet venialiter peccare non poſſet; hæc enim impotentia conueniebat illi ex ſuppoſitione libera, quod ratio ſubderetur Deo, illaque ſubiectione ceſſante, poterat inferior appetitus contra ſuperiorem repugnare. *Diſp.* 24. *n.* 30.

Adamo in primo ſuæ formationis inſtanti fuerunt *peraccidens* infuſæ ſpecies repræſentatiuæ omnium rerum, non autem Chriſto Domino. *Diſp.* 24. *n.* 44.

Adamus fuit caput noſtrum morale, quoad culpam, non vero quoad meritum; vnde poſteri in illo non merentur, quamuis in illo peccauerint. *Diſp.* 24. *n.* 43.

Adamus in ſtatu innocentiæ, non potuit totam collectionē actuum naturalium ſine miraculo elicere, ſicut nec omnes ſcientiarum actus. *Diſp.* 24. *n.* 52.

Adamus fuit caput noſtrum in ordine ad culpam originalem, abſque phyſico influxu in eius deriuationem, per influxum ſolum moralem, qui ad rationem capitis eſt ſufficiens. *Diſp.* 18. *n.* 68.

Adamus ante Euæ formationem erat membrum Chriſti, & Eccleſiæ; licet enim tunc non eſſet viatorum Eccleſia, erat tamen Eccleſia ex Angelis beatis, & Adamo viatore conflata. *Diſp.* 29. *n.* 24.

Vel erat membrum Chriſti, propter perfectionem ab ipſo dependentem, licet ex defectu cum membrorum, completam membri rationem non haberet. *Num.* 25.

Adamus non eſt ſimpliciter caput omnium malorum, vt perſonaliter peccantium; eius enim peccatum, non excedit in malitia omnium peccata, nec illo intendit homines à Deo auertere vt peccantes perſonaliter. *Diſp.* 29. *n.* 130.

Agonia.

AGonia conſiſtit in repugnantia voluntatum, & in compugnatione animi ad contraria tendentis, fuitque in voluntate Chriſti, non quatenus rationali, ſed quatenus conſideratur vt natura. *Diſp.* 32. *num.* 28. *&* 29.

Angelvs, vel Natvra Angelica.

NAtura Angelica eſt aſſumptibilis à Deo de potentia abſoluta, in vnitatem perſonæ, non tamen ita congruenter, ſicut natura humana. *Diſput.* 18. *à numer* 4.

In Angelis diſtinguitur realiter perſonalitas à natura, eadem ratione, qua perſonalitas hominis à ſua natura realiter differt. *Diſput.* 18. *num* 8 *&* 9 *& à num.* 44. *vſque ad* 53.

Etſi natura Angelica, in ordine ad aſſumptionem, excedat naturam humanam in congruentia dignitatis; vtpote in linea intellectuali perfectior: in congruentia tamen neceſſitatis, & vniuerſalitatis, à natura humana exceditur. *Diſp.* 18. *à n.* 11. *vſque ad* 14.

Angeli peccatum irremiſſibile eſt, ſecundum communem modum, quo in ordine gratiæ peccatum dimittitur, per hoc ſcilicet, quod peccans auertatur à peccato, & conuertatur ad Deum, quod Angelo conuenire nequit; cum eius liberum arbitrium inflexibile ſit poſt electionem. *Ibid. n.* 15.

Dato, quod Angelus poſt electionem, inflexibiliter malo non inhæreat; adhuc natura humana congruentius eſt aſſumpta a Verbo, quam Angelica; ſic enim melius ſeruatur in ſatisfactione iuſtitia. In tam infimæ naturæ ad tantam dignitatem eleuatione, Dei miſericordia, & potentia reſplendent, magiſque inimicus confunditur; ipſum ſpoliando, & vincendo in eadem natura, quondam ſibi per peccatum ſubiecta. *Diſp.* 18. *num.* 12. 13. *&* 14.

Natura Angelica non eſt *denominatiuè* ſuppoſitum, nec ſubſiſtit vt *quod*: ſicut nec natura humana. *Ibid. à num.* 18 *vſque ad* 22.

Angeli ſe ipſis ſunt ſuppoſita ſubſiſtentia, ſumpta ſubſiſtentia pro irreceptibilitate in materia, & incommunicabilitate alteri, vt indiuiduo, non autem ſumpta ſubſiſtentia pro perſeitate incommunicabilitatis alteri; tanquam ſuppoſito. *Diſp.* 18. *n.* 32.

Vel ſunt ſuppoſita ſubſiſtentia vt *quo*, & *radicaliter*, non autem vt *quod*, & *formaliter*; vnde ſe ipſis indiuiduantur: ad differentiam formarum in materia receptibilium *Ibid. num.* 32. *&* 33.

Gabriel v. g. non poteſt accipi pro natura, nec iſta in abſtracto poteſt de Gabriele prædicari: deitas autem in abſtracto ſignificata, eum præcedenter ad perſonas ſummè perfecta, & completa ad exiſtendum ſupponatur, de Deo verè prædicatur; vnde iſta propoſitio: *Deus eſt Deitas*, eſt vera; iſta vero *Gabriel eſt Gabrielitas*, eſt falſa. *Diſp* 18. *n.* 34.

In Angelis non diſtinguitur realiter ab illorum natura, indiuiduatio, etiam pro radice indiuiduationis ſumpta: in homine vero, etſi indiuiduatio formaliter ſumpta, prout *metaphyſicè* indiuiduum conſtituit, non diſtinguatur realiter ab illius natura, pro radice, neceſſario differt realiter ab illa. *Ibid. n.* 36 *& ſeqq.*

Perſonalitas Angeli poteſt deſinere eſſe deſitione corruptiua, non corruptione, generationi correſpondente, ſed in largiori ſignificatione, ſumpta pro omni deſitione, quę annihilatio non eſt, & in hoc ſenſu Angelus ex perſonalitate, & natura compoſitus, corruptibilis eſt. *Diſp.* 18. *n.* 45. *&* 46.

Licet Angelus, etiam de potentia abſoluta, non poſſit incipere eſſe, quoad naturam, per actionem non creatiua; quoad ſuppoſitalitatem vero poteſt incipere eſſe per actionem, quæ creatio non ſit, quod in duplici caſu contingeret. *Ibid. n.* 46.

Perſonalitas Angeli, etſi poſſit fieri per actionem eductiuam, de facto tamen, quia non terminauit actionem diſtinctam ab illa, qua creata eſt natura, non per eductionem, ſed per creationem fuit facta. *Diſput.* 28. *num.* 49.

Etſi perſonalitas Angeli ſit ab extrinſeco corruptibilis, & *Angelus*, non pro natura, ſed pro perſona illam habente ſupponat; quia tamen in ordine ad terminandam productionem, vel deſtructionem, natura eſt terminus formalis dans ſpeciem, & denominationem, totus Angelus debet dici *abſolutè* annihilabilis ratione naturæ, non corruptibilis ratione perſonalitatis. *Ibid. n* 50. 51. *&* 52.

Quamuis perſonalitas Angeli ſit ab extrinſeco corruptibilis, & annihilabilis, quia tamen ex ſuppoſitione, quod deſtruatur, potius petit annihilatione, quam corruptione deſinere, magis eſt *abſolutè* dicenda annihilabilis, quam corruptibilis. *Ibid n.* 53.

Angelus non poteſt recipere aliquod accidens corporeum v.g albedinem; licet enim ſit capax effectus, quam præſtat albedo, ſecundum gradum communem qualitatis abſtrahentis à corporea, & ſpirituali; eſt tamen incapax omnis effectus formalis illius, quem tribuit ſecundum vltimam differentiam qualitatis corporeæ. *Diſp.* 18. *n.* 113. *&* 116.

Angeli ante Myſterium Incarnationis cognouerunt diſtinctionem ſuppoſiti à natura; cum enim talis diſtinctio ſit naturalis, & omnia naturalia, quæ infra illos ſunt, comprehendant, non potuit talis diſtinctio, illorum intellectum latere. *Diſput.* 30. *n.* 68.

Angeli ſunt membra Chriſti, non autem ſponſæ illius; inter ſponſum enim, & ſponſam conuenientia ſpecifica, athoma requiritur. *Diſp.* 29 *n.* 113. & 114.

Licet Angeli non fuerint a Chriſto Redempti, illis tamen meruit gratiam, & fidem in via, & gloriam eſſentialem Patriæ. *Diſp* 29. *n.* 117 *& ſeqq*

Species infuſæ Angelis ſunt accidentia ipſis connaturalia *ſimpliciter*, non ratione principij actiui, ſed ratione principij paſſiui; exigunt enim exigentia phyſica ſpecies, & illarum infuſionem. *Diſp* 30. *n.* 169. *&* 173.

Quomodo Deus ſit Angelis præſens, explicatur. *Diſp.* 30. *num.* 175.

Cognitio, qua Angelus ſuperior propriam cognitionem in ſe ipſa *reflexè* cognoſcit, perfectior eſt cognitione, qua ab Angelo inferiori eadem cognitio cognoſcitur. *Diſp.* 35. *n.* 105. *& ſeqq.* maximè *n.* 118 *&* 119.

Species exiſtentes in Angelo ſuperiori, comprehendi non poſſunt per ſpecies exiſtentes in Angelo inferiori; quia ſunt vniuerſaliores, & perfectiores, nedum formaliter, verum etiam in radice, ratione cuius debentur, nimirum, ſubſtantia Angeli ſuperioris: ad differentiam viſionis beatificæ, quæ licet formaliter excedat ſcientiam infuſam, non tamen excedit eius radicem, quæ eſt gratia, ideoque a ſcientia infuſa comprehenditur. *Diſp.* 35. *n* 213.

Cognitio qua Angelus propriam ſubſtantiam cognoſcit, ad ſe ipſam vt poſſibilem terminatur, non immediatè, ſed mediante ſua ſubſtantia primario cognita; nec ex hoc ſequitur, quod ſe ipſam ſpecificet, nec quod ſit directa, & reflexa, niſi reflexione mediata, quod inconueniēs non eſt *Diſp.* 35 *n* 242.

Angelus non comprehendit ſe ipſum ſecundum omnem potentiam, ſed tantum comprehendit ſe, ſecundum ſuam potentiam, & virtutem naturalem; vnde non dicitur abſolutè *comprehenſio*, ſed cum addito, ſcilicet *comprehenſio naturalis Diſp.* 34 *nu.* 208. *& ſeqq.*

Anima Rationalis.

Anima rationalis a materia ſeparata, eſt Deo vnibilis, ab ipſoque aſſumptibilis, ſicque in triduo mortis Chriſti de facto manſit vnita. *Diſp.* 18. *n.* 196.

Talis vnio fuit in vnitatem perſonæ incompletæ; cum anima ſolum inadæquatè ſit natura: vel talis vnio fuit in vnitatem ſubſiſtentiæ, quæ ea defectu completionis, rationem ſuppoſiti, vel perſonæ non habuit, ſicut improbabili ſententia datur ſubſiſtens abſolutum in Deo, quod nec ſuppoſitum, nec perſona ſit; quia communicabile eſt. *Diſp.* 18. *n.* 197.

Si anima rationalis corpori vnita, & actu totum componens, ſubſiſtit, vt *quod* (ſicut aliqui ſentiunt) non eſt, quia poteſt ſeparata à corpore exiſtere, ſed quia exiſtentia illius, vtpotè ſpiritualis, nequit immediatè, & ratione ſui compoſito corporeo, quale eſt homo conuenire, ſed prius natura conuenit animæ, & ratione illius, corpori, quod in alijs compoſitis non contingit. *Diſp.* 18. *n.* 213. 214. *&* 215.

Etſi anima rationalis à corpore ſeparata, non ſit ſubſiſtens completum; cum ſit pars naturæ; ſubſiſtentia tamen, qua ſeparata ſubſiſtit, completa ſubſiſtentia eſt; eſt enim eadem cum ſubſiſtentia, qua coniuncta, ipſa, & totus homo ſubſiſtunt. *Diſp.* 18 *n.* 221.

Anima rationalis non ſolum eſt medium congruentiæ, verum etiam neceſſitatis, vt corpus, ſeu materia, a principio conceptionis Verbo diuino vniretur. *Diſp.* 18. *n.* 249.

Anima rationalis intrinſecè informat capillos, illos vegetatiuos conſtituens, non tamen rationales, nec ſenſitiuos. *Diſp.* 21. *n.* 71.

Anima rationalis eſt cum maiori rigore, & proprietate natura in ordine naturali, quam gratia in ordine ſupernaturali; vnde recipit in ſe potentias ab illa dimanantes, quæ ſine illa, nec de potentia abſoluta poſſunt exiſtere; gratia autem non recipit in ſe immediatè ſupernaturales virtutes, & ſine illa poſſunt in anima exiſtere. *Diſp.* 23. *n.* 65. & 66. *& à n.* 71. *vſque ad* 79.

Anima eſt principium *quod* dimanationis intellectus; & voluntatis, & medijs illis immediatè, *vt quod* operatur; vnde & in anima reſpiciuntur ad differentiam principij *quo* dimanationis alicuius proprietatis, quæ in illo non recipitur neceſſario, vt patet in virtutibus reſpectu gratiæ. *Diſp* 30 *n.* 101.

An anima in ſtatu ſeparationis, & Angeli in cognitione naturali, habitibus intellectualibus ab ſpeciebus diſtinctis egeant vel non. Varia Theologorum placita referuntur. *Diſp.* 32. *à n.* 113. *vſque ad* 116.

Anima Christi.

Vide *Chriſtus*, & *Humanitas Chriſti*.

Anima Chriſti ratione diuinitatis, non eſt ſpiritualis, ſpiritualitate diuina *ſubſtantiuè*, & ſpiritualitate per modum eſſentiæ; non enim eſt Deo *ſubſtantiuè*, bene tamen *adiectiuè*, & ſpiritualitate exiſtentiæ; eſt enim Deificata, & per diuinam exiſtentiam exiſtens. *Diſp.* 21. *à n.* 247 *vſque ad* 251. *& n.* 256.

Anima Chriſti per gratiam habitualem, facta eſt Deo ſimilis ea non ſimili, negatione ſimilitudinis formalis *phyſicè* ipſi inhærentis, non autem negatione omnis ſimilitudinis cum Deo; intelligitur enim pro *priori natura* ad gratiam habitualem ſanctificata formaliter per diuinitatem. *Diſp.* 21 *n.* 253.

Eſto de fide ſit immediatè, fuiſſe in anima Chriſti Domini veritatem, ſeu ſcientiam creatam, non tamen eſt immediatè de fide fuiſſe in illa gratiam habitualem. *Diſp.* 22. *n* 27.

In anima Chriſti Domini fuit gratia habitualis, & oppoſitum aſſerere, non ſolum eſt temerarium, ſed etiam errori proximum. *Diſp.* 22. *à* n. 21.

In

In anima Chriſti fuit neceſſaria, etiam de potentia abſoluta, gratia auxilians efficax ab intrinſeco, conſiſtens in qualitate fluida eſſentialiter cum operatione connexa; hæc enim petitur ex vi ſubordinationis cauſæ ſecundæ ad cauſam primam, & vt arbitrium creatum *plenè* Dei dominio ſubijciatur. *Diſp.* 23 *n.*139 *& ſeqq.*

Non tamen fuerunt in anima Chriſti (præter gratiam habitualem, & virtutes ipſam conſequentes) neceſſaria auxilia fluida phyſica ſufficientia; ſolum enim in abſentia prædictorum habituum, quibus anima Chriſti fuit ſemper ornata, requiruntur. *Ibid.*

Indiguit anima Chriſti, ad ſupernaturales operationes gratia excitante, quæ in illuſtratione intellectus conſiſtit; non autem illa, quæ in motibus, ſeu affectionibus non liberis voluntatis, eſt poſita. *Diſp.*23.*num.*145. *& ſeqq.*

In anima Chriſti Domini fuit ſcientia Beata à primo conceptionis inſtanti. *Diſp.*32 *à n.* 2.

In anima Chriſti præter ſcientiam beatam, fuit ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis, per quam res in proprio genere, & extra Verbum cognouit. *Diſput* 32.*à num.*62. vbi varia Theologorum fundamenta referuntur, & reijciuntur.

Anima Chriſti Domini, vtpotè beata, fuit in cognoſcendo independens à corpore; vnde in illa extitit ſcientia naturalis per ſe infuſa quoad ſpecies, non verò per ſe infuſa quoad habitum. *Diſp.*32.*à num.*96. *maximè n.* 109. *& ſeqq.* Solumque fuit corpori ſubdita in his, quæ ad ſaluandum redemptionis myſterium neceſſario conducebant. *n.*140.

Talis cognitio, ſeu ſcientia erat animæ Chriſti debita iuxta modum cognitionis Angelicæ ſine diſcurſu, & abſque dependentia a phantaſmate, *Diſp.*32.*n.*134. *& ſeq.*

In Chriſti anima fuit ſcientia per ſe acquiſibilis, ſeu ex genere ſuo acquiſita, vt omnes eius potentialitas naturalis ad actum reduceretur. *Diſp.*32.*n.*164.

Hæc ſcientia ſpecificè diſtinguitur à ſcientia naturali per ſe infuſa, penes obiectum formale, quod cum ordine ad phantaſmata, à quibus ſpecies fuerunt abſtractæ attingit, illa vero ſine tali ordine, quæ differentia ſufficiens eſt ad diſtinguendos habitus, etſi potentias diuerſificare non poſſit. *Diſp.*32.*num.*161.*& ſeqq. maximè* 196.

In anima Chriſti Domini non datur ſcientia ſupernaturalis per ſe acquiſita circa obiecta materialia, & ſenſibilia ſpecificè diſtincta à ſcientia per ſe infuſa ſupernaturali; ad hoc enim requirebatur ſcientiam ſupernaturalem dependere per ſe à phantaſmatibus, quod eſt omnino implicatorium. *Diſp.*32.*n.*421.224.*& ſeq.*

In anima Chriſti Domini non eſt conſtituenda ſcientia naturalis per ſe infuſa, quæ eſt propria Angelorum, diſtincta à ſcientia naturali per ſe infuſa quoad species, non vero quoad habitum, & a ſcientia per ſe acquiſibili. *Diſp* 32.*n*, 232.

In anima Chriſti Domini (ſuppoſita infuſione per accidens ſcientiæ ex genere ſuo acquiſitæ a primo conceptionis inſtanti) non poteſt alia ſcientia naturalis miniſterio ſenſuum acquiſita, ſeu experimentalis, aut ſingularium, quoad habitum, aut ſpecies impreſſas conſtitui; habitus enim idem numero (idemque de ſpecie impreſſa dicendum) ad vniuerſalia per ſe primo terminatus, ex extenſione ad ſingularia diſtinctionem ſpecificam, aut numericam non accipit. *Diſp.*32.*n.*239.*vſque ad* 241.

In anima Chriſti Domini in ordine ad viſionem beatam, conſtituendum eſt lumen gloriæ præter diuinam eſſentiam per modum ſpeciei vnitam, & in ordine ad actus ſcientiæ naturalis acquiſitæ fuerunt habitus per ſe acquiſibiles a ſpeciebus naturalibus diſtincti. *Diſput.*32.*a num.*269 *vſque ad fin.*

Anima Chriſti Domini in diuina eſſentia cognita, & ex vi cognitionis illius cognouit aliquas creaturas poſſibiles, exiſtentes, præteritas, & futuras, & omnia prædicata, quæ formaliter reperiuntur in Deo. *Diſp.*34. *n.*1,2.& 3.

Anima Chriſti Domini non cognouit in diuina eſſentia cognita omnes creaturas poſſibiles, ex vi viſionis beatificæ; ex oppoſito enim ſequeretur diuinæ eſſentiæ comprehenſio. *Diſp.*34.*n.*6. Vbi variæ Auctorum rationes referuntur, & reijciuntur, ratioque D.Thomæ defenditur, n. 20. & ſeq.

Anima Chriſti Domini actu cognouit in Verbo, ex vi viſionis beatificæ, omnia quæ ſunt, fuerunt, & erunt in aliqua differentia temporis; non tamen eſt de fide, *Diſp* 34 *n.*113.

Ex hoc tamen non infertur, ſcientiam viſionis Dei comprehendere. *Diſp.*34.*a num.*131.*vſque ad* 141.

Anima Chriſti cognouit in Verbo ipſam viſionem beatificam, quæ eſt cognitio ſuæ durationis æternæ, & decreti quo Deus ſtatuit illam in æternum conſeruare. imo eſt cognitio cognitionis reflexæ ſui, habitæ per ſcientiam infuſam, & illorum obiectorum, quorum decretum ſuppoſuit in ordine prædeſtinationis diuinæ, decretum viſionis beatificæ animæ Chriſti, quin ex aliquo ex iſtis, aliquod ſequatur inconueniens. *Diſp.*34.*n.*145. *& ſeqq.*

Cognouit etiam per viſionem beatificam ſuos actus liberos futuros, ſine læſione libertatis in illorum eliciencia, non obſtante, quod infallibiliter illos inferat, & ex parte actus primi ſe teneat. *Diſput.*34.*à num.*150. *vſque ad* 161.

Anima Chriſti per viſionem beatificam cognouit multitudinem actu infinitam; licet enim repugnet multitudo actu infinita in propria duratione, non tamen in *nunc* æternitatis, cum ſucceſſione in propria duratione. *Diſp.* 34.*n.*164.*& ſeqq.*

Anima Chriſti per beatificam viſionem cognouit negationes contingentes omnium rerum poſſibilium, etiam in particulari, non vero negationes neceſſarias. *Diſp.* 34. *n.*181.

Cognouit etiam omnia poſſibilia in particulari, non *quidditatiuè*, ſed tantum quoad *an eſt*: nec ex hoc ſequitur diuinæ eſſentiæ, vel omnipotentiæ comprehenſio. *Ibid à n.*188.

Anima Chriſti per beatificam viſionem cognouit omnia libera decreta Dei, tam omnimode abſoluta, quam abſoluta *ſubiectiuè*, & conditionata *obiectiuè*: omnia enim iſta cognoſcit Deus in ſe ipſo, per ſcientiam liberam viſionis, cui adæquatur ſcientia beatifica Chriſti, quantum ad numerum ſcibilium. *Diſp.*34.*n* 200 *& ſeqq.*

Anima Chriſti per beatificam viſionem cognouit omnia, quæ continentur in virtute, aut potentia creaturæ; comprehendit enim in Verbo eſſentiam omnis creaturæ, ac proinde, illius potentiam, & virtutem. *Diſp.*34. *n.*206 *& ſeqq.*

Anima Chriſti cognouit infinitas ſubſtantias, ſcientia rerum in potentia; ſecus vero ſcientiæ rerum in actu; per hanc autem cognouit infinita accidentia. *Ibid. num.* 211. Vnde cognouit multitudinem actu infinitam reſpectu ad æternitatem, in qua actu ſunt infinitæ cogitationes, non autem reſpectiuè ad propriam menſuram. *Num.*113.

Anima Chriſti clarius videt diuinam eſſentiam, qualibet alia creatura, illiuſque beatitudo eſt maior beatitudine cuiuſuis creaturæ poſſibili de lege ordinaria, non autem eſt *intenſiuè* maior omni beatitudine poſſibili creaturæ de potentia abſoluta. *Diſp* 34. *n.* 214. *&* 215.

Anima Chriſti Domini cognouit, per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, omnia, quæ ab homine cognoſci poſſunt, per virtutem intellectus agentis. *Diſp.*35.*num.*3.& multa alia, ad quæ virtus intellectus agentis non ſe extendit. *Num* 11.

Per eandem ſcientiam cognouit *quidditatiuè* omnia dona ſupernaturalia, quæ ſunt de facto producta, v.g. gratia habitualis, virtutes Theologicæ, viſio beatifica, vnio hypoſtatica. *Diſp.*35.*à num.*41. imo & *comprehenſiuè*. *Ibid.* *n.*71. *& ſeqq.*

Cognouit etiam occultas cordium cogitationes, & futura libera contingentia. *Diſp.*35 *à num.*142.

Non cognouit illa in decreto libero de illarum futuritione abſoluta, nec in diuina reuelatione includente in ſe auctoritatem diuinam clarè, & euidenter per ſcientiam infuſam cognitam, nec in decreto libero Dei mediante ſpecie ſupernaturali repræſentante immediatè liberam determinationem voluntatis diuinæ, non *intuitiuè*, nec *quidditatiuè*, ſed tantum quoad *an eſt*, vel quia eſt, *Diſp.*35 *num.*162. *vſque ad* 178.

Anima Chriſti per ſcientiam ſupernaturalem infuſam cognouit futura contingentia in ſe ipſis, non ſolum ex parte rei cognitæ, verum etiam ex parte medij cognoſcendi, & per ſpeciem creatam, illam ſe ipſis

repræſentantem. *Diſp.* 35. *n.* 179. *& ſeqq.*
Non tamen cognouit ille per notitiam intuitiuam propriè talem *ibidem. num.* 194.
Non repugnat, quod anima Chriſti, per iſtā ſcientiam, & per vnam ſpeciem creatam, cognoſcat *quidditatiuè* totam poſſibilium collectionem in ſe, & ratione ſui, abſque eo quod ſequatur diuinæ eſſentiæ comprehenſio, de facto tamen, illam non cognouit. *Diſputat.* 35. *num.* 224.
Anima Chriſti per iſtam ſcientiam, non cognouit Dei eſſentiam *quidditatiuè abſtractiuè. Diſp.* 36. *n.* 5.
Non cognouit anima Chriſti Deum, nec vt vnum, nec vt trinum, per ſpeciem per ſe infuſam, ipſum immediatè quoad *an eſt* repræſentantem. *Diſput.* 36. *à num.* 17.
Anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognouit euidenter quoad *an eſt* Deum Auctorem ſupernaturalem, proue vnum, in effectibus ſupernaturalibus. *Diſ.* 36. *n.* 30. non autem in naturalibus. *num.* 37. *& ſeqq.*
Imo in aliquibus effectibus ſupernaturalibus ad Deum *obiectiuè* terminatis cognouit anima Chriſti euidenter quoad *an eſt* Deum vt trinum per ſcientiam infuſam. *Diſput.* 36. *numer.* 71.
Anima Chriſti potuit vti ſcientia infuſa diſcurrendo, & ſine formali diſcurſu *Diſp.* 37. *num.* 79. *& ſeqq.*
Potuit etiam per habitum ſcientiæ infuſę intelligere, ſine conuerſione ad phantaſmata. *Ibid. & à nu.* 111. *vſque ad* 114. & cum conuerſione ad illa. *numer.* 115. *& ſequentibus.*
Potuit anima Chriſti de potentia abſoluta, omnia obiecta ſcientię infuſæ ſimul cognoſcere, nunquam tamen ſimul omnia conſiderauit. *Diſp.* 37. *nu.* 132. *& ſeq.*
Potuit anima Chriſti Domini, toto vitæ ſuæ tempore in actibus ſcientiæ infuſæ, ſine interruptione exercere, & omnia illius obiecta ſucceſſiuè cognoſcere; & licet incertum ſit, an ita de facto euenerit; eſt tamen veroſimilius. *Diſp.* 37. *nu.* 144.
Species infuſæ intellectui, & animæ Chriſti ſcientię infuſæ inſeruientes, ſunt minus vniuerſales, quam ſpecies naturales Angelorum, quod quomodo intelligendum ſit, explicatur. *Diſp.* 37. *n.* 154. *&* 155.
In anima Chriſti Domini fuit ſcientia per ſe acquiſibilis non in primo inſtanti incarnationis infuſa, ſed ſucceſſu temporis proprijs actibus comparata. *Diſp.* 37. *num.* 157.

Anti-Christvs.

Anti-Chriſtus eſt caput omnium malorum, non ſecundum anterioritatem, aut interiorem influxum, ſed ſecundum perfectionem, ſcilicet, propter ſuæ malitiæ perfectionem; nec ex hoc ſequitur, eſſe duo malorum capita; eſt enim Anti-Chriſtus caput Diabolo ſub ordinatum. *Diſp.* 29. *num* 126. *&* 127.
Anti-Chriſtum non ſolum malorum hominum, verum etiam Dæmonum caput eſſe, probabile eſt. *Diſp.* 29. *n.* 129.

Applicatio.

Applicatio paſſi ad agens eſt conditio indiſpenſabiliter requiſita, vt effectum agentis recipiat, ſicut, & vnio formæ ad ſubiectum; non enim poteſt effectum formæ niſi illi vniatur, recipere. *Diſp.* 21. *num.* 92.

Apprehensio.

Apprehenſio non eſt principium effectiuum, nec formale volitionis, ſed tantum conditio requiſita in obiecto voluntatis, & complementum, vt poſſit illa mouere, ſicut exiſtentia phyſica eſt in cauſa efficiente conditio, vt agat. *Diſp.* 32. *n.* 215. 217. *&* 218.

Auxilium, Auxilia.

Non repugnat intenſio infinita ſyncathegorematicè ſine termino, auxiliorum gratiæ per gradus diſſimiles, ad actum liberum ordinata, nec libertatem voluntatis tolleret, quæ vel libera habet potentiam reſiſtiuam ſyncathegorematicè infinitam. *Diſp.* 27. *n.* 71. *& ſeqq. maximè n.* 75. *&* 76.
Auxilia fluida potentias Chriſti operatiuas ad actus ſupernaturales eleuantia, gratia capitis non erant; vtpote priorem gratiam ſupponentia, gratiam ſcilicet habitualem, quæ eſt in ordine ſupernaturali natura: ſi autem verbum, humanitatem, ſine habituali gratia aſſumeret, vt potuit forent prędicta auxilia gratia capitis; cum gratiam habitualem non ſupponerent. Chriſtus tamen ratione illorum non eſſet caput Eccleſiæ ita perfectum; quia in illo forma permanens ad influendum non exiſteret. *Diſp.* 21. *à num.* 536 *vſque ad* 62.

Axioma.

Axioma illud *Verbum nunquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit*, explicatur. *Diſputat.* 18. *à num.* 247.
Axioma illud *Ad formam determinatam ſequuntur accidentia determinata*, ſolum tenet in viuentibus; imo in gratia, quæ vitalis eſt, non verificatur, cuius augmentum magis augmento non viuentium, quam viuentium, aſſimilatur. *Diſp.* 18. *à nu.* 101. *vſque ad* 106.
Axioma illud: *Operari ſequitur ad eſſe in actu*, intelligitur de *eſſe in actu* per formam identificatam ſubiecto, vel illud phyſicè informantem; non vero de *eſſe in actu* per formam tantum terminantem, vnde diuinitas conſtituit humanitatem ſanctam in actu, non tamen radicaliter operatiuam, adhuc moraliter. *Diſp.* 28. *num.* 83. *&* 84. Aliter explicatur *Diſp* 30. *num.* 108.
Axioma illud. *Cognoſcibilitas ſequitur entitatem*, explicatur, quod ſcilicet, ſequatur ad entitatem, non ſolum ſecundum intrinſeca entitatis, ſed etiam ſecundum extrinſeca; vnde plures entitates naturales, non poſſunt niſi ſupernaturaliter cognoſci. *Diſp.* 35 *à nu.* 36.

B

Baptismvs.

Baptiſmus eſt ianua ad Eccleſiam, neceſſaria ſecundum conditionem viſibilem, non vero ſecundum interiorem conditionem; vnde Cathecumeni ſunt Eccleſię membra ratione fidei formatæ, aut informis, licet de illis iudicare non poſſit ob defectum exterioris profeſſionis fidei, quæ in baptiſmo fit *Diſp.* 29. *n.* 27.
Character baptiſmalis ſine fide non conſtituit membrum Chriſti, & Eccleſiæ, adhuc imperfectum, & *ſecundum quid* ille tamen, qui characterem recepit, poteſt ab Eccleſia puniri. *Diſp.* 29. *n.* 63. *& ſeqq. maximè nu* 69. *&* 70.

Beata Virgo Maria.

In Beatiſſima Virgine per primam ſactificationem non fuit fomes totaliter extinctus, ſed tantum ligatus, poſt conceptionem autem Chriſti fuit penitus extinctus. *D.* 24. *nu.* 12 *& n.* 17. *& ſeq.*
Beatiſſima Virgo per meritum de congruo cooperata eſt ad effectus Sacramentorum in probabili multorum Theologorum ſententia. *Diſp.* 28. *num.* 110.
Beatiſſima Virgo, etſi omnes iuſtos in ſanctitate excedat, non eſt Eccleſiæ caput, quod influxum meritorium de condigno in membra requirit: eſt tamen Eccleſiæ collum, quia Chriſto capiti coniunctior. *Diſp* 20. *nu.* 127.

Beati.

Etſi Beati ex vi viſionis beatificæ impeccabiles conſtituantur, non ab illa ſanctificantur formaliter, & *poſitiuè*, ſed ad ſummum *negatiuè*. *Diſp.* 21. *à n.* 7.
De fide eſt, manere in Beatis, & in Chriſto timorem caſtū. *Diſp.* 25. *nu.* 16. 17. & 18.
In Beatis eſt actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, & ſeparationis à Deo, vt poſſibilis naturæ ſecundum ſe conſideratæ, etſi impoſſibilis ratione viſionis beatificæ. *Diſp.* 25. *à n.* 20.
In Beatis nolitio mali pœnæ ſecundum ſe poſſibilis, rationem timoris non obtinet, bene tamen fuga mali culpæ. *Diſp.* 25. *n.* 57.
Beati annuntiantes nobis ea, quæ procul ſunt à noſtra cognitione, non ſunt propriè prophetæ; non enim communicant nobiſcum in ſtatum viatorum, ad diffe-

rentiam Chriſti Domini, qui ſimul erat viator, & comprehenſor. *Diſp.*25.*num.*98.

Beati in diuina aſſentia cognita ex *vi* viſionis beatificæ cognoſcunt omnia ea, quæ ad ſuum ſtatum pertinent; omnia enim eorum rationabile deſiderium ſatiatur. *Diſpat.* 34.*n* 117.

Quandoque minus Beatus plura de exiſtentibus cognoſcit quam magis beatus videt, vtpote ſi plura ad illius, quam ad iſtius ſtatum pertineant; ex hoc tamen non infertur, Deum perfectius videre; ad hoc enim non requiritur maior diuinæ eſſentiæ penetratio, ſed tantum decreti liberi exiſtentiam rerum decernentis reuelatio. *Diſ* 34. *nu.*135.

Beatitvdo.

Beatitudo formalis eſt vltimus finis, & ſummum bonum non vt *quod*, & formaliter, ſed vt *quo*, & *aſſecutiuè*, id eſt, aſſecutio ſummi boni, & vltimi finis, exceditque ſubſtantiam beatificabilem, non exceſſu entitatiuo, ſed exceſſu in ordine, ad illamque ſubſtantia beatificabilis tanquam ad finem *quo*, & *aſſecutiuè* talem ordinatur: omnia enim iſta accidenti non repugnant. *Diſp.*31.*nu.* 23.*vſq.ad* 26.

Beatitudo increata habet proportionem cum ſanctitate increata, Deo per eſſentiam conueniente, non vero cum ſanctitate increata, vt naturæ creatæ vnita, & communicata. *Diſp.*31.*n.*32.*& ſeqq.*

C

Cadaver.

Cadauer Chriſti in triduo mortis manſit Verbo ſubſtantialiter vnitum. *Diſp.*18.*n* 60.*&* 64.

Cadauer Chriſti nullum ordinem ad animam rationalem dicebat: cum enim reunio animæ cum corpore ſupernaturalis ſit, non poteſt à corpore ſeparato ab anima, exigi. *Ibid.n.*69.

Compoſitum ex materia, & forma cadaueris corporis Chriſti in triduo, fuit vnitum ſubſtantialiter Verbo diuino in ſepulchro. *Diſp.*18.*n.*67.68 *&* 69.

Cadauer Chriſti fuit corpus eiuſdem rationis cum corporibus aliorum hominum poſt mortem, ſicut viuens erat eiuſdem ſpeciei cum illorum corporibus. *Ibid.*

Cadauer Chriſti in triduo manſit quidem Verbo hypoſtatice vnitum, ſed non per primum modum vnionis, quo à principio conceptionis Chriſti Verbo vniebatur, ſed per alium diſtinctum, qui loco primi ſucceſſit. *Diſp.*18. *n.*246.*& ſeqq.maximè n.*251.

Charitas.

Vide *actus charitatis*.

Charitas viæ, & charitas patriæ non diſtinguuntur eſſentialiter, ſed tantum accidentaliter. *Diſp.*23.*n.*61. *&* *Diſp.*32.*num.*219.

Charitas, & aliæ virtutes à gratia habituali dimanentes, ſunt vitales vt *quod Diſp.*23.*num.*64.

Charitas non ſolum viatoris, ſed etiam Chriſti comprehenſoris poteſt eſſe *intenſiuè* maior de potentia abſoluta: caret enim principio eius augmentum intenſiuum limitante. *Diſp.*27.*n.*10 *& n.*38.*& ſeqq.*

Præter charitatem non datur alius habitus virtutis inclinans in amorem donorum ſupernaturalium ratione propriæ bonitatis abſolutæ, ratione cuius ſunt amabilia: habitus enim non datur, niſi ad actus regulariter accidentes. *Diſp.*35.*n.*70.

Charitas eſſet ſanctitas formalis creata, ſi voluntas diuina prout à natura, & alijs attributis diſtingueretur, aſſet ratione ſui ſanctitas increata. *Diſp.*21.*n.*153.*& ſeqq.*

Habitus charitatis reſidens in voluntate, perfectior eſt, etiam *phyſicè*, habitu fidei in intellectu reſidente. *Diſp.* 37.*n.*110.

Magister Canvs.

Singularis ſententia Magiſtri Cani concedentis Chriſtũ Dominum mortis tempore delectatione beatifica caruiſſe; refertur, & ab omni cenſura, & temeritatis nota liberatur. *Diſput.*32.*num.*33.*vſque ad* 52.

Calor.

Calor, vt octo, ſi ſequitur ad formam ignis ſecundum vltimum gradum, & vt connaturaliter in materiam receptam, nequit ad formam ignis antecedenter diſponere. *Diſput.*30 *numer.*42.*&* 43.*& fuſius n.*57.*& ſeqq. maximè n.*65.*&* 66.

Capilli.

Capilli intrinſecè informantur ab anima rationali, quos tamen rationales, aut ſenſitiuos non conſtituit, ſed tantum vegetatiuos. *Diſp.*21.*n.*70.71.*&* 72.

Capvt.

Non eſt omnino certum debere reperiri formaliter in capite omnes perfectiones, quæ in membris formaliter inconueniuntur (idemque de Principe comparatiuè ad ſubditos dicendum, ſed ſufficit, illas, vel alias eminentiores illo inueniri. *Diſp.*22.*n.*18.

Caput cum membris non requirit proportionem quantitatiuam, ſed tantum eſſentialem, caput naturale omnium membrorum quantitatem adæquat. *Diſp.*29.*nu.*8. *&* 9.

Caput naturale non dicitur caput capillorum, vnguium, & dentium, quæ partes vita ſenſitiua, cuius caput eſt principium non viuunt, ſed tantum vita vegetatiua, vnde ſolum a corde, quod eſt primum principium virium vitalium, influxum, recipiunt. *Diſp.*29.*nu* 51.

Caput naturale reſpectu membrorum habet anterioritatem ordinis ſecundum ſitum, perfectionem, quatenus in illo vrgent omnes ſenſus, habet etiam virtutem, ſecundum quod motus cæterorum membrorum à capite eſt, propter vim ſenſitiuam, & motiuam in capite dominantem, quæ proprietates Chriſto applicantur, *Pag.*361.

Catecvmeni.

Cathecumeni non baptizati, ſi habeant fidem formatam, aut informem ſunt membra Chriſti, & Eccleſiæ ſecundum interiorem conditionem, vel formam Eccleſiæ, quæ eſt fides formata, aut informis: non vero ſecundum exteriorem, & viſibilem profeſſionem, quæ fit in baptiſmo: vnde de illis iudicare non poteſt. *Diſp.*29.*nu.* 37.

Cavsa.

Vide *effectiuè*.

Cauſa principalis phyſica debet in ſe habere formaliter, aut eminenter omnem perfectionem, quam in alijs cauſat: ſecus autem cauſa inſtrumentalis, ſiuè ſit inſtrumentum animatum, & liberum, ſiuè etiam ſit inſtrumentum, quod munus cauſæ principalis efficientis meritoriæ exerceat. *Diſputat.*32.*a numer.*4.*vſq. ad* 9.

Cauſa inſtrumentalis, ſeu inſtrumentum excellentiæ ex quadam condecentia petit in ſe habere formaliter, aut eminenter omnem perfectionem, quam effectui communicat. *Diſp.*32.*n.*10.11.& 12.

Cavsalitas Formæ.

Cauſalitas alicuius formæ, etſi aliquando poſſit præſtare ſubiecto, effectum genericè conuenientem cum effectu à forma præſtando, numquam tamen poteſt illi tribuere effectum completum, & perfectum, ſpecificèque conuenientem cum affectiua forma præſtitum.

Quod multi rationibus, & exemplis oſtenditur. *Diſp.* 21. *à n.* 77. *vſque ad* 88. *& num.* 99. *& ſeqq.*

Mutua cauſalitas in diuerſo genere cauſæ, poteſt inter duo intercedere, cum cauſæ non petunt eundem modum exiſtendi ad cauſandum: ſecus vero quando eundem modum exiſtendi poſtulant. *Diſp.* 30. *num.* 67. 70. *&* 71.

CHRISTVS.

Vide Anima Chriſti, & humanitas Chriſti.

QVæ virtutes, & dona fuerint in Chriſto Domino, & quę cum illius perfectione, & ſtatu repugnantiam habuerint, explicatur *à pag.* 125. *vſque ad* 132.

Chriſtus, vt homo, ſanctificatus fuit formaliter à diuinitate, quæ iuxta Patres eſt humanitatis vnctio. *Diſp.* 21. *à n.* 8.

Chriſtus, vt homo, factus fuit Sanctus ex non Sancto ſanctitate formali *phyſicè* illius animæ inhærente à gratia habituali illi pręſtita, quam prioritate naturæ non precedit: non vero fuit factus Sanctus ex non Sancto per negationem omnis ſanctitatis pręcedentis gratiam habitualem pro priori naturæ; præintelligitur, enim pro illo ſigno ſanctitas ſubſtantialis à gratia vnionis proueniens. *Diſp.* 21. *n.* 16.

Vel factus fuit ſanctus ex non ſancto *negatiuè*, per negationem ſanctitatis humanæ, quæ in inſtanti præcedenti formationem humanitatis non erat, ſed ſolum ſanctitas increata, & diuina, Verbo per eſſentiam conueniens. *Ibid.*

Chriſtus ſanctificatus fuit ſanctificatione adultorum ſe ad iuſtitiam per proprios actus diſponendo: non tamen meruit de condigno gratiam habitualem, licet pręcedenter ad illam infinitę ſanctus per gratiam vnionis ſupponatur. *Diſp.* 21 *n.* 34. 35. *&* 36.

Chriſtus, in quantum homo, nullo modo eſt, aut dici poteſt Filius Spiritus Sancti, vel totius Trinitatis, nec ratione creationis, nec ratione iuſtificationis. *Diſp.* 21. *n.* 49. *& ſeqq.*

Filiatio Chriſto, vt homini, per gratiam vnionis conueniens diſtincta non eſt a filiatione illi, vt Deo per ęternam generationem conueniente, ſed omnino eadem, & ſupra idem fundamentum fundata. *Diſput.* 21. *num.* 65.

Chriſtus, vt homo, non eſſet Filius naturalis Dei, ſi per impoſſibile communicaretur eius humanitati perſonalitas Verbi, & non natura diuina, ſed tantum vniretur illi diuina filiatio *materialiter*, & *ſpecificatiuè*, non *reduplicatiuè*, nec ſub filiationis exercitio. *Diſp.* 23. *num.* 193.

In hypoteſi; quod humanitati Chriſti vniretur, perſonalitas Verbi à natura diuina, omnique formalitate abſoluta ſeparata, operationes Chriſti, nec Dei vtiles nec infinitæ meritoriæ, imo nec infinitè ęſtimabiles forent, nec offenſa in illum commiſſa eſſet infinitæ grauitatis, ſuppoſito, quod relationes diuinæ perfectionem relatiuam ad efficatiam non addant. *Diſput.* 21. *n.* 101. *&* 102.

Etſi in Chriſto fuerit gratia habitualis, illum tamen non conſtituit Filium Dei adoptiuum. *Diſp.* 22. *à n.* 36. *vſque ad* 51. nec ſpiritualiter genitum. *Ibidem numer.* 43. *& ſeqq*

In Chriſto fuit gratia habitualis à primo conceptionis inſtanti, & in omni intenſione de lege ordinaria poſſibili. *Diſput* 21. *n.* 89 90. *&* 91.

Chriſtus, nec de potentia abſoluta potuit pręmium ſupernaturale mereri ſine gratia ſupernaturali auxiliante. *Diſp.* 23. *n.* 89.

Etſi in Chriſto fomes peccati non fuerit, indiguit tamen virtutibus per ſe acquiſitis, vt actus naturales honeſtos promptè, & faciliter eliceret. *Diſp.* 24. *n.* 21. *& ſeqq. maximè num* 18.

In Chriſto Domino fuerunt magnificentia, liberalitas, iuſtitia vindicatiua, eutropelia, & philotimia. *Diſp.* 24. *nn.* 80. 81. 82. & 83. vbi iſtarum virtutum proprij actus, & materia explicantur.

Non fuit in illo pænitentia, nec fides diuina, aut humana, nec ſpes, niſi quoad actum ſperandi gloriam, corporis ſuique nominis exaltationem. *Diſp.* 24. *num.* 84. *& ſeqq.*

Actus ille, quo Chriſtus gloriam corporis ſperauit, non fuit actus verus, & proprius ſpej virtutis Theologicæ à ſimplici deſiderio diſtinctus, nec eiuſdem rationis cum actu, quo viatores gloriam corporis expectamus. *Diſp.* 24. *n.* 88. *& ſeqq*

In Chriſto, & in beatis actus ſeparandi gloriam corporis procedit ab habitu eliciente fruitionem, qui eſt habitus charitatis, ratione cuius Deum, vt abſentem deſideramus, & de illo, vt poſſeſſo delemur. *Diſp.* 24. *à n.* 92. *vſq. ad* 97.

In Chriſto non fuit virtus piæ affectionis ad credendum, licet in viatoribus admittatur ſed ratione viſionis beatificæ repugnabat illi conditionata non ſufficit. *Diſp.* 24. *n.* 98.

In Chriſto fuerunt omnia Spiritus Sancti dona: conſequuntur enim ad gratiam, & charitatem, quę perfectiſſimè in illo extiterunt. *Diſp.* 25. *num.* 1.

In Chriſto fuit donum timoris quoad habitum, & quoad aliquem actum, qui eſt verus, & proprius timor. *Diſp.* 24. *à n.* 6. *& n.* 13. *& ſeqq.*

De fide eſt, fuiſſe in Chriſto timorem, quoad aliquem actum, qui verus, & proprius timor eſt. Quod autem fuerit habitus, prout alijs qualitatis ſpeciebus diſtinguitur, non eſt de fide, nec Theologica concluſio; eſt tamen ita certum, vt oppoſitum ſit temerarium. *Ibid nn.* 9. 16. 17 *&* 18.

In Chriſto Dominio fuit potentia generatiua, quę tamen nõ decuit ad actum reduci propter incompatibilitatem cum virginitate, quæ altior finis eſt. *Diſput.* 25. *num.* 13.

In Chriſto fuit actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, ſeparationis à Deo, vt poſſibilis naturæ ſecundum ſe conſideratæ, etſi impoſſibilis ratione beatitudinis, & vnionis hypoſtaticę. *Diſput.* 25. *num* 20.

Si impoſſibilis eſſet Chriſto actus timoris erga malum ſibi poſſibile, non poſſet per donum timoris aliorum malum timere. *Diſp.* 15. *à nn.* 39 *vſq ad* 45.

In Chriſto extiterunt omnes gratiæ gratis datæ; important enim perfectionem, cum viſione beatifica, & vnione hypoſtatica non repugnantem. *Diſput.* 25. *numer.* 95. *& ſeqq.*

Chriſtus, in quantum Deus, Propheta non eſt, benè tamen, in quantum homo, & in ſtatu viatoris exiſtens; modo autem nec reſpectu beatorum, nec reſpectu noſtri Propheta dici poteſt. *Diſput.* 25. *num.* 99. *&* 100.

Chriſtus, ſecundum humanitatem, eſt Caput Eccleſiæ ad ſimilitudinem capitis naturalis, cuius proprietates Chriſto applicantur, & reſpectu quorum caput ſit explicatur. *Pag.* 631. 632. *&* 633.

Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, non ſolum vt Deus, ſed etiam ſecundum humanitatem, ly *ſecundum*, non *reduplicatiuè*, ſed tantum *ſpecificatiuè* ſumptum. *Diſp.* 28. *nn.* 1. *& ſeqq.*

Eſt etiam caput Eccleſiæ ſecundum corpus, licet minus principaliter. *Ibid. n.* 23. *& ſeqq.*

Chriſtus, vt homo, eſt membrum Eccleſię, vt habentis caput Deum, non tamen eſt membrum Eccleſiæ, vt habentis caput Chriſtum, vt hominem. *Diſp.* 28. *num.* 9. *& ſeqq.*

Chriſtus non *propriè*, ſed tantum *analogicè* eſt, & dicitur Caput Eccleſiæ, ſiuè ly *Caput Eccleſiæ* ſumatur in vi vnius dictionis, ſiuè in vi plurium accipiatur. *Diſp.* 28. *à n.* 15. *vſq. ad* 12.

Chriſtus ſecundum humanitatem, non dicitur cor Eccleſiæ ſed Spiritus Sanctus, à quo Chriſti humanitas omnem, quam habet, accipit perfectionem. *Diſput.* 28. *nn.* 32. 33. *&* 34.

Chriſtus in triduo mortis fuit caput Eccleſiæ ſecundum idem, ſecundum quod eſt modo, & in ſtatu viæ fuit Eccleſiæ caput, loquendo de ratione formali, per quam in ratione capitis conſtituitur; non tamen eſt idem adæquatæ ſubſtractum *quo*, nimirum humanitas, quæ tunc non manſit, ſed anima fuit ſubſtractum *quo* Chriſtus caput Eccleſiæ erat. *Diſp.* 28 *nn.* 29. & 30.

Chriſtus, vt homo, eſt caput Patrum veteris teſtamenti, qui tempore ipſum præceſſerunt per influxum meritorium, & moralem, qui ad rationem capitis analogici ſufficit. *Diſp.* 28. *n* 68.

Dignitas capitis Eccleſiæ per influxum vniuerſalem meritorium, & ſatisfactorium de cõdigno, ita eſt Chriſto propria, quod de potentia abſoluta purę creaturę non

poſſit competere: dignitas vero capitis per meritum de congruo vniuerſale, & particulare condignum, puræ creaturæ non repugnat. *Diſp.28.n.107.& ſeq.*

Christus, non ſolum vt viator, verum etiam vt comprehenſor, eſt caput beatorum, propter influxum finalem, exemplarem, vel effectiuum inſtrumentalem. *Diſp.29. nu.7.& ſeq.*

Vel dici poteſt, Christum, ſolum, vt viatorem, eſſe hominum beatorum caput, in quo nullum inconueniens reperitur. *Ibid.*

Christus eſt caput hominum actu in gratia exiſtentium, quamuis illam ſint amiſſuri, ſiuè prædeſtinati ſint, ſiuè reprobi, & oppoſitum eſt hæreditatem. *Diſp.29.num.9. & 10.*

Christus, in quantum homo, eſt caput actu fidelium, etiam in peccato mortali exiſtentium, non perfectè, & ſimpliciter, ſed imperfectè, & ſecundum quid. *Diſput.29.à num.12.*

Christus non eſt caput actu infidelium, ſiuè baptizati ſint ſiuè non, ſiuè occulti ſint, ſiuè publici. *Diſp.29. num.55. & ſeqq.*

Christus, in quantum Deus, eſt caput Ethereogeneum Angelorum, reſpectu quorum prioritatem, influxum, & eminentiam, infinitam habet *Diſp.29.n.89 & 90.*

Christus, in quantum homo, eſt caput Angelorum ſecundum dignitatem, & influxum imperij, exterioriſque gubernationis, & vt ſupremus Eccleſiæ Gubernator illos in miniſterium mittit. *Diſp.29.nu.91.*

Christus, in quantum homo, eſt caput Angelorum, ea ratione, qua caput Eccleſiæ dicitur, licèt non ita perfectè, ſicut eſt hominum caput, cum quibus omnimodam habet in natura conuenientiam. *Diſput. 29. num 96. & ſeqq.*

Christus, in quantum homo, meruit Angelis gratiam, & fidem in via, & gloriam patriæ eſſentialem, ſed quia culpa in illis non fuit, *Diſp 29.nu.117.& ſeqq.*

Christus, in quantum homo, fuit caput primorum parentum, etiam pro ſtatu innocentiæ, & vt præuiſus meruit gratiam illius ſtatus, ex quo, & ex ſtatu naturæ lapſæ vna conflatur Eccleſia. *Diſp.29.n.124.*

Chriſti intellectus de facto fuit ſapiens per ſapientiam creatam, eſſetque ſapiens per illam, quamuis per intellectionem diuinam intellexiſſet. *Diſput.31. nu.172. & ſeqq.*

Omnis potentia naturalis Chriſti, cuius exercitium muneri Redemptoris, aut fini redemptionis non dedecet, fuit ad actum reducta. *Diſp.31.nu.194.*

In Chriſto, præter ſcientiam beatam, fuit ſcientia ſupernaturalis per ſe infuſa, vt omnis eius potentialitas, tam naturalis, quam obedientialis in ordine ad perfectionem terminum habentem, expleretur. *Diſput.32.num 91.92. 93.& 94.*

Fuit etiam in Chriſto ſcientia naturalis per ſe infuſa quoad ſpecies, non vero quoad habitum. *Diſputat.32.à num 96.*

Chriſto fuit debita ſcientia, iuxta modum cognitionis Angelicæ, ſine diſcurſu, & ſine dependentia à phantaſmatibus, cum quo compatitur potuiſſe intelligere connaturaliter, conuertendo ſe ad phantaſmata. *Diſp.32. à nu.134. vſque ad 143.*

Debitum intelligendi ſine conuerſione ad phantaſmata per ſpecies naturales à Deo infuſas, fuit Chriſto naturale, licet deberentur ratione formæ ſupernaturalis, vt conditionis præſuppoſitæ. *Diſp.32 n.144.*

Chriſtus non recepit aliquam intellectualem perfectionem ab Angelis, nec per modum efficientiæ, nec per modum inſtructionis, & doctrinæ, ſed tantum obiectiuè, ſicut ab alijs rebus corporalibus, ſed immediatè recepit à Deo ſpecies naturales per ſe infuſas, quæ naturales fuerunt quoad ſubſtantiam, & ſupernaturales quoad modum. *Diſp.31.à n.148. vſque ad 160.*

CIRCVNSTANTIA.

VT circumſtantia tribuat actui bonitatem, aut malitiam, debet eſſe cognita, & volita ab operante. *Diſp. 23.num 94.*

COGNITIO.

POteſt intellectus ſimul intelligere duplici, aut pluribus cognitionibus ſubordinatis; ſicut per diſtinctos actus ſimul intelligit præmiſſas, & concluſionem, & in intellectu Angelico ſimul reperiuntur cognitio matutina, & veſpertina, naturalis ſui, & ſupernaturalis Dei, & in Chriſto Domino ſimul datur cognitio beata, infuſa, & naturalis. *Diſp.31.num.203.*

Cognitio animæ ſeparatæ habita per ſpecies à Deo infuſas, eſt imperfectior cognitione habita per ſpecies à phantaſmatibus abſtractas; non tamen eſt cognitio dubia, aut errori expoſita *Diſp.31.à n.129. vſque ad 132.*

Talis cognitio licet comparatiuè ad animam ſecundum ſe ſumptam, præternaturalis ſit illi tamen pro aliquo ſtatu debita eſt, & connaturalis, maxime in Chriſto, *Ibidem.*

Cognitio habita media ſpecie à phantaſmatibus abſtracta & cognitio elicita media ſpecie à phantaſmatibus non dependente, ſpecificè eſſentialiter diſtinguuntur. *Diſp. 32.à num.216 vſque ad 229.*

Cognitio terminata ad obiecta infinita in cauſa finita cognita, non euadit neceſſario infinita. *Diſp 34.nu.171. & ſequentibus, maximè num.179. & Diſp.35. num.13. & 14.*

Cognitio quidditatiua, & cognitio *quoad an eſt*, reſpectu eiuſdem obiecti diſtinguuntur eſſentialiter, non vero reſpectu diuerſorum, & ſubordinatorum. *Diſp.34.num. 196.& Diſp.36.n.94.*

Inter cognitionem, & obiectum adæquatum debet realis diſtinctio intercedere; inter cognitionem vero, & partem obiecti adæquati, talis diſtinctio non petitur. Quod duplici exemplo oſtenditur, *Diſput.35.numer. 243.*

COMPOSITVM.

COmpoſito ex duplici natura, & vna perſona conſtanti, non debetur aliqua vna proprietas, ſed ſolum illi conueniunt vtriuſque naturæ proprietates, vt contingit in Chriſto, *Diſp.30.num.137.*

COMPREHENSIO.

VAriæ comprehenſionis acceptiones explicantur. *Diſ. 33.n.1.2.& 3.*

Ad comprehenſionem creaturæ non requiritur perfectiſſima cognitio, quæ poteſt ad creaturam terminari; nec quod cognitio, adæquet in perfectione entitatiua obiectum cognitum. non enim poſſet vna creatura rationalis ab altera naturaliter comprehendi, nec Angelus inferior à ſuperiori. *Diſp.33 num.7.& ſeqq.*

Variæ rationes, quibus Theologi probare contendunt, Deum à creatura comprehendi non poſſe, referunt, & examinantur. *Diſp.33.à num.6. vſq.ad 37.*

Ad rei comprehenſionem requiritur, quod cognoſcatur, ita perfectè, ſicut cognoſcibilis eſt, non ſolum ex parte obiecti, verum etiam ex parte modi cognoſcendi, taliter, quod ſi obiectum ſit infinitè cognoſcibile, modo infinito cognoſcatur, quod fusè explicatur. *Diſp.33. nu.38. & ſeq.& n.71.& ſeqq.*

Ad comprehenſionem cauſæ non ſufficit cognitio omnium effectuum illius ſub ratione ſpecificante, & communi, ſed neceſſario requiritur cognitio omnium effectuum in particulari. *Diſp 34.n. 207.& ſeqq.*

CONCILIA.

ETſi rationes, quibus Concilia ad aliquam veritatem diffiniendam mouentur, de fide non ſint; ſunt tamen ingentis auctoritatis. *Diſp.19. n.51.*

Cum à Concilijs aliquid quod directè diffinitur, rectè explicatur, non eſt inconueniens metaphorica loquutione vti. *Diſp.20.n.47.*

Coniugatus.

Coniugatus ſtatum coniugij inuincibiliter ignorans, ſi alienæ fœminæ carnaliter coniungatur, adulterij crimen non committit, nec talis circunſtantia eſt cognita, & voſtra. *Diſp* 23. *num.* 63.

Continentia Eminentialis.

Varii modi continentiæ eminentialis aſſignantur, & quid vnuſquiſque requirat, multis exemplis explicatur. *Diſp.* 22. *n.* 32. 33. *&* 34.

Continentia Virtus.

Continentia eſt virtus in ſtatu imperfecto, & inchoato, quæ imperfectio non conſiſtit in intenſionis defectu, ſed in exuberantia paſſionum rationem ſuperiorem perturbantium, quas temperantia non patitur. *Diſp.* 24. *n.* 38. *&* 39.

Contritio.

Contritio, etſi moraliter exigat gratiam habitualem, donaque ſupernaturalia, non eſt forma ſanctificans, adhuc admiſſo gratiam habitualem ratione ſolius exigentiæ moralis ſupernaturalium donorum ſanctificare formaliter iſta enim exigentia eſt perfecta, illa vero eſt tantum diſpoſitiua, & ad gratiam, vt ad finem ordinata. *Diſp.* 21. *num.* 139. *&* 241

Si contritio ſupponeret gratiam ſub conceptu ſanctificantis, vel vt connaturaliter in anima receptam, & ab illa, vt ſic, procederet, non poſſet gratiam præcedere, vt diſpoſitio phyſica, aut moralis. *Diſp* 30. *num.* 42. *&* 43. *&* *inſuſius à nu.* 57.

Cor.

Cor eſt primum principium virium vitalium: caput vero eſt principium virium animalium, quæ ad ſenſum, & motum pertinent. *Diſp.* 29. *num.* 51.

Cor Eccleſiæ non eſt Chriſtus, vt homo, ſed Spiritus Sanctus, cuius influxus latens eſt, & occultus. *Diſp.* 28. *nu.* 32. 33. *&* 34.

Corpus Cæleste.

Corpus cæleſte potuit à Diuino Verbo aſſumi in vnitatem ſuppoſiti, illique hypoſtaticè vniri. *Diſp.* 18. *n.* 55. *&* 56.

Motus cæleſtis corporis dicitur naturalis, non ratione principii actiui, ſed ratione principii paſſiui, propter aptitudinem naturalem cæli ad talem motũ. *D.* 30. *n.* 149.

Corpus Christi.

Vide *Cadauer*.

Corpus Chriſti non vnitur cum quantitate, vt ſubiectum, etiam ſolius ſuſtentationis, ſed tantum inſtrumentaliter effectiuè ſuſtentant quantitatem, & ſupplet ſubſtantiæ panis ſuſtentationem. *Diſp.* 18. *num.* 172.

Corpus Chriſti mortuum eſt diuerſæ ſpeciei à corpore Chriſti viuo, manſitque in triduo diuinæ ſubſiſtentiæ vnitum mediante forma cadaueris. *Diſp.* 18. *n.* 232.

Creatura.

Licet implicet creatura rationalis ab intrinſeco impeccabilis; peccabilitas tamen ſeu potentia peccandi non conuenit illi *formaliter* ex conceptu entis ex nihilo, ſed tantum *arguitiuè*: omne enim ens creatum ex nihilo eſt, & non omne poteſt in peccatum incidere. *Diſp.* 21. *n.* 190.

D

Damnati.

Damnati, nec actu potentia, ſunt membra Chriſti, nec habent, nec habere poſſunt fidem, quæ eſt virtus tantum ad ſtatum viæ pertinens. *Diſput.* 29. *numer.* 2. 3. & 4.

Decretum.

Vide *Voluntas Dei*.

Decretum efficax Dei de nunquam concurrendo cum voluntate creata ad materiale peccati, aut de nunquam illud permittendo, etſi non habet repugnantiam cum peccato actuali habet, non tamen cum peccato habituali; vnde non eſt formalis ſanctitas, adhuc negatiua. *Diſp.* 21. *n.* 195. & 196.

Deitas, vel Divinitas.

Deitas humanitatem aſſumptam ſanctificat, & licet inhæreat ei intrinſecè, illi tamen intrinſecè, vnione ſaltim mediata vnitur. *Diſp* 21. *n.* 208.

Deitas, vt terminata, & modificata per ſubſiſtentiam Verbi, & non prout toti Trinitati communis, ſanctificat humanitatem Chriſti. *Diſp.* 21. *n.* 212.

Deitas immediatè ſanctificat Chriſti humanitatem; licet enim mediet perſonalitas Verbi, & vnio humanitatis cum illo, neutra tamen eſt forma ſanctificatiua, nec vim ſanctificandi Deitati tribuit. *Diſp.* 21. *n.* 215.

Nulla diuina formalitas poteſt produci ſub conceptu terminationis, non producta ſub ratione entitatis, poſſunt tamen diuinæ formalitates deficere, & de nouo incipere, quoad denominationem, & terminationem, & non quoad entitatem. *Diſput.* 31. *à num.* 124. *vſque ad* 131.

Deitas in ratione ſanctitatis ad extra, fuit exhauſta ab humanitate Chriſti *intenſiuè*, nec poteſt alteri naturæ perfectiorem ſanctitatem conferre; non vero fuit exhauſta *extenſiuè*, ſed poteſt alias naturas creatas ſanctificare. *Diſput.* 33. *num.* 64.

Deus.

Licet *Deus* poſſit pro perſonis ſupponere, non tamen pro illis ſolis ſupponit, ſed pro natura indiuidua ſuppoſitione reali immediata: *Angelus* vero, vel *Homo*, vt perſonaliter ſupponentes, ſolum poſſunt pro perſona humana, vel Angelica accipi. *Diſp.* 18. *n.* 33. *&* 34.

Deus non poteſt cauſalitatem ſubiecti reſpectu accidentis ſupplere, niſi in genere cauſæ efficientis. *Diſp.* 18 *nu.* 154.

Deus non poteſt ſuſtentare accidens, vt ſubiectum, quin illud recipiat. Nec poteſt dari ſubiectum ſuſtentans *ſubiectiuè* formam, ſine illius receptione. *Ibid. & à nu.* 162. *vſque ad* 173.

Deus poteſt immediatè animæ rationali vniri, nec diceretur *anima* propter defectum identitatis, nec *animatus* propter defectum informationis, ſed diceretur *ſubſiſtens in anima rationali, & habens in ſe illum. Diſp.* 18. *num.* 269. *&* 161. *& iterum n.* 195.

Vel diceretur *animatus concretiuè*, non concretione ſubiectiua, ſed ſuppoſitali, vt in triduo mortis Chriſti accidit. *Ibid.*

Deus poteſt ſupplere omnem cauſam extrinſecam in eodem genere cauſæ, vel in diuerſo, ſicut dependentiam accidentis à ſubiecto, & cauſalitatem diſpoſitiuam ſupplet in genere cauſæ efficientis. *Ibid.*

Deus reſpectu intellectus beati non ſupplet vicem ſpeciei intelligibilis: non enim eſt poſſibilis talis ſpecies, quam ſuppleat, ſed gerit munus ſpeciei intelligibilis: ad differentiam formæ phyſicæ, cuius munus exercere non poteſt, nec ſupplere. *Diſp.* 18. *n.* 242. *& Diſp* 31. *nu.* 53.

Deus vnitur intellectibus beatorum, vt ſpecies, non in eſſe

naturali, ſed in eſſe intelligibili; in ſpecie enim impreſſa hoc duplex eſſe, diſtinguitur virtualiter: ad differentiam intellectionis. *Diſp. 31. num. 50. & 54.*

Deus ratione cuiuſuis attributi adorabilis eſt, ſed ſolum ratione naturæ eſt ſanctus. *Diſp. 21. num. 103.*

Deus eſt Caput Eccleſiæ adæquatè ethereogeneum, ſ tamen in natura, quam forma, per quam influit diuerſæ rationis ſunt a forma, & natura membrorum, *Diſp. 28. nu. 105.*

De fide eſt, Deum eſſe incomprehenſibilem ab intellectu creato comprehenſione, quæ ſtricte ſit comprehenſio. *Diſp. 33 à num. 84.*

Deus eſt propriè cauſa creaturarum, & ſolum metaphoricè eſt illarum ſpeculum. *Diſp. 34. num. 21.*

Deus, vt Trinus, poteſt euidenter *quoad an eſt*, cognoſci in effectibus ſupernaturalibus, non vt ſunt à Deo *effectiuè*, ſed prout ad ipſum *obiectiuè* aliqui terminantur; ſicque de facto fuit à Christo per ſcientiam infuſam cognitus. *Diſp. 36. à num 71.*

Diabolus.

Diabolus eſt aliquomodo omnium malorum caput, non ſecundum interiorem influxum, ſed ſecundum exteriorem gubernationem. *Pag. 364. & Diſput. 29. numer. 125.*

Differentia.

Vltima differentia poteſt ex conceptibus inadæquatis differentialibus conſtari. *Diſp. 25. à nu. 76. vſque ad 88.*

Differentia ſumpta ex cauſa efficiente inſpecta *per accidens* eſſentialis eſſe non poteſt; ſumpta vero ex cauſa efficiente inſpecta *per ſe*, eſſentialem differentiam inducit. *Diſ. 32. num. 193 & ſeq.*

Diffinitio.

Diffinitio *quid nominis* explicat adæquatum nominis ſignificatum, materiale, ſcilicet, & formale: diffinitio vero *quid rei* ſolum explicat ſignificatum formale nominis, & pro ſignificato materiali ſupponit quãdo nomen eſt concretum, quando namq; res diffinitur in abſtracto, ſupponit diffinitio pro eadem natura diffinita, & explicata. *Diſp 20 num. 64.*

Diſcurrere. Diſcurſus.

Intelligere ſine diſcurſu *adæquatè*, & in ſtatu, magis connaturali, eſt diſtinctiuum inter Angelum, & hominem; & non autem intelligere ſine diſcurſu *inadæquatè*, & in ſtatu minus connaturali; homo enim ſine diſcurſu intelligit prima principia, & anima ſeparata in ſtatu ſeparationis ſine diſcurſu cognoſcit. *Diſp. 32. num. 236. & Diſp. 37. n. 105.*

Diſpoſitio, Diſpoſitiones.

Licet diſpoſitio antecedens præcedat formam, ad quam diſponit prioritate naturæ: diſpoſitio tamen tantum concomitans, & exornans, prioritatem iſtam non petit. *Diſp. 21. num. 35.*

Diſpoſitiones accidentales non poſſunt diſponere materiã ad gradum formæ, ad quem conſequuntur, ſed ad alium quem præcedunt; reſpectu enim vnius, & eiuſdem gradus mutua præcedentia eſt omnino impoſſibilis. *Diſp. 39 à num. 39 & num. 58. & ſeq.*

Diſpoſitio eſt duplex: vna antecedens, & hæc ordinatur ad vniendam formam cum materia: alia conſequens formam, & hæc ordinatur non ad conſequendam formam, ſed ad iam conſequutam perficiendam: ſicut etiam datur duplex medium duplici fini, conſequendo nimirum, & perficiendo correſpondens. *Diſp. 30. nu. 50.*

Duratio.

Duratio, vel æternitas Dei ſi ab exiſtentia diuina non diſtinguitur, conſtituit humanitatem durantem, ſicuti, & exiſtentem. *Diſp 21. nu. 227.*

Eccleſia.

Eccleſia, non ſolum ex hominibus viatoribus, ſed etiam ex Angelis beatis, & hominibus conflatur: vnde exiſtente Adamo ante Euæ formationem erat Eccleſia, & Adamus erat membrum illius, & Chriſti. *Diſ 29. n. 24.*

Forma Eccleſiæ ſecundum interiorem conditionem eſt fides formata, vel informis. forma autem illius ſecundum conditionem viſibilem eſt fides exterius in baptiſmo profeſſa; vnde de fidelibus non baptizatis iudicare non poteſt. *Diſp. 29. num. 27.*

In Eccleſia eſt duplex vnitas: vna per fidem, & huic vnitati opponitur ſchiſma per hæreſim: alia eſt per charitatem, cui opponitur ſchiſma, quod ab ſciſſura animarum dictum eſt, & cum fide exiſtere poteſt. *Diſp. 29. num. 29.*

Eccleſia dicitur *Sancta*, quia omnia ipſam conſtituentia, ſancta ſunt, & quia Deo eſt ſacrata, & propter ſanctos, ex quibus principaliter componitur. *Diſp. 29 n 36.*

Eccleſia dicitur *nigra* propter perſequutiones quas à filijs tenebrarum patitur: vel *nigra* ſecundum opinionem malè videntium: *formoſa* autem dicitur ſecundum veritatem; nunquam tamen debet dici *ſcelerata*, aut *Satanæ ſynagoga*, propter multos ſceleratos peccatores, ex quibus tanquam ex partibus, non per ſe intentis, ſed permiſſis componitur. *Diſp 29. num. 37. & 38.*

Eccleſia appellatur *tota pulchra*, non pro ſtatu vitæ præſentis, ſed pro ſtatu beatitudinis. Vel quia tota pulchra redditur ex vi baptiſmi omne peccatum, omnemque peccati pœnam remittentis, & propter alias cauſas. *Diſ. 29. num. 40. 41. & 42.*

Ex Angelis, & hominibus vna Eccleſia, vnum que myſticum corpus conſtituitur; forma enim conſtitutiua Eccleſiæ, ſcilicet, lumen in patria, & fides in via vna eſt in illis, licet in ordine ad actus naturales *ſpecificè* differant. *Diſp. 29. num. 164. & ſeq.*

Effectus.

Effectus ſecundarius, ſi in negatione, ſine qua effectus primarius formæ ſubſiſtere nequit, conſiſtat, eſt à forma inſeparabilis; varia huius exempla adducuntur. *Diſ. 19. num. 20. & ſeq.*

Effectus ſecundarius alicuius formæ poteſt alicui ſubiecto communicari, non communicato primario; imo cum repugnantia primarij; & licet multoties duo conceptus, vel effectus vnius formæ habeant eſſentialem connexionem in eſſendo; in ſui tamen communicatione ad ſubiectum eſſentialem connexionem non habent, propter diuerſas conditiones, & capacitates, quas petunt. *D. 21. num. 265. & 266.* vbi varijs exemplis comprobatur doctrina.

Perfectio, quæ communicatur effectui præexiſtit formaliter in cauſa efficienti, ſi imperfectionem repugnantem cauſæ non dicat. *Diſp. 21. num. 23.*

In effectu perfectè cognito poteſt cauſa (etiam ſine diſcurſu) cognoſci *quoad an eſt*: vnde in effectibus naturalibus cognoſcitur Deus, vt naturalis Auctor, & in ſupernaturalibus effectibus, vt ſupernaturalis Auctor inſpicitur. *D. 36. num. 30 & ſeq.*

Ens. Entia.

Ens in tota ſua latitudine non eſt obiectum ſpecificatiuum intellectus creati, ſed ens, vt finito modo cognoſcibile; vnde quia Deus, vt comprehenſibilis, petit infinito modo cognoſci, non continetur ſub obiecto ſpecificatiuo intellectus creati *Diſp. 33. nu 70.*

Idemque de tota poſſibilium collectione dicendum. *D. 34. num. 97. & ſeq.*

Entia naturalia ſunt cognoſcibilia in ſe ipſis ſupernaturali cognitione: ſicut ens materiale poteſt ſpiritualiter attingi. *Diſp. 35. num. 6. & 7. & nu. 23. & ſeq.*

Eſſentia.

Eſſentia in ordine ad exiſtentiam, & natura in ordine ad ſubſiſtentiam ſecundum ſuos formales conceptus, non ſunt in potentia informabiles, ſed tantum terminabiles ab illis. *Diſp 18 num. 183.*

Essentia Divina.

Eſsentia diuina vniri poteſt mentibus beatorum, vt ſpecies, non autem poteſt humanitati vniri per modum principij *quo* eleuantis intellectum, aut voluntatem; ad hoc enim requiritur phyſica informatio, quæ illi repugnat. *Diſp.* 30. *paſſim, & maximè num.* 140.

Eſsentia diuina eſt medium *in quo*, & ex vi cuius per modum obiecti cogniti poſſunt creaturæ cognoſci: ad hoc enim non eſt neceſsaria dependentia, & ſed connexio cũ creaturis ſufficit *Diſp.* 33. *num.* 18.

Eſſentia diuina non fuit communicata ad humanitatem, nec quoad eſſe, nec quoad virtutem operatiuam, nec quoad vim perſonatiuam. *Diſp.* 33. *à n.* 57. *vſque ad* 68.

Eucharistia.

Prima gratia, quæ in aliquo caſu per accidens à Sacramento Euchariſtiæ cauſatur, conſtituit ſubiectum, cui confertur ſpiritualiter genitum, & Filium adoptiuum Dei. *Diſp.* 22. *num.* 49. 50. & 51.

Excommunicati.

Excommunicati fideles, ſunt membra Chriſti, & aliquando viua, ſi poſt excommunicationem contractam charitatem habeant. Vbi explicatur, an ad Eccleſiam ſecundum viſibilem conditionem pertineant. *Diſp.* 29. *n.* 18.

Existentia.

Exiſtentia non præſupponit eſſentialiter ſubſiſtentiam, ſed tantum connaturaliter. *Diſp.* 18. *num.* 178

De conceptu exiſtentiæ non eſt actuare informando. *Diſp.* 18. *num.* 179.

Exiſtentia eſt actus complens, & vltimo terminans in linea entis *participaliter* ſumpti, ſicut ſubſiſtentia eſt actus non informans, ſed terminans in linea entis *prædicamentaliter* accepti. *Ibidem.*

Inter exiſtere per ſe *poſitiuè*, & exiſtere in alio, datur medium, nimirum exiſtere per ſe *negatiuè*, ſicut in quantitate Euchariſtiæ contingit, quæ nulli ſubiecto inhæret. *Diſp.* 18. *n.* 187.

Exiſtentia eſt actus proprius ſuppoſiti, vnde ſi ſuppoſitum ſit vnum, etiam ſi naturæ ſint plures, eſt vnum exiſtens, vt conſtat in Chriſto *Diſp.* 18. *num.* 228.

Existentia Divina.

Exiſtentia diuina, licet ſit actus ſubſtantialis formaliter, eſt tamen accidentalis eminenter, hoc eſt, eminenter continens exiſtentiam accidentalis naturæ. ad differentiam diuinæ ſubſiſtentiæ, quæ formaliter, & eminenter ſubſtantialis eſt. *Diſp.* 18. *n.* 181. *& n.* 185. *& ſeqq.*

Exiſtentia diuina actuare poteſt naturam creatam, non per informationem, ſed per intrinſecam terminationem: ad differentiam eſſentiæ, vel naturæ diuinæ. *Diſp.* 18. *n.* 183.

Exiſtentia diuina non poteſt reddere naturam accidentalem inexiſtentem, accidens inexiſtens conſtituendo, quamuis eminenter contineat exiſtentiam accidentalem: licet enim exiſtere, perfectionem dicat, inexiſtere tamen exprimit imperfectionem. *Diſp.* 18. *n.* 190.

Eutropelia.

Eutropelia verſatur circa iocos, & ludos, tanquam materiam propriam, fuitque in Chriſto Domino, qui tamen, quia de rebus magnis agebat, efficaciter iocos non elegit, ſed tantum ſub conditione. *Diſp.* 24. *num.* 82. *&* *Diſp.* 25. *n.* 83.

F

Fides.

Fides non eſt ad ſanctificandum ſufficiens, quamuis donum, & gratia ſupernaturalis ſit, idemque eſt de charitate, & beatifica viſione dicendum. *Diſp.* 21. *n.* 5.

Fides, & idem de ſpe eſt dicendum, manet in peccatore cui poſſe phyſicum phyſicè expeditum ad actum credendi tribuit, ſed non ita connaturaliter operatur in peccatore, ac in homine iuſto, in quo ea coniunctione cum gratia habituali connaturalem modum operandi, ſtatumque virtutis ſortitur. *Diſp.* 13. *n.* 19.

Habitus fidei eſt ſupernaturalis, & per ſe infuſus, & licet ſupponat ſpecies *entitatiuè* naturales; non tamen ſupponit illas per ſe, ſed poſſet medijs ſpeciebus ſupernaturalibus ad aſſenſum credendi concurrere. *Diſp.* 32. *n.* 188.

Tales ſpecies naturales non concurrunt vndè ſumptæ, ſed vt eleuatæ per formam ſupernaturalem. *Ib.*

Aſſenſus ſupernaturalis fidei elicitus media ſpecie ſupernaturali, & aſſenſus media ſpecie naturali cauſatus, non diſtinguuntur eſſentialiter. *Diſp.* 32. *num.* 226 229. *& ſeqq.*

Poſſibilis eſt actus fidei enuntians de viſione beatifica, quod in æternum ſit duratura, taliſque actus eſſet eſſentialiter verus, non veritate exercita, & exiſtente, ſed ſignata, & poſſibili. *Diſp.* 34. *n.* 14 *&* 15.

Actus fidei, nedum in morali æſtimatione, verum etiam in perfectione phyſica, & entitatiua exceditur ab actu charitatis. *Diſp.* 35. *n.* 108.

Species noſtræ fidei inſeruientes ſunt naturales, non obſtante, quod aſſenſus fidei ſupernaturalis ſit. ad differentiam ſpecierum ſcientiæ infuſæ inſeruientium, quæ quia non connotatiuæ, ſed quidditatiuæ, imo & comprehenſiuæ ſunt, debent eſſe *entitatiuè* ſupernaturales, ſicut ipſa cognitio. *Diſp.* 37. *n.* 7 8 *&* 9.

Filiatio.

Filiatio fundatur in generatione, vt dante perfectam geniti denominationem, quam ſolum tribuit ſuppoſito, ideoque ſoli ſuppoſito conuenit. *Diſp.* 22. *n.* 75.

Filiatio conuenit ſuppoſito immediatè ratione ſui, generatio vero conuenit illi ratione naturæ. *Diſp.* 22. *num.* 76. *& ſeqq.*

Filiatio adoptiua, & naturalis eidem perſonæ, etiam diuerſas naturas terminanti, conuenire non poſſunt: ad differentiam filiationis æternæ, & temporalis, quæ ratione diuerſarum naturarum, ſimul in Chriſto reperiuntur *Diſp.* 22. *n.* 52. *& ſeqq.*

Filius Adoptivus Dei.

Etſi impoſſibile ſit ſubſiſtẽs in aliqua natura eſſe Filium Dei adoptiuum ſine naturæ ſanctificatione, non tamen implicat Verbum diuinum, vt in natura creata ſubſiſtens eſſe Filium Dei naturalem ſine naturæ creatæ ſanctitate. *Diſp.* 18 *n.* 111. *&* 112.

Filius Naturalis Dei.

Licet Filius naturalis Dei neceſſariò ſit ſanctus per eſſentiam, non tamen eſt ſanctus per relationem filiationis illum in eſſe filij conſtituentem, ſed à natura in obliquo connotata, ratione cuius debetur illi patris hæreditas. *Diſp.* 21. *n.* 191. *& ſeqq.*

Fomes.

Fomes peccati conſiſtit in inclinatione appetitus, vt ad malum expedita, & in Chriſto Domino ex vi vnionis hypoſtaticæ fuit penitus extinctum: ad differentiam Beatiſſimæ Virginis, in qua vſque ad Chriſti conceptionem fuit tantum ligatus. *Diſp.* 24. *n.* 12. *&* 22. *& n.* 26. *& ſeqq.*

Fomes peccati eſt in nobis effectus peccati originalis, vnde non fuit in Adamo in ſtatu innocentiæ, nec eius poſteris fuiſſet, ſi Adamus in illo ſtatu permanſiſſet. *Diſp.* 24. *n.* 26.

Illi, in quibus fomes quoad eſſentiam auferτur, poſſunt abſolutè peccare, licet non poſſit appetitus potentia antecedenti inſurgere contra rationem, dum ratio contra Deum non deliquerit, quæ tamen poteſt abſolute Deo non ſubijci, & illa peccante, poteſt appetitus ſenſitiuus illi non obedire *Diſp.* 24. *n.* 30.

Adæquata extinctio fomitis in plena ſubiectione ad rationem, non poſitiua, ſed negatiua conſiſtit. *Diſp.* 24. *n.* 34. *&* 35.

Forma.

Vida *Subiectum*.

Forma poteſt vniri ſubiacto, eius effectus ſecundat ij incapaci. *Diſp.* 18 *n.* 107. *&* *Diſp.* 21. *n.* 38.
Imo vniri poteſt forma ſubiecto incapaci effectus primarij inadequati. *Diſp.* 18 *n.* 115. *& ſeqq.* *Diſp.* 21. *num.* 40. *& seqq.*
Forma non extrinſeca poteſt vniri ſubiecto, quod capax non ſit ſuſcipiendi omnem effectum formalem ab ipſa præſtabilam. *Diſp.* 18. *n.* 104. *&* *Diſp.* 21. *n* 70. 71. & *Diſp.* 22. *n.* 39.
Forma corruptibilis, & materialis ſeparata a materia, poteſt cum diuina exiſtentia vniri, & ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi. *Diſp.* 18. *n.* 252. *& ſeqq.*
Forma materialis a materia ſeparata, poteſt de potentia abſoluta exiſtere, & ſubſiſtere per ſe, perſeitate poſitiua. *Diſp* 18. *n.* 258. *& ſeqq.*
Inter formam materialem, ſic ſeparatam à materia exiſtentem, & animam rationalem multæ differentiæ in modo exiſtendi, & ſubſiſtendi interuenirent. *Ibid. num.* 268.
Forma materialis a materia, ſic ſeparata, quamuis per ſe ſubſiſteret, non intelligeret, ſicut nec compoſitum ex materia, & forma corruptibili. *Diſp.* 18. *n.* 269.
Subſiſtentia, qua talis forma ſeparata ſubſiſtere, licet eſſet ſubſiſtentia entitatis partialis, non tamen eſſet ſubſiſtentia partialis, nec propriè totalis, excluderetque ordinem ad materiam, & ad compoſitum, ad differentiam animæ rationalis. *Diſp.* 18. *à n.* 276 *vſque ad vlt.*
Effectus ſecundarius alicuius formę ſi in negatione, ſine qua effectus primarius ſubſiſtere nequit, conſiſtat, eſt à forma inſeparabilis. *Diſp* 19 *n.* 20 *& ſeqq.*
Effectus formalis formæ non poteſt ab alio, quam ab ipſa formę pręſtari, etiamſi illam aminenter contineat, quando forma contenta vnitur per modum principij proximi, aut radicalis petentis intrinſecam informationem, quod triplici eaemplo oſtenditur. *Diſp.* 21. *n.* 29. 30. *&* 31.
Forma alicui ſubiecto eſſentialiter alligata, non poteſt quantum eſt da ſe præſtare aliquem effectum, tali ſubiecto eſſentialiter repugnantem *Diſp.* 21. *n.* 64.
Forma ſanctificans non requirit vnionem phyſicam immediatam cum ſubiecto à ſe ſanctificato, quod ratione, & axempl. oſtenditur. *Diſp.* 21 *n.* 210. *& n.* 216. *& seqq.*
Forma communicata ſubiecto poteſt ſine aliqua inconnaturalitate, aliquo, vel aliquibus effectibus formalibus priuari, niſi talis conditionis ſint quod adequatè, & conuertibiliter comparentur cum forma, ideſt; quod poſſunt ab illa ſemper præſtari, & non ſolum in tali, vel tali ſubiecto, pro tali, vel tali ſtatu. *Diſp.* 22. *n.* 39. *&* 40.
Non omnis forma de paruo in magnum deducibilis, quæ non habet terminum in maximo, caret termino in minimo: numerus namque verſus maximum, terminum non habet, cum tamen verſus minimum, non poſſit infra vnitatem precedi. *Diſp.* 27 *nu.* 96.
Ad formam determinatam ſequuntur accidentia determinata determinatione oppoſita infinitudini cathegorematicæ; non autem determinatione oppoſita infinitudini ſyncathegorematicæ, vt conſtat in non viuentibus. *Diſp.* 27. *à n.* 102. *vſque ad* 106.
Quando à forma præſtatur effectus, non ſolum ſecundum prędicata intrinſeca formæ, ſed etiam ex aliquo adiuncto, poteſt eadem forma inuariata diuerſum effectum prębere. *Diſp.* 28. *n* 5.
Forma totalis non informat ſubiectum, de quo in concreto prædicatur, ſed ſine informatione conſtituit. *Diſput.* 31. *n.* 151.

Fundamentum.

Licet fundamentum, & relatio fundata petant eidem ſubiacto conuenire; non tamen exigunt ratione eiuſdẽ conuenire quando diſpar eſt inter vtrumque ratio, ſicut aliquando contingit. *Diſput.* 22. *num* 75.

G

Gaudium.

Gaudium, & triſtitia de eodem obiecto ſub eadem ratione formali, non poſſunt, etiam de potentia abſoluta, in eodem ſubiecto ſimul exiſtere: licet enim opponantur contrariè *formaliter*, pugnant tamen contradictoriè *obiectiuè*, & *ſubiectiuè* virtualiter. *Diſp.* 38. *n.* 32.
Sub diuerſa vero ratione obiectiua ſimul exiſtere poſſunt. *Ibid n.* 43. *&* 55. *& ſeqq.* maximè *n.* 61.
Ad rationem gaudij non ſufficat poſſeſſio poſſibilis, preterita, vel futura, ſed requiritur neceſſario poſſeſſio obiecti actualis, exercita, & phyſica. *Diſp.* 35. *n.* 196.

Genus.

Sub quolibet genere poſſunt dari infinitæ ſpecies, verſus maximum, & infimum, v.g. in genere animalis poſſunt dari ſpecies perſectiores homine ſine fine, & ſpecies homine imperfectiores, licet tales ſpecies ſint nobis ignotæ. *Diſp.* 27. *n.* 100.

Gratię Gratis Datę.

Gratiæ gratis datæ extiterunt in Chriſto, & licet ſint illi ratione diuinitatis debitæ, non tamen ratione humanitatis. *Diſp.* 25. *num.* 95. *& ſeqq*
De ratione gratiæ fidei, non eſt obſcuritas rerum fidei, ſed certiſſima illarum cognitio, aut conſtantia in confeſſione veræ doctrinæ. *Ibid.*

Gratia Habitualis.

Vide *Gratia Chriſti.*

Gratia habitualis ſolum moraliter continet gloriam, ſaltum prout aſt gratia viæ; habitus vero viæ continet per modum radicis phyſicæ; quod tamen certum non eſt: plures enim Theologi dubitant. *Diſp.* 21. *n.* 17.
Effectus primarius gratiæ habitualis non aſt ſanctificare ſubiectum, cui communicatur, illique ius ad vitam æternam tribuere, ſed conſtituere illud diuinę aſcentię, & naturę particeps. *Diſp.* 21. *n.* 43.
Vnio gratię habitualis cum anima, non ſanctificat formaliter animam, adhuc ſanctitate genericè conuenientem cum ſanctitate à gratia habituali præſtita, nec eſt vllo modo natura in ordine ſupernaturali. *Diſp* 21. *n.* 82. *& seqq. & iterum n.* 101.
Gratia habitualis ſanctificat formaliter animam, non quia eſt terminus non vltimus prædeſtinationis adoptiuæ, ſed quia eſt terminus participans conceptum naturę, per modum naturę formaliter. *Diſput.* 21. *n.* 183. *& seqq.*
Licet gratia habitualis totum ſanctificet hominem, non tamen vnitur toti homini immediatè, ſed tantum illius animę. *Diſp* 21. *n.* 219. *&* 253.
Eſto in gratia habituali virtualiter inadæquatè diſtinguatur conceptus ſanctitatis, & conceptus vitæ radicalis, non tamen ſtat alicui ſubiecto communicari ſub vno, quin eidem communicetur ſub altero: ad differentiam naturæ diuinę, quę poteſt ſub conceptu ſanctitatis communicari, & non ſub conceptu vitalis radicaliter *phyſicè* *Diſp.* 11 *n.* 164.
Gratia habitualis non eſt principium eſſentiale actuum ſupernaturalium, vnde de potentia abſoluta poſſunt ſine illa elici. *Diſp* 23. *n* *n.* 240.
Gratia habitualis non communicatur, adhuc per modum tranſeuntis, & auxiliantis homini peccatori, quando tenetur elicere actum ſupernaturalem fidei, & ſpei: eſſet enim iuſtus tranſeunter. *Diſp.* 23 *à n.* 44. *vſque ad* 50.
Implicat gratia habitualis intenſionis actu infinitę, & cui ab intrinſeco repugnet ſui augmentum promereri. *Diſp.* 26. *n.* 31. *& seqq.*
Quod verum eſt, etiam de gratia non educta ex potentia obedientiali animæ. *Ibid. n.* 39.
Gratia habitualis non ordinatur ex natura rei ab intrinſeco ad vnionem perſonalem phyſicam, & realem cum Deo, sed tantum ad coniunctionem affectiuam per viſionem facialem. *Diſp.* 27. *à n.* 88. *vſque ad* 91.
Gratia excedit, non ſolum ſubiectiuam, ſed etiam obiectiuam

nam exigentiam naturæ, quatenus nullus actus ex viribus naturæ elicitur, poteſt cum gratia *obiectiuè* connecti, nec eſſe meritum condignum, aut congruum illius: ad differentiam incarnationis reſpectu gratiæ, quæ cum illa *obiectiuè* connectitur, & eſſe poteſt meritum congruum illius. *Diſp.*27.*n* 91.

Gratia in modo ſui augmenti aſſimilatur non viuentibus, quamuis ipſa vitalis ſit. *Diſp.*27.*n.*93.*&* 94. *&* *à* *n.*101. *vſque ad* 106.

Gratia habitualis, non ſolum *moraliter*, ſed etiam *phyſicè* continet lumen gloriæ, & gloriam ipſam. *Diſp.*33.*num.* 49.

Gratia habitualis non poteſt comprehenſiuè cognoſci, non cognito, ſaltem quidditatiuè, lumine gloriæ in illa adæquatè contento. *D.*35.*num.*52.*& ſeq.*

Gratia Habitualis Christi.

Gratia habitualis ſanctificat formaliter animam Chriſti, quam ſanctitatem præſtare non poſſunt perſonalitas Verbi, nec modus ſubſtantialis vnionis, nec vnio diuinę eſſentiæ, licet gratiam habitualem in perfectione excedant. *Diſp.*21.*à nu* 176. *vſque ad* 179.

Non eſt de fide immediatè, nec mediatè, gratiam habitualem fuiſſe in anima Chriſti Domini, nec ſub terminis *gratia habitualis*, nec ſub nomine *doni creati permanentis*, aut *gratia infuſa*. *Diſp.*22.*à* *n.*3.

Gratia habitualis conſiderata, nedum in ratione qualitatis ſibi, & alijs accidentibus communi, verum etiam ſub conceptu naturę diuinæ participatæ, conuenit Chriſto, vt homini, mediante natura humana, vt ſubiecto *quo* formali. *Diſp.*22 *num.*64 *& ſeq.* vbi ſingularis doctrina M. Vincentij impugnatur.

Gratia habitualis fuit in anima Chriſti Domini à primo conceptionis inſtanti, & in omni intenſione de lege ordinaria poſſibili. *Diſp.*21.*n.*89.90.*&* 91.

Gratia habitualis non fuit neceſſaria in anima Chriſti ad ſanctificandam illam abſolutè; cum ſanctificata fuerit formaliter per gratiam vnionis. *Diſp.*23.*n.*1.

Gratia habitualis fuit neceſſaria in anima Chriſti Domini, vt connaturaliter eliceret actus ordinis ſupernaturalis. *Diſp.*23 *num* 6 *& ſeqq.*

Connaturalitas iſta non poteſt præſtari à qualitate ſupernaturali fluida, nec a virtutibus animę Chriſti infuſis. *Ibidem. à n.*11. *vſque ad* 13.

Gratia habitualis fuit neceſſaria in anima Chriſti Domini, vt principium connaturale effectiuum, & formale meriti; de potentia tamen abſoluta potuit ſine gratia habituali mereri. *Diſp.*23.*n.*36.

Gratia habitualis Chriſti poteſt dici in ratione gratiæ *phyſicè* infinita: hęc tamen infinitas non eſt *ſimpliciter* talis. *Diſp.*26 *à num.*54.

Gratia habitualis Chriſti de facto aucta non fuit, nec potuit de lege ordinaria augeri. *Diſp* 27.*n.*2.3 *&* 4.

Potuit tamen de potentia abſoluta eſſe maior *intenſiuè*. *Ibid. à n.*10 *& iterum n.*83.*& ſeqq.*

Gratia habitualis fuit in Chriſto gratia capitis, & hęc à gratia perſonali ratione diſtinguitur. *Diſp.*28.*n* 39.

Gratia habitualis, nec ratione ſui, nec ratione alicuius formæ ſuperioris, fuit prior gratia vnionis, tanquam diſpoſitio prævia, neceſſario illam inducens. *Diſp.*30.*nu.* 2. *vſque ad* 8.

Gratia habitualis non conſequitur ad gratiam vnionis conſequutione eſſentiali, hoc eſt, ratione connexionis eſſentialis cum illa, etiam ſi admittatur, *phyſicè* ad gratiá vnionis conſequi. *Diſp* 30.*n* 9.

Gratia habitualis non conſequitur ad gratiam vnionis efficienter phyſicè, vera, & propria efficientia, nec humanitas ratione gratiæ vnionis cauſat in ſe efficienter phyſicè principaliter gratiam habitualem, quæ ſic a nulla creatura cauſari poteſt. *Diſp* 30.*nu.*10.

Gratia habitualis non ineſt humanitati, ex influxu effectiuo ſpeciali Verbi Diuini, vt humanitati vniti, ſed eſt opus Dei ad extra toti Trinitati commune. *Diſp.*30. *num.*11.

Gratia habitualis non fuit diſpoſitio prævia, nec phyſica nec moralis ad gratiam ſubſtantialem vnionis. *Diſp.*30. *nu.*13.

Gratia habitualis in Chriſto, non conſequitur ad gratiam vnionis *phyſicè dimanatiuè*, vt illius propria paſſio. *Diſp* 30 *à n.*73.

Gratia habitualis non dimanat ab humanitate Chriſti tatione ſui. *Diſp* 30. *num.*74 nec à modo vnionis realiter ab extremis diſtincto, vt à principio *quod* dimanationis *nu.*73. nec à Verbo, etiam vt humanitati vnito, *à nu.*76. *vſque ad* 80.

Gratia habitualis non eſt ſupernaturalis Chriſto, nec illius humanitati, prout Verbo hypoſtaticè vnitæ; benè tamen humanitati Chriſti ſecundum ſe. *Diſp.*30.*num.* 143.

Gratia habitualis eſt aliquomodo connaturalis humanitati, & Chriſto, non tamen eſt illis connaturalis ſimpliciter, niſi ad ſummum virtualiter, & conditionaliter. *Diſp.*30.*n.*143.*& ſeqq.*

Gratia habitualis, nec de potentia abſoluta potuit eſſe phyſica diſpoſitio ad vnionem humanitatis cum Verbo. *Diſp.*30 *n.*188.

Si autem humanitas in Chriſto per exiſtentiam propriam creatam exiſteret, poſſet gratia habitualis moraliter ad vnionem diſponere. *Ibid. n.*189.*& ſeqq.*

Gratia habitualis, nec de potentia abſoluta potuit præuiè ad vnionem humanitatis cum Verbo, vt modo facta eſt diſponere in principijs Thomiſtarum: potuit tamen vnio aliter fieri, & gratia habitualis moraliter ad illam diſponere. *Diſ.*30.*num.*200 *& ſeq.*

H

Habitus.

Ad indigentiam habitus non ſufficit ſola indifferentia potentię. *Diſp.*24.*n.*21.

Vnus habitus, vel actus poteſt obiecta eſſentialiter diſtincta, primario reſpicere, ſi ordinate ſe habeant, nec quiuis ordo obiectorum ſufficit ad rationem primarij, & ſecundarij conſtituendam, vt videre eſt in ſubiecto, & termino reſpectu relationis. *Diſp.*25.*num.*83.*&* 86.

An in Angelis, & in anima ſeparata requirantur habitus intellectuales? diuerſimode explicatur à Theologis, & tres ſententiæ referuntur. *Diſp.*32 *à nu.*113. *vſque ad* 116.

Habitus primorum principiorum ſi à noſtro intellectu, ſpeciebuſque impreſſis conſtituitur diſtinctiua, non poteſt eſſe nobis congenitus, vel ab extrinſeco infuſus. *Diſp.*32.*n.*118.

Habitus naturalis ſcientificus conſiſtens in ordinatione ſpecierum per ſe infuſarum, vel non exactus ad ſubſtantiam operationis, ſed ſolam promptitudinem, & facilitatem præſtans, non poteſt eſſe per ſe infuſus. *Diſp.*32.*n.* 117.*& n* 181 *& ſeqq.*

Habitus, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis ſit, eſt diſtinctus a ſpeciebus obiectiuè concurrentibus. *Diſp* 37.*n.*12. *& ſeqq. & à n* 32.

In habitibus infuſis eleuantibus potentias, nulla eſt differentia inter Angelos, & homines quoad illorum vnitatem. *Diſp* 37.*n.*62.63 *&* 64.

Ab eodem habitu procedere poſſunt cognitio diſcurſiua, & non diſcurſiua, quamuis eſſentialiter diſtinguantur. *Diſp.*37.*n.*98. *& ſeqq.*

Non omnis habitus potentiæ inferioris exceditur ab habitu potentiæ ſuperioris, ſed ſufficit, quod ſupremus habitus actu, aut poſſibiliter exiſtens in potentia ſuperiori, excedat in perfectione ſupremum habitum actu, aut poſſibiliter conuenientem potentiæ inferiori, quod duplici exemplo oſtenditur. *Diſp.*37.*nu.*110.

Hæretici.

Hæretici poſtquam mortui ſunt, iuſtè ab Eccleſia puniuntur, & damnantur; ſufficit enim quod ad illam pertinuerint, quando contra Eccleſiam deliquerunt. *Diſp* 19.*n.*4.& 70.

Omnis hæreticus eſt ſchiſmaticus, opponitur enim hęreſis vnitati fidei, ſed non omnis ſchiſmaticus eſt hęreticus, datur enim ſchiſma, non fidei, ſed vnitati charitatis oppoſitum. *Diſp.*19.*nu.*92.

Hęreticus baptizatus, etſi appareat membrum Chriſti, membrum illius verè non eſt. *Diſp.*19 *n.*55.*& ſeqq. maximè à n* 64.

Hęretici Anomæi aſſerebant ſe naturam, & eſſentiam diuinam comprehendere. Eundem errorem quantum ad animam Chriſti ſequutus fuit Auguſtinus de Roma in Concilio Baſilienſi damnatus. *Diſp.*33.*n.*4.

Homo. Homines.

Iſte terminus *homo*, licet de formali ſolam humanitatem ſignificet; de materiali tamen ſignificat ſuppoſitum, & pro illo ſupponit, non in ſingulari, ſed vagè, & in communi. *Diſp.20.num.22.& ſeqq. & à num.57. vſque ad finem.*

Iſte terminus *homo* antiquis temporibus non erat indifferens ad ſignificandum naturam humanam in abſtracto, & in concreto, ſed ſolum hoc ſecundo modo illam ſemper ſignificauit, & primo modo ſignificatur per iſtum terminum *humanitas*, qui pro abſtracto humanitatis paſſim à Patribus, & Concilijs inuenitur vſurpatus. *Diſ.20.n.42.& 43.*

Iſte terminus *homo* ante Incarnationis myſterium ſignificabat naturam humanam de formali, & etiam ſuppoſitum habens humanitatem de materiali vagè, & in communi. *Diſp.20.num.66.& ſeqq.*

Licet homo, & perſona humana differant in diffinitione quidditatiua, & in ſignificato formali; in ſignificato tamen materiali conueniunt, & pro eodem ſupponunt; vnde iſtæ propoſitiones ſunt veræ: *Homo eſt perſona humana: perſona humana eſt homo. Diſp.20.n.65.*

Omnes homines poſt Chriſtum quantumcumque ſcelerati, dum in hac vita mortali viuunt ſunt membra Chriſti, ſaltim in potentia, & poſſunt iuſtificari, & ſaluari. *Diſp.29.num.1.*

Homines in ſtatu gloriæ ſunt actu membra Chriſti, imo perfectiſſima: gloria enim fuit illis data intuitu meritorum Chriſti, & propter illa conſeruatur. *D.29.num.5. vſque ad 8.*

Homines fideles in peccato mortali exiſtentes ſunt partes, & membra Eccleſię, quę eſt congregatio fidelium, & per Dei fidem conſtituitur, licet per dilectionem perficiatur. *Diſp.29.à n.30. vſque ad 54.*

Humanitas Christi.

Humanitas Chriſti, & eius partes vnica vnione fuerunt Verbo vnitæ. *Diſp.18.num.246.*

Humanitatem, quam Verbum diuinum aſſumpſit, per mortem, per quam vnio partium deſtructa eſt, dimiſſit. *Diſp.18.num.247.* Vbi axioma illud, *quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, explicatur.

Humanitas non fuit de facto à diuino Verbo aſſumpta propria perſonalitate retenta. *Diſp.19.num.1.*

Potuis de potentia abſoluta, humanitas creari coniuncta propriæ perſonalitati, & hac deſtructa à Verbo diuino aſſumi. *D.19.n.2.3.& 4.*

Humanitas deſtrueretur, naturaliter loquendo, propria perſonalitate deſtructa. Ibid.

In aſſumptione humanitatis à Verbo, non præextitit humanitas in propria perſonalitate exiſtens, ne fruſtra eſſet producta, vel in Chriſto duplex reperiretur perſona. *Diſp.19 num.5.*

Humanitas Chriſti Domini eſt ſancta, & grata formaliter per aliquod donum ſubſtantiale à gratia habituali diſtinctum. *Diſp.21.num.4.*

Humanitas Chriſti, in probabili Theologorum ſententia, ſe per proprios actus ad gratiam habitualem antecedenter diſpoſuit. *Diſp 21.n.10.*

Humanitas Chriſti eſt ſancta *infinitè ſimpliciter*; ſicut eius operationes infinitæ in ratione meriti, & ſatisfactionis ſunt, quod ſine infinita ſanctitate ſubiecti merentis *aliciendi* ſtare non poteſt. *Diſp.21 num.18.& 19.*

Etſi humanitas Chriſti ſanctificetur per communicationem ſubſtantialem diuinitatis, per illam tamen non conſtituitur connaturale principium ſupernaturalium operationum; vnde illa poſita, non excluditur neceſſitas gratiæ habitualis in Chriſto, ſicut excluderetur ſi humanitas eſſet per eſſentiam, diuina, aut ſi diuinitas illi vniretur per modum formæ *phyſicè* informantis. *Diſp.21. n.23.*

Negata gratia habituali in humanitate Chriſti, remouetur ab illa beatitudo creata, & ius quaſi elicitiuum phyſicum iſtius beatitudinis, ex defectu principij connaturalis illius; remaneret tamen in illa ius pure morale ratione gratiæ vnionis eam formaliter ſanctificantis. *Diſ.21.num.24.*

Licet humanitas ſanctificata fuerit per gratiam vnionis formaliter, & Chriſtus ſanctificatione adultorum fuerit ſanctificatus per proprios actus ſe ad iuſtitiam diſponendo: adhuc non meruit de condigno gratiam habitualem, non defectu dignitatis, ſed defectu ordinationis actuum ad gratiam habitualem, vt præmium. *Diſp.21 num.36.*

Humanitas Verbo vnita, etſi poſſit, de potentia abſoluta omni alio dono ſupernaturali deſtituta relinqui, & nec ad gratiam, nec gloriam acceptari in re, & quoad efficaciam, tamen in iure, & quoad ſufficientiam acceptaretur ad vitam æternam, id eſt, ius ſufficiens eſſet in humanitate, vt ad gloriam acceptaretur. *Diſp.21.num.39.*

Licet humanitas ſpecialem terminet cultum ratione vnionis ad Verbum, præciſiuè à Verbo vnito, ab illa tamen prout ſic, non ſanctificatur formaliter, niſi ad ſummum ſanctitate negatiua, in oppoſitione cum peccato, eiuſque expulſione conſiſtente. *Diſp.21 à num.103. vſque ad 112.*

Humanitatem eſſe deificatam, licet explicetur per hoc, quod eſt *eſſe deitati coniunctam*, non tamen eſt formalis effectus, ſeu denominatio formaliter ab vnione proueniens, ſed à diuinitate coniuncta. *Diſp.21 n.111.*

Eſto humanitate Chriſti ratione perſonalitatis Verbi debeantur debito morali dona ſupernaturalia, non tamen debentur illi primo ratione perſonalitatis; etſi enim iſta prius vniatur vnione phyſica, quam diuina natura, vnione tamen morali, non prius, ſed poſterius vnitur. *Diſp.21.n 204.*

Vel perſonalitas vnitur prius in executione, quà natura, non autem in intentione. *N.205*

Vel denique talia dona non ſunt debita humanitati ratione perſonalitatis, nec *phyſicè*, nec *moraliter. Num.206. & 207.*

Humanitas Chriſti ſanctificatur formaliter à natura diuina, prout à perſonalitate Verbi virtualiter diſtincta, vt terminata per ſubſiſtentiam Verbi, ly *vt* dicente non rationem formalem, ſed conditionem, ſeu complementum, iſtaque humanitatis ſanctificatio immediatè à diuina natura præſtatur. *D.21.nu.208.*

Humanitas Chriſti per gratiam vnionis eſt ſancta infinitè. *Diſp.21.num 269.*

Non tamen æquè ſancta, aut æquè diligibilis, ac Deus, nec acceptata ad beatitudinem actu infinitam; diuinitas enim Deo conuenit per eſſentiam, humanitati autem per gratioſam communicationem. *Ibid.n 270.& 271.*

Humanitas Chriſti non fuit ſanctificata à Patre, & Spiritu Sancto *formaliter*, ſed tantum *effectiuè*, nec eſt infinitè ſancta in linea ſanctitatis, vt ſic, ſed ſolum in linea ſanctitatis per communicationem. *Diſp.21. num 272. & 274.*

Si humanitas Chriſti eliceret actus mere naturales, tales actus, non eſſent merita condigna ſupernaturalis præmij & idem de homine iuſtificato eſt dicendum. *Diſput.23. à num.105. vſque ad 135.*

In data hypoteſi actus illi ab humanitate eliciti, eſſent ratione dignitatis perſonalis valoris meritorij *ſimpliciter* infiniti in linea meriti naturalis. *Diſp.23.num.120.*

Inter humanitatem, & perſonalitatem, nedum propriam, verum etiam diuinam, eſt immediata habitudo, vnde vt humanitas Verbo vniatur diſpoſitione præuia non indiget. *Diſp.30.n.27.& ſeqq.*

Humanitas Chriſti ratione diuinitatis ſibi vnitæ, eleuari non poteſt, vt ſit radix phyſica gratiæ, & donorum ipſam conſequentium, diuinitate concurrente per modum principij *quo* radicalis, & humanitate, vt principio *quod* radicale dimanationis gratiæ, & donorum. *D.30.à num.106.*

Humanitas Verbo vnita, non eſt ſubiectum proprium connaturale gratiæ habitualis. *Diſp.30. num.161.& ſeq.& num.184.& 185.*

Humanitas Chriſti, quia erat inſtrumentum excellentiæ diuinitatis, ex quadam decentia habuit in ſe formaliter, vel eminenter omnem perfectionem, quæ ab ipſa in alios deriuatur, niſi talis perfectio humanitati Chriſti repugnet, vt fides. & ſpes. *Diſput.32.numer.10 11.& 12.*

Humanitas Chriſti Domini non comprehendit de facto diuinam eſſentiam, nec potuit de potentia abſoluta. *Diſ.33.à nu.6.* Vbi variæ Theologorum rationes incomprehenſibilitatis diuinæ eſſentiæ examinantur.

Inza.

I

IDEA.

IDea conſiſtit in diuina eſſentia cognita, vt imitabili à creatura; vnde duo importat idea hominis v.g. nimirum, perfectionem diuinam principaliter, & in recto, *complexiuè* autem, & in obliquo, vel reſpectum rationis, per quem multiplicantur ideæ, vel extrinſecam denominationem proportionis creaturarum ad eſſentiam diuinam, vt cognitam à Deo: ratione primi non multiplicantur ideæ, ſed eadem perfectio diuina virtualiter indiuiſibilis ſortitur rationem ideæ omnium a Deo factibilium. *Diſp.* 34. *n.* 74.

IGNORANTIA. IGNORARE.

NOn dicitur ignorari, id quod vno genere cognitionis cognoſcitur, licet alio cognitionis genere non cognoſcatur, nec id, quod habitualiter ſcitur, etiam ſi actu non cognoſcatur nec cognitum fuerit. *Diſp.* 37 *num.* 136. & 137. *& ſeqq.*

IMAGINATIVA.

IMaginatiua, quæ eſt ratio participata, fuit in Chriſto Domino in primo conceptionis inſtanti expedita; ad actus regulanter virtutes per ſe infuſas appetitus, & conſequenter ad actum ſufficientem regulare virtutes per ſe acquiſitas. *Diſp.* 24. *n.* 77.

IMAGO.

AD rationem imaginis non ſufficit ſola ſimilitudo cum aliquo, nec procedere ab illo, ſed vtrumque requiritur, nempè, procedere ab exemplari, vt illi aliquo modo ſimile in eo, quod ipſi eſt proprium. *Diſp.* 36. *num* 84.

IMAGO CHRISTI.

IMago Chriſti ratione ipſius terminat adorationem Latriæ, non tamen eſt ſancta, ſanctitate conſiſtente in terminatione amoris amicabilis Dei cum potentia ad redamandum. *Diſp.* 21. *n.* 268.

IMPEDIMENTVM.

IMpedimentum auferibile per formam, non poteſt illi obſtare, vt vnita ſubiecto, ei præſtet effectum formalem, quem de ſe præſtare poteſt, vt conſtat in peccato comparatiuè ad gratiam, per quam deſtruitur. *D.* 30. *num.* 116. *& ſeq.*

IMPOSSIBILE, IMPOSSIBILIA.

IMpoſſibilia, nec formaliter, nec eminenter continentur in diuina omnipotentia, neque enim ſunt, aut eſſe poſſunt participationes illius; vnde ad comprehenſionem omnipotentiæ neceſſaria non eſt impoſſibilium cognitio. *Diſp.* 34. *num.* 30. *& ſeqq.*

Impoſſibile dicitur illud, quod ex extremis poſitiuis repugnantibus componitur, nec eſt aliter cognoſcibile, niſi in extremis poſitiuis comprehenſis, & cognitis, & ratione illorum, ſicut mala per bona creata, & priuationes per formas poſitiuas oppoſitas cognoſcuntur. *Diſp.* 34. *n.* 32.

INCARNATIO.

INcarnatio excedit omnem exigentiam ſubiectiuam gratiæ, quatenus gratia non petit ab intrinſeco cum vnione perſonali ad Deum in eadem natura *ſubiectiuè* coniungi, non autem excedit exigentiam obiectiuam gratiæ; vnde poteſt ſub merito congruo operum gratiæ cadere: ad differentiam gratiæ reſpectu operum naturæ. *Diſp.* 27. *nu.* 91.

Actio incarnatiua primario fuit terminata ad ſanctitatem ſubſtantialem, qua humanitas ſancta eſt ratione diuinitatis; ad ſanctitatem autem accidentalem non fuit *phyſicè* terminata, ſed tantum *moraliter*, quatenus terminus illius primarius ab intrinſeco exigebat exigentia morali gratiam habitualem. *Diſp.* 30. *nu.* 177. *& ſeq.*

INCARNATIO PATRIS, AVT SPIRITVS SANCTI.

NOn decuit dignitatem Chriſti, vt Redemptoris Incarnationem Patris, aut Spiritus Sancti mereri, & ad id ſua merita dirigere. *Diſp.* 26. *n.* 19.

INFINITVM.

VNum infinitum non poteſt eſſe maius altero in eadem linea, in diuerſa tamen poteſt. *Diſp.* 21. *n.* 270. *& Diſp.* 26. *nu.* 36.

SANCTÆ INQVISITIONIS TRIBVNAL.

QVando à ſanctæ Inquiſitionis Senatu præcipitur alicui actori, vel propoſitioni apponi in margine illam particulam, *cautè lege*, non monentur deferentes cautè legere Auctorem, antequam illum accuſent, ſed illa particula ponitur, quia propoſitio, eſto hæretica expreſſe non ſit, poteſt tamen hæreticum ſenſum gignere, & in illum magis inclinat. *Diſp.* 20. *nu.* 20.

INTELLECTIO.

INtellectio eſt actus intelligentis ſecundum eſſe naturale. *Diſp.* 31 *n.* 45.

Intellectio non conſiſtit in termino actionis vitalis, ſed in tendentia vitali ad obiectum intelligibile. *Diſp.* 31. *nu.* 105.

Vel ſi in termino actionis vitalis conſiſtit (vt aliqui ſentiunt) debet intelligi de termino vitali conueniente ab intrinſeco, & per intellectionem, vt dictio eſt, producto. *Ibid. n.* 112.

INTELLECTVS.

Vide *Proprietates naturales.*

VT intellectus intelligat, petit obiectum ſibi intrinſecè vnitum, vel per informationem, vel ſaltim per terminationem: ad differentiam voluntatis, quæ quia non trahit res ad ſe, ſed potius ad illas fertur, vnionem intrinſecam ſui cum obiecto non exigit. *Diſp.* 31. *num.* 101.

Intellectus poteſt ſimul duas cognitiones habere, ſi ordinatè ſe habeant; ſecus ſi diſparatè comparentur. *Diſp.* 32. *n.* 79.

Dato per impoſſibile intellectu ſupernaturali creato, cognitio ab illo elicita, deberet à ſpecie ſupernaturali procedere. *Diſp.* 37. *num.* 21.

INTELLECTVS AGENS.

INtellectus agens per ſe primò ordinatur ad acquiſitionem ſpecierum, tanquam ad actum adæquatum; vnde fruſtraneè poneretur in ſubiecto, in quo tali actu perpetuo careret: ad differentiam voluntatis, quæ tantum ſecundario ad acquiſitionem virtutum ordinatur. *Diſp.* 24. *n.* 60. *& ſeq.*

Intellectus agens fuit in anima Chriſti Domini, fruſtraque in illa extitiſſet, ſi ſcientia naturalis ex genere ſuo acquiſita, in Chriſto non fuiſſet. *Diſp.* 32. *n.* 173. *& ſeqq.* & fuſiùs à *& n.* 244. *vſque ad* 268.

Præter abſtractionem ſpecierum non datur in intellectu agente aliud munus, ſeu officium, quod ab aliquibus *aſſiſtentia*, vel *confortatio* intellectus paſſibilis appellatur. *Diſp.* 32. *num.* 178. 179. *&* 180. *& n.* 166.

Intellectus agens, nec per eleuationem poteſt ſpeciem ſupernaturalem vitaliter cauſare, bene tamen non vitaliter, & vt inſtrumentum Dei. *Diſp.* 32. *n.* 252.

Intellectus agens non eſt fruſtra in beatis, nec in anima ſeparata, nec in Adamo, licet ad abſtractionem ſpecierum ſit in illis incapacitas. *Diſp.* 32. *à n.* 249. *vſque ad* 259.

Intellectvs Christi.

Vide *Anima Chriſti, & ſcientia.*

INtellectus Chriſti creatus de facto non vidit diuinam eſſentiam per viſionem increatam, nec ſapientia increata ſapiens fuit. *Diſp.* 31. *num.* 5. Vbi varia Theologorum fundamenta referuntur, & reijciuntur.

Oppoſita ſententia eſt erronea, vel ad minus errori proxima. *Ibid. n.* 17.

Implicat, intellectum Chriſti creatum per increatam Dei cognitionem intelligere. *Diſp.* 31. *à num.* 38. Vbi variæ rationes examinantur.

Si autem non implicaret, de facto per illam intellexiſſet. Ibid. n. 155.

Ratio Caietani proponitur, & ab impugnationibus liberatur. *D.* 31. *n.* 45. *vſque ad* 64.

Vt intellectus Chriſti creatus intelligat per intellectionem diuinam, non ſufficit, quod illi conueniat à ſe *vnitiuè*. D. 31. *à nu.* 80. *vſque ad* 86. *&* nu. 115. *vſque ad* 120.

Intellectvs Divinvs.

INtellectus diuinus quamuis eminenter contineat lumen gloriæ, non poteſt intellectui creato effectum luminis gloriæ pręſtare, nec voluntas diuina voluntati creatæ effectum charitatis præbere. *Diſp.* 20. *nu.* 31.

Intellectus diuinus non poteſt vniri cum intellectu creato, vt principium *quo* proximum operatiuum, dando illi virtutem proximam operandi, & idem de voluntate diuina reſpectu creatæ dicendum. *Diſp.* 3. *n.* 109. *& ſeqq.*

Intellectus diuinus non poteſt per intellectionem creatam intelligere, etiam ſi hæc poſſit ad diuinam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam aſſumi, nec poteſt Deo conuenire à ſe *ſubiectiuè*, & *egreſſiuè* per modum operationis vitalis, licet Deo conueniat à ſe per modum effectus, ſeu *effectiuè*, ſicut omnis effectus creatus eſt à Deo. *Diſp.* 31. *n.* 143. *vſque ad* 154.

Isidorvs.

DIuus Iſidorus, qui Chriſtum, tertiam in Trinitate perſonam appellauit, explicatur. *D.* 33. *n.* 118.

Ioannes Baptista.

IOannes Baptiſta pluſquam propheta eſt appellatus, non quia verè propheta non fuerit, ſed quia alios in prophetia exceſſit, Chriſtum digito demonſtrando. *Diſp.* 25. *num* 99.

Ivs.

IVs ad hæreditatem, niſi primo competat ſubiecto, & filiatio non conuertuntur, nepotes enim, & conſanguinei ius habent ad auorum, & conſanguineorum hęreditatem in humanis, & filij non ſunt, & in diuinis Spiritus Sanctus non eſt filius, cum tamen ius eſſentiale ad Dei hæreditatem habeat. *Diſp.* 25. *num.* 41. *&* 42.

Ivstitia Vindicativa.

IVſtitia vindicatiua habet duos actus primus eſt petere à legitimo iudice vltionem peccati ſecundus eſt, iniurias ſuas, vel Dei defendendo, propulſare. *Diſp.* 24. *n.* 81.

Ivsti. Ivstificatio.

HOmines iuſtificari per formam creatam permanentem, eiſque intrinſecè inhærentem, quæ gratia habitualis dicitur, eſt immediatè de fide, Chriſti autem ſanctificationem fuiſſe factam per talem formam, immediatè de fide non eſt. *Diſ.* 22. *n.* 14. *&* 15.

L

Locvs, Præsentia Localis.

LIcet præſentia localis, qua corpus Chriſti eſt præſens loco ſibi connaturali, ſit modus afficiens intrinſecè corpus Chriſti, hoc ſi ſpeciebus ſacramentalibus, quin prædicta præſentia localis connaturalis, ſacramentali pręſentia modificetur, & afficiatur. *Diſp.* 19. *num.* 46.

Lvdovicvs Vives.

LVdouicus Viues plus in humanis litteris, quam in diuinis verſatus, magiſque Gramaticus, quam Theologus, Scholaſticos irridens (ipſe potius irridendus) in alienam meſſem falcem propriam mittens, praeceps tullit iudicium, circa veritatem, & proprietatem illius propoſitionis, *Deus aſſumpſit hominem* ipſum ſequitur Ioannes Martinez Complutenſis. *Diſp.* 20. *n.* 1.

Lvmen Gloriæ.

LIcet daretur lumen gloriæ infinitæ intenſionis, non poſſet eſſe principium viſionis comprehenſiuæ Dei nec omnium poſſibilium in diuina omnipotentia, ſed tantum alicuius infinitæ multitudinis in aliqua linea. *Diſp.* 26. *nu.* 30. *&* 31.

Lumen gloriæ *infinitè* intenſum, omnino repugnat, ſicut & viſio beatifica; conſequuntur enim non ad ſolam gratiam habitualem, ſed ad conflatum ex illa, & intellectuali natura, quæ infinita eſſe non poteſt *Diſput.* 26. *nu.* 31. *&* 33.

Lumen gloriæ *ſpecificè* diſtinctum, ab eo quod de facto datur, omnino repugnat, poteſtque de potentia abſoluta, etiam lumen Chriſti beatificum *intenſiuè* ſine termino, magis, ac magis augeri; ſicut & viſio. *Diſp.* 27. *num* 17.

Lumen gloriæ Angelicum, & lumen humanum beatificum non diſtinguuntur ſpecie, ſicut nec habitualis gratia hominum, & Angelorum. *Diſp* 27. *num.* 25.

Lumen glorię non eſt ſufficiens principium cognitionis creaturarum in ſe ipſis, & ratione ſui. D. 37. n. 34.

Obiectum ſpecificatiuum luminis gloriæ non eſt veritas diuina abſtrahens à diuina per eſſentiam, & diuina per participationem, ſed ſola veritas per eſſentiam diuinam. *Diſp* 37. *nu.* 35. *& ſeqq.*

Lumen gloriæ, quod eſt ſupremus habitus potens intellectui conuenire, excedit in perfectione phyſica habitum charitatis, qui eſt perfectiſſimus habitus, inter illos, qui poſſunt voluntati competere. *Diſp.* 37. *num.* 110.

Lvx.

LVx Solis etſi poſſit aliquomodo dici infinita in ratione lucis, ſimpliciter infinita non eſt. *Diſp.* 26. *n.* 56.

Lux minor offuſcatur in præſentia maioris, quando ſunt eiuſdem ordinis, ſcilicet, illuminantis; ſecus vero quando diuerſi ordinis ſunt, ſcilicet illuminantis, & illuminatis quod multis exemplis oſtenditur. *Diſp.* 31. *nu.* 201. 202. *&* 203.

M

Magnificentia.

MAgnificentia, & liberalitas verſantur erga diuitias, non ſolum illas diſtribuendo antecedenter poſſeſſas, quomodo, & quando oportet, ſed etiam illas penitus contemnendo, ſicut fecit Chriſtus. *Diſput.* 24. *nu.* 80.

Malvm.

MAlum eſt triplex, culpæ (ſcilicet) pœnæ, & naturalis defectus infinitè à Deo diſtantis, quod nunquam tollitur, & principaliter à dono timoris reſpicitur. *Diſp.* 20. *num.* 29. *& ſeqq.*

Manvs.

MAnus arida nondum emortua, eſt membrum corporis imperfectum; actu enim viuis vita vegetatiua, & ſenſitiua in potentia. *Diſp.* 29. *num.* 53.

Materia.

MAteria equi, & cuiuſuis alterius irrationalis naturæ à propria forma denudata poteſt cum anima rationali vni-

vniri, & ſic vnita, na...am rationalem componere; eſt enim ad omnem ſublunarem formam indifferens, illamque recipere poteſt. *Diſp.* 18. *num.* 109.
Licet materia prima poſſit recipere formam, & illam non ſuſtentare, non eſt præcisè propter iſtorum munerum diſtinctionem, ſed quia conceptus eius proprius in receptione ſaluatur. *Diſp* 18. *num.* 167. & 168.
Materia prima, & forma non ſubſiſtunt, nec exiſtunt exiſtentijs, & ſubſiſtentijs partialibus, ſed vnica ſubſiſtentia, & exiſtentia indiuiſibili, quæ immediatè afficit totum, & mediatè partes. *Diſp.* 18. *n.* 200. *& ſeqq.* & iterum *à n.* 208 *vſque ad* 225.
Materia prima ſine forma ſubſtantiali non poteſt ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi. *Diſp.* 18. *nu.* 229. *& ſeq.*
Materia prima ſine forma, nec per exiſtentiam creatam, nec per diuinam, poteſt etiam de potentia abſoluta exiſtere, aut ſubſiſtere. *D.* 18. *nu* 232. *& ſeqq.*
Materia prima non eſt capax exiſtendi, aut ſubſiſtendi immediatè, ſed ratione formæ, & totius; vnde non fuit Verbo vnita immediatè, ſed media anima rationali in ordine ad primam vnionem, & media forma cadaueris reſpectu vnionis, qua in triduo manſit Verbo in ſepulchro vnita. *Diſp* 18. *n* 246. *& ſeq.*
Materia prima non deſtruitur, nec deſinit eſſe, licet corrupto compoſito, deſtruatur exiſtentiam, per quam exiſtebat, ſed ſuccedit in eodem inſtanti exiſtentia compoſiti de nouo producti. *Diſp.* 18. *num.* 251.

MERITVM.

MEritum, & præmium finitum ſupernaturale, excedunt in morali æſtimatione meritum, & præmium infinitum naturale. *Diſp.* 23. *n.* 119.
Meritum condignum ſupernaturalis præmij requirit, quod actus meritorius referatur ad præmiantem, & quod ad præmium relatione, ſaltim virtuali, ordinetur, nec ſufficit habitualis relatio, etiam in Chriſto. *Diſp.* 23. *num.* 114. 118. *&* 130.

MIRACVLVM.

CArentia perfectionis debitæ, non ſolum *phyſicè*, verum etiam *moraliter*, miraculoſa eſt. D. 30. *n.* 179.
Miraculum dicitur, quod accidit contra conſuetum modum operandi in ordine naturæ, vel gratiæ. *Diſputat.* 30. *num.* 181.

MODVS.

MOdus ſubſtantialis ſupernaturalis, ratione cuius accidens reddatur per ſe exiſtens, & ſubſiſtens omnino repugnat. *Diſp.* 18. *n.* 236. *& ſeqq.*
Modus inhærentiæ, ita eſt accidenti proprius, vt repugnet ſubſtantiæ communicari. *Ibidem. n.* 141.
Non eſt dabilis modus ad lineam accidentis pertinens, cui ex conceptu differentiali inhærentia repugnet. *Diſ.* 18. *nu.* 145. 146. *&* 147.
Modus materialis indiuiſibilis poteſt plura ſubiecta, & partes modificare, & actuare, & ratione totius ad quod *immediatè* comparatur. *Diſput.* 18. *nu.* 212.

MOTVS.

MOtus inter terminos *finitè* diſtantes, poteſt verſus minimum in infinitum procedere ſecundum partes proportionales: infinitas enim harum partium, nec motum, nec terminum motus infinitat. *Diſp.* 27. *n.* 98.
Etiam verſus maximum poteſt motus inter terminos finitè diſtantes in infinitum *ſincathegorematicè* procedere, ſi terminus productus ſimili infinitate gaudeat. *Ibidem.*

N

NATVRA ASSVMPTIBILIS A DEO.

DIuerſæ acceptiones naturæ referuntur, & explicantur. *Diſp.* 18 *num.* 1.
Non ſolum natura humana, quæ de facto fuit aſſumpta, eſt aſſumptibilis, verum etiam omnium hominum humanitates numero ab illa diſtinctæ potuerunt à Diuino Verbo in vnitatem perſonæ aſſumi. *Diſ.* 18. *num.* 2.

Natura irrationalis completa, poteſt de potentia abſoluta Deo *hypoſtaticè* vniri, & ab ipſo in vnitatem ſuppoſiti aſſumi, abſque vlla indecentia. *Diſp.* 18. *à num.* 54.
Natura irrationalis, etſi incapax ſit operationum ſupernaturalium, capax tamen eſt ſupernaturalis, & diuini eſſe ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ, ad quod non ſequuntur operationes, ſed ad eſſe eſſentiæ, & naturæ, tanquam ad principium *quo*, & formale. *Diſp.* 18. *num.* 90. *&* 91.
Vnio naturæ irrationalis cum Deo eſſet diuerſæ rationis, & ſpeciei, ab vnione rationalis naturæ. *Ibid. nu.* 105.
Etſi natura irrationalis capax non ſit effectus ſanctitatis, capax tamen eſt vnionis ſuppoſitalis cum Deo, licet maius donum ſit gratia habituali. *Diſp.* 18 *n.* 107. *& ſeqq.* Et ratione Verbi adorationem Latriæ terminaret. *Diſp.* 21. *nu* 168.
Natura creata retinendo propriam perſonalitatem, nec de potentia abſoluta poteſt diuinæ perſonæ vniri, nec per illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere. *Diſp.* 19. *num.* 14.
Natura creata non ſubſiſtit, *vt quod*, ſed tantum *vt quo*, per propriam perſonalitatem, quatenus illam radicat, propriam conſtituendo perſona; ſolum enim ſuppoſitum exiſtit, & ſubſiſtit, *vt quod*. *Diſp.* 19. *n.* 27. & 28.
Natura terminata, & completa per propriam perſonalitatem, non eſt totum, ſed pars, cum non ſit ſuppoſitum, nec perſona. Ibid. *n.* 30.
Natura creata adæquatur *intenſiuè*, & *extenſiuè* cum propria perſonalitate. *Diſp.* 19. *n.* 31.
Natura creata propria perſonalitate retenta, non poteſt alicui conuenire perſonæ, aut per illam terminari, quin propria perſonalitas eidem conueniat, & per illam terminetur: ad differentiam naturæ diuinæ. *Diſp.* 19. *n.* 33. *& ſeqq.* maximè. *n.* 39. *&* 47.
Si natura creata propria perſonalitate retenta, per diuinam terminaretur, neceſſario eſſent concedendæ duæ perſonæ in Chriſto, iuxta Sanctorum Patrum, & Conciliorum doctrinam. Ibid. *n.* 50
Natura creata exiſtens propria exiſtentia, non poteſt ad ſubſiſtentiam diuinam aſſumi, & per illam terminari. *Diſp.* 19. *à nu* 80. *vſque ad* 84.

NATVRA DIVINA.

NAtura diuina non ſubſiſtit *vt quod* per ſubſiſtentias perſonales, ſed tantum *vt quo* *Diſp.* 19. *n.* 28.
Natura diuina non dependet in exiſtendo à ſubſiſtentiis relatiuis, ſed antecedenter ad illas, ſupponitur perfectiſſimè exiſtens, & tantum ab illis recipit incommunicabilitatem perſonalem, tres conſtituendo perſonas. *D.* 19. *n* 47.
Natura diuina non poteſt ſub conceptu vitæ radicalis naturam creatam radicaliter viuentem conſtituere, nec ſub conceptu vitæ actualis intellectum creatum in actu ſecundo viuentem. *Diſ.* 31. *n* 69. *& ſeq.*
Natura diuina non vnitur, nec vniri poteſt cum natura creata ſecundum omne munus naturæ diuinæ, ſed tantum ſecundum conceptum ſanctificantis: dato autem, & non conceſſo, vniri poſſe ſub conceptu radicantis *phyſicè*, non radicaret in natura creata intellectionem, & volitionem increatas, ſed tantum creatas, quarum eſt capax. *Diſp.* 31. *num.* 112. *& ſeqq.*

NOMEN. NOMINA.

NOmina concreta, v.g. ly *homo*, licet de formali ſolam humanitatem ſignificet, de materiali tamen, & indiſtinctè ſignificat ſuppoſitum, & pro illo ſupponit. *Diſp.* 20 *à n* 22.
Nomen *homo*, per ſe abſque aliquo addito poteſt pro perſona diſtincta ſupponere, & ſolum ratione alicuius adiuncti trahitur ad ſtandum pro natura, vt in iſta propoſitione: *Homo eſt ſpecies*, cuius prædicatum eſt terminus ſecundæ intentionis: ad differentiam iſtius termini *Deus*, qui ſolum ratione alicuius notionalis adiuncti pro perſonis ſupponit. *Diſp.* 20. *num.* 24. & 25.
Iſta nomina Vitis, Paſtor, Leo de Tribu Iuda, Flos campi, Caput Eccleſiæ, & ſimilia, ſiue incomplexè, ſiue complexè accipiantur, non propriè, ſed per analogiam proportionalitatis, metaphoricè prædicantur de Chriſto. *Diſp.* 28. *n.* 17. *& ſeqq.*

NOTITIA INTVITIVA.

NOtitia intuitiua poteſt eſſe prior prioritate, non *in quo*, ſed *à quo*, obiecto per illam *intuitiuè* cognito, quod triplici exemplo oſtenditur. *Diſp.* 34. *n.* 147.

Quid requiratur ad notitiam intuitiuam propriè talem? fusè explicatur. *Diſp.* 35. *num.* 194. *&* *Diſp.* 36. *num.* 9. *& ſeqq.*

Cognitio infuſa Petro de Paulo exiſtente Romæ, illius exiſtentiam, quidditatem, & accidentia repræſentans, eſt notitia intuitiua Pauli, eſto ſit localiter abſens: ſalua tur enim coexiſtentia phyſica obiecti cum cognitione: ad differentiam cognitionis futurorum per ſcientiam infuſam habitæ. *Diſp.* 35. *n.* 200.

Ad notitiam intuitiuam non requiritur coexiſtentia obiecti cogniti in propria cognitionis menſura, ſed ſufficit coexiſtentia in menſura, cui coexiſtat menſura ipſius cognitionis, & iſto modo viſio beatifica eſt intuitiua futurorum cognitio. *Diſp.* 35. *nu.* 215. *& ſeqq.*

O

OBIECTVM.

OBiectum ſpecificatiuum intellectus creati non eſt ens in tota ſua latitudine, ſed ens, vt finito modo cognoſcibile; vnde licet Deus, vt comprehenſibilis ſit ens, non tamen poteſt intellectus creatus eleuari ad cognitionem Dei comprehenſiuam. *D.* 33. *n.* 70.

Idem eſt, de tota poſſibilium collectione dicendum. *Diſp.* 34. *n.* 97 *& ſeqq.*

Obiectum primarium debet eſſe prius cognitione ad ipſum terminata; obiectum autem ſecundarium talem prioritatem non petit, quod multis exemplis oſtenditur. *Diſ.* 34. *n.* 17. *& ſeqq.*

Obiectum primarium debet eſſe prius prioritate naturæ cognitione ſui; ſecus autem obiectum ſecundarium in alio cognitum in alio, ſpecificat. *Diſp.* 34. n. 145.

Inter actum, & obiectum non requiritur entitatiua proportio, ſed ſufficit proportio habitudinis, & in ratione obiecti formalitet; vnde Deus per viſionem creatam attingitur, à qua tamen infinitè diſtat *entitatiuè*. *Diſp.* 35. *num.* 16.

OMISSIO.

OMiſſio dilectionis ſupernaturalis Dei libera, & peccaminoſa, non ſupernaturalis, ſed naturalis eſt, & licet ſupponat forma ſupernaturalem dantem voluntati facultatem proximam ad dilectionem, non tamen eſt ratio formalis facultatis ad omiſſionem liberam, ſed tantum conditio, quę illius naturalitati non obſtat. *Diſp.* 32. *nu.* 144.

OMNIPOTENTIA.

Vide *Poſſibilia*.

OMnipotentia diuina licet *mediatè* humanitati vniatur, illam tamen omnipotentem non conſtituit, idemque de alijs attributis vitalibus dicendum, ob defectum phyſicæ informationis, realis egreſſionis, aut identitatis cum illa ad differentiam effectus ſanctitatis, exiſtentię, & ſubſiſtentię. *Diſp.* 21. *n.* 219. Vbi variæ rationes diſcriminis examinantur.

Terminus formalis connexionis omnipotentiæ, vt virtutis productiuæ, ſeu formale extremum, eſt ratio communis poſſibilis, à qua tamen non ſpecificatur, adhuc ſpecificatione virtuali, licet oppoſitum poſſit, probabiliter ſuſtineri: *Diſp.* 34. *n.* 107 *& ſeqq. maximè n.* 109.

Poſſibilia autem in particulari ſunt tantum termini materiales prædictæ connexionis. *Ibid.*

Si aliqua creatura, quæ modò poſſibilis eſt, redderetur impoſſibilis, *v.g. homo*, omnipotentia vera, quæ de facto datur, non diſtingueretur ab omnipotentia, quę fingitur per continentiam hominis, quæ nunc eſt, & in hypoteſi conficta repugnaret, ſed ex ratione communi entis veri ab ente conficta. *D.* 34. *n.* 112.

OPERARE.

OPerari, ſequitur ad eſſe exiſtentiæ, tanquam ad conditionem ex parte operantis, & ad eſſe eſſentię, vt ad rationem formalem; vnde id, quod vnitur alicui, vt principium *quo* agendi, præconcipi debet vnitum eidem ſecundum eſſe eſſentiæ, aliquam vna eſſentiam cum illo conſtituens, vel ſubſtantialem, vel accidentalem. *Diſ.* 30. *n.* 108.

OPINIO PROBABILIS.

Vide *Theologi Scolaſtici*.

CVm res aliqua de nouo agitatur, & communi Scholaſticorum ſententiæ contraria non eſt, poſſunt tres, vel quatuor Recentiores opinionem probabilem circa illam inducere ſecus autem, ſi ſit illis aduerſa. D. *20. n.* 60.

Duæ opiniones poſſunt eſſe ſeorſim probabiles, quę ſimul ſumptæ, probabilitate carent. D. 33. *n.* 113.

OPPOSITIO CONTRADICTORIA.

OPpoſitio contradictoria virtualis requirit identitatem omnimodam in ſubiecto *quod*; non tamen in ſubiecto *quo*, ſeu ratione cuius eæ res in ſubiecto *quod* continentur, aut de illo enunciantur. D. 19. *nu.* 69. *&* 70.

P

PAPA, SEV PONTIFEX.

PApa, ſeu Pontifex in occultam hæreſim lapſus, non eſt membrum Chriſti, & Eccleſię ſecundum interiorem, & formalem, Eccleſiæ conditionem, nec terminat influxum vitalem in ſe, nec vita ſupernaturali viuit: eſt tamen membrum Eccleſiæ ſecundum conditionem materialem, exteriorem, & viſibilem, quod eſt, eſſe membrum æquiuocè. D. 29 *nu.* 77.

Talis Papa hæreticus, eſt verum Eccleſiæ caput, quod per iuriſdictionem, & influxum in alios conſtituitur: iuriſdictio autem à fide non dependet; vnde in Pontifice hæretico perſeuerat. *Ibid. nu.* 81. *& ſeqq.*

Papa in hæreſim, etiam publicam lapſus, non deponitur ipſo facto à Pontificia dignitate. D. 29. *n.* 77.

PARTES.

PArtes integrales omogeneę, *v.g.* duæ medietates aquæ ab inuicem ſeparatæ, poſſunt cum Deo vniri in ratione ſubſiſtentis, ſic enim rationem totius ſubeundunt. D. 18 *nu.* 198.

Nulla pars actu alijs partibus vnita poteſt ad diuinam ſubſiſtentiam aſſumi compartibus non aſſumptis. D. 18. *nu.* 200.

Nulla pars actu aliis partibus vnita exiſtit, aut ſubſiſtit ratione ſui, aut per ſubſiſtentiam propriam, ſed per ſubſiſtentiam totius, & ratione illius. *Diſp.* 18. *num.* 200. *& ſeq.*

Partes actu vnitas exiſtere, & ſubſiſtere ratione totius non eſt ſubſiſtentiam totius conflari ex ſubſiſtentiis, & exiſtentijs, quibus partes ſubſiſtunt, & exiſtunt; ſic enim totum ſubſiſteret ſubſiſtentijs partium, non partes ſubſiſtentia totius. Ibid. *n.* 204. & 205.

Dato, quod partes ſubſiſterent, ſubſiſtentijs partialibus, adhuc non poſſet vna pars actu alijs vnita à diuina ſubſiſtentia aſſumi alijs partibus non aſſumptis, niſi diuina ſubſiſtentia munus gereret ſubſiſtentiæ partialis, quod eſt omnino impoſſibile.

PATRES ECCLESIĘ.

QVando Patres vtuntur aliqua loquutione ſeu propoſitione, ex qua ſequitur aliquod inconueniens, accipienda eſt in ſenſu impropero, & metaphorico, ſiue ſemel, ſiue pluries illa vtantur *Diſp* 20. *n.* 43. *& ſeqq.*

PECCATOR.

IN peccatore in peccato mortali exiſtente, reperiuntur fides, & ſpes, licet in ſtatu inconnaturali, & imperfecto propter abſentiam gratiæ: præſtant tamen peccatori

tori, poſſe phyſicam, *phyſicè* expeditum ad actus credendi, & ſperandi, vnde illi debetur concurſus, vt aliquando in tales actus prorumpat. *Diſp.* 23. *nu.* 19. *& num.* 43. *& ſeqq.*

Persona.

DE ratione perſonę non eſt, quod natura ex qua componitur, non communicetur alteri ſuppoſito, vel perſonæ, ſed quod perſona ipſa ex natura, & perſonalitate compoſita, non poſſit alteri ſupppoſito communicari; vnde natura diuina terminata perſonalitate Patris, terminabilis manet perſonalitate Filij. *Diſput.* 19. *à num.* 17. & 18.
De ratione perſonę eſt, terminare omnia, quæ re vera naturę conueniunt: ad differentiam præſentiæ Sacramentalis, quæ non omnia, quæ corpori conueniunt, reddit Sacramentaliter præſentia. *Diſp.* 19. *n.* 46.
Perſona in communi *ſignatè* eſt incommunicabilis, *exercitè* verò communis eſt huic, & illi ſingulari perſonæ, & de illis prædicatur. *Diſp.* 20. *nu.* 65.

Persona Creata.

PErſona creata poteſt propria exiſtentia priuari, & cum diuina exiſtentia vniri, quin cum ſubſiſtentia diuina vniatur, etiam vnione mediata formali, ſed tantum materiali. *Diſp.* 19. *num.* 72. *& ſeq. maximè à num.* 78.
In tali caſu reſultaret vnum *per ſe* in linea entis *participaliter* ſumpti, non verò vnum *per ſe* in linea entis nominaliter accepti. *Ibid. nu.* 74.

Personalitas Creata.

PErſonalitas creata (etiam ſi in modo poſitiuo conſiſtat) aſſumi non poteſt ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina; idemque de perſona ipſa eſt dicendum. *Diſp.* 16. *nu.* 6. *& ſeqq.*
Perſonalitas creata non conſiſtit in negatione actualis, & aptitudinalis communicationis ad ſuppoſitum alienum. *Diſp.* 19 *n.* 16.
Etſi perſonalitas creata reddat naturam, quam terminat ſubſiſtentem in ſe, cum negatione exiſtendi in ſuppoſito alieno connaturaliter, ex hoc tamen principio non naſcitur repugnantia eſſentialis in eo, quod natura propria perſonalitate terminata, poſſit per alienam terminari. *Diſp* 19 *nu.* 19. *vſque ad* 30.
Perſonalitas creata, & perſonalitas diuina opponuntur contradictoriè virtualiter in ordine ad terminandam naturam creatam. *Diſp.* 19. *nu.* 69. *&* 70.

Personalitas Verbi.

PErſonalitas Verbi poteſt irrationalem naturam terminare, abſque vlla indecentia *Diſp.* 18. *nu.* 54. *& ſeqq.*
In tali caſu perſonalitas Verbi redderet naturam irrationalem ſubſiſtentem incommunicabiliter, illeque effectus præſtaretur, à ſubſiſtentia perſonali Verbi, ſecundum conceptum differentialem perſonalitatis infinitæ eminenter continentis irrationalis naturæ ſubſiſtentiam. *Diſp.* 18. *n.* 117. *&* 118.
Perſonalitas Verbi in ordine ad naturam creatam ſecundario ab illa terminatam, duplicem quaſi effectum formalem primarium eminenter diſtinctum habet, nimirum, reddere ſubſiſtens perſonaliter, & incommunicabiliter, non perſonaliter. Ibid.
Perſonalitas Verbi, ſaltim ex natura rei, habet oppoſitionem cum perſonalitate creata in ordine ad ſimul terminandam naturam humanam. *Diſp.* 19. *nu.* 58. *& ſeqq. maximè n.* 60.
Perſonalitas Verbi ſecundum id quod addit ad perfectiones abſolutas, non ſanctificat humanitatem Chriſti formaliter, & oppoſitum in ſententia Thomiſtarum defendi non poteſt. *Diſp* 21 *à nu.* 118. *latiſſimè.*
Prout ſic, non dicit bonitatem, perfectionem, aut ſanctitatem, nec ad intra, nec ad extra. *Ibid. à num.* 123. *vſque ad* 132. Nec vt *quo*, nec vt *quod Num.* 133. *&* 134. Nec phyſicam, nec moralem. *A nu.* 135. *vſque ad* 139.
Perſonalitas Verbi ſecundum expreſſum perſonalitatis conceptum, non complet naturam diuinam in ratione radicis operatiuæ: & dato, quod eſſet complementum radicis operatiuæ, adhuc non eſſet ſanctitas formalis increata. *D.* 21. *n.* 162. 163. *&* 164.
Perſonalitas ſecundum expreſſum, & proprium perſonalitatis conceptum, non eſt gratia vnionis, ſaltim *completè*, & *perfectè* humanitati facta, nec prout ſic eſt donum, ſed tantum ratione diuinæ naturæ tranſcendentaliter in illa incluſæ. *Diſp.* 21. *nu.* 170. *& ſeqq.*
In hypoteſi conficta, quod humanitati Chriſti non vniretur diuina natura, ſed tantum perſonalitas Verbi, non eſſet huic eſſentiale Filium Dei naturalem actu conſtituere, nec diuinam naturam terminare. *Diſp.* 21. *n.* 193.
Perſonalitas Verbi ſecundum expreſſum perſonalitatis conceptum, non eſt ſanctitas formalis, & poſitiua, nec incompatitur cum peccato habituali, ſed tantum cum actuali, nec illa incompatibilitas cum habituali peccato eſt formalis directa, ſed ſolum indirecta. *Diſp* 21. *n.* 195. *&* 199.
Imo omnis repugnantia cum peccato actuali non conuenit illi ratione proprij conceptus, ſed ratione naturæ, quam in ſe tranſcendentaliter includit. *Ibid. n.* 197. *& ſeq.*

Petrus Apostolus.

DIuus Petrus non habet omnem gratię intenſionem de lege ordinaria poſſibilem; licet enim ſuppoſito decreto de tanta gratia ei concedenda, non ſit poſſibilis maior gratia in illo; eſt tamen poſſibilis intenſior gratia in alijs: ad differentiam gratiæ Chriſti, qua maior de lege ordinaria, non ſolum Chriſto, verum etiam alijs impoſſibilis eſt. *Diſp.* 27. *nu* 65.

Phantasma.

Vide *Species, & ſcientia infuſa.*

PHantaſma non ſolum repræſentat indiuiduum materiale ſpecificum, ſed etiam genericum, v. g. phantaſma hominis repræſentat hoc animal, hoc viuens, &c. vnde ab illo poteſt abſtrahi ſpecies repræſentatiua, non ſolum naturæ ſpecificæ, ſed etiam cuiuſcumque gradus generici intra lineam entis materialis contenti. *Diſp.* 32. *n.* 199.
Species impreſſa per ſe à phantaſmate independens eſſentialiter diſtinguitur à ſpecie impreſſa eiuſdem obiecti dependente per ſe à phantaſmatibus; vnde duæ cognitiones circa idem obiectum medijs illis ſpeciebus elicitæ, differunt ſpecificè. *Diſp.* 32. *n.* 200. *& ſeqq. maximè n.* 296.

Philotymia.

ACtus proprius Philotymiæ eſt, paruos appetere honoribus in Chriſto Domino. *Diſp* 84. *n.* 83.

Pœnitentia.

OBiectum ſpecificans actum primarium pœnitentiæ, eſt peccatum ſubiecti pœnitentis, vt expiabile, vel emendabile actus vero primarius, & ſpecificatiuus illius eſt dolor de peccato ex motiuo emendationis, vel intentio operandi ad deletionem peccati proprij præteriti. *Diſp.* 24. *num.* 84.
Habitus pœnitentiæ exiſtere nequit, niſi in ſubiecto, cui peccatum vndequaque, & omnibus inſpectis eſt abſolutè poſſibile; ad differentiam doni timoris reſpicientis malam culpæ, vt poſſibile naturæ ſecundum ſe. *Diſputat.* 25. *num.* 55.

Poſsibile. Poſsibilia.

POſſibilia non poſſunt cognoſci *comprehenſiuè*, nec *quidditatiuè* in ſcientia ſpeculatiua Dei. *Diſp.* 35. *n* 33.
Non poteſt media pars poſſibilium cognoſci in diuina ſcientia, altera mediate in omnipotentia cognita. *Ibid. nu.* 34.
Cognitio omnium poſſibilium in diuina eſſentia cognita, infert diuinę eſſentiæ comprehenſionem, nedum extenſiuam, verum etiam intenſiuam. *Diſput.* 34. *num.* 33. *& ſeqq.*
Licet quodlibet poſſibile poſſit *quidditatiuè*, & non *comprehenſiuè* in Verbo cognoſci, omnia tamen poſſibilia nequeunt

queunt cognoſci *quidditatiuè* , & non *comprehenſiuè* . *Diſp.34.à num.80 vſque ad 84.*

Etiam ſi admittatur cognitio creata, vel lumen intenſionis infinitæ , non poteſt comprehendere in diuina omnipotentia omni poſſibilia *collectiuè* , ſed ad ſummum diuiſiuè. *D.34.nu 86.& ſeqq.*

Ratio communis poſſibilis , ſeu non repugnantis eſt terminus formalis, vel formale extremum connexionis omnipotentiæ, vt virtutis productiuæ. poſſibilia vero in particulari ſunt terminus , extremum materiale prædictæ connexionis, omnipotentia tamen non ſpecificatur à ratione communi poſſibilis, adhuc ſpecificatione virtuali *ibidem.num.107.*

Prædicta ſpecificatio virtualis omnipotentiæ à ratione communi poſſibilis, quam aliqui Thomiſtæ defendunt , explicatur, & probabiliter, admittitur. *Ibid.maximè nu. 109.*

Non implicat, totam poſſibilium collectionem extra Verbum *quidditatiuè* cognoſci, de facto tamen non fuit ab anima Chriſti Domini cognita , nec ex illius cognitione ſequeretur diuinæ omnipotentiæ comprehenſio. *Diſ.35. à n.214.*

Potentia Generativa Christi.

POtentia generatiua Chriſti non fuit ad actum reducta; eius enim exercitium fini redéptionis non congruit, & perpetuæ virginitati opponitur. *Diſp.31.n.192.& Diſp. 32.n.159.*

Potentia Natvralis.

POtentia naturalis actuari , & exerceri non poteſt formaliter per actum, & formam ſopernaturalem, ſed ad ſummum materialiter. *Diſp.32.num.102.& 103.*

Potentia Obedientialis.

POtentia obedientialis paſſiua receptiua gratiæ , non poteſt eſſe *intrinſecè* ſupernaturalis. *Diſp.16.num.48. 49.& 50.*

Licet potentia obedientialis ad actus ſupernaturales vitales ſupponunt potentiam actiuam naturalem, cum illa tamen non commenſuratur *Diſp 27.nu.81.*

Potentia obedientialis receptiua gratiæ eſt *cathegorematicè* finita. *ſyncathegorematicè* autem infinita eſt. *Diſp.27. à nu 108. vſque ad 112.*

Terminus formalis potentiæ obedientialis prout a naturali diſtinctæ , eſt ratio entis ſupernaturalis communis omnibus, quæ in ſe recipere poteſt, qui terminus (etiam ſub ratione poſſibilis) non cognoſcitur ab Angelo naturali virtute *Diſp.34.n.208.& 211.*

Potentia obedientialis nequit perfectè cognoſci, Deo , vt ſupernaturali Auctore, non cognitio . *Diſp.37.nu.68.69. & 70.*

Potentia Vitalis.

POtentia vitali destructa non poteſt actio vitalis perſeuerare, licet forma ſubſtantialis , quæ eſt ſubiectum mediatum actionis remaneat: actio namq; vitalis à potentia, vt à ſubiecto immediato dependet. *D.19.n.244.*

Prædicatores.

PRædicatores , qui prędicationi Euangelicæ ridicula, iocos, & facetias admiſcent, repræhenſibiles ſunt , & grauiter peccant. *Diſp.24.nu.28.*

Præmium.

PRæmium ſupernaturale finitum, maius quid eſt in morali æſtimatione, quam præmium naturale infinitum. *Diſp.23.n.119.*

Præsentia Dei In Iustis.

PRæſentia Dei in Angelis , & animabus iuſtis diuerſimodè explicatur . *Diſp.30.num.175.*

Pronomen. Pronomina.

PRonomina ecceitatis, v.g. *hic*, & *iste*, de ſe, ſunt indifferentia, vt determinent naturam , & ſuppoſita naturæ dicendo, *hæc humanitas*, vel *hic homo*; vnde ſignificatum formale iſtius pronominis *hic*, non eſt ſubſiſtentia , aut perſonalitas, ſed ecceitas naturæ, vel indiuidua in natura ſubſiſtentis . *Diſp.20.nu.34 35.& 36.*

Prophetę. Prophetia.

LIcet Prophetia permittat obſcuritatem, illam tamen ab intrinſeco non petit , ſed quandoque obſcura eſt ; & aliquando clara; vnde Chriſto Domino conuenit. *Diſp. 25.num.98 100.& Diſp.35.num.173.& ſeq.*

Prophetia ceſſabit in patria, non ratione obſcuritatis cum viſione clara pugnantis, ſed quia ſtatum viatoris requirit. *Diſp.25.num.100.*

Prophetæ appellantur in Scriptura *videntes*, ratione claritatis, qua aliquando cognoſcunt futura , illa tamen non vident *intuitiuè*.

Propositio.

HÆc propoſitio: *Deus aſſumpſit hominem*, in aliquo ſenſu improprio, concedi debet in rigore autem , & proprietate ſermonis, eſt omnino falſa, & a Supremo Sanctæ Inquiſitionis Senatu damnata , atque à celebrioribus Hiſpaniæ Vniuerſitatibus Theologica cenſura notata . *Diſp.20.per totam .*

Si prædicta propoſitio eſſet in rigore vera , etiam eſſet concedenda in proprietate ſermonis iſta : *Deus aſſumpſit , hunc hominem, vel illum hominem.* Quæ tamen eſt erronea, imo & hæretica. *Diſp 20.n.30. & ſeqq.*

Iſta etiam propoſitio *Verbum aſſumpſit hominem Ieſum*, eſt impropria , & abſolutè falſa in omnium Theologorum ſententia. *Diſp.20.num.48.*

Hæc propoſitio. *Homo eſt vnitus Deo*, ſumendo ly *vnitus* in facto eſſe , eſt in ſenſu proprio vera : iſta autem *Homo vnitur Verbo Dei* , abſolutè eſt falſa , & ſolum in ſenſu improprio, & metaphorico, vera. *Ibidem.n.52.*

Hæc propoſitio: *Humanitas eſt animal rationale*, eſt falſa : extrema enim non ſupponunt pro eodem. *Diſp.20.num. 64.*

Propoſitio de fide *immediatè*, eſt illa, quæ immediatè continetur in aliquo teſtimonio Scripturæ , Conciliorum , aut Pontificum, vel in aliqua traditione. *Diſp.22 num.4.*

Propoſitio de fide *mediatè* , ſeu Theologica concluſio eſt , quæ ex aliquo iſtorum per euidentem conſequentiam infertur. *Ibidem .*

Propoſitio temeraria eſt illa, quæ in re Theologica, & graui materiamque fidei concernente , torrenti Doctorum opponitur. *Diſp.22.nu.24.*

Propoſitio erronea, prout ad hæretica diſtincta, eſt illa, quæ opponitur concluſioni Theologicæ per euidentem conſequentiam deductæ ex duabus præmiſſis de fide, vel ex vna de fide, & alia ratione naturali euidenti. *Diſp.22.n.25 & Diſp 35.nu.19.*

Propoſitio errori proxima eſt illa, quæ opponitur concluſioni deductæ ex vna præmiſſa de fide, & altera, etſi non euidenti, efficaci tamen argumento, & quod difficilem habet ſolutionem monſtrabili. Ibid.

Proprietates Natvrales, Sev Proprię Passiones.

PRoprietates naturales realiter ab eſſentia diſtinctæ, non connectuntur cum eſſentia eſſentialiter , ſed tantum connaturaliter; vnde ſine eſſentia exiſtere poſſunt, vt patet in Sacramento Euchariſtiæ. *Diſp.30.n.9.*

Proprietates naturales, v.g. intellectus, aut voluntas, diſpoſitiones præuiæ ad animam rationalem non ſunt; gradum enim vltimum, & differentialem conſequuntur , ad quem non poſſunt diſponere. *Diſp.30 n 39.*

Proprietas naturalis debet comitari naturam à primo ſuæ formationis inſtanti, inſeparabiliter inhærere, à principio intrinſeco naturæ cauſari, & neceſſario, & dimanatiuè à tali princip o procedere. *Diſp.30.nu.123.* Vbi plures conditiones ad proprietatem naturalem examinantur. *à nu. 128.*

Prvdentia.

PRudentia naturalis connaturaliter exigitur ad exiſtentiam virtutum acquiſitarum, non tamen aſſentialiter, vnde ſine illa extiterunt in Chriſto à primo conceptionis inſtanti, ſupplente eius regulatione habitu prudentiæ infuſæ. *Diſput. 24. numer. 72. & ſeqq.*

Ad prudẽtiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præſentium, futurorumque prouidentia. *Diſp. 35. nu.* 16.

Licet ad prudentiam monaſticam, ſolum ſpectent ſingularia agibilia; ad prudentiam vero politicam, & Regalem Monarchicamq; totius vniuerſi omnia illius indiuidua ſpectant. *Diſp.* 35. *nu.* 17.

Pver.

PVer non baptizatus, quando primo peruenit ad vſum rationis, tenetur inexcuſabiliter (ſaltem ſecundum regularem Dei prouidentiam) Deum ſuper omnia diligere dilectione ſupernaturali, qua iuſtificari poſſit. *Diſ.* 23. *n.* 42.

Q

Qvalitas.

QValitas ſupernaturalis fluida, citoque tranſiens, non poteſt permanentem inclinationem ad actus ſupernaturales præſtare. *Diſp* 23. *num.* 11. *& num.* 20. *& ſeqq.*

Actus media qualitate fluida eliciti, non dependenter per ſe ab illa ſecundum vltimam differentiam, per quam à qualitate permanente diſtinguitur; ſed ſecundum ra ionem vtrique qualitati communem. *Ibid.*

Qvantitas.

QVantitas reſpectu ſubſtantiæ, aſt ſubiectum *quo* immediatum receptiuum aliorum accidentium; vnde omnia illa deficiunt, deſtructa quantitata. *Diſp.* 19. *n.* 344.

R

Revelatio.

SI alicui negaret Deus omnem gratiam eleuantem intrinſecam, illique hoc decretum reuelaret, non poſſet illius intellectus prædictæ reuelationi aſſenſum præbere. *Diſp.* 23. *n.* 104.

S

Sanctitas.

SAnctitas abſtrahit à ſanctitate accidentali, & à ſanctitate ſubſtantiali, & prout ſic, eſt communis ad vtramque non *vniuocè*, ſed *analogicè*, vtroque analogiæ genere, attributionis, ſcilicet, & proportionalitatis. *Diſp.* 21. n. 32. & 33

Sanctitas increata ſub eodem conceptum, Deum, & creaturam ſanctificat. *Ibid.*

Sanctitas, alia eſt negatiua, conſiſtens in expulſione peccati, & oppoſitione cum illo; alia poſitiua, & perfecta, quæ ad negatiuam ſuperaddit bonitatem terminantem amorem Dei ſupernaturalem amicabilem cum potentia radical redamandi *Diſp.* 21. *paſſim, ſpecialiter num.* 109. 112. 174. & 189.

Sanctitas neceſſario eſt bonitas, & perfectio; vnde ſi in Deo non dantur perfectiones relatiuæ; nec ſanctitates relatiuæ, & perſonales, poſſunt admitti: ſequuntur enim eadem prorſus inconuenientia. *Diſp.* 21. *n.* 128 *& ſeqq.*

Sanctitas eſt ſpiritualitas, & vita formaliter realiter, non autem formalis per rationem; vnde poteſt vnus conceptus communicari, altero non communicato formaliter. *Diſp* 21 *n.* 252. *& ſeqq.*

Non omnis ſanctitas conſiſtit in ſimilitudine cum Deo, ſed ſolum illa, quę à gratia habituali præſtatur. *D.* 21. *n.* 254

Sanctitas per eſſentiam, & ſanctitas per participationem compatiuntur in eodem ſubiecto ratione diuerſarum naturarum: ad differentiam filiationis naturalis, & adoptiuę. *Diſp.* 22. *n.* 17. *& ſeqq. & fuſius n.* 52. *& ſeqq.*

Sanctitas præſtita humanitati à gratia vnionis augeri non potuit *Diſp.* 27. *n.* 1.

Schisma, Schismaticvs.

SChiſma, quod à ſciſura animorum dictum eſt, directe, & per ſe opponitur vnitati; vnde cum in Eccleſia ſit duplex vnitas, fidei nimirũ, & charitatis, duplex etiam ſchiſma reperitur, vnum vnitati fidei, oppoſitum, ſcilicet hæreſis, & aliud vnitate charitatis. *Diſp.* 29. *num.* 29.

Licet peccatum ſchiſmatis ſemper diſponat ad hęreſim, & omnis hæreticus ſit ſchiſmaticus, non tamen omnis ſchiſmaticus eſt hæreticus. Ibid.

Schiſmatici ſunt membra Chriſti, ſi ſchiſma ſolum charitati opponatur; ſecus vero ſi opponatur fidei. *Diſp.* 26. *n.* 29.

Scientia.

Vide *Anima Chriſti, & Chriſtus.*

SCientia aliquando accipitur pro ſpeciebus, quandoque vero pro habitu tenente ſe ex parte potentiæ, illique facilitatem præſtante, iſtaque ſecunda ſcientiæ acceptio, iam apud Logicos, Mataphyſicos, & Theologos inualuit. *Diſp.* 32. *n.* 112.

Scientia naturalis per ſe infuſa, & ſcientia per ſe acquiſibilis *ſpecificè* diſtinguuntur. *Diſp.* 32. *nu.* 201. *& ſeqq.* Vbi plura, ad vnitatem, vel diuerſitatem ſcientiarum, ſpecierum, & actuum conducentia, traduntur.

Scientia Beata.

Vide *Animæ Chriſti circa medium.*

Scientia Libera Dei.

SCientia libera Dei, ad ſcientiam, neceſſariam addit terminationem liberam defectibilem ſub conceptu terminationis, & indefectibilem ſub conceptu entitatis, quæ terminatio diuerſa eſt, iuxta obiectorum diuerſitatem. *Diſp.* 34. *n.* 137.

Scientia libera Dei comprehendi, non poteſt ſub conceptu liberæ terminationis, non comprehenſa ſub conceptu entitatis, & actualitatis; benè tamen è contra. Ibid. nu. 140. & 141.

Scientia Media.

SCcientia Media explicatur, & ab intellectu Chriſti relegatur reſpectu ſuorum actuum liberorum, quos per viſionem beatificam, vt futuros cognouit. *Diſp.* 34. *n.* 160 *&* 161.

Scientia Svpernatvralis Per Se Infvsa.

Vide *Animam Chriſti.*

SCientia ſupernaturalis per ſe infuſa aſt illa, per quam res in proprio genere, & in ſe ipſis ſupernaturaliter cognoſcuntur. *Diſp.* 35. *nu.* 6.

Per ſcientiam ſupernaturale infuſam poſſunt cognoſci, non ſolum illa, quæ per virtutem intellectus agentis attinguntur, ſed etiam multa alia, ad quę illius virtus nõ ſe extendit. *Diſp.* 35. *nu.* 3. *& ſeqq.*

Per illam, etiam cognoſci poſſunt *quidditatiuè* omnia dona ſupernaturalia, quæ ſunt de facto producta, etiam illa, quæ cum Deo, vt Trino ſunt connexa. *Diſp.* 35. *à nu.* 41. Imo, & comprehenſiuè.

Etiam potentia obedientialis creata. *nu.* 90. Et vnio hypoſtatica, *à nu.* 114.

Per ſcientiam infuſam non cognoſcuntur futura contingentia cognitione propriè intuitiua. *Diſp.* 35. *a nu.* 194.

Per iſtam ſcientiam poteſt tota poſſibilium collectio *quidditatiuè* extra Verbũ cognoſci, per vnam ſpeciem creatam, & finitam, abſque eo quod ſequatur diuinæ omnipotentiæ comprehenſio, licet de facto non fuerit, etiam ab anima Chriſti cognita. *Diſp.* 35. *nu.* 124. *& ſeqq.*

Cognitio ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ, poteſt eſſe cognitio ſui ipſius, vt poſſibilis non in ſe, & ratione ſui, ſed

in ſui cauſa creata, ſcilicet, in intellectu creato, nec ſe ſe ipſam ſpecificaret, nec eſſet cognitio directa, & reflexa, reflexione immediata, ſed tantum mediante, ſcilicet, alio principio prius cognito, in quo ipſa cognitio cognoſcatur. *Diſput.* 35 *num.* 242.

Imo ad ſe ipſam, vt poſſibilem, in ſe, & ratione ſui terminari, non repugnat. *Diſp.* 35 *n.* 243. *&* 244.

Talis cognitio non eſſet propriè directa, & reflexa, ſed directa propriè, & largè reflexa, in quo nullum inconueniens reperitur. *Ibid.*

Scientia per ſe infuſa, licet diſcurſiua non ſit quantum ad ſcientiæ acquiſitionem; eſt tamen diſcurſiua quoad vſum. *Diſp.* 36 *n.* 49. *& ſeqq. Diſp.* 37. *n.* 76. *& ſeqq.*

Scientia infuſa eſſentialiter conſiſtit in habitu eleuante potentiam a ſpeciebus per ſe infuſis diſtincto. *Diſp.* 37. *à n.* 10.

Scientia infuſa realiter diſtinguitur à lumine gloriæ. *Diſp.* 37. *n.* 31.

Poſſibilis eſt de potentia abſoluta vnus habitus ſcientiæ per ſe infuſç ſupernaturalis, qui ad omnia obiecta extra Verbum ab anima Chriſti in ſe ipſis ſupernaturaliter cognita, extendatur. *Diſp.* 37 *num.* 46. *&* 47.

Hęc ſcientia non diſtinguitur in duos habitus quorum vno obiecta naturalia, & alio entia ſupernaturalia cognoſcantur. *Diſput.* 37. *numer.* 48 49. *&* 50.

Nec in tot habitus diuiditur, quot ſpecies intelligibiles. *Ibid. n.* 51. *vſque ad* 64. Sed vnus eſt ſpecificè. *N.* 65. *& ſeqq.*

Scientia infuſa non conuenit animæ Chriſti ratione potentiç obedientialis ſibi, & Angelis communis, ſed ratione potentiæ obedientialis ſibi propriæ, & ad gradum differentialem conſequutæ, eſſentialiterque diſtinguitur a ſcientia infuſa Angelorum. *Diſp.* 37 *num* 106. *& ſeq.*

Scientia infuſa non conſequitur in Chriſto ad gratiam habitualem, vt proprietas, ſed moraliter ad gratiam vnionis. *D.* 37. *à num.* 107.

Scientia infuſa in anima Chriſti reſidens, non fuit neceſſario cum actuali omnium ſuorum obiectorum cognitione coniuncta. *Diſ.* 37. *à nu.* 126.

Nec fuit neceſſario ſemper in conſideratione alicuius obiecti, nec extraxit animam Chriſti à modo agendi naturali extractione proportionis, ſed tantum extractione ordinis. *Ibid. n.* 127. 128. *&* 129.

SERVITVS.

SEruitus, ad differentiam filiationis, non ſolum reſpicit perſonam, ſed etiam naturam vnde Chriſtus ratione naturæ humanæ eſt ſeruus Dei. *Diſp.* 22. *num.* 68.

SINGVLARE, SINGVLARIA.

DE ſingularibus contingentibus ſumptis *exercitè* ſcientia non datur, ſi vero *ſignatè* accipiantur, actum ſcientificum terminare poſſunt, & de illis prout ſic paſſiones ad ſpeciem conſequutæ demonſtrantur. *Diſp.* 31. *num.* 208.

Singularia poſſunt (ſaltim *reflexè*) per virtutem intellectus agentis cognoſci, per ſpecies vero infuſas à Deo *directè* repræſentantur. D. 35 *nu.* 12.

Licet ſingularia contingentia non pertineant ad perfectionem intellectus ſpeculatiui, pertinent tamen ad perfectionem intellectus practici. *Diſp.* 35 *n.* 16.

SOL.

SOl non eſt capax recipiendi in ſe calorem *formaliter*, propter ſuam incorruptibilitatem, nec iſta incapacitas prouenit ex eo quod *eminenter effectiuè* calorem continet. *Diſp.* 32 *num* 32.

Lux Solis, etſi poſſit dici aliquo modo infinita in ratione lucis, ſimpliciter tamen infinita non eſt. *Diſp.* 26. *num.* 96.

SPECIES IMPRESSA.

Vide *Supernaturale*, *& phantaſma.*

IN ſpecie impreſſa, etiam increata, diſtinguitur, ſaltim virtualiter, eſſe intelligibile ab eſſe naturali; vnde poteſt in vno eſſe, vniri, non vnita ſecundum aliud. *Diſ.* 31. *n.* 50. 53. 54. & 55.

Species impreſſa non eſt intelligenti per ipſam principium *quo* radicale, aut proximum operandi vitaliter, ſed tantum complementum principij ex parte obiecti, ſimul cum intellectu ad eliciendam intellectionis concurrens. *Diſp.* 32. *num.* 97 *& ſeqq.*

Species ſuperioris ordinis poteſt æquiualere infinitis ſpeciebus ordinis inferioris, illaſque excedere, quod etiam in cognitione contingit. *Diſp.* 35. *num* 13.

Species ſupernaturales infuſæ repræſentant individua *directè*, & naturam, non vt a ſingularibus abſtractam, ſed vt in illis contractam; vnde medijs his ſpeciebus *directè* cognoſcuntur ſingularia. *Diſ.* 35. *num.* 12.

Vna ſpecies poteſt infinita obiecta repræſentare, abſque eo quod infinita euadat. *Ibid. num* 13.

Species ſupernaturalis infuſa repræſentat ſingularia, vt exiſtentia, complexioneſque contingentes, que extra eſſentiam ſubiecti ſunt, inuariata ex parte ſui, ſiuè exiſtat res, ſiuè non exiſtat attamen cum res exiſtit, repræſentat exiſtentiam, vt exercitam; ſecus autem quando non exiſtit. *Diſp.* 35. *n.* 22.

Non eſt dabilis ſpecies *immediatè* repræſentans decretum liberum Dei clarè, & euidenter quoad *an eſt*. *Diſp.* 35 *n.* 164.

Dabilis eſt ſpecies creata repræſentans futura contingentia in ſe ipſis. Quæ ſpecies ſupernaturalis debet eſſe, ſicut omnia futura contingentia in ratione cognoſcibilium ſupernaturalia ſunt. *Diſp.* 35. *num* 184. *& ſeqq.*

Non repugnat vna ſpecies creata repræſentans totam poſſibilium collectionem, quæ ſpecies finita eſſet, ſicut & illorum quidditas. *Diſp.* 35 *num.* 232. *&* 233. *& num* 240. *& ſeqq.*

Implicat ſpecies creata, Deum *quidditatiuè* repræſentans; deberet enim eſſe eiuſdem ſpeciei (ſaltim in eſſe intentionali) cum natura diuina, quod formam creatam repugnat. *Diſp.* 36. *n.* 5. *& ſeqq.*

Non eſt dabilis ſpecies immediata obiecti, quæ quidditatiua non ſit. *Diſput.* 36. *num.* 17. *&* 18. *& num.* 25. *& ſeqq.*

Species infuſæ animæ in ſtatu ſeparationis, non habent dependentiam à corpore in repræſentando, nec ordinem ad materiam dicunt; vnde conueniunt cum Angelis, quos repræſentant in gradu immaterialitatis, animæque debentur in illo ſtatu præternaturali, in quo ſupra corpus in modo operandi eleuatur. *Diſputat.* 36. *num.* 28. *&* 29.

Dabilis eſt ſpecies creata expreſſa, imo & impreſſa, Trinitatis immediata *terminatiuè*, ſed non immediata *motiuè*. *Diſput.* 36. *a num.* 97. *vſque ad* 100

Species ſcientiæ infuſæ inſeruientes, tam circa entitates ſupernaturales, quam circa entitates ordinis naturæ, ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, & *entitatiuè*, ſicut, & illarum rerum cognitio. *Diſputat.* 37. *numer.* 2 *& ſeqq.*

Implicat vna ſpecies, quæ *entitatiuè* indiuiſa, ſit habitus intellectum facilitans. *Diſputat.* 37. *numer.* 29. *&* 30.

SPECVLVM.

SPeculum accipit ſpecies à rebus repræſentatis, & continet que illas *diſtinctè* ex parte rerum, & *diſtinctè* ex parte ſui, vnde eſſe ſpeculum creaturarum conuenit Deo non *propriè*, ſed *metaphoricè*. *Diſp* 34. *nu.* 21.

SPES.

OBiectum primarium ſpei eſt Deus, vt non poſſeſſus, ſed vt arduè poſſidendus; vnde non fuit in Chriſto, qui ex vi viſionis beatificè, a primo inſtanti Deum perfectè poſſidebat. *Diſp* 24. *nu.* 86. *& ſeqq.*

SPIRITVS SANCTVS.

SPiritus Sanctus non eſt Pater Chriſti, vt hominis, nec ratione creationis, nec ratione ſanctificationis. *Diſp* 21. *à num.* 49. *vſque ad* 66.

Ly *Spiritus Sanctus*, prout tertiæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis appropriatur, non eſt terminus complexus, nec in vi duarum dictionum accipitur, ſed eſt terminus incomplexus, & in vi vnius dictionis ſumitur, quæ ratione non ſanctitatem, ſed impulſum per voluntatem procedentem ſignificat *Diſp* 21. *num* 190.

Nomine *Spiritus Sancti*, Perſona Filij aliquando ſignificatur. *Diſp.*22.*nu.* 10.

Spiritus Sanctus dicitur, & eſt cor Eccleſiæ, à quo Chriſti humanitas omnem, quam habet, accipit perfectionem. *Diſput.*18. *num.*32. 33. *&* 34.

Subiectum.

NOn poteſt dari ſubiectum ſuſtentans *ſubiectiuè* formam, ſine illius receptione. *Diſp.*18.*à n.*165.*vſque ad* 173. vbi variæ inſtantiæ aſferuntur, & diluuntur.

Deſtructo ſubiecto immediato vnionis, actionis, aut receptionis, neceſſario deſtruitur vnio, actio, & receptio, licet ſubiectum mediatum perſeueret. *Diſp.*19.*nu.*144.

Subiectum propoſitionis non determinat prædicatum, vt ſtet pro aliquo, pro quo terminus ex parte prędicati poſitus de ſe non ſupponit; prædicatum autem aliquando trahit ſubiectum, vt ſtet pro aliquo, pro quo de ſe non ſupponebat. *Diſp.*10.*n.*26.*& ſeqq.* Vbi pulchra traditur doctrina circa ſignificationem, & ſuppoſitionem terminorum, propoſitionumque veritatem.

Impedimentum auferibile per formam, non tollit à ſubiecto capacitatem ad illam. *Diſput.*39.*n* 6.

Subsistentia.

SVbſiſtentia creata, licet terminet propriam naturam, & in illa recipiatur, hoc ſecundum de materiali ſibi conuenit attenta formali ratione ſubſiſtentiæ ſubſtantialis. *Diſp.*18 *n.*169.

Subſiſtentia non pręſupponitur eſſentialiter ad exiſtentiam ſed tantum connaturaliter. *Diſput.*18.*nu.*178.*& Diſp.*19.*nu.*73.*& seqq.*

Subſiſtentia compoſiti, ſiue eſſentialis, ſiue integralis, eſt vna indiuiſibilis, & non compoſita ex partialibus ſubſiſtentijs, idemque eſt de exiſtentia dicendum. *Diſp.*18 *nu.* 200. *vſq; ad* 215.

Dato, quod ſubſiſtentia ſit diuiſibilis in partes ipſam componentes, adhuc non ſequitur, eſſe diuiſibilem in ſubſiſtentias partiales: quod multis exemplis oſtenditur. *Diſput.*18 *n.*216.*&* 217.

Subſiſtentia ex ſuo eſſentiali conceptu in ſui vnione ad naturam, quam ſubſiſtentem conſtituit, non importat imperfectionem dependentię, informationis, aut identitatis cum natura, cui vnitur, ſed tantum petit terminationem: ad differentiam intellectionis. *Diſput.* 51. *numer.*88. *& ſeqq.*

Subſiſtentia diuina non poteſt gerere munus ſubſiſtentiæ partialis. *Diſp.* 18.*num.*206.207.*&* 218.*& seqq.*

Substantia Supernaturalis Creata.

SI eſſet poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis creata, peteret ab intrinſeco cognoſci per ſe ipſam, vt principium radicale, nullaque alia cognitio ab inferiori principio procedens, poſſet eſſe illius comprehenſio. *Diſp.*35. *num.* 128.*& ſeqq.*

Supernaturale.

Vide *Actus ſupernaturalis*.

VT aliquid ſit ſupernaturale, non ſufficit exceſſus ad exigentiam huius, vel illius naturæ, ſed requiritur exceſſus ad exigentiam totius naturæ. *Diſp* 17. *num.* 81.

De ratione entis ſupernaturalis eſt, quod ſubiecto, reſpectu cuius ſupernaturale dicitur, nec *phyſicè*, nec *moraliter* debeatur. *Diſp.*30. *n* 151.

Species ſupernaturalis impreſſa, poteſt ſuum obiectum obſcurè repræſentare, ſicut datur ſupernaturalis cognitio obſcurè ſuum obiectum attingens, & mediante tali ſpecie poteſt elici clara cognitio. *Diſp.*32.*num.*227.

Species actus ſupernaturalis, non ſemper ſumitur ab obiecto *entitatiuè* ſupernaturali, ſed ſufficit, quod ſupernaturale ſit *obiectiuè*, & in ratione cognoſcibilis. *Diſp.*35. *nu.*34.*& ſeqq.*

Effectus ſupernaturales non cauſantur efficienter à Deo, vt Trino *per ſe* perfectate cauſæ, ſed poſſent à Deo ſic cauſari, etiam ſi Trinus in perſonis non eſſet. *Diſput.*36. *num* 72.*& ſeq.*

Suppositum.

DIſtinctio ſuppoſiti à natura ante Incarnationis Myſterium fuit cognita, non ſolum ab Angelis, ſed etiā ab hominibus. *Diſp.*20. *n.* 66.67. *&* 68.

T

Temperantia.

AD temperantiam non exigitur inſurgentia paſſionum rationi repugnantium, ſed tanto eſt perfectior in homine, quanto magis caret prauis concupiſcentijs. *Diſp.*24.*n* 16.

Tentatio.

TEntatio, ſiue ab exteriori principio, ſiue ab appetitu ſenſitiuo procedat, quantumcumque creſcat, non poteſt libertatem voluntatis auferre, niſi totaliter rationem abſorbeat, vt contingit in amentibus. *Diſp.* 37. *nu.*76.

Theologia.

HAbitus Theologiæ, ſi ſupernaturalis eſt quoad ſubſtantiam, non præſupponit per ſe ſpecies naturales ex genere ſuo acquiſibiles, ſed poteſt medijs ſpeciebus ſupernaturalibus ad aſſenſum Theologicum concurrere. *Diſp.*32.*n.*197.

Vel ſpecies naturales non nudè ſumptæ, ſed vt eleuatæ per ſupernaturalem formam ad prædictum aſſenſum concurrunt. *Ibid.*

Theologica Conclusio.

THeologica concluſio eſt illa, quæ ex aliquo teſtimonio Scripturæ, Conciliorum, aut Pontificum, vel ex aliqua traditione, per euidentem conſequentiam infertur, taliſque concluſio eſt *mediatè* de fide. *Diſp.*22.*n.*4.

Theologi Scholastici.

THeologos Scholaſticos in aliqua ſententia Concilijs, & Patribus aduerſa, conuenire, eſt ad minus moraliter impoſſibile. *Diſp.*20 *num.*9.

Cum omnes Theologi Scholaſtici antiqui pro aliqua ſententia ſtant, non poſſunt tres, vel quatuor Recentiores Theologi certitudinem antiquæ ſententiæ turbare, nec oppoſitam probabilem reddere. *Diſput.*20.*n.*10.

Cum de ſenſu alicuius propoſitionis à Patribus, & Concilijs aſſertæ, dubium eſt, an proprius, an metaphoricus ſit, communi Scholaſticorum ſententiæ eſt omnino ſtandum, nec ab illa licebit recedere. *Disp.*20. *nu.*8

Communis Theologorum Scholaſticorum, & Patrum conſenſus conſpirantium in aſſertionem alicuius veritatis, vt indubitatam, & in Scripturis contentam, inducit certitudinem fidei. *D.*22 *n.*19.

Timor.

TImor, alius ſeruilis, qui timet pœnam, alius filialis, ſeu caſtus, qui timet culpam, ſeu ſeparationem à Deo. *Diſp.*25.*à n.*10. Vbi multa de his timoribus, varijſque ſubdiuiſionibus attinguntur.

Ob actum timoris ſtricti, non eſt malum poſſibile alijs, ſed neceſſario debet eſſe poſſibile timenti. *Diſp.*25.*à num.* 39.*vſque ad* 45.

Primarius actus doni timoris non eſt fuga mali culpæ, ſed ſubiectio reuerentialis ad Deum, ob diuinam eminentiam, non abſolutè inſpectam, ſed vt potentem infligere malum *poſitiuè*, aut *permiſſiuè*. *Diſp.*25.*à n.*58.

Donum timoris non poteſt ex ratione communi timoris reſpicere eſſentialiter malum, tanquam principale obiectum, & ſub ratione differentiali doni reſpicere bonum, vt obiectum ſpecificans. *Diſp.*25.*nu.* 76.

Actus primarius doni timoris ex conceptu differentiali eſt proſequutio, & fuga penes conceptus inadæquatos, ex quibus poſſe vnam vltimam differentiam conflari, varijs exemplis oſtenditur. *Diſp.*25. *n.*76.*& seqq.*

Oble-

Obiectum *quo* doni timoris eſt eminentia diuina, obiectũ *quod* eſt Deus, & naturalis defectus, Deus in obliquo, & naturalis defectus in recto, ſicut cultus Deo exhibitus reſpectu religionis. *Diſp.* 25. *n.* 64.

TRINITAS.

DEus vt trinus fuit à Christo Domino cognitus per ſcientiam infuſam euidenter quoad *an eſt* in effectibus ſupernaturalibus, non vt ſunt a Deo *effectiuè*, ſed prout aliqui eorum ad Deum *obiectiuè* terminantur. *Diſp.* 36. *n.* 71.

Deus vt trinus non eſt *per ſe* perſeitate cauſæ primum efficiens effectuum ſupernaturalium, ſed vt vnus. *Ibidem n.* 72. *& ſeq.*

Trinitas perſonarum poteſt extra Verbum cognoſci euidéter quoad *an eſt*, etiam cognitione non diſcurſiua. *Diſp.* 39. *n.* 95. *& ſeqq. & à n.* 101.

Non repugnat ſpecies expreſſa, imo nec impreſſa Trinitatis immediata *terminatiuè*, non autem immediata *motiuè*. *Diſp.* 36. *n.* 97. *vſque ad* 100. Vbi termini explicantur, & modus, quo talis ſpecies producitur, declaratur.

TRISTITIA.

TRiſtitia, & delectatio, etiam de diuerſis obiectis, ab eodem ſubiecto ſe mutuo expellunt, nec in gradibus intenſis poſſunt naturaliter coexiſtere; habent enim oppoſitionem ſubiectiuam, & quantum ad effectum contrariantur, quod in odio, & amore, aliiſque affectionibus non contingit. *Diſp.* 32. *n.* 61.

V

VERBVM.

VErbum non in intellectione, ſed in termino intellectionis conſiſtit. *Diſp.* 31. *nu.* 103.

Verbum *propriè*, & *adæquatè* acceptum eſt vitale *terminatiuè*: ſecus vero ſumptum communiter: ad differentiam intellectionis, quæ quocumque modo accepta, vitalis eſt. *Diſp.* 31. *nu.* 104. 105. *& ſeqq.*

VERBVM DIVINVM.

Vide *Propoſitio*.

VErbum diuinum in triduo mortis Chriſti erat quidem habens animam rationalem, non tamen poterat dici anima, vel animatum. *D.* 18. *n.* 128.

Vel poterat dici animatum concretiuè, non concretione ſubiectiua, ſed ſuppoſitali. *Diſp.* 18. *nu.* 161. 162. *&* 195.

Axioma illud: *Verbum, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, intelligitur de partibus principalibus humanitatis, nimirum, de materia, & anima rationali, non de modis vnionis, nec de ipſa humanitate, quam poſt mortem, in qua deſtructa fuit, dimiſit. *Diſp.* 18. *n.* 274.

Hæc propoſitio: *Verbum aſſumpſit hominem*, in ſenſu improprio admitti debet: in ſenſu autem proprio, & rigoroſo eſt omnino falſa. *D.* 20. *per totam.* Vbi pulchra tam Dialectica, quam Theologica doctrina circa terminorum ſignificationem, & ſuppoſitionem, propoſitionumque veritatem, traditur, & explicatur.

Vt Verbum diuinum humanitatem ſanctificet cauſalitate realiter, à ſe diſtincta non eget. *Diſp.* 21. *nu.* 90. *&* 91.

VIRTVS INFVSA, ET NATVRALIS PER SE ACQVISIBILIS.

VIrtutes infuſæ, ad ſtatum perfectum, & connaturalem, requirunt præexiſtentiam gratiæ habitualis, & ſine illa non poſſunt perfectè, & connaturaliter in proprios actus exire. *Diſ.* 23. *n.* 13. 14 *&* 15 *& à n.* 27. *vſque ad* 35.

Virtutes ſupernaturales per ſe infuſæ cum ſtatu beatifico, aut cum vnione humanitatis ad Verbum non repugnantes, fuerunt in anima Chriſti, ſicut gratia habitualis, ad quam vt proprietates conſequuntur. *Diſp.* 24. *num.* 1. & 2.

Prædictæ virtutes fuerunt in anima Chriſti à primo ſuæ conceptionis inſtanti in ſumma intenſione de lege ordinaria poſſibili. *Ibid. n.* 3.

Virtutes per ſe acquiſibiles fuerunt in anima Chriſti, vt eius voluntas actus naturales honeſtos promptè, faciliter, & ſuauiter, ſicut oportebat, eliceret; quam facilitatem habitus ſupernaturalium virtutum præſtare non poterant. *Diſp.* 24. *n num.* 6.

Virtutes, quæ ſunt ad alterum, non ſunt neceſſariæ in nobis propter reſidentiam appetitus; reſident enim in voluntate: ſed neceſſariæ ſunt, vt voluntatem inclinent ad bonum alienum, ad quod non eſt perfectè inclinata, ſicut eſt ad bonum proprium. *Diſp.* 24. *nu* 11.

Virtutes per ſe acquiſibiles, fuerunt Chriſto Domino infuſæ per accidens à primo conceptionis inſtanti. *Diſp.* 24. *num.* 36.

Virtutes morales ſunt virtutes *ſimpliciter*, & præſtant, non ſolum facultatem agendi, ſed etiam bene agendi, beneque vtendi facultate habita: ad differentiam virtutum intellectualium, quæ tantum *ſecundum quid* ſunt virtutes. *Diſp.* 24. *num.* 46.

Virtutes per ſe acquiſibiles fuerunt animæ Chriſti infuſæ à primo inſtanti cum omni intenſione de lege ordinaria poſſibili; vnde per exercitium actuum, incrementum non ſuſceperunt. *Diſp.* 24. *n.* 78.

Sine his virtutibus non potuit Chriſtus vllo modo illarum actus cum facilitate exercere. *Ibidem numer.* 79.

VIRTVS THEOLOGICA.

VIrtuti Theologicæ non obſtat, attingere per actum ſecundarium bonitatem creatam, aut malum tanquam principale obiectum. *Diſp.* 25. *nu.* 67 68 *&* 69.

Nec illi opponitur, habere pro obiecto primario bonitatem creatam, quatenus in diuina contentam, reduplicatam, non bonitate contenta, ſed bonitate continente. Ibid.

Nec illi repugnat, reſpicere eſſentialiter in obliquo aliquid creatum, tamen a parte rationis formalis *quæ*, quam ea parte rationis formalis *qua*, vt conſtat in ſpe. *Diſp.* 25. *num* 71. 72. *&* 73.

Vt aliqua ſit virtus Theologica, requiritur, quod obiectum adæquatum primarium *quod* actus eam ſpecificantis, ſit aliquid increatum. *Diſp.* 25. *num.* 76. *& ſeqq.*

VISIO BEATIFICA.

Vide *Vnio hypoſtatica*.

IN viſione beatifica non ſupplet Deus concurſum ſpeciei impreſſæ, quæ nec datur, nec poſſibilis eſt, ſed gerit munus ſpeciei. *Diſp* 18. *num.* 242.

Viſio beatifica non eſt formalis ſanctitas, licet pugnet eſſentialiter cum omni peccato, tam actuali, quam habituali. *Diſp.* 21. *num.* 195. *&* 196.

Viſio beata ad ſe ipſam in confuſo terminatur, imo ſe ipſi ſecundario expreſſe attingit, abſque eo quod ſe ipſam ſpecificet, à ſe ipſa realiter dependeat, nec ſe ipſam realiter ſupponat, ſine reali reſpectu ad ſe ipſam, & ſine eo quod ſit ſui ipſius imago. *Diſp.* 34. *n.* 9. *&* 10.

Directè autem, & primario non poteſt ſe ipſam attingere. *Ibid. n.* 13.

Viſio beatifica poteſt eſſe cognitio ſuæ cognitionis reflexæ. *Diſp.* 34. *n.* 17. *& ſeqq.*

In viſione beatifica non datur ſucceſſio, etiam in ordine ad obiecta ſecundaria, ſed beatis à principio innoteſcunt omnia, quæ cognoſcere deberent. *Diſp.* 34. *n.* 121. *& Diſp.* 35. *n.* 211. *&* 212.

Viſio beatifica comprehenditur per ſcientiam ſupernaturalem infuſam, & tanta eſt ſcientia infuſa in ratione intellectiuæ, quanta eſt viſio in ratione intelligibilis. *Diſp.* 35. *à n.* 99. *vſque ad* 113.

Viſio beatifica eſt notitia intuitiua futurorum in Verbo. *D.* 35. *num.* 180. *& ſeq.*

Viſio beatifica non poteſt quidditatiuè, aut comprehenſiuè cognoſci, Deo, vt trino, qui eſt eius proprium obiectum euidenter quoad *an eſt*, non cognito. *Diſp.* 36. *num.* 76. *& ſeqq.*

VNIO.

VNio formæ ad ſubiectum eſt conditio neceſſario requiſita, vt illius effectum recipiat, ſicuti applicatio paſſi ad agens. D. 21 *n* 92.

Vnio extremorum, ex quibus concretum phyſicum reſultat, non poteſt *phyſicè* cauſari ab agente, quod non ſit

eiuſdem, vel ſuperioris formæ cum illa, quæ conſtituit concretum; vnde licet homo non generetur per productionem animæ, ſed per vnionem illius ad materiam, non poteſt niſi ab homine generari. *Diſp.* 35 *num.* 133.

Vnio Hypostatica, Sev Svbsantialis cvm Deo.

VNio hypoſtatica dignior, & præſtantior eſt vnione cum Deo per gratiam habitualem, & vnione per viſionem, & amorem. *Diſp.* 18 *n.* 96. *& ſeqq.*
Data alicui optione vnionis hypoſtaticæ, & viſionis beatificæ, aut è contra; electione rationabili eligeret vnionem hypoſtaticam, non obſtante quod appetitum hominis non ſatiet; viſio vero appetitum omnino quietet, & delectabilior ſit. *Diſp.* 18. *n.* 99.
Stat capacitas ad vnionem ſubſtantialem cum Deo cum incapacitate ad Dei viſionem. *Ibid nu.* 100. *&* 101.
Vnio naturæ irrationalis cum Deo diuerſæ ſpeciei eſt ab vnione naturæ rationalis. *Diſ.* 18. *nu.* 105. *& Diſput.* 21. *nu.* 69
Etiam ſi modus vnionis ſubſtantialis cum Deo ſanctitatem præſtaret in genere cauſæ formalis intrinſecè informantis, poſſet iſtum effectum non tribuere irrationali naturæ. Ibid n. 106.
Licet vnio hypoſtatica perfectior ſit omni accidenti, & iſtud poſſit de potentia abſoluta ſine ſubiecto exiſtere, illa tamen per nullam potentiam poteſt ſine extremis vnitis exiſtere. *Diſput.* 18. *num.* 255.
Licet vnio, qua humanitas Verbo diuino vnitur ſit modus illam *intrinſecè* afficiens, poteſt humanitas aſſumi à patre retenta prædicta vnione, quin talis vnio aſſumatur. *Diſp.* 19. *n.* 45.
Vnio creata, qua humanitas Verbo vnitur, non eſt forma illam ſanctificans, nec cauſalitas formæ ſanctificantis, ſed tantum requiſita conditio. *Diſ* 21. *num.* 67. Vbi varia Auctorum fundamenta referuntur, & reijciuntur.
Vnio hypoſtatica, nec eſt ſanctitas per eſſentiam, nec per participationem, nec ratione ſui eſt radix phyſica, vel moralis donorum ad ordinem gratiæ ſpectantium. *Diſp.* 21. *num.* 76.
Vnio iſta non eſt natura diuina per participationem, nec principium *quo* radicale operandi ſupernaturaliter. *Diſp.* 21. *n.* 87. *& ſeqq. & Diſp.* 23. *n.* 102. & *D.* 30. *n.* 131. *& ſeq.* maximè. *n.* 138.
Si vnio hypoſtatica eſſet radix phyſica gratiæ habitualis, & donorum ipſam conſequentium, non poſſet, niſi omnino inconſequenter negari, eſſe formam formaliter ſanctificantem humanitatem Chriſti. *Diſp.* 21. *n.* 113. *& ſeqq.*
Licet vnio hypoſtatica ſit *infinitè* perfectior donis ad ordinem gratiæ ſpectantibus, non tamen eſt ſuperioris ordinis ad illa, nec ſupra exigentiam moralem Actuum ſupernaturalium. *Diſp.* 30. *n.* 8.
Ratione vnionis hypoſtaticæ non eſt humanitas radix phyſica gratiæ habitualis, nec iſta ratione illius conſequitur ad humanitatem *dimanatiuè*. *Diſp.* 30. *n.* 83. *& ſeq.* maximè n. 88. *& Diſp* 35. *n* 121. 122. *&* 123.
Vnio hypoſtatica non ſolum in morali æſtimatione, verum etiam in perfectione phyſica excedit omnia creata naturalia, & ſupernaturalia. Et conſlatum ex humanitate, & gratia. *Diſp.* 35. *num.* 124. 125. *&* 126.

Vnitas.

VNitas, quotuplex ſit, quid vnaquæque requirat, & quæ poſſit Deo conuenire, explicatur. *Diſp.* 35. *n.* 148. & *ſeqq.*
Diuiſio, ſeu diſtinctio ab alio, quæ in negatione identitatis conſiſtit, non eſt effectus ſecundarius vnitatis, ſed modus eſſentialis inſeparabilis ab illa. D. 21. *n.* 21.

Vniversitas Salmantina.

VNiuerſitas Salmantina, Complutenſis, & Valliſoletana laudantur, & preferuntur. D 20 *num.* 21.

Volvntas.

VOluntas creata non poteſt liberè velle per voluntatem liberam Dei ſibi intrinſecè vnitam. *D.* 32 *paſſim, maximè n.* 68. *& ſeqq.*
Voluntas, ſeu amor rerum, quæ ſunt ſupra nos perfectior eſt cognitione illarum: ſecus vero amor illarum rerum, quæ ſunt nobis inferiores. *D.* 32. *n.* 115. & 116.
Tendentia voluntatis in obiectum, vt propoſitum per cognitionem dependentem à phantaſmatibus, & tendentia in idem obiectum propoſitum per cognitionem à phantaſmatibus independentem, non inducit differentiam ſpecificam in actibus voluntatis, bene tamen in actibus intellectus. *Diſp* 32. *n.* 216. *& ſeq.*

Volvntas Divina.

VOluntas diuina neceſſitari non poteſt, niſi à bonitate per eſſentiam infinita. D. 21. *num.* 46.
Voluntas diuina, non neceſſario, ſed liberè diligit humanitatem Chriſti, licet infinitè per gratiam vnionis ſanctificetur: ſanctitas enim iſta eſt ſolum infinita per liberam infinitas per liberam communicationem Ibid.
Si voluntas diuina ratione ſui, prout à natura diuina, & intellectu diſtincta, eſſet ſanctitas increata, etiam charitas, quæ eſt eius formalis participatio, eſſet ſanctitas formalis *Diſp.* 12. *n.* 153. *& ſeqq.*
Voluntas efficax alicuius, non eſt virtualis voluntas omnium, ſine quibus exiſtere, nequit, ſi tali ſint, quod ad ſui exiſtentiam non voluntatem poſitiuam, ſed tantum permiſſiuam expoſcant. *Diſputat.* 34. *num.* 148.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Quæ in hoc ſecundo Tomo de Incarnatione Diuini Verbi explicantur.

D. *vel* **Diſp.** *Diſputationem*. **N.** *vel* **Num.** *Numerum marginalem denotat*.

EX EXODO.

CAp.4. Sponſus ſanguinum tu mihi eſt. *Diſp.*29.*num.* 93.

EX DEVTERONOMIO.

CAp.18. Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris. D.25.n.97.

Cap 32. Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui fecit, & creauit te? D.29. n.41.

EX LIBRO IOB.

CAp.28. Columnæ cęli contremiſcunt. D.25.n.8.

Cap. 41. Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. *Diſp.*29.*num.*125.

EX PSALTERIO.

PSalm.2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Diſp.*30. n.46.

Pſalm 8. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. D.29. *num.* 91.*&* D.34.*num.*117.

Pſalm. 18. Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi. *Diſp* 25. *num.*8.

Pſalm. 44. Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. *D.*21.*nu.*8.*&* D.22.*nu.*8.*&* 9.*&* *D.*30 *n.*44.45.46.*&* 47.

Pſalm.83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. *D.*32.*n.*13.

EX PARABOLIS SALOMONIS.

CAp.1. Abundantia perfruetur, timore malorum ſublato. *D.*25.*n.*49.

EX CANTICIS CANTICORVM.

CAp.1. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. *Diſp* 29. *num* 37.*&* 38.

Cap.2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. *D.*29.*n.*43.

Cap.4. Tota pulchra eſt amica mea, & macula non eſt in te. *Diſput.*29 *nu.*31. *&* 39.

EX ECCLESIASTICO.

CAp.3. Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum. *D.*29.*n.*44.

Cap.33. Contra bonum, malum, contra vitam mors; & contra virum iuſtum, peccator. *D.*29.*n.*35.

Cap.43. Ne laboretis; non enim comprehendetis. *D.*33. *n.*84.

EX ISAIA.

CAp. 1. Filios enutriui, & exaltaui: ipſi verò ſpreuerunt me. D.29.n.43.

Cap.11. Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. *Diſp.*22. *n.*8.*&* 9. *&* D.15.n.1 *&* 8.

Cap.42. Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, dedi ſpiritum meum ſuper eum. D.30.n.164.

Cap.61. Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me. Ibid.

EX IEREMIA.

CAp.32. Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. D.33.n.84.

EX ZACHARIA.

CAp.1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. D.30.n.17.

EX MALACHIA.

CAp 3. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. D.30. n.17.

EX EVANGELIO MATTHÆI.

CAp 4. Ductus eſt Ieſus in deſertum a ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo. *D.*13 *n.*150.

Ibidem. Accedentes Angeli miniſtrabant ei. *D.*29.*n.*91.

Cap.16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *D.*29.*n.*58.

Cap.22. Cognita Ieſu nequitia eorum. *D.*32.*n.*172.

Ibidem. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. *D.*32. *n.*16.

Cap.26. Triſtis eſt anima mea. *D.*51.*num.*172.*&* *D.*32. *num.*26.

Cap.28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in Terra. *D.*34.*n.*117.

Cap.28. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. D.18.n.11.

Cap.19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: *D.*31.*n.* 16.

EX MARCO.

CAp.1. Et ſtatim ſpiritus expulit illum in deſertum. *D.*23.*n.*150.

EX LVCA.

CAp.1. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. *D.*22.*n.*10.

Cap.

Cap.2. Puer autem Ieſus proficiebat ſapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines. D.27.n.3. & 4.
Cap 4. Et agebatur à ſpiritu in deſertum diebus quadraginta. D.23.n.150.

Ex Ioanne.

CAp. 1. Et vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. D.21.n.9. & D.28.n.4. & D.30.n 61. & D.32.n 17.
Ibidem. De plenitudine eius nos omnes accepimus. D. 29.n.117.
Cap.2. Super quem videritis Spiritum Sanctum deſcendentem, & manentem in ipſo. D.22 n.8. & 9.
Cap 1. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. D.32.n.18.
Cap.3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. D. 18.n.97.
Ibidem. Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur. D.32.n.18.
Ibidem Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum filio. D.34.n.90.
Cap 5. Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. D 34.n.117.
Cap.8. Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat D 24.n 81.
Ibidem. Ego Dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, vos autem inhonoraſtis me. Ibid.
Ibidem. Scio eum, & ſermonem eius ſeruo. D. 31.n.172.
Cap. 13. Sciens Ieſus quia venit hora eius. D.31.n.172. & D.34.n.117.
Cap.17. Ego, & Pater vnum ſumus. D.19.n.58.
Ibidem. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum. D.31.n.16.

Ex Epistola Ad Romanos.

CAp.5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. D.22.n.16.
Cap.6. Gratia Dei, vita æterna. D.31.n. 16.
Cap.8 Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. D. 28.n.4.
Ibidem. Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. D.29.n.10.
Cap.12. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra, non eundem actum habẽt: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto. D.28.n.3.

Ex Prima Ad Corinthios.

CAp.4. verſu 7 Quis te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? D.23.n 91.
Cap.5. Quid mihi de his, qui foris ſunt? D.29 n.56.
Cap.12. Vos eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro. D.28.n. 12.
Cap.13. Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. D.31.n.199.

Ex Secunda Ad Corinthios.

CAp.3. verſ.5. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. D.23.n.91.

Ex Epistola Ad Galatas.

CAp.4. Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis. D.29.n.42.

Ex Epistola Ad Ephesios.

CAp.1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius D.28.n.2.& D 29.n.5.
Cap 2. Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. D.29.n.58.
Ibidem. Eramus natura filij iræ. D.30.n.153.
Cap.3. In charitate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti. D.22.n.16.
Cap.4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. D.26.n.54.
Cap.5. Non habentem maculam, neque rugam. D.29.n.39.

Ex Epistola Ad Philippenses.

CAp.2. Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. D.30.n.144.

Ex Epistola Ad Colossenses.

CAp.1. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium primogenitus ex mortuis. D.28.n.5.
Ibidem. Si tamen in fide eius fundati eſtis. D.29.n 58.
Cap. 2. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis. D.29.n.97.

Ex Secunda Ad Thessalonicenses.

CAp.2. Oſtendens ſe tanquam ſit Deus. D 29.n.126.

Ex Prima Ad Timotheum.

CAp.6. Lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre poteſt. D.33.n.84.

Ex Epistola Ad Hebræos.

CAp.2 Nunquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit D.18.n.5.
Ibidem. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius, præ illis, nomen hæreditauit; cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu? D.18.n 96.
Ibidem. Decebat eum propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat Authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari. D 32.n.4.
Cap.5. Didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam. D.31.n.172.

Ex Epistola Secunda B. Petri.

CAp.1 Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris. D.25.n.96.

Ex Epistola Prima Ioannis Apostoli.

CAp.3. In hoc ſunt manifeſti filij Dei, & filij Diaboli; omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo. D.29.n.42.
Cap.4. Perfecta charitas foras mittit timorem. D.25.n. 50.

Ex Apocalypsi.

CAp.5 verſ.5 Vicit leo de Tribu Iuda D.20.n.9.
Ibidem. verſ.12. Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & diuinitatem. Ibid.

F I N I S.

Series Chartarum huius Tomi Secundi.

† †† ††† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk.

Omnes ſunt Terniones, præter ††. Quaterniones
Et habet 109.

Digitized by Google